Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Rerum sicularum scriptores ex recentioribus praecipui,

https://hdl.handle.net/1874/456051

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

S. fol.
150

108
Sirkl
a.



S. fo.
150

RERVM
SICVLARVM
SCRIPTORES EX RECEN-
tioribus præcipui, in vnum corpus nunc
primum congesti, diligentiq; reco-
gnitione plurimis in locis
emendati.

AVCTORVM NOMINA ET MATE-
RIAM VERSA PAGINA COGNOSCES:
in calce vero adiectus est rerum verborumq;
obseruatu dignorum INDEX
copiosissimus.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,
APVD AND. WECHELVM.
M. D. LXXIX.

ACADEMIA

Lectori S.

QVVM manus admoueremus huic operi, solas *Thomæ Fazelli* Decadas edere decreueramus, nã videbatur is autor, vt hoc argumentum postremus est aggressus, ita cæteris plenius atque exactius tractauisse: quippe cuius prior Decas, cum veterem tum hodiernã insulę veluti scenã repræsentat: posterior vero, huius scenæ dramata a primis seculis vsque ad nostram ætatem nobis ob oculos ponit. Post vbi considerauimus, in eadem fabula sæpenumero etiam ignobilioribus poetis & histrionib. aliquid inesse gratiæ, certiusque spectatoren vtrisque inspectis & consideratis iudicare posse: cæteros quoque rerum Sicularum scriptores cum *Fazello* coniũgendos iudicauimus: præsertim quia, licet in multis ab eis dissentiat, in non paucioribus tamen, etiam verbis illorum non est vti dedignatus. Damus igitur cum Thoma Fazello *Claudium Marium Aretium, Dominicum Marium Nigrum, Michaelem Ritium, & Hugonem Falcandum.* Quorum priores duo cum priore Fazelli Decade coniũgi inter legendum possunt, posteriores cum posteriore. Illi enim Siciliæ chorographiam, vt prima Fazelli Decas, instituerunt: hi vero res in eadẽ gestas exponunt. Ac *Ritius* quidem Neapolis & Siciliæ reges, resque sub eis gestas, breuiter a Nortmannis vsque ad sua tempora deducit: *Falcandus* vero calamtates narrat quæ Siciliam sub Guilhelmo I & II per annos ferme 23 exercuerunt. quas etsi Fazellus quoque recenset, Falcandus tamen fusius atque accuratius persequitur, atque ita vt politicis eius lectio & fructuosa & iucunda sit futura. *Fazellus* vero, vt dixi, non modo complexus est ea quæ singularibus illi libellis perstrinxerant, sed addidit etiam quæ ab illis omissa fuerant: tum erroribus eorundem diligenti examine discussis, historiæ veritatem cum ex priscis tum ex recentibus autoribus (qui post præfationem nominantur) eruit. ita vt non solum irreparabilem illam priscorum vtriusque linguæ autorum, qui celeberrimæ huius insulæ res conscripserunt, iacturam aliquo saltem modo resarciat, ex scriptorum insulæque ipsius monumentis quę supersunt, historia quam fieri potuit enucleatissime contexta: sed eorũdem etiã reliquiis, historicorum præcipue & poetarum, multis in locis multum afferat luminis, dum non modo sua illorum testimoniõ comprobat, sed etiã quæ obscurius ab illis dicta sunt, luculenter illustrat. Porro quam sit hæc editio superioribus emendatior, ipse deprehendes lector, præsertim si vtrasque conferre libeat. hoc vere prædicare possumus, aliquot hic fœdorum mendorum hecatontadas esse sublatas, fontibus ipsis, vnde sua deriuarunt autores, diligenter indagatis. Vale lector & vtere.

D. PHILIPPO HI-
SPANIAE, ANGLIAE, SI-
CILIAE, &c. REGI POTEN-
TISSIMO,

FRATER THOMAS FAZELLVS,
Siculus, ordinis Prædicatorum,
fœlicitatem.

CVm anno superiori, inuictissime Rex, Sicularum rerũ Decades duas, a me per annos viginti ex incorruptis authorum monumentis excerptas, Carolo quinto Cæsari, Hispaniæ & Siciliæ Regi, parenti tuo, iure optimo dedicassem, & eas prælo iam edendas eius auspiciis tradidissem: noua cum mihi tum cæteris omnibus quædam lætitia repente affulsit, nempe tibi vni prudentia, humanitate, munificentia, studio disciplinæ, ac bello etiam clarissimo Principi, & Regna, & cætera tua omnia vltro patrem ipsum detulisse. Qua sane cogitatione tantam cepi animo voluptatẽ, vt nulla ex alia re maiorem capere potuissem. Nam quis te vno melior Princeps Christianis his regnis contingere potuisset, non video. Ego vero te duce atque moderatore omnia vel ad Dei gloriã, vel ad præsentis seculi fœlicitatem nobis ex sententia successura cõfido. Cum etenim Princeps optimus sis, atq; idẽ sapiens, tua virtute de hostibus Christiani nominis præclara ac celeris est victoria expectanda. Sed ne in meridie lucẽ quærere videar, cum penitius hãc tui ad Regna Hispaniæ & Siciliæ tuectionẽ considerassem, has quoq; decades cũ his ipsis regnis tibi cessisse cognoui. Qui enim tibi Siciliam tradidit, eum proculdubio & hanc de Sicilia sibi dicatam historiam, tibi dedisse iure omni existimandum est. Quocirca ne furtum facere videar, atq; vt a tui etiam nominis authoritate ac splendore patrocinium hi mei labores accipiant, simulq; vt mei in te animi atque obsequii veluti quoddam apud te pignus sint, hodie mihi e prælo redditos, vt tuos, ad te mitto. Tuæ igitur humanitatis fuerit, vti benigne eos accipias, atque succisiuis horis, quibus animum liberalibus studiis reficere soles, percurras. Vale.

F. THOMAE FAZELLI SICVLI, ARTIVM ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS, ordinis Prædicatorum,

AD D. CAROLVM Q. CAESAREM, Hispaniæ & Siciliæ Regem, &c. In duas Decades de rebus Siculis

PRAEFATIO.

PAVLVS Iouius, Nucerinus Episcopus, rerum Sicularum studiosus, vigesimum ab hinc annum, cũ Romæ essem, multis a me precibus efflagitauit, vt priscam Siciliæ quasi formam illustrarem. Quod etsi supra vires esse cognoscerem, mihi præsertim, ab ineunte ætate aliis studiis assuefacto: non potuit tamen id tandem non persuadere tanti amici & iudicium & authoritas, quod collabentis alioqui patriæ commiseratio quasi suo iure postulabat. Cum etenim nullus adhuc inter Latinos extiterit, qui Siciliam sibi in argumentũ iusti ac peculiaris operis desumpserit: factum est vt tam præclaræ insulæ vrbes, quarũ veteres meminerunt, complures plane interciderint, pleræque vero falsis nominibus, non ab imperita solum plebe, sed a doctrina quoque cultioribus, quos nostra pauloque superior tulit ætas, obliteratæ, non paruam antiquo totius prouinciæ splendori nubem, indignamque tanto literatorum hominum prouentu iacturam induxerint, dignam porro quæ quoquo mõdo vel per mediocriter eruditos vendicetur. Quo circa non adeo mirum videri debet, si ego e Philosophiæ & Theologiæ castris transfuga, parergo atque operoso huic negotio, quo ad littus e tanto naufragio supernatantes aut parum apparẽtes ciuitates perducerem, incumbere, ac quamlibet etiam existimationis aleam subire decreuerim. Nam si ciues ipsos qui patriæ ornamento fuerunt, pati occidere, immanis est hominis, dubio procul patriæ ipsius, quæ & nos & ciues omnes in lucem edidit, excidium sufferre immanissimi est. Atque adeo id mihi ad subleuandam infirmitatis conscientiã solatium suffecerit, quod, vt aliud nihil hoc meo labore assequar, patriã saltem, cui nihil non deberi ipsa nos natura docuit, simul & maiores meos in lucẽ

pro

pro viribus excitauerim. Neque enimuero cum his calcaribus ad scribendum me contuli, de Siculorum rebus gestis quicquam vel attingere consilium erat. At cum inter agendum pleraque occurrerent, quibus prætermissis, nudam ociosamque omnem descriptionem futuram prænoscerem, dum suscepto officio satisfacere accuratius studeo, incautus pene atque inuitus in historiam sum prolapsus. Ex cuius inopinato successu, ingens demum cupido mihi incessit, quæcunque de Sicilia, eiusque rebus, iam inde ab exordio in hunc vsque diem memoriæ sunt prodita, in fascem colligere, & historiam non inutilem contexere: cui non piguit etiam ocium, quodcunque a viginti annis ex magnis innumerisque occupationib. hactenus pene suffuratum contigit, impendere. Et ne, si quæ locorum aut temporum sunt, temere asseuerare viderer, cum ab antiquitate pendeant, ea peragrata a me quater aut sæpius, & curiosissime indagata tota Sicilia, tam diu cum authorum sententiis contuli, quousque re comperta abunde mihi ipse satisfeci. Qua diligentia non immerito mihi gloriari licet, complura oppida ac ciuitates maximas sub ruinis, ruderibus, virgultis, aratroque sepultas, quæ e nostrorum temporum oculis animisque penitus exciderant, velut ab inferis vendicatas in vitam rediisse. Vnde exemplo fabulosi illius AEsculapii, tot in frusta discerptos Hippolytos compactis membris restituisse mihi videor, quot ad lucem recentemque antiquitatis cognitionem vrbes & loca reuocaui. Ea vero omnia in ordinem temporibus simul & rebus conuenientissimum redacta, duabus demum librorum decadibus absolui. Quarum prior descriptionem solam, posterior vero historiam complectitur. Porro si puriorem sermonem, ac fœliciorem dicendi cultum desiderari continget, hæc vna mihi authoritas subueniet, quod historia, cum testis sit temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ & nuncia vetustatis, dummodo vel latum (quod aiunt) vnguem a vero non recedat, quouis modo, etiam vernacule scripta, oblectare solet. Si vero erunt qui consilium ipsum, genusque argumenti, theologicæ dignitatis esse negent, hos maximorum virorum, orthodoxorumque patrum, Eusebii, Hieronymi, Isidori, Bedæ, Orosii, Antonini Florentini, aliorumque eius classis complurium meminisse oportebit, qui cum historiam nec religioni Christianæ nec Theologicæ professioni iniuriam facere suis exemplis comprobauerint, quare me eorũ vestigiis inhærere pudeat, quorum facta etiam pro legibus haberi videamus? Nec deerunt qui hanc quasi ex alienis racemis factam vindemiam, aut ex aliorum trophæis partum triumphum calumniabuntur. Hos egõ secum paulo submissius expendere velim, tot clara vetustatis monumenta, hominumque priscorum facta, quæ coniectura diuinari nequeunt, non aliunde quam ex veterum scriptis deligi potuisse. In quibus si videbor authorum verbis nimium inhæsisse, id eo feci, ne a fide legentes abducantur, quando non nomina modo, sed veterum quoque verba passim inserta agnouerint. Cum denique non ad mei nominis gloriam, sed ad publicos vsus, laborum meorum rationes destinauerim: vtcunque erit, iuuabit saltem & eorum studiis consuluisse, qui, quam centum fere scriptoribus confuse sparsam, cum extremo quærendi fastidio frustatim quodammodo cogebantur excerpere, Siciliæ historiam ordine iam sunt cognituri. Id vero potius veniam requirit, quod, cum non solum æui cursu, sed diutino quoque immanique Saracenorum in Sicilia im-

perio, multæ & in decliuium abierint, & prorsus obierint vrbes, quarum tot passim cadàuera ante oculos semilacera ac collisa iacent, pluriumque locorum prisca aut corrupta aut mutata sint nomina, de omnibus, pro vt vel suo extiterũt tempore, vel ab authoribus sunt descriptæ (cum ne veterum quidem omnium scripta ad nos peruenerint) exactam rationem reddere in me non fuerit. Proinde boni consulet qualescunque hos conatus meos posteritas, qui (cum ne meo quidem erga eam animo satisfecerint) præstruent certe viam, qua & ipsa aliquando pleniori scriptorum facultate adiuta, ea suppleat quæ non voluntatis, sed virium aut temporis imbecillitas a me imperfecta reliquit. Tibi vero Carole quinte Cæsar, Hispaniæ & Siciliæ rex, cui Siculorum hæc rerum farrago vel ob id debetur, quod nuper Siciliam ipsam, expugnato Tuneto, deuictaque Africa, a diro Turcarum metu sceleratisque ensibus strenue vindicasti, eamq; sanctissimis legibus restitutam iustissimo dominatu moderaris: tibi inquam, penes quem totius orbis imperium Deus esse voluit, hunc rudem informemque ingenii mei fœtum, vt pro me atque vniuersa Sicilia grati erga te animi obsidem, dedicandum putaui. Quem etsi inuictæ maiestati tuæ imparem cognoscam, benigne tamen ac læta fronte pro solita tua in omnes humanitate, exceptum iri non diffido. Atque ita inuocato Dei Opt. Max. ductu atq; auxilio, a situ Siciliam ingressus, ad singula eius oppida ciuitatesque ac res memoratu dignas, ordine progrediar. Vale.

AVTHO-

AVTORES QVOS IN HOC OPERE *Fazellus fideliſſime imitatur.*

AElianus.
AEſchylus.
Ammianus.
Annales Siculorum.
Annales Saracenorum.
Antiochus Syracuſanus.
Antoninus Pius.
Appianus Alexandrinus.
Apollodorus.
Apollonius.
Ariſtoteles.
Athenæus.
Beda.
Beroſus.
Blondus.
Boccatius.
Callias.
Cato.
Chronica Neapolitanorum.
Claudianus.
Cicero.
Cornelius Nepos.
Diodorus Siculus.
Dionyſius Alicarnaſeus.
Diplomata Regũ Siculorũ, & Ro. Pont.
Doſitheus.
Duris Samius.
Ellanicus.
Ephorus.
Euſebius.
Euſtathius.
Fabius Pictor.
Falcandus.
Fauorinus.
Flauius Vopiſcus Syracuſanus.
Florus.
Guiſcarda.
Heraclides.
Herodotus.
Heſiodus.
Homerus.
Ianus.
Ioannes Curopalates.
Ioannes Leonis.
Iſatius.
Iuſtinus.
Lactantius.
Laertius.
Laurentius Valla.
Liuius.
Lucianus.
Macrobius.
Martianus.
Megaſthenes.
Moſes.
Nicander.
Oratius.
Oroſius.
Ouidius.
Pauſanias.
Petrarcha.
Philiſtus Syracuſanus.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Polycrates.
Polycletus.
Pollio.
Pomponius Mela.
Poſidonius.
Probus.
Procopius.
Ptolemæus.
Ranzanus Siculus.
Scobranius.
Seneca.
Syllius Italicus.
Solinus.
Stephanus Byzantius.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Tabulæ publicę.
Theocritus Syracuſanus.
Theophraſtus.
Timæus Tauromenites.
Trogus Pompeius.
Thucydides.
Valerius Maximus.
Varro.
Vergilius.
Vibius Sequeſter.
Xanthus.
Xenophon.

INDEX PRIORIS DECADIS, PER ORDINEM LIBRORVM ET CAPITVM.

PRIMI LIBRI.

De situ Siciliæ, & insularum adiacentium descriptione, c. 1
De nomine Siciliæ, c. 2
De diuulsione Siciliæ ab Italia, c. 3
De vbertate Siciliæ, c. 4
De mirabilibus Siciliæ, c. 5
De habitatoribus Siciliæ Anacephalæosis; c. 6
De moribus Siculorum, c. 7
De littorali Siciliæ in modum indicis descriptione, c. 8
De mediterranea instar indicis descriptione, c. 9

SECVNDI LIBRI.

De Peloro promontorio, c. 1
De Zancla & Messana vrbibus, & vicinis oppidis, c. 2
De Tauromenio, Naxo, & propinquis oppidis, c. 3
De Aetna monte, & eius ignibus, c. 4

TERTII LIBRI.

De Catana vrbe, c. 1
De Teria & Symætho fluuiis, c. 2
De Leontino vrbe, c. 3
De Augusta, Megara, & Hybla vrbibus, c. 4

QVARTI LIBRI.

De vrbe Syracusarum, c. 1
De Neeto, Eloro, & Machara oppidis, c. 2

QVINTI LIBRI.

De Pachyno promontorio, & Motya vrbe, c. 1
De Camerina vrbe, & Terranoua oppido, c. 2
De Gela fl. Alicata & Gela vrbibus, c. 3

SEXTI LIBRI.

De Agrigento vrbe, c. 1
De Minoa & Heraclea vrbibus, c. 2
De Thermis, & Sacca vrbe, c. 3
De Selinunte vrbe, Terra pulicorum hodie dicta, c. 4
De Mazara vrbe, c. 5

SEPTIMI LIBRI.

De Lilybæo promontorio & vrbe, c. 1
De Drepano vrbe, c. 2
De Eryce monte & vrbe, c. 3
De Segesta vrbe, & vicinis oppidis, c. 4
De Elyma vrbe, c. 5
De Hyccara & Motya vrbibus, c. 6

OCTAVI LIBRI.

De Panormo vrbe, c. vnicum.

NONI LIBRI.

De Thermis Himerensibus vrbe, c. 1
De Himera vrbe, c. 2
De Cephalædi vrbe, c. 3
De Aleta, Alesa, Aluntio, & Calata, vrbibus, c. 4
De Agathyrio vrbe, c. 5
De Pactis vrbe, c. 6
De Tyndaride vrbe, c. 7
De Mylis oppido, c. 8

DECIMI LIBRI.

De Regione vallis Demini, & eius oppidis, c. 1
De Regione Neeti, & eius vrbibus & oppidis, c. 2
De Regione vallis Mazaræ, & eius oppidis, c. 3

FINIS.

FR. THO-

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS

LIBER PRIMVS.

DE SITV SICILIÆ ET INSVLARVM ADIACENTIVM DESCRIPTIONE.

CAPVT I.

SICILIA, mediterranei maris insula, inter Italiam & Africam iacet, sed ab Italia ad meridiem & occasum, angusti & æstuosi admodum æquoris interiectu abrumpitur. Cuius extima literæ græcę Δ. quæ delta dicitur, speciem effingunt. Tres eius anguli totidē promontoria producunt, Pelorum, Pachynum, & Lilybæum: quæ cum submissæ sint insulæ partes, rostrorum instar longius in mare protenduntur. Pelorus Cænym Italiæ verticē, Pachynus Peloponnesum, Lilybæus Mercurium Africæ promontorium spectat. Qui à climatum aspectu Siciliam definiunt, Pelorum ad Boreā, Pachynum ad ortum & Austrum, Lilybæum ad meridiem & occasum locant. Sicilia à Septentrione mari Tyrrheno siue infero, ab ortu Adriatico & Ionio, siue supero, à meridie Africo (quod est contra syrtis minoris oram) ab occasu verò, Sardoo alluitur. Distat ab Italia, vbi minimum, id est in freto, passibus mille & quingentis: vbi plurimum, à Drepano Neapolim. p.m. 300. A Sardinia insula. p.m. 230. Ab Africa, vbi minus, hoc est à Lilybæo ad Mercurium promontorium. p.m. 100. (licet Strabo lib. 6. & 17. Ptole. & Plin. Siciliam plus æquo, vt pote. p.m. 180. ab Africa remotam scripserint) vbi magis, à Pachyno ad Tripolim. p.m. 400. Sicilia, cū natura triquetra sit, tria, sed inæqualia habet latera, Septentrionale aliquatenus curuum, Meridionale, & Orientale, pauliſper cōcaua. Orientale latus (cuius alter angulus Pelorus est, alter Pachynus) basim eius habet. Reliqua duo, hinc mare Tyrrhenum, illinc Punicum sensim extenuant, quousq; ad Lilybæum confluunt, & trigonæ cuspidē acuminant. Latera hæc duo (quorum altero alterum est maius) Orientali sunt longiora. Nam Septentrionale. 281. Meridionale. 193. Orientale. 160. p.m. metiuntur. Ita Siciliæ littoralis ora. 624. p. m. in circuitu continet, hoc ordine: A Peloro, ad Messanam. p.m. 12. A Messana, ad Tauromenium. 30. A Tauromenio, ad Catanam. 30. A Catana, ad Augustam, sinum Megaricum. 30. Ab Augusta, ad Syracusas. 18. A Syracusis ad Elorum. 24. ab Eloro, ad Pachynum. 16. A Pachyno, ad Puzzallum. 20. A Puzallo, ad Camerinam (quæ iacet) totidem. A Camerina, ad Terranouam. 18. A Terranoua, ad Gelam, nunc Alicatā. 18. Ab Alicata, ad Agrigentinum frumenti emporium. 25. Ab Agrigentino emporio, ad Heracleā, quæ ad Caput album iacet. 20. Ab Heraclea, ad Thermas, nūc Saccam. 20. A Sacca, ad Selinuntē, Terram hodie pulicorum, quæ iacet. 18. A Selinunte, ad Mazaram. 12. A Mazara ad Lilybæū

promontorium,& vrbem,nũc Marſalam.12. A Marſala, ad Drepanum.18. A Drepano ad Ægitharſum promõtorium, Caput.S. Viti hodie dictũ. 18. A capite.S. Viti ad Caſtrum ad mare,Segeſtanum olim emporium.17. A Caſtro maris,ad arcem.S. Cathaldi: quæ Elymę ſubeſt. 12.ab Elyma ad Hyccaram,nunc Carini murum.12. A Carini, ad Motyam,portum hodie Galli.9. A portu Galli, ad Panormum,totidem. A Panormo,ad Soloentum. 12. à Soloento, ad Thermas Himerenſes. 12. A Thermis,ad Himeram vrbem, quæ defecit.6. Ab Himera,ad Cephaledin.18. A Cephaledi,ad Thuſam arcem. 18. A Thuſa, ad Aleſam,nunc Caroniam.12. à Caronia,ad Aquas dulces,quæ Aluntio ſubſunt.12. Ab Aquis dulcibus,ad Agathyrſum,quæ ad caput Orlandi iacet.18. Ab Agathyrſo,ad Brolum arcem.6. A Brolo,ad Pactas.12. A Pactis,ad Tyndaridem,quæ iacet.6. A Tyndaride,ad Mylas.18. A Mylis,ad Diuetũ arcem. 18. A Diueto, ad Falacrium promontorium hodie Raſiculmum. 6. A Raſiculmo,ad Pelorum,vnde auſpicati ſumus. 12. Siciliæ itaq; littoralis menſura ea eſt, quam diximus. Porrò Sicilia longior eſt,quã latior. Eius longitudo ab ortu ad occaſum, à Peloro ad Lilybæum extenditur,ad p.m. circiter.150. latitudo eius non ſane æqualis. Ad ſummũ vero,ad latus vt pote Orientale. p. m. ferme. 170. procurrit, cumq; inde procedit ad occaſum,ex ſpacio fit paulatim anguſtior: vbi autẽ finitur, hoc eſt ad Lilybæum,ibi fit anguſtiſſima. Vmbilicũ habet agrum Ennenſem. Quibus fuit curæ cœlo terras metiri,Siciliam in quarto climate,interq; nonum& vndecimum parallelum ſitam eſſe ſcripſerunt. Siciliæ principiũ longitudinis eſſe in gradibus.36.Medium.38.15.Finem.40. Latitudinis principium. 39. Medium.36. Finẽ. 34.Pelorum promontorium,Longitudinis. 39. 20. Latitudinis. 36. 20. Pachynum, Longitudinis.40. Latitudinis.36.20. Lilybæũ,longitudinis.37. Latitudinis. 36. Sicilia cùm tribus lateribus concludatur: in curſu lateris Septentrionalis decem adiacentes habet inſulas,tametſi veteres ſeptem tantum modo numerauerint, cõmuni nomine Lipareas,Vulcanias & Aeolias latinis, Ephęſtiades Vulcani epitheto græcis appellatas.Quarum hæc ſunt nomina:Lipara,Vulcania ſiue Hiera,Vulcanellus, Liſcablãca,Baſiluzus,Thermiſia,Strongyle,Didyma,Phœnicuſa,& Ericuſa. Lipara quæ à Sicilia.p.m.20.recedit,omniũ maxima,in circuitu.p.m. 18. habet, Melingunis à Callimacho,Strabone &Plinio dicta.Soli natura ferax,& magno aluminis prouentu,ac fructuum domeſticorum ſuauitate eſt celebris. Balneæ ſunt in ea tũ humidæ,tum ſudatoriæ ad valetudinem ſimul & voluptatẽ accommodatiſſimæ, quæ priſco tempore à Siculis morbo affectis,incolumitatis gratia admodum frequentabantur. Eius mare pisces omnis generis,& mẽnas præſertim,laudatiſſimos abunde præbet. Hæc inſula ignem ex pluribus craterib. olim euomebat. Diodoro, & Straboni.Cuius ora & veſtigia adhuc viſuntur.Refert Ariſtoteles lib.de admirandis auditionibus, tumulum in hac olim fuiſſe, ad quem noctu tuto accedere nemini licebat.Cymbala nãq;,crotali quoq;,immanes præterea ſonitus,tumultusq; cũ incõditis cachinnis ibi exaudiebantur.Quibus territi Liparenſes,ne quid ſibi mali accideret, illuc progredi perhorrebant. At cum mero quidam correptus eo temere peruaſiſſet:iuxta tumuli ſpecum obdormiuit,perquiſitusq; à domeſticis poſt triduũ exanimis eſt repertus. Pro mortuo autem inde elatus, cum ſepulturæ paratis exequijs ac funebri pompa tradendus efferretur, repentè omnibus admirantibus experrectus,quæ & viderat,& paſſus fuerat enarrauit.Quod & ſi Ariſtoteles fabuloſum id eſſe arbitretur, & vetus ſuperſtitio cœlitus factum falſo referat: dęmonum tamen illuſionis genus fuiſſe apud CHRISTI cultum conſtantiſſimum eſt. Aetate mea, & pluribus ante annis Lipara cõſumpta iam materia ardere deſijt. Hanc inſulam Liparus Auſonis Italiæ regis filius, à fratribus diſſidens,magna ſecum aduecta militum copia,mortalium primus incoluit,oppidumq; à ſuo nomine Liparam vocatum in rupe vndique prærupta,quam mare alluit,condidit,& ſubinde vicinarum inſularum agros excoluit.Diodoro. Seneſcente Liparo Aeolus Hippotæ Heraclidarum generis,filius,Iliacis temporibus (teſte Plinio) claſſe in inſulam appulſus Teleporam regis filiam vxorem duxit, ac Liparam vrbem cũ vicinis inſulis, dotis nomine,à patre accepit,quas mutato nomine Aeolias à ſe nuncupauit.Quo regnante quòd prudentia atque humanitate plurimum vigeret, Lipara maxima ſuſcepit incrementa.

crementa. Defuncto Aeolo, extinctaq; eius sobole: Gnidij quidam (quorum vrbs in Lycia minoris Asiæ regione est) & Rhodij nonnulli, Asiæ regum iniurijs oppressi, duce Penthalo, qui genus suum ad Hippotam referebat, quinquagesima (quæ tunc agebatur) Olympiade, in Siciliam venêre, atque ibi à Segestanis superati, ducibus Gorgone, Thestore, & Epitherside Liparam peruenêre: vbi ab incolis humaniter excepti, habitauerunt, vt Diod. & Pausanias referunt. Post hæc à Tuscis, diuersis cladibus affecti naues sibi ad propulsandas hostium iniurias extruxêre, quibus tandem deuictis, spoliorum decimas Delphos misere. Peloponnesiaci belli mox tẽpore Liparenses cum Syracusanis confederantur. Et subinde à Romanis imperantibus in societatẽ asciscuntur. Sed primo Punico bello ad Pœnos desciuere, & bello deinde fracti, ad Romanos redierunt. Eoq; tempore & Lipara maximè coaluit, & Romani magnum ex aluminis effossione vectigal perceperunt. Diuiso post modum orbis imperio, ea vrbs Constantinopolitano cessit. Quã paulo pòst Michaële Balbo Byzantij rerum potiẽte, vnà cum Sicilia Sarraceni occuparunt. Quibus triginta supra ducentos post annos, superatis, Robertus & Rogerius Normanni eam Christianis restituerunt. Vbi statim à Rogerio templum. D. Bartholomæo erectũ est: quod posteà à Bonifacio Romano Præsule ad Episcopatũ est translatum. Deinceps Lipara in Caroli Franci ditionem venit. Sed Gallis in Sicilia interemptis, ad Aragonenses simul cum Sicilia defecit: quorum hodie Imperio subest. Nostra verò ætate anno salutis 1544. mense Iulio, ab Ariadeno Barbarossa Turcicæ classis præfecto ferro & igni prorsus absumpta est. Quã confestim inde Carolus Quintus Cæsar, eò Hispanorum missa colonia, pristino cultui restitutam, munitiorem etiã reddidit. Lipara Insula Melingunis (vt diximus) à priscis, ob eius nigredinem appellata est. Subinde Thermisia, à balneis quas habet, vt testatur Strabo. Postremò verò Lipara est dicta, quod nomẽ hucusq; retinet. Et de Lipara plus satis. Proxima huic Aeoliarũ insula Hiera græcis, Sacra latinis, (quia sacra apud veteres Vulcano erat) Therasia Plinio, Incolis verò Vulcania hodie dicta, à Lipara. p.m. 4. ad Orientẽ dissidet. Hanc non ab initio cum orbe enatam, sed Coss. demum Sp. Posthumio Albinio, & Q. Fabio Labeone, anno ab Vrbe condita. 550. repente è pelago emersisse Plin. lib. 2. c. 90. Isidorus lib. 14. P. Orosius, lib. 4. cap. 19. & Eutropius, lib. 4. referunt. Hæc in medio mari, aquis circumfusa perpetuò ardet. Enimuero ex voragine, quæ in medio patet, iugiter ingentem fumi nebulam hodie eructat, & pro modo efflantium ventorum Euri, vel Africi, fumum interdum, quandoq; fauillas, nonnunquã etiam ignem, ac pumices euomit. Intus verò per iuncturas lapidum, & cancellos, angustosq; meatus, exurens simul, & pallens ignis, inter ipsam fumosam caliginem emittitur. Scribit Aristoteles 2. meteororum lib. in hac insula diu ante sua tempora, ecnephia, hoc est procelloso vento è nube erumpente, præmissoque sonitu, tellurẽ montis instar intumuisse, ac dehiscente paulatim terra, ignem primũ, mox cinerem exiluisse: qui latè eiectus Liparam, atque vicinas Italiæ vrbes fœdauit, fuscaq; nigredine obduxit. Quin & Callias lib. De gestis Agathoclis. 10. tradit eam sua ætate, continuis arsisse noctibus, interdiu vero globos, & ingentes pumicum moles effudisse, sonitumq; eius septem circum passuum milibus auditum, subiectumq; mare, non aliter, quàm submissis ignibus ollam efferbuisse. Recenti quoque memorię proditum est, eandem nonis Februarij anno salutis 1444. antelucano tempore, flammarum, atque ardentium saxorum globos in cœlum, tanta vi, ac distento quodammodo hiatu emisisse, vt quatuor ex ijs admirandæ magnitudinis, vltra sex ab insula. p.m. in mare, non sine immani fragore collapsa sint: & Aeoliæ omnes insulæ, & Sicilia ipsa tota contremuerit. Atque adeo ob ignis, quæ in ea perpetuo visuntur, miracula, antiquitas Vulcaniæ ei nomen indidit, vel ob id, quod vesano errore ducta, sacram Vulcano officinam esse crederet. Tertia insula Vulcanellus tenuissimo euripo à Vulcania recedit: quæ & ignem ipsa aliquando euomuit. Euripus ad ætatem vsque meam peruius, ac fida nauigijs statio. Nunc interiecta ex Vulcaniæ caminis cinerum, ac lapidũ mole præclusus est. Quarta insula Didyma est Ptolemæo, à forma (quia nimirum Gemella est) nomen adepta. Salinis mea tempestate dicta. p.m. 12. habet in ambitu. Flammarum incendia antiquitus, & hæc quoque eiaculata est.

Quorum voragines fauceſque adhuc cernuntur. Hæc vini & domeſticarum cuiuſcunque generis arborum, ac fructuum eſt feraciſſima. Diſtat à Lipara ad Aquilonem. p. m. 4. Quinta Thermiſia (tametſi falſo) plerisque, Hiceſia Ptolemæo. Sed quicquid de vetuſtis ſit nominibus, Panaria hodie vocatur, in ambitu. p. m. 6. complectitur, Liparæ in Orientem ad p. m. 8. procliuior, adiacet. Stationem habet non incommodam. Vbi & proſtrata arcis veſtigia apparent. Sexta Liſca blanca mille paſſus habet in circuitu, vergitque in Orientem à Lipara ad. p. m. 8. cernuntur in ea, ciſterna vetus ad imbres ſuſcipiendos, & antiquæ habitationis monumenta. Septima Baſiluzus, circuitus. p. m. 2. à Lipara in orientem. p. m. 10. diſtinguitur, culturæ in primis idonea. Octaua Strongyle, Straboni, Ptolemæo, & cæteris, à forma orbiculari nomen ſortita, hucuſque retinet. ambitur p. m. 10. Et totidem ad æſtiuos ortus diuiditur à Lipara. Hæc quoque liquidiſſimas igniũ flammas, lapidesq; pumiceos præmiſſo fremitu, ex vertice, vbi crater eſt, noctu & interdiu emittit. Perpetuus eius ignis eminus nauigantibus noctu tantũ (cum interdiu à ſuperiori ſolis ſplendore obfuſcetur) conſpicitur. Huius inſulæ pars altera, ob perennẽ incendiũ, ſterilis, ac aratri impatiens, altera xylino, frugiferisq; arboribus fæcunda eſt. Hanc Aeoli fuiſſe domicilium ex priſcis Strabo refert. Nona Phœnicodes, ſiue Phœnicuſa, quaſi palmularia, à palmis, quibus olim affatim ſcatebat, nomen habet: prout Ariſtoteles libro de admirandis auditionibus eſt author. Cõficit in ſuo ambitu. p. m. 10. Et totidem à Lipara in occidentem abeſt. Segeti eſt apta, turrisq; iacentis monſtrat veſtigia. Decima Aeoliarũ inſula Ericodes, ſiue Ericuſa Ptolemæo, & Straboni, à Lipara ad occaſum. p. m. 15. à Phœnicuſa. 5. diſtat. Cui ab arbuſtis, quibus denſiſſime confertam olim habebat ſyluam, veteres (teſte Strabone) nomẽ impoſuere: quod in hunc vſque diem ſeruat. Scribunt Diodorus & Ptolemæus, q; vni Aeoliarum inſulę, Liparæ ad occidentem propinquæ, quę eo tempore deſerta erat, Oſteodes, ſiue Oſtodes (vt alijs placet) græcum fuerit nomen, hac occaſione inditum: Cũ Carthaginenſes magnis peditum copijs, ingentique claſſe in Siciliam cõtra Syracuſanos olim profecti eſſent, mercenarij eorum milites, ad ſexaginta plus minus milia, ob ſtipendium non ſolutum, de occupanda Carthagine coniurarunt. Quo comperto Carthaginenſes, ſub belli peregrini capeſſendi nomine, ſeditionis authores, qui quatuor milia numero excedebant, in naues coniectos, in eam inſulam, quæ cũ cæteris Aeolijs, ſub eorum imperio erat, proſcriptos deportarunt, vbi inedia omnes exeſi ſunt. Ita à tot hominum defunctorum nudis cadaueribus, inſulæ oſteodes græcè, quod oſſeum latinè ſonat, memorabile nomen prouenit. Eſt & alia inſula ab Aeolijs ad occidentem. p. m. fere. 60. totidemq; à Sicilia ad Aquilonẽ diuulſa, ambitus. p. m. 12. Euonymos Straboni, quod ad ſiniſtram ſit Siciliæ: Vſtica Ptolemæo, Plinio, & nobis hodie dicta: vbi olim eiuſdem nominis oppidum, templum præterea Mariæ Virgini ſacrum, & monachorum Cœnobium illi coniunctũ, non multis ab hinc annis erat, quod Archiepiſcopo Panormitano, Clemens huius nominis quintus, Romanus Pontifex, anno ſalutis 1312. 7. id. Octob. ſubiecit: vt eius diplomate conſtat. Porrò hac tempeſtate & oppidum & templum proſtrata, ſola antiquitatis veſtigia plurima reliquerũt: iam verò cum omnino deſerta ſit, cõmodam piratis ſtationẽ præbet. Scribit Strabo, quòd iuxta has inſulas, ſæpè igneæ flammæ ad ſuperficiem maris ex profundis ignium cauernis exhalauerint, cũ earũ meatus eſſent obſtructi, quæ facto violẽto impetu, ad exteriora ſupra mare cucurrerunt: quod Aemilio Lepido, &. L. Aurelio Oreſte Coſſ. imprimis accidit. Refert idem ex Poſſidonio, inter Vſticam & Aeolias inſulas. T. Flaminio Siciliæ prætore, ſolſtitio æſtiuo, aurora illuceſcẽte, mare miris in ſublime fluctibus intumuiſſe: mox ex plæriſq; locis caliginem primũ, deinde flammas emiſiſſe. Scribit etiam Plinius lib. 2. cap. 19. Aeolias omnes inſulas ſocialis belli tempore, diebus aliquot, incendia iugi flammarum expiratione continuaſſe: nauigare vero auſos piſcium multitudinẽ exanimem vidiſſe, qui & ipſi vix à morte ſunt ſeruati. Nam Liparam reuerſi, inſtar laborantium comitiali morbo, ſine vlla fere erant mente, qui poſt ad ſe redeuntes, lutum ex mari effloreſcere, & in lapidem molarem congelaſſe viderunt. Ex Aeolijs inſuper ad Aetnam Siciliæ montem, à cuius radicibus. 40. ferme. p. m. cenſentur,

opertos

opertos ſpecus in ſe recurrentes, ac commeatus eſſe ſubterraneos, & mutuo incendia ſibi ſubminiſtrare, Diodorus & Solinus ex veteribus memorant. Aeoliarum & Aetnæ ignium, hæ fermè rationes ab Ariſtotele & cæteris, qui rerum cauſas ſunt perſcrutati, tradunt, quòd cũ Aeoliæ, ab ea parte, qua Eurus, & Africus perflant, cauernoſæ vſque ad mare, & plenæ ſint ſulfure, pelagi fluctibus percutiuntur, percuſſæ exhalationem gignunt, quæ ſuo motu agitata rarefit, ſulfuriq; miſcetur, & accenditur, ac flãmas deniq; emittit. Verùm cũ vicinam terrã comburit, combuſtam interdum eructat, vel aliquando in cinerem conuertit, quem acrior cum flauerit ventus, paſſim egerit. Hæc autem omnia quam ſint rei veræ conſentanea, fidemq; mereantur, apertiſſimè declarant theoriæ, quibus ſuas natura rationes ſuppeditauit. Alijs nánque ventis perflantibus, nihil hæ inſulæ ex ſe ignis prouomunt. Præterea collaterales, ac mari viciniſſimi quique tantũ montes flagrare videntur. Ad extremum, cũ ignis iſte in medio pelagi perpetuo æſtuet, ne montiũ molem conſumet, pabulum atque humorem affatim ſuppetere neceſſe eſt. At de Aeolijs quidem hactenus. Inter Vſticam, & Siciliam exigua admodũm iacet inſula, à Fimi nomen habens, mille paſſuum ſpacio ab ora Siciliæ diſiuncta, Fœminarum inſula hodiè appellata. In eodem curſu inter Siciliam & Neapolim, pleræq; aliæ ſunt inſulæ, ſed littori Neapolitano obiacentes. Quarum prima Caprea, ſiue Capreæ (vt alij efferunt) occurrit, à Neapoli ad meridiem. p.m. 30. diffugiens, ſed à Promontorio Athenæo. Campanellarum vulgo hodie dicto (à quo terræmotu conuulſam ſcripſit Strabo) vnda breuiſſima, ad paſſus circiter mille. Nobilis eſt, cum coturnicum multitudine, tũ præcipue Cæſaris Auguſti, & Tyberij frequenti ſeceſſu. Eam nanque Aproxopolim græcè, hoc eſt apricam ciuitatem, ob amœnitatis receſſum, Auguſtus appellare cõſueuerat. Tyberius verò ad ſenectutis ſolatium, & delitiarum ſuarum latebras, ac ſeuitiæ officinam, arcem in ea inſignem condidit: quã ingraueſcente ætate, indignis voluptatibus, & dira ſæuitia, infamem reddidit, vt Suetonius & Plinius memorant. Hi porrò duo Cæſares plurimum ea ſunt delectati, quod vnico, eoque paruo littore adiretur, eſſetque præruptis vndique immenſæ altitudinis, ac aſperrimis rupibus, & profundo mari, Nemoribus, Antris, locis abditiſſimis, ac apricis domeſticarum arborum fructibus vndique circumſepta: aquarum exuberantia, aëris amœnitate & piſcatu denique inſignis. In hac duo erant ante Strabonis tempora, & hodie ſunt oppida, quorum maius Caprim, minus Donna caprim appellant. Extat in ea Carthuſienſium cœnobium, à Iacobo Caprenſi milite, Roberti regis ætate extructum. Non procul à Capreis, Prochyta inſula, ante Miſenum promontorium iacet, terræmotu à Miſeno diuulſa, vt libro primo Strabo refert: licet idem author, lib. 5. & Plin. libro 3: cap. 6. ab Aenaria diſiectam ſcribant. Quod & eius nomen oſtendit. Prochytam nanque profuſam interpretamur. Habet eiuſdẽ nominis oppidũ, ac terræ frugibus, perdicumque aucupio nobilitatur. Tulit hoc oppidum (vt in ſuo itinerario recenſet Franciſcus Petrarcha) Ioannem Prochytam, virum præclarum, qui Carolum Francum Regem non veritus, & grauis memor iniuriæ, maiora etiã ſi licuiſſet, auſurus, vltionis loco huic regi Siciliam abſtulit. Non longo ſpacio ab hac, & Puteolorum continenti, diſtantes inſulæ tres exiguæ, ſaxoſæ & deſertæ, ac paruis ab inuicem interſtitijs diſtinctæ occurrunt: quas Syrenes veteres nuncupabant, quod tres forma præſtantes, ſed vulgati corporis mulieres. Parthenopen, Ligiam & Leucoſiam eas incoluiſſe memoriæ proditum eſt. Hæ pulchritudinis immenſæ illecebris, ac inaudita cantus dulcedine, præternauigaturos ad ſui corporis copiam inuitare, allectoſque ad inopiam cogere ſolebant. Hinc prouerbio locus datus, ac Syrenum ſcopuli hæ inſulę appellatę ſunt, in quos dolis meretricijs nudati ridicule impegiſſe dicebantur. Vnde hac præteruehendus Vlyſſes ſociorum aures obturaſſe, ac ſe malo nautico alligaſſe, ne propius pertraheretur, à poetis fingitur, vt Palephatus lib. de incredibilibus ſcribit. Iſcla inſula breui admodum ab eis mari diſſecatur, Arime Homero, Aenaria Plinio. Inarime Virgilio, (licet à plæriſque notetur) Pythecuſa Straboni, & Græcis dicta, à Miſeno promontorio terræmotu, & ipſa diſcreta, vt libro primo author eſt Strabo. Cuiuſuis generis frugum, & auri quoque feraciſſima eſt. Balneas habet plures, & ad dilicias, & ad valetudinem æque accom-

modas. Hãc Eretriẽſes & Chalcidẽſes primi incoluerũt, quos ob feracitatẽ ſoli fortu natos Timæus vocat. At Hiero ſenior Syracuſarũ tyrannus, qui poſtea & ei, & Campaniæ dominatus eſt, illis ob ſeditionem pulſis, colonos è Sicilia eò tranſmiſit: qui oppidum Gerundam cognominatum, ædificauerunt. Horum tempore, & paulò ante Timæi ætatem, collis in medio inſulæ ſitus, cui Epomeus erat nomen, terræmotibus primum frequenter concuſſus, mox incendia maxima aperto hiatu euomuit. Quibus conterriti Siculi & oppidũ, & inſulam deſeruerunt. Sed & Lucio Martio, & Sexto Iulio Coſſ. & deinde Cæſare Auguſto, Tito, Antonino quarto, atq; Diocletiano imperantibus, plurimũ arſit. Alberti præterea primi anno tertio, adeò vehemens ibidem profluuium ad menſes duos prorupit, vt in ſuum quodãmodo exitium conſpiraſſe crederetur, cùm plurima bruta, ac multos homines cõſumpſerit, & cæteri fuga dilapſi in proximam Pandatariam, vel Capreas, vel Baias ſe contulerint. Remanent eius incendij ad huc veſtigia: locusq; ille aſperrimis lapidibus combuſtis tectus, ſimul & incultus, lõgitudinis. p. m. circiter. 3. ætate mea Crematus nominatur. Oppidũ in hac inſula olim conditũ, Iſcla hodie dicitur, quæ & inſulæ, abolitis vetuſtis appellationibus, nomen dedit. Eſt naturæ munitum, edito atq; exeſo in monte ſitum, quod mari olim vndiq; cingebatur. At curſu tẽporis, vallo, quo ab inſula diſcrepabat, iniectis ſaxorum, ruderumq; machinis oppleto, inſulæ connexum eſt. Ad ipſum acceſſus eſt peraccliuis, magnaque ex parte ſaxo cæſo, atq; excauata rupe, manu factus, quem vel duo milites tutò tueri poſſint. Iſcla, Sirenes præterea, & Prochyta quoq; ſtrictiſſimo gurgite à Cumarũ littore diſſident, ac tanquã moles pulcherrimæ, mare pingentes, proſpectũ è regione agri Cumani, Miſeniq;, iucũdiſſimũ præbẽt. Scribit Pindarus in Pythijs (q; & lib. 5. Strabo veriſimile arbitratur) tractum oẽm ęquoris, qui à Cumis, & Puteolano agro ad Siciliã vſq; protenditur, ignitum eſſe, profundasq;, in vnum coeuntes, habere cauernas, eóq; inſulas interiacentes igniuomas eſſe. In eiuſdem lateris curſu inter Siciliam, & Terracinenſem oram, quatuor iacent inſulæ, Pandataria, Pontia, Pandana, & Planaſia à Strabone, Ptolemæo, Plinio & Martiano: nunc Palmarola, Pontia, Ventũ tenens, & Sandunis vulgò dictæ. In Pãdataria Tyberius Cæſar nurũ Agrippinã, poſt viri obitũ, exilio mulctauit. Quæ ibi poſt flagra, & graue oculorum diſcrimẽ, ſeptẽ dierũ inedia deceſſit. Nã ante diem ſeptimũ letalis non eſt inedia, licet vltra vndecimũ plęriq; vixerint, vt lib. 11. cap. 53. Plinius docet. Pontia inſula, vetuſtũ adhuc retinens nomen, paruis à Palmarola ſpatijs, vtraq; verò ab ora Italiæ. 40. ferè. p. m. diſcerpitur. Eas olim Volſcos incoluiſſe, & Romanas quoq; habuiſſe colonias, lib. 9. ſcribit Liuius. Quæ quamuis hac tẽpeſtate deſolatæ ſint: veſtigia tamẽ antiquæ habitationis adhuc retinent. Põtia olim carcer fuit illuſtriũ, quo à Nerone ex Germanico nepotem relegatũ, & ad voluntariam mortẽ actũ Suetonius memorat: hodie verò ad fauces portus arcem habet. Hæ duæ inſulæ, poſt Strabonis tempora, compluriũ martyrum, & Chriſti cõfeſſorum exiliis fuerunt inſignes. Inter Siciliam, & Sardiniam duæ iacent inſulæ, quæ ſcopuli verius ſunt, quã inſulę. Hę Aræ quondam ab Italis vocabantur, & ſaxa, quòd ibi Afri, & Romani fœdus aliquando inierunt. De quibus Vergilius, Saxa vocãt Itali, mediiſq; in fluctibus aras. Plęriq; (referente Plinio) eas olim habitatas ſubſediſſe affirmarũt. In hoc mari Sardoo, littori Drepanitano vicinæ, & Drepani proſpectui veluti obiectæ moles patẽtes, tres ſunt inſulæ: Probãtia, Eguſa & Sacra, Ptolemæo & Plinio. Leuanſus, Fauognana, & Maretimus, hodie, mutatis nomenclaturis appellatę. Sacra, quę Maretimus eſt. p. m. 30. abeſt à Drepano, thymoq; abundat. Quo fit, vt melle apiario exũberet. Fauognana, ſiue Eguſa, ſoli fertilitate, & aquis prętat, ac incolatui peridonea eſt. Cernuntur in ea dirutæ arcis veſtigia. Hæc tutiſſimos habet ſinus, eosq; numeroſiſſimæ claſſis capaces, & Euripo à Lilybæo & ora Drepanitana dirimitur. In quo Formicarũ, & aliquot alię ſunt inſulæ, ſcopulis ſimiliores. Et in Drepani portu, ſcopulus eſt paru, vbi arx eſt vetuſtiſſima, ętate mea reſtaurata, cui Colũbara nomẽ eſt. Leuãſus inſula, quæ Probãtia eſt, Drepano à fronte opponitur. p. m. 12. ab eo diffugiẽs. In curſu lateris meridionalis, primũ littoralis Africę ora (De qua pluries in hiſtorijs) ab oriẽte hoc ordine reſpõdet. Trierorũ, pmõtorium Ptole. caput Meſuratę nũc dictũ. Tripolis. Tripolis vetus. Cabis. Sfax. Africa. Mo-

ca. Monasteriũ. Susa, Siagul Ptole. portus olim vrbis Caroeni. 36. p. m. ab ora recedẽ tis. Mahometta. Calibia. Mercuriũ promõ. Pli. Hermęa Ptole. Caput bonũ hodie. Nisia Ptole. Nubia hodie. Caput Zafaranę. Stagnũ, ad cuius fauces Gulecta est arx. Sed ad verticẽ Tunes vrbs. Carthago iacẽs Caput Carthaginis hodie. Vtica nũc portus farinæ, Biserta. Hippona, Bona hodie. Tabacra Ptole. nũc Bugia. Salda Ptolem. Cirtha aliis. Algeris hodie. Vuiza Ptole. nũc Oran⁹. Extra fretũ herculeũ Fessa, Maroccus, &c. Et inter Africã, & Siciliã plures sunt insulæ. Quarũ vna Lotophagites est, Ptole. & Polybio, à quo etiã Mirmix dicitur, Menix Pli. Gerborum insula hodie dicta. 4. p. m. ex aduerso Africæ inter Cabim & Tripolim veterẽ patet. Hęc à Siculis olim cũ ea potirẽtur euripo, longo vastoq; lapidũ ordine oppleto, cõtinenti Syrtis paruæ coniuncta est. In ea duæ olim erãt vrbes, Gerapolis, & Minix Ptole. hodie verò frequentibus Pœnorum pagis habitatur. Sunt & tres insulæ, parum ab Africa, contra Siciliam, dissitæ, quas (cum neque Ptole. neq; alij Geographi meminerint) ex nautarum tabulis Fasolarum insulas dictas, accepimus. Adiacet littori Africano, inter Sfacem, & Africam insula Cercina, vetus adhuc habens nomen, vbi & eiusdem denominationis est oppidum, cuius incolæ Sarraceni sunt, & Cercinates vocantur. Habet in circuitu. p. m. 60. Distatq; ab Africo continenti. p. m. 18. bipartita est, solumque habet asperrimum, ac maximis circumseptum scopulis. In medio mari inter Cercinam, & Siciliam, sunt Pelagiæ insulæ desertæ tres, Lampedusa, Lalenusa & Scola, non multum ab inuicem refugientes. Lampedusa earum est maxima. p. m. 12. ambitus, quæ vetustũ nomẽ à coruscationibus, quas crebro emittit, adeptum, adhuc seruat: vbi olim eiusdẽ appellationis erat arx, & oppidulũ, cuius monumenta extãt. Specus est in ea, Sacellum. D. Mariæ sacrũ. Qua occidentẽ respicit, rupibus altis, & immensis scatet. Qua verò Orientẽ, Gerborumq; insulam spectat, supina instar fluctuum procumbit. Hæc, turpi classis CAROLI QVINTI CÆSARIS clade, cui Antonius Aurea Genuensis præerat, ætate mea insignis est reddita. Anno etenim salutis 1551. circa quartum nonas Iulij, simul atq; Messana cũ quindecim triremibus soluisset Antonius, quibus Africæ vrbi, quã à Turcis CAROLVS CÆSAR nuper receperat, commeatum conuehebat: suborta repente ventorum, imbriumq;, ac maris insolita tempestate Lampedusam, qua parte asperior, ac acutioribus inaccessa est rupibus, de nocte nigroq; cœlo impegit. Vbi triremes octo miserè scopulis illisæ, cum viris supra mille, cuiuscunque ordinis, horrendum fecere naufragiũ. Ac nisi inter pluuias, fulminis coruscantis splendore admoniti, à sociorum clade reliqui rostra diuertissent, de vniuersa classe conclamatum fuisset. Adiacent Mercurio Africæ promontorio Cymbalum & Cymbalottum insulæ dictæ. Nec ab his procul Laruneſiæ duæ: quarũ altera sine nomine est hodie, altera Mollium à nautis appellatur. Ex oppositio monasterij oppidi ad. p. m. 12. cernere est & insulas duas paruas, quas Cuniglieras hodie vulgus nominat. Inter Lilybæum, & Mercurium promontoriũ Cosyra insula Ptole. Corsura Straboni Pantalaria vernacule hac tẽpestate dicta, iacet, ambitu. p. m. 30. Distat ab vtroq; Promõtorio. p. m. circiter. 60. Hęc tota fermè mõtosa est: nigroq; lapide asperrima. Voraginem aperit in medio, cui à fossa nomẽ est, collẽq; habet (in cuius vertice crater est) Cudia brugiata vulgò appẽllatũ. Cõplures præterea hiatus, lapideſq; combustos, ac nigras arenas passim in ea videre est. Ad radicẽ mõtis magni specus est à Fauara denominat⁹: vnde perpetuus effertur sonitus. Plures itẽ telluris scissurę, è quib. fumus exhalat. Solũ prę terea (q, rubrũ est) adeò calet, vt admotæ ei manus, nisi mox retrahãtur, calore offendãtur. Aquarũ, & frumenti hęc insula est indiga, sed leuconij feracissima. Arcẽ habet, eiusdẽq; nominis ad Aquilonẽ vergẽs oppidũ, q, mare alluit, cuius habitatores Christiani sunt, Hispanorũ regũ parẽtes imperio: idiomate tñ, & habitu Saracenorũ vtũtur. Hoc oppidũ anno sal. 1553. 13. Cal. Aug. Drahutus Othomãnicæ classis præfectus, centũ circiter cũ triremib. vi cepit, diripuitq;, ac mille ferè oppidanos captos, inde in seruitutẽ abduxit. In eodẽ cursu, inter vtriusq; syrtis orã & Siciliã, alię duę sũt insulæ, Melita & Gaulos Diodoro, Straboni, Ptole. & P. Melę, hodie Malta, & Gozus vulgo appellatę: à se mutuo. p. m. 5. sed à Pachyno Sicilię promontorio (cui respondent) p. m. 100. discretę. Mare q, inter Pachynũ, & has insulas ex fretoMessanẽsi pro-

currit (Cicerone in verrem, & Plinius lib. 3. testibus, ac vsu probante) periculosum est. Melita insula. p. m. 60. ambitur, tota fermè plana est, sed saxosa & ventis exposita. Plures eosque tutissimos habet portus. Qua aquilonem spectat, omnino aquarũ est indiga: qua verò occidentem, aquis irrigua, & domesticarum arborum ferax. Sed tota ipsa insula frumẽti, lini, leuconij, & cimini fœcũditate celebris est. Paruulos canes subalbos, & pilis longiorib. ad hominũ delitias gignit, vt Arist. in proble. & Strabo referunt, licet Plinius, Alteri Melitæ contra Epyrum sitæ insulæ eos attribuat. In hac insula duo veteris superstitionis erant templa, Iunoni & Herculi dicata. Ciceroni, Straboni & Ptole. Iunonis templum ad promontorium ad Orientem, nõ longè ab vrbe situm erat. In eo trophæa plurima, dentesque eburnei miræ magnitudinis erant: quos eo Massinissa, ex Numidia classis illius præfecto anteà inde sublatos, religione ductus quinqueremi reportandos curauit. Huius templi inter arcem & suburbium ex quadratis lapidibus. eisque ingentibus, in hæc vsque tempora non aspernandæ permanent reliquiæ. Numismata ænea affabre quidem facta passim ibi reperiuntur: Ex vna parte, hiis græcis literis MELITEON circumformatam remi latitudinem, ex Altera Iunonis effigiem exprimentia. Alterum Melitę templũ Herculi sacrum, ad meridiẽ erat, in ea insulæ parte metatum, quam nunc patria lingua portum Euri Militenses vocant: cuius adhuc monumenta admiratione dignissima supersunt. Melita principio rerum, Bacto regi opibus & hospicij fœdere cum Didone, celebri, atque exinde Carthaginensibus, paruit. Cuius testes sunt lapideæ columnæ plures passim in ea obuiæ, vetustis Carthaginensium characteribus, ab hebræis non dissimilibus insculptæ. Post eodem, quo Sicilia, tempore, ad Romanos defecit, vt libro 1. 2. belli punici scribit Liuius: Quo ijsdem etiam, quibus Sicilia iure ac prætoribus semper vsa, atque deinde, cum eadem, in Sarracenorum potestatem redacta, rursumq; , vnà cum Gaulo, à Rogerio Normanno Siciliæ Comite anno salutis 1090. recepta fuit, paruitq; deinceps Christianis principibus. Habet adhuc in medio fere, loco nimirum editiori & conspicuo, vrbem eiusdem nominis vetustissimam præsulatu claram. Habitatur in mediterraneis locis, pagis vt plurimũ, nullo mœnium ambitu obseptis, quorum incolę tametsi Christiani sint, Sarracenico tamen sermone, qui aut nihil, aut quam minimum à punico veteri differt, promiscue vtuntur. Quippè cum illi hodie & Hannonis cuiusdam Pœni apud Plautum, & Auicennæ, & eius classis complurium verba punica, cum intelligant, tũ interpretentur, non temerè hinc colligimus, Sarracenum idioma, quod vel planè idem, vel quam minimè diuersum est à Melitensi, punicum & veterum esse Carthaginensiũ. Melita hodie Paulo Apostolo, quem ex Creta, sæuiente Euro (quem typhonicum, & nautarum pestem Plinius vocat) eò protractum Lucas refert, sacra est: quanquã sint, qui Pauli Melitam non hanc Siciliæ vicinam, sed Epyro adiacentem arbitrentur. Quos non Lucæ tantũ authoritate, sed & argumentis apertissimis velim ab errore auocari. Primùm enim, qui naualis artis peritia pollent, Euro spirante, è Cretæ portu (quem claudum Ptolemæus vocat) inter occidentem, & meridiem sito, neq; Lesbon, neq; Ioniam, neq; Italiam sperari, sed necessariò tempestatis imperio, Melitam hanc siculam, à Paulo peti debuisse constantissimè ratiocinantur, docentque. Deinde cum Melita soluens Syracusas, quæ ad Siciliæ oram est, peruenerit, quà recto cursu Messanam, quam petebat, nauigatur: quis non videt, has Epyri ambages, à tanti viri instituto fuisse alieniissimas? Huc accedit, quòd cum Lucas, natione græcus, ac Paulus neque eruditionis, neque linguarum ignarus, hos Melitenses Barbaros appellent, verisimile non sit, quòd si Epyri fuisset Melita (quæ græca est) ad quã Paulus delatus est, Barbariei eos notaturos fuisse, cum quibus & semet essent contaminaturi. Ad extremũm: In Melita, quę Epyro vicina est, Paulò Phanum nullum dicatum, nullumque Pauli prorsus vestigium, ac ne memoria quidem vlla vnquam fuit. Sed in sicula hac nostra Melita, Paulum quid est, quòd non loquatur, sonet, celebret, adoret? Cathedrale vrbis templum, & quidem antiquissimũ, Paulo sacrum est. Portus ad quem appulit, Pauli adhuc titulo immortalis, vbi & ędicula ei nuncupata est. Adhæc, pro mœnibus vrbis specus est, Paulo sacer, eo nomine, quòd eum trimestri (quo in insula diuertit) ducta à maioribus per manus fama, habitasse Melitenses

tenſes prædicant. Vbi non inſulani modo, ſed & aduenæ quoq; lapillos cędunt, ad ſcorpionum & anguium exitiale virus ab humanis corporibus profligandũ. Pſylli nanq; his lapillis, in tota fermè Europa, morſus ſcorpionum & ſerpentum medentur. Quin & in Melita hac inſula, ſcorpiones, qui alibi pernicioſi ſunt, ac letali veneno execrabiles, manſueſcunt, lædendiq; naturam penitus deponunt, Pauli (vt credimus) munere, qui apud hanc inſulam, à vipera morſibus acerrimis petitus, nihil damni paſſus eſt, vt Lucas ſcribit. Vnde & Chriſtiani, quibuſcunque Pauli ſacris, (quę. 8. Calend. Februarij celebrantur) quauis orbis terrarum parte naſci contingit, neq; horrent angues, & ab alijs vim graſſantis veneni, omnemq; inflati corporis tumorem, ſolo ſputo, quaſi à natura edocti, protinus abſumunt. Sed de Paulo hucuſque. Ad Melitam ipſam redeo, cui ætate mea ſatis incrementi ac ſplendoris acceſſit. Equites nanque Ioannitę Rhodo à Turcarum rege pulſi, eò ſedes tranſtulerunt. Enimuero anno ſalutis 1523. Soliman annus decimus Turcarum Rex anno ſui principatus quarto, tercentum, & eo amplius armatorum conuectis milibus ſumma vi, ac grauiſſima ſex menſium obſidione, infeſtiſſimiſq; inſultibus Rhodum inuaſit: Ioannitis incredibili fortitudine, animi robore, labore, & patientia, ſtrẽue (vti pro aris ac focis dimicantibus æquum erat, & eorum natales nominisq; celebritas poſtulabant) reſiſtentibus. Qui tandem (próh pudor) nullo Principum Chriſtianorum in ſummo rerum diſcrimine ſuppetias mittente commeatu deſtituti, mœnibus euerſis, & partem vrbis hoſtibus ingreſſis, ac tenentibus, centum fermè miliũ Turcarum ſtrage antè edita, ad 8. Calend. Ianuarij deditionem facere ſunt coacti. Vnde Philippus Liladamus Gallus, militiæ magiſter, Ioannitarum ordo totus ac plebs vniuerſa cum omni gaza, ac re familiari liberè abire permiſſi, in inſulam hanc Melitam (quam Caroli Quinti Cæſaris liberalitate pro habitationis loco acceperãt) impari ſorte penates tranſportarunt. Hic itaq; principio ſuburbium maritimum (vbi arx erat vetus, & portus præcellens) tenuêre: ac mox arcem inexpugnabilem & oppidum illi coniunctum muro ampliſſimo, & propugnaculis munitiſſimum, & nobili incolatu frequentiſſimum reddidêre. Vbi & remiſſo priſcæ virtutis vigore, inertiam propè ſectantur: propediem (ni falſo auguror) defecturi. Enimuero, ſicut olim pij homines ſacrum onus pro CHRISTI fide ſubibant: ſic iam tãquam ad paratos theſauros, impatientes inopiæ ad hanc militiam concurrunt. Sed hæc de Melita ſuffecerint. Gaulos inſula. p.m. 5. in occidentẽ, à Melita protendens in propinquo eſt. Ab indigenis, patria lingua, Gaudici, vulgo Gozus nuncupatur. 30. p.m. habens in circuitu. Aquis eſt irrigua, cultura nobilis, & frumenti feraciſſima. Plerique verbis Ouidij. 3. Faſtorum innixi (Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ) hãc Coſyram eſſe cenſent, minus aduertentes Gozum frugum feraciſſimam (vt diximus) & minimè ſterilem (vti Coſyra deſcribitur ab Ouidio) eſſe. Coſyra præterea Lilybęo & Selinunti ad paſſuum milia fere. 70. vicina eſt, vt Strabo teſtatur, Gaulos verò à Lilybęo. p.m. 150. recedit. Adhæc Coſyra à Melita diſtat. p.m. 70. Straboni lib. 17. Gozus autem ſiue Gaulus. p.m. 5. tãtùm. Procopius quoque de bello Vandalico, lib. 3. hanc inſulam Gozum, Gaulum appellat. Poſtremò & in Gozo hac inſula in edito loco eiuſdem nominis eſt oppidum: cuius portæ muro, lapis marmoreus vetuſtiſſimus cum hac inſcriptione inhæret. M. Gallico. C. F. QVIN. Equo publico exornato A diuo Antonino Pio. Plebs Gaulitana Ex ære conflato, ob merita, & in ſolatium Galli Poſthumi patroni municipalis patris eiũs. P. Toto itaq; cœlo errant, qui Gozum Coſyram eſſe arbitrantur. Gaulos igitur inſula (quæ Gozus proculdubio eſt) equitum Ioannitarum ditioni & ipſa Caroli Quinti Cæſaris munere ſubeſt: cuius indigenæ Chriſtiani etiam ſunt, licet Saracenicè loquantur. De Gaulo inſula hæc memoratu digna Plin. lib. 5. cap. 7. & Solinus ſcripta reliquerunt: ſerpentes in ea neque naſci, neque viuere inuectos. Præterea iactum ex ea quocunq; gentium puluerem arcere angues, ſcorpionesq; à ſuperiactu illico perimi. Quibus ætate mea vſus ſuffragatur. Neque id Gaulo ſoli proprium munus eſt. Nam in Galatha quoq;, contra Rubricati fluuij oſtium & Sardiniam inſulam à terra Scorpionem dirum Africæ animal necari ſcribit Plinius. Et Sardiniam ipſam inſulam, nec ſerpentes veneno letales ac ne noxios quidem alere veteres memoriæ prodidere.

Ebuſu

Ebusus etiam insula non longe à Balearibus animalium omnium, quę inficiunt, expers est. Quinimo & in Colubrariam illi vicinam insulam, quæ serpentes parit, terra Ebusitana illata eos arcet, illorumq; impetum prohibet, vti P. Mela, Plin. lib. 3. c. 5. & Solinus tradunt. Hybernia quoq; insula, quæ in Septentrionali iacet Oceano, quamq; Irlandam vulgus hodie vocant, noxium nullum gignit animal, serpens ibi nullus, nullus anguis: nec alit aliunde aduectum. Sed noxia quæcunq; animantia eo, siue ex Britannia (quæ Anglia est hodie) à qua paruo & æstuoso freto disiungitur, siue alio aduecta solo, insulę proximantia, odore illius aëris attracto, vel puluueris iniectu, confestim suffocentur: quod idem Solinus & Beda, lib. 1. cap. 1. scribũt. Sed hæc ab alijs copiosiùs enarrata præteriens, ad Gaulum regredior. Hanc anno salutis 1551. Calend. Augusti Senen classis Turcicæ centum quadraginta triremib. instructæ præfectus, triduana oppugnatione adortus arce priùs tormentorũ ictibus disiecta in deditionem accepit. Quam deinde ingenti capta præda, & quatuor fermè Christianorum milibus in captiuitatem asportatis, impio fœdauit incendio. Inter Melitam & Gaulum paruula quædam interiacet insula, à Comino nomen habens. In cursu lateris Orientalis nulla est insignis insula, Siciliæ respondens. Pelopõnesus enim Græciæ peninsula (quam hodie Moream vocant) lato mari. p.m. 430. ab ea recedit. Mare etenim è siculo incidens freto, hinc quidem ad Corinthiacum sinum, illinc autem magnam efficit chersonesum ideſt peninsulam ipsam Pelopõnesum, quæ angusto includitur Isthmo: Fuisse autem ipsam totius Græciæ olim arcem satis constat. Præter enim habitantium eam gentium nobilitatẽ, atq; potentiam, ipse locorum situs principatum imperiumq; designabat. Nomen autem à Pelopide, qui primus eam incoluit, adepta est. Est Peloponnesi effigies platani formæ simillima, ac propterea multos habet sinus, quos efficit multitudo promontoriorũ, longitudine ac latitudine pene par. Octingentorum verò passuum. m. ambitu circundata. Sex tantum. p.m. spacio terræ contigua, (quod Isthmum græcè appellãt) vbi & Corinthus olim erat vrbs. Erant autem totius Peloponnesi octo insigniores regiones: Sicyonia, Achaia, Elis, Messenia, Laconica, Argia, Corinthia, Arcadia. Earum singulæ olim habuerunt vel suos reges, vel ciuitates potentissimas: è quibus multi mortales in Siciliam ad incolendum venerunt. Adiacet Achaiæ, & Bœotiæ Peloponnesi regionibus Eubœa insula in Aegæo mari, interfluente euripo æstuoso, à qua eam terræ motu diuisam veteres tradunt. Et iuxta euripum Chalcis vrbs, Eubœæ metropolis olim erat. Hæc nea ætate græco verbo Necropõtus, quasi mortuum mare, per antiphrasim vocatur, cum cursu suo & recursu fretum interfluens viuacissimum sit, & æstuosissimum. Chalcis hæc vrbs ab Athenienſibus, Troianis temporibus, fuit condita. Quæ postea eximijs amplificata fortunis, nobilissimas in Macedoniam, Italiam, & Siciliam, colonias misit. De quibus suis locis, quantùm satis erit, memorabo. Sed pluribus de insulis Siciliæ adiacentibus excurri quàm fuerat consilij: ad Siciliam ipsam vnde plus æquo fortassis egressus sum, reuertar. Sicilia non immensam patentium agrorum latitudinem, ac planiciem (vt Lombardia, aut Apulia) habet: sed pro maiori parte montosa est, cuius valles, colliumq; decliuia feracia sunt tritici. Hinc varij sunt in ea vrbium situs. Aliæ in erectis ad cœlum montibus, & niualibus conditæ iugis, plæræq; fluuijs, complures maris fluctibus alluuntur. Quędam etiam vel infusa sunt planicie, vel profundis vallibus depressæ: quibus non nisi in meridie sol oritur, & ante occasum occidit. Habet hodie Sicilia oppida, & ciuitates numero centum septuaginta tres, quas paulo inferiùs recensebimus. Insignes Archiepiscopali dignitate tres: Panormum, Messanam, & Mõtem Regalem. Cathedrali verò sex: Catanam, Syracusas, Agrigentum, Mazaram, Cephaledin, & Pactas. Panormitano suffragantur Mazarienſis, Agrigentinus, & Melitenſis. Messanenſi Pactenſis, & Cephaledenſis. Monti Regali Catanenſis & Syracusanus. Oppida quamplurima sunt in Sicilia, quæ (& si ampliſſima sint, & populosissima, pulchraq;, ac ciuium nobilitate præstantia, & mœnibus cincta) ciuitates non dicuntur eo modo, quo dici ciuitates pro Romanæ Ecclesiæ ritu consueuerunt: illæ nimirum, quæ Episcopalibus ornantur cathedris. Vrbibus Siciliæ præeminent hodie Panormus, Messana & Catana. Montibus Aetna, Nebrodides, &

Eryx

Eryx. Fluminibus Himeras, Therias, & Lycus. Sed de nomine Siciliæ nunc differendum.

DE NOMINE SICILIÆ.

CAPVT II.

NOMEN pro temporum diuersitate Sicilia nacta est variũ. Trinacriã, a tribus promontorijs, eam appellatam Thucydides & cæteri scriptores Græci tradunt. Acron nanque Græcè promontorium est Latinis. Eustathius Homeri interpres, & plærique veterum, Trinaciam dici, a Trinaco, siue (vt alij efferunt) Tinaco rege, Neptunni filio, authoritate Sibyllæ, voluerunt. Verba eius (Stephano interprete) hęc sunt: Siciliam condidit Trinacus heros, filius pontũ curantis Neptũni. Nostrates, Romani quã Græci idiomatis studiosiores, Triquetrã a tribus lateribus & triãgula specie Siciliam dixerũt, vt lib. 3. author est Plinius. Sicani postea, siue ex Hispania aduecti (vt Philistus, Antiochus, & Thucydides) siue indigenæ (vt Timæus & Diodorus referunt) Siciliam ex se Sicaniam appellarunt. Post quos Siculi, Ligurum genus, qui intra Tyberim & Circæum montem vicatim degebant, ab Aboriginibus pulsi, freto traiecto Siciliam inhabitauere, Sicanisque subactis insulã, abolito priori nomine, Siciliã nuncupauere, vt Thucydidi & Dionysio Alicarnasseo placet. Quo deinceps cognomẽto, ad nostra hæc vsque tempora, nõ peritioribus modò, sed idiotis quoque ac vulgo est appellata. Cogor autem hoc loco eorum errorem refellere, qui vtranq; terrã freto Siculo disterminatam, Sicilias duas, alteram citra, vltra Pharum alteram vocant, vt qui parum in historiarum, cosmographiarumq; studio iudicij ponant. Apud historicos nanq; & cosmographos hæc sola, in qua orti sumus, nominatur Sicilia. Regnũ vero Neapolitanũ seu partem illam Italiæ, quæ olim Gręcia maior dicebatur, aut aliquam eius regionem nullus grauis author, ex tot Græcis Latinisque scriptoribus, quorum præclara extant opera, Siciliam appellauit. Plato nempe in Epistolis ad Dionem, Aristoteles in Meteororũ & Politicorũ libris, Herodotus, Timæus, Philistus, Antiochus, Diodorus, Polybius, Trogus, Athenæus, Ælianus, Pausanias, Plutarchus & cæteri Græcorum veteres: Cicero præterea linguę Latinę parens, Salustius, Liuius, & reliqui Latini scriptores: quibus (velint, nolint) addo Homerum, Theocritum, Hesiodum, Pindarum, Vergilium, Lucanum, Ouidiũ, Horatium, Martialem, Syllium, Claudianum, & alios penè innumeros Græcos, Latinosque poetas, qui Siciliæ memoriam multis suorum operum locis non obiter exornarunt, nostram duntaxat eo nomine intellexerũt. Denique Strabonem, Ptolemæum, Melam, Plinium, Solinum, & quotquot sunt Geographi, a quibus situs orbis descriptus & regionibus distinctus reperitur, cum Siciliam aut describunt, aut nominant, hanc insulam solam, neque aliam orbis partem attigisse compertissimũ est. Cumque terram citra fretum, quæ regno Neapolitano hodie adscribitur, in septem regiones, Cæsar Augustus primus distinxerit (vt 3. lib. cap. 5. Plinius testatur) nullaque earum Sicilia nominetur: referant se tandem hi ad communem regum vsum, atque Romanos respiciant, qui longè lateq; Italia, & postea (Syracusis subactis) Sicilia potiti, nomen insulæ a vetustioribus Barbaris ac Græcis acceptum, reliquerunt. Fractis postmodum Romani Imperij viribus, Alaricus Gothorum Rex Neapolim adeptus, & eius successores, non Siciliæ sed Italiæ se reges appellabant, nisi postquam hac insula sunt potiti, Gothis a Iustiniano Cæsare (Belisario duce) debellatis, receptaque primum Neapoli ac deinde Sicilia, tituljs suis inuiolato nomine ipse cæteriq; qui post eum in Imperio sunt suffecti eam adiunxerũt. Saracenis postea Siciliam occupantibus, & regnum Neapolitanum (quod Constantinopolitano Cæsari adhuc suberat) vastantibus, Siciliæ nomen hæc tantùm retinuerat. Pulsis mox à Normannis (qui regnum Neapolitanum occupauerant) e Sicilia Saracenis, neque Robertus Guiscardus, neque Rogerius Bossus eius germanus frater, regionem vllam præter hanc insulam Siciliæ nomine cognoscebant, cùm alter Apuliæ

puliæ dux, Siciliæ comes esset alter. Fato postmodum Roberto & Rogerio functis, Rogerius Rogerij comitis filius Siciliam, & totum propè Neapolitanum regnum consecutus, Italiæ & Siciliæ, aduersante Romano Pontifice, se regem agnominauit. Demortuo pòst Innocentio, qui diris Rogerium, exutum rebus omnibus, deuouerat: qui in Romanam sedem successit, omnia Rogerio restituit: soloque Italiæ regis titulo negato, Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ regem salutari eũ passus est. Atque identidem Rogerio e viuis erepto, Gulielmus primus, mox & secundus, Tancredus, Henricus sextus, Fredericus secundus Cæsar, Conradus, Conradinus, Manfredus, & Carolus Francus ordine in Neapolitanum & Siculum regnum succedentes, non vtriusque, sed Siciliæ tantùm, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ reges sunt appellati, prout ex eorum diplomatibus (quæ in hunc vsq; diem videre est) constat. Francis postea in Sicilia cæsis Petrus Aragonius, Iacobus, Fredericus secundus, Petrus secundus, Ludouicus, Fredericus tertius, Martinus primus, Martinus secundus, & Ferdinandus primus (qui soli huic insulæ, & nõ regno Neapolitano sunt dominati) Siciliæ reges nominabantur. At verò Clemens huius nominis quartus Romanus Pontifex, qui cum Carolo Franco conuenit, primus omnium fuit qui explosis veterum nominibus, Neapolitanũ, & hanc insulam, communi vocabulo, (in eo diplomate quo vtrunque regnum ei concessit) Siciliam appellauit. Quem Gregorius decimus, Innocentius 5, Adrianus 5, Ioannes 22, Nicolaus 3, Martinus 4, Honorius 4, Nicolaus 4, Cœlestinus 5, Bonifacius 8, Benedictus 11, Clemẽs 5, Ioannes 23, Benedictus 12, Clemens 6, Innocentius 6, & Vrbanus 5, qui successerunt Romani Pontifices, sunt imitati. Gregorio deinde vndecimo Romano etiã Pontifici, qui post plura bello ob Siciliam agitata, pacem inter Ioannam Reginam, & Fredericum tertium firmauit, Neapolitanum regnum Siciliam, hanc insulã vero Trinacriam in diplomate super pacis cõditionibus emisso, quod adhuc est videre, nescio qua ratione appellare libuit. Cuius exemplo Martinus Siciliæ Rex in suis diplomatibus Neapolitanum Regnum, quod sui iuris non erat, Siciliam citra, insulã vero quam regebat, vltra Pharum vocauit. Alphonsus post modum rex Neapolim magna vi adeptus, cum vtrique regno dominaretur, absurdo & nouitio titulo vtriusque Siciliæ se regem vocare cœpit, vt & hinc Pontificum Romanorum authoritatem non improbare, & vetustam obseruationem non negligere videretur, non ignarus, cum eruditissimus esset, illius vsurpatam esse & nouitiam vocem. Eoq; cognomento eius ex inde posteri Reges omnes, qui vtrique regno præfuerunt, ad ætatem vsque meam vsi sunt. Abusus itaque à Romanis Pontificibus exortus effecit vt Neapolitanum regnum Sicilia a regibus hodie vocitetur. Sed nos rei obsequentes, & Græcorum Latinorumque authorum fidem secuti: hanc insulam duntaxat Siciliæ nomine appellabimus. Et iam satis de nomine: vt de Siciliæ diremptione loquamur.

DE DIVVLSIONE SICILIÆ AB ITALIA.

CAPVT III.

SICILIAM Italiæ quõdam annexam, partemque fuisse chersonesum, quam Latini peninsulam vocant, cuius isthmo abrupto, marique absorpto, Tyrrheno hinc pelago, inde Ionio admissis, insulam remansisse Æschylus, Antiochus, & cæteri vetustiores memoriæ reliquerunt. Tradunt (lib. 5. inquit Diodorus) prisci rerum scriptores Siciliã fuisse olim Italiæ coniunctam, sed postea ex huiusmodi causa insulam euasisse: qua parte angustus continens ab vtroque maris latere æstu collidebatur, dirupta maris fluctibus terra, aquam peruiam fecisse: a qua terræ scissura, rhegius is locus appellatus est, ac multis post annis condita ibi ciuitas idem fuit nomen sortita. hucusque Diodorus. Tametsi vehemẽtiores terræ motus causam huiusmodi diuisionis fuisse plerique asseruerint: quemadmodum e diuerso Antissam olim insulam Lesbo, Zephyrium

phyrium Alicarnaſſo, Æthuſam Myndo, Dromiſcon & Pyrenon Mileto, terræmotus violentia mari ablatas iunctaſque terris accepimus. In eadem nanque ferme ſententia Strabo, Trogus, Saluſtius, Plinius, Mela, & poetæ omnes tum Græci tum Latini conueniunt. Cuius hæc adhuc oculis decerni poſſunt argumenta. Huius quippe loci ea procul inſpicientibus eſt natura, vt ſinus maris, non tranſitus appareat: quo cum nauigatur, diſcedere ac ſeiungi Siciliæ & Italiæ promontoria videntur, quæ iuncta apparebant, & olim fuerant. Freti præterea, quod inter Pelorum Siciliæ promontorium, ac Scyllæum Italiæ vicinum oppidum interiacet, in mediis præſertim locis, nuſquã octoginta paſſus profunditas ipſa excedit, pro vt plumbeo triginta librarum perpendiculo probatum, & eius funi ima area lapidoſa tota cõperta eſt. Hæc autem modica maris tam ſæui & æſtuoſi altitudo, iſthmo ibi aliquãdo fuiſſe locum, manifeſto eſt indicio. Scopulos inſuper non paucos in hoc imo freti profundo, Meſſanenſes ac Brutij qui nauticam exercent, ſubaquaneos ſedato mari ſe vidiſſe pluries & affirmant & prædicant. Ex ipſius etiam Siciliæ parte, primũ terræ humilitas, deinde arenæ per loca Peloro vicina paſſim iacentes facilem eius rei coniecturam præbent. Contra quoque ex ipſius continentis parte ſublime eſt ſaxum, vbi Scyllæum oppidũ ſitum eſt, locus tum poetis celeber, tum nautis maxime formidatus. Quod ſaxum, humilem a tergo alluentibus vndis in formam cherſoneſi, tellurem habet, quam Anaxilas Rheginorum tyrannus erecto muro muniuit: quo & ſibi nauale ſtrueret, & piratis nauigandi per euripum facultatem interciperet, vt libro 6. Strabo refert. Prælatæ quoque illæ atque præcipites Scyllæo, marique proximo imminentes rupes ſignificare videntur, Siciliam fuiſſe ab Italia ſiue magno aliquo terræmotu, ſiue vi currentis recurrentiſque maris diremptam. Quo circa arbitrandum eſt, vel fluctuum vel terræmotus vi clauſtra montium interrupta, ac deinde vtriuſque littora paulatim exeſa perpetua fluctuum colliſione fuiſſe, donec in hanc faucium latitudinem deuenit, quæ nunc eſt: metuendumque fuiſſet, ne indies fieret latior largiorque hiatus: niſi natura ſimul vtrinq; ac ſubter impoſitæ præcelſæ duræque rupes faucium clauſtra coercerent. A Scyllæo denique ad quindecim paſſuum milia abeſt Italiæ vertex, extremumque promontorium Leucopetra Græco nomine a veteribus (quod lapidem album Latinis ſonat) Spartiuentum a nautis hodie dictum. Ad cuius oram contra Meſſanam ſitum adhuc eſt Rhegium oppidum, ab Æolo conſenſu Herculis conditum. Huic etenim nomen inditum fuiſſe authores omnes affirmant a ῥηγνύω, verbo Græco, quod diſrumpere ſignificat, eo nimirum quod ab ijs locis dirupta Sicilia quondam fuerit. Neq; vero quod Græcorum authoritate ſimul & Latinorum omnium definitum eſt, vanã eius rei perſuaſionem meretur. Inſulas nanque, quæ ante promontoria iacent, perangusto freto diremptas & Ariſtoteles & cæteri, qui de natura ſcripſerunt, non temere arbitrantur. Enimuero Prochyta inſula contra Campaniam ſita, auulſa a continenti pars eſt, vt ex Strabone meminimus. Cyprum præterea a Syria, Atalanten, Macrin & Besbicum a Bithynia, Eubœam a Bœotia, Leucoſiam a Sirenum promõtorio, & Capreas ab Athenæo terræmotu diſiectas & inſulas factas, cũ partes prius eſſent continentis, Plinius libro 2. cap. 90. & plærique alij authores tradunt. Inſulas vero, quæ in medio iacent pelago, per terræmotum, ex ipſo excreuiſſe mari, & Strabo libro 6. & ex veteribus plures referunt. quemadmodum & de Vulcania diximus. Theram quoque & Therasiam inter Cycladas Olympiadis. 135. anno 4. & poſt annos. 130. Automaten, & ab hac duobus ſtadijs diſtantem Chiam, M. Iunio Syllano, ac L. Balbo Coſſ. Plinij ætate viij. idus Iulij, inter Lemnum etiam & Helleſpontum Neam, & inter Lebedum & Teon, Alonen, ex æquore enatas inſulas lib. 2. cap. 89. Plinius ſcribit. Quin & Theren Thereamque, maris Ægęi inſulas in conſpectu ſuo, mari repente emerſas, ipſe magnus Albertus lib. Meteororum. 3. ſcriptũ reliquit. Delon quoque & Rhodum inſulas toto orbe clariſſimas, e profundo pelago exiluiſſe, Pindarus in Olympijs Plinio aſtipulatur. Quid? quod mea denique ætate in Cycladibus, non longe a Centurino, ex improuiſo parua quædam inſula nauis inſtar e mari enata eſt, faciem terræ aduſtæ habens. Quodque miraculo ſimilius videtur, anno ſalutis 1538. apud Puteolos Campaniæ vrbem. iij. Calend. Octo-

bris in agro qui Barbarum montem a mari iuxta Auernum dirimit, subito aperto hiatu, & igne ex eo efflante, tantus exiluit cinis lapidibus pumiceis mixtus, vt montẽ altitudinis supra passus mille late maris Auerni littora occupantem coaceruauerit: ad cuius verticem hiatus adhuc patet, vnde tanta cinerũ lapidumq; moles egesta est. Non est igitur, quod quis ea quæ de Siciliæ ab Italia diuulsione a Græcis simul ac Latinis vna voce memoriæ prodita sunt, pertinaci difficultatis opinione fabulosa esse existimet, sed reuera Siciliam Italiæ aliquando partem eiusque iam pẽinsulam fuisse cum veteribus certo credat, non aliter quam Peloponnesus Græciæ peninsula est. Interim tamen quo tempore acciderit hæc Siciliæ ab Italia discissio, nulla eorum omnium, per quos memorabile hoc naturæ miraculum illustratũ est, authoritate constat. Quo circa nihil a ratione alienum videtur, vt diluuij vniuersalis tempore, cuius non solum Moses, sed Berosus quoque Chaldæus, Mnaseas Damascenus, Hieronymus Ægyptius, Plato insuper, Strabo, Plinius, & pleriq; alij vetustissimarum rerũ scriptores meminerunt, eam contigisse colligamus. Cũ etenim vniuersam fere orbis faciem per diluuij aquas inuersam atque immutatam, multos cœpisse tunc primum montes surgere, plura loca celsissima in decliuũ abiisse, quædam in conualles depressa, aut aquis abundasse quæ nũquam antea stagnauerant, aut exaruisse penitus per quæ copiosæ aquæ defluxerant, emersisse nouos & fontes & fluuios, insulas plurimas vel repente e mari, vel a continenti editas, omnino sit verisimile: quid vetat quo minus & eo tempore ab Italia Siciliam fuisse abruptam cõiectura consequamur? Illud certe in summa apud Geographos & Historicos pro comperto habetur, appellatione Italiæ neutiquam contineri hodie Siciliam, licet olim antequam irrumpente freto dirimeretur, secus esset. At Iureconsultus inter continentes Romani Imperij prouincias eam cõnumerat, ob id fortasse, quod modico freto ab Italia sit diuisa. Nam cũ esset & viris & vrbibus amplissima, maior existimata est quam vt insula appellaretur. Hinc scribit Dion edicto Augustum cauisse, ne Senatores iniussu principis extra terram Italiam peregrinarentur, præterquã in Siciliam, & prouinciam Narbonensem: illam, quia Italiæ continens, fertilis, fida Romanis, propinquaque esset prouincia: hanc, quia imbellis & nouandis rebus minime apta putaretur. Sed iam locus postulat vt de vbertate insulæ nonnihil dicamus.

DE VBERTATE SICILIÆ.

CAPVT IIII.

SICILIA salubritate cœli, soli fertilitate, frugum omnium copia, rebusque alijs, quibus indiget mortaliũ vsus, maxime præstat. Eius rei causam tradunt Astrologi, & qui eos sequũtur Geographi: qui præterquã quod totam terram, eiusque singulas partes dimensi sunt, docuerunt etiam, cui parti cœli vnaquæque subiaceat. Subiacet autem Sicilia (quẽadmodum ante diximus) quarto climati: quod cœli clementia sex aliis antecellit. Quo fit, vt quicquid Sicilia gignit, siue soli natura, siue hominũ ingenio (vt Solinus scripsit) proximum sit ijs quæ optima iudicantur. Frumẽtum in Sicilia primo ortũ fuisse ex genuina terræ feracitate, vetustorum omnium constans est authoritas. Enimuero frumentum agreste in agro Leontino sua sponte natum, non solũ Diodorus in 6. refert, sed ętate etiam mea tum in eodem, tum in pluribus Siciliæ agris nulla mortalium cura excultis, neque terræ commendatum, neque aratri rastrorumue exercitio prouocatum, sed soli mira ac naturali liberalitate proueniisse atque in aristas felicissime excreuisse ipsi vidimus. Id vero semente facta expectatum, in Leõtino, vt Plin. lib. 25. cap. 15. scribit, & Ennensi ac Assorino agris eam dominis suis culturæ gratiam retulisse etiam sumus experti, vt a centuplo ac portẽtoso fere fructuũ fœnore, centum salmarum (quo mensura adhuc hodie Sicula est) aruis ipsis nomẽ inditum a multis ante seculis ad nos quoque peruenerit. Cumque propria fere sit vniuersæ Siciliæ hæc terræ fœcunditas, frumenti vsum Cererem primam incolas (qui glandes antea, veluti & cæteri mortalium, comedebant) docuisse, Cicero a

Græcis

Græcis mutuatus refert. Inde merito apud antiquos in adagiũ, Satis quercus, abiit, quod priſci illi mortales rudes atque inculti, vt Ceres frumenti vſum oſtendit, glãdibus (quas quercus gignit) victitare deſierunt. Vitẽ in Sicilia ſua ſpõte naſci nemo eſt qui neſciat. Et quantumuis non recte apud Ætnam Siciliæ montem ab Ariſtæo eam primo inuentam falſo id Athenæo adſcribens, Polydorus Virgilius ſcripſerit, quam non apud Ætnam, ſed Ætoliam repertam libro primo Athenæus ipſe authoritate Hecatæi refert: vina nihilominus in Sicilia laudatiſſima premi, Plinius (qui in cenſendis vinis quibuſque optimis diligentiſsimus ac prope curioſus fuit) peculiariter prædicat. Balintium enim vinum (quod mulſi ſaporem habet) in Sicilia Plin. lib. 14. cap. 9. ponit. Vocant autẽ mulſum vinum melle affectum. Vnde conijcio balintium vinum illud eſſe, quod muſcatellum exactæ dulcedinis Siculi hodie vocant. Vuæ nanque quarum apes ſunt auidæ, a quibus & Apianæ dicebantur, eas & muſcæ quoque ſectantur, a quibus muſcatellas dici Columella docet. ex quibus vinum ſubdulce & eximiæ ſuauitatis exprimitur. quod muſcatellum dicitur: licet plærique ſint, qui a muſci odore, quo plurimum redolet, id ei nomen impoſitum exiſtiment. Laudatiſſimum erat Syracuſis Polium vinum, a Polio Argiuo dictum, qui Syracuſis regnauit, & primus ex Italia hoc vinum eo detulit (quod Byblinũ vinum eſſe arbitratur libro 1. Athenæus) teſte Æliano de varia hiſtoria libro 12. Mamertinum vinum, in agris Meſſanenſibus habetur probatiſſimum, quod cum Italis omnibus æmulatione præſtantiſſima certabat, cuique Cæſar dictator, primus authoritatem dedit, vt in publicis epulis quartus cederetur locus. Nam triumphalibus cœnis, quatuor vini genera, maiorum inſtituta Cæſar imitatus, appoſuit: Falernũ, Chium, Lesbium, & Mamertinum (vt Strabo lib. 6. & Plinius lib. 14. ca. 6. memorãt) quod olim Iotalinum fuiſſe dictum ac ſuaue & robuſtum libro 1. ſcribit Athenæus. Tauromenitanum vinum eadem ætate celebre adeo erat, vt pro Mamertino plærunque in menſis ſubijceretur. Plinio. Vina Entellana & Inyctina a Strabone libro 6. & Pauſania libro 7. laudibus efferuntur: quæ nunc deſiderantur. Entella ſiquidẽ & Inyctum oppida defecerunt, quorum agri iam frumentarij ſunt. Vua Murgentina ex oppido Murgentio non procul a Leontino, Surrentum Campaniæ vrbem translata (quæ & Pompeiana eſt dicta) nobiliſſima erat. author eſt Plinius li. 14. c. 2. Quam hac tempeſtate eam quæ Neapoli Græca hodie dicitur, vinũq; Græcũ Põpeianum & Murgentinum eſſe cenſent. Mea ætate vinis Siculis iure optimo præſtantia debetur, qua cum Italis non impari certamine contendunt, tum quod palato æque arrideant, tum quod annorum etiam ætuſtatem integerrime ferãt. Pannormi & ſubiectis agris, vua quã Corniolam appellant, ſubnigra, ſimul & (quę Græca dicitur) alba, ad menſem vſque Ianuarium recens in arbuſtis natura ſeruatur. Ad quam Ciminnenſis & Narenſis proxime accedunt. Oleum Sicilia plurimum etiã profert. Miranda quoque eſt in ea ex eboſia canna (quam cannam mellis hodie appellant) ex qua ſaccarum conficitur, arũdinum ſeges. Cannæ nanq; mellitæ caudex, nodoſus eſt, ſpongioſus, plenus medulla. Cortice tenui, dulci ſucco, quĩ hac arte exprimitur: Caudex totus fruſtatim conciditur, deinde torquilari compreſſus, ſuccum reddit, qui in cacabum dimiſſus igni ſuppoſito cõcoquitur & expurgatur. ſed moderate decoctus, in ſpeciem mellis traducitur. perfectius deinde in vaſis figulinis recõditur, in quibus cum refrixerit, in ſaccarum, perfectiſſime vero ac tertio recoctus repurgatiſque, in laudatiſſimum coaleſcit: cuius vſum & veteres latuiſſe, & non eſſe Plinianum ſaccarum, eruditi complures multis rationibus, & veterum authoritatib. oſtẽdunt. Mellis apiarij nobiliſſimi in Sicilia certiſſima eſt meſſis. Plinius lib. 11. cap. eſt author. cuius ſecundæ partes Hyblæ Siciliæ oppido a veteribus ſunt attributæ. Satorum nanque thymi & aliorum florum, quos apes pro cõfingenda cera libenter ſectantur, Hybla fœcundiſſima eſt. Pluribus etiam alijs locis Sicilia apibus ſcatet: quæ non ſolum in mãnu factis aluearibus, ſed in ipſis quoq; collium arborumque cauis probatiſſima mella cõficiunt: vbi nobilium apum examina, & fauorum ingentes maſſæ ſtipatæ reperiuntur. Fructuum omni ferme genere Sicilia exuberat. Nam inſulæ virtus, aeriſque temperies terram frugiferam vltra quam ſatis eſt reddit. Ficus (bulborum genus eſt) ſi in Sicilia ſeritur (vt Plinius

refert) ocyſſime pomum fert, neque vermiculationi obnoxium: quo vitio nõ carent reliqua poma ſimiliter ſata. Abrotonum herbæ genus (eodem Plinio lib. 21. cap. 21. referente) in Sicilia duplicis eſt generis: campeſtre & montanum. Hoc fœmineum, quod arboreſcit, albicantibus foliis, inciſuris minimis, ſeriphij abſinthij modo, circa ramulos, diuiſis floribus plenum, comantibus in ſummo fulgore. Illud maſculum ſarmentoſum, fruticoſum. Vtrunque laudatiſſimum. Platanus ſola vmbræ gratia arbor nobiliſſima, ex alieno orbe, per Diomedẽ in inſulam eſt trãſuecta, vt libro 12. cap. primo Plinius ſcribit. Eius folia, inſtar vitis latiſſima & diuiſa. Cuius vmbra iucunda, æſtate ſolem arcet: hyeme admittit, & ſola vmbræ gratia, cum infructuoſa ſit, in deliciis habita, commẽdatur. Ampliſſime & cito germinat, vinoque nutritur. Hanc Dionyſius ſenior tyrannus in domus ſuæ miraculum Syracuſas tranſtulit. Indeque Romam adducta ad delicias Romanis extitit. Platanum itaque (quam dulbum Siculi hodie appellant) Sicilia ætate mea pluribus locis prębet, ad Caltabianum præſertim, ad Caſſarum oppidulum, & ad Mazarruniũ amnẽ non longe a Claromonte oppido. Eſt etiam Sicilia herbarum ferme omnium ac fruticum medicarum, croci quoque præſtantiſſimi, & Italo ſuperioris ferax. Strab. lib. 6. & Plin. Plantam ſpinoſam edilem, quam cactum Phænias & Theophraſtus appellant, ſolum naſci in Sicilia, & carduum eſſe, libro 2. cenſet Athenęus. Palmarum ſylueſtrium radices, eſui ſatis accommodas Siciliam producere nõ eſt quem lateat. Montes ſunt in Sicilia, quos Aerios vocabat antiquitas, vt libro 5. teſtatur Diodorus, quos ſoli natura, tanquam cõtinua æſtate amœnos atque vberes, reddit. Fontes ſunt in eis, aquas præter cæteras dulces habentes. Denſæ vndique arbores, ac frequentes quercus quæ groſſiorem quam quæ apud alios naſcũtur, fructum gignunt. Domeſticæ etiam arbores & vineæ permultæ, copiaq; ingẽti mala naſcuntur, atque laurorum multitudo in eis eſt frequens. Adeo inquam fructiferi ij montes exiſtunt, vt aliquando Carthaginenſiũ exercitũ permagnum fame ſuperueniente abunde nutriuerint. Quorum fertilitas à Diodoro celebrata in meam vſque ętatem nihilo rariori fructuum, laurorum, fontiumque perennium, quibus ab aquarum dulcedine nomen acceſſit, prouentu perdurauit. Id vero tantum amiſerunt, quod qui Aluntio olim, nunc ſancto Philadelfo oppido prominẽt. Sunt & alij in Sicilia montes falis genitura fœcundi: apud Ennam, Nicoſiam & Cameratam, & Platanim, in quibus lapicidinarum more ſal renaſcens cæditur: vbi & fodinæ ſalis ſunt complures. Sal quoque ex marinis aquis ſponte progignitur, ſpuma in extremis littoribus ac ſcopulis relicta. At apud Lilybæũ, Drepanum, Camarinam, Macharim, & plura alia loca, ſal marinis aquis in ſcrobem receptis colligitur. Lacuſtris etiam in Sicilia ſal pluribus in locis præſtantiſſimus habetur. Apud Pachynum etenim (quod miratu eſt dignius) e dulcibus aquis vel e cœlo, vel fontibus in lacu congeſtis, & ad ſolẽ diu ſiccatis, maxima ſalis copia in vberrimos quæſtus concreſcit. Lana ſerica ex bombyce in agris præſertim Meſſanenſibus habetur probatiſſima, quæ hac mirabili naturæ induſtria conficitur. Ex exiguis miniſque bombycis ſeminibus circa calendas Maias ſubtili linteo inuolutis, vel muliebrium mammarum calore confotis, vermiculi (qui, teſtibus Ariſtotele & Plinio, veræ erucæ tunc ſunt) generãtur: qui ne intereant, ab his quibus curæ ſunt, alimonia ex mori foliis imbuuntur. Atque ita fronde velati educatique, nono quoq; die ſummam corpuſculorum pelliculam mutant, ac mẽſe poſtea lunio adultiores, aranearum in morem, ex ore ſpuma eiecta, tenuiſſima fila ducunt. Et in orbem nucũque modum, cui ſe ſe irretiunt, glomerant, reconditique ſpoliantur atque in ſubcandidos ad extremum papiliones exeunt, demumque ex mutuo congreſſu ſemina pariunt: ex quibus propagata noua vermiculorum ſobole, ipſi depereũt. Ex eorum deinde ſpoliis (quæ nucum fere formam habent) in ahenum aqua plenum fo-
coque adhibitum iniectis, artifices fila glomeratorio extrahunt, torquentque digitis: quæ tandem lanificio aptata in pannos cõtexunt, quos ſericos vocamus. Scribunt plęrique hoc lanificij genus Conrado Cæſare imperante in Siciliam à Rogerio Siciliæ rege primo aduectum. Nam cum ille, Gręcia populata, quoſdam ſerici artificij magiſtros Panormum captiuos adduxiſſet, breui tempore totam Siciliam

Cala-

Calabriamque noua arte per manus tradita repleuit. Procopius tamen, aliique non aſpernandi authores tradunt, Iuſtiniani Cæſaris ætate ſericum hoc commentũ ſolerti ingenio quæſitum, ex Sera Indiæ vrbe, per duos monachos, Conſtantinopolim primum importatum, in reliquam deinde Europam, ac Siciliam potiſſimum, diſperſum fuiſſe. Eſt præter hæc Sicilia metallis etiam diues. Aurum nanque habet, argentum ac ferrum & aluminis effoſſionem: quorum ſi fodinæ deſunt, non ob eam ipſam cauſam, nullam Siciliæ venam argentum aurumue gignere affirmãdum eſt, cum his metallis eam abundare, & ex ramentis quæ in fluuiis colliguntur, & ex ſpecubus non longe a Sauoca olim ad id extructis, quæ in hunc vſque cernũtur diem, ſatis perſpicuum ſit: ſed foſſorum inopia, & principum inertia, eas extinxerunt. Lapides quoque pretioſos gignit: vtpote ſmaragdum, Plinio lib. 37. ca. 10. & Solino. Achatem etiam, quem agáthũ media correpta vernacule hodie appellant, quem in Achatis fluuij, nobis hodie incomperti, ripis inuentum prima omniũ Sicilia prodidit, Plin. eſt autem lapis niger aut fuſcus, aut cinereus, mixtiſq; in medio nigris albiſque circulis pellucidus: & ſicut varius eſt coloribus, ita etiam rerum imaginibus, quas repræſentat. Ita enim diſcurrunt in eo venæ & maculæ, vt modo palumbum, modo cornu, modo arborem vnam, duas, plures ve (vt interdũ nemus appareat) quandoque flumina, eſſeda, ſtaticula, equorum ornamenta, nec ſolũ volucrum ſpecies reddat, ſed iumentorum quoque & hominum. Hunc lapidem, qui in Sicilia gignitur, quod per eos colores interdum albæ venæ tranſeũt, Græci leucachaten appellant, a quo plærique Alicatæ vrbi inditum fuiſſe id nomẽ, & Achaten flu. amnem eſſe falſum coniiciũt. Contra araneorum & ſcorpionum ictus pollet hic lapis, & (ſi Solino credimus) flumina etiam ſiſtere facit. Huius generis vnũ habuiſſe Pyrrhum ſcribit Solinus annulo incluſum, quem, quod ei natura Apollinẽ citharam habentem, nouemque muſarum chorum ſuis inſignibus torquibuſq; ornatum inſculpſiſſet, pro præcipuo ornamẽto habebat. Beryllũ in Sicilia ad Gratterium recens oppidum, in magna copia cẽditur. Porphyrites lapis rubeus, candidis interſectus notis, ac viridis, duplicis generis in hac inſula quoque lapicidinam habet. Iaſpis lapis etiam rubeus, ſplendidis, viridibus, albiſque variegatus maculis, porphyrite nobilior in Sicilia quoque cæditur. Corallum plantæ marinæ genus in Drepanitano & Meſſanenſi gignitur mari laudatiſſimum. Plinius lib. 32. cap. 2. Sub aquis herbaſcit, extractum de inde ad aerem, dureſcit in lapidem purpurei coloris, oculis gratiſſimum. Sicilia damarum aprorumque quadrupedum venatu, ac perdicum & attaginum (quas francolinas vulgo appellant) aucupio inſignis. Falcones ſacri & peregrini volatilium hoſtes, aliunde aduolantes hic etiam capiuntur. Sed & gentiles & villani, & aſteriæ ad Ætnam & vicina circum loca, & accipitres tota inſula propagantur. Scribũt Ariſtoteles rhetoricorum. 3. & 5. de rerum vocabulis Iulius Pollux, lepores in Sicilia priſcis temporibus non extitiſſe: ſed Anaxilam Meſſanenſium & Rheginorum tyrannum aliunde acceptos eo inuexiſſe. Quo circa cũ in olympiacis victor euaſiſſet, Rheginorum & Meſſanenſium numiſmatibus currũ & leporem incudi curauit. Quæ in ære atque argento affabre expreſſa in hunc vſque diem paſſim reperire ac cernere eſt. Boum, pecorum, cæterorumque animantium armentis denſiſſimis, ac piſcatu Sicilia etiam præſtat. Enimuero thynnorũ nõ modo ad Pachynum (vt veteres ſcripſerunt) ſed ad Panormum etiam & Drepanũ ac omnem eam (quam mare Tyrrhenum alluit) oram, larga captura. Non ſingulatim, ſed gregatim incedunt, & menſibus Maio ac Iunio in mare Tyrrhenum, ſiue a xiphiis (quos galeotas etiam lib. p. Strabo, vulgus vero ſpathos piſces appellant) impetiti (vt Ariſtoteles tradit) ſiue ab aſilo (quem habent ſub pinna) ſub canis exortũ vexati (vt Athenæus libro 7. docet) ab Oceano, ad ea loca maximo impetu irrumpunt. Hinc ab irruendo thynnum appellatum idem Athenæus arbitratur. Et quoniã imprudentiſſimi ſunt piſcium, terroribus acti facile vadis ac retiis inſtar vtrorũ paratis intruduntur. Quo fit, vt Siculi immenſam eorum multitudinem, ſolenni ac pene regio ſpectaculo capiant, quos interimunt, ac cadis fruſtatim cæſos ſale condiunt, & magno quæſtu vendunt. Capiuntur & in freto Meſſanenſi xiphij ipſi, dum thynnos inſequuntur. Eorum capturæ dum quandoque interfui, peculiaris neſcio

quid in eis ingenij (quod & in aliis quibuſdam animantibus animaduertit Ariſtoteles) ſum admiratus. In eorum nanque captura malo nauigij homo ſuper impoſitus Græco ſermone ac edita voce piſcatores (qui in frequentibus ſcaphis manẽt in ſtatione) nauiculas vt ad loca piſcium clauo dirigant, appellat. Ea Græca voce xiphij illecti, ac fere confirmatiores facti, nauigio ac vadis appropinquant, ſtatimque telo a venatore icti capiuntur. Quod ſi ſpeculator, aut quiuis alius ſermonem Italicum temere effuderit, ſimulatque illum xiphij audierint, ac ſi lethi malum eis portenderet, repente diffugiunt. Ita Græcum idioma ab Italico diſtinguere videntur. de eorum captura lib. p. fuſe Strabo ſcribit. Hunc piſcem gladium & enſem, ob roſtrum quod in fronte habet, Ariſtoteles & Strabo appellant: eumque hunc qui ad Pelorũ & ad fretum hoc Meſſanenſe capitur, ſapidiſſimum eſſe Archeſtratus ſcripſit, referente lib. 7. Athenæo. Piſces (quos plotas antiquitas, ætate mea anguillas Phari vulgus appellat) in eodem freto Meſſanenſi captas, Italis omnibus, atq; in Sicilię etiam alio quouis æquore captis, ſapidiores eſſe M. Varro in Gallo, Athenæus libro pri. Plinius libro 9. cap. 54. ac Macrobius Saturnalium libro 3. cap. 15. ſcribũt, & nos quotidiano vſu cognoſcimus. Siculum mare omni denique piſcium genere benigniſſimum eſt, & mullorum copia, quos Græci trichias, barbatos Sophron & Cicero vocant, & murænarum, ac horcynorum (qui teſte Athenæo libro 7. ſecundum obtinent locum) inſigne. In fluminibus vero & lacubus mugilum, aloſiarum, anguillarum, tincarum & trottarum nõ ſpernenda captura. Sed & Siculas patellas Eubulus apud Athenæum maxime laudat. Sicilia tota cauernoſa ſub terra eſt, fluuiis & igne pleniſſima, Straboni & Trogo. Sed & alibi aquæ calidæ ſunt, tepidæ alibi, aliæ ſulphuris, aliæ ferri, aliæ aluminis, plæræque ſalis, bituminis multæ mixtura affectæ, & quędam acidę, ſalſę demum alię. Calidiſſimarum aquarum ſcaturigines Sicilia in multis habet locis, ad ęgritudines quaſdam accommodatiſſimas. Enimuero hæ aquę ſalubres ſunt, vt quæ natura feruent, atque e ſulphurea materia, arcaniſque naturæ adytis (vnde ſcaturiũt) efficacem aduerſus varios morbos vim ſecum afferũt. Sunt etenim in viſceribus terræ quædam venæ ſulphure oppletæ, per quas, veluti per fiſtulas aut canales, aquæ e montibus prolapſæ tranſmeant, quæ caliditate igneque ſubterraneo afficiuntur. Teſtis eſt ingratus earum vel odor vel ſapor. Teſtis eſt ignis in Sicilia perenniter flagrans. Sed aquæ calidæ quæ ſunt in ora Selinũtina iuxta Saccam hodie vrbem, & Himeram, ſalſæ ſunt, & potioni non idoneæ. Quæ vero in agro Segeſtano, iuxta Calamethum Saracenorum dirutum oppidulum, nec longius ab Alcamo oppido quam. p. m. 5. promanant: ſi refrixerint, potabiles eſſe & probauimus, & a Strabone libro 6. ſcriptum inuenimus. Sunt etiam in Sicilia paſſim aquarum fontes, & copia magni, & ſuauitate ac ſalubritate egregij, fluminaque plurima, & hominũ victui, & terræ fœtibus gratiſſima irrigatione vtiles. Et vt vno verbo inſulæ fertilitatem perſtringam, nõ modo nihilo inferior Italica eſt Siciliæ vbertas, ſed & aliquanto etiam frumenti, croci, mellis, pecoris, pellium, aliorumque vitæ ſubſidiorum præſtantia, ſuperior haberi debet: vt ob id nõ abs re Cicero eam penum atque horreum Romanorum appellet, atque Homerus Odyſſeæ lib. 9. ſpõte in ea omnia exoriri affirmauerit, nec ſine grauiſſima Philoſophiæ authoritate lib. 12. Solis inſulam eam appellauerit. Peripatetici nanque geminam naturæ cauſam, vniuocam priorem, & alteram æquiuocam ſunt perſcrutati. Sed ab hac effectum ſibi diſſimilem, ſimilem vero ab illa gigni docuerunt. Rurſuſque vniuocam abſque altera effectum non producere, æquiuocam vero ſolã ſufficere, rationibus & rerum euentibus inſtructi pro axiomate poſuerunt. Vocant autem Solem æquiuocam cauſam, cum Ariſtotele, quotquot de rerum natura diſſeruerunt. In Sicilia igitur frumentum, & cætera ad mortalium alimoniam cõducentia, cum abſque ſemine ſola vi ſolis & terræ fœcũditate exoriri, & veterum authoritate & rerum vſu didicerimus; iure optimo ab Homero ſolis inſula appellata eſt. Sed fertilitate Siciliæ oſtenſa eius mirabilia ſubiiciamus.

DE

DE MIRABILIBVS SICILIÆ.

CAPVT V.

SICILIA, rerum veri pene fidem excedentium & insolitorum euentuum nomine memorabilis est. Illic est mons Ætna, qui cum incendia sempiterna iugi flammarum eructatione continuet, vertice tamen, eaque sui parte qua ignis grassatur maxime, perpetuas (etiam æstate) niues sustinet. Ita inuictam stupendamque in vtroque elemẽto potentiam præbet: vt nec niue ignem extingui, neque igni niues dissolui patiatur. Non longe ab Agrigento ager est a Mayharuca Saracenico ad huc nomine clarus, qui assidua reiectatione e diuersis aquæ venis terram euomit cinerulẽtam. Vbi certis annis incredibilis prope limosæ scaturiginis moles, ex soli viscеribus, remugientibus simul agris, ad superna effunditur. Est in Menenino agro omniũ sermone celebratus Palicorum lacus, quem lib. 31. Ephintiam Plinius appellat, Naphthia hodie dictus, triplici cratere feruentẽ ac murmurãtem perpetuo, tetri odoris aquã, igneos quandoque globos eiaculans. Ad hunc iuraturi veteri olim superstitione accedebant: qui sine labe iurabat, illæsus abibat: qui peierabat, in lacu demersus pœnas dabat. Aristoteles, Diodorus & Macrobius scriptum reliquerunt. In eo aues superuolantes quandoque interire scripsit Appion, referente Plinio, & nos re ipsa didicimus. Maymonis ad radicem montis Ætnæ non procul a Paternione occidentem versus quingentos circiter passus fons est aquæ frigidæ, sed æstuantis & acidulæ, vbi pannus prius trita galla tinctus immersus continuo nigrescit. Et in eodem agro fons alter est acidulus, cuius & Aristoteles meminit. Et ab eodẽ fonte p. m. 2. Aquilonem versus distans fons alius est, qui rubris aquis [illegible] salutiſſimi saporis ad laxandum aluum præsentissimum remedium præstat. In agro Saccensi fons est, cuius aquæ lapidescunt, vnde & a petra nomen habet. In Agrigentino, Petrensi, & Bibonensi agris, fontes sunt in quibus oleum (quod bituminis est genus) supernatat. Agrigenti quoq; fons alius est in eodem agro, cuius aqua in marmoreũ fere duresc it lapidem. Et in eodem Agrigentino agro collis est Vulcanius olim dictus, vbi cũ prisca ætate superstitioso ritu sacrificabatur, ligna, licet viridia, sponte & nullo flammam subministrante, conflagrabant. Quod dæmonum fuisse opus indubitatum est. In agro vero Heracleensi non procul a Siculiana oppidulo fons est, e quo pisciculi magna copia scaturiunt. Dianæ ad Yhomisum oppidum fons est, qui Camarinam influit, cuius si quis olim aqua, manibus non castis, vinum diluisset, nulla cõsequebatur mixtio. In Alęsino agro Caroniæ hodie dicto fons aliquãdo fuit, qui ætate mea nusquam apparet, natura tranquillus, verum insonantib. tibiis exultabũdus ad harmoniæ modos eleuabatur, & vltra margines intumescebat. Stagnum erat Gelæ, quod tetro odore proximantes abigebat. Vbi & fontes erant duo, quorum ex altero, si sterilis bibebat, fœcunda: si ex altero fœcunda, sterilis fiebat, Solino. Stagnum quoque non longe a Petra oppido olim erat, serpenti noxium, homini salutare, vt idem Solinus memoriæ reliquit. cuius vsum nostra nõ vidit ętas. Acis fluuius, etsi ab Ætna, perpetuo flagrante, demittatur, a nullo tamen amne frigore superatur. Et in agro Leontino, a veteribus, literis mandatum est, fontem adeo pestilentem fuisse, vt eo quis gustato, perinde ac veneno prosterneretur. In Panormitano, Saccensi, Elorino, & aliis pluribus agris fontes sunt hodie, quibus a Buyhuto Saracenicum nomen remansit: quorum aquæ molliendi ventris purgandique vim habent. Agrigentinum sal ad Borangium agrum igne soluitur, aqua crepitat. Pelorus ad curuum littus, violacei coloris sal gignit, purpureum ad Centoripen Ætna, sed translucidum Pachynus. Iam vero qui Siciliam tot rerum stupendarum genitricem ab initio huc vsq; incoluerint, videndum est.

DE HABITATORIBVS SICILIÆ ANACEPHALÆOSIS.

CAPVT VI.

CYCLOPES ab initio Siciliam tenuisse (qui non solum immanes, sed monstra etiam hominũ extitere, vt pote humanæ magnitudinis modum inusitata corporum proceritate excedentes, quos gigantes antiquitas nominabat) tum Berosus & Homerus, ac plæriq; alij vetustissimi rerum antiquarum scriptores tradunt, tum specus quoque monstrosi, ac portentosa eorum cadauera, quæ in hunc vsque diem pro ostentis visuntur, satis declarant. Cæterum cum perpauci sint ethnici, quibus gigantum magnitudo persuaderi, aut antiquitatis (quam fabulosam existimant) memoria probari potest, ridicula ea omnia censentes, vt a pertinaci errore auocentur, & tantæ rei fidem confirmem, non nulla profundissimæ antiquitatis exempla, cum ijs quæ ipse coram oculis perlustraui, examinanda hoc loco necessario duxi, vbi primum cum sacris literis, grauissimorum quoque authorum de ijs censuram contulero. Moses itaque, cuius apud me maior quam ethnicorum omnium est authoritas, Gene. cap. 6. Gigantes (inquit) erant super terram in diebus illis: isti sunt potentes a seculo, viri famosi. Et Berosus (qui quicquid est eiusmodi, ex Chaldæorum adytis, Ægyptiorumque ac Phœnicum promptuarijs desumptum in suam historiam congessit, & penes quem communi authorum omniũ calculo pura historiæ fides consistit) Ante aquarum (inquit) cladem famosam, qua vniuersus perijt orbis, multa præterierunt secula, quæ a nostris Chaldæis fideliter fuerunt seruata. scribunt illis temporibus circa Libanum fuisse Enon vrbem maximam gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur ab occasu solis ad ortum. Hi vastitate corporis ac robore confisi inuentis armis omnes opprimebant, libidinique inseruientes inuenerunt papiliones & instrumenta mufica & omnes delicias. Manducabant homines & procurabant aborsus, in eduliumque præparabant, & conmiscebãtur matribus, filiabus, sororibus, masculis, brutis. Et nihil erat sceleris quod nõ admitterent, contemptores religionis & deorum. huc vsque Berosus. Gigantes (ait Timæus) ob corporis magnitudinem cœlo & terra prognati crediti sunt. Gigantes (libro 5. inquit Diodorus) pollentes viribus, feruntur terra geniti propter corporum ingentem molem. Et libro 6. idem: Gigantes magnitudine ac robore corporis confisi, aduersiq; legibus, multa egerunt in homines iniusta, & propinquas gentes in seruitutẽ redegerunt. Sed (ne plurib. moremur studiosos) gigantes immẽsis fuisse corporibus, eorum cadauera in non nullis reperta locis, vt a veteribus accepimus, liquido ostendũt. Plutarchus in Sertorio, Gabinium historicum secutus, tradit Antæi sepulchro in Mauritania a Sertorio ex industria diruto, cadauer in eo septuaginta cubitorum magnitudinis repertũ fuisse. Philostratus in Heroicis, Hylli Herculis filij cadauer, nouem iugerum proceritatis in Phrygia iacere, & Orestis corpus in Nemea, septẽ, & Aiacis vndecim cubitorum inuentum, refert. Adhæc in Assyriorum agro Orõtis fluuij præruptam ripam Ariadnis viri Æthiopis, siue Indi (vt quidam dixerunt) cadauer triginta cubitorum magnitudine in lucem edidisse: & in spelunca Sigei montis deprehensum gigantis cadauer duorum & viginti cubitorum, quem pro Troianis pugnantem Apollo interfecerat. In Coo quoque insula e terræ gremio erutam fuisse arcam, & in ea duodecim cubitorum gigantem inuentum. In Lemno etiã gigantis cadauer, cum caluaria plusquam duarum amphorarum Cretensium capace, a Menecrate Stirienſi repertum. Et denique Protesilaum viginti annos natum decem fuisse cubitorum proceritatis, idem Philostratus in eisdem Heroicis commemorat. In Creta insula, monte conuulso, cadauer sex & quadraginta cubitorum apparuisse, libri 7. cap. 16. scribit Plinius. Et bello Cretico humanum corpus vi tractus fluuialis defossum, cubitorum trium & triginta fuisse, quod Lucius Flaccus legatus & Metellus viderint, Solinus tradit. Et Salamine Euthymenis filium tres natum annos, in staturam molemq; trium cubitorum creuisse apud eũdem authorem legimus. Sed exteris alienisque tandem exemplis supersedentes, ad domestica veniendum est, eaq; quæ & a maioribus accepta sunt, & ipsi nos perlustrauimus, vt vel sic cuiuis, nisi mente simul atq; oculis capto, fuisse in rerum natura gigantes, & Siciliam incoluisse, constet. Eryx mons est in Sicilia notissimus, mons Drepani hodie vulgo nominatus. Ad huius radices, qua orientem respicit, cũ rustici

ruſtici quidam anno ſalutis.1342. paſtorali caſæ fundandæ altius foderent, in antrũ immenſum inciderunt. In quo ingreſſi, virum portentoſæ magnitudinis ſedentem deprehenderunt. Cuius rei nouitate conſternati, ex antro ocyus fugam in oppidũ, quod ad verticem eſt, capeſſunt, ciuibuſque quod monſtri viderint, referunt. Erycini exciti, armati antrum petunt. Ex quibus complures facibus incẽſis ſpecum introgreſſi, monſtroque (quod, vt retulerant villici, in conſpectu habebant) tandem proximiores facti, hominem non viuum, ſed cadauer humanum proceræ ſtaturæ in ſede poſitum, ſiniſtra manu baculo mali nautici inſtar innixum, nullaque ex parte corroſum, cognoſcunt. Tactus ſcipionis cortex confeſtim in cinerem ſoluitur, quo claua plumbea, quæ e terra ad manum vſque ſedentis aſcendebat, celabatur. Tactu & cadauer ęque ſtatim corruit, & in puluerem verſum eſt, tribus ſolum dentibus molaribus admirãdæ magnitudinis, & anteriori cranii parte, aliquot modiorum Sicilienſium capace, incorruptis ac firmiſſimis relictis. Erycini in rei fidem ac miraculum, dentes filo ferreo ad crucifixi pedes, qui in medio templi Annuntiatæ eiuſdem oppidi pendebat, ſuſpenderunt. Opinio eruditiorum fuit, cadauer Erycis id fuiſſe: quem loci regioniſq; illius olim regem ab Hercule occiſum priſci rerum ſcriptores tradunt. Specus in rei nouæ memoriam, a gigante adhuc nomen habet. Molares dentes ad meam vſque ætatem in eo templo ſuſpenſi viſebantur, quos demum imprudentiſſimi ciues Franciſcano cõcionatori ad Romanum pontificem, vt ille ſuggeſſerat, deferendos dederunt. Hæc mihi omnia ſenatores Erycini oppidi, quos Iuratos vocant, retulerunt: meminit & exacte huius exempli Ioannes Boccatius lib. 4. cap. 68. de genealogia deorum. Mazarenum in Sicilia mediterraneũ ac recens eſt oppidum: in cuius agro, cui gibilo eſt nomẽ, paſſus ferme mille ad meridiem recedente, Ioannes a brachiis fortibus, oppidi comes, cũ anno ſalutis 1516. ad vineæ, quam ibi ſibi plantauerat, tutelam, domum fabricari iuſſiſſet, fundamẽtiſque cæmentarij foſſam pararent, in cadauer hominis ſtaturæ cubitorum circiter viginti, ligonibus inpingunt. Fama tantæ rei ad oppidum delata, Ioannes vxorque eius Æmilia quæ tum vterũ geſtabat, ac oppidani fere omnes, ad gibilum procurrunt, ibique cadauer procerum, ac caput eius, dolij inſtar, conſpexerunt ſtupidi. Æmilia vero miraculi horrore perculſa exanimataque, aborſum patitur. Imperiti deinde homines cũ rudius cadauer attrectaſſent: illico in puluerem abiit, molibus duntaxat integris repertis. Quarum quælibet vnciarum quinque põdus æquabat. Rem hanc Antonius Moncata Adrani comes, ejuſque ſoror germana Æmilia ipſa, non vulgari fide & nobilitate commendati, anno ſalut. 1546. menſe ſeptemb. ad oppidum Caltanixettæ, prout ipſi viderant, mihi enarrarunt, teſteſque molares dẽtes oſtenderunt. Teſtatur id demum pictura reperti gigãtis in ædibus, quas ſibi decedente Ioanne marito in eo Caltanixettæ oppido Æmilia magnifice ſtruxit, in murum relata. Melillis inter Leontinum & Syracuſas oppidulum in Hyblæis montibus mari prominet. A quo non multo infra ad montium radices (vbi perennis eſt fons, Sancti Coſmani hodie nomine notus) frequentia vix credendæ proportionis gigantum ſunt ſepulchra. E quibus ab antiquitatis ſtudioſis & molares eorum dẽtes, ac ingentia oſſa quotidie effodiuntur. Illorum dentium plures Petrus Paulus, principatus vir honeſtus, & harum rerum ſtudioſiſſimus, dono mihi dedit, quos ad rei indicium curioſiſſimè aſſeruo. eſt autem eorum quilibet ponderis vnciarũ circiter quatuor. Hyccara Sicanorum peruetuſtum oppidũ, Carinis hodie dictum. 12. p.m. Panormo ad occidentem abeſt. In eius agro mons eſt in occidentem vergens (mons longus appellatus) ad cuius radices, antrum eſt immenſum, a Piraino nomen adeptum, ab oppido. 3. p.m. diuerſum: in quo plura ſunt gigantum monumenta, vnde & maxima eorum oſſa, ac dentes eximiæ admirationis frequenter eruuntur. Huius rei teſtes ſunt, Hyccarenſes ipſi ſimul & Panormitani: teſtis & locupletiſſimus ſum ego, qui os humeri latiſſimum, & pene monſtruoſum exinde apud me habeo. In agro Panormitano fons eſt inſignis, maris dulcis cognomento notiſſimus, meridiei obuerſus. 3. ferme. p.m. ab vrbe refugiens. ſupra quẽ, in ipſa mõtis rupe, ſpecus eſt longitudinis cubitorum plus minus ſexaginta, latitudinis viginti: in qua Paulus Leontinus nitrum confecturus, dum terram pecuinam in nitrariis

deco-

decoquendam anno salut. 1547. effodit, in cadauer hominis vastitate moleque gigantei corporis immane, cubitorum fere decem & octo membris omnibus incõpactum dissolutumque fortuito illapsus est. Ad cuius famam Panormitani visendi studio exciti, capitis membrorumque omnium admiratione obstupuerunt. Ea subinde dum Paulus satis imprudenter attrectat, in puluerem (præter mandibulam) versa sunt omnia. Præerat eo anno Panormo Symeon Valguarnera, quem Capitaneum vulgus appellabat. ad eum mandibulam in rei fidem deferunt. Ex qua dum dentes excutere tentant, in cinerem & ea trãsabiit, molaribus solum ob duritiem inmotis. Horum singuli vnciarum prope quatuor pondus conficiebant, nostris similes, subalbi, effigiati, & carie prorsus carentes. Quorũ duo mihi a Symeone Pigliono donati in rei tum fidem, tũ memoriam, Christianis ac Ethnicis hominibus, qui tale genus hominum vix fuisse credunt, exhibendi, in arca magno studio habẽtur. Syracusæ vrbs est hodie in Sicilia. In ea anno salut. 1548. cum Georgius Adornus Genuensis, eques Ioannita, classis tum ordinis sui præfectus hyemaret, venatum aliquando in agrum Syracusanum Gereates olim dictum, egressus est. Qui dum venationi studet, canis in venatu solers & sagax os speluncæ subterraneæ & latebrosæ, naribus & vnguibus scrutatus, cauda & latratu venatores aduocabat. Equites, qui cum Georgio aderant, prædam rati, equis citatis, accurrunt. Sed vbi ostium ingentis specus solum vident, eo relicto venationem retro prosequuntur. Postridie vero Georgius remigum manu assumpta ad specum eandem, aurea veterum numismata, quorum ibi thecas crebro reperiri contigerat, quæsiturus regreditur. Speluncæ ore vi patefacto, scalis, quas ibi in viuo ipso lapide excisas aditum monstrantes offenderat, in antrum profundum descendit, ingreditur, cuncta explorat, tandemq; pro speratis nummis cadauer hominis, cubitorũ viginti, reperit. Quod vbi membratim mirabundus stupensque examinat, pars capitis, costæ & crura (cęteris partibus in putrem cinerem ventumque solutis) ex attrectãtium manibus, sola integra decidere. Quæ pro miraculo Georgius, quam primum omnia (præter duas molas) ad Ioannem Homedeum militiæ magistrum Melitam trãsmisit. Calatrasis, non longe ab Entella, arx est. Cuius præfecto anno salutis 1550. defuncto, dum coloni in templo tumulum perfodiunt, in ædiculam testudinatam incidunt, & in ea cadauer hominis cubitorum circiter viginti duorum reperiunt. Cuius statura primum stupefacti, mox (vt fere fit) in risum iocosque soluti, eius caput (quod decem ferme pedum circuitum metiebatur) pro scopo aut signo erectum, saxorum iactibus incessunt: quo comminuto, dentibus solum saluatis, quicquid superfuit, terræ reddiderunt. Petralia inferior recens est mediterraneum oppidum. In eius agro Bilicino dum Bartolus Petralensis, Artalis Curtius, & Nicolaus Cameratẽsis, plureſque alij cęmentarij anno salutis. 1552. Susannæ Gon Zagæ, oppidi dominæ, Petri Cardonæ Golisani comitis vxori, horrea extruũt, in plura gigantum sepulchra lapidibus quadratis inclusa, casu peruaserũt, in quibus plæraque cadauera octo cubitos proceritate superantia inuenerunt. E quibus Susanna, vt nobilitate insignis, ita liberalitate conspicua, mandibulam vnam cum duobus molaribus, duarum ferme quolibet vnciarum, Panormũ dono mihi misit: quorum omnium nihil adhuc apud me periit. Sed non est hic vlterius immorandum. Nam si singula gigantum cadauera, passim in Sicilia casu hactenus eruta recensea, & dies & instituti ratio me deficiat, cum ex his abunde, & fuisse in rerum natura gigantes, & Siciliam habitasse, iam probatũ sit. Quod si sunt qui generationis in ipsis causas curiosius requirant, eos ego ad syderum vim, planetarum coniunctionem, elementorum mixturam paulo robustiorem, naturamque ad gignendum pronam, ac DEI Opt. Max. denique voluntatem reiicio: qui sicut in numerosa sobole, ita & in corporum proceritate, & vitæ longæuitate potentiam suam existimauit manifestandam. Cur autẽ in Sicilia magis, quam alibi gigantum multitudo sit exorta, siderum id aspectus, & cætera quæ necessario ad genituram eis adiungi solent, effecerunt. Qui postremo, cur nostra ætate gigantum nullus sit prouentus, perquiret, is nõ eandem (quæ olim) siderum vim, planetarum coniunctionem, elementorum virtutem, genitalis seminis ad tantos fœtus facultatem, nec denique principi DEO aliter placere animaduertat.

uertat. Sed sit tandem egressioni modus. Post Cyclopas (qui gigantes fuerunt) Sicani, Hispanum genus hominum vel indigenum, (vt diuersa est opinio) ac subinde Siculi, ex Italia traiicientes, & ipsi Siciliam incoluerunt. Troiani postea capto Ilio profugi complures eodem delati, ab insigniori eorũ duce Elymi sunt appellati, Segestamque & Elimam vrbes ædificarunt. Sub quod ferme tempus, & Cretenses cum Minoe Rege contra Dædalum in Siciliam venerãt, eoque defuncto, Minoam & Engium incoluerunt. Phœnices quoque, per ea tempora, passim in insula negotiandi gratia hospitati, Panormum, Motyam, & Soloẽtum postmodum habitauerunt. Græcorum deinde primi Chalcidẽses, ex Eubœa insula fuerunt, qui eodem aduecti, Naxum vrbem extruxerunt. Post quos sequenti anno Archias & Corinthij complures, Syracusas (expulsis inde Siculis) tenuerunt. Sed septimo deinde anno Theocles, & Chalcidenses multi, Naxo ob inclementiã cœli deserta, Leontinos agros, Siculis etiam illinc eiectis, ac Catanam mox occupant. Per idem tempus Lampis quoq; e Megaris Græciæ, cum Pãmilo, & magna Græcorum manu Siciliam veniẽs super Pantagium amnem loco (cui Trotilo erat nomen) incolas collocauit. Vnde postea digressus, apud Leontinos, vna cum Chalcidensibus Naxiis, Reipub. præfuit. A quibus deinde pulsus, Thapsum peninsulam incoluit. Lampi defuncto cæteri e Thapso Megaram (quæ & Hybla antea dicebatur) sub Hyblone rege Siculo transmigrauerunt, & Hyblæi sunt appellati. Qui & centesimo postea anno, Selinuntem vrbem, misso illuc Pammilo coloniæ duce, profligatisque Phœnicibus, condiderunt. At post Selinuntis initia 145. anno, e Megara a Gelone Syracusarum rege sunt exterminati. Antiphemus itidem e Rhodo insula, & Entimus ex Creta, suam vterque in Siciliam ducens coloniam. 45. post Syracusas conditas anno, Gelam vrbem ædificauerunt. Geloi deinde 108. anno post Gelæ primordia, Agrigentum suis legibus habitarunt, authorib. Aristonoo & Pistylo, qui vrbẽ a præterfluente amne nominauerunt. Zancla vero inter sua initia, a latronibus qui a Cumis, quæ est in Opica Chalcidica vrbe, venerant, est habitata. Et subinde ductoribus Periere & Cratęmene a multitudine, e Chalcide cæteraque Eubœa in præsidium accersita, incrementa suscepit. Vnde a Samiis atq; aliis plerisque Ionibus, qui a Medis ex Ionia eiecti in Siciliam appulerant, postea sunt pulsi. Nec multo post Anaxilas Rheginorum tyrannus, superatis Samiis, Zanclam vrbem funditus euertit, nouamque mille passus a Zancla distantem condidit: quã promiscuis hominibus frequentem reddidit, & a sua patria Messanam appellauit. Himera quoque a Zanclæis, deductis ab Euclide, Simo & Sacone habitata est. In quam coloniam venerunt plurimi Chalcidenses, quibus sese immiscuerunt Syracusani exules a contraria factione superati, qui Melitadę nominabãtur. Apud quos sermo fuit inter Chalcidicum & Doricũ medius, leges tamen Chalcidenses in vrbe præualuerũt. Acræ autem & Casmenæ a Syracusanis sunt habitatæ: Acræ quidem in niuosis montibus, septuaginta annis post Syracusas, Casmenæ vero in planitie annis circiter viginti post Acras. A Syracusanis quoque post centum ferme & triginta quinque annos a conditis Syracusis Camarina fuit condita, atque ab eisdem, authoribus Dascone & Menecolo, habitata. At Camarinæi, cum aliquanto post a Syracusanorum fide defecissent, in exilium coacti sunt: quos Hippocrates Gelę tyrannus, cum quosdam Syracusanos captiuos haberet, facta commutatione, recepit, atque in suam ditionem restituit. Qua cum postea a Gelone iterum fuissent exuti, ab eodem tertio restitutionis anno subsidium obtinuerunt. Gnidij etiam (quorum regio in Asia est) olim in Siciliam nauigantes, vrbem ad Pachynum positam, Motyon appellatam, & ab Hercule antea conditam, incoluerunt. Sed & Morgetes Asiæ quoq; populi, Morgentium vrbem ad oram Leontinam, Siciliam traiicientes construxerunt. Initio deinde primi belli Punici Panormum Romanorum colonia Senatus iussu est deducta. Captis postea a Marcello Syracusis, & redacta in prouinciam Sicilia, Syracusas & Messanam Romanæ etiam coloniæ peruenerunt. Et Cæsare Augusto imperante Tauromenium Romana quoque colonia est missa. Anno deinde salut. 624. diuiso orbe, Sicilia, quæ Constantinopolitano Imperio cesserat, annis circiter ducentis ei paruit. Quo tempore Græcorum

plures

plures Siciliam incoluerunt. Gothi postea, Iustiniano imperante Siciliam occuparunt. Sed Bellisario duce, anno postea decimo septimo, illis expugnatis, recepta est. Sarraceni post modum Michaele Balbo rerũ potiente Siciliam inuadentes annos. 235. si nostris annalibus, si vero Clementi quarto Romano Pont. credimus. 400. tenuerunt. Quorum tempore oppida complura sunt ab eis diruta, & noua condita, Panhormusque ab eis regia constituta, & loca fere omnia Sarracenicis nominibus (quæ adhuc durant) veteribus neglectis appellata. Normanni deinde ducib. Roberto Guiscardo & Rogerio Bosso germanis fratribus, Sarracenos felici & admirabili victoriæ cursu superantes, tota Sicilia sunt potiti. Qua tempestate Lombardorum magna multitudo Siciliam incoluit. Vrbes eorum Nicosia, Platia, Aydonis, &. S. Philadelfus. Sueui deinde & Germani cum Henrico sexto aduecti, Siciliam promiscue habitarunt. Frederico secundo Cæsare Henrici filio in Sicilia regnante, Lombardi complures ex Placentia & locis aliis Oddone duce Corilionem incoluerunt. Germanis postea a Clemente quarto Pontifice Romano, Siciliæ imperio abdicatis, Galli Carolo a Clemente suffecto Sicilia sunt potiti. Quibus omnibus, post decem & septem annos, vna hora, anno sal. 1282, a Siculis, interemptis, Aragonenses ad ætatem vsque meam successerunt. His regnantibus, Hispani plurimi, Cathalani præterea, Genuenses, & sub inde Pisis a Florentinis subactis, Pisani, Lucenses, Bononienses, & Florentini in Siciliã traiecerunt. Quorum incolatu cum multæ Siciliæ vrbes, tum Panormus præsertim coaluit. Sed & anno salutis. 1453. 4. Calend. Iunias a Mahometho secundo huius nominis Turcarum rege capta Constantinopoli, & mox Dyrrhachio vrbe, ac Peloponneso, plures Græcorum coloniæ in Siciliam sunt deductæ. A quibus pagi permulti qui Græcorum casalia adhuc appellantur, sunt conditi. Carolo etiam Quinto Cæsare mea ætate, Coronen vrbem expugnante, & paulo post Turcis eam deserente, Græci omnes, qui eam incolebant, sedes transuexerũt. Tot igitur gentes, partim barbaræ partim Græcæ, ab initio ad hanc vsque ætatem, Siciliam ordine incoluerunt. Atque de habitatoribus hæc summatim: exigit locus vt iam de moribus Siculorum, pro vt prisci tradiderunt, & nos vsu didicimus, aliquid dicamus.

DE MORIBVS SICVLORVM.

CAPVT VII.

QVASDAM esse regiones, quæ acuta ingenia & solertia gignunt, vt quibus est aer purus & tenuis: plæraſque vero quæ retusa & hebetiora, vt quibus crassus & concretus: eruditus quilibet satis pro explorato habet. Ita quoque qui syderũ motus potestatesque peruestigatas habuere, homines ex cœli rigore vel clementia, ad hanc aut illam virtutem propensiores innasci prodidere. Ptolemæo etenim authore, cũ cœlestis vis periodi ad genituræ locum vel centrum simul confluat, in omnes qui eo loci gignuntur, ita diffunditur: vt plerunque ibidem geniti ad eundem vnum morem, eundemque colorem proximiores accedant, tametsi interim animo facultas non desit in opposita: quod quidem de Siculis peritia cognouimus. Sunt enim ingenio acuto & subito. Ciceroni in Verrem, & Iulio Firm. Mater. Hinc inuentione insignes, natura oratores, trilingues: Apuleio lib. 11. linguæ promptæ, Silio. 14. multi leporis, facetiæ multæ, scommatis præterea simul, & acroamatis plurimi, dicaces, Ciceroni. Indo gerræ Siculæ notæ sunt veterũ literis, & in prouerbium abierunt, Ausonio & Plauto. Oratoriæ artis, Bucolici carminis (Aristoteli & Diodoro lib. 5.) horologii (Plin. lib. 7. cap. 60.) catapultæ (Plutarcho) illustratæ picturæ (Plinio libri 35. cap. 4.) tonsuræ (Plinio lib. 7. cap. 59.) pellium ferinarum vsus (Eusebio) & rythmici carminis (Danti & Petrarchæ) inuentores perhibentur. Suspiciosi (Cic. in Verrem) & (vt patriæ pace loquar) inuidi sunt Siculi, Asconio & Senecæ. Hinc prosperis cõterraneorum successibus contabescunt. Tetrici sunt, Epicharmo Siculo, sed in mediterraneis præcipue. Ad contumeliã & vltionẽ faciles, principum assentatores & adulatores industrii, Q. Curtio lib. 7. Plutarcho lib. de discretione adulatoris & amici.

Tyrannidis

Tyrannidis ſtudioſi, P. Oroſio: quod tamen hodie in vniuerſum non experimur. Sui commodi quam publici amantiores: Thucydidi lib. 6. Ob feracitatem ſoli minus induſtrii, ac deſides. Siculorum menſæ olim adeo lautæ fuerant & opiparæ, vt apud Græcos in adagium, Siculorũ dapes, ceſſerint: Athenæo, & Luciano. Hinc voracitatis templa tum plurima in Sicilia condita: Athenæo lib. 10. Hinc coqui Siculi plurimum laudati, & Siculorum artibus conditæ in conuiuiis diatrimmatides. Athenæo lib. 14. Hodie vero frugalitatem imitantur Italicam. Militia præterea ſunt inſignes, vt & latiſſimo hiſtoriarum teſtimonio, & quotidiano vſu cognoſcimus: tametſi Alcibiades apud Thucydidem libro 6. & Valer. lib. 7. cap. 3. imbelles & timidos eos appellẽt: quorum verba ad expertes, longaque pace eneruatos ſunt referenda: vt ipſi authores indicãt. Quod etiã nouitatis cupidi, ſeditioſi, ac diſcordes Thucydidi lib. 6. & Plutar. in vita Pyrrhi, vocantur, atque hinc Sicilia captu facilis eorundem iudicio cenſetur, id ad Græcos eorum ætate inſulam incolentes, & ob diuerſas factiones inter ſe controuerſos pertinet. Sub vnius enim imperio conſtituti, Panormitani, Meſſanenſes, Agrigentini, Syracuſani, Catanenſes, Leontini, Selinuntii, Camarinenſes, Himerenſes, Lilybitani, Ægeſtani, & cæteri fere omnes expugnatu ſunt difficiles, vt poſteriori Decade per exempla demõſtrabimus. Erga Reges Siculi fide ſunt incorrupta. Hinc a Seuero Cæſare ob inſignem eorum in Romanam Remp. conſtantiam, ius Latium demeruere: Vlpiano. Vltra Græcorũ morem patientes ſunt, Ciceroni in Verrem: irritati autem, in furorem abeunt. Sermo eorum non eſt idem qui olim. Ab initio nanque barbarus, ſubinde Græcus, poſtea Italicus fuit, licet minus comptus & gratus. Veſtitum & cætera cum aliis Italici ſanguinis indiſcreta habent omnia. Quos autem ſummos inde viros virtute, ſcientia ac militia illuſtres tulerit, in locis vnde fuerunt orti, obiter deſcribemus. Porro hactenus Siciliæ ſitu, aliiſque id genus cognitu neceſſariis præmiſſis, operæprecium duxi, littoralis ac mediterraneę orę indicem ſubiungere, quo ſtrata via, ac lotis (quod aiunt) manibus ad deſcriptionem ſingularem procedam.

LITTORALIS, TRIVM SICILIÆ laterum vetus & noua in modum indicis Deſcriptio.

CAPVT VIII.

IN ORIENTALIS LATERIS ORDINE SEQVVNTVR.

Pelorus promontorium: Straboni, Ptolemæo & cæteris.
Scylla, Calabriæ ſcopulus, Scyllus hodie vulgo appellatus.
Charybdis in euripo, mare vorticoſum. Calopharum hac ætate dictum.
Meſſana vrbs, Straboni, Ptolemæo & cæteris. Zancla prius Thucydidi & portus.
Eniſis. fl. oſtium Thucydidi, nunc Niſi.
Argennum promontorium, Ptolemæo, nunc Caput ſancti Alexii.
Tauromenium vrbs Straboni, Ptolemæo, Melæ & Solino. nunc nomen retinet.
Naxos vrbs Diodoro, Plinio, Pauſaniæ, Thucydidi & cæteris. defecit, hodie arx Schixon.
Quod Strabo Naxum inter Catanam & Syracuſas ponit, non procedit.
Aceſinæ. fl. oſtium, Thucydidi lib. 4. Aſines Plin. lib. 3. Onabala Appiano Alexandrino lib. 5. Cantara Saracenice hodie vocati.
Acis. fl. oſtium, Theocrito, Homero, Euſtathio, Ouidio & Solino, nunc. fl. frigidi.
Xiphonium promontorium, Straboni, Caput molendinorum hodie appellatum.
Quod Ptolemæus inter Tauromeniũ & Catanã, Symęthi. fl. oſtium ponit, errat.
Cyclopum tres ſcopuli Plinio, hodie Faragluni.
Inſula Acis.
Acis arx, in ſcopulo vndique prærupto.
Ongia ſiue Ongina olim, nunc Lognina ſtatio.
Portus Vlyſſis, Homero, Vergilio & Plinio: nunc Ætnæis lapidibus oppletus: & Diuo Ioanni a decatria ædis dicata.

Ætna mons, Mongibellus vernacule dictus.
Catana vrbs, Thucydidi, Straboni & Ptolemæo, Catina Ciceroni, Catania Plutarcho, & hodie nominata.
Amenanus fluuius Straboni & Ouidio, Amenes Pindaro in Pythiis, Iudicellus hodie dictus, Catanam interfluens.
Teriæ. fl. ostium, Thucydidi lib. 6. Plin. &c. Hodie Catanæ. fl. & Iarrettæ.
Simæthi. fl. ostium Vergilio, Thucydidi lib. 6. Ptolemæo, Athenæo, Plinio & Macrobio. Hodie sancti Pauli.
Murgentium vrbs Ciceroni, Murgantia Liuio li. 4. de bello Pun. Morgantion Straboni, Morgention & Morgentia Stephano. defecit, turrisque est hodie a Murgo nuncupata. Et Leontinum frumenti emporium, Agnuni hodie vernacule.
Leontinum vrbs. Leontium Ptolemæo. non longe a mari recedens.
Pantagii. fl. ostium, Vergilio, Ouidio & Claudiano, Pantachi Ptolemæo. Hipparis plerisque. Hodie. fl. porcari, & frumenti emporium Bruca appellatum.
Taurus promontorium Ptolemæo, hodie caput sanctæ Crucis.
Chersonesus Ptolemæo, Augusta hodie vrbs, & portus.
Yhadedæ. fl. Saracenici nominis ostium, intus Sancti Iuliani.
Miliæ. fl. ostium Thucydidi & Liuio, & Plutarcho in Marcello, hodie Marcellini, sed intus passus Syracusarum.
Alabi. fl. ostium, Diodoro lib. 5. & Ptolemæo, nunc Cantari.
Limpetra Diodoro, defecit.
Megara vrbs, quæ & Hybla, iacet, eiusque ad littus visuntur ruinę.
Bacena vrbs Diodoro lib. 20. Bigenis ager nunc appellatus.
Chersonesus. Thapsus Vergilio, Ouidio & Thucydidi lib. 6. hodie peninsula Manghisi.
Trogilorum portus, Liuio.
Syracusæ vrbs Vergilio, Pindaro, Theocrito, Ouidio, Thucydidi, Straboni, Ptolemæo, Melæ, Plinio, &c. Et Portus.
Arethusa fons.
Anapi. fl. & Cyanes ostium, Ouidio & Plutarcho.
Plemmyria paruula insula, nunc sancti Martiani.
Chersonesus, Ptolemæo: Plemmyriũ promontorium, Thucydidi & Vergilio: nũc Massa Oliueria.
Longum promontorium, Ptolemæo: hodie Lognina statio, & eiusdem nominis scopulus.
Cacyparis. fl. ostium Thucydidi, nunc Casibli.
Orini. fl. ostium Ptolemæo, Erinei Thucydidi. hodie Mirandę, sed interius Noti.
Asinari. fl. ostium, Plutarcho in Nicia, & Thucydidi, nunc Falconarę.
Elorus vrbs, Castrum Plinio, hodie turris recens, vernacule sta in pace.
Elori. fl. stagnantis ostium, Vergilio & Ouidio, nunc Abyssus.
Naustathmus portus, Plinio, qui tamẽ errat in ordine, Phœnicûs Ptolemęo: hodie Vindicaris, frumenti emporium, arx, & parua eiusdem nominis insula.
Machara vrbs, Ciceroni lib. 5. in Verrem, & Plin. li. 3. & Ptolemęo, Citatella vulgo, sed ciuitas Machari a senioribus accolis appellata.
Elorina stagna, vnum cauda lupi, alterum a Ruuecto hodie nominatum.
Marzamenus statio, & duę eiusdem nominis insulę.
Moriella salina, ad radices Pachyni.

MERIDIONALIS LATERIS ORDO.

Pachynus promontorium Ptolemęo & cęteris. Caput passarum vulgo hodie.
Pachyni portus, Ciceroni in Verrem, hodie Longobardus.
Motyon oppidum Pausanię lib. 5. & 10. hodie iacet.
Portus Palorum.
Scopulus, Insula currẽs appellatus.
Stagna plura in quibus salgignitur.

Ediſſa

Ediſſa portus, Ciceroni in Verrem lib. 7. Marza hodie, ſinus & ſtatio.
Odyſſia promontoriũ, Ptolemæo, Caput Marzæ hodie & Caſtellazũ vrbs diruta.
Stagna plura ſalgignentia.
Inſula, hodie a porris dicta, paruula ac gemina.
Buſaitunus & Buſaitunellus lacus piſculenti.
Ficalli, noui nominis oppidi iacentis veſtigia. Et ędicula Diuæ Mariæ eiuſdem nominis, & fontes ad littus vberrimi.
Puzallus arx recens, & frumenti emporium, vnde ad Melitam ex Sicilia propinquiſſimus eſt traiectus.
Motychani. fl. oſtium Ptolemæo, hodie Siclis.
Donna lucata fons ingens, & ſtatio.
Hyrminii. fl. oſtium. Plin. Mauli hodie & Raguſæ.
Inyctos vrbs, Herodoto: Inyctum Straboni & Stephano: Inycum Pauſaniæ lib. 7. Longobardum hodie dicta, & iacet.
Caucanæ portus Ptolemæo: Caucones Procopio lib. 3. de bello Vandalico. Scalãbris ſtatio hodie, & Sanctæ crucis. fl. oſtium.
Specus Columbara.
Oani. fl. oſtium Pindaro, hodie Fraſcolari.
Camarina vrbs Vergilio & Straboni, hodie iacet, Camarana vulgo dicta.
Ipori. fl. oſtium, Ptolemęo, Hipparis Pindaro in Olympiis, Hippanis Vibio Sequeſtri, Camarinæi hodie: & palus.
Salina Camarinenſis.
Dirilli. fl. inſignis oſtium.
Manumuzæ fl. oſtium.
Terranouæ fl. oſtium.
Terranoua oppidum, & vetuſta vrbs diruta.
Nanphriæ fl. oſtium.
Yharrubæ fl. oſtium.
Falconera arx recens.
Scopulus Sancti Nicolai.
Gelæ fl. oſtium, Vergilio, Claudiano, Ouidio, & Plinio: Himerę Ptolemæo: hodie Salſi.
Alicata oppidum.
Gela vrbs, Thucydidi, Vergilio & Ouidio. Iacet nunc in monte obruta.
Ecnomus & Phalarium, propugnacula parum a littore recedentia, Diodoro li. 19. & Plutarcho in Dione.
Flumicelli fl. oſtium.
Inſula paruula Sancto Nicolao appellata, & veteris ædificii ruinę.
Millaya turris.
Yafis turris.
Caſtellazius mons, & in vertice ingentis arcis veſtigia.
Balatella, piratarum ſtatio.
Mons clarus, arx recens.
Comicus vrbs Diodoro lib. 5. defecit.
Punta alba.
Acragæ fl. oſtium, Polybio: hodie Dragus.
Acragantinum emporium Straboni & Ptolemęo, hodie veſtigia tantum.
Acragas Gręcis, Agrigentum Latinis, vrbs parũ a littore diſtans, Thucydidi, Straboni, Melę, Plinio & Vergilio: hodie ingens tantũ cadauer, cui incubat Agrigentum noua vrbs.
Agrigentinum frumenti recens emporium.
Huic quod proximum in ordine Hypſam fluuium Ptolemęus poſuerit, non ſuccedit.
Mons rubeus, arx.
Siculiana, frumẽti emporiũ, & eiuſdẽ nominis oppidulum, parum a littore diſtans.

Cannarum fl. ostium.
Heraclea vrbs, quæ & Minoa prius, Straboni, Ptolemæo, Melæ, Diodoro, Polybio, Liuio & Plutarcho in Dione. Hodie iacet ad Caput album.
Lyci fl. ostium, Diodoro in Philippo, & Plutarcho in Timoleonte. Hodie Platani.
Isburi fl. ostium Ptolemæo, nunc Mayhasoli.
Sossii fl. ostium Ptolemæo, nunc Caltabellottæ.
Thermæ colonia, Diodoro, Melæ & Plinio, hodie Sacca vrbs.
Pintia Ptolemæo, defecit.
Atys fl. ostium Plinio, nunc Carabi.
Hypsæ fl. ostium Plinio, nunc Bilici.
Yhalicium stagnum.
Selinûs vrbs, Diodoro, Straboni, Plutarcho: Selinis Vergilio: hodie Terra Pulicorum dicta.
Selinis fl. ostium, Plinio, siue Selinuntis Vergilio & Ptolemęo, qui ordinem non seruat: Madiunis hodie nominati.
Trium fontium promontorium.
Arenæ fl. ostium.
Mazara emporium Diodoro lib. 14. sed hodie vrbs.
Mazari fl. ostium, & stagnum, Diodoro & Ptolemæo, qui interim non recte ante Selinuntem fl. ad orientem illud posuit.
Caput fœderis.
Sibylliana turris.
Marsalæ fl. ostium.

OCCIDENTALIS & Septentrionalis lateris ordo.

Lilybæum promontorium & vrbs, Diodoro, Straboni, Ptolemæo, Melæ, Plinio & Solino. Et puteus Diodoro & Macrobio. Hodie Marsala vrbs, & Caput Boei, & Scopuli subaquanei, & Portus.
Stagnum, stagnonum vulgo dictũ, & quinq; in eo paruulæ insulæ, & salinæ plures.
Sancti Theodori caput, siue Buxuni.
Acithii fl. ostium Ptolemæo, nunc Birgi.
Quod Ægitharsum promontorium & Segestanum emporium huic fl. subiũxit Ptolemæus, errauit in ordine.
Salinæ complures.
Ægusa Polybio lib. 1. Ægate Liuio & Floro, Probantia & Sacra, quæ Hieronesus a Polybio lib. 1. dicitur, insulæ tres Ptolemæo & Plinio: hodie Fauognana, Leuansus & Maretimus.
Drepanum Ptolemæo & Plinio, vrbs & portus, Polybio & Vergilio.
Turris Sancti Iuliani.
Eryx mons & vrbs, Polybio, Straboni, Ptolemæo & Plinio, Mons Sancti Iuliani in Archiuo Regio, vulgo mons Drepani.
Bonagiæ statio.
Caput Cophani.
Ægitharsus promontorium: nunc Caput Sancti Viti.
Cetaria Ptolemæo: Scupellus hodie, statio & turris.
Segestanum emporium, Segestana ora Polybio lib. 1. Castrum ad mare hodie, frumenti emporium.
Crinisii fl. ostium Thucydidi & Plutarcho: hodie Sancti Bartholomæi.
Bathys fl. ostium Ptolemæo: nunc Iati.
Parthenicus ager, Antonino Pio: hodie nomen retinet.
Macella vrbs post oram Segestanam ponitur a Polybio lib. 1. defecit.
Sancti Cathaldi fl. ostium & eiusdem nominis arx.
Elyma vrbs vetusta, Thucydidi & Dionysio Alicarnasseo: hodie Palymita, in edito monte sita.
Caput Rami, & iacentis oppidi ruinæ.

Hycca-

Hyccaris oppidũ Antonino *Pio*: Hyccarum *Philisto*, Hyccara Thucydidi, Diodoro, Pausanię, & Apollodoro, iacet, vbi nũc murus Carini, & turris Garbolãgi.
Fimi insula, Guilielmo Siciliæ regi secundo in suis diplomatis: Fœminarum hodie dicta.
Motya Thucydidi lib. 6. Motyon vrbs & sinus Diodoro lib. 13. & 14. defecit, vbi nunc portus & fossa Galli, & turris Sferracaballis.
Arx recens, cui a Mundello nomen est.
Peregrinus mons, soli sibi constans.
Panormus vrbs, Thucydidi, *Polybio*, Ciceroni, *Ptolemæo*, *P.* Melæ, etiã & plerisq; aliis: & olim stagnum, & *Papyritus* fluuiolus hodie vrbem interfluens.
Orethi. fl. ostium, Vibio Sequestri, innominati *Polybio* lib. 1. Eleutherii *Ptolemęo*, Habes Saracenis & Normannis, ab Admirato hodie cognominati.
Aquæ Cursalium, id est piratarum.
Bayhariæ Sarraceni nominis. fl. ostium.
Mons Gerbinus, & turris specula.
Soloentum vrbs, Solûs Thucydidi & Diodoro & *Plinio*, iacet in monte Alfano.
Arx, portus, & frumenti emporium eiusdem nominis.
Sancti Michaelis. fl. ostium, alias *Pontis rupti*.
Olulis oppidum *Ptolemæo*, defecit.
Trabia arx, & aquæ.
Thermarum. fl. ostium.
Thermæ vrbs, & Balneæ Himerenses, Ciceroni.
Brucatum oppidum iacet, vbi arx est hodie eius nominis.
Torti. fl. ostium.
Himera vrbs, Diodoro, Ciceroni, Straboni, & Thucydidi. defecit, vbi hodie turris Bonfurnelli, & ager Sancti Nicolai.
Himerę. fl. ostium, *Ptolemæo*, *Plinio*, & cæteris: hodie. fl. magni.
Rocellæ. fl. ostium.
Auricella arx, vulgo Rocella.
Cephalœdis vrbs Ciceroni, Straboni, *Ptolemæo*, & aliis.
Carbonis. fl. ostium.
Malpertusi. fl. ostium.
Caput Rasichelbi, piratarum statio, & turris, cui *Pollina* in excelso monte oppidũ, non procul inde, prominet.
Monali. fl. ostium, *Ptolemæo*: nunc *Pollinæ*.
Thusa arx, & frumenti emporium, cui Thusa oppidum in colle imminet.
Thusæ. fl. ostium.
Alete vrbs, *Ptolemæo*: nunc ingentes tantum circum S. Mariam a palatio ruinæ.
Pittinei. fl. ostium.
Caput Mariazi, & turris specula.
Serrauallis. fl. ostium.
Serrauallis arx, & dirutum oppidulum.
Alæsa vrbs, Ciceroni, Straboni & *Ptolemæo*, nunc obruta tantum, ad littus Caroniæ monumenta.
Furiani. fl. ostium.
Aquæ dulces, Diodoro lib. 5.
Quod *Ptolemæus* hic Chydam fluuium, & Calactam vrbem ponit, non procedit, cum nullum ibi neque. fl. neq; vrbis sit vestigium.
Montes Aerii, Diodoro lib. 5.
Aluntium vrbs, Ciceroni in Verr. Alontium *Ptolemæo*, quam hic locat, Aleuntiũ *Plin.* & Dion. Alicar. Hodie vrbis miranda tantum, iuxta. S. *Philadelphum*, monumenta.
S. *Philadelphi*. fl. ostium.
Turris. S. Agathæ.
Chydæ. fl. ostium, hodie Rosmarini.

Calatina vrbs Diodor. lib. 12. Calata Ciceroni Epistolarum lib. 13. Calacta Ptolemæo: Sanctus Marcus, oppidum hodie.
Arx Petræ Romæ.
Agathyrium vrbs Ptolemæo & Plin. Agathyrnos Diodoro, Agathyrsos Straboni, Agathyrsa Stephano: defecit, vbi nunc ad Caput Orlandi diruta est ædicula. S. Martini.
Promontorium Orlandi.
Nasi. fl. ostium.
Brolus arx.
S. Angeli. fl. ostium.
Caput Calauæ, & Pilainus oppidulum ei incubans.
Turris. S. Georgii.
Iusæ. fl. ostium.
Pactæ, noui nominis vrbs.
Timethi. fl. ostium Ptolemæo, Symæthi Straboni & Plin. nunc Pactensis.
Tyndarium vrbs Ptolemæo, Tyndaris Straboni, Ciceron. Plin. & cæteris: iacet.
Heliconis. fl. ostium Ptolemæo: nunc Oliuerii, ab arce quam alluit.
Furnaris oppidulũ ad. p. m. 2. Et Tripis oppidum in edito & prærupto colle ad. p. m. 5. Et vetustæ magnæq; vrbis ruinæ.
Castri Regalis. fl. ostium, & ad eius oræ verticem eiusdem nominis oppidum.
S. Basilii. fl. ostium, & ædicula eiusdem nominis.
Chersonesus Apollonii interpreti lib. 4. nunc caput Milacii.
Mylæ oppidum Straboni, Ptolemæo, & Ouidio: hodie Milacium, & Portus.
Oliueti. fl. ostium.
Frundonis. fl. ostium.
Nucithi. fl. ostium.
Malpurtiti. fl. ostiũ, & subaquaneus eiusdem nominis scopulus nautis formidatus.
Diuetum oppidulum.
Falacrium promontoriũ, Ptolemæo, Rasiculmum hodie dictum, & turris specula.
Myrtorum statio.
Pelorus promontorium, & Turris Phari, vnde incepimus.

MEDITERRANEA IN MODVM indicis descriptio.

CAPVT IX.

Pelorus promontorium, cui eodem itinere, quo littoralia, hæc succedunt.
Messana.
Camaris.
Bordunarus, & Abbatia. S. Mariæ eiusdem nominis, ab Vla Ioannis Graffei filia, & Rogerii Beati vxore, consensu Guilelmi secundi Siciliæ Regis erecta & dotata, vt eius priuilegio constat.
Sanctus Philippus &. S. Philippi abbatia.
Cumia.
Ardaria.
Milis, & Abbatia. S. Mariæ de Mili.
Galatis.
Sanctus Stephanus.
Pozulus.
Brica.
Zampilerius.
Annunciata.
Scala.
Zaera.
Gazis.

Con-

Contiſſa.
Caliſpera.
Piſtumma.
Roccamaturis, & Abbatia eiuſdē nominis.
Scaletta.
Monaſterium S. Placiti.
Itâla, & Abbatia ſanctorum Petri & Pauli.
Caſale vetus.
Aly.
Mandanicius, & Abbatia S. Mariæ eiuſdem cognominis.
Locadius.
Iundimandrius.
Paglara.
Eniſes flumen.
Sauoca.
Limina.
Fortia, & Abbatia ſanctorum Petri & Pauli.
Muniuffus.
Calidorus.
Gaggus.
Motta camaſtri.
Caltabianum.
Maſcalis.
Caſtrumleonis.
Francauilla.
Lingua groſſa.
Rucella.
Randatium nouum.
Randatium vetus dirutum.
Abbatia S. Marię Maniacis.
Maniacium oppidū, iacet.
Ciſarum.
Abbatia S. Heliæ.
Trayna.
Abbatia S. Michaelis.
Ciramis.
Capytium, Ptolemæo & Ciceroni.
Nicoſia.
Calianum.
Argyre Ptolemæo, Diodoro & cæteris: & Abbatia S. Philippi, a quo oppidum hodie nomen habet.
Rayhalbutum Saracenici nominis oppidum.
Brontes.
Adranum, Plutarcho in Timoleonte, vulgo hodie Aderno.
Paternio.
Motta S. Anaſtaſiæ.
Ætna Straboni, defecit.
Ætna mons cum pagis.
Alicya Thucydidi lib. 7. Aleta Ptolemæo, Halicis Cicer. in Verr. lib. 5. defecit.
Centoripe, iacet.
Engium, Engyon Ptolemæo, defecit.
Ineſſa Thucydidi, defecit.
Hybla minor Thucydidi & Pauſaniæ, defecit.
Iudica noui nominis oppidum, iacet.
Apollonia, Diodoro lib. 16. defecit.

Asserum, Ptolemæo & Ciceroni, hodie vt olim.
Calasibethum Saraceni nominis oppidum.
Enna, Cicer. Diodor. Straboni, Ptolemæo: hodie corrupte Castrum anna.
Aydonus.
Citatella vrbs diruta.
Platia noua.
Platia vetus diruta.
Mactoriũ, Herod. li. 7. defecit.
Naunis, iacet.
Cacyrum Ptolemæo, defecit.
Calatanixetta.
Calatagironus.
Menæ, Cicer. Diodoro, & Ptolemæo: Mæneum hodie.
Ochula, Aquila in publicis tabulis, vbi mira antiquitatis vestigia.
Palica vrbs, Diodor. lib. 11. & Macrobio, iacet. Et lacus Naphthia hodie dictus.
Caltafarus mons, & dirutæ vrbis vestigia.
Paliconia.
Militellus.
Licodia.
Vizinis.
Leontinum, & Abbatia S. Mariæ Rocadiæ.
Curcuracium, iacet.
Melillis.
Francus fons.
Bucher, Saracenicum oppidum: Bucherium hodie.
Ferula.
Sortinum.
Erbessus, Diodoro, Ptolem. & aliis: Pantalica hodie. Plinius Herbessenses vocat.
Buxema.
Ceratanum Ciceroni, vt hodie.
Acræ Thucydidi lib. 6. iacet: Palazolus hodie.
Mendula oppidulum, iacet, vbi & templum est Diuæ Luciæ, & paulo infra pyramis, & vrbis antiquæ prostratæ ruinæ.
Abbatia S. Mariæ de arco.
Nea vrbs, Diodoro lib. 11. Neetum Ptolemæo, Syllio & Ciceroni. Notum hodie.
Auula.
Ragusa.
Motyca Ptolemæo.
Vrbs prostrata, & ea magna, inter Neam & Motycam.
Ispia, Syllio, iacet: Ispa vulgo dicta.
Spaccafurnus vulgo, sed eruditioribus Ispicæ fundus.
Siclum.
Claromons.
Biscarus, & Abbatia S. Mariæ a Terrana.
Hybla minima, Thucydidi & Pausaniæ, defecit.
Casmenæ Thucydidi lib. 6. defecit.
Buterium.
Mazarenum.
Barrafranca.
Petrapretia.
Narus.
Rayhalmutus.
Herbesus Polyb. lib. 1. Gruttæ hodie.
Motya Philisto, iacet.
Raphadalis.

Agri-

Agrigentum.
Accilla Liuio,& Polybio,defecit.
Sutera oppidum,& mons.
Mons mellis,oppidum quod Manfreda olim a Manfredo Claromontano conditore eſt appellatum, vt eius diplomate ac Regio conſtat.
Camarata oppidum, & mons.
Caſtrum nouum.
S.Stephanus.
Biuona.
Prizis.
Palatium Hadrianum.
Cluſa.
Buſachinum.
Monaſterium.S.Mariæ a Boſco.
Iuliana.
Burgium.
Villa franca.
Triocala,vrbs Ciceroni,Silio,& pleriſque aliis,Ptolemęo Triocla,defecit,nomine & ruinis ſolum hodie cognita.
Calatabellotta.
Zabuth Saracenicum oppidum,Sambuca hodie.
Adragnis,iacet.
Sinurium,iacet.
Entella Ciceroni & Silio lib.14.iacet,& nomen retinet.
Sala.
Gibillina.
Burgettum.
Partanna.
Caſtellum veteranũ.
Salemis.
Segeſta Diodoro,Straboni & cæteris, iacet, Barbara hodie dicta, & extra mœnia templum Cereris adhuc integrum.
Calameth Sarraceni nominis dirutum oppidulum,& Balneæ,& Aquæ Segeſtanæ.
Bonifacius mons,& ad verticem Alcamus Sarraceniũ vetus oppidum, ſed dirutũ.
Alcamus ad radices montis,recens oppidum.
Macella Polyb. lib.1.defecit.
Ietum Plinio,Ietas excelſus Silio lib. 14. iacet, Iatum vulgo hodie dictum.
Corilio.
Caſale Græcorum,ſancta Agatha appellatum.
Mons Regalis.
Miſilimeris.
Ciminna.
Marineus.
Bycarum.
Hippana,Polyb. li.1. defecit.
Caccabus.
Sclafanus.
Caltauulturus.
Politium,& mons Nebrodides.
Goliſanus.
Gratterium.
Pollina.
Iſnellus.
Petralia inferior.
Petra Ptolemæo & Solino.Petralia ſuperior,hodie dicta.

Gan-

Gangius.
Tissa *P*tolemęo & *P*linio: defecit.
Thusa.
Sanctus Maurus.
Castellū bonum, & Abbatia. S. Anastasię.
Geracis.
Motta fermi.
Sanctus Stephanus.
*P*ittia *P*linio. *P*ittineus hodie.
Amestrata Ciceroni & *P*limo: Misistratum *P*olyb. lib. 1. Mistretta hodie.
S. *P*hiladelphus.
S. Marcus.
Militellus.
Longi.
Crastus, Antho. lib. de viris illustribus. iacet.
Myrtus, & Abbatia. S. *P*hilippi.
Crapis.
Turturicium.
Saluator.
Galatis.
Castania.
Martinis.
Vcria.
Nasus.
Sanct. Angelus, & Abbatia eiusdē nominis.
Ficarra.
Raccodia, & Abbatia. S. Nicolai a ficu.
Samperis.
Mons Albanus.
Noara, & Abbatia. S. Mariæ.
Tripis.
Castrum Regale.
Sancta Lucia, & Abbatia. S. Philippi.
Veneticus.
Condro.
Samperis.
Monfortis.
Mauroiannus.
Rocca.
Rametta.
Saponara.
Caluarusus.
Bonusus, & Abbatia. S. Gregorii eiusdem nominis.
Salix.
Massa.
Castania.
Curcuracius.
*P*harus & *P*elorus vnde initium sumpsimus.

Hactenus indicem ordine recensuimus: nunc descriptionem, vt polliciti sumus, exactius aggrediamur. Sed vt & hęc ordine incedat, a *P*eloro iure optimo auspicandum est, quod & Italię propior, & ab ea olim diuulsus sit.

F. TH.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis, prioris Decadis

LIBER SECVNDVS.

DE PELORO PROMONTORIO

CAPVT I.

DElorvs Siciliæ promontorium, illud est quod Italiam prospicit, & in æstiuos vergit ortus, non aliter quam Cænys Italiæ promontorium, Cauda vulpis mea ætate appellatum, Peloro oppositum, in occasum. Nam fretum, coeuntibus paulatim Siciliæ & Calabriæ littoribus, ita coarctatur, vt ea promõtoria vicinam inter se inflexionẽ faciant, distentque a se inuicem parui angustique fluxus intercapedine, quam Euripon Græci vocant. Cænys enim littus, inter Cantarellum & scopulum (cui ab equi forma naturaliter ibi expressa, Caput caballi vulgo nomen est hodie) a Peloro mille & quingentis passibus distinguitur, vt Diodorus & Plinius scripserũt, & nos metimur. Angustias itaque freti, ex parte Siciliæ Pelorus in mari excurrens, & Cænys ex Calabria, conficiũt. Dictus est autem Pelorus a Peloro nauis gubernatore, ibi ab Annibale interempto atque sepulto. Cum etenim Annibal, ex Petilia Lucaniæ regionis olim Italiæ oppido, victores Romanos fugiens, Africam repeteret, & littora procul intuenti neque seiuncta neque peruia, sed absque interuallo ei viderentur, proditũ a Peloro se arbitratus, illic eum occidit cõdiditque. Verum inspecta postea freti angustia, & loci natura, erroris sui pœnitens, cum in vitam reuocare occisum nequiret, statua illi eo loco erecta, promontorio Pelori nomen indidit, quod probatæ illius fidei, suique erroris perpetuum monumentum foret: licet Seruius ante id factum, Pelori nomen huic promontorio a loci situ inditum, apud veteres se legisse scribat. Nam Pelorus Græce, prope montem Latinis, siue caput montuosum sonat, & (vt a Græcis accepi) vernacule etiam hodie peloros caput significat. Huic arx nostra hac tempestate imminet, & ad fauces tuendas, & ad prælucendi ministerium ob salutem nauigantium erecta (quam stylarion Græci, id est columnam, vocabant) vt ex ea faces incensæ, nauigantibus noctu viam eminus dirigerent, ne vel in Scyllam scopulum, vel in Charybdin mare vorticosum, loca omnino periculosa, deferrentur: vnde nimirũ illapsis nulla sit aut remeandi aut effugiendi potestas. Turri primum Phaos Græce (quod Latine lux siue lumen est) vulgo postea, vnius literæ corrupta accessione, Pharos nomẽ remansit. Plerique eam id a Pharo, turri quam in insula Ægypti portum Alexandriæ efficiente, contra Nili fluuii ostium, ad nauigantibus prælucendum, Ptolemæus Philadelphus rex extruxit, mutuasse tradunt. Enimuero cum ea Ægypti turris super quatuor vitreis cancellis a Sostrato Gnidio architecto locata, inter orbis spectacula, maximum atque pulcherrimũ operum omnium censeretur: postmodum aliæ multæ, & quidẽ illustres vrbes eius æmulatione turres littorales & ipsæ erexerunt, ex quibus nocturno nautarum cursui consulentes, lumen ad præuidenda vada, portusque fauces exhibebant. Et vt

propius

propius ad Alexandrinæ illius vſum magnificentiamque accederent, ne a nomine quidem ſibi recedendum putarunt, adeo vt & locos ipſos, quibus turres locabantur, Pharos appellauerint. Quod in hęc vſque tempora vſurpatũ apud omnes maritimos obſeruatur. Hinc & apud Ligurũ metropolim Genuam, turris eſt quã caput Phari vocant. Inde ad Liburnium Piſani portus munitiſſimam arcem, in ſcopulo, circa paſſus mille a continenti diſſito, fundata turris nocturnum Tyrrheno mari nauigantibus lumen quam remotiſſime præbens, Piſanumque eminus portũ oſtendens, Pharea appellatur. Apud Candianũ non procul a Rauenna, vbi Sapis. flu. illapſus portum efficiebat in primis celeberrimum, turrim fuiſſe Phaream, omniũ maximam, quas Romanum vbique habuit imperium, Plinius teſtatur. Hinc igitur ab initio & huic Peloritanæ ſpeculæ Pharos nomen impoſitum fuiſſe volũt. Quod ita increbuit, vt & ipſum fretum turri infeſtum Phari quoque ſibi inſolens nomen in abuſum pertraxerit: licet ex Græcis non deſint, qui Pharos aquarum concurſum ſignificare doceant. Quod ſi ita eſt, aptiſſime & pluſquam proprie Meſſanenſe hoc fretum æſtuoſum ob vndarum eius cõcurſum, Pharus appellatur. In Cæny vero promontorio oppoſito Rhegini (vt lib. 3. teſtatur Strabo) turriculã & ipſi erexerunt, quam Columellam vocauerunt: cuius hodie nulla extant veſtigia: ita iis freti faucibus munitiſſimæ arces duæ olim, hinc & inde, præſidio & miniſterio erãt appoſitæ. In hoc anguſto freto, ex parte Calabriæ, a Cæny ad Aquilonem. 4. paſſuum milibus diſtans Scylla eſt ſcopulus, & ex Sicilia Charybdis, mare vorticoſum: ſæuitia vtrunque clarum. Scylla ex Italiæ parte, quæ Pelorum reſpicit (a quo. p. m. 6. interfluxu maris diſcinditur) ſaxum eſt ſublime, oræ Calabriæ iunctum, marique prominens, quod procul intuentibus, humanam in ſuperiori parte formam oſtendit: vbi & oppidum eſt Scyllum appellatum, quod Scyllæũ veteres dixerunt. Saxum hoc appulſis & nauigantibus admodum eſt noxium. Editæ nanque & præcipites rupes Scyllæo oppido, marique proximo imminentes, plures habent ſcopulos, eoſque ſub radicibus cauernoſos: in quos dum ingreditur æſtuoſum mare, & ab eis refringitur, tumultuando efficit vt latrantes canes atq; vlulantes lupi audiri videantur. Charybdis ex parte Siciliæ, paulo ſupra Meſſanam, & a Scylla. p. m. 15. ad meridiem diſcreta, mare feruentiſſimum, profundum, immenſum ac ſæuum eſt. Cum nanque fretum hoc duobus promontoriis geminoq; littore coarctetur (vt diximus) paruo primum, mox ſenſim paulatimque, ad meridiem aperientibus ſeſe anguſtiis, latioris maris interuallo dilatatur: cumque non procul abſit a curuato littore, quod Meſſanæ portum complectitur, maris aquę in profundum ſemper, per circumductiones & vortices, declinantes, & modo in abruptum barathrum abeunte freto, modo cũ impetu, & fluctuum colliſorum fragore, ſupina facie reſiliente mari, vaſtum hiatum & immenſam voraginem conficientes occurrunt. Quę inundationes, mirum in modum per hos gyros & contrarios curſus, nauigia & obuia quęque abſorbent, vt ne naufragium quidem vllũ ibi natans appareat. Simul etenim ſubſidentibus aquis, in mare nauigia rapiuntur, & ad interna vi ſpiritus pertrahuntur. Cumque pari impulſu circum vndique agitentur, ad ima ferri neceſſe eſt. Abſorptarũ autem diſſolutarumque nauiũ fragmẽta per multa paſſuum milia, ad Tauromenitanum & vicinum vſque littus, ductu ſubaquaneo appelluntur: vbi tandem Charybdis ipſa, quę abſorbuerat, reuomit, prout vſu fere quotidiano experimur, & Saluſtius & Strabo memorię prodiderũt. Hunc locum omnino periculoſiſſimum, & naufragiis infamem, Charybdim Græci appellarunt: quod rabide cadere lib. 4. interpretatur Thucydides. A noſtris vero Calopharum (quod Latine bonum ſiue pulchrum lumen eſt) hodie etiam vocatur: ob id quod ad proximum Brachium S. Raynerii curuum littus, altera ſit ſpecula, quę cautum prętern auigaturis contrà vicinę Charybdis minas lumen pręrigit. Porro fretum ipſum, latitudinis, vbi anguſtius, p. m. & quingentorum (vt diximus) vbi vero latius, p. m. 12. ęſtuaria quotidie, alternoſque curſus, ſtatutis horis, tãta velocitate ſimul & atrocitate patitur, vt inter naturę miracula ab Ariſtotele recenſitũ ſit. Nam modo in Tyrrhenum, modo in Ionium mare, fluctibus inuicem verſis adeo furioſe fluit, vt ventos etiam ac nauigia ſuo curſu fruſtretur, & ſiſtat, vel ſecũ portet.

portet. Adeo præterea pernicioso feruet æstu, vt quasi ab imis mare subuerti videatur, & ita vastis inuoluitur vorticibus, vt nõ modo nauigantibus, sed etiam videntibus sæuum sit ac horrendum. Vndarum nanque in se concurrentium tanta est pugna, vt alias veluti terga dantes ad imum desilire, alias quasi victrices in sublime ferri videas: atque nunc hinc fremitum feruentis æstus, nunc illinc gemitũ in voraginem decidentis maris exaudias. Hinc in prouerbium Scylla & Charybdis abiere: hinc Poetis ampla fabulandi materia: hinc latratus auditi, hinc mõstra credita & simulachra, vt apud Homerum Odysseas lib. 12. & apud Vergilium Æneidos lib. 3. videre est. Quæ cum ab historiæ seueriori gravitate semota sint, non sunt hoc loco a me recensenda. At quoniam ij euentus reuera miri sunt, non extra institutum facturum me existimaui, si eorum causas plerisque, quibus per ignorãtiam fabulosa etiamnum creduntur, paucis explicauero. Astrologorum constans est sententia, Lunam humidis, quemadmodum sol calidis, dominari: quo fit vt super quacunque regione illa eleuetur, in ea maris aqua naturali causæ obsequẽs directe sursum extollatur. Hinc mediterranei maris, quouis mense semel, accessum luna crescente, decrescente vero e diuerso recessum fieri videmus. Hinc quoque bis quouis die (quem naturalem vocant) diuersitate angulorum, quos Lunæ, dum in epicyclis mouetur, radii super mare constituunt, fluxũ & refluxum habet omne mare, licet non vbique sensilem. Luna enim, cum oritur nostrumque accedit hemisphærium, cursum facit, recursum autem cum quasi a nobis recedens a meridie occasum petit. Rursum subinde fluxum gignit, cum ab occasu subter ima cœli ad noctis angulum meridiano oppositum protendit: refluxum denique, cum inde quasi dilapsa ad ortum mouetur. Ita mare bis die lunæ accessu & recessu alternum patitur cursum, non instar magnetis ferrum attrahentis (vt plerique minus æquo aduertentes scripserunt) sed ollæ igni appositæ. Nam dum ignis radii ollam directe tangunt, æstuat aqua: si oblique, quiescit. Hinc refertur bis singulis diebus cursu alterno, & mira æstuaria patitur Oceanus, quod sit latissimus, humidatumque rerum omniũ præcipuus, Luna quoque ei plurimum dominetur. cæteræ vero aquæ plus minusue, prout vel ab Oceano distant, vel loci dispositione afficiuntur. Propinquæ enim Oceano, quæ Normanniam & Scotiam interluunt, manifeste sursum efferuntur, & in diuersum effluunt. Mediterraneum quoque, ad Gades, apertissime æstuans intumescit: fluensque tandem proxima quæque verberat. Sed cũ Sardoum, Tyrrhenum & Siculum profundissima sint (vt lib. meteor. 2. testatur Aristot.) æstum refluum quidem, sed occultum habent. Adriaticum vero, cum nec nimis latum, nec adeo profundum sit, aliquatenus sensilem patitur. In hoc autem freto Messanensi, cum profunditas octuaginta vix passus excedat, angustaque sit eius latitudo, palam tamen ex horis fluit, totidemq; etiam in opposita refluit, patiturque æstus (vt diximus) visu horrendos. Proinde motus lunæ in epicyclis naturalem eis causam suppeditat: cui accedit & loci dispositio. Cum nanque ex Ionio latissimo proueniat pelago, & intra angustissimũ (vt meminimus) coarctetur euripum, nec possit latius diffundi, protudendo suo impetu, & ad subaquaneos cauernososque scopulos irrumpendo, non modo refluum æstum, sed eodem etiam tẽpore (quod miratu dignius est) in opposita cursus continuat. Quam inconsyderate autem Timæus, Liuius, ac veterum plerique alii, vel in ventos, vel in solem, vel in sydera horũ æstuum causas reiecerint, nemo est, vel primas modo Philosophiæ regulas ingressus, cui non sit perspicuum. Sed & alia in hoc freto res mira frequẽter apparet. Nam mitigato turbine, quietoque aere, circa diei exortum illucescente aurora, variæ animantium hominumque formæ in aere crebro cernũtur. Quarum aliæ penitus immotæ sunt, pleræque vel in aere discurrunt, vel inter se dimicant, quousque Sole incalescente, e conspectu eripiantur. Harum Polycletus lib. de Reb. Sicul. & Aristoteles lib. de mirab. aud. meminerunt, quarũm etiam hæc a Philosophis redditur ratio: quod cum in iis regionibus, eo prẽsertim tempore quo hęc cernuntur, ventos aut omnino non spirare, aut exiles admodũ, & aerẽ quietũ esse constet, in ipso aere denso atque obtuso diuersæ animantium effigiantur species, quibus formam aer, quem tenues & leues quandoque mouent auræ, variam

præbet (quemadmodum æstate in nubibus fieri videmus) qua tandem sol incalescens in ventos resoluit. In hoc freto præterea verno tempore, anguillæ non solũ Sicilia, sed tota etiã Italia probatissimæ capiuntur: murænæ insuper adeo obesæ, vt præ pinguedine super maris aquam fluitantes semet captantium manibus vltro offerant. Eas Messanenses allampatas hodie vernacule vocant, Latini flutas, Græci plotas. Accersebantur (inquit Macrobius) murænæ ad piscinas nostræ vrbis, ab vsque freto Siculo, quod Rhegium a Messana despicit: illic enim optimę a prodigis esse creduntur, tam hercule quam anguillæ: & vtræque ex illo loco Græce plotæ vocabantur, Latine flutæ, quod in summo supernatantes, sole torrefactæ, curuare se posse, & in aquam mergere desinunt, atque ita faciles captu fiunt. huc vsq; Macrobius. In Siculo mari (inquit Columella) murænæ longe maximæ atq; optimæ, flutæ appellatæ, quod summis in aquis fluiterent: vnde accidit vt in nimiis solis ardoribus exusta cute, sese mergere nequeant. Sed ad rem. Pelorus inter Siciliæ promontoria, solis temperie cæteris præstat: quippe qui neque hyeme imbrib. in lutum diluitur, neque æstate caloribus soluitur in puluerem. Enimuero cũ introrsum a vertice recedit, sensim in latitudinem panditur, ibique tres habet lacus, qui per subterraneos meatus, e proximo mari (vt existimo) salsas aquas recipiũt. Horum qui minor, & Peloro propior est, ac balearis tantummodo fundæ iactu ab eo refugit, piscibus abundat, atque inter virgultorum opaca & condensa ei proxima arbusta, lepores, perdices & attagines nutrit, præbetque abunde. quo fit vt duplicem hominibus voluptatem, piscandi vtpote & venandi, ex eo conferri, & Solinus scribat, & nos experiamur. Lacus proximus non peremnis est hodie, sed brumali duntaxat tempore stagnat. Tertius apud superstitiosos veteres ab ara, quæ in medio Diis eorum stabat, sacer erat. Solino. Aquæ quibus ad aram pergebatur, vix crura hominis abluebant: cæterę mali imminentis periculo ne explorabiles quidem. Nam pars corporis, quæ eas tangebat, repente arefacta deperibat: idque in quodam ita vsu compertum est, vt cum in eas longissimam iecisset lineam, qua ima indagaret, toto brachio, quo eã studebat sustinere, temere aquis immerso, confestim elanguerit. Quod si euẽtus stupendi causam requiris, dæmonum opus proculdubio censendum est. Is lacus hodie etiamnum tetro suo odore vicinos abigit. In eodem promõtorio Orion OEnopionis Sicilię regis filius structa olim mœnia vallo fossaque muniuit: vbi & templum Neptuno consecrauit: Diodoro lib. 5. Quod littora scopulique hi a Sirenibus, quæ vocum cantusq; suauitate prætereuntes nautas in saxa illiciebant, aliquando habitata sint, quodq; Hercules a Rheginorum Locrensiumque finibus cornu bouis innixus nando Pelorũ appulerit (vt lib. 5. Diodor. memorat) fabulosa sunt. Post Pelorum, Messanã versus, Phæthicini. fl. ostium occurrit Vibio Sequestri. Ibi Dianæ delubrũ olim erat, cuius hodie ne lapis quidẽ extat: sed paulo infra ædicula est, Mariæ virgini, cognomento a Grutta, sacra. Tota hæc ora maritima, a Peloro Messanam vsque euripo vicina, terræmotibus (quod subterraneis ventorum agitationibus obnoxia sit) frequenter percutitur.

DE ZANCLA ET MESSANA VRBIBVS.

CAPVT II.

APELORO meridiem versus, siue terrestri siue maritimo itinere proficiscenti, ad p. m. 12. curuum littus instar falcis occurrit, Brachiũ S. Rainerii, & Lingua Phari vulgo hodie appellatũ. Ad huius Isthmũ, Siculi vrbem condiderunt, & a torta loci natura (quam Zancliam eo tempore appellabant) Zanclam dixerunt. Thucyd. li. 6. Syllius & plęriq; alii, a falce quam Saturnum ibi deposuisse autumant, fortuitum nomen accepisse contendunt. Sed Macrobius id omne fabulosum docens, commenti tamen ingenium non improbat: quod, cum terra Sicula frumenti sit feracissima, non absurde Saturni falx ibi decidisse conficta sit. Hecatæus autem in sua Europa, & Stephanus Byzantius lib. de vrbibus, Zanclam a Zanclo gigante terrigena ibi suppo-

sito

sito denominatam scribit. Diodorus autem lib. 5. veteres sectatus, eam ab Orione immanis magnitudinis gigante, ac summæ industriæ architecto, regnante in Sicilia Zanclo conditam, atque ab eo cognominatã scribit: a quo postea portus, iacta mole structoque aggere (quem Acten, hoc est littus, appellauit) in curuo ipso ac falcato littore absolutus est: cuius operis (ni fallimur) inter ædem S. Saluatoris, & turrim quæ nauigantibus lumen præbet, ex crassis lateribus, quadratisque & iis ingentibus lapidibus, vestigia adhuc cernũtur. Ea vero cum Charybdi, ne littora immanitate sua corroderet, ab Orione iacta essent, perfecto opere ipse in Eubœã insulam profectus ibi decessit, atque ab incolis superstitiosa religione imbutis inter astra relatus est: vt ex Hesiodo & Homero Diodorus refert. Fuit autem condita Zancla ANNO MVNDI 3435. vt supputat Eusebius. At (vt Thucydidem sequamur) paulo post eius initia, cum piratæ quidam, ex Cumis insulæ Eubœæ vrbe, in Siciliam, prædatoriis nauibus maria infestantes traiecissent, visa Zanclæ opportunitate, portusque eius commoditate, quo se tuto recipere, & vnde præteruectos quam facillime adoriri possent, vrbem, pulsis ex ea Siculis, occupauerunt, ac paruis, circa portus angustias, munimentis constructis, eam sibi sedem delegerunt. Zanclen (lib. 4. inquit Pausanias) ab initio prædones tenuerunt. Castellũ enim deserto loco, circa portum, & excursionum maritimarum receptum, quo ex alto appellerent, munierunt. Sed cum non satis in ea præsidii haberent Cumani, ex Cumis eorum patria, & Chalcide Eubœæ metropoli, incolas accersiuerunt. Igitur Perieres Cumanus & Cratæmenes Chalcidensis ad id delectæ magnam suæ gentis vterque coloniam ducentes, eo traiecerunt. Quorum incolatu, accedentibus quoque non paucis eo loci accolis, breui, mœnibus & propugnaculis circum excitatis, in legitimę vrbis formã coaluit. Thucyd. & Pausan. Posthęc Zanclęi in magnã spem gerendarum rerum erecti, vt cognatorum auspiciis, eorum potentia incrementa susciperet, Chalcidenses ex Eubœa nonnullos in Siciliam struendæ alterius cuiusquam coloniæ gratia, pellexerunt, vt ex Antiocho Strabo refert. Antimnesto itaque duce Chalcidenses cum compluribus Messeniis, a gentilibus inuitati, Zanclam traiecerunt, ac subinde Zanclæorum auxilio Rhegium Brutiorum oppidum, a Siculis antiquitus habitatum, adoriuntur, oppugnant, ac demum capiũt, eiectisque inde ciuibus incolunt, statuũtque vt Rheginorum deinceps principes, e Messeniorum Peloponnesiacorum stirpe, vnde ipsi venerant, eligerentur. Proinde Zanclæorum res, sicuti fortuna ac populo, ita & imperio per ea tempora non mediocriter adauctæ sunt. Nam primum Mylas, mox Himeram in ora quam mare Tyrrhenũ alluit, vrbes condiderunt. Thucyd. & Straboni. Quo tempore Euagoras Zanclæus Herculis signum a Crotoniate Aristocle factum, in Altis (quæ Olympiæ vrbs erat) muro inclusum, prope Achæorum donum posuit, inter maxima priscorum opera numerandum. Scribit idem Pausanias sub idem tempus Zanclęorũ pueros triginta quinque, chori magistrum, tibicinesq; ad festos ludorum dies (quos Rhegini eorum cognati solenni ritu de more agebant) missos, in Charybdi fracta naue absorptos, ad vnum omnes periisse. Quorum infelices interitus maximo suorum, ac publico etiam luctu excepti, & plærique illis honores exhibiti sunt. Denique statuæ magna arte a Calone ex ære elaboratæ (quas paulo post Hippias, ex Græciæ sapientibus vnus, elogiis decorauit) vnicuique eorum Altis quoque positæ fuerunt, cum inscriptione, donum id fuisse Zanclæorum. Olympiade deinde septuagesima prima Zanclęi sub OEnycino Scythe eorum monarcha, qui a Dario omnium æquissimus existimatus est (vt Ælianus lib. 8. testatur) ab Ionibus (quos per legatos, ad nouę in pulchro littore vrbis cõdendę consilium, euocauerant) Samiisque Phœnicum Medorumque bello fractis (quos vicinorum accrescentium inuidia Anaxilas Rheginorum tyrannus ad proditionem extimulauerat) dum externo bello occuparentur, violati excluſique, ab Hippocratis etiam perfida societate proditi, & Regem & vrbem, magnamque suę gentis multitudinẽ amisere. De quibus & lib. 5. Politicorum Aristot. Zanclęi (inquit) cum Samios recepissent, mox sunt ab eis propria ciuitate eiecti. Sed nihilo fideliorẽ in se Anaxilę amicitiam, anno fere post occupationem decimo fœdifragi Samii sunt experti.

Ille nanque nescio quo aut simulato odio, aut successu hospitũ irritatus, per Gorgum & Manticlum Messenios Peloponnesiacos populares (quos ad id negocium e Græcia accersiuerat) nouitiis fere adhuc colonis vi edomitis, & vrbem, & libertatem, & vitam etiã plurimis sine vlla religionis verecundia fœde eripuit. Eoq; facto, Zanclam funditus deleri, vt ne nominis quidẽ vestigium supereſſet, mira celeritate curauit, atque mille ab ea passus distantem nouam vrbem condidit, quam a sua sociorumque patria Messenam appellauit, Thucyd. lib. 6. Strabon. & Pausan. lib. 4. Hæc autem gesta sunt (eodem Pausania colligente) vndetricesima Olympiade, qua iterũ vicit Chionis Lacon, principatu apud Athenienses fungente Miltiade. Condita noua vrbe Manticlus, alter ex Messeniæ coloniæ ducibus, Herculis templum magnifice sua ipsius expensa construxit, in quo erectus Hercules visebatur, Hercules Manticlus ab authore cognominatus, vt Pausanias scribit: cuius ætate id ibi intra muros adhuc fanum stabat. sed hodie super eius ruinis, nõ longe a præsulis ædibus, templum Diuo Michaeli dicatum colitur. Anaxilas vero Rhegii gubernaculis Micytho, Chœri filio spectatissimæ fidei seruo, cõmissis ad nouam vrbem ampliandam totum se contulit, Herodot. lib. 7. Quæ quidẽ portus commoditate, Italiæ vicinia, Messeniorum incolatu, & Anaxilæ solicitudine, breui in pulcherrimæ vrbis formam euasit. Cumque eo tempore, singulæ Siciliæ vrbes in tyrannorum imperium concessissent (vt lib. 4. Trogus. P. & Dion. Alicarnass. tradunt) solus Anaxilas summa iustitia ac prudentia Messanã moderabatur, & cum cæteris tyrannis heroica virtute certabat. Qua fama effectum est, vt vndique ex proxima Italiæ regione, reliquaque Sicilia ad nouam vrbem incolendã frequẽtissime confluereretur. Anaxila autem post acceptam insignem a Therone Agrigentinorum tum tyranno victore, belli cladem, impetratasq; iniquas pacis cõditiones, domi mortuo, Micythus qui in vniuersam administrationem tutelarem, pupillorum nomine, ex testamento successerat, prudentissimo fidissimoq; imperio effecit, vt neminem deinceps seruilis magis quam tyrannici nominis puderet. Hoc vero a pupillis, per Hieronis Syracusani tum Regis suggestionem, etiam abrogato, licentius viuentes adolescentes principes adeo in se populi odium concitarunt, vt exactis tandem per vim dominis, in libertatem popularemque Reipub. statum se Messana vendicauerit. In eo porro tantisper stetit, dum Hippo, noua arrepta occasione, recentem ei tyrannidem ipse induxit: quo crudeliter ac diu dominante, a Timoleonte quoque tandem expulso, democratiæ Messanenses restituti sunt. Cæterum anno post a Zancla deleta, & Messana condita. 140. Olympiade. 114. & ab Vrbe condita. 480. anno (vt supputat Eusebius) Mamertini barbarũ genus hominum (vt in Pyrrho Plutarchus, & in primo Polybius scribunt) siue a Marte, lingua Oscorũ (qui Campani sunt) Mamerte dicto, sive a Mamertio nobili Locrorum olim oppido, ita appellati, siue a Samo oppido, Apollinis oraculo expulsi, & in Siciliam profugi, ac per amicitiam intra Messanam recepti, temerato hospitii iure, cæsisque ciuibus, vrbem sibi occupauerunt: vti latius tum de his, tum de superioribus rerum successibus in historiis, suo loco commemorabimus. In ea vero intantum (Strabone referente) primo ingressu inualuerunt, vt ciuitas Mamertina, & ciues non Messenii (vt prius) sed Mamertini, & eorum quoque vinum Mamertinum quam primum nuncuparentur. Ex hac Messanæ vrbis occupatione, primum statim bellum Punicum inter Romanos & Carthaginenses exortum est. De quo Romani consecuta ad extremum victoria, vrbem hanc Messanam, quæ constantissime eorum partibus adhæserat, perpetua sibi confœderatione sociarũt, vt decreto, cuius in archiuo suo ipsi soli Messanenses (penes quos sit eius rei fides) monumentum demonstrant, in hæc verba abunde ostenditur. S. P. Q. R. Appio Claudio & Q. Fabio Coss. altero Messanam Siciliæ ciuitatem classe præfecto referante percepit: Hieronem Syracusarum Regem, Pœnorumque copias Hieroni coniunctas, tam celeriter superauit, vt Appium Claudium Consulem ad hanc rem gerendam potius ciuitas suæ virtutis admiratorem, quam belli susciperet adiutorẽ. Nam rex Pœnique vrbis non tam multitudine, quam animosa nobilitate propulsi, victos prius quam sese didicere congressos. Qui ante Consulis aduentum vltra

Leonti-

Leontinum profugi, pacem expoſcentes, Romanorum gloria, Meſſanenſium virtute, propriaque mulcta, centum talenta ærario ſoluenda ſupplices impetrarunt. Ob quod ſtatuit, vrbem ipſam titulis nobilitatis extolli, aliiſque prouinciæ ciuitatibus Sacerdotes, eiuſque ciues, Romanorum honore, Siciliæ caput illic fungi poteſtate Romana. Lapides eius a Leontino vſque ad Fœdas extendi (Nam id ſpaciũ, cæteris deficientibus, Romanæ ditioni ſeruauit) chirographum hoc Faſtis Romanis adiunctum, laudem ciuitatis oſtentans adſcribi, Romanamque gratitudinem reſpondere. Approbatum eſt præſens decretum Patrum a Cn. Calatino trib. pl. poſt vrbem conditam anno quadringenteſimo octuageſimo tertio, Remp. primo bello Punico turbante. Anno deinde ab vrbe condita. 720. cum bellum ſeruile in Sicilia conflatum eſſet, quod crudelius Siciliam quam bella Punica attriuit, ſola ciuitas Meſſana (vt author eſt Liuius) ſeruos coercuit. Quo facto per. S. P. Q. R. a vectigalibus ſoluendis libertatem adepta eſt, vti patrum huiuſcemodi decreto, quod in eodem archiuo Meſſanenſes oſtendunt, merito ſancitum eſt. S. P. Q. R. Seruio Fuluio Flaco, & P. Calphurnio Piſone Coſſ. vrbem Meſſanã a Prouinciæ coloniæ tributis, cuiuſlibet vectigalis fixi mobilisq; pondere per omnia ſecula liberauit. Quia dum Siciliæ graue formidabileque ſeruile bellum multitudine conſpirantiũ inſtructa, copiarum potentięque magnitudine ſubiugaſſet, quod prius Romanos diſperſerat, conſuleſque terruerat, ſeruos Meſſanæ ſagaciter habitos, pace mature frenatos, didicit. Quin vno. P. Calphurnio Conſule deſignando, luem Siculis, Pop. Rom. ſtimulos, & a ſe obfuturum compar abſtulit nocumẽtũ, atque ſe iugi ſeruitute eripuit, vt precioſa libertate gauderet. Ex hoc enim præſens chirographum Faſtis Romanis adiunctum, laudem ciuitatis extentam decreuit adſcribi, vt gratiam meritis Romana circumſcriptio coæquaret. Approbatum eſt hoc patrum decretum ab Octauio Trib. plc. poſt vrbem conditam anno 720. Rempub. bello ſeruili turbante. Decretorum iſtorum clariſſima monumenta, cum vetuſtate propemodum eſſent corroſa, Guilelmus huius nominis ſecundus Siciliæ Rex, Panormi in vrbe regia reſidens, ne Meſſanenſium rerum pulcherrime geſtarum memoria deperiret, a Gualterio Panormitano Archiepiſcopo, Raynaldo Syracuſio, & Ioanne Caietano Præſulibus, tranſcribi ad verbum mandauit, prout eius diplomate dato Panormi anno. 1182. 4. die Maii, Regni eius anno. 17. Meſſanenſes probant. At cum poſtmodum hęc vrbs contra Senatum populumque Romanum rebellaſſet, Valerius Coruinus contra eam miſſus, claſſe inſtructa obſeſſam paruo negocio ſubegit. In cuius victoriæ gloriã, vrbis captæ in ſe nomẽ tranſtulit, Valeriumque Meſſanam ſe appellauit: vnde poſtea vnius litteræ antitheſi Meſſala vulgo eſt cognominatus, vt teſtatur Macrobius. Recuperauit tamẽ a ſenatu populoque Romano iuris dicendi (vt Plutarchus in Pompeio recenſet) maximam ex antiquo inſtituto poteſtatem. Nam cum Perpenna, qui Marianas fouebat partes, Siciliam inuaſiſſet, eiuſque motibus comprimendis, maximo apparatu Gn. Pompeius a S. P. Q. R. legatus, rumore famaque aduentus ſui pauidũ hoſtem relicta Sicilia in fugam egiſſet, ciuitateſque tam afflictas, quam quę a ſenatu deſciuerant, clementiſſime in gratiam recepiſſet, in Meſſanam ſolam, eo quod omnium pertinaciſſime aduerſas partes defendiſſet, animaduertere decreuerat, animaduertiſſetque proculdubio, niſi allegata iuris dicendi, ex antiquis inſtitutis, a Senatu Populoque Romano ſibi conceſſa poteſtate, iuſtitiæ conſcientia ab incepto vindicem auertiſſent. Cui cum armati etiam illud opponerent, ac velle ſe audiri deſperatius poſtulaſſent, hoc tantum reſpondiſſe fertur Pompeius: Non definitis inſtituta recitare gladiis ſuccincti? Scribit Cicero in Verrem, ab eodem Pompeio, Meſſana ad Pelorum vſque fabricatam eſſe viam, quæ Pompeia ab authore appellata ſit. Sed & alia hinc Lilybæum vſque in Strabone via a Valerio Valeria nuncupata recenſetur. Sacrarium quoq; fuiſſe in domo Heii primarii ciuis Meſſanæ a Cicerone in Verrem celeberrimũ refertur. In hoc quatuor ſigna pulcherrima viſebantur, vnum Cupidinis marmoreum, Praxitelis opus: proximum Herculis æneum, egregie perpolitum a Myrone. Ante hęc tabulæ erant, quę totius ſacrarii religionem, ſtatuarumque numerum ac nomina, cum ſuis authori-

bus significabant. Reliqua vero duo signa non quidem maxima, sed eximiæ erã & artis & venustatis, quæ virginali habitu ac vestitu, manibus sublatis, sacra quædam more virginum Athenienſium, in capitibus repoſita ſuſtinebant, & Canephorę vocabantur, Polycleti opera, quæ ſane omnibus quotidie ad viſendum patebant. Enimuero non huic modo ædificio, ſed & toti ciuitati, ſicut & ipſa Heii domus magnificentiſſima, præcipuo erant ornamento. Heii autem domus ea eſt (vt ipſi Meſſanenſes prædicant) quæ vetuſtate cõfecta a fronte Præſulis ædes ſpectat, cuius ipſum ſacrarium, de quo loquimur. D. Michaeli hodie dicatum cõſpicitur. Numiſma vetus in argento affabre excuſum habeo, in cuius altera parte quadrigæ, cum triumphali iugo, ac marginali inſcriptione, MESSENION, Græcis expreſſa literis, ſpectantur: altera vero leporem exhibet. Id ab Anaxila factum non temere coniicio, quod & Meſſanam condiderit, & in Olympiis vicerit, & leporem ex Italia in Siciliam primus importauerit, vt ex Ariſtotele & Polluce retulimus. Hodie præterea duæ effigies lapideæ antiquitate mirum in modum corroſæ, quibus Scipionis & Annibalis imagines viuas contineri cenſent, Meſſanæ ad templũ maximum oſtenduntur. Hoc quoque inſigni virtutis merito anno ſalut. 407. & ab vrbe condita. 1149. ciuitas Meſſana tum pridem nobilis, inclaruit. Theodoſius Imperator Arcadium & Honorium filios, quos ætate iam ingraueſcente, ex Flacilla ſuſceperat, antequam e viuis migraret, quo Imperium eis ſe mortuo firmum eſſet, in ſceptri ſocietatem adſciuerat, morienſque Arcadio quidẽ Orientale, Honorio vero occidentale Imperium reliquerat: ipſiſq; , quod per ætatem tanto oneri neutiquam ſuffecturos præuideret, tres tutores teſtamento dedit: Arcadio Ruffinum, Honorio Stilconem Vandalum, Africam vero a Gildone tutelę nomine adminiſtrari fecit. At cum Ruffinus poſtmodum improba regnandi libidine accẽſus (vt per metum ſibi ad pupilli imperium viam faceret) Alaricum Gothorum Regẽ ad arma contra puerum ſollicitaſſet, Arcadius a Gothis & Bulgaris, qui ſupra Danubium ſunt, in Theſſalonica terra marique duriſſime obſidebatur. Huic cũ alicunde, extreme periclitanti, nulla auxilia conuenirent, ſola Meſſana, re cognita, tã fraudis odio, quam adoleſcentis principis miſericordia excita, plurium roſtratarum nauium claſſem ex Siciliæ oppidis collectam in ſubſidium miſit. Quę ex inopinato terga hoſtium premens maritimam primum obſidionem, mox & terreſtrẽ fudit fugauitque, Arcadiumque ſolutum cum triumpho ac faſcibus Imperialibus Byzantium perduxit: vbi ille expugnato Megapalatio (quo ſe conſpiratores receperant) Ruffinum ipſum, Conſtantium, Caianum, cæteroſque ſceleris authores captos Conſtantinopolim pertraxit, dignaſque ante ſe pœnas dare coegit. Quo facto in huius tã egregii ac memorabilis meriti prẽmium; Meſſana ab eo pro inſignibus crucem auream in rubro campo accepit, aliiſque muneribus, beneficiis ac priuilegiis (quæ in hunc vſque diem integerrimis Arcadii roborata diplomatis ſeruat, oſtenditque) liberaliter ac merito donata eſt. quæ ego quidem tum cum hæc ipſa ederem, ſæpius rogando mihi vt liceret ad vrbis Meſſanę gloriam his meis ſcriptis inſerere, idque etiam Meſſanẽſes promiſiſſent, neſcio hercle quam ob cauſam nihil omnino perfecerim. Neque enimuero minus ei gloriæ ex Sarracenorum expulſione prouenit, cuius initium huic potiſſimum vrbi Sicilia, tot annis fœdo gentilium imperio vexata, & fert & feret acceptum ſemper. Cuius inſigne teſtimonium præſtitit in diplomate ſuo Rogerius ipſe Siciliæ Rex, dato Panormi ipſo ſuæ coronationis die. 15. Maii, anno ſalut. 1129. in hæc verba: Nouimus itaque narratione ſcripturaque vetuſta pariter & moderna, quot labores & damna ſuſtinuerunt nobilis & laudanda ciuitas Meſſana, eiuſque ciues, vt Chriſtianum dominium, expulſis Agarenis, in Sicilia præfulgeret. Nam magnificum quondam patrem noſtrum ad illam capeſſendam introduxerunt, ipſum ope atque opere promouerunt cum maxima ſubſtantiæ ac ſanguinis effuſione, donec in ipſius magnifici patris noſtri dominio ſecluſis infidelibus fuit tranquilla ſerenitas pacata, &c. Hanc vrbem antiquitus opulentia ac ornatu, Romanis etiam imperantibus, ſitu, mœnibus & portu claruiſſe, ex Polybii & Ciceronis authoritate certum eſt. Mea vero ætate (præter illa) non parua quoque ab ingentibus propugnaculis, populi frequentia,

frequentia, vrbis ad meridiem ampliatione, colliumque, qui vrbi ad cladis periculum imminebant, deiectione, commendatio sibi accreuit. Proinde sita est Messana pro maiori parte in planitie, ad littus maris, ortum prospectans, longior quã latior. Habet in conspectu (freto vorticoso, paruoque euripo interfluente) extremos Italiæ montes: ad quorum radices oramque maritimam, Rhegium & Flumara de muro Calabriæ visuntur oppida. Habet citra ipsius maris angustias curuum telluris tractum falcis (vt diximus) instar, longum ac tenuem, longitudinis vtpote passuum circiter octingentorum, latitudinis vero ferme centum, ac maris interfluxu (qui portus est) ab vrbe mille & paulo plura p. m. distantem, & ab eius dextera propagatum Brachiũ. S. Rainerii hodie, sed ætate superiori, & a. D. Hyacintho & a Lingua Phari ac Messanæ appellatum. Ea tellus cum instar iactæ naturæ molis propendeat, quousque in sinuosum arcum curuata protenditur, quietum, tutũ, spatiosum, ac profundum etiam ad littus ipsum efficit portum. Nam & onerariæ, inusitatę etiam magnitudinis naues, tuto littori ita adhærent, vt nautæ altero pede littus, altero nauim prope attingant. Ingressus tamen ad eum difficilis & periculosus est, nec nisi perito duce præuio temere obtinendus. Freti nãque vertigines, tum cursus ac recursus, Charybdis præterea ipsa, quæ ad conuexum curui littoris sita est, ita aduersantur, vt secundo etiam vento flante, nauigia portum ingredi sæpenumero impediantur. Ad verticem huius telluris curuæ templum est, & Cœnobium ordinis. D. Basilii illi coniunctum, Seruatori omnium dicatum a Rogerio Normano Siciliæ olim Comite Messana capta erectum, vt eius diplomate dato Messanæ anno mundi. 6600. sal. vero. 1090. constat. Quod subinde Rogerius Rex, eius filius, nobiliori ac ampliori structura formaque a fundamentis instaurauit, pluribusque opibus, prædiis, ac templis & abbatiis ditauit, Archimandritatusq; titulo Græcorum more insigniuit, vt eius diplomate dato anno mundi. 6641. & altero dato Messanæ mense Februa. anno mundi. 6642. liquet. At ætate mea a Carolo Quinto Cæsare, ad vrbis & Regni tuitionem, arx ibi munitissima, & ingentibus propugnaculis circumsepta, monachis intra vrbis mœnia ad templũ. D. Mariæ a misericordia remissis, insigni opere condita est. Ab ipso vertice ad huius vsque Brachii conuexum (vbi turris ad nocturnum nauigantibus lumen exhibendum anno salut. 1556. ex quadratis lapidibus, affabre restaurata est) passim ad littora, moles ex ingentibus lapidibus & crassis lateribus compacta, vetustissima quidõ hucusque visitur, quam Orionis opus esse (cuius lib. 5. meminit Diodorus) verisimile est. In hoc curuo littore, sal ex aquis marinis sole deficcatis, in scrobibus gignitur, odorem violaceum habens. Ad isthmum eiusdem curui littoris, arenæ & glareæ (quæ natura diuisæ sunt) freti vnctuoso humore conglutinante, paulatim sibi cohærent, ac lapidescunt. A Septentrione Messana ad p. m. 12. Pelorum habet promontorium, & euripi fauces: ab occasu vero continuis collibus & montiũ iugis clauditur, & Mamertinis vinetis nobilitatur. Tritico caret, frumentique rarissimam habet messem, eo quod mõtibus & pelago cingitur. Verum quia nemoribus & mororum foliis, quibus enutriti vermiculi sericum faciunt, satis abundat, tota eius & circumiacentis regionis seges lanæ sericæ est. Hæc vrbs transeuntib. ex Italia in Siciliã nauigiis prima post traiectum occurrit. Quocirca cũ ad Siciliã inuadendam aptissima sit, Carolus Quintus Cæsar Siciliæ Rex, cum anno salutis 1535. mense Nouemb. post expugnatum Tunetum, eam inuiseret, restitutis aggeribus, mœnibus propugnaculisque, ac nouis compluribus, ad iustam altitudinem, firmissime circunquaque excitatis, munitissimam reddidit. Messanenses quoq; ipsi, qui ante, aquarum vsu, quas ex puteis aut fontibus exiguis hauriebant, sustentabantur, ætate hac mea, aquam a Cammari pago, qui duobus ferme p. m. ad meridiem ab vrbe distat, perfossis duobus montibus, per subterraneos, & eos amplissimos cuniculos, in vrbem affluẽtissime adducunt. Sed & marmoream pilam, qua ipsa aqua in vrbem emittitur, egregio sane spectaculo imaginũ Orionis & quatuor fluuiorum, qui humanam formam exprimũt, Nili Sphingi cubito innixi, Tyberis lupam cum infantibus sustentantis, Iberi, & ipsius Cammaris cum suis insignibus nobilitatã, affabre quidem, Ioannis Angeli Florentini opus, in area ędis maximæ,

anno salut.1554.posuerunt. Fontem quoque alium Zanclo regi portentosæ staturæ,Scyllæ & Charybdis complexibus ad crura implicito, marmoreis etiã simulacris,in foro maritimo,anno salutis.1556.excitarunt. Ædes quoque Messana cõplures habet,tum sacras,tum profanas,easque magnificas. Sed inter sacras,ea quę a Messanensibus cõdita Diuæ Mariæ colitur,pulcherrima est, & quo ad interiorẽ cultum cuicũque Italicæ non temere cõparanda. Est & alia ibi ædis Diuo Nicolao sacra, intra Archiepiscopi ædes a Rogerio Normanno Siciliæ Comite extructa,ac Episcopatu a Troyna eo translato ab eodem insignita: vt eius diplomate dato. 1080. mense Iulio , constat. Cuius hæc sunt verba: Cum ego Rogerius comes Calabriæ & Siciliæ,essem in ciuitate Messana,venit ad me Robertus Messanensiũ Episcopus,obsecrans & petens a me,vt darem illi terras ad operandum circa ciuitatem Troynæ,quarum auxilio tam ipse quam clerici sui seruientes ecclesiæ,sustẽtari possent. Ego vero, quoniam semper in animo meo proposueram ecclesiam Messanæ magnis possessionibus ampliare,multisque donis ac oblationibus ditare, eo quod eum post acquisitionem Siciliæ, translata sede Episcopatus a Troyna in Messanam,primum Episcopum erexeram,prædicti Episcopi Roberti precib. aures inclinaui. Et quæ sequuntur. Hinc nonnulli Messanenses Episcopi, non suo solum titulo vtebantur, sed Troynenses quoque sese Antistites nominabant, quemadmodũ in plerisque diplomatis legimus: quos sub Rogerio deinde Rege in erectione Cephalœdensis Episcopatus,& Archimandritatus Diui Saluatoris priuilegiis, Archiepiscopos fuisse constat. Numismata in æs, argentum atque aurũ nullibi hodie in Sicilia,nisi Messanæ,regio concessu cuduntur. Tulit & Messana cõplures viros in omni genere scientiarum illustres.

Dicæarchus auditor Aristotelis,celeberrimus Peripateticus, Geometra,& orator eloquentissimus,Messanæ natus est,vt testatur Laertius. Hic leges & decreta Messanensibus edidit. Lacedæmoniis quoque Politiam scripsit: quam singulis annis,statuto perpetuo,repetendam,sub mulcta, illis edixit. In Philosophia quoqs composuit volumina. Græciæ mores,& Peloponnesi situm tribus voluminib. expressit. Huius clarissimi Philosophi in libris Dipnosophistarum pluries meminit Athenæus. Aristocles etiam Peripateticus, qui in naturali Philosophia decem, & in morali totidem volumina scripsit,ac vter,Homerusne an Plato,doctrina præstaret,doctissime disseruit, Messanensis fuit. Suidæ & Laertio. Lycus quoque qui plures de Libya & Sicilia libros edidit (teste Laertio) Messanæ ortus est. Lupus Poeta ille insignis, cuius in libris de Ponto meminit Ouidius, qui de Perseo & raptu Helenę carminibus historiam contexuit,Messanæ ortus sui principium debet.

Ibycus Historicus,& lyricus Poeta,vnus ex vniuersæ Græciæ lyricis, Messanæ (teste Laertio) natus est. Hic plura lingua Dorica edidit volumina, & sambucam instrumentum musicum,quod duabus in longum extensis chordis profundum & & tremebundum reddit sonum, primus inuenit. Huius poema maxime lasciuũ fuisse Tuscul. lib. 4. testatur Cicero. Hic (authore Plutarcho in libro de facili loquacitate,& Ausonio lib. de monosyllabis) cum in latrones incidisset, iamiam iugulũ sicis præbiturus, grues forte superuolantes conspicatus, Saltem vos (inquit) meę mortis testes & vltrices estote. Quo interfecto, aliquanto post tempore,cum iidem latrones in theatro sederent spectaculo intenti, grues forte rursum in aere præteruolantes conspexere,ac per iocum inter se in aurem susurrarunt, En grues Ibyci. Quæ verba cum plærique ex assidentibus audissent (quia iam pridem vulgata Ibyci morte,interfector ignorabatur) scelus suspicati, vrbis præfecto auricularem illorum sermonem mox aperuerũt. A quo & illi vocati, interrogatiq; quidnam ea sibi voluisset oratio,cum hęsitanter atque cunctãter respondissent, tormẽtis coacti,crimen sunt confessi. Ita latrones gruũ indicio pœnas Ibyco pependerũt, perieruntque. Fuit & Euhemerus antiquus Historicus Messanensis. De quo Firmius Lactantius de falsa relig. cap. 11. lib. 1. Res gestas (inquit) Iouis, & cęterorũ qui Dii putantur,Euhemerus Messanensis,qui in Sicilia natus est, collegit, historiamque contexuit,ex titulis & inscriptionibus sacris , quę in antiquissimis templis habebantur,maximeque in fano Triphylii Iouis, vbi auream columnam positã esse

ab

ab ipso Ioue titulus indicabat. In qua columna gesta sua perscripsit, vt monumenta essent posteris rerum suarum. Hanc historiam Euhemeri interpretatus est Ennius, & secutus.

FVIT præterea Messanæ patrum nostrorum memoria Cola Piscis, sed Catanæ ortus, vir cunctis seculis admirandus, qui omnem fere vitam relicta humana societate, solitariam in freto Messanensi, inter pisces peregit, adeo vt, quod diu extra maris aquas esse non pateretur, Piscis cognomentum adeptus sit. Is plura hominibus naturæ abdita atque ignota, de ipso illo freto aperuit: cum veluti marinũ animal, maxima eius profunda spaciaque immensa, etiam fœda tempestate reluctantibus aquis, natatu peragraret: quæ a me licet diligenter perquisita Messanensium nullus vnquam perdocuit. Cum itaque hunc multos annos tanquam prodigium quoddam Messanenses mirarentur, prȩcipuo quodam solennique festo die in fretum, spectante populo, patera aurea a Frederico Siciliæ tum rege, eo præsente in mare deiicitur, quam Colæ inquirendam commendat. Ille cum tertio (postquam semel atque iterum eam e profundissimo vado eruisset) a Rege proiectam in mare mersus per imam fundi aream indagat, diu a rege cæteraque multitudine expectatus ad viuos nunquam emersit. Suspicatum est, in concauas freti cauernas prolapsum, atque inundantibus vndique aquis oppressum interisse. Ita nimirũ ducta per manus fama Messanenses prædicant, & plures primi nominis authores de illo scribunt. At si quis quærat, quanam vi naturæ Cola tandiu sub aquis, absq; respiratione contineri potuerit, censendum est, fungosos maxime concauosque ei fuisse pulmones. Animantia nanque illa quæ huiuscemodi sunt pulmonis, frequẽtiori anhelitus remissione non egent, quod semel attractus aer diu conseruetur, diutiusque ob id sub aquis esse possint, vt author est in libro de Respirat. Aristoteles. Ioannes Gattus quoque ordinis Prædicatorum, anno salutis. 1440. Messanæ oritur. Fuit is Dialecticus, Philosophus & Theologus nemini impar, mathematicus etiam non obscurus. Docuit ære publico Florentiæ, Bononiæ, & diutius Ferrariæ. Is literarum Græcarum auiditate in Græciam profectus, cum breuissimo tẽporis spacio eam percalluisset, Romam reuersus est: vbi Bessarionis Cardinalis Niceni auspicio primum Alyensis Abbas, mox Cephalœdensis Episcopus, ac demũ Catanensis Præsul sufficitur. Tanta fuit in hoc homine & discendi & retinendi vis, vt admirationi omnibus semper fuerit. Nam quicquid perlegebat semel atque iterum, id felicissime fideliss imeque animo imprimebat, proferebatque. Venit in patriam tandem Episcopatus Catanensis repulsam passus: vbi in morbum prolapsus, delatusque in ædem Diui Dominici, in qua sacris religionis simul & doctrinæ fuerat initiatus, febris atrocitate confectus, summũ vitæ diem clausit, publicoq; luctu ac funere in æde Pontificali Diuę Mariæ humatus est. Extãt eius orationes aliquot coram Romanis Pontificibus habitæ, varia eruditione refertæ, ac mira arte elaboratæ.

Nobilitatur hodie Messana Ioanne Andrea Mercurio, ciue & Archiepiscopo, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali digniss imo. Sed ad descriptionem redeamus. Messana meridiem versus egredienti statim via regia recto quinq; passuum milium tractu occurrit, ita continuis ædificiis & colonis frequens, vt nõ suburbium, sed vrbs ipsa intra pomœria ad quinque passuum millia protendi videatur. pagis ea discriminatur, quos vulgo Furias media producta Messanenses hodie appellant. Eorum autem hęc distincta sunt nomina: Cammaris, Burdunarus, (vbi Abbatia Diuæ Mariæ eiusdem cognominis dicata est) Sanctus Philippus a magno cognominatus, vbi & sui nominis est Abbatia: (Imminet huic pago mons Dimmaris nomine ad p.m. 2. cuius vertex in mare Tyrrhenum & Adriaticum est specula) Cumia, Ardaria, Milis, (vbi eiusdem appellationis est Abbatia Ordinis Sancti Basilii, a Rogerio Siciliæ comite olim erecta & dotata, vt eius priuilegio constat) Galatis, Sanctus Stephanus, Pozulus, Brica, Zampilerius, Annunciata, Scala, Zaera, Gazis, Contissa, Calispera, Pistumna & Roccamatoris, vbi alia est Abbatia pagi nomen communicans, anno. 1197. ex consensu Henrici sexti Cæsaris, Siciliæ tum Regis, & Constantiæ Reginæ eius vxoris, a Bartholomæo de luce, Paternionis eo

tempore

tempore Comite, a fundamentis excitata. Post pagos a Messana. 12. p. m. sequitur Scaletta oppidulum mari imminens, cui vicinum est monasterium, Diuo Placito ordinis Diui Benedicti, Canonicorum aliquot Messanensium beneficentia, collatis in fabricam expensis, dedicatum. Huic proxima Itâla, quam media quoque producta proferunt: vbi Sanctorum Petri & Pauli extat Abbatia, Diui Basilii ordinis, a Rogerio Siciliæ Comite anno ab orbe condito. 6601. Decembri mense ædificata, vt in eius diplomate legitur. Succedit inde Aly oppidulum, vino eiusdem nominis celebre. Tota hæc ora a læua freto alluitur, a dextera vero cõtinuis collibus & montibus cingitur, & vinetis Mamertinis decoratur. Surgit & inter colles Neptunius mons, Solino, Spreuerius hodie nominatus, celsissimus, qui non modo ad vtrunque mare, nimirum Adriaticum & Tyrrhenum, est specula, sed ad verticem, hiatum etiam profundissimum habet, vnde maxima ventorum vis continue efflat. Dionysii fl. ostium post Aly occurrit, Nisi vulgo dicti, cui quod inter rapidi torrentis arenas ramenta auri perpetuo fluunt, Chrysorhoas apud Græcos dicitur. Oritur hic ex pluribus fontibus, qui e collibus vicinis scaturiunt. Ad eius verticem Nisa est oppidulum, quod ab Athenienſibus expugnari non potuisse lib. 3. refert Thucydides. De quo & Ouidius videtur locutus eo versu: Nisiades matres, Sicilidesque nurus. Id tamen (cum certi nihil habeam) nec refellere audeo, nec affirmare. In collibus huic oræ imminentibus, non longe a Nisa, minêra est auro & argento nobilis: vbi specus, & caueæ in rupibus excisæ adhuc visuntur, in quibus veteres auri & argenti fodinas exercebant. Effoditur quoque in eisdem collibus alumen, ferrum & Porphyreticus lapis, alumen tamen in maiori copia. Fluuii Sauocæ ostium. 3. post. p.m. statim Nisi flumini succedit, atque e proximis montibus dilabitur, habetque capiti suo ex edito colle impendentem Sauocam, recens oppidum, vnde nomen mutuat, quod ab ora. p.m. 3. refugit, quingentis, plusminus, abhinc annis, ex pluribus Sarracenorum pagis, cum arce Pentefur a Rogerio Siciliæ Comite conditum, ac cœnobio Saluatoris Messanensis, eiusque Archimandritæ addictum. Vinum Sauocense tota hac ora habetur nobilissimum. Sauocæ contermina sunt, Limina, Casale vetus, Mandanichius (vbi Sanctæ Mariæ eiusdem cognominis est Abbatia, a Rogerio Siciliæ comite anno a condito mundo. 6608. extructa) Locades, Guidimandrus, & Paglarus, parua sane & supra fretum sita oppidula, simul & Fortia: vbi sanctorum Petri & Pauli de agro ordinis Diui Basilii est Abbatia, ab eodem Rogerio Siciliæ Comite erecta, vt eius priuilegio liquet. A fl. Sauocæ mille & quingentis passibus, a Messana vero. 24. p.m. Argẽnum promontorium sequitur Ptolemæo, Caput S. Alexii hodie appellatum: vbi arx specula, cui in collibus incubat eiusdem nominis oppidulum. Argenno promontorio, ad tria. p.m. Muniuffi fl. ostium patet: vbi pelagius est sinus, a S. Nicolao nomen habens: in cuius rupibus lapidis variegati est fodina, apud veteres nobilissimi, quẽ Tauromenitem appellat Athenæus. Oritur Muniuffus amnis a mõtibus illi prominentibus: ad cuius fontem, ab ora. p.m. 3. dissitum eiusdem nominis est oppidulum. Tota vallis, quam hic fluuius & irrigat & alluit, platanis abundat. Supra deinde sunt Calidorus & Gaggus pagi Tauromenitani. Fretum itaque a Pelori faucibus incipiens huc vsque extenditur & terminatur. Nam paruo primũ, mox diffusiori maris spacio aperientibus sese maris angustiis, ad læuam Brutios & Rheginos agros, Calabros hodie dictos, & demum Zephyrium promontorium, Spartiuentum hac ætate appellatum, habet: ad dextram Pelorum, Messanã, eiusq; pagos & imminentes colles oppidulis (vt ostendi) frequentibus & vino nobiles. His succedunt deinde ea loca in quæ a Charybdi absorpta & a mari dissoluta, velut in terminum reuomuntur: eaque ratione hoc littus Tauromenitanum Copriam Græci dixerunt, quod fimus siue purgamentum est Latinis. Sed fretum deinceps lato atque immenso Adriatici atque Ionii maris cursu diffunditur.

DE TAVROMENIO ET NAXO vrbibus.

CAPVT III.

TAV-

TAVROMENIVM vrbs post Argennum promõtorium p.m. 6. sed post sinum. S. Nicolai. 3. post Messanam vero. 30. arduo in monte, & difficili ascensu (cui Tauro olim nomen erat) sita subsequitur. Author est lib. 16. Diodorus. Est autem mons ipse (Appiano Alex. lib. 5. tradente, & rei vsu) asperrimus, acutissimosque habens lapides. Vrbs vero mediis in rupibus, partim ad mare vergentibus, partim cœlum ipsum cõtingentibus, in montium angulo est condita. Aspectu siquidem, quo in Eoum tendit, inferius interciſas & præruptas habet rupes, in mare superum lõge lateque prospiciẽtes: superius vero altissimas alpes, ad quarum angulum sita est. Ad verticem Alpium extat arx, & oppidulum Mola nomine, tota Sicilia notissimum, quod sceleſtorum hominum damnatorumque eo frequens sit relegatio, vetustũ sane & expugnatu difficillimum & mœnibus circunſeptum, cuius situs per se nullis etiam mœnibus roboratus munitissimæ arcis vicẽ tueatur. Circumquaque latera habet tutissima, vel ex eo quod vicina ei loca in præceps labentia, nulli sunt subiecta. Subest autẽ ei arx Tauromenii inferior eo modo, vt lapidibus ex Mola deuolutis facillime obrui queat. Inter has duas arces turris Maluicinum appellata, a Ludouico Rege ad arcis inferioris frenandos temerarios ausus a fundamẽtis fuit erecta. Tauromenium vero conditũ fuit ab Andromacho Timæi historici patre, ex reliquiis Naxi, Græcorum in Sicilia vrbis vetustissimæ, a Dionysio iuniori Syracusarum tyranno deletæ, vnde conditor ipse erat oriũdus, vt lib. 16. scribit Diodorus: cuius hæc sunt verba: Eodem ferme tempore (Dionysii vtpote iunioris) Andromachus Tauromenienſis Timæi historici pater, opibus animoque plurimum excellens, in vnum congregatis his qui fuerant reliquiæ ab excidio Naxi dirutæ a Dionysio, collem vrbi vicinum, qui Taurus nuncupabatur, a tauri nimirum forma, ad multum temporis inhabitauit, & a diutina sua manſiõne in Tauro, Tauromenium locum appellauit: breuique auctis oppidi rebus factum est, vt incolæ opulenti & locus honoratus redderetur. Nostra tãdem ætate (Cæsare vtpote Iulio adiiciente animum ad Tauromenienſium incrementa) Romanorum colonia illuc deducta est. huc vsque Diodorus. Dicta est igitur Tauromenium quasi Tauri fortitudo. Nam menos Græce fortitudo siue robur est Latine: vnde & vrbium muri mœnia sunt appellati. Quod de Tauro viro & Mena vxore Tauromenitani ex vita Diui Pãcratii referunt, fabulosum est. Erat primis temporibus Tauromenium paruum oppidum: (vt Plutarchus in Timoleonte refert) sed postquam cum Rep. Romana cõfœderata, Romanorumque eo colonia deducta est, (vt in Verrem scribit Cicero) maxima susceþit incrementa. In ea enim vrbis veteris parte quæ adhuc extat, priſcorum monumentorum reliquiæ plures visuntur. In prima siquidem anguli rupe orientem versus, vbi collis cõnspicuus surgit, antequam ex Messana vrbem ingrediaris, lateritium ac coctile Theatrum, magna sui parte integrum occurrit, quod ab eo quod Romæ Coliſæum vulgus vocat, operis magnificentia facile secundũ iudicaueris. Extant quoque subterraneæ cisternæ duæ testudinatæ: quarum altera octo quadratis, sed cæmentitiis subnixa columnis, altera vero prostrata cernitur, vtraque mirabili structura compactæ. Aquæductus etiam veteres ibidem conſpiciũtur. Præterea nonnihil infra vrbem vestigia templi Apollinis Archegetæ (vt ex verbis Appiani Alexandrini licet colligere) & sepulchra complura, ac pleraq; alia sunt vetustatis indicia. Sed euenit in hac vrbe, quod & in cæteris vrbibus antiquis euenire solet, vt quidem reliquiæ ac monumenta quædam priſcorũ operum aſpiciantur, sed ita vetustate consumpta, vt vel cuius figuræ, vel ad quem vsum fabricata fuerint, nemo quamuis perſpicaciſſimus indagator queat agnoſcere. In hac vrbe, subiectisque ei agris, sæpe numismata, non in ære tantum, sed in argento quoq; atque auro affabre excusa, Græcis Latinisque nominibus inscripta, passim effodiuntur. Tauromenium ætate Diui Gregorii Pontificis Episcopali dignitate erat ornata, vt in eius Regiſtro, vt vocant, legimus. hodie vero Archiepiſcopo Messanenſi subest. Extra vrbem, ad occidentem, pro mœnibus fons est, cui mea ætate Xiphonio nomen inhæret, qui vrbem ipsam valle ingẽti præterlabitur, & mare influit. Ager Tauromenitanus cannæ mellitæ, & vini apud veteres (teste Plinio) celebratiſſimi,

lebratiſſimi, quod in epulis pro Mamertino etiã ſupponi ſolebat, feraciſſimus eſt. Colles vitem & vuam Eugeniã miræ generoſitatis (vt lib. 24. cap. 2. Plinius refert) priſca ætate gignebant: quæ, quoniam proprio ſolo delectatur, ferueti vtpote ac calido, Romanis florentibus Albano tantum agro miſſa ſuccreuit, in cæteris vero vel aceſcebat, vel ſuauitatem amittebat. Mare Tauromenitanum opulenta piſciũ captura inſigne eſt, mullorum præſertim copia, quos Græcis trichias, barbatos Plinio, & Ciceroni barbatulos appellari, idque qua ratione, ſupra commemorauimus. Tauromenio deſcendentibus littus primum, deinde ad duo fere. p. m. cãpeſtris occurrit ager, Tauromenitanus hodie appellatus, ad dexteram habens Ætnæ montis radices valle ingenti & perpetuo flumine ab Alpibus Tauromenitanis diremptas: ad ſiniſtrã vero littoralem orã, in qua Cherſoneſus ſiue terræ eſt angulus in mare promiſſus. 2. p. m. ab vrbe recedens, vbi arx eſt hodie Schixon nominata, quo loco vetuſtiſſima olim Naxus erat, a Chalcidenſibus Eubœæ inſulæ prima omnium inter Græcas condita, prout in hæc verba lib. 6. Thucydides: Græcorum (inquit) primi Chalcidenſes ex Eubœa Siciliam tranſeuntes, cum Theocle illius deductore coloniæ Naxum incoluerunt, & aram Apollinis Archegetæ, quæ nunc extra vrbem viſitur, conſtruxerunt. hæc Thucydides. Strabo vero, licet nõ recte inter Catanam & Syracuſas eam poſuerit, a Chalcidenſibus tamen conditã, & primam in Sicilia Græcarum vrbium fuiſſe, authoritate Ephori, lib. 6. contendit. Eius hæc ſunt verba: Theoclem in Athenienſem Ephorus dicit ventis agitatum Siciliam contemplatum fuiſſe, intellectaq; mortalium ſolitudine, ac terræ virtute, remeaſſe. Is cum Athenienſes inducere nequiret, acceptis Chalcidẽſibus Eubœæ magno numero, Ionibuſque nonnullis & Dorienſibus, magna ex parte Megarẽſibus, eo nauigauit. Ex his igitur Chalcidenſes Naxum condiderunt. Huc vſque Strabo. Naxus (lib. 6. inquit Pauſan.) ciuitas in Sicilia condita eſt. Eo porro tempore id contigit, quo (teſte Ariſtotele) Hippobotæ (id eſt equorum domitores, ſiue equites) Remp. Chalcidenſem adminiſtrabant. Qui enim præerant, viri principes erant, & ex magnis cenſibus optimates habiti. Atque adeo eum annũ ab orbe condito quater milleſimũ, quadringenteſimum quinquageſimũ tertium Euſebius ſupputat. In ara autem Apollinis Archagetæ, quam & eodem ibi anno extra mœnia Theocles erexit, Græci, antequam e Sicilia ſoluerent, ſacra facere, & euẽtuum futurorum oracula expoſcere conſueuerant. Thucydidi lib. 6. Archagetes (lib. 5. inquit Appianus) ex Apollinis cenſetur ſimulacris, quod primum Græci ſacrum ſtatuere in Siciliam transfretantes. Græcis vero regem ſonat ſeu principẽ, qui titulus a ſuperſtitioſa gentilitate Apollini pluribus nominibus indebatur, quæ poetis quam hiſtoricis ſunt notiora. Extra Naxum Veneris quoque templũ fuiſſe religioſiſſimum idem Appianus ſcribit. Enimuero breui intantum hæc vrbs coaluit, vt paulo poſt initia nouitii fere adhuc coloni Catanam, Leontinum, & Callipolim vrbes in Sicilia celeberrimas condiderint, vt Thucydidi & Straboni credimus. Cæterum cum poſtmodum Hiero ſenior Syracuſarũ Rex, qui Geloni ſucceſſit, minus in Naxiis, quibus dominabatur, confideret, & vt ad neceſſitates imminentes ſubſidia paratiſſima haberet, vrbem Chalcidenſibus omnibus nudatam (vt lib. 11. tradit Diodorus) Græcis quos ex Peloponneſo acciuerat, & Syracuſanis repleuit. Naxios vero patria eiectos in Leontinos transſcripſit, vt cum illis Leontinũ vrbem incolerent. Aliquot deinde poſt annos a Dionyſio iuniori, quod ab eo ob tyrannidis offenſionem merito deſciuiſſet, funditus tota vrbs vna cum Andromacho viro principe extincta ac deleta eſt, vt Diodorus, Plutarchus, & Pauſanias memorant: cuius quidem idem Pauſanias lib. 6. ſcribit ne ruinarum vel fragmẽta ſua ætate ſuperfuiſſe. Hodie vero eius fundamẽta ac quędam, loco cui adhuc Strages eſt nomen, obruta & ea ſtupenda veſtigia ac ſepulchra, pleraque ex quadratis lapidibus, cernuntur. Hinc & accolæ, cũ in eo agro ad domus paſtorales conſtruẽdas fundamenta effodiunt, frequenter in monumenta iacentis vrbis ac velut ſepulti quædam admiranda cadaueris oſſa, lapideſque quadratos incidunt. Euerſæ (vt dixi) Tauromenium nonnulla translatione ab Andromacho in monte ſuffecta eſt: quod & lib. 3. Plinius teſtatur: Colonia (inquiens) Tauromenium, quæ

ante

ante fuit Naxos. Peloritana ora (ait Solinus) habitatur colonia Tauromenitana, quã priſci Naxum vocabant. Ager Naxius (qui & planities Tauromenitana hodie dicitur: cuius & feracitas nota eſt) cum magna ex parte campeſtris ſit & latiſſimus, frequentibus fluuiis, & niuibus hybernis, multo ſolis ardore colliquatis, ex Ætna dilapſis, contumeſcit, & paſſim in paludes abit: ac continentibus aquis, cœnoſa illuuie & vapore humido, campi non modo offenduntur, ſed & aerem inſalubrem reddunt. Cuius intolerabili inclementia Naxii primi conditores tranſmigrare, & Catanam vrbem condere ſunt compulſi. Habuit & hæc vrbs ſuos viros illuſtres. Inter quos lib. 6. Pauſan. Tiſandrũ Cleocriti filium recenſet: qui in Olympia quater, totieſque in Pythicis certaminibus victor euaſit. fateturque Pauſanias eius fama ac celebritate Naxi vrbis nomen ad ſe peruenisſe, cum ſua tempeſtate ne ipſa quidem eius rudera decernerentur. Timæus quoque hiſtoricus, Andromachi filius, Tauromenitanus fuit, qui & Epitimæi agnomen promeruit, ob id quod laceſſendo inſultandoque non Platoni, non Ariſtoteli, non Thucydidi, neque alteri cuiquam vel hiſtorico vel philoſopho parceret: vt Plutarchus in Nicia refert. De eo, in libro de Oratore, in hunc modum ſentit Cicero: Poſt Calliſthenem (inquit) Timæus longe eruditiſſimus, & rerum copia & ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipſa compoſitione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit, ſed nullum vſum forenſem. Hæc Cicero. Hic (teſte Suida) Rhetoricæ facultatis argumenta quam plurimum neceſſaria, literis commendauit. Scripſit libros viginti de Rebus in Sicilia & Italia geſtis: quod opus hodie Græcũ tantummodo habetur, licet nondum ad manus meas peruenerit. Scripſit & bellũ Thebanũ, vt in epiſtola quadam ad Luceium teſtatur Cicero: vixitque annos. 96. Poſt Naxum, ſiue arcem Schixon, Aceſinis amnis oſtiũ (Thucyd. lib. 4.) tertio miliario ſequitur: quem Aſinem lib. 3. Plin. Onabalam lib. 5. Appian. appellat, Alcantara Saracenice hodie, a ponte ad illius traiectum olim conſtructo, apud nos vocatum. Ad ortum radices Ætnæ lambit. Oritur autem ſupra Randatium, a fonte cui Salaciazo hodie nomen eſt, in collium iugis, inter Caſtaniam & Randatium erumpente. Inde igitur dilapſus Randatii muros alluit, ſtatimq; fluuio Roçellæ & fontibus Moiis auctus, Francauillæ miſcetur amni, ac deinde vallem ingẽtem ſcindit, ad dexteram Ætnæ radices, Caſtrumleonis, Francauillam, & Caltabianum oppida, ad ſiniſtram vero Mottam Camaſtri (cuius fl. augetur) & Tauromenitanos habens colles: numeroſaque platanorum ſylua vtranque eius ripam adumbrante, & maximam vallis partem occupante, Naxium agrum ſiue Tauromenitanum totum irrigat, feraciſſimumque reddit, atque Alcantaræ nomen recipiẽs mare demum influit. Poſt Alcantaram ad mille paſſus Acidis fl. oſtiũ occurrit, apud veteres celebratiſſimi, quod Flumen frigidum a mirabili eius aquæ frigiditate hodie dicitur. Ortum habet ad radices montis Ætnæ, vnico miliari a mari recedentem. Rapidiſſimo curſu incedit, vt Theocritus cæterique vetuſtiores ſcribũt, & rei vſus oſtẽdit. Acis (inquit Euſtathius) Siciliæ amnis eſt, qui ex Ætna teli impetu decurrit. Acis etenim Græcis eſt ſagitta. Itaque a celeritate, qua defluit, nominatur. Herbiferum eum lib. faſt. 4. Ouid. vocat, & nos ita eſſe experimur. Quod autem ab Aci puero (quem amatum a Galatea zelotypus Polyphemus occidit, quemque poſtea Neptunus miſeratione motus in fontem ac flumen ſui nominis conuertit) appellationem acceperit, & ex eius ripis Cyclops Polyphemus ſaxa in Vlyſſem conieecerit (vt Homer. Odyſſ. lib. 9. & 3. Æneid. Verg. ac cæteri poetæ ſcribunt) poeticũ ac fabuloſum eſt. Id porro & Solinus & vſus teſtatur, quod tametſi Ætna incendiis ac calore celeberrimo monte demittatur, frigidiſſimam tamen aquam egerit, nec eo nomine a quoquam alio vſquam flumine anteuertitur. Ora quæ ei proxima eſt, agrum habet Maſcalim, ab oppidulo eiuſdẽ nominis, ad radices Ætnæ ſito, (quod ætate ſuperiori regium & ad delicias factum vicũ in noſtris Annalibus, ſed priſco tempore Ætnam vrbem fuiſſe legimus) nuncupatum. A quo nõ ita procul ſinus abeſt, a S. Thecla, cui ædicula ibi ſacra eſt, cognominatus, & deinde Xiphonium promontorium, Straboni, Caput molendinorum hodie nominatum, Cæſaris, bellorum ciuilium tempore, frequenti acceſſu nobile, Appiano. Paruula quædã in-

sula sequitur, ambitus p. circiter 200. fundæ iactu a Sicilia recedens, ab Aci hodie nuncupata. Deinceps tres scopuli a littore centum ferme passibus seiuncti sunt: quos Cyclopum scopulos Plin. lib. 3. Fariglunos vero nos hodie vocitamus. Eos arx sequitur cui Acis quidem nomen est, in scopulo vndique præciso, quem mare alluit, sita: & eiusdem nominis pagi complures, parum a mari recedentes, vineatis, hortis & aquis amœnissimi. Quinque deinde ad passuum milia paruorum natu uigiorum est sinus, qui ætate superiori Ongia, sed hodie Lognina appellatur: vbi & templum eiusdem nominis spectatur Diuæ Mariæ sacrum. A quo passibus ferme quingentis abest ædicula Diuo Ioanni a cuti (vt vocant) dicata, & ora vulgo quidem Licatia, sed eruditis Decatria nominata. Is locus ille ipsus est quem portuosum Æneid. 3. Verg. post Homerum, in carmine, Portus ab accessu ventorũ immotus & ingens Ipse, &c. descripsit, quem etiam Portum Vlyssis Plin. lib. 3. appellat. Cæterum eructatione sulphurea, saxisque liquefactis ab Ætnæ crateribus illuc vsq; deuolutis, portus ipse & ætate mea, & plurimis abhinc retro annis, obrutus nusquam apparet. Quem præclusum profluui Ætnæi vestigia adhuc hodie occupant. Proinde cum in Ætnam, qui huic oræ imminet, inciderimus, & res & ordo postulant vt & de eo eiusque diuersis ac variis ignibus pleraque scitu & memoria non indigna subiiciamus.

DE ÆTNA MONTE ET EIVS IGNIBVS.

CAPVT IIII.

ÆTNA mons est, quem vernacule Mongibellum Siculi hodie vocãt, notior suorum incendiorum fama, poetarum fabulis, nobiliumq; historicorum & philosophorum monumentis, quam vt prolixiot de eo oratio debeat haberi. Celsior est cæteris, qui sunt in Sicilia, mõtibus, ac cœlo proximus: ita vt procul a remotissimis non solum Siciliæ, sed Calabriæ quoque regionibus sereno die facile semper in oculis videatur. Est enim altitudinis p. m. supra. 30. atque vt est arduus, ita & in radicibus ambitu est maximus. Habet etenim in circuitu ad radices p. m. non minus centum. Deducit autẽ radices in orbẽ, & subinde sese rotundo ac tereti magno corpore sensim extenuat, quousque in supremum desinat cacumen. Constat sibi soli, montis alterius nullũ habens coniugium, nisi eorum quos suis viscеribus ipse edidit. Eminus intuenti multo minor videtur quam sit: adeo vt qui quantus sit Ætna coram non vidit, recte de eius mensura iudicare nequeat. Fundum habet ex topho lapide, subnigro, aspero & pereso, bitumine ac sulphure mixto. Ascẽditur qua breuior est, per Linguæ grossæ & Randatii oppida. p. m. 20. qua longior & facilior, per Catanam. p. m. 30. qua & nos anno salutis. 1541. sexto Calend. Aug. inscendimus. Porro ascensus in tres ab accolis regiones diuiditur: pedemontanam, nemorosam, & apertã, quã vulgo discopertam vocant. Pedemontana regio, a Catana & littorali ora p. m. 12. ad Cœnobium Diui Nicolai de Renis nuncupatum, ordinis S. Benedicti, attollitur. Ad radices circunquaque oppidis & vrbibus: Catana, Tauromenio, Caltabiano, Linguagrossa, Castroleone, Francauilla, Rocella, Randatio, Bronte, Adrano, Paternione & Motta nobilitatur. Incolitur præterea, qua meridiem & occasum spectat, plurimis & magnis pagis, qui communi vocabulo Catanensiũ vineæ appellantur. distincta vero hæc habent nomina: Culia, Casalottus, Monspelerus, Tricastagnus, Viagrandis, & alia id genus. Eorum incolæ, & qui campestria hæc vicatim habitant, ferox sunt hominum genus, & ad arma promptum. Soli camporumque facie tota ferme hæc regio tophacea est, aspertimisque ac combustis lapidibus horrida, quos ab initio & æui quoque successu Ætnæus ignis, recentes super veteribus adiiciens, euomuit. Verum ex concoctis iis lapidibus, quos Catanenses barbara voce Xaras appellant (cum natura pingue aliquid habeant) tẽporis vi confractis, & in frusta decisis, velut ex crematis lignis, arenosi fiunt cineres,

& præpingues, qui feraciſſimam reddunt tellurem. Hinc tota amœna eſt, & vinetorum domeſticarumque omnis generis arborum multitudine ac ſingulari virtute fœcunda. Spatioſi quoque tractus, qui ſunt in ea, lætiſſimas ferũt ſegetes. Adeo præterea pabuloſa apparet, vt pecuariis, niſi ex auribus frequenter ſanguis extrahatur, ipſa ſatietas ſit periculo. Fontes habet circunquaque perennes, & perpetua flumina, licet ignis, egeſtarumque molium fluenta multos fontes & inuoluerint & obruerint penitus. Viæ quæ ſunt in ea ac ſemitæ, xaris omnia occupantibus, equitatu ſunt difficiles, & ad latrocinandum accommodæ. Terminatur hæc demũ regio (vt diximus) ad Diui Nicolai de Renis monaſterium, a Simone Policaſtri comite, Henrici Lombardi Comitis & Marchionis filio, pro anima Rogerii Siciliæ comitis aui ſui, & Rogerii Regis eius filii, & vita Guilelmi regis anno ſalutis. 1156. menſe Aprili erectum, & coniunctum templo. D. Leonis, quod Henricus ipſe comes extruxerat. Huc nos primo die peruenimus, vnumque ibi diem cõtriuimus. Proxima Ætnæ regio, quæ media eſt ſylueſcens, 10. circiter. p. m. ſcanditur. In ea cœnobio egreſſis xaræ & lapides molares nigri & horridi ad læuam ſtatim occurrunt, quos anno ſalutis. 1537. exundans incendium per propinqua loca profudit. Subinde nemus ſequitur abietibus, fagis, pinetiſque frequens, vaſtum, arduum, atque inuium prope viatori iter præbens: quippe in quo nulla humano pede trita ſemita appareat. Per hoc nemus cœlum ipſum tãgens, perque inuia loca iter intẽdimus. Vbi omnia vaſta, muta, & adeo deſerta erant, vt vel ipſa ſolitudo inſuetos terruerit animos. Hic fagorum corticibus Prócerum aliquot, qui olim montem aſcenderant, in aſcenſus ſui memoriam, inciſa nomina deprehendimus, quib. & noſtra nos quoque adiecimus. Tota hæc regio extrema aquarum penuria laborat. In ea aliquot vidimus ora in fornacis maximæ rotũditatem, ex quibus aliquãdo fluenta eruperunt ignea, cinerum lapillorumque ſqualentium cõgerie cincta. Plures præterea nemoroſos & editos offendimus colles, quorum cacumina voragines, licet ſylueſcentes, exhibebant. Eos veterem eſſe materiam ex viſceribus montis olim proditam, poſtremi profluuii hiatus, qui ſimilem fere formam, enataſque recens habebat arbores, arguebat. Mediam hanc regionem emẽſi ad rupem quandam deuenimus, vbi aſcendentibus mos eſt pernoctare. Vlterius nanq; ob inopiam tectorum, frigoriſque rigorem, ſub diuo quieſcere lethale prope cenſetur. Sed cum tres adhuc diei ſupereſſent horæ, quidã ex ſociis ingenio præceps, moræque impatiens ad ſuperiora ſolus procurrens, nobis fruſtra reclamantibus, iter obibat. Quem tandem & nos, quanquam inuiti, ægre ſubſecuti, regionem mõtis tertiam ſumus ingreſſi, quã accolæ (vt diximus) diſcopertam ideo vocant, quod non ſolum ſylua ibi nulla, nulla prorſus ſit arbor, ſed herbis vireſcentib. nuda, pungentique paucis paſſibus, ac ſqualido gramine lurida, ac deinde arenoſa ad ſummum vſque verticem tota illius eſt facies. Aſcendit ea regio. p. m. fere. 12. quæ per hyemem tota niuibus obſita, extremiſque frigoribus riget. Per ęſtatem quoq; nulla ſui parte, nec canitie nec gelu caret: quod equidem admiratione dignum eſt, cũ vertex incendia prope ſempiterna, iugi flammarum eructatione inter niues ipſas pariat, enutriat ac continuet. Hanc regionem per aliquot paſſuum milia ingreſſis mons ingens, Ætnæ veluti progenies, a fronte nobis occurrit, quem Dorſum aſini patria lingua mõticolæ appellant. Quo ad dexteram relicto, falcato itinere per duo ferme miliaria progreſſis mons alter, cui a frumento nomen eſt, ad læuam impendens apparuit. Inter hos montes vallem ſubiuimus, quæ cum aquarum eſſet indiga, equos præſiti languentes niuibus, quæ ſub arenis vndique latebant, effoſſis refecimus. Vnde cum cliuus, & ad eius verticem ædificii effigies eminus nobis occurrerent, leni eo aſcenſu prouecti veſtigium vetuſtiſsimi fornicis lateritium totũ deprehendimus, quod a Catanenſibus Ætnicoliſque Turris philoſophi nominatur. Prædicant ſiquidem, ducta a maioribus fama, hanc ſibi Empedoclem olim ad explorandas Ætnæi ignis cauſas ex teſtudineo opere conſtituiſſe ædiculam. Hic itaque tametſi audax, & temerarium, ac rariſsimo vix ante exemplo cognitum facinus non ignoraremus, præcipitante veſpera, ſub dio, noctem ſollicitam ducere coacti, ingentem lignorum, quæ in eum vſum cauti e ſylua conuexeramus, ſtruc

incensa pyram extruximus: deinde raptim cœnati inter noctis tenebras æternos illos, ac terribiles summi verticis ignes, qui ad pas. prope. 200. supra nos emicabãt, liquido intuiti, ac distincte contemplati, irrepente paulatim somno opprimimur. Ea incẽdia dum ego intuerer, mirarerque, horror quidã & ingens religio adeo me cepit, vt nunc quoque sine horrore meminisse nequeam. Illucescente vero duos viæ comites, qui frigore inter soporem pene obriguerant, semimortuos offendimus, equosque disruptis noctu vinculis per montis decliuia ad loca temperatiora salutem sibi quæsiuisse: amissis equis reliquum iter, ad fastigium vsq; pedib. confici oportuit. Duce igitur pæuio in paruam vallem descendimus, quam, quod ex liquefactis in alto niuibus decurrens ibi stagnet aqua, summoq; totius mõtis subsit tumulo, lacum appellant. Inde ad leuam deflexi iugum ipsum inuadimus, cuius ascensu maxime arduo, & hinc salebris impedientibus, illinc profundis arenis retardantibus, pedesque nostros retro quadoque referentibus, perdifficili, cũ quingentorum passuum vix sit altitudinis, duæ ferme horæ nobis consumptæ sunt, tãdem superato vertice, anhelantes aliquantisper in sponda consedimus. Hic sol subter nos mundo oriri visus est. Hinc Siciliam omnem contemplati sumus: fretũ & vniuersa Calabriæ ora adeo sub oculis iacebant, vt manu posse tangi viderẽtur. Calabriæ montes non littorales solum, sed mediterranei etiam, quinimo & Neapolitani, vicinæque insulæ, non temere sereno tum cœlo æstimati sunt. Hoc itaq; iucundo aspectu aliquandiu refocillati vlterius ad ea quorum studio insanũ hunc laborẽ subieramus, perlustranda perreximus. Ibique in primis planities arenis passim strata, crebrisque intersecta rimis, e quibus exilis fumus exibat, oblata est. In cuius medio hiatus maximus, & vorago ingens, crater a veteribus appellatus, ambitu. p. m. ferme quatuor patet: qui superiori ore latissimus paulatim ad profundũ vsque se coarctat. Ex eo nebulosa incendia tanta exhalabant, vt ab interiori inspectu impediremur. Cæterum cum ea non continue, sed per interualla quędã erumperent, captata interstitiorum occasione, reptantium more, ad crateris labiũ prolapsis profundius intuendi copia fuit. Nihil autem ne tum quidem, præter horrẽdam voraginis formam, & latera eius exesa, ac diuersis rictibus igniuomis depicta, & sulphurea incrustatione delibuta, cernere potuimus. Cum vero renouatum incendium vires resumpsisset, inter fumum ipsum flammas modo crassas, modo puras expirari animaduertimus. Sed remissa post materia, caligineque cessante, iterum intentius & oculis & auribus in hiatum dimissi, simulatque instar immensæ ollæ, igni maximo appositæ, subterraneum in eo sonitum, bullientesq; feruores, ac gementes intus cauernas percepimus, timor simul nos horrorque adeo vehemẽs inuasit, vt veluti iam iam dissipandi repente ora retulerimus, execratique vesanum itineris consilium cõfestim qua ascenderamus, simus regressi. In ea altissima mõtis superficie, totaque eius plaga, nullas vidimus xaras, lapidesue molares: quippe qui tam alte inscendere, vel vi extolli ob materiæ grauitatẽ nequeãt: quæ interim inferius vel nouos hiatus sibi aperit, vel e veteribus erumpit. Ex vnico vero, & eo immenso verticis cratere vel ignis ipse, vel fumosa caligo, vel cinis, vel aliud huiuscemodi leue genus efflatur. Ex quo etiã anno salutis. 1554. (quo hoc opus in manibus versatur) consumpta iam materia nihil emergit. Neque quispiã hæc nostra legens reprehendat, si aliqua ex parte a Strabone, Plin. & aliis authoribus, qui de Ætna scripserunt, dissentiant: cum & ipso Strabone teste, & rei vsu approbante, facies hæc montis superior mutationem ab igne frequenter recipiat. Nam aliquando illius vertex flammarum globos euomit, igniti interdum fluunt riui, quandoq; flamma, fumo caligineque obducta, ardentes eructat lapides, nunc demittitur, nũc vero incrementa suscipit. Iccirco prisca quædam in hunc vsque permanẽt diem, plura sunt immutata, pleraque recens edita. nam & anno salutis. 1537. cacumẽ mõtis supremum, quod supernus ei erat vertex, in voraginem ipsam decidit, & ambitus factus est amplior, & Ætna demissior. Perlustrato ita montis vertice, & eius ignibus exploratis, lapillos subnigros sulphuris incrustationem habẽtes, quos crater emiserat, nobiscum deferentes, Catanam sumus regressi. Ab hoc loco nihil alienum fecero, si ignea fluẽta, quæ a primordio ad nostrã vsque ætatẽ defluxerũt,

vel

vel prout ab aliis accepimus, vel nos ipsi vidimus, ordine recensuerimus. Ætna mons, qui ab initio fere cum multarum excidio vrbium atque agrorum, crebris eruptionibus æstuare consueuit, quando primum omnium, vel quoties exarserit, neque memoriæ proditum, neque hactenus compertum est. Quæ vero feruntur passim & leguntur, sunt eiusmodi: Sicanorum ætate, qui post Cyclopas vniuersam Siciliam tenuerunt, sæpenumero cõtinuis incendiis efferbuit: quorum metu omissis orientalibus locis, quibus AEtna sita est, quæ ad Occidentem vergunt, petere compulsi sunt. Siculis postea Siciliam occupantibus, quoties AEtna igneos emiserit globos, a veteribus, quorum quidem opera ad meas peruenerunt manus, non est traditum. Verum cum ad Græcos Sicilia peruenisset, ad sextum vsq; belli Peloponnesiaci annum ter duntaxat ignem euomuisse libro 3. refert Thucydides. Græcorum vero primi Siciliam traiecerunt anno mũdi. 4453. vt testatur Eusebius. Et Peloponnesiacum bellum cœpit anno mundi. 4777. Romanis deinde imperantibus, anno ab vrbe condita. 350. ingentes ignes fauillasque, cum strage plurium agrorum & villarum emisisse AEtnam, scribit Orosius libro 2. Et ab eadem vrbe condita circiter. 600. paucis diebus ante seruile bellum, Ser. Fuluio Flacco & Q. Calphurnio Pisone Coss. simili feruore AEtna exarsit, Orosio lib. 5. M. deinde AEmilio &. L. Oreste Coss. vasto tremore concussus igneis globis exundauit. L. post Cœcilio Metello, & Qu. Flaminio Coss. anno ab Vrbe condita. 637. vltra solitum ebulliens, profluuium etiam cinereum emisit, & Catanam vrbem eiusque fines ita oppressit, vt tecta domorum cineribus prægrauata corruerent. Cuius cladis mitigandæ gratia, S. P. Q. R. decem annorum vectigalia Catanensibus remisit. Tempore quoque bellorum ciuilium (teste lib. 5. Appiano) & Cæsare Caligula imperãte (vt author est Suetonius) AEtna mons eodem œstro percitus ignem efflauit. Scribit libro 2. c. 106. Plinius, flagrantem AEtnam ad 150. passuum milia arenarũ moles effudisse. Sed & anno salutis. 254. Calen. Februarii, & secundo anno post obitum Diuæ Agathæ, cum AEtna ignitos globos eructasset, Catanenses, qui superstitioso gentilitatis cultu eo tempore detinebantur, Diuæ Agathæ ob Christi fidẽ a Quintiano martyrio affectæ, sepulchro saxum quoddam impositum hac diuina inscriptione (Mentem sanctam, spontaneam, honorem DEO, & patriæ liberationem) insigne deprehendentes, miraculo perculsi tumulum aperiunt: velum, quo eius corpus tegebatur, contra ignem obiiciunt. Quo facto (mirum visu) incendiũ statim, veluti illius veli aspectum reformidans, relicta vrbe alio cursum suũ tetendit. Catanenses postea Christi fide imbuti, eo exemplo adducti, quoties AEtna ignes emittit, id velum incendiis obiiciunt: quo Diuæ Agathæ beneficio Catana vrbs sæpe asserta est. Inter memorabilia AEtnæ profluuia lõge illud est præcipuũ, quod ætate patrum nostrorum decurrens per. 28. ferme passuum milia, vsque ad mare Logninæ peruasit, atque ingentem portum, cuius Homerus, Vergilius, & Plinius meminerunt, ita impleuit, vt hallucinatos poetas plerique sint arbitrati, cũ nulla prorsus vel statio ibi hodie appareat. Quod ita subnigrum ac firmum adhuc visitur, vt non tam maiorum nostrorum tempestate, quam etiam nostra fluxisse videatur. Anno præterea salutis. 1169. pridie no. Feb. regnante Guilelmo secundo, AEtna plus solito sæuiit. Rupibus nanque ingentibus, agroque Catanensi cõbustis, terræmotu suo Catanensium fines atque vrbem adeo labefactauit, vt Basilica corruens Episcopum vna cum clero & populo oppresserit. Quin & deinde anno salutis. 1329. 4. Calend. Iulii, Friderico huius nominis secundo Siciliæ Rege rerum potiente, cum per plures annos absque igne & fumo fuisset, hora diei. 23. repente contremuit, ac tonare cœpit. Mox e montis latere quod Orientem respicit, in rupe quæ Musarra dicebatur, niuibus eo tẽpore obsita, aperto nouo hiatu ignis erupit: quem, accrescente vespera, insecuti candentes globi, ac auulsa mõtis viscera, liquefactique saxorum orbes, veluti torrens, per decliuia & subiecta loca grassantes, obuia quæque absumebant, quorum impetu simul ac terræmotu plures in ipso monte, tam ad Orientem quam ad Occidentem, sacræ & profanæ ædes vel dirutę vel prosciſſæ sunt. Pleroſque etiã aquarum perennium fontes terra dehiscẽs absorpsit. In littorali quoque ora, quæ Mascali oppidulo subest, nonnulla nauigia

in littus paulo ante ſubducta, crebris terræ concuſſionibus in mare ſunt reuulſa. Dum hæc ad Maſcalim fiunt, eiuſdem Iulii idibus circa ſolis occaſum, iuxta Muſarram rupem, ac templum Diui Ioannis Paparumetta cognominatum, ex inferioris montis parte ex inopinato hiatus alter, ac paulo poſt in eodem agro duo alii ſunt aperti, ea vi ac violentia, vt ex quatuor craterib. paruo inter ſe interuallo diſſitis ingentium lapidum congeries vna egeſtæ profundas valles & nemorum ſaltus in montes arduos extulerint. Fluebat etenim ex quadruplici illa voragine riuus igneus, inſtar metallorum ex fornace liquẽtium, occurrentem tellurem, & ingentia ſaxa, ac arbores quaecunque non ſolum comburens, ſed abſumens: terraq; ipſa, quæ paulo ante calcabatur, incanduit, ac veluti ſpumis aquarum ad ſcopulos e fluctibus eliſarum late inſtar excreſcentis fluminis profluuio igneo inundata, ac diſperſa eſt. Poſtquam vero igneus torrens diu multumque per plura montis ſpatia euagatus eſt, tribus tandem alueis ſeſe diuiſit. Quorum duo Orientem verſus ad Acis vſque loca littori propinqua plures dies decurrerunt: tertius vero contra Catanenſium fines ſe direxit: quem, priuſquam fines ipſos inuaſiſſet, velum Diuę Agathæ a ſacerdotibus e mœnibus vrbis obiectum extinxit. Dum hæc in inferiori montis regione geruntur, in ſummo vertice non minori quoque ad extremũ tonitruum ſaxorumque ardentium rabie conflictum eſt. Vnde tantus præſertim cinerum imber per vniuerſam Catanenſium regionem defluxit, vt montes agriq; ſub eo occultarentur, ac flante tum borea ad inſulam vſque Melitam quæ. 160. paſſuum milibus a cratere diſſidet, eorum copia, ac ſulphureus odor ſit abductus. Vnde & plures vtriuſque ſexus homines, plurimaque animantia, & terra & mari horrore perculſa (vt in vita Friderici Regis legitur) perierunt. Anno deinceps ſalut. 1444. iterum AEtna terribili ignium eiaculatione Catanam verſus cum iter arripuiſſet, Petrus Hieremias Panormitanus ordinis Prædicatorum, magna vir pietate, cum cleri populique pompa velum. D. Agathæ in occurſum contra incendia detulit: quæ, quaſi illud reuerita, alio iter ſuum conuerterunt, ac vigeſimo poſt die extincta ſunt. Eo tempore & mons ipſe contremuit, eoque motu e ſummo cacumine vaſtæ quædam rupes diſſolutæ collapſæque vaſta ruina in ipſam voraginem conciderunt. Vnde hiatus ille perpetuus multo amplior eſt factus. Hactenus itaque ab aliis accepta: iam quæ ipſi viſu ſumus aſſecuti commemoremus. AEtna cũ deficiente iam materia ſulphurea & bituminoſa, vel obſtructis meatibus, nec ignẽ nec fumum per plures annos emitteret, accolæ eius cacumen aſcendentes illæſi craterem etiam ipſum penetrabant. Sed inconſtans hæc manſuetudo fuit. Anno ſiquidem ſalutis. 1536. nono Calen. Aprilis, flante auſtro, & ſole ad occaſum vergẽte, nubes atra montis apicem operuit, & inter eam rubor emicuit. Tum repente ex ipſo cratere ignei torrentis vaſta vis erupit, paulatimque in modum fluminis magno montis murmure ac terræmotu defluens orientem verſus deſcendit, lacumq; (cuius ſupra in deſcriptione meminimus) illapſus, magnam ibi repertam lapidũm congeriem liquefecit. Quæ ſupra Randatium oppidum præcipiti, ſed falcato volumine decurrens, ouium greges & animalia pleraque obuiantia ſtatim demerſit. Ex eodem quoque ſummo montis cratere mirum ac horrendum viſu profluuiũ igneum, occidentem verſus ſupra Brontem & Adranum oppida, eodem tempore effluere cœpit. Liqueſcentes enim lapides ſulphurei ac bituminoſi, vi ventorum depulſi, lento fluxu & intermiſſo, veluti ferrum candens, decurrebant: & qui primum defluxerunt, ſenſim amiſſo calore in priorem naturam, ac materiam ſubnigram indureſcebant. Poſt riuus alter igneus deſcendens nõ ſupra priorem fluebat, ſed inter ipſius arenoſam cutem & priorem ignem iam concretum immiſcens ſeſe, curſum medium ſibi ſua vi faciebat: ita vt & cutis ſuperior, & ſuperficies prioris æque eſſet dura. Qui vero ignis recẽs erat, ſubter fluebat inſtar teſtudinis, quæ ſub teſta dura viuens lente tamẽ graditur. Ita fluenta, quæ prius induruerant, nouis cedebant, a quibus in partes diſiiciebantur. Nouiſſimis itaque ſemper vincentibus multiplicabatur incẽdium ad latitudinem ſtadii vnius, profunditatemque cubitorum circiter duodecim. Cumque totum refrixiſſet profluuium, lapidum molariũ congeriem ab ore crateris ad terminum vſque fluxus ſubnigram recens eructatã perpe-

perpetuo reliquit. Ita lapides ipsi in eodem colore perseuerant, quo defluxerant. Sed quo recentiores, eo & nigriores & firmiores: processu enim æui & pallescunt, & in arenas resoluuntur. Erat autem profluuii materia sulphurea, & bitumine mixta. Eo die D. Leonis templum in nemore situm, ab Henrico Lombardo Adelasię Reginę germano, Comite atq; Marchione, pro anima Rogerii comitis, eiusdemq; Adelasiæ vxoris eius, erectũ, fratrique Ioanni Amalphitano monacho, ac reliquis ibi monachis futuris, cœnobio datum, terræmotu primum corruit, mox ignibus obrutum est totum. nihilque nunc ibidem nisi asperrimorum lapidum e cratere proiectorum aceruus conspicitur. Circa eadem quoque loca, ad montis latera, terra dehiscente, plerique hiatus sunt perrupti. Ex quibus & fluenta ignea, & innumeri igniti lapides veluti tormento excussi, præmisso prius fremitu in cœlum emittebantur. Ad hæc naturæ miracula visenda, tanti incendii modum causasq; scrutaturus Franciscus Niger patria Platiẽsis, sed Leontinus incola, medica arte insignis, dum nimium diligenter, sed parum consulte propius ad fornaces accessisset, vno ex lapidibus qui in cœlum ex hiatibus euomebantur, in caput eius dilapso cõsumptus occubuit. Hæc quidem mira. Sed quæ proximo anno obtigerunt, mirabiliora. Anno nanque salut. 1537. Calend. Maii Sicilia tota diebus ferme duodecim tonare cœpit: crebrique sonitus ac ingentes, quales ex tormentorum bellicorum ictibus edi solent, & grauiores quoque, non solum Catanæ & vicinis agris, sed Pãormi quoque, Drepani, Lilybæi, Saccæ, Agrigenti, & tota prope insula sunt auditi. E quibus paruo terræmotu facto, domorum concussa tecta simul & parietes nutabant. Sonituũ huiusmodi, quos in Sicilia & Æoliis vicinis insulis familiares esse, 2. Meteororum lib. scribit Aristoteles, causam, exhalationi, quæ sub terris inclusa, siue ab Austro in Siciliam venit, siue in Siciliæ gremio gignitur, & ipse Aristoteles, & cæteri qui de natura differunt, attribuere. Ea namque cum natura sit exilis & velox, neque terram mouere, neque inde erumpere, sed sonitus duntaxat subterraneos procreare potest. Hi igitur sonitus mugitusq; cum increbescerẽt, tertio id. Maii in AEtna sub colle, quem incolæ Sparuerium vocant, hiatus quidam insoliti sunt aperti, e quibus tãta eiusdem materiæ igneæ moles est egesta, vt quatriduo. 15. p.m. iter conficiens obuia quæque sternendo exusserit, ac ad cœnobium vsque D. Nicolai de Arenis defluxerit: vbi conglobatus, monasterio intacto, Nicolosum & Mõpelerium pagos adortus, plures eorum domos exussit obruitque. Terræmotu quoque frequenti Catana & vicinæ vrbes adeo sunt cõuulsæ, vt ciues relictis vrbibus ad campestria salutem sibi quæsierint. At clerus & populus Catanensis cum incendia p.m. fere. 12. vicina, ac ocyus ad sese deferri prospicerent, ad aras D. Agathæ profugientes, velum protulerunt. quo eminus proiecto ignis constitit, ac mox sedatus est, & AEtna tonare desiit. Verum crater montis supernus nõ multo post, tantam subnigri cineris per triduũ molem efflauit, vt non modo mõs ipse ac finitima, sed ad Pelorum ac Pachynum, quinimo & Calabriæ Cosentiũ vsque, interiacentia oppida cineribus operta, maria quoque adeo sint circumfusa, vt trecentis. p.m. a Sicilia distantes naues, quæ Venetiis Messanam nauigabant, a ventis ferentibus late cinere eiecto fœdatæ sint: prout ipsi nautæ postmodum retulerunt. AEtna deinde cum cineres euomere desiit, magno fragore ac fremitu mugire cœpit: & inter mugitus ipsos summus montis apex abruptus a craterę superno absorptus est. Nã ętate mea cliuulus a crateris orificio per passus ferme centum insurgebat, vndique præcisus, qui totius montis supremus erat vertex, quo tũ intra voraginem palam absumpto, AEtna factus est demissior. Sed cũ postea Bröti agerem, oppidani seniores fide digni viri (quippe qui rem ipsam viderant) retulerũt, hunc ipsum cliuum non olim AEtnæ fuisse verticem, sed ab eo anno sal. 1444. postremo profluuio eiectum crateris ori inhæsisse. Sed de igne AEtnęo, quẽ nostra vidimus ætate, iam satis. Restat vt eius causas paucis aperiamus. Quæ natura raro fiunt, non vna nituntur ratione: cũ pleraque certis careant causis, vt quæ casu fiunt: vt. 2. physicorum lib. docet Aristoteles. Plura vero rationes definitas habent, vt syderum defectus, exhalationes igneæ, terræmotus, montium incendia, & cætera id genus. Sol etenim in terram actus humidum fumum educit, qui si crass-

sior erit, vapor appellatur, humidaque gignit, vt nubes, pluuias, perennes fontes: si siccior, exhalatio erit, & arida producet, vt ventos. Exhalatio hæc in terræ cauernis generata, si tota effluit, vi sua aerem propellit, ventosq; gignit. Si tota coercetur, cũ ignea sit, egressumq; motu velocissimo frustra quęrat, terræmotus efficit maximos: si non tota, leues. At vero si isthæc exhalatio in terram sulphuream ac bituminosam inciderit, mox excitat incendia, eaq; magna vi propellens, hiatũ aperit, extraq; eructat. Cumq; aqua maris, telluris foramina meatusq; & suo frigore, & fluctib. obstruat occludatque, euenit hac ratione, vt hæc exhalatio quam facillime iuxta mare accendatur. Iam vero, vt propius ad rem accedamus, cum tellus omnis foraminibus quibusdam (quemadmodum Philosophi tradiderunt) distincta sit, ea certe quæ mari vicina est, marisq; fluctibus alluitur, maiores habet fistulas, meatusque ampliores, ob id quod mare suo fluxu eam exedit consumitq;. Quod si telluris partem debiliorem mare nanciscitur, multo facillime eam erodit, pergensq; in eius viscera exhalationes creat: quæ si (vt diximus) in sulphuris venas incidunt, & bituminis, non difficulter incendia excitant. nam & in sulphure & bitumine ignis cõcipiendi vis ineſt, & venti furentes sua vi aliena quoque succendunt. Igitur AEtna cauernosa cum mari vicina sit, eiusque radices maris fluctibus pulsentur, non solũ exhalationes intra viscera gignit, vt. 2. Meteororum scribit Aristoteles: sed & ventos extraneos æstuantes admittit, intusque recipit, vt. 4. lib. Trogus tradit: quorũ vi ac potentia eius materia flammis incenditur. Quæ cum copiosa sit, semperque suo calore humectantibus tellurem vndis recẽti sulphure ac bitumine renato nouetur, perpetuas flammas fieri non est mirandum. Quarum deinde in ea inclusarum, ventorumque simul agitantium vis incredibilis, nõ tantum sulphur & viscera montis imbecilla, sed molares etiam lapides, fortioresque neruos comburit & liquefacit. Cæterum cum principio craterum ora vel angusta vel clausa sint, moleſque ingentes a montis visceribus euulsæ ac combustæ cautibus illidãtur, remugientibus scopulis AEtna non ante flammarum globos emittit, quam interni strepitus antecedant. Postmodum vero patefactis hiatibus, fluenta ignea etiam absque præmisso strepitu prodeunt, & pro qualitate ventorũ modo pura, modo crassa, quandoque pinguia vel exilia, prout intra mõtis viscera sunt, excremẽta emittuntur. Cineres denique, qui in imo sunt, acrior inde conflatus ventus expellit. Sed de causa AEtnæi ignis hucusque. Mouet me autem & ridicula veterum superstitio, qui, quoties AEtna ignem euomebat, magnum quiddam ei regioni in quã globi proiectarentur, portendi credebant, vt bella, pestes, clades, & id genus alia, Orosio teste. Scribit quoque. 3. lib. Pausanias, AEtnæ crateres, apud priscos, portẽdendi vim hanc olim habuisse, vt si quis argentea aureaque numismata, tum vasa, tum cuiusuis generis victimas in eos abiecisset, ea si placide ignis inferne suscepisset, optimum proiicienti fuisse omen: si contra ab igne proiecta extra pellerentur, pessimum. Nos autem, Peripateticorum doctrinis & Christiana veritate imbuti, nullam horum ignium, præter naturalem, esse causam affirmamus. Templum in AEtna olim fuisse Vulcano dicatum, veluti & ipsum montem, lucoq; & sacris arboribus, ac perpetuo igne septũ, tradunt veteres: quod canes asseruabant, qui miro ingenio caste ac pie ad templum accedentes permulcebant: manibus vero impuris, aut scelere aliquo pollutos, latratibus ac morsibus impetebant. Quod cœlitus fieri eis videbatur. nos vero dæmonum imposturas has fuisse verius existimamus. Huius templi vestigium nullum hodie cernitur: neque in qua montis parte fuerit, compertum est: nisi monumentum illud Turris philosophi nominatum, cuius supra meminimus, ab eo forsan sit reliquum. Sed plura quam statueram, de AEtna. Hortatur ordo simul & postulat, vt

Catanam vrbem, quæ subsequitur,

describamus.

F. TH.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis, prioris Decadis

LIBER TERTIVS.

De Catana vrbe.

CAPVT I.

CATANA vrbs vna sui parte mari alluitur, cæteris ad radices Ætnæ, cui subest, extenditur. Hæc a Chalcidensibus, qui Naxũ in Sicilia ædificauerant anno mundi. 4462. vt in supputationibus Eusebius refert, & septimo post Syracusas ab Archia occupatas, condita est, lib. 6. teste Thucydide. Anno etenim nono post Naxum extructam, cum loca Naxi vrbis Chalcidensib. habitationi minus apta viderentur, quod paludum ac fluminum ex AEtna orientium eruptionibus, quibus cœli inclementia excitabatur, essent obnoxia, (prout etiã hodie sunt) Theocles & Chalcidensium maxima pars e Naxo transmigrantes, hoc loco delecto, sedes posuerunt, vrbemque a Catano duce (vt a Græcis accepimus) Catanam appellauerunt: licet Thucydides Euarchum Naxiorum coloniæ ad eam extruendam authorem fuisse scribat. Sunt qui a situ potius, quod nimirum sub alto monte iaceat, eam denominatam velint. Nam Catana Græce, sub alto est Latine. Processu vero temporis, cum Hieron senior Syracusanorum Tyrannus vrbem Catanam superasset, expulsis Catanensibus, decem Megarensium, Geloûm, Syracusiorumque milibus, magna quoque finitimorum agrorum parte in capita distributa, eam habitandam dedit. Quam cum Doricis Laconicisque legibus exornasset, vt lib. 9. Diodorus, & lib. 6. Strabo memorant, quo nouæ quasi vrbis conditor videretur, abrogato Catanæ nomine, AEtnam appellauit. Cuius etiam non tyrannum, non Regem, sed habitatorem ciuemque sese salutari voluit. Vnde & in certaminibus quibus superauerat, victor, non Catanæum se aut Syracusium, sed AEtnæum, noua ambitione, proclamari iubebat, vt Pindarus in Olympiis & Pythiis tradit. Huic vrbi Hiero Chromium, quem ob singularẽ modestiam, probitatem, ac fortitudinem plurimum diligebat, gubernatorem præfecit: qui & ipse in Pythiis victor AEtnæus, eodem Pindaro teste, promulgatus est. Catanenses vero patria exutos in Leontinos transcripsit, eamque illis sedem constituit, iussitque vt cum incolis & ciuibus eam vrbem incolerent. Id autẽ ab Hierone propterea factum est, vt idonea ac fida sibi ad emergentes necessitates subsidia quam paratissima haberet, & vt ex hac vrbe decem milium colonorum quasi a se condita præmia, laudesque heroicas assequeretur. Moriens deinde apud hanc vrbem, & fato functus, non minores funeris honores nactus est, quam si vrbis conditor fuisset. Verum prisci illi Catanenses, quos in Leontinos transcripserat, vt eum mortuum audierunt, patriæ amissæ desiderio, Catanam reuersi, profligatis nouis colonis, tumuloque tyranni terræ exæquato, vrbi suæ pristinum Catanæũ nomen, AEtnæo abolito, restituerunt. Illi vero Catana expulsi, vrbisque & consilii

consilii indigentia in montanam AEtnæ montis oram profugientes, vrbẽ, cui antea AEtnosia Diodoro lib. 11. Inessa Thucydidi, & Innesa Straboni nomen erat, a Catana 12. fere. p. m. ad orientem dissitam, incoluerunt. Quam AEtnam appellantes, Hieronem eius conditorem diuulgarunt. Hanc anno ab Vr. con. 820. bello seruili flagrante, cæsis in ea. 20. ferme seruorum milibus, a Rutilio Cos. bello receptam, ac Diodori etiamnũ ætate extitisse legimus. Hodie vero neque vestigiis agnoscitur, neque quo loco steterit, nisi quod ad Mascalim, vbi vrbis veteris iacentis plura circum arcem cernuntur hodie monumenta, plerique sola opinione ac cõiectura ducti fuisse eam referunt. Sed ad Catanam redeo. Ea antiquitus ad eam oram qua Naxus petitur, insignem portum habebat: qui AEtnæ profluuio postmodum obrutus, vastissimis lapidibus plenus hodie conspicitur. Tria præterea Theatra memoratu digna erant in ea, quorum ruinæ adhuc visuntur. Quippe muri pars quæ Leontinos spectat, maximi theatri ex nigro quadratoque lapide structi, cui contigua est, præclaræ adhuc magnificentiæ monumenta exhibet. Alterum iuxta Stesichoream, quam nunc Acidis portam appellant, in hunc vsq; diẽ admiratione non indigna sui vestigia reliquit. Tertium Catanæ intra vrbem prope ædem Diui Augustini, spectandas hucusque reliquias monstrat. AEdes quoque complures diis veteris superstitionis sacræ hac in vrbe olim erant. Sed præter cæteras Cereri religiosissima. Sacrarium (in Verrem inquit Cicero) apud Catinẽses erat Cereris, eadem religione qua Romæ, qua in cæteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario, in intimo signum erat Cereris perãtiquum: quod viri non modo quid esset, sed ne esse quidem sciebant. aditus nanque in id sacrariũ non erat viris: quoniam sacra per mulieres ac virgines confici solebãt. hucusque Cicero. Sacrarium id extra portam vrbis, quã Regiam vocant, situm erat, vbi turris est hodie Episcopo inscripta: cuius mira adhuc visuntur monumẽta superstructæ iam Spiritui sancto ædiculæ incluſa. Gymnasium habebat Catana honestarũ disciplinarum studio celeberrimum, quod M. Marcellus captis Syracusis erexit, Plutarcho in Marcello: cuius pro mœnibus non longe a littore cernuntur ruinæ. Thermæ quoque erant in hac vrbe cum columnis & epistyliis marmoreis ornatissimæ: quas, vbi nunc D. Agathæ vetus est fanum, fuisse, Catanenses a maioribus per manus instructi affirmant. Ex hac præterea vrbe a M. Valerio Messala Cos. primo bello Punico Siciliam turbante, horologii vsus Romam est adductus, Plinio lib. 7. cap. 60. Aquæductus ex quadrato & nigro lapide, a viginti ferme. p. m. ex fonte cui vernacule Butta hodie nomen est, qui non longe a Paternione oppido, iuxta monasterium Diuæ Mariæ Licodię emergit, in vrbem affluentissime prisca ætate per pilas arcusque, aquas deducebant. Quorum magna & integra moles, neque inferior ea quæ Romæ est, adhuc cernitur: licet dum pararem hæc edere, ad noua vrbis propugnacula struenda, non parum diminuta ac diruta fuerit. Catanam vrbem prisco tempore equestri militia, ac eruditione, opibusque fuisse insignem, Pindarus, cum ab equitatu, diuitiis & sapientia Catanenses extollit, in Nemeis ode nona scribit. Quã & locupletem, honestam & copiosam, in Verrem Cic. commemorat. In hac vrbe (eodem authore) & summus Proardiorum magistratus fuit. Claruit olim & illustrium virorum sepulchris, vtpote Stesichori poetæ Himerensis, cui huc profugo, defuncto que, primo extra vrbem lapide, orientem versus, ad portam quæ ad Acim oppidum ducit, quæque ab eius tum nomine fuit insignita, sepulchrum octo gradibus, octo cingulis, totidemque columnis eleuatũ a terra Catanenses vouerunt: vt I. Pollux, Suidas, & Pausanias scriptum reliquerunt. Cuius sepulchri non longe a porta Acidis in æde Bethleem, in hortis Nicolai Leontini, (qui apud veteres sepulchrorum erat locus) adhuc extat memoria. Clara quoque fuit tumulo Xenophanis Philosophi, qui postquam in Hesiodũ & Homerum elegiis inuectus est, Catanę mortẽ oppetiit: vt testatur Apollodorus. Duorum etiam fratrum sepultura & pietate Catana celebrata est, quos Catanenses quidem Anapiam & Amphinomũ, Syracusani vero, qui de eorum patria contendũt, Emanthiam & Critonem vocant. Hi AEtna quondam late incendiis grassante, parentes senio confectos, & ad sui ab igne fluente liberationem impotentes, vt eorũ

vitæ

vitæ consulerent, patrem vnus, matrem alter humeris sufferentes ab incendii loco quam celerrime asportarunt. Cumque parentum pressi pondere tardius (vt par erat) iter conficerent, a vicinis & insequentibus ignibus visi sunt opprimi: qui tamen cum ab incepto pio opere ob periculi metum non destitissent, ardentium ignium fluenta, cum ad eos peruenissent (mirum visu) iuxta illorum pedes in duas partes sunt diiecta, ac ipsos cum parentibus adolescentes, nullo eis illato æstu neq; incommodo, præterierunt. Sed post eos, vt res mira dilucidius appareret, rursus flammæ in vnum corpus coierunt. Qua virtute ac miraculo commendatis adolescentibus, post obitum eorum Catanenses monumentum regia magnificētia erexerunt, regium perpetuum nomen indicentes. Piorum nanque campum eum locū appellarunt, ac statos solennesque honores perpetuo illis impendendos dedicarunt. Quos anno quolibet ætate etiam sua Pausanias libro nono, magna pompa persolutos docet. Catana, postquam Sicilia, captis Syracusis, facta est Romanorū prouincia, a Sexto Pompeio cum reliquis Siciliæ ciuitatibus vastata est: quam deinde Cæsar Augustus (vt lib. 6. Strabo memorat) restituit. Iterum tamen eam Fredericus secundus Rom. Imperator, Siciliæ huius nominis primus Rex, quod ab eo desciuisset, solo fere æquauit: arcemque in ea, quæ adhuc extat, in rebellionis formidinem posuit. Qui pœnitentibus postea ac supplicibus ciuibus indulsit, vt vrbē structura humili ac lutea restituerent. Cuius deinceps mœnibus Fredericus Aragonius, secundus huius nominis Siciliæ Rex, quem tertium falso appellant, turres addidit. Martinus mox, vt domos qua vellent altitudine, ornatu ac magnificentia, calceque firmarent, concessit. Ætate vero mea Carolus Quintus Cæsar, secundus huius nominis Siciliæ Rex, Catanam mœnibus & propugnaculis munitissimis magnificentissimam reddidit. Nuper Anno Salut. 1554. Mense Maio, apud Catanam, in fodiendo littore apud portum cognomento Saracenum, in tabula marmorea quadripedali, Fidius, apud Græcos Trinomius, veteris superstitionis Deus, tribus his nominibus appellatus, Semipater, Fidius, & Sanctus, & his aliis, Honor, Veritas, & Amor, sub tribus imaginibus sculptus fuit repertus: Honor scilicet & Veritas manus dexteras iungentes, ille aperto capite, hæc pallio vittata, & Amor medius adolescens vtrunque cōplectens. Huius festum nonis Iunii Romani celebrabant, per hunc iurabant, seque obligabant, dicentes, Me dius Fidius. De quo in. 6. Fastorum lib. fuse scribit Ouidius, & Plautus in Asinaria. Catanæ anno salut. 1355. prid. Calend. August. Friderico huius nominis tertio Siciliæ Rege rerum potiente, quem Auritum appellabant, vacca ad macellum ducta, vitulum effigiē humanam ac vnū in fronte oculum habentem edidit. Nobilitatur & hodie vrbs hæc disciplinarum omnium, iuris præsertim Cæsarei ac Pontificii gymnasio insigni. Tulit Catana olim viros illustres complures, quibus plurimum est nobilitata. Andron in primis Catanensis fuit, qui inuenit ad tibiam morem & modum saltandi gesticulandique, ac rhythmos canendi, vt Athenæus libro primo refert. Charondas philosophus & legislator Catanæ oritur. Hic (teste Pol. lib. 2. & 4. Aristotele) Catanensibus, & cæteris Chalcidensibus ciuitatibus, quæ erant circa Siciliam & Italiam, leges condidit, vt etiam AElianus lib. 3. scribit. Eius sepulchrū marmori inclusum cum arca stannea, in qua ossa eius recondita erant, ætate mea iuxta ædem D. Agathæ, quam veterē appellant, inuentum est. Diodorus quoque, quem vulgus Liodorum vocat, vir magica arte imbutus, miranda præstigiorū machinatione Catanæ floruit. Is nanque potenti carminū suorum vi homines in bruta animantia conuertere, omniumque ferme rerum formas in nouas metamorphoses transfundere, longissimisque a se spatiis dissitos repente ad se attrahere posse videbatur. Catanenses præterea adeo crebris lacessebat iniuriis, & contumeliis dehonestabat, vt vanissimæ credulitatis laqueis circumuenti ad cultus ei pendendi studium concitarentur. Qui cum capitis reus cruci tradendus esset, eliciorum carminum præsentissima arte e Catana Byzantium, cuius imperio eo tempore Sicilia suberat, & rursus e Byzantio Catanam, lictorum manibus dilapsus, paruo tēporum interstitio per aera se deuehi iussit. Quibus veneficiis adeo populo factus est admirabilis, & eo tandem peruasit, vt in ipso quandam numinis potentiam esse

rati,

rati, errore sacrilego cultum sacris debitum ei exhiberent. Sed tandē a Leone Catanensi Episcopo diuina virtute ex improuiso captus frequenti in media vrbe populo in fornacem igneam iniectus incendio consumptus est. Sed quoniā in magiam incidimus, quam fraudulentissimam artem, Romanis legibus olim grauiter punitam, ac vel ipso nomine perosam execrandamque esse nemo ignorat, non abre fuerit & illud adiicere: Non omnia quæ per magicam artem aut oculis aut animis obiiciuntur, ea re ipsa fieri: vt quod a Liodoro homines in bestias transformatos creditum est, & quod in asinum sese abiisse ipse testatur Apuleius, quodque de Medeæ veneficiis passim & poetæ & historici loquuntur. Talia nanque per humanorum sensuum delusionem, quibus ipsi dæmones plurimum præsunt, & non reuera inducuntur. Cum etenim dæmones rerum cognitione ex ingenii acrimonia, longaque experientia, atque naturæ agilitate, præstent, ea quæ sunt (vt vulgato loquendi apud nostri temporis philosophos more vtar) alterabilia facile coniungere possunt, & ea nonnunquam inducunt quæ miracula esse videntur hominibus. Neque propterea CHRISTI DEI nostri miracula, magica arte ac dæmonum incantamentis facta fuisse censendum est, vt Suetonius Tranquillus, Cor. Tacitus, Plinius, & Trogus P. falso nobis imponunt. CHRISTI namq; opera, vtpote mortuorum ad vitam excitatio, cœcorum illuminatio, & id genus cætera, cum vim omnem excedant naturæ, præstigiis magicis fieri nequeunt, sed sola illius potentia, qui conditor est naturę. Sed iam ad institutum reuertor. Catanæ quoque vrbi sepulchro D. Agathæ virginis, quæ pro Christiana religione sub Quintiano Siciliæ quondam præside, anno salut. 252. occubuit, plurimum ornamenti accessit. Ea nanque cum ob id solum quod Christiana esset, tanquam malefica delata fuisset, plagas fidiculasq; primum, mox a pectore vbera sibi ferro ac igne diuelli passa, demum ex pedum plantis derasa cute super ardenti foco placido vultu incedens, intrepida inuictam mortem in carcere obiit. Cuius numen tanquam Catanæ vrbis tutelare, maximo totius Siciliæ virorum ac mulierum conuentu, nonis Feb. quam religiosissime colitur: tametsi Panormitani de eius patria contendant. Templum ei tota Sicilia maximum, & cœnobium illi coniunctum, ab Angerio Catanæ vrbis Episcopo conditum est, prout marmorea tabula ad septentrionalē ædis portam infixa, has maiusculas inscripta demonstrat: Anno ab incarnatione domini. 1094. ind. prima, Vrbano secundo Papa Romæ, Philippo Rege Franciæ, Rogerio Guiscardi Ducis filio Duce Italiæ, Rogerio quoq; fratre ipsius Guiscardi Comite totius Siciliæ, & Calabriæ Domino, Angerius Catanæ Abbatiæ Episcopus, cœpi hoc ædificare monasterium, & ad finem vsque compleui adiuuante Domino nostro IESV CHRISTO. hucusque inscriptio. Rogerius etenim Normanus Siciliæ Comes post exactos Sicilia Sarracenos, Catana episcopali sede ornata, & cœnobio ordinis D. Benedicti in eadem æde constituto, Angerium cœnobii Abbatē simul & vrbis Episcopum instituit, cui Catanam vrbem, AEtnam montem, atque Acim oppidū dono perpetuo obtinenda dedit, reseruato sibi pro censu annuo vini cyatho & pane: vt in eius diplomate dato Catanæ anno salut. 1092. videre est, Vrbano secundo Romano Pontifice id confirmante: vt in eius priuilegio dato Anagniæ. 7. id. mar. anno salut. 1092. constat. Nicolaus cognomēto Todiscus Catanensis fuit. Is iuris pontificii scientia sua ętate nemini secundus, Abbas vulgo dictus est: quod Abbas erat monasterii sanctæ Mariæ cognomento Maniacis, ad radices montis AEtnæ siti. 8. p. m. a Randatio ad occidentem distantis. Nec multo post ad Panormitanum Archiepiscopatum ab Eugenio quarto Romanæ sedis Pontifice per Alfonsi Arragonum & Siciliæ Regis intercessionem suffectus, postremo sedis Apostolicæ Senatui Cardinalis adscitus est, Bononiæ & Senis instituendæ iuuentuti operam dedit. In totum pene ius pontificium eruditissima edidit commentaria, quę a peritis maximo in precio habētur. Hic in concilio Basileensi anno salut. 1440. cōsilio, doctrina atque authoritate cæteris omnibus præstitit. Galeatius siue Galeotus Bardasinus ætate superiori Catanæ oritur. Is singularibus naturæ incrementis euectus, admirabili corporis magnitudine eo proceritatis excesserat, vt communē hominum staturam verticesque humeris superaret: cuius robustis ac teretibus membris,

membris, vniuersæque corporis magnitudini par virium robur, habituſque adeo reſpondebant, vt tota eius compago exactiſſimo naturæ ingenio exculta elaborataque eſſe videretur. Igitur haſtæ lapidiſque iactu, lancea, ſaltuque omnẽ hominem facile vincebat. Membrorum quoque robori ingens animi decus affuit. Equo ac pede bellator acerrimus. Neque illi ſitus, quominus fortitudinis ſuæ experientiam ederet, officere potuit. Armatura enim graui armatus, galeatuſq; humi ſtans, ſiniſtra ephippium, dextra haſtam militarem tenens, ſtrenuo ſaltu equũ inſiliebat. Grandi etiam ſtatura equum abſque freno velociter currentem, inſidens, cruribus coxiſque ſiſtebat. Aſinum præterea magna lignorum congerie, ſiue quocunque alio onere grauem, manibus e terra extollebat. Duos præterea ex robuſtiſſimis ſimul aggrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compreſſum vrgebat: nec ante deſiſtebat, quam prius hunc, deinde illum pedibus ſubiiciendo, amborum manus poſt terga vinciret. Is cum Plumbinum Florẽtinorum eo tempore oppidum, ab Alfonſo Aragoniæ & Siciliæ Rege obſideretur, a tribus hoſtium equitibus petitus, vnum ex eis gladii capulo ſeminecem equo excuſſit, alterum citato equo medium amplexus, e ſella extractum humi proſtrauit, tertium cubito grauiter percuſſum in fugã vertit. Singulari certamine quater prælia-tus, bis in Italia, bis in Gallia Trãſalpina, toties victor euaſit. Sed ad ordinẽ redeo. Amenas fluuius Pindaro in Pythiis ode prima, Amenanus Straboni lib. 5. & Ouidio Metam. lib. 15. Iudicellus ætate mea appellatus, vrbem Catanam ſubterlabens interfluit. Oritur autem ex radicibus AEtnæ mõtis, cuius cum fons nondum perueſtigari potuerit, in media tamen vrbe longo tractu pleno fluit alueo. Aliquando vero obturatis fontium venis, totus per aliquot annos euaneſcit: rurſuſq; poſtmodum ſubito erumpens excurrit. Ita alternis vicibus perpetuo, ignotis naturæ cauſis, itque reditque, tantam quandoque Catanæ vrbi calamitatem afferens, vt inundationem aut cladem inferat. Nam cum excurrit, craſſior vrbis aer redditur, ac inſalubris & peſtilens Catanenſibus efficitur. Ager Catanenſis ampliſſimam habet planiciem, ac vberrimus & frumenti feraciſſimus eſt. Qui cum obſitus eſt, annonę caritas proculdubio tota Sicilia ſequitur. Catanenſes colles, poſt igneum profluuium, & reiectum cinerem, quo exundãt, vltra morem ſunt fertiliſſimi. Cinis nanque AEtnæus lætiſſima reddit vineta, & arua fructuoſa. Extra mœnia Catanæ vrbis p.m. 3. ad occidentem, cœnobium eſt ordinis Carthuſienſium, Diuæ Mariæ a noua luce dicatum, ab Artali Alagona Miſtrettæ olim Comite, & Siciliæ proiuſtitiario, a fundamentis erectum & dote inſignitum: vt eius diplomate dato Catanæ menſe Martio, anno ſalut. 1378. patet: ſed ad ordinem D. Benedicti ab Vrbano Romano Pont. poſtea translatũ: vt in eius priuilegio dato Romæ. 8. cal. Feb. Pontificatus ſui anno octauo legitur. Sed rurſus ordinẽ inſtituti noſtri ſequamur.

DE TERIA, ET SYMÆTHO FLVVIIS.

CAPVT II.

POST Catanam vrbem p.m. 8. Terias fluuius Thucydidi li. 6. & Plin. 3. in mare ſe exonerat, & fauces habet: fluuius Catanæ, & Iarretta hodie, a ſcapha qua Leontinum homines eius alueo traiiciuntur, appellatus. Nam ſcapham Siculi Iarrettam vernacula lingua, mea quidem ætate vocant: cuius ibi toto anno ad viatores traiiciendos vſus eſt. Hic præter anguillas & mugiles, aloſas præbet laudatiſſimas: ſed & eius mugiles ab Athenæo ſapidiſſimi cenſentur. Aloſæ autem a mari ad prima veris ſigna, agminatim huc, & aliquot Siciliæ flumina quæ in mare Libycum fluunt, ſubeunt, vt aquarum ſuauitate ſalubrius fœtum educant: ibique paucorum dierum mora in vndis fluuialibus amiſſa, marinæ ſalſuginis ariditate mirifice pingueſcunt, ac ouis ad ripam fluuii editis, ex quibus poſtea gignuntur, incipiente ſtatim æſtate, in maria reuertuntur. Caput habet ipſe amnis in media ferme Sicilia triplex, quorũ quodlibet ingentem facit fluuium. vnum quidem ad montem Nicoſiæ oppidi oritur,

quod fluẽs Trachinam, cuius vſurpat nomen, dextrorſum in excelſa rupe primũ, mox Ciſarum oppidulum ſiniſtrorſum relinquit, Maniaciſque agros decurrens alluit. vbi Broli & vicinorum collium receptis fluuiis augetur: & ſubinde non procul, falcato fluxu dilapſo, & AEtnæ radices alluenti, Rayhalbuti, quod Sarracenici nominis oppidum eſt, fluuius ad dexteram, & mox ad ſiniſtram Adriani aquæ, e fontibus quidem magnis & numero pluribus ortæ, illabuntur: ac denique Paternionis oppidi, quod ad ſiniſtrum dimittit, aquis exceptis, auctus, eius quoque nomen prioribus amiſſis ſuſcipit: vbi anguillis & tincis abundat, ſcaphæque eiuſdem nominis vſum habens, agrũ Catanenſem excurrit. In quo alteram habet ſcaphã, quæ a ſancta Agatha dicitur: vbi & Teriæ apud veteres, hac vero ætate Catanæ nomen habet. Alterum Teriæ flu. caput ſupra Aſſorum oppidum, ad montem Artiſinum, qua orientem reſpicit, exoritur. Vnde dilapſus paulo inferius fontis maximi, qui ex Taui monte & ortum & denominationem habet, influxu augetur, & nomen adipiſcitur. Memoriæ proditum eſt, Taui fontem, iuxta quem Sarracenorum olim erat oppidulum, cuius adhuc cernuntur ruinæ, anno ſalut. 1169. prino. Febr. Gulielmo huius nominis Siciliæ Rege ſecundo rerum potiente, duarum ferme horarũ ſpacio a die exortu, ſuppreſſum omnino ſubſediſſe, ac magna mox ſcaturigine ſanguinei coloris latices, per horæ interuallum, ſtupentibus accolis effudiſſe. Prolapſus dein Taui flu. Calafibetham atque Ennam oppida ad dexterã, ad ſiniſtram vero Aſſorum in montibus editis relinquens, fluuiolum ſub Enna oriundum excipit: vbi priori amiſſo nomine Chryſas a veteribus, Dictainus hodie vocatur. Dehinc longo tractu fluens Gurgalongam fluuium recipit, & poſtea Agyra, Rayhalbuto, Centuripis, Apollonia, & Alicya oppidis ſiniſtrorſum & procul relictis, in agrum Catanenſem fluit, atque inter ſcapham ſanctæ Agathæ, & ſcapham Iarrettæ, Teriæ fluuio miſcetur. Tertium vero caput, ad montem Aydonis, noui nominis oppidi, initium capit. Vnde dilapſus hoſpitium Cannæ, cuius ibi nomen induit, præterlabitur. Subinde longo, ſed obliquo fluxu excurrens, Gabellamque hoſpitium aliud, eius mutuato nomine, Iudicam, Hyblam, & Ineſſam oppida proſtrata præterlapſus, Catanenſem agrum irrigat. Vbi inter ſanctæ Agathæ ſcapham, & Iarrettam, Teriæ poſt Dictainum illabitur. Ita Terias tribus fluminibus maximus effectus, Leontinorumque ſcapham habens, inter Catanam & Symæthum fluuium prorumpit in mare: vt lib. 6. Thucydides ſcripſit, & nos viſu docemur. Cum Teriam traieceris, ad. 4. p. m. Symæthi flu. oſtium occurrit Thucydidi, & Straboni lib. 6. & Plin. lib. 3. licet Ptolemæus non recte inter Tauromenium & Catanam ipſum poſuerit. Symæthus flu. (inquit Strabo) agrum Catanæum influit. & Thucydides: Profecti Catanam verſus, caſtra poſuerunt ad Symæthum fluuium, in agro Leontino. Appellatur hodie is fluuius a ſancto Paulo, a ponte eiuſdem nominis, ad eius alueum traiiciendum ibidem extructo. Sed & ager eius ripis adiacens, Symæthus adhuc dicitur. Ita vetuſti eius nominis nequaquam facta videtur obliuio. Quinque fontibus, non longe a Mene vrbe exurgit. Eorum hæc ſunt nomina: Macubus, Pipinus, Ochula, Canalis Calcagnus, & Fons ferratus. Et dilapſo iuxta hoſpitatoriam tabernam a Gutterra nominatam, flu. Buſſaritus, non longe a Platia vrbe exortus, ei ad ſiniſtram illabitur. Et paulo poſt flu. Paliconiæ, ab oppidulo eiuſdem nominis, & nomen & ortum adeptus, ad dexteram in eum influit. Ita Symæthus auctus Leontinos primum (vt Thucydides libro 6.) mox Catanenſes agros, qui contermini ſunt, alluit: vt & lib. 6. Strabo ſcribit. Hic idem ille eſt fluuius apud authores celeberrimus: quod ad eius verticẽ, qui a faucibus p. m. ferme. 30. intus recedit, Thaliam Nympham, a Ioue compreſſam, duos peperiſſe gemellos poetarũ fabulis traditum eſt. Quos cum illa, metu Iunonis optaret a terra abſorberi, paruit quidem terra nymphæ optatis: attamen eos paulo poſt in lucem edidit. Vnde Palici dicti, quaſi ex terra renati, & pro diis a veteribus Siculis ſunt habiti. Quibus & lacum & templum, ad verticem huius fluuii extantia, & miranda plura conſecrauit antiquitas. Cuius memorabilis ſuperſtitio cogit vt fuſius de iis loquamur. Lacus itaque inter Menęum oppidum perueteſtum, & hoſpitium Gutterræ, non magni ambitus, ad radices cuiuſdam collis,

paulo

paulo infra Symæthi capita, adhuc extat, Naphthia ætate mea vulgo appellatus. Qui assiduam scaturiginem turbulentarum ac pene sulphurearum aquarum, trib. in medio crateribus, quos & delos veteres vocabant, ad tres circiter cubitos in altum eiectans, non aliter quam subiectis ignibus feruens ebullit olla. Cuius aquę ad perpendiculum cadentes nunquam effluunt, sed rursum in eũdem sinum, qui eo tamen non fit amplior, recipiuntur ac residēt. Cui, quod Palicos fratres, quos vesano errore Deos existimabant, perpetuo adesse arbitrarentur, diuinos honores deferebant, crateresq; ipsos summa religione vetustiores Siculi venerabantur: iuxta quos & templum (vt lib. 11. Diodorus, & 5. Saturnaliorum Macrobius scribũt) porticibus & architecturæ sumptibus cõspicuum, ac tota Sicilia cultu & religione per stupenda quædam miracula crescenti longe clarissimum, ac finitimis etiã Italiæ populis frequentatum, in planitie Diis Palicis ædificarunt. Quo, cum furti vel cuiusuis alterius causæ fides seu iuramentum postularetur, reus cum actore deducebatur, ibique, accepto fideiussore ab eo qui iuraturus erat, de soluẽdo quod petebatur, inuocatis loci numinibus, suspectus iurabat. si fideliter, discedebat illæsus: si peierabat, mox in lacum crateresque vel lapsus expirabat, vel luminibus saltem captus condemnabatur in litem, vt Diodorus refert. Aristoteles vero in lib. de mirandis auditionibus, multo aliter tabellis id fieri solitum scribit: quas iuraturus ante conscriptas & obsignatas in fontem emittebat: quæ si recte, super aquas fluitabant: si dolo, statim mergebantur, periurusq; repentinis correptus ignibus in cinerem palam vertebatur. Quamobrem sacerdotes, quibus sacri fontis & templi cura erat, non prius ad iusiurandum quenquam admittebant, quam sponsorẽ præstitisset, qui & quod petebatur, & expurgationis impensas, si diuini iudicii supplicium repentinum luisset, pro eo statim solueret. Templum vero ipsum asylum præterea tutissimum erat, supplicibus quacunq; calamitate oppressis. Nam cum Siciliam soli ariditas, pluuiæque inopia aliquando exhausisset, annonæ caritate afflicti Siculi omne genus frugum in Palicorũ aram congerebant: quę ob id pinguis a veteribus est appellata. Vnde Æn. 9. Verg. Eductum (inquit) matris luco Symæthia circũ Flumina, pinguis vbi & placabilis ara Palici. Cuius beneficii religione, ac numinũ reuerentia, perpetua lege sancitum fuit vt serui sæuitiam dominorum fugientes, tuti ac inuiolati in id templum reciperentur, donec iureiurando eis domini inpunitatem ibidem essent polliciti. Quod adeo religiose obseruatum fuit, vt nunquã datam ibi seruis fidem a dominis violatam fuisse Diodorus memorię prodiderit. Cũ igitur rei nouitate ac miraculis allecta populi eo frequentia cõflueret, Ducetius Siculorum princeps, C. Nautio Rutilio, & L. Minucio Carutiano Coss. iuxta hoc Palicorum templum in colle, qui lacui prominet, vrbem in quam se aduenæ reciperent, condidit, Palicamque a Diis vicinis appellauit. Qua muro satis firmo cõmunita, finitimos colonis agros diuisit. Ea vrbs, licet vbertate soli, & habitatorum multitudine, paruo tẽpore in iustæ ciuitatis formam coaluerit, post ab hostibus euersa, breui defecit, Diodoro lib. 11. teste. Extant hodie in eodem colle huius vrbis vestigia, non magno tamen interim ambitu comprehensa: templi quoque ipsius magna circa lacum, & ea pro maiori parte obruta monumenta: lacus autem ipse ad angulum planiciei, circa collis radices turbidus, & mali odoris, ambitus passuum non minus centum: in cuius quoque medio tres sunt, veluti ollæ sub igne feruentis, aquarum scaturigines. Quæ continua etiamnum eructatione ad tres circiter cubitus in altum, comitante perpetuo æstus murmure, aquas efferunt, rursumque cadentes in sinum recipiuntur. Aquas huius stagni si mane ante solis exortum bruta potauerint, repentino prope interitu occidunt. Nam licet frigidæ sint, turbidæ tamen, & dirum exhalantes odorem, qui ex sulphuris bituminisq; materia, qua stagni fundus plenus est, vt bullæ ex eo aliquando efflatæ indicant, generatur. Hinc adeo pernicioſæ sunt eius aquæ, vt nõ solum potantia bruta, sed superuolantes plerunq; aues in periculum agant. Nam ex aquarum huiuscemodi vaporibus aer inficitur: & quo deterior est materia, eo concretior redditur: quo inspirato, perinde vt gustato veneno aues pereunt. AEtate mea, cum aliquãdo Sicilia siccitate laboraret, stagnum hoc prorsus exaruit: e cuius tũ crateribus,

ventis ſolum furentibus, puluis tantum efflabatur. Sed de Palicis hucuſque ſatis, ſi illud addidero quod, cum eius quæ a ſcriptoribus recenſentur miracula veteri florente ſuperſtitione ſint edita, dæmonum opera fuiſſe proculdubio exiſtimandum eſt. Ad Symæthum fluuium reuertor. Cuius littoralis ora, quæ ab eius faucibus ad Leontinos vſque vergit, Xuthia priſco tempore vocabatur, a Xutho principe, ex filiis AEoli vno, qui huic olim regioni dominabatur, vt lib. 6. Diodorus tradit. Poſt Symęthum fluuium p. m. fere quinque, fluuii qui ſancto Leonardo hodie inſcribitur, oſtium ſequitur. Cuius nullus veterum meminit. Oritur is duobus capitibus. Quorum dexterum, ex duobus fontibus originem habet: altero, cui non longe a Bucherio oppido emergenti, Gileppo eſt nomen: altero, qui iuxta Francofontem oppidum, vbi & priori miſcetur, a Paſſanito dictus eſt. Et excurrēs cum ad dexteram Leontinum vrbem mille paſſus reliquit, Reginæ nomen ſuſcipit. Siniſtrū vero non longe a Lycodia oppido, ex fonte Nuciforo oritur: & fluēs paulo poſt ordine augetur ex fontibus Callari, Ciramito, & Minachi: auctumque Scumæ nomine appellatur: ac deinde in agro Militelli oppidi, ex aliis fontibus ampliora incrementa ſuſcipit. Vnde progreſſus, inter Militellum & Francofontē oppida, loco cui Barrifaudo nomen eſt, vbi & plures frumentarias molas habet, hominum ingenio atque opera in duos ramos diuiditur: quorum ſiniſter in lacum Leontinum, quem Beuerium vulgo appellant, influit: (quem & piſcoſum facit) dexter vero mille prope paſſus a Leontino refugiens, cum fluuio Reginæ miſcetur: pergenſque vlterius, ab ædicula ſancti Leonardi, quam præterlabitur, nouum nomen acquirit. Vnde prorepens, lacum alterum piſcoſum, Pantanum appellatum, facit. Nā clauſo maris oſtio, fluuii curſus detinetur, & amnis ſtagnat: qui ad dexteram agris vicinis ſuper funditur, eoſque vel ob id inarabiles & culturæ minime idoneos reddit. Ad læuam vero per aquæductus fluens, Pantanum ipſum progignit. Hinc tota fere hæc regio paluſtris eſt. Leontinum frumenti emporium deinde ſequitur: vbi ſinus paruus eſt. qui, quod ad angulum quendam ſitus eſt, quo collis, qui ei imminet, in orientem ſe porrigere incipit, faciens Taurum promontorium, Ingluni vernacula lingua, quæ literis ſcribi minime poteſt, licet diſtincte proferatur, hodie Siculis nominatur. Iuxta emporium & eius horrea, templum quadrato & ingenti lapide a Friderico ſecundo Cæſare, Siciliæ Rege, conditum imperfectum quidem, ſed mirum extat. In eodem loco arx eſt, & ager illi adiacens, qui Murgus appellantur. Fuiſſe ibi olim Murgentium vetuſtam vrbem, eruditi omnes affirmant. Cuius deletæ plæraque, licet obruta, in eodem agro cernuntur veſtigia, quod nominis, cuius aliquod ad hūc ſeruat monumentum, affinitas affirmat. Cicero in Verrem eam Murgentium, Strabo. lib. 6. Morgantium, Liuius vero li. 4. de ſecundo bello Punico, Murgantiam appellant. Quam quidem maritimam fuiſſe, nec longe a Syracuſis, his verbis teſtatur Liuius: Ad Murgantiam tum claſſem nauium centum Romanus habebat, quo euaderent motus ex cædibus tyrannorum orti Syracuſis, quoue eos ageret noua atque inſolita libertas, opperiēs. hæc Liuius. Hæc a Morgetibus Aſiæ populis condita fuit, vt lib. 6. Strabo ex Antiocho refert: Morgetes (inquiens) Rheginos Brutiorum agros cum Siculis primum incoluerūt. Vnde ab OEnotriis eiecti, in Siciliam traiecerunt, & Murgentium hanc vrbem ædificarunt. quæ poſtea a Carthaginenſibus fuit deleta, & Strabonis tempore proſtrata viſebatur. Sunt qui Engium vrbem ex verbis Plutarchi in Marcello maritimam opinantur hoc loci ſtetiſſe, quod ex affinitate recentis & vetuſti nominis, & ex aliis quoque coniecturis ſuſpicantur. Et quoniam emporium hoc Leontinorum eſt, quorum vrbs quinque p. m. ab eo intus recedit, Leontinum vrbem, etſi mediterraneam, hic deſcribere non alienum a meo inſtituto fore cenſeo.

DE LEONTINO VRBE.

CAPVT III.

LEON-

LEONTINVM, siue Leontium Ptolemæo, peruetusta vrbs p.m. quinque a suo maritimo emporio distat. Hæc vrbs si altius eius originem repetamus, omnium Siciliæ vrbium antiquissima est. in ea namque qui primi (quos quidem authorum memoria consequimur) versati habitauerunt, Læstrygones fuerunt. Gentem Cyclopum (inquit Solinus) fuisse in Sicilia, vasti testantur specus. Læstrygonum vero sedes in Leontinis adhuc sic vocantur. Et Plin. lib. 3. Flumina Symæthus & Terias. Intus Læstrygonii campi, oppida Leontini, &c. Quod si etiam authores desint, vasti eius specus, qui in hunc vsque cernuntur diem, satis id demonstrãt. Huic vrbi vel a subita finiũ propagatione, vel a populi concursu, conuenientissimum nomen primi eius habitatores imposuerunt. Leos enim Græce, populus est Latine: & tinein Græcis, extendere vel multiplicare Latinis sonat. Latos siquidem fines, & incolarum frequentia simul ac varietate celebres semper habuit. Post Læstrygonas hęc vrbs a Siculis fuit habitata, & subinde Naxiorum indigenarum colonia lib. 6. Thucydidi. Theocles (inquit) atque Chalcidenses e Naxo profecti, septimo post habitatas Syracusas anno, Leontinos eiectis Siculis incolunt. hactenus Thucydides. Quo tempore Siculi eam habitabant, Hercules Siciliam traiiciens Leontinum venit. Cuius agri pulchritudinem admiratus, & quoniam summo honore ab incolis fuit exceptus, æterna ipse eis sui reliquit monumenta, quæ nobis a scriptoribus tradita non fuerunt. Deinde vero & Naxiorum sedes fuit. Nam Chalcidenses, qui Naxum incolebant, ob aeris inclementiam inde discedentes, penatibusque translatis, in Leontinos venerunt. vbi Siculis bello superatis eiectisq; suæ gentis coloniam duce Theocle posuerunt. Leontinos (lib. 6. inquit Strabo) Naxii, & quidem indigenæ, condiderunt: eamque vrbis partem quam Tironem hodie appellant, quod natura munita esset, primum incoluerunt: cui deinde circũducto muro amplissimo, arcem quoque triangularem, quæ adhuc extat, tria Siciliæ promontoria suis angulis spectantem, atque exinde aliam vrbis partem, quam Ciuitatem nouam dixerunt, crescente populo addiderunt: vt lib. 16. refert Diodorus. Quam eã fuisse Leontini eruditiores opinantur, quæ Castellum nouum hodie dicitur. Celebrior vrbis porta apud Leontinos eo tempore fuit, quæ Iracea vocabatur: vt memoriæ proditum est. Hæc vrbs eo tempore prudentissima Reip. politia (vt lib. Politicorum. 5. scribit Aristot.) quam, quod a paucis administraretur, oligarchiam nominabant, regebatur: inter quos & Lamim Megarensem aliquandiu præfuisse, atque postmodum abactum refert Thucydides. Eo tempore, breui adeo hæc vrbs coaluit, vt confluenti multitudini Eubœam ad meridionale Siciliæ latus nouã vrbem Leontini condiderint, Straboni lib. 6. Cum namque omnium rerum quæ ad humanam vitam sustentandam, colendamque desiderari queant, ager Leontinus vberrimam messem præbeat, non modo populos, veluti ad rei familiaris commune horreum, sed & tyrannos ad prædam sui inuitauit: seditionibusque etiam intestinis nationum morumque varietas ac dissimilitudo occasiones sæpe præstiterit. Nam & æui processu in Panætii tyrannidem peruenit. Tempore belli Atheniensis cum plebs a primoribus vrbis desciuisset, habitaculis prope omnibus solo æquatis, vrbs deserta remansit, Thucydidi lib. 5. Verum paulo post solitudinis tedio regressi Leontini locum vrbis Phoces nomine, atque arcẽ Bricinnias, quæ in agro erant, occupauerunt. Phalaris quoque Agrigentinorũ tyrannus cum bello Leõtinos superasset, eos armis exuit. Ac ne deinceps res nouas moliri possent, conuiuiis ac vinolẽtiæ eos reiecit. Ita Leontini maxima cum fœditate inter pocula obuersabantur. Inde apud Græcos in adagium receptum est: Leontini semper ad pocula. Hæc vrbs a Syracusanis olim deleta est: quę tamen postea restituta est, Pausaniæ lib. 6. Morte demum Hieronymi Syracusanorum vltimi Regis insignis facta est. Sed de his, belliśque omnibus latius in historiis. Hippagoras, Phrynon & AEnesidemus Leontini priuata pecunia ad Eliam Græcię regionem pro religione Iouem septem cubitorum magnitudine, cuius læua aquilam, iaculum dextera præferebat, erexerunt posueruntque. Vrbs Leontinum sita est hodie in tribus vallibus, totidemque collibus prominentibus. Quæ res ad vesperam visis luminaribus,

quæ ex domorum feneſtris agminatim quodammodo lucent, eminus conſpiciẽti, ſpectaculum tanquam ſtellati cuiuſdam cœli effigiem præbet. adeo vt intentius ipſe aliquando ſpeculatus ſeptentriones, hyadas, pleiadas, Gnoſiamque ardẽtem coronam, atque aliarum multarum ſtellarum ſpecies mihi ex hoc aſpectu videre viſus ſim. At vero tres illæ valles, quibus vrbs circumfunditur, tum profunditate ipſa, tum etiam paludum propinquitate, lacus præſertim, quem Beuerium appellant, terreſtrem infectumque aerem habitatoribus gignit. Is namque lacus, vt pluribus ab hinc annis, ita & hodie Leontino ad mille paſſus in ſeptentrionẽ adiacet. qui. p. m. fere. 20. ambitu noua maiorum noſtrorum induſtria e fontibus indigenis, imbribus, ac flumine cuius paulo ſupra meminimus, coactus, piſcium qui e mari eo alendi gratia deferuntur, toto anno ingentem capturam præſtat. Ex qua magnum vectigal, quod per multas Siciliæ vrbes venum portentur diſtrahanturque, Leontinis prouenit. Quocirca Carolus Cæſar Siciliæ Rex, vt & incolarũ ſalubritati mederetur, & vrbis inſulæque munitioni proſpiceret, delecto loco editiori, qui vrbi veteri imminet, & a meta denominatur, nouam vrbem ſitu, mœnibus & viarum amplitudine claram, quam Carleontinum vocant, erexit. In hac vrbe. 7. Calend. Maias annuæ ſólenneſque nundinæ totius pene Siciliæ, imo & Italiæ vicinioris frequentia, omnique mercaturæ genere inſignes, publico foro perpetua inſtitutione celebrantur. In agro Leontino primum fruges inuentas, & frumentum ſua ſponte naſci ſolitum, ac ſemente centuplum fructum reddi, longa memoria & vſu compertiſſimum eſſe, Cic. Diodorus, & Plinius ſcribunt. Refert Ariſtot. lib. de natura animalium. 3. c. 17. agrum Leontinum adeo pinguis pabuli feracem eſſe, vt oues ob pinguedinem ſæpe intereant. Idcirco paſtores aduenięte veſpera ſeroque diei, pecudum greges ad caulas reducere ſolent, quo minus capiant paſcuæ. adeo vbertate ager ille luxuriat. Fontem eſſe in agro Leontino Lycum nomine nobis hodie incompertum, lib. 35. cap. 2. Plinius tradit. qui adeo peſtilens eſt, vt ſiquis ex eo potauerit, tertio die emoriatur. imo & vnico hauſtu bibentes quam primum interimi Rufus Epheſius prodit. Ciues habuit hæc vrbs cõplures, a quorum virtute rebuſque geſtis illuſtrior eſt facta. Sed inter eos Gorgias Philoſophus & Orator præcipuus fuit. Is patria Leontinus Charamantidæ filius fuit, ſi Philoſtrato & Pauſaniæ, aut Philolai, ſi Æliano credimus, Empedoclis diſcipulus, vt refert Quintilianus. Præceptor fuit Poli Agrigentini, Periclis, Iſocratis Alcidamantis, & complurium philoſophorum atque oratorum. Gorgiæ tanquam patri quicquid habet ars ſophiſtica ingenii, iure debet, vt author eſt Philoſtrat⁹, qui vitam eius exacte ſcripſit. Quicquid ornamenti Æſchylus Siculus, poeta tragicus, addidit tragœdiæ, veſtem nimirum, pulpitum, perſonas, heroum nuntios, quibus ſcena & proſcenium ornatur, a Gorgia mutuatus eſt. Agatho poeta tragicus, quem vnum ſapientem pulchreque loquentem ſcena miratur, ſæpe in iambis ſuis gorgizat. Vehementia præterea in dicendo, paradoxorum ſpiritus, magniloquentia, elocutio, tranſgreſſio, adiectiones, verba etiam poetica, ornatus, gratia, ex quibus oratio tum dulcis tum potens emanaret, Gorgiæ inuentionis eſt opus. In Panegyricis quoque eminentiſſimus eſt viſus. In oratoria ac ſophiſtica arte vſq; adeo fuit eminens, vt ſingulo anno a diſcipulis centum minas aſſequeretur, & alios ex patrociniis dicendi quæſtus faceret. Hic, vt Plato & Cicero tradunt, de quacunque re in diſceptationem quæſtionemque vocatus, copioſiſſime ſe dicturum profitebatur, auſuſq; eſt in conuentu omnium ex ſingulis poſcere qua de re quiſq; vellet audire. Hic hominum primus & auream ſtatuam, & ſolidam, quæ ſuam effigiem ad viuum prope exprimebat, ſeptuageſima circiter olympiade, cum orationem Pythicam ex ara habuiſſet, Delphis in templo Apollinis ſibi poſuit, vt. 10. lib. ſcribit Pauſanias: cum cæteris non aurea, ſed deaurata ſurrigeretur: tãtus fuit eius docendæ artis oratoriæ quæſtus, vt Philoſtratus, Cicero, Diodorus & Plinius memorant. Hic ob eloquentiam, famam & commendationem, a Leontinis inter legatos primus pro auxiliis contra Syracuſanos impetrandis Athenas miſſus eſt. Ingreſſus vrbem, cum in Senatum ac populi conuentum adductus eſſet, orationem habuit maxima acrimonia, arte dicẽdi, exercitationis inuentione, ac declamandi modo,

modo,atque peritia adeo insignem,vt licet Athenienses ingenio summo,summaque eloquentia pollerent, & nouitatem eius sermonis, & colorum rhetoricorum pinguedinem a communi arte differentem admirati,præsidium,quod postulabat, libenter concesserint. Hinc, vt Suidas scribit, vt Athenis publice artem oratoriam profiteretur,verbis simul & summis eum præmiis induxerunt. Vbi diu cum incredibili omnium admiratione attentioneque,auidissime audiretur,Critiam & Alcibiadem,ambos ætate florentes,Periclem quoque ac Thucydidem senescentes sibi deuinxit. Tãdem visendæ patriæ desiderio impetrata ab senatu venia,in Siciliã profectus Leontinum venit. Patria reuisa,ac salutatis lãtibus, in quib. fuerat educatus,quorum adhuc in regione Castelli noui diruta Leontini ostendunt vestigia, quasi sitim extinxisset, Athenas reuersus est. Vbi tandem inedia ac senio summo confectus occubuit. Cuius funus tanto honore sunt prosecuti, vt cũ cæteri Areopagitæ æneа tantum statua pro iustis donarentur, Gorgiam solum aurea insculpi sanxerint. Vixit autem annos centum & octo,siue centum & nouem, vt Apollodorus tradit: ita corporis robore,sensuum integritate,ingenio vegeto,& memoria firma,vt interrogatus cur tandiu viuere vellet, respondisse dicatur a Cic. Nihil se habere quod senectutem incusaret. Interrogatus iterum causam tam longæ senectutis,& valetudinis in omnibus sensibus vigentis,respondisse a Luciano in Macrobiis traditur,quod aliorum conuiuia nõ sit sectatus. Quo factum est vt in adagium Gorgiæ senectus peruenerit. Cum itaque Gorgias ad supremum senectutis deuenisset,infirmitate detentus,ac morti vicinus in somnum dilapsus est. Tunc ad eum quidam accedens quæsiuit quid ageret. cui ille respondit,Iam me somnus incipit fratri tradere: mortem somni fratrem appellans, vt Ælianus lib. 2. refert. Huius viri tres hodie orationes extant Florentiæ in bibliotheca D. Marci ordinis Prædicatorum. Nobilitatur & hæc vrbs multo illustrius reliquiis Alfii, Philadelphi, & Cyrini germanorum fratrum,qui a Tertyllo Siciliæ præside pro Christiana pietate fortiter occubuerunt, & pro numinibus tutelaribus iã ibi coluntur. Leontino ita descripto post eius emporium maritimum ad p.m. sex Pantagiæ flu. ostium sequitur,quod Bruca hodie appellatur. vbi & eiusdem nominis emporium prostat. flu. vero ipse Porcaria,eiusque ostium hac ætate Canale dicitur. Esse hunc Pantagiam fluuium Ptolemæus ostendit,qui inter Catanam & Taurum promontorium Pantagiam ponit. Situs quoque loci identidem indicat. Verg. etenim Æn. 3. Pantagiam hoc versu describit: viuo præteruehor ostia saxo Pantagiæ Megarosque sinus, Thapsumque iacentem. Porcariæ namque siue Brucæ flu. ostium in vtraq; ripa rupes habet viuas ad viginti fere cubitos altitudinis editas, ingrediturq; mare ipsum fluuium passus circiter mille: vbi & stagnat,& paruorum nauigiorum statio est. Ex vtraque igitur ripa ad fauces hic flu. viua habet saxa, præcisasque rupes, cuiusmodi nullum non modo Sicilia, sed Italia quoque fluminis ostium vidisse memini. Æneæ præterea nauigatio ab eodem poeta eo carmine descripta hunc Pantagiam esse fluuium proculdubio ostendit. Æneas namque fretum prius, Symæthum postea, deinde Pantagiam ac Megaram,& Thapsum denique præternauigauit. Quod & Ouidius quoque (licet verso ordine) a Syracusis auspicatus hoc carmine demonstrat: Liquerat Ortygiam, Megareaque, Pantagiamq;. Ad extremum occasio qua Pantagiæ nomen huic flumini a veteribus fuit inditum, & vnde fabula sumpta est, idem liquido declarat. Sæuiente nanque hyeme ex Leontinorum collium torrentibus imbribusque Porcariæ hic flu. auctus tanta vi ac violentia delabitur, vt saxa quamplurima secum trahat, suoque fluxu delapsuque ingentem reddat sonitum. Vnde Pantagias Græcum illi nomen est impositum, quod totum sonans est Latinis. Vnde & fabulam veteres huiuscemodi commenti sunt. Ceres cum filiam Proserpinam passim quæreret, cymbalis & tympanis circumcursitans sonitum & tinnitum ciebat, vt quilibet rescire posset quid nam ipsa inuestigaret. Cumque ad hunc Pantagiam fluuium latius sonantem & suis tinnitibus obstantem peruenisset, silentium ei imposuit. Claudianus etiam lib. 2. a saxorum tractu hunc flu. descripsit his verbis,& saxa rotantẽ Pantagiam. Minus igitur æquo aduerterunt, qui Pantagiam Marcellinum esse flu. qui in Megarensi sinu profluit,

scripserunt: cum neque situs, neque ordo, neque res, neque vllus eis denique authorum faueat, sed etiamnum aduersentur. Ostreas fert Pantagias ad fauces tota Sicilia laudatissimas. Ostreæ namque siliceo sunt tegumento munitæ, & non nisi malleo a rupibus subaquaneis, quibus sunt affixæ, diuelli possunt: gustu tamen sapidissimę sunt. Emporium hoc in mari non procul a littore fossam habet, quæ nauium est capax, & tuta statiõ. Oritur Pantagias in agro Leontino inter Leontinũ & Augustam, ex fonte cui Aluiri nomen est hodie. p. m. ferme sex ab ostio recedenti: & plerunque ad locum cui Gisira nomen est, margines egressus agris super funditur. Supra Pantagiam flu. Lamis e Megara Græciæ vrbe secum ducens coloniam, quo tempore Catana & Leontinũ a Naxiis conditæ sunt in loco cui prisca ætate Trotilo erat nomen, oppidum condidit. Quod breui postea, vt lib. 6. Thucydides refert, deseruit, & Leontinum cum Naxiis incoluit.

DE AVGVSTA, MEGARA, ET HYBLA VRBIBVS.

CAPVT IIII.

PANTAGIÆ flu. & Brucæ emporio Taurus promontorium Ptolemæo, quod Sanctam crucem ab ædicula eiusdem nominis ibidem olim erecta hodie vocant, prominet, atque in mare excurrit. Vbi & salinæ plures, in quibus maris aqua infusa sal gignitur. A Bruca maritimo quidẽ octo, terrestri vero itinere tribus pas. m. Chersonesus Ptolemæo, peninsula Latinis abest: quæ tenui admodum spacio Siciliæ coniuncta est, dulciumque aquarum prorsus indiga, gemino portu dextra lęuaque insignis: quanquam qui ad occidentem vergit solem, latior tutiorque portus est, Megaricus olim dictus, quod inter Augustam & Megaram interfluat: quem Megarensem sinum fuisse constantissimũ est. In hac peninsula Augusta noui nominis vrbs extat a Friderico Cæsare huius nominis secũdo, Siciliæ Rege, post deletas Centuripas, quod oppidum insolenter ab eo desciuit, anno salut. 1229. condita, quam Augustam a se appellari voluit. Ostendit id lapis marmoreus supra portam arcis nhærens, his versib. solenni charactere expressis insignis.

Augustam Diuus Augustus condidit vrbem,
Et tulit vt titulo sit veneranda suo.
Teutonica Fredericus eam de prole secundus
Dotauit populo, finibus, arce, loco.

Et in altera arcis porta, quæ meridiem respicit, lapis alter infixus hanc habet inscriptionem.

Huius apex operis ex maiestate decoris
Denotat auctorem te Frederice suum.
Tunc tria dena, decem duo, mille ducenta trahebant
Tempora, post genitum per noua iura Deum.

Hæc vrbs ab exordio plures vastationes est passa. anno vero salut. 1360. cum a Friderico tertio huius nominis Siciliæ Rege ad Neapolitanum Regem Aloysium defecisset, a Catanensib. ac Syracusanis incendio fœdata, & solo æquata est. Cuius ruinas Augustani terram veterem vocant. Subinde tamen ab eodem Friderico restituta est. Ætate vero mea anno salut. 1551. 16. Calend. August. a Syna Solimanni Turcarum Regis classis centum circiter triremium duce, capta prius arce, igne tota est absumpta. In intimo eius portus recessu parua est insula. Post Augustã, eiusque isthmum, littus circumeunti Yhadedæ Sarraceni nominis flu. quem intus a Sancto Iuliano appellant, ostium occurrit. Ortum habet is flu. 4. p. m. supra Leõtinum ad meridiem e duobus fontibus mille passus a se inuicem distantibus. Quorum alter Salicis, alter Chuppi nomen habet. Hunc fluuiũ deinde ad p. m. 2. Marcellini amnis in ipso Augustano portu fauces sequuntur. Intus vero, cum proprio hodie nomine careat, Passus Syracusarum a traiectu eius vrbis appellatur. Hunc flu. cum

flu. eum non ab re esse existimo, quem. 4. lib. de bello Punico Milliam vocat Liuius, eumque inter Syracusas ac Leontinum ponit. Marcellinum vero nomẽ vnde illi fuerit impositum, si non a Marcello Syracusarum expugnatore, incompertũ mihi est. Oritur supra Sortinum oppidum ad occidentem p. m. 3. e fonte insigni, cui Fauara est nomen: & decurrens antequam Passus Syracusarum nomen accipiat, Curcuracium a Friderico Rege tertio, quod ad Claromontenses defecisset, deletum oppidum, præterlabitur. Post Marcellinum p. m. Alabi flu. ostium patet Diodoro & Ptolemæo, quem Cantarum hodie nuncupant. Ortum habet non procul ab ostio nisi passibus quingentis a fonte eiusdem nominis, vbi & Lymbetra olim arx erat a Dædalo extructa lib. 5. teste Diodoro. cuius hæc sunt verba: Dędalus apud Cocalum & Sicanos diutius commoratus, præclarus architecturæ prę-stantia, extruxit in insula quædam quæ adhuc permanent, opera. Nam prope Megaram extruxit eam quæ dicitur Lymbetra. Ex qua ingens fluuius, Alabos nomine, in mare propinquum effluit. Hæc Diodorus. Lymbetra arx, quæ Diodori extabat ætate, hodie diruta pauca sui ostendit vestigia. Post Alabum per fundæ iactum ad latus vrbis dirutæ fons abest saluberrimus, perpetuas effundẽs aquas: cui Cantaro etiam nomen est. ex quo Augustani aquas in vrbem ad potum paruis nauigiis comportant. Imminet huic fonti, & Alabi fauces ad iactum lapidis sequitur prostrata quædam vrbs, quã mare ab vna eius parte alluit. Cuius mœnia, quæ mille passus ambitu habuisse palam est, ex quadratis ingentibusque lapidibus lõge lateque iacentia, præsertim qua mari alluitur, domorumque in ea vestigia mira conspiciuntur: quam Megaram fuisse vrbem nemo inficiari potest, cum ex relatis Diodori verbis id plane cõstantissimum sit. Nam cum prope Megaram, Lymbetram Dædalus arcem construxerit, ex qua flu. ingens Alabos nomine in mare propinquum effluit, qui proculdubio Cantarus est, paucis passibus distans a mari caput habens, & authores hoc in loco Megaram & eius portum ponunt: quis non videt dirutam hanc vrbem Megaram esse? Et rursus quis Augustam Megarã fuisse somniare potest? cum 6. p. m. si terrestri itinere: si maritimo proficiscaris, quinque, & mari interfluente, Augusta & eius chersonesus ab Alabo distet fluuio, quẽ prope Megaram Diodorus constituat? Maritimam vero fuisse Megaram, & non mediterraneam, vt non recte Ptolem. tradit, Thucydides in. 6. his verbis ostendit: Athenienses, qui in Sicilia erant, mouentes e Catana nauigauerunt Megaram versus, quæ est in Sicilia. & lib. 7. Athenienses (inquit) viginti cum nauibus ante Megaram obseruantes Syracusanorum naues. Et in Verrem Cic. hæc habet verba: Hæc vna nauis ex classe nostra non capta est, sed inuenta ad Megaridem, qui locus est non longe a Syracusis. Et P. Mela, A Peloro (inquit) ad Pachynum ora quæ extenditur, Ionium attingens mare, hæc fert illustria: Messanam, Tauromeniũ, Catinam, Megarida, Syracusas. Quibus si Vergilii & Ouidii paulo supra a nobis relata addideris verba, non superierit cauillandi locus. Megara igitur, quæ hæc iacẽs ad Cantarum est vrbs, lib. 6. teste Thucydide, a Megarensibus ex Megara Atticæ regionis vrbe oriundis, duce Lamo, condita est: cui patrium nomen impositum. Strabo vero Megarenses qui Doridem incolebant, in Siciliam venisse scribit, & propterea a Dorienſibus, Theocle Naxi conditore sollicitante, conditam fuisse refert. Hanc vrbem Plutar. in Marcello Sicularum vrbium longe vetustissimam ob id (vt existimo) appellat, quod priusquam a Dorienſibus siue Megarensibus incoleretur, Hybla vocabatur, vt lib. 6. Strabo scribit. quod & Thucydides his verbis affirmat: Megarenses Hyblone Rege Siculo duce Megaras incoluerunt: qui Hyblæi sunt dicti. hæc nanque vrbs Hyblonis erat regia. Et licet Strabonis ætate Megara non extaret, Hyblæ tamen nomen propter Hyblæi nominis præstantiam ex hoc loco memoria non exciderat. Hæc itaque vrbs initio a Siculis condita, Hybla: postmodum a Megarensibus habitata, Megara est dicta. Et quoniam in Hyblam incidimus, postulat locus vt lectores admoneam tres in Sicilia fuisse Hyblas, vt Stephanus Byzantius ex Græcorum fontibus in suo de vrbibus libello scribit, maiorem, minorem, & minimam. Stephani hæc sunt verba: Hyblæ tres sunt Siciliæ ciuitates. est maior, cuius ciues Hyblæi. Parua, cuius ciues Hyblæi, Galeotæ, &

tæ, & Megarenſes: minor vero, quæ Hera nominatur. hæc Stephanus. Pauſanias vero lib. 5. duas fuiſſe in Sicilia Hyblas ſcribit: Fuerunt (inquit) Hyblæ Siciliæ ciuitates duæ, cognomine Gereatis vna, altera maior. Retinent hac etiã ætate priſca nomina. Earum altera in agro Catanenſi plane deſerta eſt, altera in eiſdem finibus ad vici formam redacta. In hac fanum eſt Siculorum celebritate religioſum, Deæ quam Hyblæam vocant dicatum. Ab hoc populo Iouis ſignum, priſci admodum operis ſceptrum tenentis, arbitror in Olympiam deportatum. Nam oſtentorum & ſomniorum interpretes eſſe, & cæteros qui in Sicilia ſunt, Barbaros, Deorũ cęremoniis colendis anteire Philiſtus prodidit. hucuſque Pauſanias. Thucydides autem omnium trium Hyblarũ meminit. Quarum poſtremam in agro Gelenſi fuiſſe ſcribit, vt paulo inferius memorabimus: alteram in agro Catanenſi, tertiam in hoc loco conſtituit. Maior Hybla in agro Catanenſi ſita erat, teſte Pauſania. Hanc nõ longe ab Ineſſa & Centoripe fuiſſe lib. 6. Thucydides tradit, cum Athenienſes, capta Centoripe, & incenſis Ineſſæorum & Hybłęorum ſegetibus, Catanam regreſſos memorat. Huius tantum Ptolemæus meminit, cum Hyblam mediterraneam facit, quæ & ipſa Pauſaniæ ætate deſerta erat, licet eius nomen duraret, cuiuſq; ciues Hybłęi ſolummodo dicebantur. Hæc fortaſſis ea eſt quam lib. Sicularum rerum. 4. Tiellam Philiſtus fuiſſe refert, cum ex tribus Hyblis Tiellam vnam nominat: quæ cum noſtra ætate nomen etiam amiſerit, ſit ne ea Iudica vrbs deſerta & proſtrata, incompertum eſt. Altera Hybla, quæ in finibus Catanẽſibus ſita a Pauſania, cuius ætate in vici formam redacta viſebatur, Gereatis appellatur, ea eſt proculdubio quam deſcribimus: quæ & a Catanæ finibus non longe abeſt, & Megara quoque a Stephano vocitatur. De ea lib. 6. locutus eſt Thucydides, cum Megarenſes Hyblæos cognominatos memorat. Huius itaque ciues Hyblæi, Megarẽſes, & Galeotæ dicebantur. Hyblæi quidem, a prima vrbis appellatione, ſiue a Rege Hyblone: Megarenſes autem, ab altera vrbis huius ædificatione, & ab eorũ patria: Galeotæ vero, a Galeote Apollinis filio, quem futurorum pręſcium, veluti tutelarem Deum, & profeſſionis ſuæ ducem ſectati, portentorum, ſomniorũ & oſtẽtorũ augurali & aruſpicina arte interpretationeque præſtabant. Magicas præterea artes callebant, & futuros euentus adeo certo præuidere videbantur, vt non ab hominibus, ſed a Deo eorum dari reſponſa ab ignara plebecula cenſerentur. Gens in vniuerſum ſuperſtitioſa, quæque in exprimendis Deorum cæremoniis cæteros in Sicilia Barbaros longe antecellebat. Horum primo de Diuinatione meminit Cic. ſomniorumque interpretes ſagaciſſimos vocat. Hos & a Dionyſio Tyranno conſuli ſolitos ſcribit Ælianus. Fani quod Deæ Hyblææ religioſiſſimum ſua ætate in hac vrbe extitiſſe ſcribit Pauſanias, hodie nulla memoria, ſed iacentis alioqui vrbis miræ apparent ruinæ. Tertia in Sicilia erat Hybla, quam minimam appellabant: cuius non meminit Pauſanias. Thucydides tamẽ lib. 4. in Gelatino ſiue Gelenſi fuiſſe agro, & Cleandrum Geloorum principem ibi interfectũ tradit, & Heram quoque vocatam Stephanus aſſerit. Sed quæ illa fuerit ex iis oppidis quæ in eo agro vetuſtatis monumenta adhuc ſeruant, incertum eſt. Habet Buterium nõnihil antiquitatis, & viſuntur quoque plures in Geloo agro priſcorum temporum ruinæ. De quibus quid coniectari poſſit, nihil habeo. Proinde ad Megaram ipſam, quæ & altera fuit Hybla (vt diximus) redeo. Hæc circumquaque fluuiis, & fontibus irriguis, ac portu nauium capaciſſimo, qui nunc Auguſtæ inſcribitur, erat inſignis. At poſtquam fuit a Megarẽſibus habitata, adeo creuit potentia, vt centeſimo poſt anno, ſuperante multitudine, incolæ (vt lib. 6. Thucydides ſcribit) Selinuntem in Sicilia vrbem ad littus meridionale ſitam, Pammilo ducente coloniam, pulſis inde Phœnicibus, habitauerint. Cæterum ducenteſimo quadrageſimo quinto poſt eius ædificationem anno, a Gelone Syracuſanorum Rege diruta (vt in eodẽ lib. Thucydides, & Herodotus in ſeptimo referunt) & paulo poſt ob ſitus & portus pulchritudinem a Syracuſanis reſtituta, poſtremo a M. Marcello, qui eius horrendo exemplo Syracuſanos cæteroſque Siculos ad deditionem per metum cogere voluit, capta, direpta, fundituſque euerſa eſt, vt lib. 4. de bello Punico ſcribit Liuius. Hanc mellis præſtantia, cuius ſecundas apud veteres obtinebat, nobilitauit

Plinius.

Plinius. Eius nãque ager, & imminentes colles, vbi Melillis noui nominis oppidũ eſt, thymi atque ſalicti floribus, quibus apes auidiſſime veſcuntur, plurimũ abundant. Quo circa eos Hyblæos eſſe montes apud priſcos mellis ſuauitate celebratos, nulli debet eſſe ambiguum: ea præſertim ratione, quod mel in eis & circumuicina plaga natum, cuiuis alteri in Sicilia ſtipato hodie etiam præfertur. Viros etiã eruditione claros peperit. Theognis nanque Poeta, qui Olympiade quinquageſima nona floruit, in ea (teſte Suida) natus eſt. Hic fecit elegiam de ſeruatis in expugnatione Syracuſarum. Sententias quoque ac vitæ præcepta elegis complexus eſt. Ad Cyrum præterea Regem, quem vnice obſeruabat, Gnomologiam ſcripſit, & pleraque alia eruditionis monumenta carminibus expreſſit. Epicharmũ quoque poetam comicum, comœdiæ inuentorem, Megarenſem fuiſſe, in ſua Poetica Ariſtoteles, Cicero, Horatius teſtantur: etſi non deſint qui Syracuſas ei patriam attribuant. Hic multo ante Chionidem & Magnetẽ antiquiſſimos comicos floruit, triumque Græcarum literarum, zeta, xi, pſi, inuentor fuit. Cuius & hanc ſententiã in Tuſcul. Cic. celebrat: Nollem mori: ſed mortem nihil æſtimo. Eũ Plautus, Horatio in epiſtolis referente, imitatus eſt. Vixit autem annos nonaginta ſeptẽ, vt Lucianus refert. Poſt Megaram dirutam vrbem ad paſſus fere mille, fluuii, quem a ſancto Coſmano, ab ædicula paulo ſupra huic diuo dicata, hodie vocant, oſtium ſequitur, vbi lacus eſt quadrato lapide ad piſcium capturam a Friderico ſecundo Cæſare extructus. Oritur non longe ab oſtio, a fonte inſigni ad radices colliũ Hyblæorum emergenti. Cuius ager cannæ mellitæ feraciſſimus eſt. Incubat ei ſupra ſuum fontem inter colles Hyblæos Melillis, iucundo terra & mari proſpectu recens ac tenue oppidulum. 4. p. m. a Megara & eius ora refugiens. Quod anno ſalut. 1542. quarto id. Decemb. hora. 23. terræmotu totum fere collapſum, ab oppidanis ſtatim reſtitutum eſt. Ad radices horum collium, vbi caput fluuii eſt, locus extat qui Scala liliorũ patria lingua nominatur: vbi frequentia gigantũ ſepulchra ſunt: quorum monſtruoſa paſſim ibidem oſſa effodiuntur. Et paulo poſt S. Coſmani oſtium, p. m. 4. Thapſus peninſula Thucydidi lib. 6. & Verg. Æn. 3. inſula, Manghiſi Sarracenorum lingua hodie dicta, occurrit, quæ anguſtiſſimo terræ limite in mari prominens peninſula eſt. Portum habet ad iſthmum qua Syracuſas vergit: qua in mare protenditur, fluctibus par & arabilis tota eſt: quæ ratio Verg. eſt, quamobrem eam iacẽtem appellarit. In hac Lamis Megarenſis, (cuius ſupra meminimus) a Leontinis pulſus oppidum (referente Thucydide) cõdidit. Quod decedente conditore Megarenſes deſeruerunt, cuiuſque nulla iam extant monumenta. Poſt Thapſum, iuxta Syracuſanã viam, pyramis ex quadratis lapidibus, & eis ingentibus in excelſum ſurgens, peruetuſta quidem, ſed integra ætate mea cernebatur: verum eius quoque anno ſalut. 1542. concuſſus apex terræmotu corruit. Plura in his agris priſcæ habitationis cadauera adhuc iacẽtia viſuntur, quæ lingua patria Syracuſani antiquitates appellãt. Scribit quoq; Thucydides Bidim fuiſſe oppidulum non longe a Syracuſis. Bidis (inquit Cic. in Verrem. 4.) oppidũ eſt tenue ſane, non longe a Syracuſis. Et rurſus eodem lib. Bidenos populos parum a Syracuſis diſtantes nominat. Illud vero, quonam ſitum fuerit loco, incompertũ mihi eſt, niſi dirutum oppidulum. 15. p. m. a Syracuſis ad occidentem diſtans illud ſit, vbi hodie ædes D. Ioanni Abidini dicata viſitur. Sed & Diodorus lib. 20. Abicenum oppidum in his agris conſtituit: cuius quæ ſint veſtigia, non video: licet nõ ab re Bigenis agri nomen illius eſſe monumentum videri poſſit. In hoc agro Syracuſano, Sarracenis Sicilia potientibus, oppidulũ erat Penthargiæ nomine, quod Rogerius Normannus Siciliæ comes, recepta iam Sicilia, quia ab eo præter fidem deſciuerat, funditus deleuit, vt exactius in hiſtoriis. Perſeuerat tamen eius nominis aliquid adhuc veſtigii. Turris etenim in eo agro nuper erecta, & ager illi adiacens Targia nominantur. Trogilorum portum ad hoc littus fuiſſe lib. 5. ſecundi belli Punici Liuius ſcribit. Quẽ paruã ſtationẽ, paruorumq; nauigiorũ capacem, quæ hodie Stintinus vocatur, Syracuſani fuiſſe arbitrantur. Verũ id, cũ is locus incommodã nauigiis præbeat ſtationẽ, lectoris arbitrio iudicãdũ relinquitur. Sed iã vrbẽ ipsã Syracuſas ſequẽti libro deſcribam⁹. In qua ſi prolixiores erimus, loci nos dignitas excuſabit.

F. TH.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis, prioris Decadis

LIBER IIII.

DE VRBE SYRACVSARVM.

CAPVT I.

VRBS SYRACVSÆ, Siciliæ olim metropolis lib. 2. teste Valerio, vrbiumque Siciliæ princeps Solino, & omnino notior quam vt plurium titulorum commendatione indigeat, a Thapso. 4. p. m. littorali ora cõsequitur. Quæ cum tetrapolis olim fuerit Ciceroni, Diodoro, Straboni, & Plutarcho: prima eius pars, quæ hodie colitur, prisco tempore, teste Nicandro, Omotermõ dicebatur. Hanc, cum nondum mari esset circumflua & insula facta, aggerque esset logæo ex lapide, quem electum vocant (vt ex Ibyco lib. primo refert Strabo) paulo post diluuium Ætoli ex Ætolia regione, oppidoque Ortygia profecti, omnium primi incoluerunt. Quam simul, & Delon vnam e Cycladibus insulam eodem tempore tenentes, ab eorum patria Ortygiam appellauerunt, vt idem Nicander memoriæ prodidit: licet sint qui a Diana, cui eam sacrificauit antiquitas, Ortygiam vocatam fuisse scribant. Verum postea anno mũdi. 4100. & ante vrbem Romam. 700. (vt supputat Eusebius) Siculi pulsis Ætolis eam habitauerunt. Hi nanque cum in Siciliam traiecissent, vrbi construendæ locum idoneum quærentes, inter alia quæ incoluerunt oppida, in hac optima pulcherrimaque Siciliæ adiacẽti peninsula, inter duos inæquales portus, & cui solo angusto spatio duobus portubus interiecto insulæ nomẽ natura inuidit, primis habitatoribus eiectis, mœnia loco tutissimo, & quem pauci custodire possent, posuerunt. Porro his sedentibus quid in ea memoratu dignũ gestum sit, nihil ad nos authorũ aut inopia, aut incuria peruenit. Nomẽ autem vrbi Syracosion Græce ea ratione fuit postea inditum, quod traho ad quietem Latine sonat. At post trecentos circiter annos (vt Thucydides supputat) Olympiade xi. (vt Dionysius Alicarnasseus lib. primo colligit) annoque mundi. 4461. & ab vrbe condita. 412. Archias Corinthius, ex eorum numero qui ab Alcæo Herculis filio descenderant, Lydiæque imperium supra quingentos tenuerant annos, vt lib. primo refert Herodotus, cum magna suorum manu e Corintho in Siciliam profugis nauibus aduectus, Ortygiam superatis bello profligatisq; Siculis, ereptam occupauit, sedemque sibi oraculo sortitam delegit. Cuius aduentus causam huiusmodi in. 2. Amatoria perhibet Plutarchus. Abron Argiuus quidam Dexandri Phidoniscq; inuidiam, quorum clandestinas in Corinthios detexerat insidias, in Melissum, agri Corinthiaci vicum, cum vxore profugiens filium ibidem suscepit, cui & a loco Melissum nomen imposuit. Qui & ipse postquam adoleuit, e coniuge Actæonem genuit. Hunc adolescentẽ, quod forma esset venusta, moribusque pro ætate delicatissimis, Archias inter Corinthios & opum & dignitatis authoritate princeps ardenter amare deperireque cœpit. At cum nec prece nec pretio explendæ suæ libidini aditum patere perspiceret, vim statuit experiri: assumptoque audaci seruorum ac domesticorum satellitio, Melissi domum inuadit, puerumque vi aggreditur. Qui dum hinc Archiæ, factionisque eius impiis manibus trahitur, inde patris, iniuriam frustra execrantis, Deosque in tam nefarii sceleris atrocitate obtestantis, suorumque conatibus retinetur, inter distrahentium manus miserabiliter discerptus interiit. Quo facto orbus pater, qui visa ante oculos crudelissima filii nece exanimatus iam vitæ sibi ipsi finem decreuerat, arrepto cadauere recenti adhuc cruore madido, Corinthum bacchanti

bacchanti similis ingreditur. ibique in fori conspectu miserandam gnati lanienã ostentans, lugensque perquam miserabiliter, senatus populique fidem atque auxilium implorat: patrisque recentia in ciuitatem merita cõmemorans rogat, vt hinc seruatæ nuper reip. beneficio, inde tam horrendi facinoris infamia nefarium homicidium vlciscantur. Quæ oratio, lachrymę ac lamenta, etsi populi iam animos in commiserationem pertraxissent, Patresque manifesti sceleris fœditatem detestati, tacitam apud se legum vindictam deposcere viderentur: tanta tamen erat Archiæ tota vrbe potentia, vt neque qui resistere, neque qui ius dicere in eum auderet, quisquam reperiretur. Hac itaque Archiæ impunitate desperans pater, obseruato ludorum Isthmicorum tempore, quos in honorem Neptuni celebrabant, cõscensa ipsius ædis summitate, Bacchiadis prius ac diis omnibus ad vindictam tantæ iniuriæ inuocatis, præcipitem se de templo in caput deiecit. Nec multo post (mirum dictu) subito hominum simul ac brutorum animantium contagione, frequentique strage per vrbem grassari pestis, agrosque inaudita ariditate decoquere morbidus ardor, totamque regionem infestare annonæ caritas cœpit. Iamque de tota Corinthiorum progenie conclamatum fuerat, nisi consulto ad extremum Apollinis oraculo, acceptoque responso non prius gentis mitigandam fore calamitatem, quam expiata læsi numinis iniuria, crudelisque pueri mors vindicata foret: Archias ipse, qui oraculo tum forte interierat, partim patriæ sua culpa in discrimen adductæ commiseratione, partim Neptuni metu, spontaneum sibi exilium indiceret. Magnam itaque Corinthiorum secum ducens coloniam, nouamque aliquam sibi vrbem conditurus, Corintho cessit. Sed ne inaugurato vrbi condẽdæ sedem deligeret, Delphis Apollinem consuli placuit. Cumque sub idem fere tempus forte & Myscellus quidam genere Achiuus ad oraculum de vrbe sibi cõdenda sciscitaturus conuenisset, (vt Antiochus, Plutarcho & Strabone referentibus, scribit) atque vterque ante responsum, opesne an salubritatẽ appeterent, rogatus esset, Archia diuitias, Myscello incolumitatem poscente, vterque voto potitus, Myscellus quidem in Calabriam ad Crotonem ædificandam, Archias vero in Siciliam ad Syracusas condendas Apollinis decreto relegati sunt. Hinc Crotoniatę aeris temperatissimi saluberrimique sortiti sunt locum: Syracusani vero ad summam rerum opulẽtiam, immensamque diuitiarum abundantiã deuenere. Prior itaque Myscellus auxilio Archiæ, qui vna cum eo, licet diuersa classe, post oraculum nauigabat, Crotonem vrbem condidit, vt ex Ephoro refert Strabo. Inde vero Archias cum Corinthiorum Dorien sium que, ac maximo ex Tenea plagæ Corinthiæ vico colonorum numero (lib. 8. Strabone authore) in Siciliam traiecit. Æthiops quoque Corinthius genere nobilis ad deducẽdum Syracusas coloniam cũ eo profectus est. Qui etsi generis claritate insignis esset: tantæ tamen fuit vinolentiæ, vt inter nauigandum portionem Syracusani agri sorte sibi obuenturam Melituto socio ac contubernali suo vendiderit: vt haberet quod interea bibendo prodigendoque turpiter helluaretur. Scribit in eidyllia Theocriti interpres Bellerophontem etiam cum Archia, ac cætera Heraclidarum familia ex Corintho Syracusas venisse, easque simul cum illis incoluisse. Hinc author idem optimos fuisse Syracusanos, & Græcorum omnium fortissimos subdit. Syracusas (inquit Thucydides lib. 6.) qui incoluerunt Græci, non Iones, neque Hellespontii, neque insulani, qui aliis seruiebant, sed Dores liberi e libera Peloponneso fuerunt. Syracusani (inquit Theocritus in Eidyllis, & eius interpres) genus ducunt a Corinthiis, & Dores sunt. Dores enim Peloponnesum eo tempore coluerunt: quamobrem & Dorice & Peloponnesiace Syracusani loquebantur. hæc interpres. Archias itaq; tot insignes secum ducens colonos, Ortygiam aduectus, & Siculis prælio victis, ac fœde ad Siciliæ mediterranea fugatis, in condendam, muniendam prorogandamque vrbem totus incubuit. Quã cum per aliquot annos felicissimis progressibus, institutisque optimis quiete administrasset, duabus ibi ex vxore filiabus susceptis, Ortygia & Syracusa appellatis (vt Plutarchus prodit) post modum a Telepho, cui adolescenti forma conspicuo ætatis florem decerpserat, & suæ classis præfecto, dolo interemptus est: atque ita tandem antiqui sceleris, Meliss Actęonique crude-

liter oppreſſis, licet ſeras, meritas tamen pœnas perſoluit. Mortuo Archia nihilominus vrbs ipſa & agri felicitate, & naturali portuum cõmoditate maxima ſuſcepit incrementa, vt lib. 6. & 8. Strabo ſcribit: complureſque in rep. dignitate conſpicuos ac florentes habuit viros: quorũ auſpiciis populos vicinos ſuæ ditioni ſubiecit, & plures Barbarorum ſeruitute oppreſſos in libertatem vindicauit. Cumque Ortygia ſola Syracuſanorum pars eo tempore incoleretur, creſcente in dies multitudine, aliæ ſubinde partes, quæ extra eã ſunt, ſucceſſu temporum additæ ac muro cinctæ ſunt. Thucyd. lib. 6. Adeo præterea ſub eius prope initia hæc vrbs potentia creuit, vt quatuor ſubinde in Sicilia vrbes Syracuſani cõdiderint: nimirum Acras, Caſmenas, Camerinam, & Ennam. E quibus Acræ quidem niuoſis in mõtibus, ſeptuageſimo: Caſmenæ vero in planitie, nonageſimo: Camerina ad littus meridionale, centeſimo decimo poſt eiectos ab Archia Siculos (li. 6. authore Thucydide) ædificatæ ſunt. Ac deinde Dionyſio iuniori Syracuſas tenente, quidam Syracuſani eius tyrannidem fugientes, in Piceno vrbem Ancona Græco nomine ad Chimerium promontorium condiderunt, Straboni lib. 5. Quam vel ea ratione Siculorum fuiſſe coloniam Plin. ſcribit. Quis ignorat (inquit Solinus) Anconam a Siculis conditam? Nec moueat quempiam dixiſſe Iuuenalem: Ante domum veneris quam Dorica ſuſtinet Ancon. Syracuſanos namque Dores fuiſſe iam diximus. Proinde vrbem Syracuſas maximam Græcarum vrbium euaſiſſe pulcherrimamque poſtmodum multis in locis in Verrem ſcribit Cic. & Diodorus lib. 6. Imo non minorem Athenis fuiſſe, iis verbis lib. 7. tradit Thucydides: Athenienſes obſederunt Syracuſas, vrbem nihilo per ſe quam ipſæ Athenæ inferiorem, dantes ſpecimen ſuæ tum potentiæ tum audaciæ. Et Plutarchus in Nicia: eſt (inquit) Syracuſarum vrbs Athenis non fere minor: ad claudendum vero longe difficilior, cum propter camporum inæquabilitatem, tum propter adiacentium paludũ frequentiam, & mari propinquitatem. Sicilia (inquit Florus lib. 2. Epitomatũ) mandata Marcello, nec diu reſtitit. tota enim inſula in vna vrbe ſuperata eſt. Grande illud & ante id tempus inuictum caput Syracuſæ, quamuis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando ceſſerunt. longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, fons celebratus Arethuſæ. Quæ hactenus ei profuerunt, vt pulchritudini victæ vrbis parceretur. Hucuſque Florus. Vrbis nanque totius ambitum centum octuaginta ſtadiorum lib. 6. Strabo ſcribit: quod & mœnia eius iacentia, & murorum veſtigia, liquido adhuc oſtendunt. Vrbem Syracuſas non modo maximam & pulcherrimam fuiſſe, ſed etiam ex quatuor maximis vrbibus conſtitiſſe, Cic. cum egregia vrbis commendatione in Verrem. 6. declarat. cuius verba ſubieci. Vrbẽ (inquit) Syracuſas maximam eſſe Græcarum vrbiũ, pulcherrimamque omnium, ſæpe audiſtis. eſt, Iudices, ita vt dicitur. nam & ſitu eſt cũ munito, tum ex omni aditu vel terra vel mari præclaro ad aſpectum. Et portus habet prope in ædificatione aſpectuque vrbis incluſos. Qui cum diuerſos inter ſe aditus habeant, in exitu coniunguntur & confluunt. Eorũ coniunctione pars oppidi, quæ appellatur Inſula, mari diſiuncta anguſto, ponte rurſum adiungitur, & continetur. Ea tanta eſt vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis conſtare dicatur, & quæ ſequuntur. Quatuor hæ vrbis partes (eodem etiam referente) Inſula, Acradina, Tycha, & Neapolis appellabantur. Quod & Diodorus lib. 16. iis verbis confirmat: Eratque mirificus tumultus intra Syracuſas, cum Dionyſius Inſulam, Icetas Acradinam & Nouam vrbem, reliquum omne vrbis teneret Timoleon. Liuius præterea, Plutarchus, & cæteri primi nominis authores, qui huius vrbis hiſtorias ſcripſerunt, idem referunt. Quinimo & Strabo ex quinque eam conſtare vrbibus ſcribit, ob id (vt exiſtimo) quod Acradina ſuo ſitu inæquali, & magnitudine ingenti gemina cẽſebatur. O magnis (inquit Pindarus in Pythiis. 2. Ode) conſtitutæ vrbibus Syracuſæ. Sed libet eas vrbis partes latius deſcribere, prout a veteribus accepimus.

PRIMA igitur pars Cherſoneſus eſt, quæ ab initio Omotermon, (quod ſimile balneo eſt Latinis) mox Ortygia, denique Naſos Græce, Latine vero Inſula dicitur. Hæc cum ab Ætolis primũ, deinde a Siculis, & demum a Græcis fuit occupata, peninſula erat, & nondum totã mari circumflua, vt ex Thucydide & Strabone

bone meminimus. Postea vero exuperante mari abrupto isthmo, insula est facta, & reliquis partibus angusto ponte adiuncta, vt Cic. memorat. Apposita Syracusis insula (libro primo inquit Strabo) quæ hoc tempore ponte continuatur ad terrã, prius quidem agger erat logæo ex lapide, quem electum vocat Ibycus. Verum nõ manu facta est, sed exaggeratione. hæc Strabo. Mea vero ætate, & pluribus ante annis, ex cõgestis deletæ vrbis ac proximæ arcis ruinis, iterũ in peninsulã redacta, tenui isthmo Siciliæ erat adiuncta. Deinde Carolus Quintus Cæsar dum hæc ipsa in lucem prodere pararem, isthmum perfringere, perujisque meatibus in antiquã insulæ formam reducere longo labore, eoque non pasum per maximam aquarũ dulcium vim ex isthmi visceribus affluentissime promanantem impedito, conatus est. Id etenim cum anno salut. 1552. mense Martio, me Syracusis ad Senatum & populum concionante ageretur: operarii, qui in abrumpendo defatigabantur, in quadratos, & eos ingentes primum lapides, mox in balneas e coctili laterculo extructas incidunt. Vnde lapidibus euulsis tanta aquæ potabilis vbertas erupit, vt in iustum fluuium quamprimum excresceret. Vbi & canalis orbicularis plumbei frustum duorum cubitorum longitudinis, ab vtraque parte has maiusculas literas Latinas habens inscriptas, inuentum est: TI. CL. CÆS. AVG. GERM. Qui sane titulus Tiberium Claudium Cæsarem operis authorem indicat. Ac deinde ab eisdem operariis aquæductus ille plumbeus ad ædem vsque sanctæ Mariæ a misericordia vulgo appellatam (vbi cœnobium ætate mea Minoritarũ, qui Capuzzini nuncupantur, extructum est) protensus continuatusque inuentus est. quo aquas, quæ hodie a Paradiso nominantur, olim ad arcem Hieronis & ad Insulã deductas compertum est. Hæc pars vrbis duobus portubus, maiori ad occidentem, minori ad orientem cingitur, atque in vtriusque portus ostium aditumque proiicitur. Maior portus ex Ionio fluit mari, faucibusque est arctissimus: vix enim ad quingẽtos patet passus. Coarctantur eius fauces: ex vna, Plemmyrio promontorio, e regione vrbis sito, vt lib. 7. etiam Thucydides scribit: ex altera, oppidi vertice. vbi hodie arx est Maniacis nomine clara. In faucibus ipsis, Plemmyrio tamen magis adiacens, parua quædam est insula ambitus centum fere passuum, quam Thucydides Plemmyriam vocat, Syracusani vero sancto Martiano inscribunt. Portus maior, vbi a faucibus in mediterraneam partem diffunditur, latitudinem habet duorum fere pas. milium: ambitum vero quinque. Ad dexteram mœnia vrbis & fontem Arethusam alluit: ad sinistram vinetis & oliuetis decoratur: ad extremum Anapo fluuio ingenti, ac perpetuo alueo, & scaphis nauigabili, accõmodatur. Portus maior non modo insulæ latus, sed Neapolim, ac reliquas partes, cum habitarẽtur, qua ei imminebant, attingebat. ita vt ipse vrbe cingeretur, & in vrbis sinum influeret, vt lib. 7. in Verrem scribit Cic. Portus minor marmoreum circumquaq; sinum. L. Floro authore (vnde & marmoreus est appellatus) fundumque quadratis ac miris lapidibus magna arte substratum habebat: quod eius adhuc clara testãtur monumenta. Nam & (quod admiratione dignissimum, imo supra veri fidẽ videri possit, nisi res ipsa ex aliqua parte suppeteret) aquæ ductus lapideus, non mediocris amplitudinis ibi sub fluctibus maris fabricatus adhuc magna sui parte integer visitur. Quo aquæ ex perenni illo, licet abdito fonte, qui reliquas vrbis partes irrigabat, a proxima Acradina subter mare labentes huc permanabant. Minor hic portus sinistra sui parte orientale insulæ latus, dextera vero Acradinæ mœnia percutiebat. Ex vtroque eius latere turres surgebant expugnatu per quã difficiles, e lapidibus exoticis ab Agathocle Syracusanorũ Tyranno extructæ: in quibus inscriptiones cum authoris titulo legebantur, vt lib. 16. Diodorus refert, quorũ hodie ne lapis quidem remansit. Hac regione ædes sacræ erant complures, vt in Verrem. 6. scribit Cicero: sed duæ præcipuæ, & quæ cæteris omnibus multis nominibus antecellerent. quarum vna Dianæ dicata erat, quam Lyena Syracusani, hoc est morborum solutricem, appellabant, quod Siciliam graui morbo afflictam aliquando liberasset, vt falso sibi vetus persuaserat superstitio. A qua non minus insulæ nomen Ortygiæ inditum ferebant, quod a diis eam dono accepisse & putaretur, & oraculorum responsis esset confirmatum. Sed & alia pleraque fabulatur an-

tiquitas: vt lib. 6. Diodorus commemorat. Et quemadmodum Delos insula e Cycladibus vna, ob id quod in ea Dianam genitam ferunt, præter alia sua nomina Ortygia etiam nominatur: ita & hãc Syracusarum partem id sibi nomen assumpsisse, Græci, qui in confingendis fabulis faciles semper fuerunt, memoriæ prodiderunt. Hinc Pindarus ode. 2. totam Syracusarum vrbem Dianæ sacram, sedemque eius vocat. Templum igitur ei sacrum religiosissimum erat, & confluxu hominũ celeberrimum. Vbi Syracusani festum diem magno virorum ac mulierum conuentu quot annis per triduum magnis epulis, vino etiam largius per tribus diuiso, concelebrabant: vt Liuius. 3. decadis lib. 5. refert. In quibus sacris, pastorum quoque conuentus sua habebat officia, vt Theocriti interpres prodidit. Hi nanque solenni pompa omnes sertis redimiti, ac scipiones manibus gestantes, ceruos Deæ sacros circum cornua coronatos agebant, panemque in frusta variis ferarum generibus inciſum, peras semine, vtres caprinos vino repletos, quod paulatim in terrã effundebant, gerentes, carmine inter se, ac Dianæ laudibus icto fœdere contendebant. quo qui præstitisset, quasi victor vrbem ingrediebatur, ciuitate donabatur, ac nobilis decernebatur: victi vero cæteri vicinos agros accolebant, victorique vitę necessaria parabant, ac stata quotannis munera portabant: quæ cõceptis ei hisce verbis offerebant: Accipe hæc Pastor, qui bona sorte vrbem incolis. accipe incolumitatem, quam tibi a Diana ferimus. Atque ita postea hymnis & victorem & Deam prosecuti in templum reuertebantur, sacramque rem suo ritu peragebant. Id vero templum in qua vrbis parte fuerit, incompertum est. Visuntur tamen pauca antiquitatis vestigia, & ea semiobruta, in ea Insulæ regione quam Resalibram appellant: quæ ædis Dianæ monumenta esse plerique existimant. Altera ibidem ædes Mineruæ fuit, & ea ornatissima: ad cuius verticem (lib. 9. ex Palæmone Athenæo referente) eminebat ex ære fuso Mineruæ scutum, auro illitum, ingens adeo, vt eminus a nauigantibus, atque alto mari cerneretur. Quod e Syracusano qui soluerant portu, cum primum videre desierant, scyphum fictilem, quem a Deorum ara iuxta Olympii fanum extra muros sita consulto acceperant, melle, thure, aromatibus, floribusque repletum, in Neptuni & Mineruæ honorem in mare proiiciebãt: peractoque ita veteris superstitionis voto læti cursum sequebantur. In hac æde equestris Agathoclis Regis pugna excellentissimo pictorum artificio in tabulis quibus interioris templi parietes vestiebantur (vt Cic. recenset) erat expressa. Viginti septem quoque pulcherrimæ tabulæ spectabantur, in quibus omnium Siciliæ Regum ac tyrannorum imagines ad viuum depictæ, colorum varietate, hominum cõmemoratione, formarumque cognitione plurimum delectabant. Valuæ insuper templi aureis bullis atque ebore illustres, quibus nullas magnificentiores vllo vnquam tempore fuisse refert Cic. In quibus & Gorgonis os, & Medusæ caput anguibus redimitum, artificio & impensa præstantissimum inhærebat. Harum denique valuarum tanta erat artificii excellentia, vt clarissimis quibusuis authoribus Græcis magnam scribendi materiam suppeditauerit: qui & plura de his literarum monumenta posteritati reliquerunt. Porro templum hoc, illud esse Syracusani prædicant, quod maximum Syracusis est hodie, & Præsulis sedes. Ex nanque ex vtroque latere tredecim lapideis columnis, canaliculis vndiq; circumcauatis, abacisque & epistyliis ornatis suffultum. Cuiusmodi plura Agrigenti, Selinunte & Segestæ olim a Græcis condita visuntur. Stabat in hac Insula etiam ad angustias vtriusque portus arx Dionysii cæterorumque Tyrannorum, loci pulchritudine, structuræque opulentia, & magnificentia incomparabili longe præstantissima. Quam Dionysii iunioris tempore adeo amplam & munitam inuenit Timoleon, vt magnus equorum numerus, grauisque telorum multitudo, ac vniuersa machinarum forma, & armorum affluens thesaurus, quæ ibi reposita erant, ad septuaginta hominum milia ad bellum instruenda omni momento sufficerent. Quam tum, vt abominandi dominatus memoria excideret, immissa militũ manu funditus euertendã dedit, vt in Timoleonte Plutarchus scribit. Quod autem hæc Dionysii arx in angustiis huius Insulæ fuerit, in eiusdem vita aperte testatur Plutarchus, dum ei coniunctam Acradinam, & Euclidem Telemachumque Timoleontis legatos a

Diony-

Dionyſio accitos, occupato ab hoſtibus portu, cum quadringentis militibus in arcem ſimul & palam aſcendere non potuiſſe, ſed clam & paulatim ad Dionyſium, qui erat in arce, conueniſſe ſcribit. Idemque in Marcello refert, quod captis Tycha & Neapoli, ac poſtmodum Acradina, cum reliquum vrbis, quod Inſula erat, per proditionem recepiſſet, eam diripiẽdam militibus atque in prædam dederit, præter gazam regiam, quæ in ærarium eſt translata. Officinam vero monetæ in arce fuiſſe ſatis conſtat: gazaque ipſa nõ in priuata domo, ſed in arce Hieronis ac Hieronymi, ſuper ruinis huiuſce Dionyſianæ poſtea erecta ſeruabatur. Huius arcis porta marmorea, quæ ſeptentrionem reſpiciebat, ac ſeptem ex marmore ſtatuæ, & caput hominis marmoreum cum hac Græca Latinaque inſcriptione: EXTINCTORI TYRANNICÆ: dum ad propugnacula vrbis ibidẽ excitanda fundamẽta foderent, anno ſalut. 1530. ſunt reperta. Anno quoque ſal. 1553. ex eius loci profunda tellure eruta ſunt ad promouendam vrbis munitionem quadrata quædam ſaxa ingentia, mira, ac pleraque ſubnigra, numero ſupra quatuor milia, quæ diſtincta quinque ordinibus, ac certis ſpatiis erant interiecta. Super hac lapidũ maximi ambitus mole, arcis huiuſcemodi ædificium bitumine & pice ordine reticulato ſubſtructum, vt ex eius veſtigiis deprehenſum eſt, erigebatur. Super huius ruinis poſtmodum (vt dixi) Hiero iunior domum ſuam regia ſtructura ædificauit, qua poſt Syracuſarum a M. Marcello expugnationẽ, & Romani Prætores vſi ſunt: vt in Verrem. 6. ſcribit Cic. Super ea demum ab incerto nobis authore cuerſa, caſtrum, cui Maryhecto eſt nomen, a Sarracenis, vt ex forma & nomine colligere licet, erectum eſt: quod & hactenus durat. Hæc porro vrbis pars quæ ſola hodie habitatur, tres hac ætate habet arces. Quarum vna ea eſt quam Caſtrum Maryhettum appellari modo diximus. Secunda oſtio minoris portus prominet, Caſanoua a Syracuſanis appellata, quã Iaymus Alagona ædificauit, vt in eius porta lapis marmoreus infixus his literis indicat:

Hanc Alagona tuus felicem condidit arcem
Magnanimus Iaymus: ſit noua dicta domus.

TERTIA arx quadrangularis formæ, ad cuius angulos quatuor ſunt orbiculares turres quatuor ventos reſpicientes ad verticẽ oppidi, & ad fauces magni portus tuendas eſt appoſita. Hanc Georgius Maniacius Byzantinus, Conſtãtini Monomachi Cõſtantinopolitani Cæſaris & Siciliæ Regis olim Præfectus, lapide quadrato erexit. Cuius adhuc nomen retinet. Caſtellum nanque peritioribus, ſed vulgo Turris Maniacis appellatur. Huius portas Georgius in perpetuum tantæ fabricæ monumentum, duobus arietibus inſigni Græcorũ induſtria atque arte ex ære Byzantii (ni fallor) fuſis exornauit. Qui Panormum poſtmodum hac hiſtoria ſunt translati. Cum anno ſalut. 1448. ſub Alphonſo Aragonum & Siciliæ Rege, Syracuſis vrbe pro curia, quam Cameram vocant, Mariæ vxori ſuæ conceſſa, a muliebri imperio per nouarum rerum ſtudioſos neſcio quos deſcitum eſſet, Rex, qui tũ Neapoli agebat, Lupo Ximenio Durreæ prouinciæ Prorege, vna cum Ioãne Vintimilio Giracii Marchione, quem plurimum per id tempus apud Siculos authoritate valere perſpexerat, per veredarios compeſcendæ ſeditionis, vrbiſque ſub Reginæ fidem reuocandę negotium delegauit. Ille, vti in mandatis habebat, Syracuſas cum Marchione profectus, ſe in Maniaciam, Ioanni collegæ Caſanoua arce deſignata, recepit. Ioannes ibi cum imperio nihil promoueri animaduerteret, ad ſolertiam ſtudium conuertit: illectoſque ad ſe aſtu ſub veteris neceſſitudinis prætextu, cõficiendarumque cum Rege ac Regina rerum omnium, callidis pollicitationibus veluti ad epulas viginti fere e patritiis coniurationis principes, clam in arce capite truncauit. Quibus e medio ſublatis, confeſtim tota vrbe ſeditio omnis profligata eſt. Quo facto Lupum, infecti (vti exiſtimabat) negotii difficultate adhuc trepidantem, cum inſperato nuntio aggreſſus, duos hos arietes in tam vtilis officii præmium ab eo acceptos in Caſtellum bonum oppidum ſuum, in quo & familiam habebat, tranſuexit. Quibus deinde patris defuncti tumulũ Antonius ſucceſſor eius decorauit. Sed cũ poſtremo Henricus Antonii filius & ipſe Marchio, perduellionis reus, vniuerſam hæreditatem proſcriptionis ſententia in Regis æra-

rium cõtuliſſet, a Gaſparo Spes, Siciliæ eo tempore Prorege, ex Caſtello bono Pãormum in Regiam, cui tunc Hoſterio nomen, nunc vectigalium quæſturæ locus eſt, tranſmigrarunt. Vnde poſt aliquot annos, cum per Ferdinandi Catholici Regis obitum Sicilia, & Panormus præſertim, nouis tumultibus laboraret, ab Hectore Pignatello eius tempeſtatis Prorege, quod eo loco Regi ſedes minus tuta videretur, vna cum Regia arietes quoque in Caſtrum ad mare, vbi & hodie ſpectãtur, translati ſunt. Sed ad rem. Hæc Inſula licet parua ſit, ſaxoſa, nihilque in ſe humoris retinens, & ſexcentos in ambitu vix paſſus complectatur, pelagoque circumfuſa ſit, multorum tamen fontium, inſtar fluuiorum, dulces perpetuo aquas, affatimque emittentium affluens eſt. Mirum profecto ac rarum naturæ opus, & ſpectaculo dignum. Inter alios, fons in ea eſt ingens ad latus eius occidentale, quod portus magni fluctibus alluitur, mediis e ſaxis ac ſpecu exundans, ſtatimque in mare fluuium emittens, cui nomen Arethuſa eſt, notior apud Poetas & Hiſtoricos, quam literis explicari queat: quod ea aqua in Syracuſanis finibus nõ ſcaturiat, ſed externa ex Peloponneſo illuc ſub mari naturæ cuniculis deducta perueniat. Siquidem Alpheum Achaiæ regionis fluuium terra abſorptum, & ſubter mare in Siciliam per p.m. fere. ſoo. fluere, atque ex hoc fonte rurſum emergere, ex poetis Pindarus omnium primus, & ex hiſtoricis qui ad nos peruenerunt, Timæus, quos Græci & Latini ſunt ſecuti, tradiderunt. Et Pindarus quidem in Nemeis ode prima: O veneranda (inquit) Alphei reſpiratio, celebrium Syracuſarum germen, Dianæ cubile, Deli ſoror Ortygia. Quem (vt arbitror) imitatus Vergilius Bucolicorum eclo-
ga. 4. ait:

Sic tibi cum fluctus ſubterlabere Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat vndam. Et Æn. 3.
Sicanio prætenta ſinu iacet inſula, contra
Plemmyrium vndoſum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis. Ouid. etiam Metam. 5.
Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortus,
Sicaniam peregrina colo: ſed gratior omni
Hæc mihi terra ſolo eſt. hos nunc Arethuſa penates,
Hanc habeo ſedem, quam tu mitiſſima ſerua.
Mota loco cur ſim, tantiq; per æquoris vndas
Aduehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempeſtiua meis, cum tu curaque leuata,
Et vultus melioris eris. mihi patria tellus
Præbet iter, ſubterque imas ablata cauernas
Hic caput attollo, deſuetaque ſydera cerno. Et Claud. 2.
Quas Arethuſæi latices, quas aduena nutrit
Alpheus. Et Silius lib. 14.
Hic Arethuſa ſuum piſcoſo fonte receptat
Alpheum, ſacræ portantem ſigna coronæ.

Timæus in ſuo de Italia & Sicilia opere (referente Stephano) Alpheus (inquit) caput in Arcadia tollit: vnde cuniculo depreſſus in Syracuſis Siciliæ fonte Arethuſa fluenta perducit. Timæum, & qui eo priores forſitan id memoriæ prodiderunt, eo argumento adductos arbitror, quod fama per manus ducta ferebatur poculum in Olympia in Alpheum Achaiæ fluuium deiectum in hoc Arethuſæ fonte repertum fuiſſe. Obſeruatum præterea Olympiacis ſacris, quæ quinto quoq; anno non procul ab Alpheo fluuio celebrantur, animalium, quæ pro victimis offerebãtur, ſtercora & ſanguinem in Alpheum amnem deiecta, ab Arethuſa fonte eodẽ plane tempore turbido emitti ſolere. Delphicus demum Apollo Archiæ ad condendas Syracuſas oraculum reddens, hac (vt Pauſanias lib. 5. refert) deſcriptione vſus eſt:

Trina-

Trinacriam ſupra medio iacet inſula ponto:
Ortygiam dixere: vbi cana fluenta refundit
Alpheus, pulchrę ſeſe immiſcens Arethuſæ. Hinc Plin. lib. 2. ca. 106. Quædam flumina, inquit, odio maris ipſa ſubeunt vada: ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens Peloponneſiaco littori infunditur. Et lib. 31. cap. 5. eſt, ait, & illud miraculo plenum, Arethuſam Syracuſis fimum redolere per Olympia, verique ſimile: quoniam Alpheus in ea inſula ſub ima maria permeat. De Arethuſa & Alpheo Solinus, Verum eſt, inquit, hactenus, quod cõueniat fons & amnis. Syracuſis, ait Pomponius Mela, fons mirabilis Arethuſa eſt, in quo viſuntur iacta in Alpheũ amnem Peloponneſiaco littori infuſum. Vnde ille creditur non ſe conſociare pelago: ſed ſubter maria terraſque depreſſus huc agere alueum, atque hic ſe rurſus extollere. Et Pauſanias li. 8. Alpheus fluuius (inquit) præter cætera flumina peculiarem quandam præſefert naturam. Nam ſubter euaneſcit ſæpe, & rurſus erumpit. Eius ſiquidem origo in Phylace Achaiæ eſt. Quo non procul aqua alia ex pluribus & magnis fontibus conflata in ipſum delabitur, cui loco Symbola nomen eſt. Ex Phylace & a Symbolis progreſſus in Tegeaticum immergitur campum: mox in Aſia rurſus erumpit, & cum Eurotæ fluuii aquas recipit, ſecundo in terram abſorbetur. Tertio deinde, vbi fontes ſunt Arcades, emergit, & agrum Piſæum vrbemque Olympiam præterlapſus, ſupra Cyllenen Eleorum nauale in mare irrumpit: Adriaticumque mare ſubtermeans, in Ortygia, quæ pro Syracuſis eſt, ſe oſtẽtat, Arethuſęque miſcetur. hæc Pauſanias. Quæ ipſa pluribus argumentis lib. 5. affirmat: Meantem (inquiens) ſubter mare Alpheũ amnem, fonti apud Syracuſas immiſceri, quid cauſæ ſit quare non credam, non plane video: cum Delphici Apollinis voce rei fidem factam meminerim, qui Archiæ Syracuſas coloniam ducturo hoc reſpondit. Græcorum præterea, ac Ægyptiorum qui in Æthiopiam ſupra Syenen & Meroen vrbes venerunt, narrant Nilũ fluuium quendam ingredi lacum, atque inde tanquam e terra continẽti elapſum per Æthiopiam inferiorem in Ægyptum decurrere, atque in mare poſtea quod ad Pharum eſt, erumpere. In Hebræorum finibus amnem Iordanem ego vidi, qui Tiberiadem ingreſſus lacum, puris aquarum vndis illum tranſuehitur, & in alterum lacum, cui Mare mortuum eſt nomen, integer ac incorruptus ingreſſus, in ea ipſa palude cõſumptus euaneſcit. Alpheo perſimilis fluuius eſt in Ionia, cuius fontes iuxta Mycales montis radices ſunt, aquę vero interpoſitum tranſmittentes pelagus prope Branchidas in portu quodam, qui Panormus appellatur, rurſus emergunt. Hactenus Pauſanias. Idem quoque Athenæus, Lucianus, & alii plerique pro conſtanti aſſerunt. At Strabo lib. 6. fabuloſum id totum ac monſtruoſum arbitratur, hac maxime ratione ductus, quod circa mare, vbi Alpheus inter Phean & Pitanen promontoria oſtiũ facit, nullus reperiatur hiatus, quo abſorptus amnis ſubtermeare Syracuſas vſque poſſit, ſed maris fluctibus ſtatim immiſceatur. Ad hæc (inquit Strabo) cum mari immiſcetur, ſalſas neceſſe eſt habere aquas: neque eo impetu pelagus ingreditur, vt potabiles, velut Arethuſa habet, per tantam maris vaſtitatem, aquas ſecum ferre poſſit. At enimuero, tametſi Strabo author eſt grauiſſimus, contra eos ſolum eius vrgent rationes, qui Alpheum fluctibus immixtũ Syracuſas integrum per tot paſſuum milia excurrere ſcribunt, quod ſupra fidem ac ſenſum eſt pene communem. Nam & veteres omnes, qui hoc naturæ mirum in literas retulerunt, Alpheum non ad oſtium, neque mari immixtum, ſed ad mediterranea abſorptum, demiſſumque vel totum, vel aliquam ſui partem, ad Arethuſam vſque ſubtermeare ſcripſerunt: cum & quædam alia flumina ſubire terras, rurſumque emergi ex Plinii lib. 2. iam didicerimus, vt Lycus in Aſia, Eraſinus in Argolica, Tigris in Meſopotamia, & pleraque alia. Temerarii igitur eſt hominis, Arethuſæ fontem ex Elide non profluere firmiter aſſerere, cum in eo tot illuſtrium Græcorum ingenia ſubtili ſtudiorum ſocietate nõ ſine cauſarum expreſſo iudicio conſenſerint, & nos ipſi ingentia flumina ex tam paruo Syracuſarum ſcopulo, & iuxta littus occiduum mire exoriri videamus. Quis enim Dei vel naturæ arcana mortalibus abdita rimari vnquã potuit? Quis ingenteis illas in ipſis terræ viſcerib.

cauernas oculis introſpexit? quæ, maria omnia per tot temporum ſpatia, tantorũ fluxibus fluminum nunquam excreſcentia, perpetuo hauriunt & exorbent? quæ tamen negare dementiſſimum fuerit. Quis denique (vt ad noſtra veniamus) ſubterraneos anfractus, quibus repletis vniuerſa exuberantis aquæ moles in apertum cœlum per cacumina montium euomitur, non admiſerit? Proinde imbecillitatis humanæ eſt non omnia ſcire, non omnia perſcrutari oculis poſſe, cui ſola fere antiquitatis memoria ſubuenire debet: tantum abeſt vt priſcis fidem abroget, quib. & hac in re lib. de mirabilium auditionibus neque Ariſtotelem puduit aſſentiri. Enimuero Arethuſa (vt Cic. & Diodorus referunt) incredibili olim erat magnitudine, vel ea ratione quod plerique fontes, qui circumquaque emergunt, & ad officinas coriariorum diuerſa loca inſtar fluminum hodie excurrunt, ſimul confluẽtes, lacum efficiebant: qui vno ambitus ſtadio a ſpecu, vnde nunc exundat, ad fontem vſque, qui ætate mea a canalibus nomen habebat, protendebatur, vt ſcruporum aquarumque veſtigiis adhuc cernitur: vbi vetuſta erat vrbis porta Arethuſæ olim, Liuio, ſed mea tempeſtate ſaccariorum appellata, qua Inſula capta a Marcello eſt, vt & Liuius refert, & nos vberius in hiſtoriis. Hæc cum ante integra, & miris vetuſtiſq; lapidibus ſtructa ad aream cathedralis eccleſiæ pateret, & ſola ex antiquis portis ſupereſſet, vigeſimo circiter ab hinc anno, ad tuitionem vrbis clauſa, prorſuſque extincta, vſum, formam, & nomen amiſit. Ea vero quæ hodie ad Arethuſam ducit, ſanctæ Mariæ a portu dicata, ætate paulo ſuperiori fuit aperta, cum ante nulla eſſet. Nam eius mœnia quodam tempore Arethuſa extra alluebat, intus vero gradibus ingentibus in lapide exciſis, quos terra hodie operuit, præmuniebantur: quibus Syracuſani ad aquas, quæ intra muros quoque tum ſcatebant, e fonte hauriendas deſcendebant. Sed diuiſus in plures alueos Arethuſa proceſſu æui huic muro portæ aperiendæ locum dedit. Pleniſſimus quoque olim erat piſcium: quos, quod (teſte lib. 6. Diodoro) ſacri Dianæ a ſuperſtitioſis haberentur, nefas erat tangere: adeo, vt qui bellorum tempore eos edere ſunt auſi, magnas ſubiiſſe calamitates exemplis probatum veteres ſcribant. Craſſas ſalſioreſq;, & ad potum iniucundas habet aquas. quarum vſum, cum duræ & incoctiles ſint, incolumitati humanæ minus conferre lib. 2. docet Athenæus. Nõ procul ab Arethuſa e mediis maris fluctibus fons aquæ dulcis mire exundat, caputque inter aquas ſalſas extollit, Oculus Cilicæ vulgo appellatus. cuius nullum veterum ſcriptorum meminiſſe vel ex eo cenſendum eſt, quod e vicinis Arethuſæ fontibus vnus eſt. Qui cum olim, velut & cæteri, ex Inſula, non e mari erumperet, corrodentib. proceſſu æui fluctibus ea littora, occupantibusq;, (prout murorũ vrbis ac domorum pendentes adhuc ruinæ, quos in ſicco prius iacentes, iam mare alluit, ſatis indicãt) e medio ſalo nunc emergit. Nam cum aqua grauis ſit, e mari ſurſum natura ſua nõ poſſet attolli, niſi ex edito prodiret loco: vt & ſuadet ratio, & primo Meteororum Ariſtot. & Trogus lib. 4. docẽt. Quod ſi ex Arethuſæ fontibus hic non eſt vnus, ex aliquo certe vicino monte eadem ratione, eodemque Ariſtotele authore gigni, & ex pelagi vadis expellente eum interiori vento ſurſum emergere neceſſe eſt. Erat igitur Arethuſa fons ingens & piſcoſus, molibuſque iactis in mari, & reticulato ordine poſitis circumſeptus: quibus multa bituminis ac picis mixtura iniecta, fluctus maris ab eo arcebat, cuius viſuntur adhuc clara veſtigia. Nam & coriariorum vicinæ ſuper iis molibus & materia hac bituminoſa officinæ cõſtructæ ætate mea cernebantur. Quibus deletis propugnaculum ingens ad robur vrbis & portus munitiſſimũ, quod a ſancta Maria de portu dicitur, ſuperſtructum eſt. Mea præterea ætate ſalut. 1506. ipſe ad. 4. id. Ianua. prorſus exaruit. Sed interim ad iſthmum & littus marmorei portus complures aquarum fontes emerſerunt: qui, cum Arethuſa refluxit, ſcaturire mox deſierunt. Hæc itaque in hac prima, Syracuſarum ambitu cõtenta, vrbe, quæ hodie ſola colitur, ſunt memoratu digna. Quæ etſi natura munita & ſitu ſuo, vel a pauciſſimis (teſte in Verrem. 7. Cice.) cuſtodiri poſſet: a Carolo tamen Cæſare inſignib. propugnaculis, & omni opere hac noſtra ætate adaucta & roborata eſt.

ALTERA erat vrbs Syracuſis, cui nomen Græcum Acradina Ciceroni, Diodoro,

doro, Plutarcho & Liuio, quod iusta compositione summum verticem interpretamur: quod maxima eius pars in mole nonnihil edita in Insulam prominenti steterit. Hanc & cæteris munitiorem amplioremque, & quodammodo ex plurib. vrbibus compositam fuisse, in Timoleonte & Marcello Plutarchus, & ipse loci situs indicat. Proximam quoque Ortygiæ, & solo ponte ab ea seiunctam stetisse, non coniectura, sed certo iudicio consequor. Cum enim Acradinã post Corinthiorum aduentum, ob populi frequentiam, quæ insulæ angustiis contineri non poterat, Ortygiæ accessisse ex Strabone acceperimus: non longe ab ea certe condi debuisse quis dubitauerit? Quod & ex Liuii verbis satis manifestum est, dum (4. lib. 2. belli Punici) Andronodorus (inquit) qui Insulæ arcem, & cætera quæ poterat, præsidiis firmarat, postero die luce prima patefactis Insulæ portis, in forum Acradinæ, ac in aram Concordiæ ascendit. Et ibidem lib. 5. Priusquam (inquit) Marcellus Syracusis potiretur, Tycha & Neapolis, quæ reliquæ sunt vrbis partes, ei se dediderunt. Quibus receptis, Marcellus omnibus copiis Acradinæ mœnia aggreditur. Ad quem arcendum non solum qui Acradinam tenebant, sed a Naxo etiam armatorũ agmina relictis stationibus suis concurrerunt. Et in Timoleonte Plutarchus arcem Acradinę coniunctam facit. Ea vero cum ad Isthmum steterit, (vt prę meminimus) quæ etiam sola cum Insula a Dionysio iuniori in extremis dieb. imperii sui tenebatur, quis non videt Acradinam Insulæ proximam fuisse? In hanc autem me prolixiorem demonstrationem (vti sæpe alias) neotericorum quorundam circa veri inuestigationem incuria coegit: vt conterraneos simul & exteros monerem, ne ab historiæ & rei ipsius fide, & in hac & in multis aliis descriptionibus illorum erroribus abduci sese patiantur. Acradina igitur a paruo hoc Ortygiæ interuallo ad eum vsque locum, qui Scala Græca hodie dicitur, protendebatur, omnẽque inferiorem agrum continebat vsque ad mare. cuius fluctibus, qua Orientem & Meridiem respicit, alluebatur, vt. 4. lib. de. 2. bello Punico Liuius tradit, & circũiacẽtia eius mœnia adhuc ostendunt. In hac in primis, qua Ortygiæ proxima est, domus erat ingens & insignis, quam lectorum sexaginta cognomento vocabant (vt lib. 16. scribit Diodorus) opus Agathoclis Syracusanorum Regis. Hæc cum omnia Siciliæ ædificia, etiã sacras ædes quascunque, amplitudine, eminentia, ac nobili structuræ elegantia superaret, cœlesti fulmine postmodum icta concidit: ac ne vestigium quidem vllum sui reliquit. Hac vrbis parte forum erat maximũ, pulcherrimæ porticus, ac xysti amplissimi, in quibus athletæ per hyberna tẽpora sese exercebant. Ornatissimum quoq; Prytaneum senatus, siue magistratus (id enim Prytanis Græcis sonat) ad ius dicendum locus. Inter reliqua eius ornamenta signũ Sapphûs Marci Syllanionis opus perfectum, elegans, atque affabre elaboratum erat, quod in basi incisum habebat epigramma Gręcum pernobile. Cuius memoriam quidem Cic. in Verrem. 6. numeros vero non recensuit. Erat Acradinæ etiã amplissima curia, quam Syracusani Buleuterium Græce, quod Latinis curiam loquitur, appellabant. Inter templa vero, quæ plurima hac vrbis parte cernebãtur, Iouis Olympii egregium in primis, ac diuina prope magnificentia stupendum, ab Hierone iuniori, non procul a foro, iuxta theatrum, vnius stadii spatio in longum extensum, latitudine atque altitudine respondente, extructum fuit: pyramidibus & metis plurimis, eisque ingentibus artificiosisque insigne: vt lib. 16. Diodorus refert. In hoc plurima Gallorum Illyricorumque spolia, quæ Senatus Populusq; Romanus Hieroni Regi aliquando dono dederat, affixa appensaque videbantur. Erat in eodem & Iouis Imperatoris simulacrum religiosissimum, exquisitissima ac cœlesti propemodum industria expolitum: quod vrion Græci, hoc est signum, vocabant. Fuit nimirum illud ex tribus Iouis simulacris, quæ eo tempore in orbe ferebantur vnius generis pulcherrima. Duorum namque reliquorum alterum, Macedoniæ ereptum, in Capitolio posuera Flaminius: alterum in Ponto sacerrimũ erat, vt in Verrem. 6. Cic. tradit. Porro hoc tertium præcipua Syracusis colebatur veneratione: quod non modo ciues & incolæ, sed aduenæ quoque, & visere & curiosissimo prosequi cultu consueuerant. Templum pręterea Iunonis iuxta littus. Concordię quoque ara pręcipuæ religionis, & Æsculapii ędis, in qua & signum

Panos

Panos affabre factum, statis cæremoniis solenniter vna cum Æsculapio celebratum, Acradinę fuerunt. Fuit etiam in ea templum Baccho, quẽ Liberum appellabant, sacrum: in quo & sua Aristæo, qui Liberi filius, & olei inuentor Græcis est creditus, cum patre sacrificia fiebant. cuius simulacrum pulcherrimum, & pariũ ibi caput religiosissimum seruabatur, vt Cic. in Verrem, & Diodorus lib. 20. scribunt. Neque prætereunda est Sphæra solaris ænea, quam in hac vrbis parte commendat Athenæus: in qua motus omnium signorum cœlestium, segmentorumque figurationem, & quasi typum quendam ortus syderum atque occasus, cœli cõuersiones cum singulorum ventorum ratione, totumque denique naturæ opificium ad oculum contemplari licebat. In extrema autem Acradinæ regione, qua septentrionem spectat, arx erat Galeagra a Græcis dicta (quod carcer noxiorũ est Latinis) Trogilorum portui imminens Thucydidi: cuius ætate mea clarissima, & ea maxima, in vinea Petri Augustani, non procul a Scala Græca, visuntur monumenta. iuxta quam & Trogilorum erat porta Thucydidi & Liuio. Qua Leontinos respicit, regio erat nomine Hecatompedon, vt Plutarchus in Dione refert. Latomiæ quoque, siue latumiæ, quas tagliatas vulgo hodie vocant, in hac, (vt & Neapoli) ex quibus ad vrbem extruẽdam lapides petebant, excauatæ sunt: quibus Dionysius & cæteri post eum tyranni pro carcere vtebantur. Opus (inquit in Verrem Cic.) erat Syracusis ingens, & adhuc extat, totum ex saxo solido in altitudinẽ mirandam depressum, & multorum operũ, penitus excisum, & omni aditu obsepto munitissimum: opus quidem multorum Regum ac tyrannorum. Latumiæ, (inquit Asconius Pedianus) qui Syracusis sunt carceres, sic dicuntur, quoniam loca sunt ex quibus lapides excauabantur: sic dicti lingua Siculorum. Sub terra hi erant carceres maximi, viuo ex lapide absque testudine excisi. In eos qui publice custodiẽdi erant, etiam ex cæteris oppidis, detrudi videbantur. In Acradina aliæ specus sunt plures viuo ex lapide manu excisæ, visu mirabiles. Quarum præcipuæ sunt: vna, quæ antrum sancti Nicolai dicitur. alia ingens & miro artificio ad harmoniã, vocumque responsa elaborata: rarissimum profecto opus. in qua Echo non modo vocis editæ, sed summissæ quoque, neque natura, vt alibi, sed arte certa respõsa refert. Tertia in hortis cœnobii Franciscanorum, cui a sancta Maria de Iesu cognomen inhæret. quæ licet ore angusta, vbi tamen penetraueris, lata est, & potabilem demum habet lacum. Et subter D. Ioannis templum specus quædam latis viis ac transuersis distinctæ, atque instar vrbis excauatæ: cœmeterii suo tempore locus. ad latera nanque earum sepulchrorum frequentia in lapide ipso excisorum visitur. Denique & ea quæ ad D. Luciæ ædem magna arte effossa cernitur. In vniuersum autem amplissima ac fortissima Acradina (vt Cic. scribit) vna lata via perpetua, multisque transuersis diuisa, priuatis ædificiis continebatur. Quæ omnia hæc ætate temporum ac bellorum iniuria defecerunt. Porta eius vna integra, qua in mare ad Orientem patebat, non longe a duobus scopulis qui Duo fratres appellantur, & via quadratis, & eis vsque ad littus ingentibus lapidibus strata, quæ ruderibus ante oppressa latebat, anno demum salut. 1553. ex improuiso reperta est.

TERTIA vero Syracusarum vrbs, quod in ea Fortunæ fanum antiquũ fuerat, Tyche, quod fortunã Latinis significat, nominata est Ciceroni. Ea muro Acradinæ ad occidentem hęrebat: quę cum ante non satis ingenio esset munita, post Thrasybuli eiectionem a Syracusanis muris (vt apud Diodorum lib. 11. est) ex quadratis, iisque magnis, quemadmodum Acradina, lapidibus circunsepta est: quorũ non obscuræ adhuc ibi cernuntur ruinę. Hi porro non fossis manu factis, sed decliui tantum solo lapideo pręmuniebantur. Situs enim eius (vt & maximę Acradinę partis) moles quędam est paulisper edita, vndique natura pręcisa, tota lapidosa atque aspera, velut & tota circumadiacẽs plaga. Gymnasium habebat amplissimũ, & complures ędes sacras, colebaturque & habitabatur frequentissime, Ciceroni. In eius vertice locus eminẽs, & vndique pręruptus, Epipole Gręce (quod alii loco imminere Thucydides, plerique supra vrbem, interpretantur) cognominatus est. Huic enim tota Syracusę vrbs, ac portus, quin & Pachyni promontorium ad dexteram, & ad sinistram Pelorus, Calabrię montes, Tauromenii alpes, & mõs Ætna

prę-

præclaro quidem prospectu subsunt. Epipole (inquit lib. 6. Thucydides) locus præruptus, & vrbi imminens est. cuius aditus vnus duntaxat est. Nam cęteræ partes, cũ arduæ sint, conscensum minime præbent. Hic vrbe tenus aliquantulum decliuis, & introrsũ omnino patens locus, ideo Epipole a Syracusanis vocatus, quia eminet plurimũ alii loco. hæc Thucydides. In summa Epipoles crepidine ac vertice arx erat, Labdalus Græce appellata Thucydidi: quam Hexapylon lib. 6. secundi belli Punici vocat Liuius. Hæc ex quadratis lapidibus, & eis admirandis, miro artificio erat extructa. cuius magnificentiam prostrata adhuc ædificii cadauera testantur: quibus Syracusanæ iam deletæ vrbis nulla hodie extant maiora vetustatis monumenta. Apparent, inter alia, subterraneæ ibi ad plura vrbis loca tendentes viæ, e lapide quadrato stratæ, quibus aut Rex aut milites, si quando aut seditio exoriretur, aut hostium ingrueret impetus, facile ad cæteras inde vrbis partes penetrarent. Hunc locum hodie Syracusani Mongibellisium vernacula lingua appellant. Supra Epipolen ac Labdalum stadiis circiter duobus, ad occidentẽ tumulus est vndique præruptus, qui Euryelus a Thucydide lib. 6. quasi magna latitudo, a Diodoro vero lib. 20. Euryclos, id est amplus circulus, appellatur. In eius edito iugo arx est ineleganti opere a veteribus erecta, speculæ æque atque arcis speciem referens: quæ hodie semiruta cisternam in ipso viuo saxo excisam exhibet: & a iucundissimo, quem in vicinas & distantes etiam Pachyni & Pelori regiones præbet, prospectu, vernacula lingua Beluedere hodie a Syracusanis vocatur. Supra Euryelũ p. m. fere. 4. arduus est mons vtrinque rupibus præceps. eius vertex a Thucydide lib. 7. Lepas (quod promontorium Latinis est) sed hodie Mons Crímitis media correpta vulgo appellatur. Ab Epipolis mille prope passus Leontinum versus recedens locus erat Leon a Thucydide lib. 6. dictus: cuius hac ætate nullæ visuntur ruinæ. Iuxta Epipolas, & sub arcem Labdalum, Pentapylũ etiã horologium illustre ac excelsum erat: opus quidẽ senioris Dionysii (vt in Dione scribit Plutarchus) & domus eiusdem regia: in quã platanos, quod nouæ essent arbores, ad ornamentum ex insula Diomedis transtulit, Plin. lib. 12. cap. primo: postea in gymnasiũ amplissimum (de quo diximus) conuersa. Complures in hac regione sacræ ædes: sed Fortunæ in primis vetustissima ac celeberrima colebatur: a qua nomen habuit. Scribit quidem Plutarchus in suis Politicis, Timoleontem post Tyrannos e Sicilia sublatos, Fortunæ templum Syracusis quam magnificentissime condidisse. Nam a plerisque præstantissimis factitatum veteris superstitionis viris legimus, vt rebus præclare ab se gestis, eo modo Fortunam laudandam adorandamque censuerint: an tamen in Tycha id templum Timoleon erexerit, a scriptoribus, quorum opera ad manus meas peruenerunt, non est proditum. Moles, in qua duas vrbis partes Acradinam & Tycham conditas diximus, Terracatis vulgo hoc tempore cognominatur. Quæ cum aquarum natura esset indiga, Syracusanorum & potentia & ingenio cuniculis subterraneis, quibus per totã vrbem ad latera (vt & hodie fit) aquę deducebantur, ad hominis staturam in imo perforatis facta est vberrima. Et ne cõclusus aer, aut impedimentum aliud, cursum aquæ moraretur: tum ne per vrbis vias cuiquam huius commoditatis esset difficultas: in summitate spiracula (puteorum instar) complura sunt adhibita. Aquarum porro ad egressus hæc sunt nomina. Qua moles meridiẽ respicit, Trimilia, Garelmus, & Paradisus: qua vero septentrionem, Targiunis, Targia, Boscus, & Targetta. Cæterum vbi caput habeant, licet ad montem Crimitim coniectura ducamur, incertum tamen tenemus. Subtili namq; industria fontibus prorsus occlusis subterlabendo eo pertractæ sunt. Verum aliæ aquæ, quæ præter has per aquæductus cæmentitios Syracusas fluebant, tametsi vetusta locorum finiumque nomina prorsus interierint: quales tamẽ fuerint, vnde & quomodo sint deductæ, non est difficile cognoscere: quod ipsæ earũ formæ magna ex parte adhuc extent. Siquidem. 20. fere p. m. a Syracusis ad Occidentem vallis est ingens, quæ in saxosę atque asperę rupis angulo situm habet Sortinum, noui nominis & recens oppidum. Ad illius verticem fons magnus erumpit, cui Guciuno hodie est nomen, statim fluuium emittens: qui passibus inde vix centum, duobus fontibus, altero ad sinistram ob argenteas, quas voluit arenas, Argenteo,

genteo,altero ad dexteram Rugio,nominatis: atque vlterius ſub ipſo oppido, ex alio item fonte,cui Primus eſt nomen,augetur. Sortino præterea qua meridiem reſpicit,collis Serramenzanus hodie dictus vndique pręciſus incubat: ad cuius radices in meridiem obuerſas, & ad verticem vallis alterius, quæ inter Pantalicam molem,vrbemque hodie dirutam Herbeſum olim appellatam,& Serramenzanũ collẽ interiacet,vberrimi fontes duo magno impetu exoriuntur,Buttigliariæ vernacule hodie vocati:qui & ipſi ſtatim fluuiũ conficiunt. Syracuſani igitur aquarum inopia ad operoſa cõſilia adacti,hoc colle ſiliceam habente naturam, ad latus meridionale magno labore,maximoque prope ſumptu per longos tractus perfoſſo,cuniculum ingentem egerunt: qui Conductus pulchræ fœminæ appellatur.ac deinde arcu (inſtar pontis,qui adhuc extat,fluuii põs vocatus) extructo,Buttigliariæ aquas amplis iis fiſtulis a venis deductas Gueuni fluuio, ſub Sortino, ad ædem Annunciatæ permiſcuerunt. Poſtremo nonnullis ductibus cæmẽtitiis,pleriſque etiã ſubterraneis, quorum veſtigia pluribus locis apparent, per. 20. fere p. m. magnifice ſubſtructis,aquas affluentiſſime in vrbem deduxerunt.Quarum poſtmodum fiſtulas,quo potus inopia Syracuſani in deditionem compellerentur, Athenienſes Syracuſanæ obſidionis tempore diſciderunt,vt lib. 6. ſcribit Thucydides. Hodie vero hæ aquæ diſſutis iam canalibus, Anapum fluuium, cui miſcentur,augent.Sed ad Tycham redeo. In decliuiori parte meridiem verſus,domus erat Timoleontis Corinthii,tyrannidis apud Syracuſas extinctoris, quę ei oculis orbato a ſenatu populoque Syracuſano perhibetur eſſe cõſtructa.eam, vbi hodie ędis eſt D. Petro a Trimilia fonte cognominato ſacra,fuiſſe Syracuſani exiſtimant. Non procul inde aberant portæ Agregariæ,quas Segragianas in Tuſculanis Cic.appellat:extra quas magna ſepulchrorum erat frequentia.quibus immixtum Archimedis tumulum ſe reperiſſe gloriatur Cicero.His quoque vicinum fuiſſe Sicam oppidulum ſuburbanũ, author eſt lib.6.Thucydides. Super hęc vero quod ad Tychã addam,nihil eſt. Nam totus tam huius quam Acradinæ ſitus, adeo campeſtris eſt & incultus, vt cum non liceat ibi alias Syracuſanæ magnitudinis ruinas, præter paucas eas quas recenſuimus, oculis cernere, ſola fere ſcriptorum celeberrima mentio & authoritas efficiat, vt extitiſſe his partib.vrbem ſuo tempore,& ęgre adhuc credamus.Euenit autem tanta hiſce regionibus vaſtatio cum Romanorum (Sex.preſertim Pompeii)induſtria,qui nulla aut pauca in eis reliquerunt priſcorũ operum monumenta, tum ſoli natura, quod cum lapidoſum ſit totum, proſtratis ab hoſtibus ædificiis,quæ altioribus fundamentis carebant,ruinæ etiam ipſę quam facillime inde dimoueri & aſportari potuerunt.

QVARTA ET vltima Syracuſarum vrbs, quæ, quod poſtremo ędificata ſit, Neapolis Gręce,hoc eſt noua ciuitas,eſt appellata,ad ſeptentrionem Tychę, ad orientem vero Acradinę hęrebat, eo loco ſita qui Muragli vernacula lingua nunc dicitur. atque adeo reipſa conuincuntur ii qui eam inter Inſulam & Acradinã poſuerunt. Ad eius ſummum, Theatrum erat maximum Ciceroni, omniumq; quę in Sicilia fuerunt pulcherrimum, Diodoro lib. 16. cuius adhuc viuo ſaxo inciſa ex parte videtur forma. Rupibus nãque partim inciſis, partim muri gyris ampliſſimis conſtabat:ad cuius verticem ex Tychę latere, antroque manufacto, ac latis fiſtulis, aquarumque ductibus ſub ipſa viua rupe inciſis, longiſſimoque tractu excauatis, fons emanat, qui obliterato prorſus antiquo Gręcorum nomine, Sarracenice Garelme, quod foramen aquę Latinis ſonat, corrupte Galermus hodie dicitur. Non longe a Theatro Amphitheatrum erat orbiculare, ſingulari architecturę magnificentia inſigne: cuius magnas illuſtreſque reliquias cernimus, Coliſeum & foſſa granatorum vulgo appellatas. Duo quoque hac regione inter cętera erant tẽpla egregia, alterum Cereri, alterum Proſerpinę, quam Liberam vocabant, ſacrũ, Ciceroni: Hieronis ſuperioris opus Diodoro. Signum prętera Apollinis, qui Themites Ciceroni, Themenites Suetonio, a iuſtitię (ni fallor) vaticiniorumque opinione ita indito a priſcis nomine, dicitur: quod Tyberius Cęſar ſuprema voluntate, Syracuſis Romam in nouum templum, quod in memoriam Auguſti ſimul cũ bibliotheca excitauerat, aduehi decreuerat: ſed morte pręuentus decreti ſui euẽtum non

tum non obtinuit, vt Suetonius in eius vita. c. 74. commemorat. In Neapoli portæ erant duabus aliis, quæ Syracusis celebratæ sunt, nihilo inferiores, Menetides a fabricæ fortitudine & roboreita Græce denominatæ, quæ Anapum fluuium prospiciebant, Plutarcho in Dione. Extra eas palus erat, quam Lysimeliam Thucydides, Pantanellam vulgus hodie vocat. Cuius (vt & aliarum quoque illi adiacentium) vaporibus tota Syracusarum vrbe, ac præsertim hac parte, cœlum inficiebatur, vt in lib. de consolatione ad Martiam scribit Seneca, & nos experimur. Hinc ad fluuium Anapum & Olympicum vsque via erat magnis & quadratis strata lapidibus, mea ætate reperta. Quibus erutis ingens vrbis propugnaculũ, quod vnicę portæ vrbis hodie imminet, est excitatum. Paludem aliam fuisse Syracusis scribit Vibius Sequester, quam Tyracam appellabant. vnde Tyracati nomen Acradinæ & Tychę agro recens forsan obuenit. Hortus pro mœnibus vrbis, qui Mythos dicebatur, olim ab Hierone Rege sumptuosissime ædificatus & consitus erat, lib. 12. teste Athenæo. Tres fontes extra vrbem insignes fuisse Temenitim, Archidemissam, & Margeam, lib. 3. refert Plinius. Hodie vero in agro Syracusano Cauæ donnæ. 7. p. m. Sortinum versus, & Ricalcaci p. m. 6. ab vrbe distantes fontes sunt celebres. Cacyparis fluuii aquæ ad agrum quoque Syracusanum, qui Gereates dicebatur, olim deducebantur, vt mirandis aquæductibus in rupibus excisis simul & cæmẽtitiis hucusque pro magna parte integris passim ante oculos cernimus. Sed & fluuii Cardinalis hodie appellati. 18. p. m. ab vrbe distantis, qui in valle Yhannicatini Sarracenice dicta totus mire absorbetur, aquæ in agros Syracusanos per quosdam ductus. 12. p. m. in rupe excisos, & ponte etiam ad id extructo, quorũ adhuc clarissima visuntur monumenta, antiquitus procurrebant. Tybrim fluuium ab hostium labore denominatum, Syracusis fuisse, Theocriti interpres & nonnulli perhibent, quem Fossam vocat Seruius. Hanc Athenienses & Pœni Syracusanorũ captiui, belli iure ad ligonis exercitium expositi, æquatis iuxta mœnia collibus, pro vrbis munitione tanquam vallum confecerunt: in quã admisso alueo non mediocriter ciuitatem munierunt. Ab hoc nomine nonnullo post interiecto tempore Syracusani plerique, qui cum ingenti colonorum multitudine in Italiam tyrannidis odio profugerant, iuxta Albulæ fluuii ripas, vbi postmodum Roma fuit condita, sedibus positis, vetustissimo Albulæ nomine obliterato, fluuium Tybrim in patriæ memoriam, & quod eiusmodi fossæ imaginem præseferre videretur, denominauerunt. Cui opinioni accedere videtur Plinius: qui lib. 3. cap. 5. Tyberis (inquit) antea Tybris appellatus, sed prius Albula. vt Albula primũ, mox Tybris a Syracusanis, atque Tyberis demum a ducis Albani submersione transnominatus sit. Nam & Solinus scribit Italum Regem ab insula Sicilia cum Syracusanis ad Ianum peruenisse, atque eius cõsilio auxilioque ciuitatem iuxta Albulam condidisse, Capenam nomine: a qua deinde portæ Romanæ Capenæ nomen fuit impositũ. quod quidem ad hanc nostram sententiam non parum affert authoritatis. quanquam a Verg. ad Tybrim Regem quendam immanis staturæ Romanum, Tybridis etymologiam referri non ignorẽ. Sed hactenus quę in quatuor illis Syracusarum ambitu conclusis vrbibus aut sunt aut fuerunt olim memoratu digna, sigillatim recensuimus. Superest vt si quæ publica sunt, neq; his partibus peculiariter propria, cõmuni vrbis enarratione perstringamus. Hyberna Syracusis esse limpidissima, cõtinuũque ac perpetuum solem, qui nullo die quantumuis nubilo ita arcetur, quin aliqua vrbis parte appareat, testatur & res ipsa, & Ciceronis in Verrem, & Plinii & Solini authoritas. æstas vero propter paludum viciniam grauis olim erat, & intemperie prope infamis, vt ex Seneca retulimus. Leges plurimas in tam bene constituta rep. ad prauos mores reprimendos, apud Athenæum Philaretus fuisse cõmemorat: quarum etiam origo varia fuit. Inter alia itaque (quia ordo ad temporũ rationes accommodari non potest) vna fuit ea quæ ad amictus communis fastum insolentiamque, quæ ad extremam luxuriam impudicitiamque procedebat, compescendam, salutari, eaque strictissima cautione lata est: Ne mulier vlla auro, vel purpura, vel floribus, aut preciosius ornata, & noctu nulla ratione, interdiu vero nonnisi vnica ancilla comite domo exiret. Quod si quæ secus cõmitteret, adulteræ

aut meretricis publicam ignominiam ſubiret. Viris etiam ſumptuoſiori veſte vti interdictum erat, ni ſe adulteros cinædoſque publice profeſſi ab omni adminiſtratione honeſtoque commercio prohiberi vellent. Doli quoque mali lex apud Syracuſanos principium habuit eiuſmodi, vt lib. Officiorum. 3. Cic. refert. C. Cānius Romanus eques, Syracuſas cū veniſſet, hortos ſe velle emere edixit. Quod reſciēs Pythius Syracuſanus auri faber, homo vafer, captata emptoris familiaritate cui dolum iam præcogitauerat, habere ſe quidem hortos ſuburbanos amœniſſimos ac maris fluctibus irriguos, non venales, ſed ſuos (vt amicorum omnia) vtrique communes dixit. Ad quos Camnium in poſterū diem ad cœnam inuitat: quo & piſcatores complures ad fraudem conductos piſcatum conuocat. Ad hortos venit Camnius: conuiuium lautiſſime paratum habuit: mox & cymbarum multitudo ibi affuit. Piſces quotquot ceperant, ante pedes Pythii abiiciunt. Miratur Camnius, ſciſcitatur, interrogat, remq; inquirit. Cui Pythius, Quicquid, inquit, Syracuſis eſt piſcium, hic capitur. Hoc littore carere piſcatores non poſſunt. His verbis incenſus Camnius cōtendit cum Pythio, vt hortos omnino ſibi vendat. Grauari ille primo, ſubinde ęgre flecti ſimulat, ac tandem Camnio hortos vendidit quanti voluit. Camnius piſculentis hortis beatus, vt putabat, poſtridie & ipſe amicos ad rus inuitat. tempeſtiue venit: nullos piſcatores, nullaſque cymbas videt. miratur, quærit e vicinis quo piſcatores abiiſſent. reſponſum eſt, nullos ibi ſolere piſcari. deluſum ſe clare ſtatim animaduertit Camnius: ſtomachatur, conclamat, furore accenſus perſtrepit, Deos hominesque inuocat, obteſtatur. Pythium ad iudicium, ſed fruſtra, ducit: nondum enim lex de dolo malo erat edita. Eſt autem dolus malus, cum aliud diſſimulatur, aliud dicitur. Hinc igitur Syracuſis edictum eſt, ſancitumq; lege perpetua, vt doloſus, veluti perfidus, improbus & malitioſus, mortis pœna plecteretur. quæ & Romæ poſtmodum ab Aquilio promulgata eſt. Tum & ſanctiſſimam iurandi formam apud Syracuſanos introductam, teſte Plutarcho, ne qua fraudi locus eſſet, accepimus. Iuraturus nanque in Theſmophorum deſcendebat templum, vbi Proſerpinæ re ſacra rite peracta infulam induebatur, ardentemque manu tenens faculam ad concepta verba adſtringebatur. Proſerpina vero id teſte fiebat, tum quod Siciliam quaſi dotem a Ioue in clientelam recepiſſe, tum quod inferorum Regina a vetuſtate credebatur, vt & numinis reuerentia, & inferorū metu a periurio abſtineretur. Erat & lex alia, qua ciuium plus æquo ſeſe efferentium audacia ac temeritas comprimebatur: cuique vel minima coniurationis nouarūue rerum ſuſpicio, ad exilii mulctā ſatis eſſet, vti & olim ab Athenienſibus, ac ſubinde a Romanis obſeruatū legimus. inter quos nihil intererat, niſi quod in oleæ frōdibus Syracuſani, non in teſtula, vt Athenienſes & Romani, qui ab ea hanc legem Oſtraciſmon, ſed Petaliſmon Syracuſani appellabant, ſuſpecti ciuis nomen inſcribebant. Et cuius folia plura in comitiis in vrnam conięcta proueniebāt, conſpicuā magnitudinem de conſilii decreto quinquennali exilio mulctabant, vt lib. 11. ſcribit Diodorus. Cæterum cum vrbis primores complures petaliſmi hac lege in exilium miſſi eſſent, qui patritii in vrbe remanſerant, ne idem mali ſibi eueniret, vrbē vltro deſeruerunt. Quo effectum eſt vt, cum ignauiſſimi quique ad reip. gubernacula acciti, maiorib. nouitatibus ac ſeditionibus adminiſtrationis imperitia populo cauſas præberent, quo vrbi collabenti ſuccurreretur, petaliſmi lex prorſus abrogata ſit. Lege etiam ibi (referente Zenodoto) ratum erat, vt militum, qui ordinē in bello deſeruiſſent, nomina ab hipparchis, hoc eſt equitum præfectis, in tabellis deſcriberentur: ne cuiquam commiſſi facinoris impunitas, ac ne impunitatis quidem ſpes ad licentiam occaſionem daret. vnde apud eos natum vulgatiſſimū prouerbium, Hipparchorum tabulæ. Lex quoque de ſepeliendis defunctorum corporibus ante Gelonis imperium rogata eſt. Qua funerum ſumptibus modus pro cenſu cuiuſque imponebatur. Sed & poſtmodum a Timoleonte magiſtratus introductus eſt, quem Iouis Olympii famulatū appellabat: cuius religione in officio populus contineretur, cuiuſque edicta tanquam cœlitus a Ioue emiſſa obſeruarētur. Primus omnium ad id munus Callimenes fuit electus, ac deinceps is honos per manum traditus cōtinuatuſque poſt annos demum trecētos abolitus eſt. Fuiſſe

& Syra-

& Syracusis dignissimum Iouis Olympii sacerdotium, in Verrem scribit Cic. Cuius fere huiusmodi erat electio. Cõstitutis ex tribus hominum generibus viris tribus, qui electionis principes essent, res hoc modo decernebatur. Quot erãt renunciati, tot in hydriam sortes coniiciebãtur. cuius deinde nomen exibat primum, is sacerdotium adipiscebatur. Mos quoque genti fuit, vt victores equis lauro coronatis, captiui vero tonsis crinibus in triumpho vterentur. Erat & Syracusis lex, qua ad discrimen ingenuæ & seruilis personæ notandum, serui equi stigmate inurebãtur. Erat enim ibi ingens ac sordida seruorum turba ex omnifariam populis exulibusq; conflata, quos Callicyrios appellabant, vt in Politicis scribit Aristoteles. Qui eodẽ loco apud Syracusanos habebãtur, quo apud Lacedæmonios captiui, apud Thessalos Penestæ, & apud Cretẽses Clarotæ. Opere nãque rustico & agricultura sumptum ac victum sibi quæritabãt. Quos, quod numero dominos superarent, ne seditionem aliquando multitudinis persuasione molirentur, vrbe postmodum eiectos refert Suidas. Sunt qui Syracusis saltationẽ gesticulationemq; primo exortam scribant: idque ab Hieronis senioris immani tyrannide ac sæuitia. Qui cum inter alia dictu immitia Syracusanos mutuis colloquiis vti vetuisset, iussisseque vt si quæ communicãda essent, ea pedum, manuum oculorumque nutibus ac indiciis significarentur, mox saltatores necessitas peperit. Quod & Aristoteles lib. Politicorũ. 5. his verbis affirmare videtur: Syracusis (inquit) deductores nuncupabãtur & auricularii, quos submittebat Hieron vbicunque congregatio fuisset aliqua. Cuius silentii plusquam seruilis impatientes Syracusani, Ioui Olympio, vt tã sæua tyrannide se liberaret, supplicarunt. Quod cum morte tyranni euenisset, numinis gratia ac commiseratione impetratum rati, Ioui Liberatori auream statuã erexerunt. At tyrannis expulsis, cum hospites & conductos milites in ciuium numerũ adscripsissent, confuso ciuitatis iure recepti in seditionem venere, commissoque cum Syracusanis prælio, libertatis vix bene gustatæ statum (vt eodem libro testatur Aristoteles) breui immutarunt. Celebrabatur Syracusis in expiationem defunctorum gladiatorius ludus, vt libro primo, capite de somniis scribit Valerius. Duo nanque, quibus id aut commẽdatum aut susceptum erat, singulari certamine in se mutuo inuehebantur, donec alter aut occideretur, aut herbam porrigeret. Erat id ad inferias quasi mortuorum. Existimabant equidem si sanguinem effudissent, mortuis piaculum fieri. In eo ludo Acenes Rufus Romanus eques, vt somnio noctu viderat, est occisus. Celebrabantur & Isthmia annis singulis, quoniã Corinthiorum erant coloni, vt Athenæus refert. Equidem Syracusanos opibus florentissimos adeo fuisse, vno ore authores omnes scribunt, vt aliarum gentium diuitiæ quãtumuis amplæ nihil ad Syracusanas essent. Vnde natum adagium quod supra retulimus: Vobis ne decima quidem Syracusarum adest. Nec minus voluptatum ac deliciarum nomine celebrati olim sunt. vnde & aliud prouerbium, Syracusana mensa, abiit pro lauta & opipara. Cuius Plato .3. de rep. & Aristoteles 5. Politicorum lib. meminerunt. Hinc etiam illos .3. libro Athenæus ranarum more aquaticarum semper in compotationibus esse, & luxui deditos in epistolis scribit Plato. Legimus autem & eo libidinis peruasisse adolescentes duos, vt cum neque vtrique sexui, neque affinitati, neque legibus parerent, excitata inter primores seditione libertatis statum bis inuerterint. Cuius incontinentiæ alterum exemplũ est apud Aristotelem. 5. Politicorum libro: alterum apud Plutarchum in sua Politica. Celebratur & apud Aristotelem de historia animalium lib. 6. & apud Plin. lib. 10. cap. 54. Syracusanus vini potor, qui ouis sub storia positis, tandiu potauerit dum fœtum ederent. Nec id supra fidem videri debet: cum nõ solum auium incubitu, sed & fimo etiam obruta, aut calori igneo suppositа fœtum gignere & Aristot. scribat, & nos experimento discamus. Pictura erat Syracusis (cui necdum certus locus a scriptoribus est attributus) eximia arte elaboratum saucio tumidoque pede leonem repræsentans. Hic Mentori Syracusano obuiam aliquando factus, cum ille metu refugeret, ante eum affectatis ad mouendam commiserationem gestibus, pedis iniuriam ostentabat, plagam lambebat, atque opem, cum voce non posset, nutibus implorabat. Quibus ille commotus confirmatusque, exempto ferę quo

cruciabatur ſurculo, perpetua ſibi eum humanitate deuinxerat. Cuius picturæ ſimul & hiſtoriæ meminit etiam Plin. lib. 8. cap. 16. Signum quoque Syracuſanum Leontii opus lib. 34. cap. 8. idem celebrat. quo puer claudicans tanto artificio exprimebatur, vt eius vlceris dolorem etiam ſpectantes ſentire viderentur. Memoratur etiam apud eundem lib. 8. cap. 5. Menander quidam Syracuſanus adoleſcēs, qui in exercitu Ptolemęi Regis ſtipendia merebat, adeo ab elephanto amatus, vt deſiderium, quoties eum non videbat, inedia teſtaretur. At vero inter Syracuſana opera multo omniū maxime memorabilis fuit nauis illa Hieronis junioris, qua neque magnitudine ſuperiorem, neque architecturæ induſtria, ornatuſque excellentia inſigniorem vlla vnquam viderunt maria. Cuius & Athenæus ex Moſchione authore lib. 5. meminit. Ad eam igitur Hiero fabricandam lignorum ex Ætna monte ſtruē, quæ ſexaginta triremibus abunde cōficiendis ſatis factura putaretur, cædi curauit. Æs quoque, ferrum, cānabim, reliquaque tantæ fabricæ neceſſaria, ex Italia, Iberia, & Rodano flumine comparauit. Architectum vero ſummo operi præſtantiſſimum Archiam Corinthium præfecit. Trecentos operi faciendo materiæque dolandæ fabros artifices ſque adiunxit, præter miniſtros artificio ſubſeruientes, qui nunquam (vt plerique ſcribunt) quingentis pauciores aſſiduo ſemper in opere verſabātur. Quibus ipſe etiam Archias dies totos ſe curatorē exactoremque officioſiſſimum præbuit. His itaque ſine vlla tēporis laboriſque remiſſione coædificantibus, intra ſex menſium ſpatium dimidium tantæ nauis abſolutum eſt. Quod cum in mare deducendum mandaſſet, vt ibi cōmodius altera inchoatæ fabricæ pars compleretur, nullus neq; ab Archia, neq; ab vniuerſo architectorum Siculorum collegio excogitari potuit modus, quo tanti ponderis moles vel loco dimoueretur, donec ad extremum Archimedes ille æterni nominis mathematicus, qui cum Regi neceſſitudo ac familiaritas non vulgaris interceſſerat, adhibitis paucis hominibus, compactaque clauicula machinali, confeſtim cum nouo ſpectantis populi Regiſque ſtupore eam ſolus prope littore ſolutam in mare pertraxit. Quam deinde ſex aliis menſibus altera parte abſoluit. Erant claui ærei quibus tabulæ trabeſque & coſtæ colligabātur, decem (etſi quindecim nonnulli penſent) librarum ponderis. Qui quod ſpiſſiores denſioreſque eſſent, non alias quam lignis prius terebratis infigi poterant. Quibus demum coſtæ eleuatæ cum coaſſationib. tranſuerſis vinctæ, tegulis inſuper plūbeis adactis, validius aſtringebantur, ſub quibus linteola concerpta cū pice infarcta ſubierant. Habebat viginti ordines remigum, ædificiorum vero triplicem contignationē. Quorum infima oneri ac mercibus deſignata multiplicibus ſcalis deſcendebatur. Media, ad quam arti mechanicæ erat tranſitus, cœnationes triginta iuxta vtrunque nauis latus, omnes pauimento, in quo belli Troiani fabula viſendo artificio concinnata legebatur, ſtratas teſſellis vermiculati lapidis omnis generis continebat: in quibus lecti quaterni viris ſeruiebant. inter quos & nautarum conclaue quinque lectorū capax erat. Thalami præterea tres, & culina, quæ cœnationibus ſubſeruiret, ad puppim prominebant. omnia vero ædificia tectis laqueatis & poſtibus exornata inſigni erant opere. Summa nauis pars gymnaſium habebat, & laxas ambulationes pro ſuæ magnitudinis proportione. Eas omnes deambulationes horti omnis generis ſtirpibus fœcundiſſimi ambibant. Erant hæ arbores fictilibus in vaſis & plumbeis conſitæ. Hederę præterea ac vites pampinis & corymbis omnia inumbrabant. Alebantur vites in doliis terra plenis. quæ ſimul cum hortis pari aquarum machinamento irrigabantur. Inde Aphrodiſium adibatur, hoc eſt conclaue Veneri dicatum. quod triclinari etiam lectiſternio, pauimentoque (quod Achate lapide, aliisq; id genus nitentibus lapidibus, quorum eſt magna in Sicilia diuerſitas, ſplendebat) erat conſtratum. Parietes habebat cupreſſinis tabulis aſſeribuſque contextos, laqueatumque ex eadem materia tectum. Fores etiam ebore & odorata materia compactas, picturaque inſigniori ac ſigillis exornatas aperiebat. Deinceps exhedra erat quinque lectorum capax, quorum parietes poſteſq; buxo diſtincti mire delectabant. vbi bibliotheca & in lacunari ſphæra inſtar ſolarii Acradinæi viſebatur. Balneum huic loco iunctum adibatur, in quo tres lecti cum ſolio ex vario lapide, &

tribus

tribus æneis caldariis exculpto ſtabant. Erat in eadem naui iuxta proram aquarum dulcium receptaculum concluſum duarum mille metretarum capax, aſſamentis, pice ac linteorum fartura compactum. Iuxta quod rurſus piſcina coaſſatione & implumbatura conſtans, aquis marinis referta, maximam piſcium copiam alebat. Habitationes præterea plurimæ militibus diſtributæ, & his quoque qui ſuper ſentinam erant. Equorum præſepia ab vtroque nauis latere numero decem cum frenis, ſtratis, pabulo, & omni equitatus ſupellectile ſuo loco ordinabantur: lignarium quoque & clibani, foci, piſtrina, atque alia item miniſteria in nauis receſſibus expedita. Ad hoc atlantes ibi nouem pedum altitudinis certis interſtitiis firmati ſculpturas prominentes a ſumma contignatione palorũ vice fulciebant. Turres erãt in ea naui octo, binæ in prora, in puppi, & in vtroque erectæ latere. In muris etiam propugnacula erant munitiſſima. Præterea machina in medio cataſtromate ſuper tripodes erigebatur (Archimedis inuentum) quæ ſaxa tritalentaria, telaque miſſilia duodeuiginti pedum facile ad vnius ſtadii ſpatium eiaculabatur. Hæc & alia pleraque machinamenta propugnatoria, vt corui, lupi, & in ſummo malo carcheſia, ænea lapidum conceptacula ad lapidationem in hoſtium nauigia faciendam abũde ſuppetebant. Stabant namque in vna terni, in aliis bini aut ſinguli homines, lapides eiaculantes, quos ſerui in foris ſtantes, vitilibus, quallis, tempore pugnæ ſuggerebant, trochleis ſubuehentes. Idem Archimedes cochleam eſt commentus: qua tantæ nauis ſentina ab vno homine exhauriretur. Frumentum autem negotiatorium ea nauis capiebat, exportabatque medimnûm ad milia ſexaginta: ſalſamenta Sicula ad cadûm decem milia: lanarum talenta viginti milia: præterea viatorum nautarumque medimnûm ſexaginta milia. Hanc itaque monſtruoſam nauem poſtea Hiero Rex cum Ægyptus anno ærę caritate vexaretur, frumento onuſtam in Alexandriam miſit, eamque Ptolemæo Regi liberaliter dono dedit. Quæ vt exteris tunc temporis Syracuſanæ potentiæ inimicis metum incutere, ita & nunc nobis ſatis indicio eſſe poteſt quanta olim fuerit Syracuſani Imperii maieſtas ac magnificentia. Quare non temere Syracuſas ita varie laudant rerum ſcriptores, Græcarumq; omnium vrbium maximam appellant: quam centum & octoginta ſtadia (præter ſuburbana oppida) habere in ambitu, & Strabo ſcribit, & eius iacẽtia mœnia nobis indicant. quam pulcherrimam vrbem dixit Cicero, Diis hominibuſque communem, omnia complexam, certis legibus æterniſque deuinctam, cuius denique ſpoliis multo tempore reſp. Romana fuit ornata. Ea namque capta, Marcellus vt non ſolum ſuam ibi gloriam, ſed & maieſtatem populi Romani augeret, ornamenta, ſigna, tabulaſque, quibus hæc vrbs abundabat, Romam conuexit. Vnde primum initium mirandi Græcarum artium opera Romanis cœpiſſe. 3. decad. lib. 5. Liuius ſcribit. Viſebantur Romæ ad portam Capenam dedicata a M. Marcello templa, iis ſpoliis propter excellentiam eius generis ornamentorũ decorata. His vrbis Romanæ maieſtas aucta, Deorũ ſtatuæ inſignes, templa, porta, viæ atque altaria exculta, Deæ Veſtæ ædes, Syracuſana ſuperficie a Gn. Octauio fuerunt contectæ. Capita quoque columnarum ex Syracuſis aſportata, & in Pantheo a M. Agrippa Octauii Aug. genero fuiſſe poſita. li. 34. cap. 3. meminit Plinius. Nec ſine inſigni felicitatis magnificentiæque progreſſu, adeo ei & Athenienſes & Pœni inuiderunt. Quantas vero iam inde ab initio & ſtatus, & imperii, & principum mutationes ſenſerit, qui temporum ordinem obſeruauerit, non ſine ſumma admiratione contemplabitur. Primum enim vt diuitiis & felicitate, ita & imperio rerumque geſtarum gloria eam cæteris fere, quæ tunc florebant, gentibus præſtitiſſe eſt compertiſſimum. Enimuero primi illi qui poſt Ætolos & Siculos cum Archia ad condendam vrbem venerunt, non Iones, neque Helleſpontii, neque Inſulani, qui aliis ſeruiebãt: ſed Dores liberi ex libera Peloponneſo fuerunt. Quos omnes fortitudinis ac rei militaris peritia toto orbe commendatiſſimos ſemper extitiſſe accepimus. Depulſis itaque primo ſtatim impetu in inſulę mediterranea Siculis, principatum hi littoralis oræ obtinuerunt: nec non & illis poſtmodum cæſo Ducetio oppreſſis, regnoque omni atque vrbe Regia Trinacia funditus extinctis, Syracuſanum imperium non in Siciliæ modo finibus firmum continuere, ſed &

per vniuersam pene Italiam longe lateque propagarunt: ita vt non solum finitimæ gentes, sed Orientis ac Græciæ etiam Reges afflicti bellorum tempore eorum auxilia poscerent. Quare recte eis obuenisse Strabo indicat, vt sub dominatu constituti reliquos suæ ditioni subiugarent, ac libertatem adepti alios barbarorum seruitute oppressos in libertatem vindicarent. Cum Athenienſibus, & subinde cum Carthaginensibus non solum æquis viribus, sed victricibus etiam armis de Siciliæ imperio pluribus annis decertarunt. Quibus superatis, cum Romanis tandē æquo etiam marte primo bello Punico contenderunt. At deinde magnitudine potius sua, quam hostium viribus aut fortunę iniuria, sub iugum venerunt, factaq; est tam florentis vrbis resp. tyrannorum multo tempore domicilium, Gelonis inprimis, mox Hieronis, inde Thrasybuli, & vtriusque Dionysii, Dionis postea, Agathoclis, Pyrrhi, Hieronis alterius, ac postremo Hieronymi: cuius cæde apud Leontinos perpetrata, a Romanis tandem Marcello duce subacta est. Quorum Imperio per ciuilium bellorum tempora declinante, a Sex. Pompeio Magni Pomp. filio, vna cum pluribus Siciliæ vrbibus vastata demum ac prostrata est, Straboni. Ex qua deinde cæteris partibus desertis, ac diutis (vt erant) relictis, solam Insulā Cæsar Aug. restituit. Diuiso postea Imperio simul cum reliqua Sicilia. Constantinopolitano cessit. Quo regente anno salut. 515. a Gothis cū vniuersa Sicilia occupata, ac deinde Belisario duce a Iustiniano Cæs. recepta est. Quam cum anno. 650. Cōstantius Imperator inuiseret, a Mezentio in balneis, quę Daphnææ dicebantur, suffocatus est. Anno postea. 826. Michaele Balbo imperante, cum tota Sicilia in Sarracenorū potestatem venit: eisque per ducentos & triginta circiter annos paruit. Quib. dominantibus anno salut. 1027. octauo Calend. Augusti Gaytus Maymonus Hispanus genere, sed Sarracenus religione, cum ingenti classe in Siciliam aduectus, infra dies septem totam vastauit, ac incendio absumpsit, Syracusanis omnib. partim gladio cæsis, partim secum in captiuitatem abductis. Deinde paulo post per Normannos Christianis restituta, & subinde a Gallis gubernata est. Quibus cęsis tandem Aragonensibus Regibus ad hanc vsque ætatem paruit. Quibus regnantibus sub Alphonso primum Rege in regiam aulam cum Leontino, Argyra, Menęo, Vizinio, & Francauilla oppidis translata est: & exinde ad salutis vsque annum 1516. per gubernatores Reginarum administrata est. Demum morte Ferdinandi Catholici Regis tumultuantibus Siculis, & ipsa quoque sub Almerico Centello Hispano, cui Reginæ nomine concredita erat, in seditionis partem venit: sedatisque Sicilię rebus ad Regum rursus dominatum rediit, idque anno salut. 1537. Nunc vero eo loco constituta est, vt diximus, quo antiquitus prima pars Ortygia erat. Cumq; tota vrbs in Insulā sit traducta, & circumfluo mari cincta, vnica porta ad isthmum, vbi & pons est, a septentrione aditum habet. In his angustiis duo egregii ac recentis operis ætate mea extructa sunt propugnacula, quæ difficilem habent oppugnationē. Qua vero ab vtroque portu mari circūalluitur, propugnacula sunt idoneis locis, & ea maxima, munitissima erecta. Chersonesus ipsa, quę in mare porrecta insulæ formam effingit, ad verticem arcem habet Maniacis, ab aperto autem mari Ionio pelago pulsatur, & perpetuis scopulis iacentibus natura munitur: vbi ætate mea iuxta ędem Spiritus sancti collapsis vetustate mœnib. numismatum in æs atq; argentum affabre factorum maxima in fundamentis passim multitudo est reperta, ex vna Hieronymi Regis caput, ex altera parte Græcas inscriptiones habentiū: quibus Hieronymum Syracusanorum Regem postremum operis fuisse authorē constabat. Et licet hac etiam tempestate habeat & pulchritudine, & portus cōmoditate, & mœnium robore, propugnaculorumque munimentis, quo cū alia quauis bene constituta ciuitate conferri possit, & Siciliæ arx sit munitissima: inopia tamen ciuium, colonorumque raritate quam maxime deploranda est. In memoria tamen antiquitatis non ab re cōquiescit, mutisque monumentis, viuorum hominum sortisque præsentis inopiam solatur. Fuit enim vt opibus, militia, & imperio olim clarissima, ita etiam (teste in. 4. Tusc. qu. Cicerone) doctissima, & compluribus in quouis doctrinarum genere viris ornatissima.

THEOCRITVS in primis Syracusis natus est, patre Praxagora cognomē-

to Sim-

to Simmichide, matre Philinna, quem Moſchum appellatum fuiſſe Terentianus refert. Claruit ſub Ptolemæo Lagi. Poeta fuit Bucolicus: ſcripſit poema lingua Dorica, diſtinxitq; in Eidyllia: quorum proprietas moribus & verbis paſtoralibus maxime conuenit. cuius. 24. Eclogę hodie & Græce & Latine leguntur, Suidæ. Quẽ, quod Regi obloquutus eſſet, ſuſpendio condemnatum vitam finiiſſe in Ibin author eſt Ouidius.

FVIT & Philolaus Crotoniatæ filius, Pythagoricæ diſciplinæ ſectator, Syracuſanus. Claruit Platonis temporibus. Scripſit enim hic ad Dionem, vt ab illo ſibi Pythagoricos libros coemi curaret. Et cum Plato in Siciliam veniſſet, librum quẽdam a Philolao conſcriptum quadraginta minis argenti Alexandrini a propinquis eius coemit, vt ex Hermippo ſcribit Laertius.

PHILEMON Syracuſanus Alexandri Magni ætate floruit. Poeta fuit comicus, comœdiarumque numerum ſuæ ætatis annis ęquauit. Nonaginta ſiquidẽ annos vixit, totidemque comœdias ſcripſit. Deceſſit autem præ vehemẽti nimioque riſu.

PHILEMON alter Poeta etiam comicus Syracuſanus fuit, quemadmodum Suidas teſtatur. Hic ſupra centeſimum vixit annum nullius ſenſus integritate amiſſa. Huic in ſomnis nocte profunda nouem puellæ e domo ſua migrantes ſunt viſæ: interrogantique cur egrederentur, reſpondiſſe feruntur: Apud hanc domũ amplius nos immorari non licet. Expergefactus poſtquam filio ſomnium expoſuiſſet, propediem mortem obiit. cuius filius & ipſe Philemon nomine, & Poeta comicus, quatuor editis comœdiis deceſſit.

SOPHRON Euripidis temporibus poeta & ipſe comicus Syracuſis natus eſt. Is mimos, hiſtrioneſque viriles ac muliebres compoſuit. Scripſit autẽ poemata ſua Dorica lingua. Quorum legendorum ſuauitate Platonem pellectum obdormiuiſſe memoriæ proditum eſt.

CORAX vnus ex primis oratoriæ artis inuentoribus, vt Ariſtot. teſtatur, Syracuſanus etiam fuit. Hic ciuibus exacta tyrannide libere viuentibus perſuadere cœpit, vt deinceps libertatem vrbis conſeruarent. Cuius cognito ingenio, Syracuſani ſuos ei filios erudiendos tradiderunt. Hic primam orationis partem Exordium, alteram Agona, tertiam vero Epilogum nominauit. atque oratoriam artem poſt Hieronis ſenioris mortem publice profiteri cœpit.

CTESIAS, licet Tiſias pleriſque appelletur, orator eminentiſſimus, Coracis diſcipulus Syracuſanus & ipſe fuit. Artem & præcepta Rhetoricæ addidit, vt in Rhetoricis Cic. ſcribit. Hic adoleſcens duplicem mercedem præceptori hac lege pollicitus eſt, vt tum demum ei perſolueret, vbi artem perfecte didiciſſet. Verum cum iam artem edoctus mercedem ſoluere cunctaretur, a Corace in ius pertractus eſt. Vbi coram iudicibus Coracem pręceptorem percontatus eſt, quis eſſet Rhetoricę artis finis. cui ille perſuadere reſpõdit. Age, inquit Tiſias, Si iudicib. perſuadeo nihil me tibi debere, non reddam, quia exacte artem non didici. At Corax Tiſiæ dilemma, tanquam vitioſum, in diſcipulum hoc pacto retorſit: Imo (inquit) ſi perſuades, dabis, quia tenes artem, & dabis ex pacto: ſin minus, dabis, quia ſententiis Iudicum damnatus. Quo commento tam vafro, tamque callido audito, Iudices admirati adoleſcentis verſutiam ſubclamarunt, Graui præceptore grauior diſcipulus. Quod ipſum ſunt qui non a Iudicibus, ſed a circunſtantibus prolatum prodant. Porro Mali corui malum ouum ſubiũctum a Iudicibus in iudicio, ad nomen Coracis facta alluſione, tradunt. Similis iocus elegans ac lepidus in noctibus Atticis libro 6. c. 10. refertur a Gellio.

DION Syracuſanus artem Rhetoricam & ipſe conſcripſit, teſte Laertio.

SOPHANES Syracuſanus poeta tragicus Philippi Macedonis & Alexandri temporibus claruit, vti Suidas eſt author. Hic vnus ex ſeptem Græciæ poetis tragœdiographis fuit. Tres & ſeptuaginta tragœdias ſcripſit, & poſtea Syracuſis deceſſit.

EPICHARMVS, altera Megarenſi Elothalis filius, licet Cous fuerit, magnam tamen vitæ partem Syracuſis egit. Cui mortuo ſtatua apud eam vrbem fuit

erecta cum inscriptione: Epicharmus tanto viris doctis antecellit, quanto cæteris Sol syderibus.

PHOTINVS Syracusanus poeta comicus fuit, & comœdiarum inuentor. Hic Gelonis filios, cui familiaris erat, erudiendos suscepit, primusque talari veste in publico vsus est, quã veteres in scena tantum proferebant. Contexuit præterea & ornauit totam scenam pellibus puniceis, vt Suidas scribit. De hoc lib. 14. plura habet Athenæus.

CHARMVS quoque poeta Syracusanus fuit. Hic (vt lib. primo Athenęus tradit) ad quemlibet cibum in conuiuiis appositum, dicterium ex tempore edere callebat.

MENECRATES quoque Syracusanus medicus fuit, & Philosophus. Hic quod ab epilepsia grauissimo morbo homines mira arte liberabat, vt author est Suidas, noua ambitione Iupiter vocari voluit. Quare cum aliquando ad Agesilaũ Regem scribens, Menecrates Iupiter Regi Agesilao sal. dicit, in epistolæ fronte proposuisset: Rex, vt primum legit, reliquis nequaquã perspectis, e vestigio hominis insaniam faceto responso reticullauit, dicens: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem dicit, vt Plutarchus commemorat.

MARACVS Syracusanus in Problematis ab Aristotele clarissimus citatur. qui cum in maniam morbum non ita leuem incidisset, poeta (quod ante non erat) adeo insignis effectus est, vt longe cæteris sua ætate præstiterit.

PHILOXENVS poeta Lyricus, Syracusanus fuit. Is (teste Suida) cũ quãdam tragœdiam a Dionysio tyranno editam non laudaret, sed censoria (quod aiũt) virgula totam damnasset, in Latomias coniectus Tarentum inde aufugit. At cum a Dionysio per literas reuocaretur, nihil aliud quam monosyllabum ou sæpę iteratum pro responso reddidit.

CALLIMACHVS Euphratis Syracusani ex filia nepos de insulis versus scripsit, & poemata omnis generis edidit. Cuius libri plusquam octingenti Ptolemæi Philadelphi tempore extabant.

MOSCHVS grammaticus & ipse Syracusanus Aristarchi discipulus post Theocritum scripsit.

ICETAS Philosophus Syracusanus fuit. Hic omnia ex harmonia & necessitate fieri, terramque secundum primum circulum moueri asseruit, vt Laertius refert.

ANTIOCHVS Historicus Syracusanus fuit, vt Diodorus, Cicero, Strabo, Dionysius, & cæteri asserunt, Xenophanis filius, lib. 10. teste Pausania, historiã a Cocalo Sicanorum Rege exorsus ad obitum vsque Xerxis Persarum Regis (teste lib. 12. Diodoro) per septingentos annos nouem voluminibus complexus est. quæ quidem ad manus meas non peruenit.

PHILISTVS quoque historicus Syracusanus fuit, & propinquus Dionysii tyranni, vt Cic. Diodorus & Plutarchus scribunt. Discipulus fuit Eueni elegiographi poetæ. Hic libros. 12. de Siciliæ rebus a me desideratos (authore Suida) scripsit. De Ægyptiorum etiam gestis, ac Libyæ Syriæque, plurima edidit volumina. Dionysii quoque sepulturam, quasi quendam theatralem sumptũ tyrannicæ tragœdiæ, ac ebore, auro & porphyretico radiantem laudauit & admiratus est, vt in Pelopide inter alia de eius rebus Plutarchus commemorat. Hic Dionysium seniorem, cum finem tyrannidi ex Platonis persuasu imponere pararet, ab instituto reuocauit, vt Probus scribit. Illo siquidem regente (vt in Dione Plutarchus) arcis custodiæ præfuit. Sed cum rumor esset cum tyranni eum matre rem habuisse, actus ab eo in exilium, in Adriam se recepit. Vbi nactus otium maiorem historiæ suę partem absoluit, nec Rege superstite Syracusas reuerti est ausus. Sub iuniori demum (illo defuncto) rediit, a quo acceptus etiam in Regni administrationem fuit. Aduersabatur maxime Platoni tum Syracusis agenti, quod ille tyrannidi esset infensus, hic faueret. Cæterum cum obsesso a Dione Dionysio iuniori subsidium ex Iapygia allatum properaret, a classe interceptus, propria (vt est apud Ephorum) manu sibi mortem conscisuit, licet ad Speusippum Philosophum Timonides Dionis

socius

socius (quem Plutarchus sequitur) scribens viuum eum in hostium potestatẽ venisse, ac ignominiose necatum, corpusque eius per Acradinam distractum, ac demum in Latomias coniectum fuisse tradat. Ephorus magnis eum laudibus effert. Quintilianus vero ita censuit: Philistus (inquiens) in historia vt Thucydide multo inferior, ita aliquanto est iucundior.

CALLIAS historicus etiam Syracusas patriam habuit. Hic Agathoclis Syracusani Regis res gestas pluribus voluminibus scriptas reliquit. Cuius opus non legi.

FLAVIVS Vopiscus Syracusanus fuit. Hic scripsit de Aurelianis thermis, quas hyemales in transtyberina regione ille ædificauit, quod aquæ frigidi aeris ibi deessent.

LYSIAS orator præstantissimus, & domi nobilis, Syracusanus fuit. Cuius lib. 3. meminit Trogus, & Iustinus.

THEODORVS philosophus Syracusis est natus. Hic de re militari (teste Laertio) libros edidit.

ARCHETIMVS quoque philosophus & historicus, Syracusis ortus (vt Laertius scribit) septem sapientum cum Cypselo Corinthiorum tyranno congressum luculentissime descripsit.

AT VEL in vno post hos omnes, & omnium tempore postremo Archimede Syracusani ingenii atq; industriæ excellẽtia emicuit, in quẽ vnũ totius philosophiæ perfectio ita conuenit, vt plures eum mirari quam imitari possent. Fuit is Hieronis posterioris Regis affinis (vt in Marcello Plutarchus) & Cononis Samii præstantissimi mathematici discipulus, vt Probus & plures scriptores testantur. Quem adeo superauit, vt vnicus cœli ac syderum spectator a Liuio, & Deus terrenus, ac diuini ingenii homo appelletur a Cicerone. a quo Lunæ & Solis, & quinque errãtium stellarum motus in sphæra alligatos, & vitream sphæram, in qua mira cõuersione dissimili motus circulorum videbantur, ac mechanico artificio factam fabricatamque fuisse, contra Laertii authoritatem idem ipse Cic. affirmat. quem & bellicorum tormentorum machinatorem inuentoremque agnoscit posteritas. Enimuero quæ hostes ingenti mole, & acuta arte cum longissimi temporis dispẽdio instituebant, ea leui iste momento (vt Athenæus & Liuius memorant) ludificabatur. Inter plurima vero eius facta, hæc habentur maxime memorabilia. Cũ Nilus fluuius suo incremento vim maximam limi ac luti in agros attraheret, eosq; cũ maximo incolarum damno obrueret, Ægyptii Archimedem (vt li. 1. Diodorus refert) pro remedio consuluerunt. Quibus ille machinam quandam fecit a figura cochleam appellatam, qua limum omnem, quoties fluuius excrescebat, quam facillime exhauriebant. A quibus deinde id genus instrumentorum Hispani, qui eruendis metallis incumbunt, mutuati, loca vbi metalla effodiuntur, decurrentibus subter terram fluminibus, ecta superius aqua, summa arte diligentiaque siccabant. Scripsit hic aliquando ad Hieronem se quoduis onus, vel maximum, etiam si alter esset terræ globus, paucis viribus posse non solum mouere, sed in locum etiam alium ex alio traducere, vt in Marcello Plutarchus refert. Cuius cum Hiero periculum sibi fieri vellet, nauem ingẽtem ex regiis onerariam Archimedes mercatus est, eique solitum addidit onus. Quam maximo ante hominum numero nõ sine insolita sudoris profusione vix loco motam, ille procul assidens nullo corporis nisu, sed solo manus contactu adeo tranquille duxit, vt mari ventoque perlapsa putaretur: adeoque facile ac plane, vt capturus eodem modo terrarum orbem vnicuique putaretur. Eo stupore perculsus Hiero, artisque eius intellecta potentia exorauit, vt tum ad propugnandum, tum ad lacessendum omne bellicorum tormentorum genus sibi instrueret. Quibus mira & magnitudinis & industriæ demonstratione paucis diebus perfectis, non ante vsus est Hiero, quam cum pacificam tranquillamque eius eousque artem, Syracusarum obsidione perturbaret M. Marcellus, Archimedem ipsum, qui tum adhuc supererat, acerrimũ vrbis defensorem, suæque artis testem agnoscere coactus est. Scribit L. Pollio (quod lib. 9. Vitruuius etiam probat) illius & hoc fuisse inuentum. Hiero iunior Syracusis regia

potestate

poteſtate auctus, auream coronam in quodam fano reponendam vouerat: aurũque ad eam fabricandam dedit artifici. Ille auri loco argentũ tanta ſubtilitate ſuppoſuit, vt aurea prope corona crederetur. Porro Rex, quem doli ſuſpicio perdelatorem ſuggeſta offenderat, cum furtum deprehendere per ſe nequiret, Archimedem rogauit, vt fraudulentum atque improbum artificem conuinceret. Cuius rei ſuſcepto ille onere, caſu venit in balneum: ibique cum in ſolium deſcendiſſet, animaduertit quantum ſui corporis in balneo inſederat, tantum aquæ extra effluxiſſe. Quod ſæpius expertus, exclamauit tandem, iam ſibi fabri improbitatem cognitam eſſe. Tum vero duas fecit maſſas, alteram ex auro, ex argento alteram, eiuſdem ponderis cuius erat corona: licet inæquali magnitudine, vt ratio poſtulabat, cum aurũ natura grauius ſit argento: quippe quod ex pluribus partibus terreſtrib. quam argentum conſtet, vt. 4. lib. de cœlo docet Ariſtot. Quo facto vas amplum ad ſummum vſque labium aqua impleuit. In quod deinde argenteã demiſit maſſam: cuius quanta magnitudo in vaſe depreſſa eſt, tantum aquæ extra vas effluxit. Ea deinde extracta, quantum aquæ emerſerat ex vaſe, tantundem eidem ad labra vſque refudit, ac ſextario dimenſus eſt: vt eodem pacto, quo prius fuerat, vas aqua æquaretur. Porro id expertus auream maſſam ſimiliter pleno vaſi immiſit: ex quo eo minor eſt egreſſa, quam antea ex immiſſa argentea effuſa eſt, quo auri maſſa ob ſui grauitatem minor erat argentea. Subinde vaſe aqua repleto coronam a fabro corruptam in illud dimiſit: inuenitque plus multo aquæ effluxiſſe ex vaſe, quã ex aurea maſſa. atque ita argẽtum in corona ab eo immixtum, furtumque clariſſimo indicio deprehendit. Longum eſſet ſingula eius opera deſcriptione complecti, & fortaſſe ſuperfluum: cum paſſim in hiſtoriæ contextu ſuos alia ſint locos habitura. Porro cum multa mirabili ingenio pulcherrima excogitaſſet, amicos oraſſe fertur, vt poſt eius mortem ambitam cylindro ſphæram ſuo ſepulchro imponerent, ac inſcriberent: Ex continenti firmamento ad contentum quænam eſſet exceſſus proportio. De eius morte varia ſcriptorum extat opinio. Tradũt enim aliqui captis Syracuſis, cum repente miles Romanus ei aſtitiſſet, ſeque vt ad Marcellum ſequeretur, imperaſſet, parere noluiſſe, donec liniamentis quibuſdam, quib. toto & animo & corpore erat intentus, applicata demonſtratione finem inpoſuiſſet: qua repulſa percitus temerarius miles, rideri imperium ratus, ſtricto eum mucrone confodit. Vnde Plinius lib. 7. cap. 37. Grande (inquit) & Archimedi geometricæ & machinalis ſcientiæ teſtimonium M. Marcelli contigit interdicto, cũ Syracuſæ caperentur, ne violaretur vnus, niſi fefelliſſet imperium militaris imprudentia. Alii ſcribunt eum viſo milite Romano, qui in ſuam necem gladio ſuſpenſo paratus eſſet, rogaſſe, paululum vt expectaret, quouſque rem inueſtigatam imperfectamque abſoluiſſet: atque ita non impetrata mora, ſtatim trucidatum corruiſſe. Sunt & qui referant eum cum ad Marcellum victorem ſphæras, angulos, & quædam alia mathematica inſtrumenta, quibus ſolis magnitudinem ad aſpectum accommodare ſolebat, in regiam deferret, in milites incidiſſe: a quibus aurũ pro ære portari ſperantibus interemptus ſit. Cic. autem & Liuius tradunt, quod inter vrbis expugnationem tanto ſtudio, tantaque cura quibuſdam figuris, quas in puluere deſcripſerat, intentus fuerit, vt captam a Marcello patriam, ac demum irruẽtem in ſe Romanum militem ac interficientem vix ſenſerit. Ægre tuliſſe etiam Marcellum cum Archimedem interfectum fuiſſe cognouit, ſcribit Liuius: ſepulturæque eius curã habuiſſe, ac eius propinquis perueſtigatis honori præſidioque nomen eius ac memoriam fuiſſe. Extra vrbem tamen humatum eſſe conſtat. Cuius ſepulchrũ aliquot annis poſt ad Agragarias portas cylindro & ſphæra, necnon epigrammate cum eius nomine inſcripto manifeſtum Cic. in Tuſc. ſe reperiſſe gloriatur. cuius verba libenter ſubiecĩ: Ex eadem (inquit) vrbe humilem homũculum a puluere & radio excitabo, qui multis annis poſt Dionyſium fuit, Archimedem. Cuius ego quæſtor ignoratum a Syracuſanis, quod tum eſſe omnino negarent, ſeptum vndique ac veſtitum vepribus ac dumetis indagaui ſepulchrum. Habebam enim quoſdam ſenariolos, quos in eius monumento eſſe inſcriptos acceperam, qui declarabant in ſummo ſepulchro ſphæram eſſe poſitã cum cylindro.

Ego

Ego autem cũ omnia colluſtraſſem oculis (eſt enim ad portas Segragianas magna frequentia ſepulchrorum) animaduerti columellam non multum e dumis eminentem: in qua inerat ſphæræ figura & cylindri. Atq; ego ſtatim Syracuſanis (erãt autem principes mecum) dixi me illud ipſum arbitrari eſſe quod quærerem. Immiſſi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum. quo, cum patefactus eſſet aditus, ad aduerſam baſim acceſſimus. Apparebat epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum dimidiatis fere. Ita nobiliſſima Græciæ ciuitas, quondam vero etiam doctiſſima, ſui ciuis vnius acutiſſimi monumẽtum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet. hucuſque Cic. Hac vero ætate non modo huius ſepulchri veſtigia nulla extant, ſed neque in quo quidem loco fuerit, compertum habemus. Scripſit Archimedes plura: ſed quæ habẽtur, hæc ſunt opera. Opus de circuli dimenſione. Item de ſphæra & cylindro: quod olim Nicolaus Quintus Romanus Pont. Latinitate donari fecit. Item de Iſoperimetris figuris tam planis quã ſolidis. Item de ſpeculis comburentibus. Item de quadratura. Parabolæ, opus acutiſſimũ. Item de mõmentis æqualibus, ſiue de æqui ponderationibus. De eo in genere Iulius Firmicus, qui eius natiuitatem perquiſiuit, ſic habet: Hæc genitura diuinum facit artis mechanicæ repertorem. Hic eſt ille noſter, cuius ingenio fabricata ſphæra cœli lapſum, & omnium ſyderum curſus exẽplo diuinæ imitationis oſtendit. Hic eſt Syracuſanus Archimedes, qui Romanos exercitus mechanicis artibus ſæpe proſtrauit. Hunc Marcellus in triumpho victoriæ conſtitutus, atq; inter ouantes militum ſtrepitus & triumphales laureas collocatus, lugubri mœrore defleuit. hęc Firmicus.

Pugiles quoque complures vrbs Syracuſarum habuit, inter quos & Hiero iunior cenſus eſt: cui victori odas duas dicauit Pindarus. Lygdamus etiam ille inuicta neruorum firmitudine clarus, Syracuſanus fuit: qui tertia & trigeſima olympiade primus ex Olympico pãcratii certamine coronam reportauit. cuius oſſa cõcreta & ſine medullis ſunt reperta, quem neque ſudaſſe neque vnquam ſitiſſe Solinus aſſerit. Cuius denique corpus monumentis circa Latomias repertis iudicatũ ſua ætate Pauſanias ingentis ac monſtruoſę ſtaturæ cum Thebani illius Herculis proceritate æquare non eſt veritus.

EGESIAS filius Soſtrati Syracuſani, ex matre a Stymphalo Arcadiæ vrbe, Iamique (quem infantem Pindarus, & eum imitati Græci, a draconib. melle, quod apibus ſubduxerant, fuiſſe educatum ſcribunt) nepos, Syracuſis, vbi ortũ habuit, remp. geſſit: atq; inde poſtea ad fatidicam Piſæ aram vates Olympicus effectus eſt. ſubinde Olympiade circiter. 84. Olympiaca victoria, curru mulab. ducto, conſpicuus extitit, vt. 6. ode in Olymp. teſtatur Pindarus.

EVDOXVS, ſecundus ex tribus Agathoclis filius, præterquam quod poeta fuit comicus, ter quoque vrbana certamina vicit, quinquieſque Lenaica, vt Apollodorus refert in Chronicis.

PLVRES ſunt paſſim Syracuſani illuſtres alii veris nominibus viri, quos cogor præterire, vt expeditior ad inſtitutum progrediar. non poſſum tamen eam commendationem prætermittere, quam ex religionis pietatiſque hæc vrbs acceſſione promeruit. Ortu namque & martyrio D. Luciæ virginis, quæ pro CHRISTI fide fortiter mortem ſubiit, quid non ornamenti accepit? Quid non ei ſplendoris addidit Stephanus ille patre Olybio Syracuſis natus, qui virtute ſua tertius huius nominis Pont. Romanus, & vitæ puritate pii viri dignitatem eſt aſſecutus?

SED & huic vrbi nonnihil claritatis acceſſit a D. Petro Apoſtolorum principe. Inſtituto namque in ea præſulatu, D. Martianum Antiochenum primũ Epiſcopum Syracuſas miſit. Præſulatũ vero poſtea Sarracenorum occupatione abolitum Rogerius Siciliæ comes huic vrbi reſtituit. Sed iam ſatis de Syracuſarũ deſcriptione. Nunc ordinem ſequamur.

POST Syracuſas p. fere quingentis Anapus fluuius, eiuſque oſtium in intimum portus magni ſinum influẽs proxime occurrit. Caput habet Anapus amnis ſupra Buxemam recens oppidum paſ. circiter mille a fonte hodie Bufaro cognominato: egreſſuſque Buxemam a leua, Palazolum vero a dextra præterfluit. vnde

pro-

procurrens Ferulam noui nominis oppidum, & Caſſarum vicum ad ſiniſtram relinquit, quorum & fontibus augetur, & Magni ſimul ac Ferulæ nomen ſuſcipit, vbi ingentibus platanis longo tractu per. 4. fere p.m. luxuriat. Cui deinde ſub Herbeſo, nũc Pantalica dicto, deſerto oppido, Buttigliariæ fluuius illabitur. Et paulo poſt ſub Sortino oppido ad ædem Annũciatæ miſcetur Sortini fluuius, a Guciuno fonte ortus, vbi & Sortini nomen priori relicto ſuſcipit, ac deinceps agrum Syracuſanum alluens antequam in portu eius magno ſe exoneret, p.m. fere. 2. dextera Cyanes celeberrimi nominis fontes, eoſque magnos, Piſma & Piſmocta hodie dictos, recipit, vt & res ipſa indicat, & in libro de Ponto hoc verſu ſcribit Ouidius: Quaq; ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis. Enimuero ad Anapi dexteram in eo loco duo ingentes erumpunt fontes, maior & minor, paruo inter ſe ſpatio diſtantes. Maiori hodie Piſma, minori Piſmocta, ſiue Piſma Cirini, eſt nomen. Maior fluens dextera ſui parte minorem recipit, & ſic auctus non longe poſt Anapo illabitur. Cyanes itaque fons apud veteres inſignis, Piſma Cirini & Piſmocta hodie vocatur: adeoq; immenſæ profunditatis eſt, vt hominum perpendiculo & funibus eam perſcrutãtium ſpem ſemper eludat. Cyane (inquit Plinius) Syracuſarum fons creſcente Luna creſcit, & ea deficiente decreſcit: quod nos vſu euenire vidimus. Nomen huic fonti vetuſtum a Cyane nympha, Cyanippi filia, fuit ab authoribus inditum, cuius in Parallelis ex Doſitheo Plutarchus hanc refert hiſtoriam. Cyanippus Syracuſanus cum Baccho ſacra facere neglexiſſet, ſpreti numinis vindicta in tantam ebrietatem incidit, vt occurrentem in tenebris Cyanen filiam, licet reluctantem, violauerit. Illa ſtupratoris anulum e digito clam ſurreptum nutrici commendauit, vt aliquando violenti ſtupri eſſet indicium ſimul & vindex. Cumque deinde Syracuſas peſtis ob id facinus inuaſiſſet, conſultum Apollinis oraculum reſpondit: Si criminis author Diis liberatoribus immolaretur, malum illico ceſſaturum. Ignorantibus itaque Syracuſanis quid portenderet oraculum, conſcia rerũ Cyane captum capillis patrem interemit, ſeque ſuper eum necandam coniecit, quod patri vel inuita ceſſiſſet. Cyanæ deinde extinctæ, quod ſua & patris morte patriam a peſte aſſeruiſſet, Syracuſani non modo diuinos honores decreuerunt, ſed & perenni huic fonti, vbi ſtuprum patratum fuerat, eius nomen indiderunt. Scribit lib. 6. Diodorus hunc etiam Proſerpinæ olim ſacrum vel ob id fuiſſe, quod Pluto vna cum rapta ex Enna Proſerpina ſub terras in ſpeluncam ad aquilonem ſitam ingreſſus, huc tandem penetrauerit, ac per fortis, quem ibi ſibi ipſe eruerat, hiatum, ad inferos deſcenderit. Cuius receptæ a veteribus fabulæ religione ab initio vſque ad Cic. ętatem feſtos Proſerpinæ dies iuxta eundem celeberrimo virorũ ac mulierum cõuentu Syracuſani etiam celebrabant. Hercules quoque circumueſtigata Sicilia cũ ad hæc loca peruenisſet, auditis quæ de raptu Proſerpinæ incolæ huius loci ferebant, ei aliiſque veterum Diis ibidem ſtata celebrauit, ac paruas victimas tauroſq; in fontem immerſit. Quas deinde ab eo cæremonias mutuati Syracuſani in ſuorũ ſacrorum vſum (vt in. 6. Diodorus commemorat) pertraxerunt. atque Anapũ quidem virili ſpecie, Cyanen vero fontem mulieris forma & pingere & venerari ſolebant, vt lib. de varia hiſtoria. 2. refert Ælianus. Anapus fl. ab oſtio per aliquot p. milia incredibilis eſt amœnitatis. Tectus nanque fronde ſaligna ac populea, cryſtallino alueo, viridibus ripis mira placiditate fluit. Piſculentus eſt, ac ſcapha toto anno nauigabilis. Poſt Anapum fl. ad occidentem p. m. tumulus parum eminens ſequitur. quem Polichnam, quaſi ciuitatulam, li. 13. Diodorus appellat. In quo velut loco & natũra munito, & idoneo, Athenienſes olim, & Romani deinde ad obſidionis commoditatem caſtra ponere conſueuerant. In eo templum erat Iouis Olympii celeberrimum, & oppidum Olympicum Thucydidi, Diodoro & Liuio. in quo, præter cætera ornamenta, Iouis ſimulacrum erat religioſiſſimũ: quod Hiero Syracuſarum Rex amictu magni poſideris aureo decorauerat, quem a Scipione Carthaginenſibus ablatum dono acceperat, quemque poſtea ſenior Dionyſius iniecto Ioui laneo pallio detraxit, dicẽs: Æſtate grauem eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum: laneum vero ad vtrunque tempus aptiſſimum, Valerio de neglecta religione. Templum hoc proſtratum eſt hodie. Cuius iacentes plures, & erectæ

quæ-

quædam cernuntur columnæ,sed præterea nihil. Oppidum vero vsque ad paruas quasdam ruinas,quæ adhuc etiam obrutæ dignosci possunt,defecit. Non procul ab Olympico templo, & iuxta Cyanen fontem, Acarnania erat oppidulum Ciceroni in Verrem. Cuius hodie (vt existimamus) loco,quem Carranum vocant, nõnullæ cernuntur ruinæ. Portus magni littora circundanti Plemmyrium promõtorium Vergilio, Chersonesus Ptolemæo, post Anapum fl. m.p.fere.2. occurrit. Quod orientem versus procurrens vbi ad septentrionem se flectit, magni portus fauces coarctat. Et quia vndosum est frequentissime, iure a veteribus Plemmyriũ Græcum nomen accepit, licet Massa Oliueria hodie vocetur. In eo prisco tempore eiusdem nominis oppidum erat Thucydidi: quod Gylippus Corinthius ab Athenienſibus iam captum egregio stratagemate depopulatus est, Plutarcho in Nicia. Cuius nulla hodie supersunt vestigia. Succedit huic ex ordine Longum promontorium Ptolemæo, Lognina hodie appellatum. vbi & paruorum nauigiorum statio est: quam eiusdem nominis scopulus a littore passibus fere.m. refugiens efficit. Vlterius ad p. m.6. Cacyparis fluuii ostium sequitur Thucydidi lib.7. quem Yhasiblim Sarracenice hac tempestate vocant. Et ab ostio p. m. intus recedens, fluuioque hærens eiusdem nominis arx inter ipsas rupes extructa. Vbi & aquæductus ingentes adhuc visuntur, quibus huius fluuii aquę in agrum Gereatem, qui iis collibus subest, deducebantur. Oritur Cacyparis fl. non longe a Palazolo oppido, ex fonte cui hodie Bauli est nomen. Vnde dilapsus augetur ex fontibus Anillũ, Arcus, Baiduni, & Bellæ, auctusque Manghisi nomen suscipit: vallemque deinde ingentem (quam hodie Cauam grandem vernacule vocant) proscindens, ex pluribus etiam fontibus, qui in ea iucundo aspectu scatent, quorum complures hodie terra absorbentur, sed olim per aquęductus, quorum vestigia clara visuntur, in eũdem Syracusanum deducebantur agrum, incrementa suscipit: atque procurrens Yhasiblis arcem inter angustias rupium dextera sui parte alluit. Cuius vsurpato sibi nomine ad mille tandem p. in mare illabitur. Sequitur inde Erinei fl. ostium Thucydidi lib.7. Orini Ptolemæo, Miranda hodie dicti. caput habet in collib. vicinis, & a mari p.m. circiter. 4. recedentibus. Eius fontibus aspero in editis rupibus situ supereminet Auula recens & noui nominis oppidum. Proximum deinceps Asinari fl. ostium est Thucydidi lib.7. & Plutarcho in Nicia, Falconara hodie, sed intus Noti appellati, Syracusanorum mira contra Athenienses victoria insignis Thucydidi, Diodoro, & Plutarcho. Ortum habet ad latus occidentale vrbis Noti in valle, quæ vrbem munit, ex fonte magno, cui vernacule Fontana grandis hodie est nomen. Vnde adeo affluenter erumpit, vt continuo fluuium gignat, qui ad voluendas molarum rotas satis impetus ferat. Ad mille deinde circiter p. incrementa suscipit e fonte Guadarrumo: vbi & Notensium coriariorum sunt officinæ. Et ad quingentos postea passus augetur ex Ginuardo fonte. Nec adeo inde procul aquas fontis Nucifori recipit. Totitaque fontibus abundans plurimas habet frumentarias molas, trottasque etiam præbet, & anguillas sapidissimas, atque ad vtrãque ripam hortis & domesticarum omnis generis arborum fructibus longissimo tractu abundat: ex quibus Neetini non mediocres faciunt quæstus. Cæterum cũ Asinari fluuii capiti Notum hodie immineat, & totus inde ager, qui ad Pachynum vsque excurrit, Neetinus appelletur: non alienum ab instituto erit, si Notum & eius subiacentem oram hoc loco describsero.

DE NEETO, ELORO, ET Machara oppidis.

CAPVT II.

MAGNO fluuii Asinari fonti moles quædam edita, saxosa & aspera, licet plana (veluti & tota adiacens regio) incubat instar peninsulæ, cuius isthmus aquilonem respicit, satis vndique fossis natura præcincta ac munita, asperrimisque rupib. mille quingentorum ferme p.am-

bitu circunſepta. In ea ſita eſt vrbs vetuſta & ingens, Neæ Diodoro lib. 11. Neetum Ptolemæo: ſed hodie vnius tantum vocalis antitheſi Notum vulgo dicta. Habet duas duntaxat portas, ad iſthmum vnam, cui & arx inhæret, alteram qua flumen & mare (a quo p. m. 8. recedit) petitur. Eſt ea parte acceſſu difficilis: quippe cuius aſcenſus p. ſit mille, obliquus, peraccliuis & arduus, maximaq; ex parte excauatis rupibus manu factus, quem vel pauciſſimi viri facile tueri poſſint. Condita fuit a Siculis, quantum ex lib. 11. Diodori colligimus. vbi Neas Ducetii Siculorum Regis patriam fuiſſe ſcribit. Duo nanque ea tẽpeſtate regna in Sicilia erant, Siculorum & Syracuſanorum. Siculi nempe, cum Syracuſas & vicina incoluiſſent littoralia, trecentos fere poſt annos aduentantibus Græcis cedere coacti, in mediterraneam inſulæ regionem profugerunt. Vbi Trinaciam, Neas, & complura alia oppida inhabitarunt, vt in eodem lib. 11. refert Diodorus. Fuiſſe autem Notum Neam vrbem, cum ex Cic. in Verrem verbis quibus gentiles eius Neetinos appellat, hoc eſt Neam tenentes, tum ex Plinii lib. 3. authoritate, vbi Neenos eius populos a Nea proculdubio dictos vocat, ſatis conſtat. Huc accedit Ptolemæus, qui ipſum Neetum, etſi corrupta ſuo tempore, a vera tamen deriuata voce denominauit. At non parum etiam fidei addunt eiuſdem populi in hanc vſque tempeſtatem hæreditaria, & a tot ſeculis per manus quodammodo ducta in Syracuſanos odia, iam inde ab Ortygiæ colonis ob expulſionis iniuriam inchoata. Scribit lib. 11. Diodorus, a Ducetio Siculorum Rege Neam in æquum campum translatam fuiſſe. Cuius verbis cum in molis vertice .6. circiter miliarium leni aſcenſu ab hodierno Noti ſitu pyramis adhuc, & veteris circũquaque ædificii monumenta diſtent, eius quæ ante Ducetium ſtabat, veſtigia eſſe, & hanc quæ modo colitur, ab eo ipſo cõditam, non abſurde colligo: cum nominis perpetuitas, & authorum conſenſus affirmet. Huius vrbis mœnia, & pleraque ex quadratis, & eis admirandis lapidibus extructa ædificia, & ruinoſi cuiuſdam templi aliqua ex parte adhuc ſtantis, & columnis etiamnum ſubnixi, quod ſancto Heliæ nunc inſcribitur, machina, & integrum aliud templum, in via quam planam dicunt, quod vetuſtate nihil niſi nomen immutauit, D. Ioanni dicatum, & quędam alia antiquitatis veſtigia vrbis hodie indicant vetuſtatem. In ea quoque Græcæ inſcriptionis ſupra portam antiquiſſimæ domus in regione viæ planæ inſculptum huiuſcemodi fragmentum excerpſi: Auditores Ariſtionis, auditoris Agathini, auditoris Philiſtiõis, auditoris Epicratini filii Hieronis. Sunt qui parum aduertentes Neam Menæum eſſe ſcripſerunt: cum in eodem lib. 11. Neam diuerſam a Menæo faciat Diodorus: dum illam Ducetii patriam, & hanc ab eo conditam ſcribit. Extra mœnia aquilonem verſus ad p. m. 5. inſignis extat ſanctæ Mariæ ab arcu cognominata abbatia Ciſtercienſis ordinis, anno ſalut. 1212. menſe Nouembri ſub Friderico ſecundo Cæſare Siciliæ tum Rege, ab Iſimbardo Morengia, & Cara eius coniuge erecta, vt ex eius conſtat diplomate. Viros edidit Nea cõplures & bellica diſciplina, & doctrinæ præſtantia cõmendatiſſimos.

DVCETIVS Siculorum Rex patria Neetinus fuit, vt diximus ex lib. 11. Diodori: vir quidem vt acri & vehementi ingenio, ita ad facinora obeunda, ac res magnas aggrediendas animo ſimul & manu promptiſſimus. Hic contra Syracuſanos & Agrigentinos per plures annos arma exercuit, vt Diodorus ſcribit, & in poſteriori decade ſuo loco commemorabimus. Menæum, Palicam, Neam nouam, & Collatiam, ſiue Collatinam, vrbes in Sicilia (eodem Diodoro teſte) condidit.

FLORVIT in politiori vtriuſque linguæ literatura ſuperiori ætate Ioãnes Auriſpa Neetinus. Excelluit namque ingenio non ad ſolutam ſolum orationẽ, ſed ad verſus quoque componendos elegantiſſimo. Quo in genere nonnulla eius epigrammata, in altero vero epiſtolarum opus egregium, & Hieroclis liber in Pythagoræ aurea carmina Latinitate donatus, extant.

ANTONIVS Caſſarinus orator egregius Neæ natus eſt: quem ob famæ dignitatem Panormitani accitum publico ſtipendio tres annos, vt adoleſcentes inſtitueret, fouerunt. Cęterum ad maiora aſpirans Conſtantinopolim profectus, decemque annos in tanta vrbe degens, in ſtudiis oratoriæ facultatis & Græcarum literarum

terarum cognitione tanta diligẽtia verſatus eſt, vt inter præclaros viros, quos Græcia & Italia ſuo tempore vidit, vnus excellentiſſimus haberetur. Conſtantinopoli enim, quæ Chriſtiano tum imperio ſuberat, quinque annos rhetoricam Græce & Latine, miro cum ciuium tum Imperatoris applauſu, in auditorum magna frequẽtia docuit. Venit poſtea in Italiam, & Papiæ primum, poſtea Mediolani, poſtremo Genuæ publice legens permultos erudiuit. Sed dum anno ſalut. 1444. Genuæ ob ciuium magna diſſidia ſtricto ferro excurſionem multi facerẽt per vrbem, ac nõnulli tentarent in domum, vbi Antonius erat, perfractis portis irrumpere, dũ ipſe per feneſtram alterius domus, quæ erat e regione, tranſilire nititur, in terram ingenti lapſu concidit, continuoque expirauit. Vertit hic in Romanum ſermonem Platonis libros de Rep. quod opus Alfonſo Siciliæ Regi dicauit, pluraque alia ex Plutarcho & ex Platone Latina fecit. Scripſit epiſtolarũ libros quatuor, & orationes duas, quarum alteram habuit ad Philippum Mariam, alteram ad Genuenſem ſenatum.

IOANNES Marraſius Neetinus poeta anno ſalut. 1446. clarus in Italia eſt habitus. Senis hic Angelinetũ poema amatorium elegiaco verſu cõpoſuit. Quod Leonardus Aretinus in epiſtola quam ad ipſum authorem ſcripſit, maxime probauit. Multa item alia ingenioſi poetæ teſtimonia edidit. In qua arte doctorũ omniũ iudicio ſummus euaſiſſet, niſi medicinæ deditus Muſis vltro ceſſiſſet.

PRÆCIPVE vero hæc vrbs hodie D. Conradi Placentini miraculis, circa eos præſertim qui herniam patiuntur, quotidie clari ſepulchro nobilitatur. Sed ad oram reuertamur. Poſt Aſinari fl. oſtium ad Elorum vſque dirutum caſtellũ tota ferme littoralis ora, quæ ad p. m. 4. extenditur, Lauphis hodie vulgo dicta, clamoroſa eſt, ob id quod exeſas habet ſpeluncas, & aſperas concauitates: in quas flãte Euro atque Africo, frequentibus procellis delata maris tempeſtas refringitur, ac refracta maximum edit fragorem, & quandoque tonitrui ſimilem. Hinc Elorũ amnem, & non alia ratione, clamoroſum lib. 14. appellat Silius. Vbi Lauphi clamoroſæ ſpecus deſinunt, locus eſt m. vix. p. a mari recedens, Muri Veci Rocati a domino loci vulgo vocatus: vbi ingens, ſed iam proſtrata vrbs, quam a theatris, quę ibi ætate paulo ſuperiori extabant, quorumq; adhuc fundamenta cernuntur, Coliſæum, & Sanctum Philippum vulgo appellant, valle nonnihil depreſſa cincta, & mille paſſus habens in circuitu viſitur. Cuius tametſi mœnia iacentia ex quadratis olim, & maximis lapidibus ſtructa, & arcium ædificiorumque memorabiles ruinæ conſpiciantur: quo tamen nomine apud veteres floruerit (ſiquidem Elorus vrbs vetuſta in hoc agro ab authoribus poſita non fuit, quã vel ob id fortaſſe Ptolemæus mediterraneam poſuit, quamque Stephanus Byzantius ciuitatem appellat, & quam ſtatim ad piſcinam ſequitur eiuſdem nominis caſtellum Plinio) incertum mihi eſt. Nam ſi ſcriptores inſignem hanc vrbem, & non longe a mari olim ſtantem præteriiſſent, iure omnes reprehendendi forent. Hinc Syracuſas vſq; via erat antiquitus plano lapide ſtrata, quam Elorinam appellabant, Straboni. Iuxta mare lacus eſt, Gurgus Lauphi vulgo dictus. A quo non longe abeſt pyramis orbicularis, & in acutum ſurgens, quadratis, & eis ingentib. lapidibus ſtructa, cui nũc Turri pizzutæ nomen acceſſit. Lapicidinæ Elorinę ad iactum lapidis a mari recedentes ſtatim ſequuntur. & mox Elorus Caſtellum Plin. prorſus iacens ad littus occurrit, trecentos in ambitu ferme paſſus olim habens. cuius ruinæ, etſi pro magna parte ſub terris, toto circuitu hodie viſuntur. Vbi turris eſt, cui Sta in pace vernaculum nomen obuenit, a Blaſco Alagona Miſtrettæ olim Comite ſuis ad apicem circumquaque inſignibus memorabilis, anno ſalut. 1353. excitata. Ad occidentem vero & meridiem Cæſaris piſcina adhæret, multis adhuc veſtigiis clara. Gradus namque in viua ipſa vrbis rupe exciſi, quibus Elorini ad ſcaphas ſimul & piſcinam deſcendebant. aquæductus præterea ſolo excauati, quibus ex Eloro fluuio in piſcinam aquæ deducebantur, integri adeo adhuc ſunt, vt quam facillime etiam nunc in eam reduci poſſint. Hanc piſcinam a Cæſare factam lib. 32. cap. 2. his verbis Plinius teſtatur: Et manu veſcũtur piſces in pluribus quidem Cæſaris villis. Sed quæ veteres prodiderunt in ſtagnis, nos in piſcinis admirati in Eloro Siciliæ caſtel-

lo,non procul a Syracusis.hæc Plinius. Hinc Elorum arcem ad iactū sagittæ plano atque arenoso itinere Elorus fl. & eius ostium Vergilio, Ouidio, Plinio, & Stephano sequitur,Abisus hodie vulgo dictus.Qui per p.m. ad ostium vsque adeo leni ac placido tramite incedit,vt stagni instar vix loco moueri videatur.Hyemalib. quoque imbribus clauso ostio maris fluctibus adeo frequenter excrescit,vt agris more Nili superfundatur,stagnetque: vnde pinguescunt plurimum. Qua ratione.3.Æn.Vergilius:Exupero (inquit) præpingue solum stagnantis Elori. Hinc ad vtranque ripam,tritici,lini,cannabis,ac domesticarum arborum feracissimus est. Scribit lib.8. ex Apollodoro Athenæus, & ex supra citatis Plinii verbis comprehenditur,quibus & vsus suffragatur,in hoc Elori fluuio cicurum, hoc est mansuetum,genus piscium,qui mugiles sunt,reperiri: qui inclamati accedere,& ex porrigentis manu,capite extra aquas paulisper erecto,placidissime cibum capere consueuerunt. Sunt qui hunc amnem,Olorum appellent, quod in eius ostio cygnorum multitudo frequētare soleat. Enimuero ager hic Elorinus, vel hac etiam ætate,prospectu & terræ & maris iucundissimus, ac venatu, auctupio, piscatuque fluuiali & marino gratissimus est. Quem quoque ob varietatem florum, auium concentum,loci amœnitatē, & planiciem semper virentem,Eloria tempe,quod quasi perpetuum ibi sit ver, lib. Fastorum. 4.appellat Ouidius. Insignis fuit hic amnis Chromii generi Gelonis, qui socerum adiuuans hic Carthaginenses fudit, (vt in Nemeis Pindarus , & eius scholia ex Timæo referunt) & Hippocratis, qui iuxta eū Syracusanos superauit & cepit,memorabili victoria. Oritur non ex Pachyno promontorio (vt Strabo & plures veterum scribunt) sed inter Cerratanum & Palazolum oppida, ad latus orientale Cerratani montis, ex Gallo fonte,& augetur a fonte Chiappi,& a fonte Ilicis. Dilapsus deinde Atellari nomen vsque ad Bayhachemum pontem suscipit,retinetque,ac ad p.m.8.sub arce Rendæ ex fluuio Dilemisi,ex agro Granpolo in Valle seruorum oriundo, incrementa recipit.Et excurrens,in loco cui Saccolino est nomen,ad dexteram ad iactum lapidis pyramidem relinquit orbicularem vetustissimam,visuque nobilem,ex quadratis lapidib. erectam. Sed paulo post ad dexteram dirutum Yhadedi Sarraceni nominis oppidū, & super colle eiusdem nominis sepulchra frequentia: ad sinistrā vero in loco paulisper edito,cui Ioye est nomen,plures relinquit veteris habitationis ruinas: & defluens pontem ipsum Bayhachemum,qui eius ripas vtrinque colligat,alluit.& inde,neglecto priori nomine Abisus appellatus,ad p.fere mille leniissimo & subaquaneo cursu in mare illabitur. Post fauces Elori fluuii. p. fere. m. piratarum est statio,Fundus muscarum cognominata:atque vlterius ad p.1500.altera est statio,quā Porticellū vocant. Cuius littori fons proximus Buyhutus Sarracenice dictus aquā laxandæ aluo vtilem eructat. A quo deinde ad p.quingentos lapicidinę (Perreriæ hodie dictæ) sunt.quas Macharenses fuisse,& saxa construendæ conseruandæque Macharæ, vrbi non procul inde dissitæ, vetusto tempore suppeditasse,neutiquam est ambigendum. Et totidem passuum interuallo salina.2. p. m. ambitu, Cauda lupi cognominata distat: in qua effuso mari sal gignitur. Et paulo inde longius altera salina, ampla quidem, Ruuectus appellata, instat: quæ peninsulam quandam efficit. Ad cuius ostium Phœnicûs portus est Ptolemæo , Naustathmus Plinio, Vindicaris hodie dictus,Macharensis proculdubio olim sinus.quem eiusdem nominis insula quingentorum passuum circuitus progignit,quam illi ab Austro Africoque ad tutelam natura obiecit.Vbi & frumenti emporiū,licet ignobile,& turris recentis, ad eius custodiam a Petro Aragonio, Alfonsi Hispaniæ & Siciliæ Regis germano fratre,& Neeti olim Duce,structura eleganti erectæ imperfectum extat opus. Vindicari portui ad occidentem, & in ea quam Ruuecti salina facit peninsula,Machara vrbs Cicer.in Verrem, Ptolem. & lib. 3. Plinio, miris lacerata caueribus,ad iactum fundæ imminet, a Neetinis & villicis eius agri accolis & senioribus Ciuitas Macharis incorrupto adhuc eius nomine,sed vulgo Citatella appellata. Vnde etsi neque a quo diruta sit, ex Græcis Latinisq;,quos hactenus vidimus, authoribus, compertum habeamus,soloque nomine a Plinio , Cic. Ptolemæo attacta sit: hanc ipsam tamen semirutam Macharam esse , nomen ipsum & vrbis &

sepulchro-

sepulchrorum,quod hucusque perseuerat incorruptum,liquido demonstrat. Erat autem eius ambitus (prout clare ex eius vestigiis constat) p.m.& quingentorũ. Habitabaturque nõ modo ea peninsula,sed & depressus ille & subiacẽs locus,qui iactu lapidis a portu distat, vt antiquitatis monumenta confirmant. Visuntur tota vrbe plurima ædificiorum,tum priuatorum tum etiam publicorum,vestigia semidiruta passim obuia, viæque vt latæ, ita & proportione longæ. Templum est in ea orbiculare & testudinatum,prisco artificio ex quadratis lapidibus elaboratum, adeo adhuc integrum, vt non vetustis,sed Christianorum temporibus, Seruatori,cui nunc inseruit,extructum esse videatur. Fanum item est alterum eiusdem pene formæ,sed vetustate collapsum. Balneæ quoque antiquæ architecturæ sunt in ea,quæ ab imperitis templum fuisse censentur. In medio etiam vrbis specus longissimæ, & pro tractus ratione latæ viis, & frequentibus vtrinque sepulchris distinctæ, non sine voluptate inspiciuntur, quod subterraneæ quasi ciuitatis speciẽ præ se ferunt. Extra mœnia vero ad p. fere. m. occidentem versus,specus sunt aliæ ingentes, & eodem pene modo in rupe excauatæ, quæ ab accolis hodie Gruttæ Macharis appellantur, tumulorum frequentia insignes. Ager Macharẽsis,qui Ciceronis tempore totus erat frumentarius,vt in Verrem ipse testatur,hodie ob id maxime quod colonis ea regio tota deserta sit, vepribus plenus,& incultus,pluribusque supra vrbem ad dexteram veterum vicorum ruinis horridus cõspicitur. Macharam vrbem & eius portum ad. 4.p.m. statio Sarracenici nominis sequitur Marzamenus,vbi & duę eiusdem appellationis sunt insulæ. Supra quã paruo interstitio occidentem versus,iacentis oppiduli,& interius in agro cui Burio est nomen,loco præsertim quem Misitellum denominant, a littore p. m. 2. semoto,complura priscæ habitationis cernuntur cadauera. A quibus ad lapidis proiectum ædes abest magnis excita lapidum molibus, columnisque & fornicibus subnixa, D. Andreæ hodie dicata. Nec ab ea procul confusa prostrati oppidi viscera calcantur. Vbi ædicula D. Basilio sacra, & deinceps tumulus est D. Hippolyto cognominatus: circa quem nihil integrum,sed iacens solum oppidum. cui vicinũ est fanum vetustate celeberrimum: cuius tectum dumtaxat desideratur, D. hodie Laurentio consecratum. Sub quo ædes latet subterranea testudinei operis columnis suffulta. Huic fano vastæ, sed vsque ad fundamenta dirutæ vrbis, quę tota nunc aratur, præclara hærent vestigia. A qua quadringentos ferme passus alterius magni prostrati oppidi admirandæ absunt ruinæ: vbi & D. Petro nuncupatum extat templum. Ita totus hic ager,qui quatuor vix producitur miliaribus latitudine, veterum operum monumentis partim integris partim semirutis,partim vero in rudera contritis,pro maxima parte occupatur. Quorum quæ digniora sunt, D. Laurentio & D. Petro, veterum nominibus prorsus obliteratis, inscribuntur. Sed ad littus redeo. Post Marzamenum Farinę piratarum statio occurrit: & specus apud inanes opum quæstores fossoresque percelebris. Ac demum ad radices Pachyni Moriella est salina, in qua ex imbribus congregatæ aquę æstuante sole in sal concrescunt. Atque ita orientali clauso Siciliæ latere, meridionale nunc aggrediamur.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis, prioris Decadis

LIBER V.

DE PACHYNO PROMONTORIO, ET MOTYA VRBE,

CAPVT I.

PAchynvs ex tribus Siciliæ promõtoriis secundum p.m. post Mariellam in sublime surgit. vbi statim turrim habet speculam mari prominentem. Vnde deinde longe lateque duorum fere miliarium spatio ad austrum in mare diffunditur, acibi demũ pauliſper depressum ad sinistram curuato littore se flectit, & peninsulam efficiẽs ad orientẽ procurrit. Cuius quidem peninsula sexcentorum duntaxat passuum circuitum amplexa, tota petrosa, aspera, altisque prærupta est cautibus, isthmumque angustissimum viginti vix passuum habet. Quo fit vt brumali tempore tumescente mari, & fluctibus vtrinque sese obuiantibus, in insulam plerunque abeat. Peloponnesum Græciamque prospectat: a qua p.m. paulo plus. 400. distat. Nomen habuit ab aeris crassitudine, (pachys enim crassum significat) qua nostra quoque ætate eius frequenter ager tegitur. Cuius hodie nominis vix vna aut altera retenta litera, mutato veteri prorsus nomine, Caput Passalum vernacule dicitur: ea fortassis ratione, quod mare quod hinc ad Melitam vsq; insulam centum fere miliarium interuallo interfluit, (Cicerone. 6. in Verrem teste) periculosum est. Nam cum ex Messanensi freto mare persæpe ad Pachynum cõcitatiori cursu quam ad alia regionis huius littora peruoluatur, discrimini prę ternauigantibus solet esse, & formidabile. Ad orientem nullus ei fidus est sinus. Sed qua meridiem respicit, ad isthmi littus stationem habet, quam Cic. 7. in Verrem Pachyni portum, vulgus hodie Longobardum nuncupat, triremium tantum paruorumque nauigiorum capacem: qui fauces multis reflexibus tortuosas, & ob id obliquum difficilemque ingressum habet. Mare ibi tinnis, echinis, & omnibus mari nantibus natura piscolentissimum est, Solino. Sed hodie, cum deserta sint littora, & colonis careant, nobis infœcundũ apparet. Portui Longobardo prostrata hæret vrbs p. fere m. habens in circuitu: in qua nihil ædificii cernitur vel pulchrum vel integrum, sed iacentia solum antiquitatis vestigia rudia, inelegantia, & coaceruata passim proteruntur. Ædicula duntaxat non longe ab isthmo semiruta extat D. Ioanni hodie appellata, & extra vrbem ad occidentem priscorum more in rupibus incisa sepulchra remanserũt. Sita erat hæc vrbs in plano, eiusque longitudo ab isthmo ad rupẽ vsque acutam, vernacule Pizzutam hodie dictam, maris fluctibus ablutam, quæ iucundissimum in Pachynum, quem inde quasi picturam discernere est, prospectum præbet. Hanc Motyen olim fuisse, Pausanias lib. 5. his verbis scribit: Est (inquiens) ad Pachynum Siciliæ promontorium, quod in Africam & ad austros conuersum est, Motye vrbs: eam Afri Pœnis permixti tenent. Ea ciuitate bello subacta Agrigentini de manubiis puerorum æneas posuere statuas, dexteras tendentium, & vota se Ioui nuncupare significantium. adhærent statuæ illæ Altis muris. Calamidis opus esse & ipse suspicor, & hominum sermone vulgatum est. hactenus Pausanias. Hanc vrbem Antiochus Syracusanus (eodem Pausania lib. 10. referente) Gnidios, qui ex Lycia regione aduenerunt, condidisse tradit. A qua postea ab Elymis & Phœnicibus prælio victi expulsi, in Æolias insulas profugerunt. Hecatæus vero, Stephano scribẽte,

Motyen

Motyen hanc vrbem ab Hercule conditam,& a Motya muliere,ob indicatos ei ab illa boum fures, denominatam fuisse in sua Europa refert. In hac vrbe Macrobius lib. Sat. primo, Apollinis Libystini olim fuisse templum frequentia hominũ ac religione celeberrimum commemorat. Nam cum Motyenses graui aliquando Libycorum obsidione premerẽtur, Apollinem inuocauerunt. nec multo post immissa hostibus peste,cunctisque ea contagione peremptis, Motyenses periculo erepti Apollinem Libystinum appellauerunt, temploque illi magnifice extructo, summum ei cultum deinceps impenderunt. Cuius hodie nullæ cognoscuntur reliquiæ. Extitisse autem hanc vrbem & Christianis temporibus, in vita Hilarionis D. Hieronymus his verbis testatur: Hilarion habens Gazanum secum, ascendit classem quæ ad Siciliam nauigabat. Ingressus autem Pachynum promontoriũ Siciliæ, obtulit nauclero euangelium pro subuectione sua & Gazani. Quo nolente accipere, in eo magis lætabatur quod ab accolis illius loci mendicus putaretur. Porro recogitans ne negotiatores de oriente veniẽtes se notum facerent, ad mediterranea aufugit loca, idest vigesimo a mari miliario,ibique in quodam deserto agello habitauit. Et paulo infra: Hesychius (inquit) discipulus eius, cum audisset Hilarionem in Sicilia esse, cum Methonæ esset,ingressus Adriam prospero cursu venit Pachynum:& in quadam curui littoris villula famam senis sciscitatus,cõsona voce omnium cognouit vbi esset. hucusque Hieronymus. A Motye vrbe diruta ad p.m.2.statio quædam occurrit, Algæ superiori ætate,sed hodie Palorũ portus appellatus, paruorum nauigiorum capax. Cui ad totidem p.m. proxima est paruula quædam insula a littore p. decem recedens, Currentum insula dicta. vbi mirum quoddam aliquando cernitur,quod & aliis Siciliæ locis notasse me memini. Ante Solis nanque exortum dimicãtium hominum & classium imagines in aere conspiciuntur,quas paulo post illucescens sol consumit. Intus nonnihil ab ora semotum stagnum est a Comite Henrici cognominatum, ex pluuiis aggregatum, quod æstate in sal inarescit. cui & salina alia Dauila nuncupata ad mille passus succedit:quam post duo circiter miliaria salina, quam Mucaxarum vocant, subsequitur. Interius ab ora p. m. 2. vetustæ vrbis p. m.ambitus reliquiæ magnæ extant: quam,quod testudinatam adhuc ædiculam habet, Cubam appellant. Ad oram reuertenti,ad quingentos passus alia quoque salina occurrit, Longarina nomine. rursumque introgresso ad passuum milia 2. locus cognomento Ramundinus apparet,vbi diruti oppidi reliquiæ non indignæ spectantur. Ad littus post Longarinam p.500. sinus est ingens,cui Marza Sarracenice(quod portum sonat Latinis)est nomen, Odyssia Ptolemæo,Edissæ portus Ciceroni in Verrem.7.dictus, nauiũ capax. a cuius ora paulum recedit eiusdem nominis salina. Ad occidentale huius sinus promontorium,quod ad mare meridiẽ versus excurrit,insignis vrbis disiectę ambitus mille & quingentorum passuum, in præclarissimo iucundissimoque situ extant monumenta, arcisque ad extremitatem a mari percussæ,ædiũq; veteris architecturæ in subterraneis simul extantibusque locis vestigia. Quibus etsi celebrẽ olim fuisse ciuitatem satis argumenti proferatur,quo tamen nomine apud veteres steterit,affirmare quidem nihil audeo:suspicari vero Eubœam,a Leontinis ad meridionale latus conditam Straboni,vel Callipolim fuisse, nihil vetat. hodie autem ab arce diruta Castellatium appellatur. Hanc stagnum statim sequitur,cui Murra nomen est, quod in salem æstate totum conuertitur: ac deinde stagnum aliud Gurgus salitus nuncupatum. Quod vna cum pluribus aliis a Pachyno hucusque, ex aquis pluuialibus, iisque dulcibus,quæ neque mare influunt, neque mari turbãtur,sal gignit nobilissimum. Gurgo salito,eiusque littori tres scopuli paruo quidẽ a se inuicem spatio,ab ora vero p. m. 2. seiuncti, adiacent, insulæ Porrorum nominati. Deinceps p.m.6. post Castellatium & Marzam sinum, iuxta littus maris lacus sunt duo piscosi, Busaitumus & Busaitumellus, qui statim in mare influunt. Oriuntur autem a fontib.indigenis, & non longe a Spaccafurno oppidulo ex fonte cui Fauara nomen est. Proximæ eis sunt ingentes reliquiæ paruæ vrbis dirutæ, quam Ficallum hodie appellant. vbi & templum ingens sane,sed prostratis molib. iacens cernitur. super cuius ruinis hac ætate ædicula est eiusdem nominis D. Ma-

riæ ſacra. Vrbis autem mœnia iacentia, ædificiorumque fragmenta adhuc plurima ſuperſunt. Collis extat iuxta vrbem in mare promõtorii inſtar pauliſper procurrens, vernacule Cozzus ſanctæ Marię a Ficallo cognominatus. In cuius vertice arcis iacentis, ædificiorumque veterum ingentes ruinæ viſuntur. Ad radices vero, quæ mari iunguntur, fontibus pluribus viuo e ſaxo ſcaturientibus, dulciſſimas & affluentiſſimas exhibet aquas. Sed & ipſam vrbem fons maximus influit. vnde tota hæc littoralis ora, regioque Ficallus hodie nominata, fluuiis, torrentibus, lacubus, fontibuſque perquã irriguis, piſcatione præterea, aucupio, & venatu multiiugas hominibus voluptates præbet. Sed & iiſdem in aere imaginibus, qualium in Currentum inſula meminimus, frequenter eſt obnoxia. Quæ vero ea vrbs apud priſcos fuerit, ex authoribus, in quorum opera hucuſque incidi, nihil colligere potui. A Ficallo ad p. m. 2. loco qui Puteus vetus dicitur, oppidi (vt apparet) vetuſtiſſimi fundamenta ob oculos iacent. a quibus paſſus ferme quingentos turris abeſt ingens & magnifica, a Bernardo Incrapera Motycæ olim Comite erecta, Puzzallus appellata, quam mare lambit, frumenti emporium. Vnde ad Melitam inſulã ex Sicilia propinquior eſt traiectus, vtpote p. milib. non amplius ſexaginta. Puzzallum ad p. m. 2. Mayanucus parua ſequitur ſtatio, & deinde ad m. paſſus Rayancinus. cui pari ſpatio Corciurus ſuccedit. & poſtea non longiori interuallo Pixotus & Samuel extant: moxque etiam ſtatio ſancti Petri cognomine, æquo itineris diſcrimine occurrit: vbi & vetuſti ædificii cernuntur ruinæ. Speluncæ ad mille & quingentos paſſus ſequuntur, Sbruffaloræ vernacule ob id dictæ, quod in eas regreſſi fluctus maris, ac ſcopulis illiſi, admiranda per aliquot ora, ad iactum lapidis a littore diſtantia, ſpuma edita ingentem reddunt ſonitum. Et paulo poſt vetus aliud frumenti emporium ſequitur, quod Vetera appellant horrea. vnde & fluuii Motycani, Siclis nunc dicti, oſtiũ non lõge abeſt Ptolemæo. oritur is ſupra Motycam oppidum ad iactum fundæ, quod primo ſtatim defluxu interlabitur, cuius quoque denominationem apud veteres ſuſcipit. Et decurrens deinde ad 4. p. m. Siclim noui nominis, ſed inſigne & pulchrum oppidum, interluit: a quo nomen, quod adhuc tenet, priori amiſſo accipit, & mare ad 3. p. m. ingreditur. A cuius oſtiò paſſibus. m. fons abeſt inſignis ad littus inter ipſas frequenter maris aquas affluentiſſime emergens, Aynlucata Sarracenice adhuc nominatus. Ad paſſ. mox. m. 2. Hirminii omnium in hac ora celebratiſſimi flu. Plinio, hodie Mauli, & Raguſæ oſtium ſequitur. Caput habet ad verticem Cerratani montis, ex fonte Ficus nomine, in medio itineris a Vizini ad Palazolum ſcatenti: ſtatimque augetur aquis alterius fontis Fauara appellati, ad verticem eiuſdem montis, & m. vix. p. ad occidentem a Ficu diſtantis oriundi. Qui vbi confluunt, fluuium conuoluendis molẽdinis non impigrum faciunt. Vnde dilapſus Cerratanum vetuſti præſentiſque nominis oppidum prẽterlabitur, cuius nomen vſurpat: progreſſuſque paululum, pluribus fontibus accreſcit, Raguſamque deinde noui nominis oppidum (cuius nomen priori neglecto ſuſcipit) ad dexteram relinquit: decurrẽſque ſine nominis iactura, in mare hic ſe exonerat. Hunc Mazzarellis ad p. m. parua ſequitur ſtatio. & ad m. & quingentos paſſ. moles quædam & rupes extant rubræ. Qui locus an is ſit quem Brucam extremum vocat Ptolemæus, incompertum eſt. Et ſubinde ad p. m. Anigigeffi parua ſtatio ſuccedit. Quam ad quingentos paſſ. ſequuntur priſcæ ac magnæ vrbis ruinæ, quas mare alluit, & accolæ Longobardũ, Mulinazzum, & Chummum hodie vocant. Hæc ædificiorum veſtigia, quæ partim omnino proſtrata, partim vepribus ac palmis ſylueſtribus obruta ſunt, tam multa ad. 2. fere p. milia protenduntur, vt continuatam vſque ad eum locum qui Sanctus Nicolaus nunc dicitur, (vbi hodie vetus eſt molendinum Mulinazzum vulgo appellatum, quod fluuii e collibus Raguſani, vbi oritur, aquæ per conuallem defluentes rotabant) vrbem fuiſſe manifeſto ſint indicio. Huic vrbi occidentem verſus ad paſſ. circiter quingentos imminet ager in ſinu depreſſo, mille paſſuum ambitum conficiens, collibus circundatus, præfati fluuioli irrigatione ad culturam aptiſſimus, & amœnitate, quam hortorum pomariorumque vetuſtiſſimorum monumenta teſtantur, ſplendidiſſimus. Huic, quod tria ibi ſunt diſtincta magnificentiſſimæ elegantiſſi-

gantissimæque structuræ balnea, a balneis nomen obuenit. Quorum duo semiruta, tertium prorsus integrum adhuc cernitur, opus sane regium, & cuicunq; Romano non impar. Ei ad dexteram per iactum lapidis tumulus insurgit. in cuius cacumine, quod planum est, theatrum olim stetisse insigne ac plane singulare, ex forma & maximis admirandisque priscorum operum fragmentis liquet. Vnde etiam in subiectos hortos, colles, planitiem, vrbem ipsam, ac pelagus iucundissimus porrigitur prospectus. quem secessui olim, curarumque laxamento, & lasciuiæ diuersorio huiusce vrbis Regibus habitum non dubito. Et vt progrediar vlterius, rationes mihi hæ non ineptæ videntur, præsertim cum authoritate nitantur: quibus quodam tempore hic Inyctum, Cocali Sicanorum olim Regis ciuitatem regiam, fuisse adducor vt credam. Hanc nanque Aristoteles Politi. lib. 7. Herodotus lib. 6. Diodorus. 5. Pausanias, & Strabo lib. 6. ad latus Siciliæ meridionale constituunt, & Camerinæ proximam determinant, nulla alia inter se ratione dissidētes, nisi quod Inyctum Herodotus, Strabo & Stephanus, Inycum vero eam Pausanias appellet. Fuisse porro Inyctum Sicanorum Regum sedem, de quibus late lib. 12. teste Diodoro scripsit Antiochus, constantissimum est. Sed quo tempore, & quibus conditoribus inceperit, incertum: tam etsi a Sicanis conditam verisimilitudo satis persuadeat. Hæc vrbs & balneorum, in quibus Minos Rex Cretensis suffocatus fuisse traditur, excellentia, & Scythis Zanclæorū Regis exilio insignis est. Vinū Inyctinum, quod olim lib. 6. teste Strabone, nobilissimum erat, hodie desideratur. Post Inyctum Cauconæ portus Ptolemæo, Caucones Procopio de bello Vandalico li. 3. Rasacaramis ætate superiori, sed Scaramis caput & statio hodie succedit, & fluuii eiusdem nominis ostium, quem a sancta Cruce plerique nunc appellant, quiq; a fonte Fauara. p.m. fere. 4. ab ora exoritur. Exesa deinceps ad passus aliquot spelunca est, superne aperta & aspera, a columbis ibi nidificantibus Columbaria hodie denominata. In quam fluctus maris illisi, cum spuma mirabili sursum feruntur, ac sonitum nuper faciebāt tonitrui similem, qui vigesimo inde miliario exaudiebatur. Sed anno salut. 1552. ex vi irrumpentis maris impetuosius concussa, in sua viscera corruit. Huic intus ad p. m. in colle ædis est quadrato structa lapide columnis subnixa, quam Sterium pictum accolæ appellant, templum priscis præcellēs. A Columbaria quoque ad p.m. 2. in ora fluuii Oani nomine apud Pindarum in Olympiis ode. 5. celeberrimi, Frascularis hodie dicti, ostium sequitur: vbi & statio est eiusdem nominis. Oritur in montibus Ragusanis e fonte cui ab ostio. 7. p. m. Passus latus hac tempestate nomen est. & dilapsus per locum qui Passus Siclis hodie dicitur, hic in mare illabitur.

DE CAMERINA VRBE ET TERRA noua oppido,

CAPVT II.

CAMERINA vrbs ad passus ferme quingentos Oano siue Frascularo fluuio proxima est. In mole quadam pauliſper edita, inter duos amnes Oanum & Hipparim, ac lacum, iuxta importuosum littus, quod postmodum Romanæ classis naufragio misere fœdatum est, a Syracusanis imperio & potentia auctis, duce Dascone & Menecolo, anno 35. supra centesimum post Syracusas, & (Eusebio supputante) ab orbe cōdito 4600. Olympiade. 45. ædificata, vt libro. 6. asserit Thucydides. Camerina (inquit Strabo libro. 6.) Syracusanorum colonia fuit. Deducta Græci nominis etymologia a camera, quod laborem, & nęo, quod habitare significat: quasi post longos labores habitata. quanquam non desint qui a lacu eam alluente vocatam malint. nā & Camerinum neutro genere Duris Samius, referente Stephano, eā appellauit. Hæc vti præcocia, ita & immaturos sortita est euentus. Nam cum incolæ secundarum rerum insolentia elati, in cōditores ac principes suos Syracusanos insurrexissent, ipsis prælio superatis subactisque funditus deleta, inconstantes ab eo tempore semper suc-

per ſucceſſus habuit, vtpote quæ ſuis ipſa bonis abuſa ſit. Hippocrates enim Gelæ Tyrannus, qui poſtea pro complurium Syracuſanorum, quos ad flumen Elorum debellauerat, captiuorum redemptione inſtantibus Corinthiis & Corcyræis eã acceperat, (vt libro. 7. Herodotus refert) conuecta mox colonia. 82. olympiade, qua Pſaumis ex Olympia victoriam retulit, mœnibus & habitatoribus iacentem reſtituit, vt Thucydides & Pindari interpres commemorant. Verum iterum a Gelone Hippocratis in imperiũ ſucceſſore, quod ab eo perfide deſciuiſſet, euerſa eſt. Nec multo poſt ab eodem refecta, nouiſque colonis inductis in priſtinum ſtatum coacta, flagrante primo bello Punico, quod Carthaginenſibus adhæſiſſet, a Romanis machinis & tormentis expugnata, ac Romanorum deinde colonia (authore Polybio) habitata eſt. Nec iniuria eam in Olympiis ode quinta populi altricem vocat Pindarus. quippe quæ inter tam frequẽtes mutationes populo ſemper abundauerit, atque alios quodãmodo ex aliis peperiſſe videatur. Eius mœnia Hipparis flu. Pindaro, Iporus Ptolemæo, Hictaris Vibio Sequeſtro, Camerinenſis hodie appellatus, oſtio ſuo fluxuque expedito ad occidentem alluit. Oritur. p.m. 12. ſupra oſtium, ex fonte vberrimo olim Diana nuncupato, Solino. Cui oppidulum a Sarracenis, Yhomiſum nomine, ea ratione ſuperædificatum eſt, vt fons ipſe medio in foro ſcatens, eam euomat vim aquarum, quæ ſtatim intra lapidis iactum molis ſufficiat cõuoluendis, amnemque faciat qui Camerinam per. 12. p.m. continuato curſu influat. Ad ripas eius frugum ac domeſticarum omnium arborum, cedri præſertim, arantii, ac cæterorum malorum, etiam Punicorum, eſt feraciſſimus. Mirum porro & illud, quod de fonte hoc Dianæ ſcripſit Solinus. ſi quæ mulier impudica aquam eius vino immiſcuiſſet, fontis indicio, qui in vnum corpus laticem cum mero coire nõ pateretur, vitam illico ſceluſque detectum iri: moriſque huic fuiſſe, vt quiuis ſuſpectam adulterii vxorem in hoc fonte probaret. Hipparis flu. ad paſſus ferme quingẽtos, antequam in mare irrumpat, ſtagnum interfluit. 2. p.m. ambitus, quod fontes indigeni ſupra viginti efficiunt, vbique ſubeſt, priſca ætate Heſperia, Camerinæ poſtea palus (vt eſt apud Vibium Sequeſtrẽ) a veteribus appellatum. De eo ſimul, & Oano, Hipparique fluuiis ode. 5. in Olympiis in hanc ſententiam Pindarus: O Pallas (inquit) vrbis tutelaris Dea, caſtum concinit delubrum tuum, fluuiumque Oanum, indigenumque ſtagnum, & ſacros canales, quibus Hipparis irrigat exercitum, affingitque & glutinat celeriter altum firmarum ædium nemus, ex deformitate ad lucem Camerinęos proferẽs. vbi eius interpres: Hipparis (inquit) Siciliæ fluuius eſt, proximus Camerinæ, tantus alueo ſuo vt & naues recipiat, quibus ex montium vicinorum iugis arbores ac immenſæ magnitudinis trabes, Camerinam in ædium baſilicarumque ſtructuram portari priſco tempore conſueuerant. Hinc a veteribus ratibus eum eſſe nauigabilem accepimus. quod & vaſtarum faucium ſitus & lacus ipſe adhuc manifeſtant. At vero palus hæc licet olim plura vrbi commoda afferret, inſalubrem tamen infectumque aerem frequenter gignebat. Quare Camerinenſes aliquando Apollinis oraculum conſulentes, an conduceret paludem quæ vrbi grauis erat, exiccare: reſponſum accepere, Camerinam ne moueas. Sed illi, cum frequenti peſte vexati, diutius mali cauſam, quam leuare poterant, non ſubſtinerent in ſua poteſtate durare, ſpectata ſolum vtilitate præſenti, oraculoque contempto, paludem exhaurientes incolumitatem quidem optatam ſunt nacti: ſed non multo poſt in peius diſcrimen inciderunt. Ea namque vrbis parte quam ſtagnum ante inuiam fecerat, ingreſſis patefacto aditu hoſtibus, Camerina populata, neglectæ, licet ſuperſtitioſæ, religionis infeſtas pœnas dedit. Vnde Verg. Æn. 3. & fatis nunquam conceſſa moueri Apparet Camerina procul. Et li. 14. Silius: Et cui non licitum fatis Camerina moueri. Inde & antiquum apud Græcos adagium prouenit: Camerinam ne moueas, lippis propeiam & tonſoribus notum. Lacus ipſe hodie extat, ſolaque piſcium captura inſignis, tincas & anguillas profert laudatiſſimas. Vrbs vero Camerina, opibus olim & ædificiorum magnificentia clara, hodie iacet, nihilque priſcorum operum, præter fundamenta, integrum ſeruat. Nomen tamen, i ſolum in a mutato, Camerana vulgo retinens, ingentes ac late diffuſas, eaſque intra totũ

eius

eius ambitum (qui mille fere & quingentorum erat passuum) pro maxima parte obrutas ostentat ruinas. Littora ei subiecta, ætate mea insanarum molium opere in profundum etiam mare iactarum, omnium, quæ alibi viderim, maximarum, in modum portus manufacti decorabantur: quæ anno salutis. 1554. cum iterum Camerinam inuestigarem, omnibus vetustatis monumentis inde ad Terranouam oppidum asportatis, nuda ac suis ornamentis viduata repperi. Ad verticem iacẽtis vrbis ædes est hodie D. Mariæ dicata, idibus Aug. solennibus nundinis, confluẽtisque populi frequentia celebrata. Ad eius mœnia turris quoq; recens a Bernardo Incrapera Motycæ olim Comite ex vrbis ruinis in speculam erecta est. Extra vrbem ad septentrionem locus est cœmeterio tumulorumque copia insignis, arcis instar, quadratis lapidibus in sublime excitatus. Psaumis, Acronis filius, qui Olympiade. 82. quadriga victor euasit, Camerinæus fuit. cui in victoriæ encomium Pindarus oden Olympiorum tertiam dicauit. Nobilitata quoque fuit Orpheo poeta, qui descensum ad inferos (vt Suidas scribit) versibus cõposuit. Post Hipparis ostium quingentis fere passibus lacus est alius iactu lapidis a mari refugiens, sed imbribus auctus. cuius aquæ lapillorum instar in sal inarescunt. Ad passuum deinde. m. 10. Dirillus hodie vocatus flu. & eius ostium sequitur, notissimus in hac ora, & celebrati nominis: qui cura veteribus sit præteritus, equidem satis miror. Hic ad vtranque eius ripam per multa pass. milia condensis obtegitur syluis, quæ latrocinantibus ferisque tutissimas latebras ac propugnacula præbent. Oritur ad Vizinim noui nominis oppidum duobus capitibus. Quorum vnum p. m. 2. ad orientem illi imminet, & a fonte Paradiso ad agrum Mogi scatet: qui statim alterius fontis Fauarotta nominati aquas suscipit, & decurrens oppidum ad dexteram relinquit. Alterum eius caput oppido, qua spectat aquilonem, hæret, quod ex tribus fontibus parum a Vizini semotis conflatur. quorum vni, ab eo ad iactum lapidis distanti, Coruo nomen est: alteri, qui paulo infra erũpit, S. Angeli, ab ædicula eiusdem nominis, denominatio obuenit. tertius, qui sub oppidi mœnib. exoritur, Sarracenice Massar nominatur. Hi fontes simul iuncti, radices rupis, cui superstructũ est oppidum, alluunt, molasque conuoluunt. Ita Vizinis oppidum inter duos amnes in rupe parum edita situm est. Hi duo fluuii infra oppidum, loco cui hodie Molendino Baronis nomen est, coeunt, & vnum fluuium faciunt: qui ibi statim nomen a Vizini sibi mutuat, dilapsusque per valles Lycodiam, noui Sarracenique nominis in colle edito præruptoque situm oppidum, ad dexteram relinquit: atq; inde profluens, loco qui Rayhuleti nunc dicitur, fluuium Montis rubri, non longe ab oppido eiusdem nominis oriundum, recipit: dimissoque ad sinistram Monterubro oppido, fluuio Mazzaruni iungitur, & ab eo cognominatur. Vnde ad læuã in niuosis montibus, Claromonte oppido præterito, defluens, Viscarim oppidulum sinistra sua allambit, ac demum Dirillum Sarracenici nominis iacens oppidũ, cuius vsurpat nomen, præterlapsus, non procul inde mari illabitur. Non longe ab ostio stagnum est Cocanicum: in quo per æstatem non toto quidem, sed extremitatibus marginibusque tantum, aquæ in sal exarescunt. Cuius & Plin. lib. 31. cap. 7. in hunc modum meminit: In lacu Siciliæ (inquiens) qui Cocanicus vocatur, & alio iuxta Gelam, sal in oris duntaxat siccatur, & non totum in salem abit. Paruo inde spatio abest fluuii, qui Manumuza hodie vocitatur, ostium, in agro Calatagironensi oriundi. Et non longo de hinc itinere, fluuii Terranouæ ostium occurrit, ab oppido eiusdem nominis appellati. Cuius caput non longe a Platia oppido sese in scaturiginem egerit. Inde ad passus circiter quingentos Terra noua oppidum recens imminet, frumenti emporium, exiguo spatio distans a mari, super ruinis deletæ atque obrutæ vrbis conditum. Oppidani eam Heracleam fuisse & prædicant, & super porta Calatagironis solenni charactere ad illustrandam patriam inscripsere. Quorum errorem & recentiores Siciliæ etiam Reges secuti, in diplomatibus suis augusto Heracleæ nomine eam quoque, sed perperam decorarunt. Quos omnes Strabo, Ptolemæus, & P. Mela inter geographos celeberrimi, Diodorus prẽterea ipse Siculus historicus li. 16. & 19. ac Polybius lib. primo, manifestæ falsitatis redarguunt, qui Heracleam inter Agrigentum & Selinuntem locant. Veruntamen

runtamen cum extra mœnia huius oppidi orientem versus ad passus prope. 300. templum ingens veteris formæ ex quadratis, & eis admirandis lapidibus, iacens, columna vna (desideratis cæteris) cum epistylio adhuc erecta, ingentiaque subter fundamenta cernantur: & ad aream ecclesiæ maioris eiusdem formæ fragmentũ alterius columnæ extet, & inter mare & oppidi mœnia priscorum operum vestigia, & phialæ figulinę vetustissimi artificii & pulcherrimę passim, licet obrutæ, nummismata quoque Hieronis cum inscriptione, & plurima Minotaurum ex vna parte exprimentia, in æs & argentum pulchre facta, passim reperiantur: vetustam hic olim fuisse vrbem procul dubio censendum est. Sed quæ nam fuerit, Callipolis ne, an Eubœa, quas in hac ora olim fuisse sitas lib. 6. Strabo testatur, nihil affirmo. Verba Strabonis hæc sunt: Ora quæ a Pachyno ad Lilybæum extenditur, tota relicta est, priscarum tantum habitationum vestigia seruans. Agrigentum & Lilybæum permanent. Nam cum hæ partes agro subiaceant Carthaginensi, longa & diutius perdurantia bella maxima ex parte plagam hanc extinxerunt. Et paulo infra: Non enim (inquit) Himeram habitari amplius nouimus, non Gelam, non Callipolim, non Selinuntem, non Eubœam, neque alias plures. Et paulo post: Cocali regia, atque barbaricarũ quoque permultæ sunt deletæ, sicut comici memorant, hucusque Strabo. De Cocali regia iam diximus. Himera vero, & Selinis, ac Gela quonã steterint loco, nihil addubitatur. Quocirca reliquarum duarum alteri, nempe Callipoli, veluti Gelæ propinquæ, si quid coniectura & Strabonis authoritas patiuntur, his priscis prope Terrænouæ monumentis sedes assignari potest. Sed id posteris, quibus maior scriptorum veterum copia suppeditabit, censendum relinquimus. Terranoua gemina est hodie, vetus vt pote & noua, mœnibus cinctæ. Sed quæ vetus est, & ad occidentem vergit, deserta ferme iacet. Recens vero, cum lata sit, pro mensuræ modo sublimes habet muros, & frequenter habitatur. Vtraq; tamen, quanquam altera est recentior, nõ adeo priscæ est structuræ. Siquidem annis ab hinc prope ducentis, a Sarracenis captum ac dirutum id oppidum legimus. Quo nomine etiam exinde a Siciliæ Regibus ad meam vsque ætatem, vacationẽ militiæ & publicorum munerum habuit. Hodie vero Marchionatus titulo nobilitatur. Terranouæ & eius agro ad p. m. 8. Buterium in edito monte situm noui nominis oppidum imminet, ruinis, & eis ingentibus, antiquæ habitationis superstructum. Quod an Hybla minor olim fuerit, etsi ad Thucydidem, qui eam in agro Gelensi constituit, accedere videatur: quia tamen in eodem agro Mactoriũ fuisse scribit lib. 7. Herodotus, nihil assero. In littore a Terranoua sex mille passus Nanfriæ, noui nominis fluuii, ostium abest, qui infra Buteriũ, cuius ibi nomen assumit, emanat. A quo ad centum prope passus fluuii Yharrubæ ostium occurrit. qui caput habet ex fonte sancti Petri ab ostio. p. m. 4. distanti. Huic ad. 2. p. m. proxima est Falconera, regii, etsi recentis, operis arx ad mare sita.

DE GELA FLVVIO, ALICATA & Gela vrbibus.

CAPVT III.

SVCCEDIT Falconeræ arci ad. 10. Terranouæ vero ad 18. p. m. Gela fluuius cum suo ostio, Verg. Æn. 3. Ouidio lib. Fastorum. 4. & Plinio, Himera Ptolemæo: Salsus hodie dictus, veterum scriptis celebratissimus, & alosiarum anguillarumque piscatione pręstantissimus. Nominis autem proprii rationem a priscis (vt Stephanus Byzantius refert) inde est mutuatus, quod ad ostium frequenter atram nimiamque exhalet caliginem, quam olim Siculi barbara voce Gelam vocabant. Immanem autẽ hunc fluuium. 3. Æn. nominat Verg. Immaniſque Gela fluuii cognomine dicta: quod ob vorticosas, quas secum defert, aquas, periculosum habet traiectum. Vnde & lib. Fastorum. 4. Ouidius: Et te vorticibus non adeunde Gela. Porro ætate mea, & in mediterraneis, & ad ostium flu. Salsus nominatur: quod mineras & lapicidinas

dinas alluat salis, eoq; infectas ad ostium vsque deferat aquas. Eum Solinus mediam diuidere Siciliam, & ex eodē nasci fonte quo alter eiusdem nominis fluuius, qui mare Tyrrhenum influit, & hunc dulcem, illum vero salsum, sed præter fidem refert: cum res e diuerso se habeat, vt suo loco explicabimus. Caput habet Gela flu. triplex. vnum ad Nebrodem montem, Madoniam hodie dictum, qua meridiē respicit, ex fonte cui Donna alta est nomen, ab ædicula D. Mariæ ibi dicata. cuius aquæ deinde plurimum incrementi accipiunt ex nonnullis fontibus, qui supra Petraliam oppidum in collium iugis Madoniæ continuatis emanant, & a sancto Archangelo ab æde eiusdem nominis cognominantur, & fluuium gignunt qui Petraliam inferiorem lambit, eiusque nomen ad se trahit. Dilapsus inde fluuiolū excipit nomine Pillizarum, inter Gangium & Petraliā oppida oriundum. & paulo post Rayhalsuttani, Sarraceni diruti oppiduli, quod præterlabitur, aquis augetur. Caput alterum habet Gela ad Gangium, nouī nominis oppidum, ex propinquis defluens collibus. Qui paulo inferius fluenta prouehens ad sinistram flectitur, & Rayhalloanne Sarracenico etiam iacente oppido relicto, paruorum fontium salsas assorbet aquas, a quibus Salsi tum primū nomen induit. In quod exinde Gangi cognomento veteris (Sarraceni, & a Friderico secundo Siciliæ Rege solo æquati oppidi, super cuius ruinis monasterium est structum ordinis D. Benedicti) fontes duo, quorum alter, qui olim oppidi erat fons, intra cœnobium, alter ad eius hortos oritur, sinistrorsum illabuntur. Vnde recto deinceps fluxu pergens, mineras salis & lapicidinas complures interfluit, quarum aquis & augmentatur & salsior redditur. Duo exinde ii fluuii, Salsus & Petraliæ, propriis quisque alueis decurrentes, ad locum qui Mandra Plani hodie dicitur, sub arce Rasicudiæ, quam ad m.p. & in edita rupe sitam dextrorsum relinquunt, simul iuncti confluunt, & alterius nomine prorsus amisso, fluuius ingens, qui ex duobus factus est vnus, Salsi tantum cognomentum retinet. Tertium Gelæ caput ad montem Artisinam ex fonte eiusdem nominis oritur, qui paululum excurrens Amurellus appellatur, & inter Calatanisettam & Petrapretiam noua oppida, in loco angusto, qui Caput arsum hodie dicitur, fluuio salso miscetur. Dilapsus deinde fluuius salsus, dū ex mediterraneis in Geloum agrum per angustum inter colles iter influit, editam dextrorsum relinquit rupem, vernacule Rocca stricti appellatam. Ad cuius cacumen in viua ipsa rupe ingentis staturæ leo vetusto & eleganti artificio excisus est, qui ab excelso eo loco viatoribus & agro Geloo sese ostentat, in piscorum aut victoriæ, aut Imperii signum ibi (vt existimo) sculptus. Ita Gela tot ramis auctus, Gelois agris ablutis, in mare iuxta Alicatam vrbem aquarum sarcinas deponit, ostiūque paruis tantum nauigiis portuosum aperit. Hyberno tempore frequenter Gelois campis inundat, & in stagna se ingerit, atque insulam facit: ramusque ab eo vnus ad occidentem diuellitur, cuius ostium Flumicellum appellāt. In ea insula, quam stagnās flu. efficit, mons Gela, & Alicata vrbs extant. Gelæ ostio ad dexteram Alicata hæret vrbs, ab ipso Salso fluuio Græcum proculdubio nomen adepta, vt ex. 20. Diodori lib. colligimus. Alicos enim Græce, salsum Latinis significat. Habet passus ferme octingentos in ambitu, & peninsulæ instar in mare procurrit, tribusque partib. a fluctibus impetitur: sed qua occidentē spectat, Gelæ monti, cuius radices occupat, subest. Condita quidem ex ruinis Gelæ vrbis: sed a quibus, & quo tēpore, nondum legimus. Frumenti hodie est emporium. ad ann. salutis. 1553. 5. idus Iul. a Turcica centum ferme triremium classe, cui se Francica fœdere iunxerat, igne vastata horrendam ad huc acerbissimi casus faciem retinet. Nobilitatur autem sepulchro Angeli Carmelitæ Hierosolymitani, pii viri, qui de Turcarum exortu, incremētis, ac demum excidio multa vaticinatus est. Vrbi mons editus & in mare aliquatenus profusus iuxta ad occidentem incubat: in quo Gela magna olim Siciliæ vrbs sita erat, vt Diodorus lib. 20. & Plutarchus in Timoleonte tradunt, ab Antiphemo & Entimo anno mundi. 4509. post Syracusas vero. 45. cōdita. Quod & in hæc verba testatur lib. 6. Thucydides: Gelam Antiphemus e Rhodo, & Entimus ex Creta, condiderunt anno. 45. post Syracusas habitari cœptas, impositio a flu. Gela vrbi nomine, cum locus, vbi nunc sita est vrbs, quique munitus antea muro erat, Lindii

vocarentur. Et idem lib. 7. Cretes (inquit) vna cum Rhodiis Gelam condiderunt. Nomen autem vrbi a Gela præterlabente flumine indiderunt, vt Thucydides & Vergilius quoque (prout ostendimus) scribunt. Quod & Silius lib. 14. confirmat: Venit ab amne trahens nomen Gela: venit & Hæsa. Et lib. 2. Claudianus: Nomenque Gelam qui præbuit vrbi. Scribit Duris Samius, cunctas fere Siciliæ ciuitates a præterlabentibus fluuiis nomen traxisse, vt Himeram, Selinuntem, Camerinã, Agrigentum, Camicum, & Gelam. Sunt tamen qui authoritate Aristæneti diuersam huius nominis causam producant. Tradunt enim Latium & Antiphemũ fratres ad Delphos de habitando loco ad Apollinem accessisse. Quorum ibi alteri, Latio nempe, vt orientem nauigaret, responsum est. Sed cum Antiphemus effuso riso oraculum suscepisset, statim & ipse responsum accepit, vt occidentem peteret. Inde itaque in Siciliam aduecti hanc vrbem condiderunt, eique a risu (id enim Græcis gelos sonat) quo oraculum acceperant, nomen imposuerunt. Qui vero mortales fuerint Lindii, a quibus ante occupatam muroque cinctam Gelam in superiori contextu Thucydides refert, ab eo non est proditum. Cæterum Herodotus lib. 7. aperte a Lindiis qui sunt ex Rhodo, & Antiphemo, Gelam fuisse conditã scribit. Quod ita plane accipiendum censeo, vt diuersis temporibus Entimus & Antiphemus conuenerint: priorq; Antiphemus cum Lindiorum colonia ex Lindo vrbe Rhodiensi muro vrbis terminos definierit, postea vero Entimus ad absoluendum opus inchoatum, populumque augendum, cum Cretensibus suis ex fœdere superuenerit, atque promiscue vrbem inhabitauerint, communique consensu ei Gela nomen imposuerint. Vtcumq; autem sese res habeat, Doricis eam legibus conditores instituisse Thucydides lib. 6. est author. quibus ita breui coaluere, vt anno centesimo octauo post eius ædificationem Agrigentum vrbem ab eis conditam referat. Et, vt Plutarchus in Timoleonte tradit, inter magnas Siciliæ ciuitates olim fuit. Et Pausanias lib. 16. a Gelois in Altis postremum omnium thesaurorum, donumque præcellens, stadio proximum positum testatur. Erant enim suo tempore in hac vrbe plura, eaq; egregia Dædali opera, quæ in Iunonis honorem apud Bœotos Argiui dedicauerant, huc ab Omphace deportata, præcipuum ciuitatis ornamentum, vt lib. 9. idem Pausanias memorat. Signum quoque Apollinis maximum, & pulchritudine præstantissimum, ante eius mœnia olim magna religione ab incolis cultum Diodorus celebrat. Cæterum cum oligarchia constaret, quam rebus nouis vt plurimum obnoxiam censuit Plato, vt pote paucis rẽp. gerentibus, & idcirco imbecillioribus, vt lib. 5. Politicorum Aristoteles, & lib. 7. Herodotus scribunt: a Cleandro Patareo septem annis tyrannide occupatur. eoque post septennium per Sabyllum prompti atque audacis animi virum Geloum interfecto, Hippocrates eius frater imperium quasi hęreditatis iure inuasit. Quicũ totidem annis non minori dominandi animo præfuisset, illato Siculis bello, ante Hyblam minimã Gelæ conterminam, relictis Euclide & Cleandro liberis sub cura Gelonis, interiit Thucydidi lib. 4. At Gelon Telinis vatis filius, susceptа pupillorum cura, sub administrationis tutelaris prætextu, liberis Hippocratis dominatu fraudatis, ipse sibi Gelæ Imperium occupauit. Quod, cum paulo post Syracusas quoque vrbem esset adeptus, Hieroni fratri Gelon possidendum reliquit, vt lib. 7. Herodotus refert. Fuit etiam Gela aliquando Lampichi, viri (vt in Charonte & Mercurio testatur Lucianus) superbiæ, fastus, crudelitatis, & violẽtiæ maximæ tyrannide diu oppressa: post Atticum vero bellum a Carthaginensibus misere fœdeque populata: a quibus signum illud Apollinis sublatum, & Carthaginem in victoriæ trophęum asportatum fuit, vt Diodorus, & Plutarchus in Timoleonte referũt. Ac cum postea Timoleon Corinthius plures Siciliæ vrbes tyrannide & bellis dissectas restauraſſet, inter alias colonias, quas ex Chio insula duce Gorgo in Siciliã adduxerat, huc etiam demandatis habitatoribus vrbem tum pene desertam liberaliter restituit. Scribit Solinus, in agro Geloo stagnum esse, quod tetro odore proximantes abigit: & fontes ibidem duos, ex quorum altero si sterilis biberit, fœcundam: ex altero vero si fœcunda, sterilem reddi. Sed vbi hac ætate ii sint, incompertum habemus. Sal Gelous tanti splendoris est teste Plin. lib. 31. ca. 7. vt imagines, veluti

veluti ſpeculũ recipiat. Et quod in lacu Geloo idẽ ſcripſit, ad margines æſtate, & nõ toto ſtagno ſal gigni, nos in ipſo Gelæ fluuio vſu euenire didicimus. Habet Gela, qua ſeptentrionem ac mediterranea ſpectat, campos latiſſimos, & eos frumentarios, montibus ea parte circumſeptos. Vrbs vero ipſa, quæ & Strabonis tempore deſerta erat, (vt ipſe lib. 6. commemorat) hodie prorſus iacet. cuius ruinæ, vt diximus, vrbi Alicatæ condendæ in fabricam ſurrexerunt. Eo fit vt nihil integrum ibi erectumque vetuſtatis ſuperſit, ſed lapides tantum quadrati ex ipſo monte, & id genus obruta antiqui operis monumenta aliquando effodiantur, ſepulchra quoq; ac ciſternæ veteris ædificii complures appareant. Vbi ætate mea lapis marmoreus his maiuſculis inſcriptus litteris eſt repertus:

CÆSARIB.
SACRVM.
L. CÆLIVS M. F.
QVADRATVS.
D. S. P.

Numiſmata præterea ærea atque argentea interdum reperiuntur cũ hac Græca inſcriptione: GELOORVM. Nobilitata fuit ortu Apollodori vetuſtiſſimi poetæ comici, & Timagoræ Philoſophi auditoris Theophraſti, vt Suidas ſcribit, atq; Æſchyli poetæ ſepulchro, & Gelonis Syracuſanorum Regis cunabulis. In hoc agro (vt diximus) Hyblam minorem collocat Thucydides: & ſupra Gelam, Macторium oppidum ponit Herodotus lib. 7. quod quidã Geloi ob ſeditionem eiecti olim incoluerunt. Et Cacyrum aliud oppidum ibidem ſtetiſſe ſcribit Ptolemæus. Duo quoque in eodem agro priſco tempore fuiſſe propugnacula, & ea natura & opere munitiſſima, quorum vni Phalario, alteri Ecnomo erat nomen: ſed Phalarium a Gela flu. ſtadiis .12. diſtabat, Ecnomus vero fluuio tantum interfluente a Phalario recedebat, vt Diodorus lib. 19. ſcribit. cuius hæc ſunt verba: Occupauerunt autem Carthaginenſes quendam verticem in Gela, Ecnomum cognomento, quem fama erat Phalaridis fuiſſe propugnaculum: vbi & taurum æneum, quo flagitioſos, igne ſuppoſito, vltimo mulctabat ſupplicio, eo loci fabricatum a Perillo conſtabat. Quo facto is locus cognomentum acceperat. Ecnomus nanque Græce, ſæuitiam Latinis ſonat. Ex altera parte Agathocles propugnaculum aliud, cui Phalarium erat nomen, & ipſe occupauerat. In quorum medio fluuius interfluebat, quem vtraq; hoſtium acies veluti munimen habebat. Et paulo inferius, Phalarium autem propugnaculum diſtabat ab Himera fluuio (qui Gela eſt) ſtadiis .12. ſed & via, quæ ad id tendebat, tota plana eſt. Et deinde, Agathoclis (inquit) milites terga vertentes, & Geloam vrbem profugientes cum ſiti detinerentur, ex eo quod ſub Cane erat tempus, ac hora meridiei, aquam fluuii Himeræ, quæ ſalſa erat, cum aliam non haberent, inuiti biberunt. Quamobrem plurimi eorum, ſalſedine aquæ deſiccatis introrſum vitalibus, mox iuxta flumen interierunt. hæc Diodorus. De Ecnomo quoque ſic habet Plutarchus in Dione: Proficiſcente ab Heraclea Syracuſas verſus Dione, ducenti Agrigentinorum equites, qui Ecnomum incolebant, ad eum ſe conferunt, & poſt eos Geloi, &c. Romani (inquit Polybius libro primo) Meſſana mouentes, & ſuperato Pachyno promontorio, Ecnomum nauigant: quo in loco pedeſtres copiæ claſſem præſtolabantur. Ex iis itaque quæ Diodorus refert, Gelam iuxta Alicatam olim ſtetiſſe, Ecnomumque in agro Geloo fuiſſe tumulum, qua Gela occidentẽ reſpicit, & Phalarium ad orientem paululum ab Ecnomo & Gela fluuio interfluente ſemotum: ac eos toto cœlo erraſſe, qui Gelam vrbẽ ab hoc loco diſtantem poſuerunt, iam ſatis conſtat. At cum Pœni (vt eodem lib. Diodorus ſcribit) ex Agrigento ad Gelam expugnandam, Agathocles vero, vt eam defenderet, e Syracuſis acceſſiſſet: exiſtimandum eſt Ecnomum propugnaculum, eum olim fuiſſe tumulum, quem hodie Poggium Muciaccum Alicatenſes appellant. 2. p. m. habentem in ambitu: in quo lapides ingentes quadrati, & ſtructuræ veteris monumenta cernuntur. Quæ inde ad propugnacula ciuitatis Alicatæ conſtruenda ætate mea ſunt aſportata. In cuius verticis medio fons eſt, qui riuo in Gelam fl. illabitur. Adiacet autem Gelæ flu. ad occidentem paſſus circiter quingẽtos,

Alicatæ vero vix p.m.2. In eo tumulo anno sal.1553.militaris Siciliæ equitatus veluti in loco natura munitissimo castra posuit. Ex altera fluuii parte,qua orientem spectat,tumulus est alter,Poggius longus hodie nominatus,a Gela flu.p.m. fere.2. sed ab vrbe. p. m. 3. a mari vero mille tantum passus recedens: vbi veteris etiam ædificii mira visuntur vestigia,quæ Alicatenses antiquitates appellant.Hũc igitur ipsum Phalarium fuisse censendum est. Post montem Gelam, qui vinetis hodie abundat, Flumicelli flu. ostium sequitur. Hic torrens ex stagnante flu. Gela augetur, vt diximus, æstate vero in sal siccatur. Deinde ad p.m. insula parua est a S.Nicolao cognominata, iactu funda a littore recedens. vbi nonnulla priscæ habitationis indicia, & nauigiorum est statio. quam in littore turris sequitur Millayha. Hæc ora aucupio & venatione nobilitatur. alit enim perdices & attagenes præstantissimas. Yhasis turris deinceps est. cui Castellatius mõs succedit: vbi magnæ, sed dirutæ arcis sunt reliquiæ. Et Balatella postea est piratarum diuerticulum. Mons inde Clarus,arx insignis & mari prominens, sequitur, a Claromontanis ducentis ab hinc plus minus annis excitata. vbi non longe a littore splendidi sulphuris est minera. Deinceps ad p.m. Punta alba, & scopulus illi adiacens, Petra patellę vernacule appellatus,occurrunt. In hac littorali ora Camicum olim vrbem stetisse,quã Dædalus Cocalo Sicanorum Regi ædificauit,munitissimam, lib. 4. Diodorus refert, cuius hæc sunt verba: Dædalus iuxta eam quæ nunc Acragantina est, in loco qui dicitur Camicus,vrbem supra petram effecit munitissimam,quę expugnari nequiret,ob arctissimum difficillimũque ad illam ascensum: ita vt aditus trib.aut quatuor viris facile custodiretur. In ea Cocalus regia cõstructa thesauros omnes condidit. In Camico Herodotus Minoẽ a Cocalo interfectum fuisse diuerse ab aliis authoribus lib. 7. scribit his verbis: Fertur (inquit) Minoem, cum Dædalum vestigans in Sicaniam,quæ nunc Sicilia dicitur,peruenisset,vi eius vitę in Camico allata,occubuisse. Interiecto deinde tẽpore omnes Cretes,præter Polichnitanos & Præsios, diuinitus instructos cum magna classe in Sicaniam traiecisse, & quinquennio obsedisse Camicum,quam (vt mea fert opinio) Acragantini incolebant. Ad extremum cum neque illam expugnare possent,neq; ibi permanere, fame eiecti, ea relicta abierunt. hæc Herodotus. Quę vero sint hodie Camici vestigia,etsi in hac littorali ora mirandæ extent ruinæ, neque hominum memoria neq; authorum monumentis hactenus consecuti sumus. Sed Agrigentum suo ordine describamus.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis, prioris Decadis

LIBER VI.

DE AGRIGENTO VRBE.

CAPVT I.

DECIMO post Puntam albam miliario, Agragæ fluuii ostium sequitur Polybio, Dragi vulgo hodie dicti. Sed antequã ad ostii traiectum perueñias,ad sinistram ædicula est Diuo Leoni sacra. Oritur ex collibus Raphadalis oppiduli. vnde delapsus veteris Agrigentinæ vrbis mœnia lambit, Dragique ibi nomen suscipit, & sub ipsa deinde vrbe, in loco qui Rucellus dicitur, flu.sancti Blasii (qui & ipse vrbem, qua orientem spectat,ex collibus vicinis defluens præterlabitur)aquis receptis auctus mare ingreditur. Hunc fluuium Agrigen-

Agrigentini (vt Ælianus lib. 2. recenſet) pueri forma depingere, diuiniſque honoribus afficere ſolebant: cuius ſimulacrum apud Delphos ex ebore aliquando dedicarunt. Ad eius oſtium iis qui maritimum hoc littus incolebant, forum olim & emporium, cognomento Agrigentinum, conſtitutum fuiſſe, Strabo lib. 6. & Ptolemæus ſcribunt. quod prorſus defecit, porticuum ſaxorumque quadratorum veſtigiis ſolum relictis. quæ in littore ſemiobruta, molis inſtar hucuſque cernũtur. Intus autem ad. p. quingentos ſupra mille imminet Acragas Græcis, Agrigentum Latinis, Plinio lib. 3. vaſta quondam vrbs: quam Geloi, anno prope centeſimo octauo poſt Gelæ vrbis initia, delectis ſibi coloniæ authoribus Ariſtone & Pyſtilo condiderunt: eam ab amne proximo (vt Thucydides libro 6. Duris Samius, & Stephanus Byzantius tradunt) appellantes. Polybius autem &. fl. & vrbem a regione Acraga nominari ſcripſit: quod fertile ibi ſit ſolũ, & fœcundus ager, vt Græci nominis etymologia oſtendere videtur. Nam acros Græcis ſummum, gæa terram ſiue agrum ſonat, quaſi ſolum ferax, ſiue aruis prægnãs. Doricis eam legibus fuiſſe a conditoribus imbutam idem Thucydides teſtatur. Quare Lucianus in Phalari Agrigentinos Græcos Doreſque fuiſſe perhibet, tametſi Strabo lib. 6. Ionicũ Agrigentum cognominet. Ea porro, veluti & Syracuſæ, ex paruis initiis ſoli feracitate, & Carthaginis vicinitate, a qua p. m. fere. 150. diſtabat, tanta breui tempore ſuſcepit incrementa, teſte Diodoro, vt nulli tandem aut Siciliæ, aut totius etiam Italiæ optime conſtitutarum vrbium, tum belli tum pacis laudibus facile cederet. Eius nanque agri in primis cum vini, olei, fructuumque domeſticorum prouentu præſtarent, quorum inopia tota Africa ea tempeſtate extreme laborabat, vt idem Diodorus tradit, conuecto Carthaginem eiuſdem annonæ commeatu, tam ingentes quæſtus fecit, vt ad tantas opes, magnificentiam & authoritatem, quæ deinde conſecuta eſt, non imbelle initium dederit. Siquidem ea victus abundantia & facilitate allecta multitudo, mutatis non temere ſedibus, eo velut ad commune horreũ confluxit, populumque ſimul atque vrbem eo magnitudinis (Laertio authore) perduxit, vt decem. m. p. ambitu, quo vrbs continebatur, octingenta hominũ milia cenſa perhibeãtur: extra mœnia quoque, circa littus præſertim, quod accreſcẽti indies aduenarum numero vrbs anguſtior fieret, ſuburbia, quorum incolæ a ciuitate nullo aut iure, aut legibus, aut dignitate differebant, paſſim accreuerint. Quare non iniuria Agrigẽtinos ſalutaturus Empedocles, vere naturali eos huiuſcemodi titulo ac conuenientiſſimo aggreſſus eſt:

Vrbem qui flaui ad ripas Acragantis amici
Incolitis magnam, res & curatis honeſtas,
Saluete.

Quam ſalutationem interpretatus Laertius, Amplum (inquit) Agrigentum Empedoclem dixiſſe ferunt, quod in illo octingenta hominum milia inhabitarẽt. Neque vero hac amplitudine aut luxus aut magnificentia ibi inferior fuit. Vnde Empedoclis vulgatum illud in ciues ſuos celebratur axioma, quod & Platoni Ælianus adſcribit: Agrigentinos ita ædificare, ac ſi perpetuo victuri, ita conuiuari, ac ſi poſtridie morituri forent. Vnde & ædes Agrigenti fuiſſe conuiuiis tantum & comeſſationibus publice extructas, in Dipnoſophiſtis Athenæus memorat: quas ob frequentiam cõfluxumque compotorum, Triremem appellabant. De cuius denominatione, huiuſcemodi lib. 2. recitat hiſtoriam. Iuuenes aliquot patritii ordinis cum in eam aliquando conueniſſent, pauloque inter ſe liberius poculorũ menſura contendiſſent, vino adeo incaluerunt, vt cerebri vertigine oppreſſis domus omnis agitari, circũagi, ac ſubuerti quoq; videretur: eoque illi in naui eſſe ac periclitari ſeſe arbitrati, inſtrumenta mox & vaſa omnia, & quicquid illo capitis turbine occurrebat, tanquam nauem exoneraturi in viam, veluti in mare, feſtinantiſſime abiecerunt profuderuntque: necnon accurrentibus hinc inde qui proiecta diriperent, opem ac pleraque alia editis vocibus inclamarunt. Quibus exciti accurrerũt populares, ciues: & ſequenti die ſenatus affuit, qui ciuilis eos modeſtiæ admonuit. Quibus præ temulentia neglectis, eorum vnus, O viri Tritones (inquit) ego naufragii metu perculſus infra thalamos me cõieci, atque in imo iacui: & id genus alia

deliria semisopitus adhuc eructauit. Sed iterum sub mulcta reprehensus cũ sociis gratias senatui titubanter egit. Subinde omnes, cum conseruati (inquiunt) ex procella portum ingrediemur, inter marinos Deos vobis, vt seruatoribus Diis, in hac communi patria statuas æneas in foro subrigemus. Hi post biduum cum euaporato mero vix ad mentem rediissent, ex rei nouæ memoria, turpique hoc ebrietatis exemplo, ædibus triremis nomen ab Agrigentinis est impositum. De magnificẽtia porro Agrigentinorũ scribit Timæus, referente Diodoro, adeo eos fuisse splendidos, vt lecythis & xystris argenteis, ac lecticis ex ebore totis vsi sint. Sed multo clariora magnificẽtiæ argumenta in eorum templis, theatris, aquæ ductibus, piscinisque fuerunt, quæ tanto numero, ac tam splendidæ structuræ & apud authores celebrantur, & vestigiis adhuc passim ob oculos iacentibus cognoscuntur, vt non immerito Romanas excedere ruinas censeri debeant: quibus tamen occasio non mediocri subsidio fuit. Nam cum magnam Carthaginensium captiuorum multitudinem haberent, quos Thero Agrigentinorum Tyrannus apud Himeram vrbẽ cum Gelone Syracusarum Rege debellauerat, (vt posteriori Decade memorabimus) ne otio illi tabescerent, & vrbs ipsa publicis decoraretur ædificiis: ad cædendos lapides, & ad maxima Deorum templa construenda eos proposuerunt, vt lib. 11. Diodorus scribit. Habebant autem ea Doricam formam, vtpote tredecim ex vtroque latere columnis striatis, & canaliculis vndique excauatis subnixa. Quorũ moles adeo erant insanæ, tantæque magnitudinis, vt non ab hominibus communis staturæ, sed Cyclopibus & gigantibus erectæ, & absque luto & calce interlitæ adeo firmæ, vt immensa ædificia, æternaque opera posse sustinere viderentur. Verum ex illis ad nostram ætatem nullum integrum, sed prostrata omnia cernuntur, non tam annorum iniuria, quam summo maiorum dedecore, qui quæ paruis fulcimentis conseruare poterant, vel impensarum vel laboris tædio turpiter corruere atque interire cum maxima posteritatis iactura permiserunt. Porro quæ adhuc ex ruinis diserni possunt, eiusmodi fere sunt. Æsculapii insigne erat templum, qua vrbs occidentem Heracleamque spectat, vt lib. 1. tradit Polybius. In quo signum Apollinis pulcherrimum visebatur, Myronis authoris nomine femori argenteis characteribus minutissimis impresso, inscriptum, vt in Verrem. 6. scribit Cic. Hoc simulacrum cum a Carthaginensibus expugnato Agrigento esset ablatum, deleta postea Carthagine Scipio Africanus iunior magni illius Africani nepos, Agrigentinis restituit. Huius templi duæ ætate mea tantum erectæ columnæ, & nonnullæ etiam ibi stratæ, in vinea Aloysii Portuleuæ iuxta pastorale eius tuguriolum supersunt. Alterum templum stabat trecentis circiter passibus ab Æsculapio ad orientem dissitum, Ioui Olympio sacrum, & omnium quæ in tota vnquã Sicilia fuerũt, maximum, vt refert Diodorus, & ipsa etiamnum designatione & ambitu liquet: eius siquidem longitudo trecentos & quadraginta pedes, latitudo sexaginta, altitudo vero absque fundamentis centum & viginti continebat. Muri cum ipsis colũnis simul erigebantur. Colũnæ exteriori facie oualem, interiori vero quadratam habebant formam. Porticus templi altitudinis magnitudinisque immensæ erant. In ea porticu, quæ orientem Solem respiciebat, fabulosam gigantum contra Iouem coniurationem, qua eum cœlo pellere moliti sunt, pulchritudine & amplitudine statuarum iucundam visu, elegantissimo opere sculptam admirari licebat. In altera porticu, quæ occidentem spectabat, excidium Troianum ita excellenti industria expolitum erat, vt ipsa heroum corpora non tam sculpta quam viua crederentur. Huius templi tectum, Carthaginensium bellum, quod secutum est, ne perficeretur fuit impedimento. Id templum licet processu æui olim corruerit, pars tamẽ eius tribus gigantibus, columnisq; suffulta diu post superstitit: quam Agrigẽtina vrbs insignibus suis additam adhuc pro monumento habet. Inde Agrigentinis vulgatum carmen: Signat Agrigentum mirabilis aula gigantum. At tandem Agrigentinorum incuria, anno salut. 1401. 5. id. Decemb. 10. Ind. in extremas ruinas abiit. nihilque aliud hodie eo cernitur loco, quam insanarum molium cumulus, Palatium gigantum vulgo adhuc appellatus, vt hoc epigrammate imperitiam barbariemque puram sonante, a poeta quodam eius seculi, & casum & tempus

pus memoriæ (dum prosternebatur) proditum, in Archiuo Agrigentino inueni.

Ardua bellorum fuit gens Agrigentinorum.
Pro cuius factis magna virtute peractis
Tu sola digna Siculorum tollere signa
Gigantum trina cunctorum forma sublima
Paries alta ruit, ciuibus incognita fuit.
Magna gigantea cunctis videbatur vt dea.
Quadricenteno primo sub anno milleno,
Nona Decembris defecit vndiq; membris.
Talis ruina fuit Indictione bisquina.

Tertium erat templum Agrigenti Herculi dicatum non longe a foro, vt. 6. in Verrem Cice. tradit, & sola via a Iouis æde seiunctum, sanctissime veteris superstitionis tempore cultum. In quo ipsius Herculis ex ære fuso simulacrum tanti ornatus habebatur, vt pulchrius sibi nullum vnquam fuisse visum idem Cic. fateatur. De cuius compilatione a Verre suisque militibus commissa, fortique ciuium defensione, in hæc verba refert: Hoc templum (inquit) ad dilapidandum cum suos armatos & seruos duce Timarchide noctu Verres misisset, & templi custodes armatorum concursum persensissent, editis vocibus conclamauerunt, ac obsistere conabantur: verum ab armatis fustibus & clauis mulctati sunt repulsi. Ita custodibus repulsis serui effractis templi valuis, ac conuulsis repagulis, templum ingressi Herculis signum demoliri pergebant. Sed cum huius sacrilegi facinoris fama tota vrbe percrebuisset, ciues omnes non modo robusta, sed affecta quoque ætate, & viribus infirmis, eo accepto nuntio nocte illa excitati surrexerunt, telumq; quod cuilibet sors obtulit, arripuerunt. Igitur ex tota vrbe ad defendendum Herculis fanum concurritur. Situm nanque erat id templum ad vrbis mœnia mare respicientia. Agrigentini in Verris seruos magna irruunt vi. cedunt illi, & in fugam se vertunt. Ita Agrigentini Herculem, quem falso errore ducti Deum arbitrabantur, defenderunt. Ex hac historia Agrigentũ veterẽ vrbẽ Ciceronis ætate superfuisse constat. In hoc etiam templo visebatur & alia tabula, in qua Herculem infantem coram Alcmena matre, & patre Amphitryone pauentibus dracones strangulantem Zeusis pictor expresserat. Quã cum nullo satis precio permutari posse author censeret, dono Agrigentinis dedit, vt lib. 35. cap. 9. refert Plin. Huius templi vix hodie vna erecta permanet columna: quæ illa est, quæ iuxta Iouis tẽplum inter saxorum ingentium tumulum (quem adhuc templum Herculis appellant) exurgit. cæteræ iam in aceruum abierunt. Quartum Concordiæ dicatum erat templum, ab Hercule quingentos fere passus ad orientem recedens: quod Agrigentini a Lilybætanis post adeptam contra eos victoriam constructum illorum impensa affirmant: quod idipsum tabula marmorea, quæ nũc in foro nouæ vrbis pendet, his maiusculis literis inscripta demõstrat: CONCORDIÆ AGRIGENTINORVM SACRVM, RESPVBLICA LILYBITANORVM, DEDICANTIBVS M. ATTERIO CANDIDO PROCOS. ET L. CORNELIO MARCELLO Q. PR. PR. Id illud ipsum templum est, quod in Diui Gregorii a Rapis, Agrigentini olim Episcopi, cultus conuersum, maxima sui parte integrum adhuc visitur. Quintum erat templũ Iunoni Laciniæ sacrum. Cuius meminit Diodorus. In quo tabula erat eximio Iunonis simulacro insignis. Quam facturus Zeusis, omnes Agrigentinorum virgines nudas sibi exhiberi voluit. e quarum numero delectis quinque forma præstantissimis, reductisque in iudicium singulis singularum membris, quod in vnaquaque laudatissimum erat, in effingenda Iunone expressit reddiditque, vt lib. 35. c. 9. Plin. memorat. Zeusis nanque, etsi (vt in Poetica tradit Aristoteles) pulchriora omnia in pingendo exprimeret, pulcherrimam tamen Iunonem effingere voluit, ne qua mulier esset quæ tota Iunoni sese conferre auderet. Id templum Gellias postea, capto a Carthaginensibus Agrigento hostium impetum euasurus, cum eo confugisset, irrumpentibus in illud hostibus, ne in captiuitatẽ veniret, combussit, ac se ipsum cum iis omnibus qui secum ibi aderant, igni dedit, vt Diodorus memoriæ

tradidit. Sextum erat templum Pudicitiæ ſacrum, omnium, excepto Iouis fano, maximum celeberrimũq;,quod hodie ſexcentos ferme paſſus a Concordiæ templo diſtans,& ad vrbis angulum orientem ſpectantem ſitum cernitur, Turris Pucellarũ vulgo appellatum:cuius aliquot columnæ diſciſſæ,ni ſuccurratur, vniuerſo templo ruinam minantur. Septimum erat Agrigenti templum Proſerpinæ dicatum,religioſiſſimum quidem,& ab Agrigentinis maxima cultum veneratione: ob quod Pindarus in Olympiis Agrigentum Proſerpinæ ſedem appellat.vbi Anacalypteria feſta,& Theogamia celebrari ſolebant: illa quidem, quod tertiò die ex ædibus matris ducta reuelata ſit: hæc vero,quod a Cerere poſt longa quærendi faſtidia tandem repertam (vt author eſt Heſychius) in cœlum ad Iouem reductam credebant. Octauum fuit Agrigenti templum Caſtoris &Pollucis appellatum, vt ibidem Pindarus refert, magnificentiſſima fabrica extructũ. Agrigentini enim Caſtorem & Pollucem præ cæteris mortalibus in Olympiis venerabantur, quibus & Theogenia etiam feſta inſtituerant. Sed quo loco poſteriora duo hæc templa ſteterint,nullis veſtigiis adhuc comperi. At vero omnium admiratione dignißimum eſt quod ſubiicimus. Templum erat Agrigenti extra mœnia Vulcano ſacrũ, in colle ob id Vulcanio dicto, (vbi hodie ædes eſt Diuæ Mariæ a Monte ſerrato dicata) teſte Solino,qui illum non longe a lacu in quo ſupernatat oleum, cui is collis imminet,fuiſſe ſcribit. In hoc enim templo priſcæ ſuperſtitionis ritu ſacrificantes ligna vitea nullo admixta igne ſuper aram ſtruebant. Vbi ſi ſacrum probabatur, ſarmentorum faſces,licet virides,ignem concipiebant,qui ſacra celebrantibus ſua flamma alludebat. At ſi forte ſuo flexu illorum quempiam contingebat,quos non vrebat,illis id voti rite perfecti præſagium erat. Quæ omnia friuola,ethnica,ac dæmonum fuiſſe ludibria,nos quidem perſuaſum habemus. Fuiſſe & alia plura Agrigenti,præter hæc,templa memoria non indigna, ex multis,quæ de eorum ſtructura authores prodiderunt,abunde colligimus. Porro lapicidina, ex qua ingẽtes illæ lapidum moles his templorum ædificiorumque publicorum fabricis excindebantur, Cauecta hodie dicitur: quæ proxima eſt ædi D. Blaſio ſacræ. Vbi & duæ ſunt admirandæ magnitudinis lacunæ, ad aquas ex pluuiis congregandas excauatæ, columnis ſubnixæ. Erant & Agrigenti aquæductus etiam ſumptuoſæ ſtructuræ(teſte Diodoro)quibus ex collium,ad quorum radices & latera vrbs erat condita,vicinis fontibus aquæ in vrbem deducebantur. Quibus quia conſtruẽdis Phæax Agrigentinus,vir nobilitate præſtans, a Senatu fuit præpoſitus,& ſuo labore & operum excellentia meruit, vt a ſe aquæductus Phæacii in poſterum vocarẽtur: quorum pleraque adhuc ſuperſunt viſenda veſtigia. Theatrũ præterea ibidem erat eminentiſſimum : quod libro Stratagematum tertio maxime celebrauit Iulius Frontinus.Quod hodie ex obrutis fundamentis, quæ a templo S. Nicolai nõ procul abſunt, vix etiam cognoſcitur. Piſcina etiam pro mœnibus ad occidentẽ ſumptuoſiſſima,quam Diodorus portum appellat, manũ quoque Carthaginenſiũ captiuorum fabricata,& Geloni Regi, vt amico & benemerenti,ad delicias voluptatemque a populo conſecrata.cuius ambitus ſeptem ſtadiorum,profunditas vero viginti cubitorum cernebatur: ad quam tam fluuii quam vicinorum fontium aquæ confluebant: piſcibus varii generis tum pabulo loci, tum aquarum etiam tẽperamento,& ad vſum,&ad delicias nutritis referta:quam & olorũ quoque multitudo in eam volitantium ac ſupernatantium, & aſpectu pulcherrimam, & iucunditate amœniſſimã reddebat,vt idem Diodorus,& Athenæus lib.13.ſcribunt. Hæc ætui curſu,& ciuium inertia Diodori etiam ætate tota collapſa videbatur. Sita autẽ fuit eo loco vbi hodie horti ſunt Abbatiæ & Angeli Strazanti medici non ſpernẽdi,quos adhuc fluuius & fontes interluunt. Agrigentinos proceres maximæ fuiſſe liberalitatis,atque hoſpitalitatis nomine non mediocrem vrbi ſplendorem attuliſſe Diodorus eſt author. De quibus Empedocles dicere conſueuerat: Portæ ſunt honorabiles exterorum,ſine fraude aliqua. Inter quos primas tenuit Gellias (quẽ lib.1. Telliam appellat Athenæus) omnium ſua ætate ditiſſimus: qui (vt lib.4. c. de liberalitate memorat Valerius) vir fuit opibus excellens, ſed animo quam diuitiis multo locupletior, in pecuniis erogandis potius quam contrahendis procliuus.

Hic

Hic ædes suas publicæ liberalitatis officinã esse voluit. Hic publicis vsibus idonea extruebat monumenta, grata oculis Agrigentinorum spectacula edebat, ac equorum magnifici apparatus subsidia tribuebat. Vniuersis præterea inopibus priuatim alimenta, dotes virginibus, pauperibus subsidia, malo fortunæ euentu quassatis solatia erogabat. Cuius ædibus hospites postremo, tum vrbani tum etiam rustici, benignissime excepti variis muneribus ornati postea dimittebantur. Cuius denique possessio omnis omnium quasi commune patrimonium erat. Hunc ferunt authores in vrbis portis quotidie seruos constituisse, qui exteros aduenasque præstolati in suam domum deducerent. Scribit quoque lib. 5. Timæus centum milites e Gela vrbe aliquando tempestate ingruente Agrigentum deuenisse, omnesq; in domo Gelliæ hospitatos, refectis vniuscuiusque vestibus, quas vis tempestatis absumpserat. Refert etiam ex Antiphane lib. 1. Athenæus in eandem sententiã, quingentis equitibus ex Gela eadem, qui hiemis tempore frigoribus acti, Agrigẽtum secessérant, in Gelliæ domo hospitatis, singulis vestem & interulam, ac lautissimam illum præbuisse cœnam. Sed & Polycletus (referente Diodoro) memoriæ reliquit, cum apud Agrigentum militaret, locum se vidisse, in quo Gelliæ vasa designabantur, ex quibus trecenta eodem artificio incisa erant, mẽsuram amphorarum centum quodlibet continens. Iuxta quę vas aliud miræ magnitudinis extabat, supra mille amphorarum capacitatem habens, ex quo, tanquam ex fonte, in vasa quæ diximus, aquæ influebant. Hunc tamen pro tot virtutibus statura pusillũ fuisse proditum est. Vnde cum aliquando ad Centuripinos ab Agrigẽtinis orator missus, ea de causa ab eis irrideretur, facete & commode (vt familiare tum Siculis erat) respondit: Propriũ est (inquiens) Agrigentinis, ad claras vrbes claros & proceros, ad obscuras autem obscuros & statura pusillos mittere oratores. Magnificentiæ quoque clarum in Antisthene Agrigentinò, quem Rhodũ vocabant, exẽplum effulsit. Is nanque cum filiam nuptui tradidisset, ciuibus omnibus (quod mirabile dictu est) per vicos lautissimam celebrauit cœnam. Coegit quoque per totã vrbem lignorum strues custodibus adhibitis: quibus signum datum est, vt cũ primum ab arce lumen aspicerent, ignem lignis adhiberent. Igitur cum sponsa per vrbis vias equitans circunduceretur, ab arce lumen emicuit. tum statim lignis (vt in mandatis habebant) incensis non per vias tantum, sed e fenestris quoque ac summis ædium culminibus ignium globis effulgentib. creberrimis, tota ciuitas ardere visa est. Ad quod spectaculum exciti vicinorum oppidorũ pagorumque incolę, ciuesque omnes ipsius vrbis, huius viri excellentiam spectatum venerunt. Quorũ multitudo tanta fuit, vt vrbis viæ tametsi latissimæ, eos tamen capere vix possent. Connumeratis nanque solum his qui e vicinis oppidis aduenerant, ducẽta hominum milia Antisthenis filiam, pompamque eius nuptialem prosequi non sine excellenti omnium stupore memoratum est. Exænetus etiam Agrigentinus nõ est prætereundus, sed his merito annumerandus. Hunc etenim cum ex Olympia, nonagesima secunda olympiade, inopinato victor in vrbem reuerteretur, curru splẽdidissimo, trecentis comitantibus quadrigis, quibus omnibus equos albos iunxerat, inuectum, maximo applausu ab Agrigentinis receptum Diodorus memoriæ prodidit. Enimuero Agrigentum quoque fuisse olim equis, quos ad Olympica certamina alebant, celeberrimum, hoc versu indicat Ver. lib. Æn. 3. Arduus inde Agragas ostentat maxima longe Mœnia: magnanimũm quondam generator equorum. Quibus cũ frequentes victorias e Græciæ agonibus retulissent (vt Pindarus & Strabo scribunt) tantam celebritatem promeruere, vt in Cappadocia, cũ aliquando equina proles pene defecisset, iubente oraculo, ex equorum Agrigentinorum grege admissarii ab indigenis emptis, reparata sit. Vnde equina armenta longe præstantiora Cappadocibus succreuerunt. Quo nomine scribit etiam Pli. lib. 8. cap. 42. Agrigentinos equis suis illustribus non solum tumulos, sed pyramides quoque extruxisse. Timæus quoque ad suam vsque ætatẽ equorum, qui ocyus cucurrissent, complura pyramidalia sepulchra Agrigenti durasse memorat. Agrigentum vrbs cum satis splendoris suscepisset, processu æui in tyrannidem Phalaridis incidit. Cuius nomen ob eius sæuitiam notius est, quam vt longior de eo

(ni res

(ni res moneat) sermo suscipiatur. Fuit ergo Phalaris ex Creta insula, vrbe Astyphalide, patre Leodamãte ortus. Huius mater (vt ex Põtico Heraclide Platonis discipulo lib. 1. de Diuinatione refert Cicero) antequam Phalarim ederet, visa est in somnis videre Deorum simulacra, quæ ipsa domi consecrauerat. Ex quibus Mercurium vidit ex patera, quam dextera manu tenebat, sanguinem fundere. qui cum terram attigerat, visus est referuescere adeo, vt tota eius domus sanguine repleretur. Quod somnium crudelitatem tyrannidemque filii præsagiuit. His itaque parẽtibus prima ipsius ætate orbatus, cum adoleuisset, Astyphalide ob tyrannidis suspicionem exulans, Erithia vxore, & Paurola filio domi relictis, Agrigentum contendit. Vbi cum opibus, & literis, potentiaque honoratior euasisset, vt. 5. Poli. lib. scribit Aristoteles, tyrannidem primus omnium inuasit, vt lib. 7. cap. 56. Plinius tradit. Nã cum in vniuerso terrarum orbe tyrannidis author atque inuentor primus Theseus censeatur, in Agrigento certe (eodem Plin. teste) libertatem hic primus mancipauit: quam fœdare aggressus est eo tempore quo Pythagoras Samius, Tarquiniusq; Superbus Romæ regnabat, vt Liuius & Gellius & Eusebius scribunt, anno mundi fere. 4550. si recte colligit Eusebius, & ante vrbem conditam. 64. Fuit Phalaris sollerti vir ingenio, maximo animo, aperta fronte, & studiorum liberalium amantissimus. Hinc Stesichoro Himerensi poetæ lyrico, suo nomini infenso, a se demum ob eam ipsam rem intercepto, musarum reuerentia pepercit. Cuius quoque demortui vxorem ac filios fauore & beneficiis est prosecutus. Callæschrum itẽ manifeste illi insidiantem, captum coniurationisque crimen confitentem, Polycleti Messenii philosophi ac medici insignis gratia seruauit. Charitona & Melanippum insidias sibi struentes, captosque ac scelus fatentes, quam benignissime suscepit. Chariton enim Agrigentinus, adolescentum formæ mirifice studiosus (vt lib. 2. de varia historia testatur Ælianus) Melanippum Agrigentinum, animo præstantem & forma egregium adolescentem, ardentissime amauit. Cum autem Melanippus cũ quodam Phalaridis necessario in iudicio ob quandã causam decertaret, iussit Phalaris Melanippo vt amitteret causam. At ille cum nõ paruisset, Phalaris accusationem omnem atque iudicium sustulit: quin & mortẽ ei est minitatus. Grauiter hãc iniuriam & iniquo animo ferens Melanippus Phalarim statim opprimere statuit. Rem itaque Charitoni credit. Socios sibi vt ad tam arduũ facinus deligat ascisca-que, impense rogat. Chariton se ipsum ad vindictæ societatem exhibet: sed occasionem bene gerendæ rei expectandam dicit. Verum hic rem diutius secum meditatus, veritus ne amores suos in discrimen iniiceret, solus ipse Melanippo inscio rem tãtam aggredi cogitat. Occasione igitur sese offerente, sumpto mucrone ad Phalarim contendit interimendum. Sed cum Phalaris continue satellitum comitatu stipatus, & quam diligentissime munitus esset, custodesque in portis exploratores haberet, Chariton dum incaute tyranni ædes ingreditur, comprehenditur, in carcerem coniicitur, & vt conscios prodat, torquetur. Sustinet ille cruciatus fortiter, præclareque tormentis resistit. Cum vero causa in longum protraheretur, vltro Melanippus ad Phalarim ingrediens palam se Charitonis consilii non modo socium, sed insidiarum quoque fuisse authorem confitetur: indignum iccirco asserens diutius illum tormentis affici, cum iam socius & author criminis habeatur: causamque denique tentatę necis ingenue aperteque enarrat. Phalaris vbi hæc audiuit, vtriusque fortitudinem animi amoremque admiratus, illico vtrique pepercit, & vt non solum Agrigento, sed a Sicilia quoque abirent, iussit. Hos postea Pythia his verbis commendauit: Mortali authores generi cælestis amoris Et Chariton felix & Melanippus erat. Scribit lib. 13. Athenæus, Apollinem hoc pietatis opere motum vitam Phalaridis duos annos prolongasse. quod ridiculum esse, apud Christianos constantissimum est. Cæterum licet hæc a veteribus de Phalaride tradantur, eiusdemque elegantissimæ epistolæ, quas Angelus Politianus Luciano adscribit, (ad quod credendum, nisi alicuius veterum authoritate firmetur, minime adduci possum) virum eum ostendunt insigni eruditione prudentiaq; præditum: ipsum tamen crudelem, tyrannum, immanemque lib. Officiorum. 3. & omnium crudelissimum. 6. in Verrem Cic. appellat. Plerique etiam grauissimi authores

thores illum mentis efferatę, agreſtiſque naturæ, fuiſſe ſcribũt: vt voluptati ei ſemper fuerit flagellis homines cædere, cruciatorum exaudire gemitus, cædeſque & carnificinas ſpectare, & ad ſe aduentantes hoſpites ſupplicio afficere atque torquere, vt Plutarchus in Parallelis refert. Quinimo & lactentes infantes illum frequenter coctos comediſſe, libro primo referente Athenæo, Clearchus eſt author. At quod de ipſo maxime vulgatum eſt, quodque iuſtæ ſæuitiæ laudabile fuit exemplum, non eſt a me hoc loco prætereundum. Perillus, ſiue Perilaus, vt alii profe-
runt, faber ærarius Agrigentinus, aut Athenienſis, vt alii ſcribunt, Phalaridis ſęuitię gratificaturus, nouum quoddam ſupplicii genus excogitauit. Bouem ęreum naturali ſtatura maiorem apud Ecnomum arcem, cui ab eius ſæuitia nomen prouenit, vt lib. 19. Diodorus refert, aſpectu pulcherrimum, atque accuratiſsime ad veri bouis imaginem, & cui ſolum motus & mugitus, vt viuus putaretur, deerant, expreſsit. Hunc præterea bouem author ad vsum ſupplicii huiuſcemodi miro ingenio elaborauit, vt rei ſuppoſito igne boui incluſi cremarentur. Interficiendus nãque aperto machinæ dorſo in eam coniiciebatur. Quo clauſo, ac igne ſubiecto, intruſus homo vehementer plorabat, vociferabatque inuſitatis detentus doloribus. Ac demum mugitus veluti bos pro eiulatu humano ciebat triſtiſsimos. Hoc igitur nouum & inauditum ſupplicii genus Phalaridi Perillus obtulit, munus ab eo ſperans regium. Phalaris viſo boue, & aliquandiu conſiderato, artificis ingenium maxime extulit. Poſtea cenſens, nunquam niſi a ſæua carnificiq; mente ita horrẽdam machinam excogitari potuiſſe, authorem ipſum ante alios ad periculum artis ſuæ faciendum merito condemnauit, bouique incluſum ſubmiſſo ſtatim igne comburi iuſſit. Scribit in Phalaride Lucianus, hunc bouem Delphos miſſum, vt in Apollinis templo, cui eum dicauerat, reponeretur: Delphoſque munus repudiaſſe. Diu deinde Phalaris in vexandis hominibus eo inſtrumento vſus legitur. ac a Carthaginenſibus expugnato poſtmodum Agrigento, Carthaginem bos in ſignũ victoriæ abductus, ac demum deleta Carthagine a P. Scipione Africano iuniori Agrigentinis reſtitutus eſt, vt. 6. in Verrem refert Cicero. Multa Phalaris & fecit & dixit ingenioſe. Nam teſte Ammiano incendiarium inuenit, quod ab eo nomẽ accipiens Phalarica dicitur. Hæc ad modum haſtæ valido ferro trium pedum longitudinis præfigitur: inter cuius tumbã & haſtile, ſulphur, reſina, bitumen, ſtuppa, cõuoluuntur oleo infuſo: & ſubinde baliſtæ impetu directa, prærupto munimine ardens, ligno figitur, turritamque machinam incendit. Cum quædam aliquando Siciliæ loca natura munitiſſima fruſtra oppugnaret, ſimulato cum eis fœdere, frumenta, quæ reſidua ſe habere dicebat, apud eas vrbes depoſuit. Verum ſubinde operam dedit, vt ædium culmina, in quibus ea frumenta conferebantur, reſcinderentur. Quibus diſciſſis, pluuiæ in horreis receptæ frumenta omnia putrefecerũt. Huius rei oppidani ignari, fiducia commeatus in horreis a Phalaride cõgeſti, prio tritico prodige ſunt abuſi. Quod ille reſciens primo æſtatis initio bello eos inuaſos rei frumentariæ inopia ad deditionem tandem compulit, vt lib. Stratagematum. 3. c. 4. Iul. Frontinus eſt author. Dum Agrigentum ac pleraſque Siciliæ ciuitates tyrannide affligeret, multi eum ad deponendum imperium hortati ſunt. Quorum vni Demoteli philoſopho reſpondiſſe fertur: tyrannidem humanæ vitæ comparari. Sicut enim homo ſi priuſquam naſceretur, quæ mala eſſet in vita perpeſſurus, præſcire poſſet, naſci nunquam vellet: poſtquam vero iam natus, vitamq; ipſam, licet ærumnis circũdatam, expertus eſt, inuitus ab ea diſcedit: ſic tyrannus, ſi eius ſtatus calamitates prænoſceret, priuatam proculdubio vitam anteferret: ſed tyrannidem aggreſſus, fruſtra ad eam deponendam ſolicitatur. Pythagoræ etiam Samio, & Epicharmo Megarenſi Siculo, identidem ad eam rem hortantibus reſpondit: Aggredi tyrannidem appetentis eſſe: deponere, minime: comparans eã actionem ſagittario, qui ſimulatque ſagittam emiſerit, non habet eam amplius reuocandi poteſtatẽ. Denique Zeno Eleates philoſophus Agrigentum venit, ſuaſurus eidem, tyrannidem vti deponeret, vt. 2. de Officiis Cicero, & lib. 3. c. de patientia Valerius commemorant. Sed cum fruſtra pluribus diebus apud eum fuiſſet, Agrigentinos tandem quoſdam nobilitate inſignes ad eum cædendum pertraxit.

Porro

Porro coniuratione patefacta, cum captus a Phalaride Zeno, ſpectante populo in foro ad prodendos coniurationis ſocios cruciaretur, neque illorum quempiã nominans, domeſticos tantum eius in ſuſpicionem adduceret, ex eculeo tandem omnes ciues ignauiæ ac timiditatis tanta iracundia miniſque arguere cœpit, vt repente ea voce concitati Agrigentini, duce Telemacho Agrigentino, ſed Thebanorum ſanguine prognato, facto impetu lapidibus Tyrannum obruerint, vt Cic. & Valerius, quos ſequimur, tradunt. Exercuit itaque tyrãnidem Phalaris (iuxta Euſebii ſupputationem) annos triginta vnum, vt alii vero colligunt, ſexdecim. Eo porro de medio ſublato, mutataque totius vrbis fortuna, Agrigentini ſanciuerũt, ne cui cærulei coloris veſtimentum geſtare ſub mulcta liceret: quod Tyranni ſatellites corporiſque cuſtodes eo colore ad ſubligacula vſi fuiſſent: ne vel geſtamen, quod oculos offenderet, ex tyrannide videretur vſquam ſupereſſe, vt in ſua Politica refert Plutarchus. Atque inde Agrigentini libertatem adepti, per plures annos, centum ferme & quinquaginta, fortiter tutati ſunt. Cæterum anno mundi. 470. quo tempore Siciliæ vrbes in tyrãnidem ceſſiſſe author eſt Euſebius, Thero Æneſidemi filius Agrigentum occupato imperio refregit, vt lib. 7. Herodotus, & 11. Diodorus produnt. Cuius ſtirpem Pindarus, qui ei duas Olympicas odas dicauit, ad Cadmum vſque Thebarum conditorem, atque OEdipodem refert. Ex Cadmo ſic. Cadmi filius (teſte Menecrate) Polydorus fuit: Polydori Hæmon, qui contribulem ſuum occidens Athenas profugit, & inde Rhodum, ac demum Agrigentũ incoluit. Ab Hæmone vſque ad Theroniș matrem generationes viginti ſeptẽ numerantur. Ex OEdipode vero ſic. OEdipus Laii Thebanorum Regis filius fuit: qui Laium patrem ex inopinato occidit. OEdipodis filii fuerunt Eteocles & Polynices: Polynicis, Therſander. Sed Eteocle & Polynice a ſe mutuo occiſis, Therſandri ſuperſtitis filius fuit Tiſamenus, cuius Auteſion, cuius Theras, cuius Samus. huius Telemachus & Clytius. Quorum Clytius in Thera inſula permanſit: ſed Telemachus inde collecta multitudine Siciliam venit, & agros plures in Agrigento obtinens, ex proceribus factus eſt vnus: qui tandẽ (vt prẽmeminimus) Phalarim Zenone ſuadẽte occidit. Ex Telemacho natus eſt Chalciopeus: cuius Emmenides, cui Æneſidemus. Huius, Theron & Xenocrates: Theronis filius Thraſydæus: Xenocratis vero, Thraſybulus. Theron igitur Æneſidemi filius, regio genere Thebanorum, ſed Agrigento vrbe exortus, tyrannide patriam occupauit. Qui tamen ſumma modeſtia, iuſtitia, clementiaque, Reipub. adminiſtratione per ſexdecim functus annos, nõ mediocrem gloriam, dum vixit, diuinaſque poſt vitam laudes promeruit, vt Diodorus in. 11. & nos in poſteriori Decade latius commemorabimus. Therone defuncto, Thraſydæus eius filius, quaſi hæreditatis iure Agrigentinorum dominationem inuaſit. Hic cum ſuperſtite adhuc patre, iniuſti iam inde ac ſicarii nomine eſſet infamis, multo crudelius illud in opprimenda vrbe aſſumptis faſcib. eſt proſecutus: Syracuſanoque poſt prælio ſuperatus, eiectuſque Agrigento, & a ſuis & ab Hierone apud Megarenſes, ad quos profugerat, capitis reus, non indignũ vitæ finem obtinuit. Agrigentini vero impetrata a Syracuſanis pace, quam ante non ipſi, ſed Tyrannus offenderat, ciuiũ decreto deinceps Remp. rexerunt. Sed neque hæc quies illis diuturna fuit. Anno nanque ante ſalutem. 581. mundi vero. 4779. (vt Euſebius ſupputat) Athenienſium (duce Alcibiade) repentino inſultu, & libertatem & vrbem amiſerunt. Poſt Atticum quoque bellum vrbs a Carthaginenſibus expugnata depopulataque adeo fuit, vt vix vrbis faciem præſeferret, & deſerta exinde fuerit remanſura, niſi Timoleon magnam colonorum multitudinem ducibus Megello & Pheriſto ex Helice Achaiæ vrbe, quam mare poſtea abſorpſit, eo adducens, ciuibus etiam priſcis, qui diſperſi erant, ad penates ſuos reuocatis, ciuitatem (vt eſt apud Plutarchum) deintegro reſtauraſſet. Ac multo deinde inhumanius rurſus a Carthaginenſibus cum maiori Siciliæ parte ante primum bellum Punicum capta, ac eo flagrante pro quadam arce belli contra Romanos poſſeſſa, a Romanis. L. Poſthumio & P. Æmilio Coſſ. per vim occupata, profligatiſque Carthaginenſibus direpta, ac ſeruorum maxima inde multitudine, opibuſq; variis abductis, cũ ſumma calamitate Romano ſubiecta eſt imperio. Sed rurſum poſtea

poſtea a Gallis Carthaginenſium ſtipendiariis vaſtata (vt libro. 1. Polybius refert) inconſtantem, atque eam ſemper acerbam fortunam tolerauit. Quam ſubinde ſecundi belli Punici tempore poſt captas a M. Marcello Syracuſas, Leuinus Ro. Conſul pulſis Carthaginenſibus receptam, militibus in prædam expoſuit. Vbi & defectionis authores virgis cæſos ſecuri percuſſit, vt Liuius 3. Decad. lib. 6. commemorat. Atque ita iterato poſt tot clades Romanis ſubiecta, cum habitatorib. pene vacua inueniretur, a Tito Manlio Siciliæ Prætore per Senatus conſultum ex pluribus Siciliæ oppidis colonia collecta, veteribuſque ciuibus domum redire cõpulſis, populo repleta eſt. Quocirca cum duo eſſent in vrbe Agrigentinorum genera, alterum ciuium, colonorum alterum: Scipio veritus ne colonorum multitudine ciues victi aliquando pellerentur, lege cauit ne plures eſſent coloni quam veteres, vt. 4. in Verrem Cic. ſcribit. At vero a quo poſtremo vrbs tanta fuerit deleta, quibuſue authoribus in collem veteri vrbi imminentẽ, vbi nunc eſt, tranſmigrauerit, incertum eſt. Id ſolum hodie conſtat, quod vetus vrbs, quæ vulgo adhuc Ciuitas dicitur, prorſus iacet, nulla ædificiorum antiquorum (vt dixi) maieſtate integra: ſed eorum quædam ſemidiruta, cætera omnia iacentia, herbis, rubis, virgultiſque obſita, ac alluuionibus ſimul & aratro ſepulta, paſſim intra & extra mœnia, quorum pars adhuc extat, conſpiciuntur: quæ tamen eiuſmodi ſunt, vt facilẽ præbeant eius potentię admirationem. Lapides etiam tantę apparent molis, vt qui obeliſcos ignoret Ægypto aduectos, non facile ſibi perſuadeat ingentes eas moles potuiſſe hominum viribus eo cõportari, ſiue in altum poſtea attolli. Sæpe ipſe adii loca illa ampliſſima: ſępe tanto ſpectaculo intentus pene obſtupui, non modo ob tantæ amplitudinis magnificentiæque miraculum, ſed ob tam efficacem temporis edacitatem, fortunæq; inuidiam, quæ omnia tam mirifice comminuerunt. Nec fieri potuit vt poſtquam ſingula oculis animoque luſtraui, mœniaque olim magnifice ſtructa, & ſplendidiſſime exornata, nunc vero longe lateque diſperſa, ac templorum præſertim deploranda, & ea monſtruoſa cadauera, aliorumque ingentes priſcorum operum ruinas mirabũdus reuiſi, abſque repetitis geminatiſque ſuſpiriis inde vnquam diſcederem. Venit enim mihi tum non temere in mentem tantorum heroum, primatum, virorumq; illuſtrium, quorum commemoratione non vrbem vnam, ſed totum terrarum orbem dicas reſplenduiſſe, prudentia, humanitas, eruditio, militia, ſplendor.

Enimuero in ea & natus eſt & floruit Empedocles ex Metone, (vt Hippobotus) ſiue Archinomo (vt Telauges Pythagoræ diſcipulus ſcribit) patre, clariſſimus philoſophus, Parmenidis primũ vna cum Zenone Eleate diſcipulus. A quo poſtea diſcedens Anaxagoram & Pythagoram audiuit. quorum alterius conſtantiam vitæ, grauitatem, habitumque: alterius de natura rationes ſectatus eſt, vt ſcribit Alcidamas, referente Laertio. Quod mihi ſatis veriſimile videtur: cũ magna ex parte in iis quę de rerum principiis docuit, cum Anaxagora ſenſerit. Vterq; enim chaos, in quo omnia mixta confuſaque fuerant, initio fuiſſe eſt opinatus: licet alter infinita, finita alter rerum principia conſtituerit: quemadmodum in opere de Phyſicis auſcultationibus tradit Ariſtoteles. Qui & in ſuo Sophiſta (quod opus apud Latinos non extat) ſcribit eundem Empedoclem fuiſſe primum artis oratoriæ inuentorem, ſicuti Dialecticæ Zenonem. Cui & in Vitis aſtipulatur Satyrus, qui & medicum illum fuiſſe, & oratorem optimum: Gorgiamque Leontinum, qui oratoriam artem primus literis illuſtrauit, ipſius diſcipulum extitiſſe, eique perſæpe cum magiam exerceret, affuiſſe refert. Fuit Homeri in primis ſtudioſus. Vnde Ariſtoteles in lib. quem de Poetis inſcripſit, Homericum eum appellat, & in dicendo ſummo acumine, in ſcriptis quoque ſuis, translationibus cæteriſque figuris poeticis vſum aſſerit. Multa opera compoſuit. quorum tria & quadraginta ſe perlegiſſe fatetur Hieronymus philoſophus, vt teſtatur Laertius. Scripſit verſu heroico de philoſophia naturali opus inſigne. cuius fragmentum in bibliotheca Medica Florentiæ hodie viſitur. Quod opus Ariſtotelem vidiſſe liquido conſtat, tum quod eiuſdẽ eſt farinæ cum eius philoſophia, quam habemus, tum quod multis in locis eius ipſe verſus citat. Vnde & in ſua Poetica eum ita Homero comparat, vt illis ſolum com-

munem versum tribuat. Idcirco Homerus poeta, Empedocles vero philosophus naturalis est appellatus. Timæus vero & illis & aliis multis eum modis virũ admirationi habitum fuisse prædicat. Nõ solum enim nuntiabat futuras tempestates, sed excogitabat quoque remedia, quibus fieret ne ab illis fruges corrumperentur. Vnde & ab Agrigentinis Colysanemas, hoc est ventorum inhibitor, est nuncupatus. quod cum Agrigentum vrbs, & eius ager aliquando vento infestaretur vehemẽtiori, periculum ille omne, expãsis circa vrbẽ colles que in vtrium instar, asinorum pellibus, auerterit, vt. 18. li. Timæus, referente Laertio, memoriæ prodidit. Pestilentiam quoque multis in locis ignium suffitu ab eo sedatam lib. 37. cap. 27. author est Plinius. Retulit & Heraclitus, ipsius arte corpus humanum exanime, triginta dies fuisse integrum incorruptumque seruatum. Fuit & vates futuri præscius, vt patuisse Heraclitus apud Laertium dicit versibus ab eo compositis, quib. Agrigentinos incolas saluere iussit: a quibus & Deum se credi, & diuinos sibi honores deferri voluit. Cęterum Aristoteles ipsum fuisse in primis liberum, atque ab omni ambitu alienissimum affirmat, quod regnum Agrigenti vltro a ciuibus sibi delatum forti constantiq; animo renuerit, simplicitatem vitæ Regum deliciis præferens. quod & Xanthus quoque scriptum reliquit. Agrigenti etiam triennalem magistratum constituit, qui mille hominum cœtus erat. Ad quem non ii solũ qui diuitiis aut natalium splendore excellerent, sed mediocris quoque fortunæ viri, atque e populi numero honestissimus quisque admittebatur. Quem Timæus, referente Laertio, non approbat. Cum aliquando in Olympia equestri certamine victor fuisset, atque ex præscripto animatis abstineret, ex myrrha, thure, & aromatibus aliis bouem confecit: quem distribuit ad panagyrin conuenientibus, vt ex Pythagoræ instituto propagatum legimus. Pertinacissime vero simultates ac inimicitias & suscipiebat & exercebat, vt Suidas & ex veteribus plures scribũt. Cum Deorum numerum exquisiturus esset, veste purpurea vtebatur, vt lib. 12. Ælianus refert. sertum quoque aureũ in capite, area in pedibus sandalia, ac laureos ramos in manibus ferebat. Claruit ætate fere qua Xerxes ab Athenienſibus naturali prælio, Themistocle duce, Salamina fugatus est: quaque Fabii ad Cremeram occubuere, &. M. Coriolanus Romam debellaturus ex Volscis aduenit, vt lib. 17. cap. vltimo Gellius scribit. Tradit denique Laertius, Empedocle totam Siciliã decorari: eumque tum bello tum ingenio toto terrarum orbe sua ætate non habuisse parem. De obitu vero eius varia feruntur. Heraclides siquidẽ tradit, quod, cum sacrificio ad Pisianactis agrum vna cum aliis interesset, peractis ritibus plerique diuersis agri locis sparsim sub arboribus fusi vmbram quæsierunt: solus autem ipse cum in loco vbi ad rem diuinam conficiendam accubuerat, remansisset, mane facto, a cæteris surgentibus quæsitus nõ comparuit. Cuius deinde sociis quid illi factum esset ignorantibus, vnus e seruis retulit, media nocte se vocem magnam audiuisse quæ Empedoclem euocabat: cumque surrexisset, nihil se præter lucem ac tædarum splendorem vidisse. Plerique vero, quos Phauorinus sequitur, asserũt eum Messanam venientem casu crus perfregisse, ac tandem apud Megaram dolore inualescente peremptum, ibique sepulturæ traditum, cum annos vixisset septuaginta septem: tametsi aliqui centum & nouem vitæ eius fuisse annos scripserint. Sunt & qui euulgauerunt Agrigentinis ipsum infensum Sicilia decessisse, nauigasseque in Peloponnesum, atque ibidẽ obiisse. Quibus adstipulatur & Neãthes Cyzicenus apud Laertium, qui eum Methone vita defunctum scripsit: quo ob pullulantis quædam domi tyrannidis exordia profugerat. Quidam vero narrant quod, postquam Panthiam mulierem Agrigentinam genere nobilem a medicis desperatam curasset, immortalis ab Agrigentinis & cæteris Siculis prope sit habitus: eoque, vt suæ immortalitatis fidem constantiorem faceret, in mõtis Ætnæ crateres viuum se coniecerit. cuius deinde proiecta ab Ætnæ eructatione sandalia iuxta voraginem inter cineres sint reperta, vt Suidas refert. Quos secutus Lactantius lib. Diuinarum Institut. 3. & causam & modum quo se in incendium deiecerit, explicat. Quorum assertioni his versibus accedit Horatius: Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam Insiluit. Hoc quoq; non

longe

longe inferior & alter Empedocles superioris auus, non solum rei militaris peritia insignis, (cuius specimen Olympiade. 71. victor non aspernandum edidit: quare & belligerorum equorum alumnum eum vocat Laertius) sed & philosophiæ etiã cognitione clarissimus, quatuor & viginti tragœdiis editis mortuus est.

CREON philosophus & medicus Agrigentinus etiam fuit, ab Empedocle satis cõmendatus. Ab hoc Plin. lib. 29. cap. 1. medicorum factionem, a qua se Empiricos nominant, cœpisse refert. Enimuero tria fuerũt medicæ professionis apud veteres, & hodie quoque sunt genera: Empirice, quæ nullis rationibus, sed solis experimentis constat: Iatraliptice, quæ vnguentis & frictionibus curat: Pharmaceutice, quæ medicamentis medetur.

ACRON, Zenonis filius, & domi nobilis, Agrigẽtinus fuit, vt testatur Suidas, philosophus & medicus præstantissimus, antiquior Hippocrate: publice cum Empedocle Athenis legit, & pleraque Dorica lingua in medicina & philosophia scripsit volumina.

POLVS, orator celeberrimus, Gorgiæ Leontini discipulus, Agrigenti nascitur. Hic postquam Græcorum Barbarorumque genealogiam, & quot viri illustres ad Troiæ excidium sunt profecti, posteritati in scriptis reliquisset, e vita decessit. De eo Lucianus in Herodoto scribit, quod callide, vbicunque ludos publicos fieri sciebat, ibi semper orationes habere consueuerit. Vnde breui notitiam & laudem apud cæteros adeptus est. Fuit hic quoque philosophus eminentissimus: cuius meminit Aristo. in procœmio Metaphysicæ.

DINOLOCHVS Epicharmi comici discipulus Agrigentinus fuit, poeta summus, qui comœdias quatuordecim Dorice scripsit.

ARCHINVS Agrigentinus, tragicus poeta, sexaginta tragœdias cõposuit, quibus perpetuum apud mortales nomen consecutus est.

SOPHOCLES, vir clarissimus atque disertissimus, qui Romanorũ tempore claruit, vt in Verrem scribit Cic. Agrigenti quoque nascitur.

XENOCRATES item, Theronis germanus, cui Pindarus duas dicauit odas, Agrigentinus fuit. Hic Pythiade. 24. curru aurigandique arte victor euasit.

Atque hæc quidem de vetere Agrigento. Noua autem vrbs in colle sita est: quæ antiquæ vix ad p. mille incubat. & licet longe illa sit inferior magnitudine & claritate, ornatur tamen Episcopatus titulo, qui sub diœcesi sua. 25. maxima continet oppida, quibus a Rogerio Normanno Siciliæ Comite fuit insignita, vt eius diplomate cõstat huiusmodi: Ego Rogerius, Calabriæ & Siciliæ Comes, diuino munitus præsidio, gladio supernæ gratiæ cinctus, galea & scuto bonæ & laudandæ intentionis adornatus, Siciliam petii contra nefandam Sarracenorum feritatem pugnaturus. Quos septiformi Dei gratia, ac cooperante, imo omnia efficiente diuina misericordia, expugnaui: illorumque superbiam ac instantem eorum contra fidem nostram audaciam minoraui, & (vt verius loquar) penitus ad nihilum redegi. Quis etenim visa castellorum & ciuitatum eorum vasta & ampla ruina, ac palatiorum suorum studio mirabili compositorum ingenti destructione Sarracenorũ, quorum vsibus superfluis hæc deseruiebant, non consideret magnas deiectiones per me factas, immensasque eorum clades? Horum igitur potentia ac contra Christianos insania prorsus annihilata, & tota Sicilia mihi & meis obedientiam præstãte, ego Rogerius prædictus Comes, anno salut. 1093. Vrbano apostolicæ sedi præsidente, Rogerio Duce Calabriæ & Appuliæ, in conquæstu Siciliæ simul ecclesias episcopales ordinaui. Quarum vna est Agrigenti ecclesia, cuius Episcopus vocatur Gerlandus. Cui in Parochia assigno quicquid intra fines subscriptos continetur. videlicet a loco vbi oritur flumen subtus Corilionem vsque super petram de Zineth, & inde tenditur per diuisiones Iatinæ & Cephalæ, & inde ad diuisionem Bichari, inde vero vsque ad flumen Salsum, quæ est diuisio Panormi & Thermæ, & ab ore huius fluuii vbi cadit in mare. Et protenditur hæc Parochia iuxta mare vsq; ad flumen tortum. & ab hoc, & abinde vnde oritur, tenditur ad Pyra subtus Petrã Heliæ: atque inde ad alium montem, qui est supra Pyra. inde autem vsq; ad flumen salsum, vbi iungitur cum flumine Petræ Heliæ. & ex hoc flumine sicut descendit

ad Imprandum, qui locus diuidit Agrigentum & Butheram. atque inde per maritimam vsque ad flumen de Bilichi, quod est diuisio Mazariæ vsque ad subtus Corilionem, vbi incipit diuisio. Horum vero omnium si aliquis aliquid prædictæ ecclesiæ & Episcopo suo abstulerit, vel iniustè detinuerit, qualiscunque persona fuerit, anathemate damnetur. In proprio autem tam tui quam successorum tuorũ iure, casale Cacta cum centum villanis in perpetuum trado atque concedo. In quo frumento concedo tibi singulis septimanis. Præterea quæcunque in posterum liberalitate Principum, vel oblatione fidelium eadem Ecclesia Agrigenti iuste ac canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant. Hæc Rogerius. Quę omnia Vrbanus Papa dicto Episcopo Gerlando confirmauit, vt eius priuilegio dato Bari anno salut. 1099. 6. id. Octobris patet. Nobilitatur igitur hodie Agrigentum æde Cathedrali quadrato lapide structa, ac sepulchro D. Gerlandi primi post exactos Sarracenos Agrigentinorum Episcopi, miraculis conspicui.

AD verticem iuxta templum maximum ædes habet hæc vrbs magnifice olim a Manfredo, Ioãne, & Friderico Claromontanis conditas, hodie dirutas. quarum ruinæ specimen habent cuiuscunque priscæ habitationis. Plura sunt in ea vrbe publica, sed magnifice ab eisdem excitata opera, vtpote templum maximũ: cœnobia, D. Dominici, D. Francisci, Carmelitarũ: monasteriũ Monialiũ. D. Benedicti: xenodochium, vrbis, qua mare spectat, mœnia, & pons. Quorum posteri quia a Martino Siciliæ Rege desciuerunt, perduellionis sententia capitis sunt multati. De quibus latius in historiis. Ioanna Pancica Agrigentina mulier, ętate mea Bernardo Belluardo Agrigentino nupta, tantæ fuit fœcunditatis, vt tricies circiter enixa tres supra septuaginta ediderit liberos. Quod pręter fidem nulli videri debet. Siquidem. 7. de natura animalium. cap. 4. scribit Aristoteles, mulierem quandam quatuor partub. viginti edidisse liberos. Singulo enim partu quinque emisit. Magnus quoque Albertus mulierem quãdam in Germania, configuratis conformatisque in vtero duorum & viginti infantium corpusculis, aborsum feciſſe: aliã vetiro etiam septuaginta. sed & aliam eieciſſe in peluim corpuscula auricularis digiti magnitudine centum & quinquaginta refert. Et (vt amplius increscat admiratio) Margaritam Henneburgensem Comitissam, anno salut. 1276. ætatis vero suæ. 42. in die Parasceues, nona hora, ante meridiem, infantes viuos promiscui sexus trecẽtos sexaginta quatuor peperisse, fama per ciues ducta, publicis inscriptionibus, & ipsorum cadauerum numero, quæ adhuc in eadem visuntur vrbe, constantissimum est. Quorum masculis Ioannis, fœminis vero Elisabeth Guido Episcopus suffraganeus Traiectensis, qui baptismo eos initiauit, nomen imposuit. Hi porro statim vna cum matre decedentes in maximo templo, atque in eadem vrna tumulati, epitaphium habent in tantæ rei indicium. Et (vt nostra etiam demum adiiciamus) anno salut. 1430. Messanæ mulier quædam annos. 24. nata, nouem infantulos vno simul partu edidit. Quæ posteaquam peperit, vna cum filiis extincta est. Et licet sint quibus septem in vtero cellulæ placeant, & propterea totidem duntaxat fœtus concipi posse, ex Galeni quoque de spermate libro tradiderint, (vnde & iureconsultos lapsos errore censendum est) ea tamen omnia & temere prodita, & opus illud Galeni non esse eruditis perspicuum est. Sed iam de iis quæ intra mœnia sunt, satis. Lacus est in agro Agrigentino, in quo oleum supernatat. De quo lib. lib. 35. cap. 15. in hæc verba scripsit Plinius: In lacu Agrigentino bitumen liquidũ, pingue, liquorisque oleacei inficiens riuum gignitur. Id arundinum foliis incolæ colligunt citissime sic adhærescens: vtunturque eo ad lucernarum lumina olei vice, itemque ad scabiem iumentorum. hæc Plinius. In lacu Agrigentino (inquit Solinus) oleum supernatat. Hoc pingue hæret arundinum comis de assiduo volutabro: e quarum capillamentis legitur vnguentum medicum contra armentarios morbos. Fons iste ætate mea in supradictis Angeli Strazanti hortis extat. In quo oleum, quod genus est bituminis, supernatat: quo collecto ad diuersa morborũ genera curanda Agrigentini hodie vtuntur. At quoniam influebat olim hic fons cum cæteris vicinis piscinam cuius meminimus, Plinius & Solinus lacum ipsum appellarunt.

larunt. Fons alius est perennis in eisdem hortis, dulcis & potabilis, ex specu exundans. cuius aqua tẽporis decursu subalbi instar marmoris lapide fit. Vidimus nos anno salut. 1528. mense Aprili, lapidem ex aqua ibi genitum, tegulæ, quæ diu aquis in fonte subiacuerat, ita hærentem, vt vnum esset, sed distinctum, artis & naturæ opus. Quod profecto nobilioris ingenii viris spectaculo fuit. Et non minus nobis admirationi fuit vas lapideum, quod multo tempore in eius fontis imo steterat, crusta marmoris ex aqua prognati circunte ctum. Lacus alios esse Agrigenti lib. 6. scribit Strabo, gustum quidem maris habentes, naturam vero discrepantem. Nam grauia, quę natabilia nullo pacto sunt, lignorum instar superne fluitant, & nequaquam demerguntur. Quod ex crassiori aquarum natura euenire censet Aristoteles. Sed vbi nam sint hodie hi lacus, incompertum habeo. Ager abest ab Agrigẽto ad aquilonem quatuor passuum milibus, cui Mayharuca Sarracenice hodie est nomen, culturæ minime idoneus. Eius etenim facies, quæ vix quingentos ambitu passus habet, tota prope cinerulenta est. Hic enim limosas scaturigines, vtpote aquam cineri permixtam, ex pluribus faucibus perpetua euomit reiectatione, solo nunquam deficiente, vt Solinus etiam prodidit. Id autem admiratione dignissimũ est, quod Solinum latuit, & nos vsu euenire dicimus. Singulis fere lustris locus iste furit, & cœli tempestate suborta, præmissoque fragore maximo, ac denso nimbo, tanta huiuscemodi luti cinerumque moles exinde effluit, vt telluris solũ ad sex ferme cubitorum altitudinem excrescat. Orificio si lineam etiam magni ponderis infigas (quod non nisi magna vi ob oris angustiam fieri potest) a vento subterraneo excussa extra statim prosilit. Ager alius est Agrigenti p. m. 8. ab vrbe ad aquilonẽ etiam recedens, Aborangius appellatus: in quo salis est minera, naturam a cæteris discrepantem habens. Si enim igni iungitur, calore soluitur: si aquæ, durescit crepitatque. cuius Plin. lib. 31. cap. 7. & Solinus meminerunt, & nos fidem probauim⁹. Metalla quoque salinarum Agrigenti esse authores tradunt: quæ ministerio cautium lapidumque funguntur. nam illinc sculptores ad signa hominum Diuorumue facienda excudere solent. Non longe ab hoc agro inter Agrigentum & Bibonam noui nominis oppidum, lacus est sulphureus Bissana vulgo dictus, centum ferme passus habens in ambitu, immẽsus. In quo crateres sunt duo, vicissim ad triũ cubitorum altitudinem aquas perpetuo emittentes. Sed hactenus quidem de Agrigento. nũc descriptionem sequamur. Ad oram reuertenti, traiecto Acragę fl. ostio, ad p. m. fere. 3. Agrigentinũ frumenti recens emporiũ occurrit. & deinceps. p. m. 9. arx est specula a Monte rubro nomen habens. post quam ad m. passus Siculiana, noui nominis tenue frumenti emporium, sequitur. Et intus passus mille a littore recedens eiusdem nominis est oppidulum, anno salut. 1350. a Friderico Claromontano conditum: cuius insignia ad arcis apicem adhuc cernuntur. Post Siculianam emporium, flu. Cannarum ostium sequitur, ex propinquis montibus oriundi. In ora littorali, quæ deinceps vsque ad Heracleam extenditur, scopuli sunt frequentes, ac rupes ingentes cõtinuatæ, classis Romanæ naufragio insignes. Flagrante nanque primo bello Punico, octoginta supra ducentas Romanorũ naues in iis littoribus illisæ naufragium horrendum fecerunt, vt lib. 1. testatur Polybius, & nos exactius in historiis.

DE MINOA ET HERACLEA vrbibus,

CAPVT II.

His rupibus Caput album subsequitur. vbi vrbs vetusta, Minoa prius, & subinde Heraclea dicta, vt author est Liuius, interiit anno mundi. 4000. (vt supputat Eusebius) a Cretensibus post mortem Minois eorũ Regis condita, vt lib. 5. his verbis refert Diodorus: Cretensibus, qui defuncto in Sicilia Minoe absque imperio remanserant, inuicem dissidentibus, quidam, qui Sicanis assueuerant, contempta patria in Sicilia mansere.

Horum pars ciuitatem condidit, quam ab eorum Rege Minoam dixerunt. Et li. 6. Dion (inquit) Zacyntho duabus nauibus acceptis cum discessisset, præternauigãs Agrigentinos, Minoam vrbem tenuit. Ea vrbs superioribus annis a Cretensium rege Minoe fuerat extructa, quo tẽpore persecutus Dędalum, vsus est Cocali Sicanię Regis hospitio. hucusque Diodorus. Quibus verbis non solum eam a Cretensibus conditam: sed post Agrigentum etiam ad occidentem sitam fuisse Diodorus tradit. Dion etenim cum e Zacyntho Græciæ insula (Zantes vulgo hodie dicta) quę ab oriente Siciliam respicit, nauibus soluisset, non aliter præternauigans Agrigentum Minoam tenuisset, nisi Minoa Agrigentum ad occidentem sequeretur. Et Plutarchus in Dione in hanc sententiam habet: Dion superuacuis armis & sarcinis in Minoa relictis, vt ea Synalus, qui perfectus erat vrbis, ad se vbi tẽpus esset, trãsmitteret, Syracusas versus recto itinere proficiscitur. Agrigentum igitur prætergreditur: atque ducenti Arigentinorum equites, qui Ecnomum incolebant, ad Dionẽ sese conferunt. Et post eos Geloi, ac deinde illi commeanti Camarinæi quoq; sese socios adiungunt. hæc Plutarchus. Ex quo Dionis e Minoa ad Syracusas itinerario eam post Agrigentum ad occidentẽ stetisse constantissimũ est. Quod vero Minoa Heraclea postea fuerit appellata, de .2. bello Punico lib. 4. Liuius scribit. cuius hæc sunt verba: Per idem fere tempus & Himilco, qui ad Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quã vocant Minoam, quinque & viginti milia peditum, tria equitum, & duodecim elephantos exposuit. hæc Liuius. At quod Heraclea inter Agrigentum, & Thermas coloniam, quæ nunc Sacca est, sita fuerit, consentiunt cosmographi fere omnes, Strabo, Ptolemæus, & P. Mela. Et Strabo quidem in hunc modum: Hinc (hoc est a Lilybæo) cum ad contiguum latus deflexeris, ad Heracleam quidem sunt sexaginta quinque p. m. ad Agrigentum vero inde emporium viginti. Ptolemæus autem post Agrigentum occidentem versus Heracleam ponit in tabulis. & sunt hæc eius verba: Lilybæum, Mazaræ, Selinuntis, Pintia, Heraclea, Agrigentinum emporium. P. quoque Mela in hunc modũ habet: Inter Pachynum & Lilybæum Agragas est, & Heraclea, & Thermæ. Ex historicis vero Diodorus lib. 20. sic habet: Agathocles parta victoria Agrigentinorũ agris mouens Selinuntem petit. Sed inter eundum Heracleenses a Xenodocho libertate antea donatos rursus sibi subiecit. hæc Diodorus. Longe igitur Terranouẽses cum Regibus, qui in eorum errorem publicorum diplomatum testimoniis cõsentiunt, aberrant, dum Terranouam oppidum Heracleam fuisse sibi blandiũtur. Heraclea non eadem cũ Minoa, neque eodem tempore condita est, neque simul cum ea floruit: sed deletæ ab incertis nobis authoribus Minoæ ruinis, a Dorieo Lacedæmone Heraclidarum vno superstructa est, vt Herodotus lib. 8. & Pausanias li. 3. testantur. Cum enim Hercules occiso Eryce, ea seruitutis lege regionem illam obstrinxisset, vt suis in posterum, qui in Siciliam aliquando deferrentur, pareret: anno mundi (vt in supputationibus testatur Eusebius) 4780. Dorieus Anaxandridæ filius, genere Heraclidarum satus, cum suorum colonia in Siciliam veniens, super Minoæ prostratæ vrbis monumentis ciuitatem condidit. cui a suo genere, suoque Rege Hercule, Heracleæ nomen indidit, vt abunde nos in historiis. Heraclidę (inquit Aristophanes referente Pausania) cum propter paupertatem Athenis & aliis Græciæ partibus habitare commode nõ possent, & nobilissima essent familia, Siciliam venerunt, & Heracleam vrbem condiderunt. hæc Aristophanes. Ea tamen, quod inconstans sub conditore haberet dominium, multasque perpessa sit mutationes, confuso postea nouo cum veteri nomine, promiscue ab authoribus denominata est. quippe quæ, cum non magna a paruis principiis suscepisset incrementa, a Carthaginensibus tum inuidia, tum metu, nequando viribus aucta Phœnicum imperium ob vicinitatem deleret, simul & a Segestanis expugnata, atq; occiso Dorieo euersa sit. At non multo post, cum Selinuntii, qui ad .30. ferme. p. m. vicini erant, suorum eo colonia adducta eam incolerent: Euryleon, qui cum Spartanis quibusdam ex infelici illa cum Phœnicib. Segestanisque pugna supererat, pulsis inde Selinuntiis, eam recepit, vt lib. 5. Herodotus memorat. Vendicauit & eius sibi imperium Dionysius Syracusanorum Tyrannus, vt lib. 12. refert Athenæus.

Aga-

Agathocles subinde cũ ab imperio desciuisset, magna vi eam aggressus, diripuit subiecitque, Diodoro lib. 20. Porro Romanis Siciliæ imperantibus, cum habitatoribus fere ob diu quæ perdurauerant bella, viduata esset: P. Rutilius. Cos. per Senatus consultum decretam illuc deduxit coloniam, legesque illis dedit de cooptando senatu: &, ad seditionem euitandam, statuit quoque ne nouorum colonorum numerus veteres excederet, vt. 4. in Verrem scribit Cicero. Cuius eam ætate extitisse vel ex ea mentione satis compertum est, hodie vero prorsus iacet. Erat autem duorum fere. p. m. ambitus, vt eius prostrata ostendũt mœnia, quorum circumquaque cernuntur fundamenta: sita in rupe pauliſper edita, & vndique, sed ea præsertim parte qua fluctibus pulsatur, celsis rupibus præcisa, & natura munitissima. Porro in ea hodie nihil integrum veteris ędificii visitur: sed tota aratur, laterũque ac fictilium vasorum fragmenta singulis fere annis aratro passim eruta obiicit. Ad vrbis medium subterraneæ specus manu factæ adhuc sunt duæ: quæ vtrũ cisternæ fuerint an sepulchra, incertum habemus. Qua vrbs aquilonem spectat, tumulum habet, ad cuius verticem arx erat, Castellatium hodie dicta, quæ diruta cernitur. Vrbem ipsam, qua occidentem respicit, per centum circiter passus Lycus fluuius Diodoro lib. 16. & Plutarcho in Timoleonte, Platanis hac ætate appellatus, præterlabitur. A mœnibus vrbis ad Lycum vsque aquæ ductus integer adhuc extat, quadrato sed gypseo lapide, quo ea regio plurimum abundat, extructus. Monumenta vrbis reliqua cum forma careant, ignoratur ad quem vsum fuerint confecta. Pro mœnibus complura in viua ipsa rupe excisa adhuc granaria mari imminent: in quibus Heracleenses frumenta etiam in annos seruabant. Fuit etenim olim Heraclea frumenti emporium nobilissimum, vt primo lib. tradit Polybius, cum annonam inde ad Lilybæum primi belli Punici tempore affatim delatam refert. Visuntur præterea infra vrbem in ipsa quoque rupe effossa integra adhuc horrea littori hærentia. Sed & ad ipsum littus in subaquaneis scopulis stationem Heracleenses ferris exciderunt, quo tuto ad frumenta deuehenda, naues littori adhærere possent. Ad vrbis extremum, quod mari supereminet, turris est hodie, specula Capitis albi appellata, tum quod tota ea moles lapidea, cui vrbs superstructa erat, albi est coloris, qui eminus per quinquaginta fere miliaria discernitur, tum quod aliquatenus veluti promontorium in mare procurrit, quod Caput Siculi hodie appellant. Situs vrbis adeo est oculis gratus, & vitæ humanæ accommodatus, vt Siciliæ Reges mirari satis nõ desinam, cur eam tam fœde in interitum prolabi permiserint. Lycus amnis pro mœnib. ostium aperit, mareque ingreditur: priscorum scriptis celebratus ea potissimum causa, quod Syracusanis & Carthaginensibus pro imperii termino a Timoleonte fuerit definitus. A cuius sinistra prominet ad iactum lapidis vrbs ipsa iacens, Bissentia hodie ab accolis dicta: sed a dextra subiacet ei planicies ingẽs, S. Petri ab ædicula eis nominis cognominata, culturæ peridonea, & fluuialibus aquis irrigua. Quam stante adhuc Heraclea, vinetis & hortis consitam fuisse non est ambigendum. Ager enim hic latissimus tritici etiam feracitate præstat. Sed & Lycus ipse, qui plurimas olim vrbi cõmoditates suppetebat, piscosus etiamnum est hodie, anguillarumque, cephalorũ, ac alosiarum largam habens capturam. Oritur inter Castrum nouum & Camaratam, noui nominis oppida, ex paruis quidem fontibus. Quibus se primum aliquatenus exilis ac mater colligit: sed paulo post amne sancti Petri, qui ab æde illi sacra sibi nomen mutuauit, maxime augetur. Subinde vallem ingentem longo tractu scindit, & molas frumentarias conuoluens, Camaratam ad dexteram, & montem eiusdem nominis editissimũ, ad sinistram vero in montibus Misilmerim, (quẽ oppidani Montem mellis nescio qua ratione appellant) Suteram, Rayhalmutum, Gruttas, & Raphadalim a lõge relinquit oppida. Dilapsus postea fluuiolũ cognomento Salsum ex radicibus Montis mellis iuxta salis fodinas oriundum recipit, & priori deinceps amisso nomine Platanis appellatur. Decurrẽs deinde Muxaro Saraceni nominis arce, ad sinistram relicta, Turbulo fluuio ad radices montis Camaratæ meridionales prodeunte repletur. Deniq; multis ambagibus defluens hyeme adeo intumescit, vt inter immania Siciliæ flumina connumeretur: & ad Heracleã

tandem in mare mutato ſæpe oſtio ſe exonerat. Isburi flu. Ptolemæo, quem Sarracenico idiomate Mayhaſolum hodie vulgus nominat, poſt Lycum. 4. p. m. interuallo oſtium ſequitur. Oritur hic iuxta Sanctum Stephanum recens oppidum, quo dextrorſum relicto, ad. p. m. 4. aquis quæ ad Bibonam oppidum vbertim & ex pluribus ſcaturiunt fontibus, augetur. Quem Rifeſius deinde flu. ad montem eiuſdem nominis emanans influit. vbi Mayhaſoli nomine ſuſcepto, in mare poſtea hoc loco ſeſe effundit. Ad. p. m. 5. ordine ſuccedit Soſſii flu. oſtium Ptolemæo, Calatabellottæ ab eiuſdem Sarracenici nominis in editiſſimo monte ſito oppido appellati. Caput habet ad Petzim oppidum, ex fonte cui Labro eſt nomen. & defluēs Palatium Adrianum Græcorum oppidulum alluit, vbi ex fonte eiuſdem nominis incrementa ſuſcipit. Qui dilapſus inter anguſtiſſimas montium rupes ad ſiniſtram Acriſtiam, deſertum hodie oppidum, & Burgium Milluſium, ac Villafrancam: ad dexteram vero Buſachinum, Cluſium, Iulianam relinquens oppida, fluuiū ex fonte maximo, Fauara Calatabellottę ob id appellato, quod ad orientales eiuſdē montis radices affluentiſſime ac periucunde emergit, intra ſinum recipit. Inde per aliquot ambages delatus Triocalam vetuſti nominis, & belli ſeruilis initio infame, ſed hodie deletum oppidum, ac Caltabellottam, & Miſilicaſimum poſtea arcem ad dexteram deſerit, & mare ibi ingreditur.

DE THERMIS, ET SACCA VRBE.

CAPVT III.

SVccedit poſt Soſſium amnem. p. m. 8. Thermæ ciuitas Diodoro lib. 19. P. Melæ, & Plinio: Sacca hodie dicta: vnde & mihi F. Th. Fazello origo eſt. Hanc Thermas ſine adiectione P. Mela, Thermas vero coloniam Plinius nominat. Sed quorum hominum, quoue tempore, quibuſque ducibus huc fuerit deducta colonia, neque hominum memoria, neque authorum operibus, quæ quidem ad manus meas peruenerunt, compertū mihi eſt. Thermæ vero a priſcis vocata eſt a geminis thermis, quas natura in monte, cui ſubeſt, aqueam vnam, ſudatoriam alteram progenuit. Vrbes porro duas Thermas nomine in Sicilia fuiſſe a veteribus proditum eſt: ad Tyrrheni maris littus vnam, ex reliquiis deletæ vrbis Himeræ, ex qua nomen ſuſcepit: alteram, ad Libyci maris oram, quam modo deſcribimus, excitatam. Hæc ad mōtis (vt dixi) radices ſita eſt: quibus ille non modo mari vicinus, ſed ad mare etiam procurrens plures habet cauernas, vnde lutoſo ſulphure, ſale, ignibus, & calentib. aquis abundat. Inde per totum montis tractum aquarum fœtor maximus, ſulphur & ignis, & aquarum calidarum ſcaturigines effluunt: quæ ſimul natura collectæ apparatiſſimas conficiunt balneas, neque vlla ex parte Baianis inferiores. Proinde cum ea quæ ſunt in hoc monte, inter naturæ miracula connumerentur, nullo modo prætereunda, ſed plane ordine recenſenda putaui. A mari cum montem aſcēdis, ad iactum fundæ quatuor aquarum meatus paruo inter ſe ſpatio ſeiuncti, ſed diuerſas propriaſque vires habentes, per occultos naturæ cuniculos emiſſi occurrūt. Quorum ſulphureus latex eſt vnus, qui balneas natura feruentes, & arcanis naturæ myſteriis ſaluberrimas facit: quas thermas vocamus. vnde nomen, vſus, ac ornamentum ciuitati acceſſit. Hæ ſunt quæ ante huius oppidi initia, cum ad Selinis oram emergerent, Selinuntinæ aquæ vocabantur, quarū lib. 6. Strabo meminit, eaſque ſalſas appellat. Altera eſt ſcaturigo balneis proxima, quam Sanctam nuncupant, ob id quod ſemel pota, quaſi ſancta naturę vehementia corpora laxet. Nec procul abeſt tertia potabilis, quam idiomate Sarracenico Rabuyhanam nunc dicunt. Quarta ad iactum fundæ ab iis Heracleam verſus refugiēs, ſalſas fere & tepidas habet aquas, ad vlcera deſiccanda præſentiſſimum præſtantes remediū. Hæ cum ſuo curſu in ſubiectum agrum fluunt, pedetētim per ſe in numeroſam, ſubnigram, aſperam, ac poroſam lapidum congeriem rigeſcunt, quibus ad fornices teſtudinesq;

ſtudineſq; operum Saccenſes vtuntur. Id quoque miraculo dignum eſt, quod exhauſtus lapidum effoſſionibus ager, temporis ſucceſſu per dilapſos continue laticeſ nouis ſubinde lapidibus, ac quaſi repullulaſcentibus, nouam foſſoribus fabriciſque materiam progignit. Porro diuerſitatis in hac aquarum vicinitate hæc a phyſicis perhibetur ratio: quod licet crateres, e quibus effluunt, quam minimo a ſe inuicem ſpatio diſſideant: interiores tamen, qui theſauri ſunt aquarum, interuallis non ita vicinis cohæreant. Cumque per diuerſas venas diuerſis etiam mineris imbuantur, diſſimilem inter ſe vel ſaporem imbibunt, vel contrahunt colorẽ. Caloris autem in omnibus cauſa naturalis eadem eſt, vapor ſub terris genitus: qui cum ſulphureus ſit, accenditur, aquaſque afficit materiæ beneficio, per quã fluũt: vt. 2. Meteororum lib. & de proprietatibus elementorum docet Ariſtoteles, & aquarum ipſarum odor guſtuſque teſtantur, & viuæ calcis exemplum, cui ſi aquam infuderis, ſtatim feruebit, ſatis indicat. At enimuero cur fons ille poſtremus lapideſcat, ideo fit, quod calidus ſit & vnctuoſus, vt Probl. parte. 24. ca. 11. tradit Ariſoteles. Lapis enim cum humoris defectu conflatur, qui calore potius quam frigore deficit, & hæc aqua calida ſit, ac limoſa & impura, fit vt, cũ terram aut ſolidũ quodcunque tangit, hæreat atque affigatur. Vnde quoque euenit vt dum lapideſcit, pãnos, truncos, & cætera id genus ſolida, quæ in eo agro repeſit, ſecum agglutinet, indurecque. circumfunditur nanque ab eis rebus limus. Quare & lapidem non fieri ex pura neque terra neque aqua, ſed ex vtraque ſic inter ſe mixta, vt alterum mole vincat, & Auicenna & Magnus Albertus aſſeruere. Ab iis aquis montem ſubeũti medio fere itinere ſpecus rupi innata, a Tayhano Sarracenice dicta, dextrorſum obuia eſt: vnde voci etiam eminus emiſſæ Echo reſponſa expreſſa refert. Sed non procul inde ad montis latus mare ſpectans puteus eſt obliquus & immenſus, vnde magnus effertur ſonus, venti ne ſubterranei, an laticis ad ima delabẽtis, incertum. Ad verticis ſpondam foramen quoque eſt montis viſcera penetrans, ex quo etiam perpetuus effunditur ſonitus, aquæ ne etiam, an venti, adhuc ignotum: tametſi illius perpetuitas & vniformitas aquas eſſe dilabentes indicare videantur. Ad verticis vero angulum ad meridiem obuerſum, & infra ædem ipſam ſacram tria ſunt antra in viua rupe exciſa. Quorum vnũ, quod primum in occurſu eſt, D. Calogero colitur, ob id quod eius corpus ibi tumulatum creditur. proximum nullius rei memoria celebratur. poſtremum autem balneum eſt ſudatorium, vetuſtiſſimum quidem, & non modo Sicilia, ſed tota Italia celeberrimum. in quo abſque calentis aquæ vſu, ſolo vapore perpetuo ibi ingenito, calentique, & ad varios morbos pellendos efficaci, ſudores ſtatim cum ingrederis, natura prouocat copioſiſſimos, eoſque (vt ferunt medici, & rei vſus oſtendit) ſaluberrimos. Habet antrum ſedilia circumquaque manu facta complura, in quibus ſudaturi ægri ſedent, literis quibuſdam, quibus cuique ſedi ſuus morbus, quem ſanabat, ſignificabatur, Phœnicibus ne an Damaſcenis, cum neque a Græcis neque Hebræis Chaldæiſque legi vnquã potuerint, nobis incertum, inſcripta: quarum pleręque vetuſtate corroſæ cernuntur. Eas & Michael Sauonarola in ſuo de balneis opere, & fama per manus ducta a priſcis medicis deletas Saccenſes affirmant. Antrum hoc cum anguſtius eſſet, quam vt ægrorum hominum multitudini ſatisfaceret, cuneis aliiſque ferreis inſtrumentis dilatatum eſt, vt adhuc ex multis ſignis conſtat. In eo ad dexterã ſpelũca eſt natura quoque latiſſima: ad cuius aditus leuam naturalis eſt puteus profundiſſimus: quem plures, quod deſcenſus eius non præceps adeo, ſed prope placidus ſit, accenſis facibus & funibus directi auſi ſunt perſcrutari. Cæterum cum ad aliquot paſſus deſcẽdiſſent, ſtillicidiaque calentis aquæ complura ex viua rupe vberrime defluentia offendiſſent, & in viarum ambages primum, ac deinde in anguſtias incidiſſent, horrore metuque a progrediendo abducti, ne ſuffocati interirent, ad ſuperna reuerſi ſunt. Hoc antrum a Dædalo architecto præſtantiſſimo, cum ad Cocalum Sicanorum Regem profugiſſet, extructum his verbis libro. 5. Diodorus teſtari videtur: Dædalus (inquit) tertio ædificauit in ora Selinuntina antrum, ex quo ita euaporabat ab igne fumus, vt aſtantibus paulatim ſudor ex calore eliceretur, curarenturque cum voluptate adeuntium corpora, nulla caloris percepta moleſtia.

molestia. Quod quidem id ipsum fuisse eo argumento colligitur, quod in tota hac ora Selinuntina sudatorium nullum, nulliusque alterius antri vestigium cernitur: non quod ante Dædalum nullum extiterit, sed quod ab eo patuum prius angustũque, cognita eius efficaci virtute, & latius redditum, & humanis vsibus sit attributum. Mons etenim ipse plerisque aliis in locis, in parua præsertim specu, Pucellarũ hodie appellata, quæ ab hoc antro ad iactum lapidis orientem versus distat, sudat sulphura, & vapores emittit. Quæ si scalpris excauetur, facile ad balnei vsum, huius instar antri, perduci posset. Mons ipse. D. Calogero, quem eo Petrus Apostolorum princeps ad dæmones expellendos, quo tempore Mons gimmariarum (quæ palmæ sunt agrestes) & oppidum ipsum Sacca appellabatur, legauerat, & re & nomine sacer est. Vbi & vitæ cursu sanctissime peracto mortem obiit. Cui ad verticẽ iuxta antrum ipsum templum super erectum, populo & miraculis celeberrimum est. quo, Iunio præsertim mense, ex omni ferme Sicilia morbo aliquo afflicti ad balnea Diuo nuncupata confluunt: vbi præsentaneum experiuntur remedium. Quo factum est vt & xenodochium ibi ad ægros excipiendos structum sit. Sed ad Thermas ciuitatem redeo, quæ mõti ad occidentem pas. prope. m. subest. Hæc prisco tempore locus erat humilis, & figulorum vicus, vt libro. 19. testatur Diodorus, & Trogus adstipulatur: postea colonia nescio qua nobilitata, vt ex Plinio ostẽdimus. Sed processu temporis pulsis per Normannos e Sicilia Sarracenis, a Rogerio Siciliæ Comite muris, propugnaculo orbiculari, & arce veteri munita, non parum decoris accessionis habuit. Quæ ab eodem postea Iulietæ filiæ (quam vulgo Gilettam appellabant) cum adiacẽti regione concessa est, prout ex eius diplomate a Rogerio filio & Siciliæ Rege postmodum anno salut. 1100. confirmato, patet. Fuit Giletta Rogerii Siciliæ Comitis ex Adelasia secunda eius vxore filia, & Rogerii Regis germana, quæ Roberti Zamparroni Comitis amores experta, cum eo a patre aufugit. At non diu post stuprum Zamparrono ipsi connubio iuncta, a patre benigne recepta, & hoc oppido donata est. Quo potita, statim ad sui facinoris expurgationem ædem sacrã. D. Mariæ Magdalenæ titulo insignitam a fundamẽtis ibidem erexit, atque oppidi tutelarem & maximum templum constituit. Erat Sacca eo tempore licet parua, & quæ vix mille laribus habitari posset, mœnibus tamen cincta: quæ magna ex parte adhuc integra conspiciuntur, ea regione cui hodie Terra vetus nomen est. Ampliata postea fuit a Friderico secundo Siciliæ Rege, & in eam ciuitatis formam, qua est hodie, redacta, mœnibusque latioribus circunsepta anno salut. fere. 1330. Quæ postremo cum iactu tantum lapidis mari prominеat, nouis muris, & propugnaculis ingentibus a Carolo Quinto Siciliæ Rege munitior est reddita. Habet frumenti emporium insigne, quo translatum Heracleense vel ob id censetur, quod frumenta omnia quæ Heracleensibus proueniũt agris, huc deferuntur. Arcem hodie habet, quam Guilhelmus Peralta Calatabellottæ Comes erexit, vt eius super portam inscriptio & insignia indicant. Sacras ædes continet celebres complures. Et intra mœnia quidem prope arcẽ ad occidentem peristylium extat monialium ordinis. S. Benedicti, ab eodem Guilhelmo & Nicolao eius filio extructũ, D. Mariæ de Itria dicatum. Parochialis quoque ecclesia est in medio veteris oppidi a Iulietta ipsa olim erecta. Et Seruatoris ædes a Rogerio Comite condita, quæ Carmelitarum postea cœnobio adiuncta est. Monasterium præterea monialium aliud. D. Mariæ de Spasmo, ordinis S. Dominici, a Francisco Fazello patruo meo anno salut. 1532. excitatum, additis redditibus annuis, quibus Deo dicatæ virgines alerentur. Alia ædes D. Margaritæ sacra, ab Antonio Pardo diuitiis dotata. & D. Michaelis fanum aliud insigne. Templum quoque est cum illi adiuncto cœnobio D. Dominico nuncupatum, meo labore a fundamentis quadrato lapide erectum. Extra mœnia sub arce ipsa templũ est D. Mariæ de Iummariis, ab eadem Iulietta Rogerii Comitis filia anno salut. 1103. extructum, & ordinis Cluniacensis religiosis attributum, vt eius diplomate cõstat: quod anno salut. 1382. in monasterium monialium ordinis D. Benedicti authoritate Romani Pontificis transabiit, ac tandem vetustate collapsum mea ætate lapidibus quadratis & marmore Ethrusco in pulchriorem formam instauratum est. Subest

& ei cœnobium Franciſcanorum a Matthæo Agrigentino pio viro anno ab hinc centeſimo reformatum. Cui ædes hæret D. Mariæ a miſericordia ſacra, & xenodochium illi cõiunctum, a Ferrerio Ferrerio extructum ſimul & dicatum. Et huic ædes D. Barnabæ Apoſtoli cohæret.

NOBILITATA fuit hæc ciuitas primis illis temporibus ortu Agathoclis Syracuſanorum Regis, Carcino figulo patre geniti, vt lib. 19. Diodorus refert. Et ne plus æquo videar patriæ blandiri, Diodori verba ſubiecci. Carcinus (inquit) figulus patria Rheginus ob ſeditionem inde pulſus, Thermas Siciliæ oppidum, quod Carthaginenſibus parebat, incoluit. Vbi dum figulinam exerceret artem, ex vxore Agathoclem filium ſuſcepit. Quem quod oraculũ Carthaginenſes profligaturum palam cecinerat, more gentis expoſuit. Puer a matre clam ſeruatus vbi infantiam eſt egreſſus, a patre recipitur. Verum ne Carcinus a Pœnis deſciuiſſe vel ob id iudicaretur, Thermis diſcedens Syracuſas cum filio, eo tempore ibi habitauit quo Timoleon prouinciam Carthaginenſibus Lyco flumine diuiſam ea lege conceſſerat, vt quiſque e Carthaginenſium oppidis Syracuſas libere poſſet accedere. In hanc ſententiam Diodorus. Cuius verbis Thermas oppidum, quod Sacca hodie dicitur, Agathoclis patriam fuiſſe ſatis conſtat. tum quod vltra Lycum fluuium, & in Carthaginenſium prouincia ſitum erat, tum quod Thermę Himera cum reliquis Graiis Siciliæ vrbibus a Timoleonte relicta, & citra Lycum fuerat, & Himera appellabatur. Hoc quoque a re non abhorret quod vti olim, ita & nunc figulorum in hac vrbe ſit domicilium. Hic ætate mea, anno ſalut. 1536. tertio id. Auguſti, infans tria habens capita, tria pectora, ſex brachia, totidemque pedes, natus eſt: qui ex triplicis capitis ore & lac ſugebat, & vagiebat, vt vidimus. Tres habuiſſe animas id monſtrum, ex triplici pectore, ex quo triplex cor infertur, & philoſophi & theologi optimis rationibus argumentantur: quod & diuerſus interitus probauit. nam idibus eiuſdem menſis infans extinctus eſt: ita vt ſpiritus vnum quidem caput mane, alterum mox, tertium vero paulo poſt reliquerit. Poſt Saccam ad p.m. 5. Atys Plinio, ſed hodie Carabi Sarracenicæ appellationis fluuii oſtium extat. Fontem habet ad montem Calatabellottæ occidentem reſpicientem: & dilapſus, fontem S. Ioannis, nomine Fauaram, iuxta Sambucam Sarracenicæ denominationis oppidum, & ab oſtio p.m. 6. recedentem ſuſcipit. Augetur vero paulo poſt ex fonte Cãnatelli, intra Miſilibeſum & Miſilindinum diruta Sarracenorum caſalia emergente: & fluens ex aliis fontibus increſcens hoc loco mare ingreditur. In hac ora Pintiam oppidum ponit Ptolemæus. quod adeo interiit, vt plane vbinam ſteterit ignoretur. Poſt Carabum fl. Hypſæ amnis fauces occurrunt Plinio, Belich Sarracenice, ſed Belicis vulgo hodie nominati. Caput habet triplex. Vnum inter Panormum & Corilionẽ, ad montem Santagani, ex fonte Sarracenice Santayhano olim, Caput aquæ hodie appellato. vnde dilapſus fluuiolum, Bichinellũ nomine, ex Buſamara altiſſimo totius regionis monte oriundum, recipit. vlteriuſque illabitur ei Corilionis fluuius, qui ad verticem eiuſdem nominis oppidi, vbi ædes eſt D. Mariæ, exoritur. habetque deinde ad ſiniſtram influxũ torrentis ex propinquis montibus collecti, vbi Fractinæ nomen vſurpat. augetur poſtea ſub Turrazzia diuerſorio, Batticano fluuio, inter Corilionem & Buſachinum e fonte Scorciauacca oriundo. defluenſque Bruca amne ad forum venale Buſachini egreſſo, maxime increſcit. Alterum Belicis caput ad Græcorum caſale, quod in planitie Archiepiſcopi ſitum eſt, ſe egerit, breuique curſu per eandem aream fluens a ſiniſtra fontem Scalæ fœminæ dictum, ex viua ipſa rupe vbertim periucundeque canaliculo natura excito ſcaturientem, excipit. Vbi montes eiuſdem nominis editiſſimos, vallemque profundam ſcindens, in præceps magno ſonitu labitur: decurrenſque per aliquot miliaria Ietum Plinio, vulgo Patum, & in excelſo eiuſdem nominis monte iacens oppidum ad dexteram, ad ſiniſtram vero poſtea Petram longam relinquens, recto tramite Calatraſim Sarracenicam in rupe edita ſitam arcẽ, & mox Entellam priſci præſentiſque nominis montem, & dirutam ad eius verticẽ ciuitatem, cuius ſuſcipit nomen, præterlabitur. Tertium Belicis caput ad Calatamauri celſiſſimi montis, & arcis deſertæ radices, quæ p.m. 3. ab Entella diſtant, emergit.

mergit. Et dilapsum Sinurim Sarracenorum olim casale, nũc eiusdem nominis taberna duntaxat hospitatoria superstite, prorsus extinctum, alluit. Deinde ex fontibus pluribus inter Pandolfinum & Misilindinum scatentibus, incrementa suscipit. Proinde tria hęc capita tot fluuiis fontibusq; aucta, sub Sala & Gibellina oppidulis, ad molendinum cui Donna est nomen, confluunt, ingentemque amnem conficiunt, Belich olim a Sarracenis ab eiusdem nominis prostrato nunc casali, sed hodie Belicim (vt diximus) appellatum. Qui dilapsus, & arcem Petræ prætergressus, anguillarumque & alosiarum captura, & scapha ad viatores traiiciendos insignis factus, mare illabitur. Tota hæc ora prisco tempore a Selinuntis celeberrimę vrbis vicinia, vti Strabo li. 6. & Diodorus li. 5. tradidere, Selinuntina nominabatur.

DE SELINVNTE VRBE, TERRA Pulicorum hodie dicta.

Caput IIII.

Belicim amnem ad p. m. circiter. 3. stagnum sequitur Yhalicis Sarracenice dictum, ex pelagi fluctibus refusum, æstate accolis perniciosum, quod ex eius aquis aer crassior & concretior reddatur. Mox ad verticem pauli sper editum tria sumptuosi magnificiq; ac prisci operis, Dorica forma, & mira lapidum longitudine, crassitudineque stupenda templa sunt iacentia, quibus uis tota prope Europa non modo comparanda, sed etiam superiora. quorum duo columnis striatis, tertium planis subnixa hærebant. Eorum maximum Iouis Forensis fuisse lib. 5. Herodotus, &. 14. Diodorus testantur. His mox Selinis vetustissima, sed hodie prostrata vrbs, Terra pulicorum nunc dicta, adhæret. Cuius ingentes ruinæ, admirandaque ante oculos sunt vestigia. Sita fuit ea in pauli sper prominenti in mare ac præciso tumulo, quem, ne voracitate vndarum quibus a meridie alluitur, circa fundamenta corroderetur, ab imo circa vrbẽ quadrato lapide in summam ciuitatem murus magno sumptu excitatus sustentat: quo summoto, vrbis latera corruere sit necesse. Vrbi, fluuioque etiam illam ad occidentem præterlabenti, Selinuntis veteres nomen indiderunt ab apio, quo circumpositus ager ætate etiam mea plurimum abundat. Selinon etenim Græce, apium est Latine. Verg. autem Æn. lib. 3. Selinim palmosam dixit, a palmis aut domesticis, quibus fortassis sua ætate abũdabat, aut syluestribus, quas etiam nunc profert nobilissimas. Intra mœnia duo visuntur templa non adeo magna: quorum vnum striatas habet columnas, alterum vero planas, quod fanum ne fuerit, an prætoria domus, incertum est. Sed & arx in ea mari imminẽs adhuc visitur: quæ etsi prostrata sit, cadauera tamen habet ingentia, & arcum vnum hucusque perstantem. Ruina tota vrbe sparsa per multa iugera cernitur, calcaturque, fundamentis, substructionibus, & domorum monumentis omnem fere eius partem occupantibus. Hæc non solum prisca ætate inter magnas, sed etiam inter magnificas numerabatur, vt ex iis quæ multa eius durant, apparet, & historiæ docent. Hanc vrbem & eius oram primos omnium Phœnices tenuisse refert Diodorus, quibus postmodum pulsis anno mundi. 4554. (vt supputat Eusebius) & cẽtesimo post Megaram (vt lib. 6. Thucydidi placet) Megarenses Siciliæ indigenæ duce Pãmilo incoluerunt. Megarenses (inquit) antequam a Gelone expellerentur, centum post quã illic habitare cœperunt annis, Selinuntem misso illuc Pãmilo condiderunt. In hac cum aliquando ex adiacentis stagni Yhalicis fœtore pestis vehementius grassaretur, Empedocles Philosophus Agrigentinus aquas duob. e propinquo amnibus proprio sumptu per arctam & manu factam fossam, in stagnũ immisit. quo ex congressu aquarum dulcium purgato, lues cessauit. Quocirca ei a Selinuntiis tanquam ciuitatis liberatori, diuini honores prouenere, vt lib. 8. tradit Laertius. Porro vrbs ipsa sub initia adeo coaluit, vt Heracleam, quæ & Minoa erat, occiso a Phœnicibus & Segestanis Dorico, & aliis (præter vnum Euryleontẽ) ducibus, qui cum eo in Siciliam venerant, per vim propriam occupauerit. Sed

Euryleon

Euryleon collectis Spartiatis, qui reliquiæ post infandam Doriei cędem supererāt, magna vi perditam vrbem aggressus expugnauit, eaque pulsis inde Selinuntiis, potitus est. Quare non multo post cum Pythagoræ monarchia vexaretur, inito cum Selinuntiis fœdere, vrbem Pythagoræ tyrannide liberauit: eoque expulso Selinūtis dominium ipse inuasit. At Selinuntii pauco interposito tempore impetu facto eum in Iouis Forensis templo, quo confugerat, misere confoderunt, vt lib. 5. Herodotus memorat. Iouem Olympium Selinuntii maxime venerabantur, nec domi solum templo forensi extra mœnia illi extructo, festisque solennibus religionē ei peculiarem, honoremque singularem deferebāt: sed Altis quoque antequam a Carthaginensibus duce Annibale fuissent subacti & patria pulsi, thesauro insigni dotauerunt. In quo & Liberum patrem ore, pedibus, & manibus eburneis fuisse, lib. 6. author est Pausanias. Plura hanc vrbem cum Segestanis ob finium controuersiam, & sponsalia quædam, bella gessisse, lib. 6. Thucydides scribit. Sed paulo post, anno ducentesimo quadragesimo secundo posteaquam fuit condita, a Carthaginensibus duce Annibale Gisconis filio expugnatam, atq; sexdecim Selinūtiorum milibus cæsis, & cæteris in captiuitatem abductis igne absumptam, lib. 14. Diodorus, & lib. 6. Pausanias produnt. Paucis vero post annis ab Hermocrate Syracusano collectis qui ex tanta strage fuga euaserant, mœnibusque refectis, restituta est. Succedente deinde primo bello Punico Romanis adhærens, M. Marcello auxiliares milites contra Syracusanos misit, vt Polybius & Silius scribunt. Strabonis vero ætate, & hęc & pleræque aliæ in hac meridionali ora sitæ vrbes, ob perduratia inter Romanos & Carthaginenses bella, desertæ visebantur. Postea tamen instauratam ius Italicum a S.P.Q.R. habuisse, hoc est tributi vacationem & immunitatem, apud Vlpianum titulo de censibus, in hunc modum legimus: Est & in Sicilia Selinis, & Traianopolis, quæ sunt coloniæ, & habent ius Italicum. Vrbs hęc, quæ mirandis cadaueribus prostrata, Pulicorum terra a Siculis hodie dicitur, quęque proculdubio Selinis est, quænam apud veteres fuerit, non solum mea, sed & maiorum meorum tempestate, Siculos latuit, prorsusque ab omnib. ignorabatur, vel ob id quod Mazarā, quæ sedes est hodie Antistitis, sequiturq; deinceps ad p.m. 12. Mazarenses Selinuntem fuisse gloriabantur. quos Volaterranus, & cæteri viri haud indocti secuti, in errorem ipsi quoque prolapsi sunt. Nam cum Strabo, Ptolemæus, P. Mela, & Plinius nullam aliam præter Selinim in hac ora posuissent vrbē: eruditi, qui Mazarensium persuasionibus inducebantur, etsi mira huius vrbis cernerent monumenta, ne tamen falsa siue incerta pro veris certisue efferrent, quęnā apud priscos hęc fuisset vrbs ignorare se ingenue fatebantur. Imperita plebs nouo nomini alludēs ob ea quæ extra vrbem diruta, & ea stupenda visuntur adhuc templa, Pollucis vrbē, cuius nulla meminit historia, inscite, ne dicam stulte, asserebat. Ego vero cum ad veram eius denominationem perueſtigandam complures, eosq; vetustissimos scriptores frustra peruoluissem, neque mihi ipsi vnquam in communi opinione satisfacerem: distuli tantisper laborum meorum editionem, dum certiori aliqua cognitione plenior huius dubitationis fieret fides: indignum ratus si aut in ea ignoratione tam profunda conterraneos meos diutius versari, in qua tot ante me seculis consenuerant, aut tantam vrbem prorsus interire paterer. Hac cogitatione turbatus, cum anno salu. 1549. ordinis tunc mei Prouincialatus officio simul, & quadragesimali concione perfuncturus Mazaræ agerem: Selinuntis vestigia, quā & ego vna cum vulgo Mazaram esse existimabam, nimio visendi studio accensus, mœnia, ædes cum sacras tū prophanas, agros præterea, ac cætera omnia quæ ad Mazaram vrbem pertinent, semel, iterum, ac tertio perlustraui, vrbem circuiui, ac singula quam accuratissime animo simul & oculis inspexi. Cumque nullū antiquitatis vestigium, nihilque quod vetustatem præ se ferret, reperissem: ab vrbis Iuratis, cæterisque primoribus quæsiui, vbinam veteris eorū Selinuntinæ vrbis essent ruinę. At illi cū nullas, vel minimas priscæ habitatiōis reliquias, quas mihi ostendere possent, haberent: percontatus sum quo authore, quoue argumento ducti, Mazaram Selinuntem esse didicissent. Cumque ii nonnisi maiorum suorum opinionem vocemque in medium afferrent: hæsitare tunc primum cœpi, suspica-

rique eos ambitione potius quam authoritate, falso in Mazaram Selinuntem retuliſſe. In ea itaque ſuſpicione per tres annos verſatus, tandem anno ſalut. 1551. 10. Calend. Octobris in 14. Diodori librum, qui nuperrime ad manus meas peruenerat, incidi. vbi Pulicorum hanc vrbem Selinuntem fuiſſe, & Mazarenſium errorem manifeſte deprehendi. Diodorus enim ibi Mazaram aliam eſſe a Selinunte, & vlterius ſequentem, expreſſe refert. cuius verba hæc ſunt: Annibal acceptis Segeſtanorũ aliorumque ſociorum conductis militibus, ſoluens a Lilybæo Selinuntem verſus proficiſcitur. Cumque ad Mazaram fluuium peruenisſet, oppidulum, quod ad flumen erat, cœpit. Ad vrbem autem Selinuntẽ cum poſtea appropinquaſſet, in duas partes exercitum omnem diuiſit. appoſitaque obſidione, collocatiſq; machinis, ſumma vi vrbis muros pulſabat. ſex enim turres ingẽtes effecerat. hæc Diodorus. Quæ verba circa horam noctis quartam vt primum legi, ſenſumque percepi, præ gaudio vix me continui, quod ab interitu tantam vrbem excitaſſe mihi ſum viſus. Ex eo namque Diodori contextu Mazaram Selinim non eſſe, ſed occidentẽ verſus ſequi, conſtantiſſimum eſt. At cum Pulicorum terra. p. m. 12. ad orientem Mazaræ in littore ſuccedat, habeatque admiranda vetuſtæ ac Doricæ ſtructuræ veſtigia, quis non videt Pulicorum terram Selinuntem eſſe? Neque igitur coſmographi & hiſtorici tantam hanc Pulicorum vrbem, qua nulla, præter Agrigentum, in meridionali latere celebrior fuit, præterierunt, vt Siculi perperam arbitrabantur: quo caſu iure alioqui optimo incuſandi forent: verum exacte non ſolum meminerunt, ſed eius etiam primordia, ac res geſtas, quas poſteriori decade memorabimus, copioſiſſime deſcripſerunt. Neque vero neganda eſt Mazarenſibus venia, qui opinionis errore, non rapina, tandiu falſum ſibi Selinuntis nomen vſurpauerunt. Sed is demum poſteritatis odio digniſſimus eſt, qui omniũ primus tot ante nos hominibus improba patriæ ſuæ extollendæ cupidine, tanti tamque diuturni erroris, veluti & ille alter in Terranoua, cauſam dedit. In vrbe quoq; agriſque eius paſſim ærea & argẽtea reperiuntur numiſmata, quibus ex vna parte anguis mulieris vbera ſugens, cum Græca inſcriptione, SELINONTION: ex altera vero canis (vt mihi videtur) imago expreſſa eſt. Quod etiam ſolum ad veritatis fidem aſtruendam efficaciſſimum eſt argumentum. Porro a Sarracenis Siciliam inuadentibus omnium prima occupata, & illis per Normannos poſtmodum expulſis, ſolo æquata eſt. Templa vero ipſa, quæ extra mœnia ſunt, ab Annibale Giſconis filio cum ipſa tunc vrbe proſtrata fuiſſe lib. 14. Diodorus ſcribit, & nos latius in hiſtoriis. Hanc ad iactum lapidis Selinis fluuii Plinio, & Ptolemæo, (qui ordinẽ nõ ſeruat) Madiunis hodie dicti, ſequitur oſtium: a quo nomen vrbi inditum fuiſſe Duris Samius maluit. Oritur hic inter Partannam & Caſtrum veteranum oppida, quæ ab oſtio. p. m. fere. 5. recedunt, ex Fauara fonte, a Bigini arce quingentis tantũ paſſibus diſtante: adeoque affluenter emergit, vt ſtatim rotandis frumentariis molis ſufficiat. Cui Biginis deinde fons illabitur, qui priſco tempore per aquæductus, quorum plura adhuc viſuntur veſtigia, Selinuntẽ, a qua. p. m. circiter. 3. abeſt, deducebatur: atque ſic auctus mare ingreditur. Ab hoc oſtio mille paſſibus, vrbis Selinuntinæ ſepulchra ſequuntur, mari. 500. paſſus imminentia: quæ ſeparata ſunt, & longo tractu terræ condita, quadratoque lapide circunſepta. Tres lapicidinas habet hæc vrbs vetuſtiſſimas quidem, & inſignes: ex quibus lapides pro conſtruẽda conſeruandaque tanta vrbe antiquitus ſunt exciſi. Vna fluuio hæret, ab vrbe. p. m. 2. diſtans: altera ad aquilonem ſita, in loco qui Bugilifer dicitur, 4. miliarib. ab vrbe diſtat: tertia ad occidentem illi ſex. p. m. imminet, in loco Ramuxara Sarracenice cognominato: ex qua admirandæ & inſanæ illæ moles, columnæque ingentes ad vrbis templa erigenda ornandaque exciſæ ſunt. Viſuntur adhuc in ea plures columnarum moles circunciſæ, licet non euulſæ, non minori cum iucũditate, quã vrbs ipſa & proſtrata templa. Sed & via, quæ ab hac lapicidina in vrbem ducit, quæque tota hodie nemoroſa eſt, magnis paſſim columnarum molibus, quæ a portantibus olim exciderant, maximam præbet conſpicientibus delectationem. Tres hæ lapicidinæ non modo ab eruditis, ſed & a rudi quoque vulgo ſimul & ab accolis, Latumiæ ad hanc vſque ætatem appellantur. Nec admiratione caret, quod ea vox

vox cum Græca sit, tot annos & inter barbaras quæ Siciliæ postmodum imperarunt tot nationes, villicosque ipsos, incorrupta perseuerauerit. Post Selinuntiorũ sepulchra promontorium Granitulis, ac trium fontium, qui ibi emergunt, & mare statim influunt, succedit: vbi & piscium larga captura. cui tumulus paulisper editus, interius ad p.m.3. imminet, Cozus appellatus. ad cuius verticem dirutæ arcis, quæ Castellatium hodie dicitur, extant ruinæ. Ad radices autem, qua spectat aquilonem, castrum est Perribayda: a quo ad occidentem. p.m. interuallo Ramuxara abest locus, vbi insignis lapidum minera est, cuius meminimus. Post tres fontes. p. m. 5. fluuii Arenæ ostium occurrit, id nomen habentis, quod ad fauces circumiacentes albas teneat arenas: sed paulo intus Deliæ nomine vocatur. cui sinistrorsum S. Trinitatis templum incubat. Ortum habet is amnis ex.3. fontibus non lõge a Salemi oppido emergentibus. Quorum qui.3.p.m. ab eo recedit, Rabicis nominatur: alter, qui pass. m. ab oppido distat, Gibelis: tertius, qui pari spatio ab eo abest, Gurgus donnæ appellatur. Hi confluentes Salemis oppidi molendina voluũt, dein magno Salemis fluuio ex propinquis collibus hyemalibus imbribus collecto miscentur. Dilapsus Salemis amnis, Magni nomine amisso, Delia primum, mox Biligerus, ac demum ad ostium Arenæ nomen accipit.

DE MAZARA VRBE.

CAPVT V.

MAZARA (media producta) post Arenæ fluuiũ ad.p.m. 2. extat vrbs, quam mare alluit. Hæc prisco tempore, cum Selinis staret, oppidulum erat, & emporium ad fluuium stagnumque eiusdem nominis situm: quod ab Annibale Giscónis filio, nullo negotio captum, ex li.14. Diodori, qui primus inter veteres eius nominis meminit, paulo superius retulimus. Processu inde æui circiter annum salut. 826. a Sarracenis vna cum reliqua Sicilia occupata, in eam vrbis formam, qua nunc cernitur, adaucta est, regionique nomen dedit. Eam deinde anno salut. 1080. Rogerius Normannus Siciliæ Comes superatis, ac pulsis e Sicilia Sarracenis, mœnibus cinctam, & arce munitam, cum Panormo Robertus Guiscardus frater eius germanus potiretur, Regiam sibi constituit, decretoque in ea Stephano Rhotomagensi primo Episcopo, ac æde cathedrali testudinata Seruatori extructa, sedem antistitis (vt & est hodie) perpetuo eam sanciuit: vt eius diplomate dato Mazaræ anno salut. 1093. mense Octobri, constat. Vnde adhuc vicinæ, neque adeo ab ea recedentes vrbes, etiamque Panormus ipsa portam vrbis a Mazara appellatam habent, qua ea tum temporis frequentissime adibatur. Quicquid enim habet dignitatis non adeo antiquæ, Sarracenis id Normannisque acceptum merito feret. Nam quod tota ea regio ab Himera amne ad Drepanum vsque, Vallis Mazaræ appelletur, id per diuturnam Sarracenorum Regis, & subinde Rogerii in ea habitationem obuenit. Hodie vero frumenti, vini, olei, & pecoris exuberans est. Stagnum illud maritimum, quod eius mœnia occidentalia alluit, cum per mille ferme passus in mediterranea protendatur, portuosum est, & paruorum nauigiorum capax. quod ideo (ni fallor) a Diodoro & Ptolemæo fluuius appellatur, quia fluuiolus e mediterraneis duobus fontibus a Salemi oppido.3.p.m. distantibus, (quorum vni Sanagia, alteri Rapicalidus est nomen) exortus dilapsusque in illud influit: a quo & oppido nomen fuisse impositum authores scribunt. Mazaram vrbem & stagnum ad mille passus promontorium Caput fœtus vulgo, Caput fœderis eruditis nominatum sequitur. quod Africæ littoribus reliqua Sicilia propinquus esse nautæ prædicant. A quo deinde p. mille Turris est Sibylliana, a Sibylla Cumæa, qua Lilybæum nobilitatũ perhibetur, appellata. Et vlterius fluuii Marsalæ est ostium, qui p. m. quinque a mari recedens caput habet ex plurimis fontibus, quibus ab ipsa re Caput fluuii nomen inhæret: augeturque mox a fonte maximo Fauara nominato. A capite is amnis vsque ad fauces domesticis quorumuis fructuum arboribus est refertissimus.

Ad cuius etiam capita, tractumque qui inde ad vrbem vsque protenditur, aquæductus lapidei magna parte diruti adhuc visuntur: quibus hæ aquæ olim ad Lilybæum vrbem, quæ non procul inde abest, deducebantur. Sed hactenus de meridionali latere. nunc septentrionale describamus.

F. TH. FAZELLI SICVLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis, prioris Decadis

LIBER VII.

DE LILYBÆO, TERTIO SICILIÆ promontorio, vrbe, & puteo:

CAPVT I.

LILYBÆVM, tertium Siciliæ promontorium, sequitur, Zephyrium & Libyam (a qua p. m. 127. dissidet) respiciens, tribusq; p. m. sub aquis protensum. cuius saxa, quod tribus fere cubitis mari tegantur, cæca vocat Vergilius Æn. 3. Saxis Lilybæia cæcis. Flexo littore brachia dextrorsum repręsentat, & portum ibi facit natura tutissimum atque ampliſſimum. Ad quem quia per stagna (quę hac etiamnum ętate ante vrbem, qua mari alluitur, occidentemque spectat, apparent) nauigantibus erat iter, difficilis admodum olim ingressus, nec nisi peritis expertisque obtinendus patebat, vt lib. 1. Polybius scribit. Fauces autem eius hodie iactis in profundum molibus, quarum adhuc magna ibi congeries spectatur, nullis nauigiis subiri possunt. Cuius obturationis Romani pulsis aliquando Carthaginensibus, captaque vrbe, ferunt authores. In hoc promontorio vrbs eiusdem nominis olim erat, mœnibus, fossis, ac ipso portu munita, vt idem Polybius refert: condita a Phœnicibus longo tempore post Selinim. De qua in hunc modum lib. 14. Diodorus: Annibal (inquit) Giscónis filius ingenti classe Africo mari permenso, contra Selinim vrbem veniens, ad promontorium Lilybæum, quo in loco longo post tempore eiusdem nominis a Phœnicibus ædificata est ciuitas, exercitum omnem exposuit. Vnde Cic. in Verrem Lilybæos quidem barbaros, vrbem vero ipsam. 7. splendidissimam vocat. Eius quippe situs & terra & mari iucundissimus est. Nobilitata vero fuit Sibyllæ Cumanæ incolatu atque sepulchro, illius nimirum quæ duo volumina, parcius Tarquinio Prisco pretium offerente, exussit. Vnde Solinus: Lilybitano (inquit) promontorio Lilybæũ oppidum decus est Sibyllæ Cumanæ sepulchro. Diodorus autem lib. 5. & Macrobius libro Saturnaliorum, non modo vrbem, sed puteum etiam Lilybæum celebrant. De quo plura fabulatur antiquitas. sacer nanque apud superstitiosos erat veteres: e quo bibentes statim vaticinari videbantur. Quod opus dæmonum fuisse, qui coniecturis futura prædicere aliquando censentur, Christianus nemo dubitat. Puteus is plane est hodie qui in templo. D. Ioãnis Baptistæ ad verticem promontorii magnifice extructo visitur. Vrbs vero etsi defecerit (quod per quem contigerit, hactenus ignoratur) mœnia tamen & aquæductuum ædificiorumque nobilium, & pleraque alia sui non obscura reliquit monumenta. Sed & promontorium ipsum in parte nomen adhuc retinet. Caput etenim Boei, & ædes in illo sacra a S. Ioanne de Boeo habet nomen. Quæ tandem anno salut. 1555. sub maioris tuitionis vrbis prætextu, a CAROLI CÆSARIS ministris minus accurate solo æquata

æquata est. Anno quoq; salut. 1556. cum ad noua vrbis propugnacula excitanda, inter eandem ædem & mœnia nouæ vrbis fundamenta foderent, in solum marmoreis tabulis stratum, longum & pro ratione latum, atque marmoreas aquarum pilas, & aquæductus ingentes inciderunt: quibus aquæ Rayhalia, Yhadidis, & Sultanis Sarracenice hodie dictæ, quæ ad aquilonem. p.m. 5. ab vrbe absunt, in Lilybęũ deducebantur. existimatumq; est spatium illud marmoribus stratum Lilybæi vrbis olim fuisse forum. Lapicidinæ complures sunt extra vrbem subterraneæ, & instar humanæ habitationis latissime excauatæ. Scribit Strabo lib. 6. virum quendam, cui Strabus erat nomen, adeo perspicaces habuisse oculos, vt e Lilybæo hoc promontorio, classem e portu Carthaginensi soluentem conspicatus, nauium numerum, velorumque seriem dinumeraret. Quod Valerius, Plinius, & Solinus a Varrone mutuati etiam tradiderut. Sed & hodie sereno cœlo a Yhadidi loco pauliper extra vrbem edito, Caput Africæ quod Bonum hodie, sed Mercurii promõtoriũ veteres appellarunt, cernitur. Hæc vrbs cũ Romanis primo bello Punico, cum Carthaginensis esset imperii, plura bella gessit: a quibus tandem capta est, vt in 1. lib. Polybius: & nos in historiis. Super ruinis Lilybæi vrbis Marsala ciuitas processu temporis fuit erecta. Sed a quibus, & quo tempore fuerit condita, etsi nobis sit incertum: a Sarracenis tamen non desunt qui asserant eam & excitatam, & nomen adeptam, vel ob id quod Marzala Sarracenice, Portus Dei est Latine. In domo quadam huius nouæ vrbis ruinis affecta lapidis marmorei fragmentum Latinis his literis inscriptum hodie legitur:

L. Cæsar F. L.
Valentini.
Pro Foelici Semper Avgvsto
M. Valerivs Qvintianvs.
V. C. Con. P. S. Clementiæ
Pientiqvæ
Eivs Semper Dicatissimvs.

Hic galli & gallinæ cæteris tota Europa & Africa magnitudine præstant. quã eos vel a soli natura, vel a pastu, vel ab ipso denique cœlo adipisci censendum est. Quod sane mihi fit verisimile vel hoc experimento. Cum enim anno salut. 1517. a militibus Hispanis, qui ad sedandos Siciliæ motus, ob Ferdinandi Catholici Hispaniæ & Siciliæ Regis obitum exortos, menses quinque oppidanis expulsis Marsalam incoluerant, quicquid ibi vsquã gallinarum erat, deuoratum esset, regressisque ciuib. restituẽdo ibi earũ fœtui aliquot cõiugum paria e vicinis oppidis transportata essent, natos ex illis pullos vidimus paulatim agente cœlo, ad priorem excreuisse corporum magnitudinẽ. Marsalę deinde ad flexuosum littus stagnum adiacet Stagnonum vernacule hodie dictum: vbi quinque paruulæ sunt insulæ, & salinę complures. Quibus deinceps Caput S. Theodori, Burruni vulgo nominatum (vtroque enim nomine vocatur) statim præsto est. Vbi thynnorum præcipua per singulos annos exercetur captura. Huic vlterius Acithii amnis Ptolemæo, Birgis hodie appellati, ostiũ succedit. Emanat is flu. ex duobus fontibus sex p. m. a Salemi oppido emergentibus, altero S. Georgii, altero Maniadaino. In conspectu huius oræ, quæ inter Lilybæum & Drepanum p.m. 18. interiacet, in pelago tres insulæ sunt propositæ velut obiectæ moles: Æguſa, Sacra, & Probantia Ptolemæo & Plinio: Fauognana, Maretimus, & Leuansus hodie vocatæ. De quibus diffuse supra lib. 1. cap. 1. diximus. Et in euripo paruula insula Formicarum interiacet. In tota hac ora salinæ sunt plurimæ: in quibus effuso mari sal æstu concoctum gignitur: ex quo Drepanitæ immensum faciunt quæstum. Cæterum Ptolemæus hic Ægitharsum promontorium, & Segestanum emporium non recte posuit in tabulis: cum Drepanum non præcedant, sed sequantur.

DE DREPANO VRBE.

Caput II.

DREPANVM p.m. 18. post Lilybæum sequitur, vrbs insignis hodie, populo & nauibus frequens. A quibus vero, & quo primum tẽpore fuerit condita, ab authoribus, quorum opera habemus, non est proditũ. Sita est in chersoneso, & ad eius curuum littus. vnde Drepanũ, quod curuum siue falcem Græcis sonat, est denominata. quanquam Græci etymologiam nonnihil conuertant: qui sic appellatam eam volunt, quod Saturnus Cœlio patri virilia cum amputasset, cruentam falcem, quam drepanon vocant, in hunc locum proiecerit, quo postea vrbs condita Drepana fuerit vocata. Porro Græcorum fuisse ædificium, veluti & Erycem Troianorum, ducta per manus fama docet. Quod ipsum quæ inter Erycinos & Drepanitas inueterata est simultas, quorum illi Drepanitas cõtumelioſe Græcos appellant, probare videtur. Habet portum insignem, & Æneæ accessu (Verg. 3. Æn. referente) nobilitatum. In quo scopulus non adeo exiguus arci vetustissimæ, sed ætate mea restauratæ, quã Colũbaram vocant, quæque apud eos vetustatis significatione in prouerbium abiit, locum dedit. Primo bello Punico fuisse vrbem honestam, & illi bello satis accommodam, lib. 1. Polybius indicat. De qua & Cornelius Nepos in suo de viris illustrib. libello, quem Plinius secundus imitatur: Attilius (inquit) Calatinus dux Romanorum aduersus Carthaginenses missus, a maximis munitissimisque ciuitatibus Enna, Drepano, & Lilybæo hostilia præsidia deiecit. Eo tamen tempore non illius fuisse magnitudinis qua hodie conspicitur, mœnia vetustæ habitationis satis ostendunt. Mea nanque ætate quatuor fere larium milibus incolitur, & maximis mœnibus propugnaculisque a CAROLO CÆSARE Siciliæ Rege munitissima est reddita. Chersonesus præterea, ad quam sita est, dum hæc scriberem, in insulam arcẽque Siciliæ tutissimam redacta est. Inter Drepanum & Heliam insulam vti olim, ita & hodie corallium gignitur laudatissimum, vt lib. 32. cap. 2. Plin. scribit, & vsus rei testatur. Drepanense mare omni genere piscium refertissimum est, locustis præsertim, quos carabos appellat Aristoteles. Sunt aũt crustacei, rubenti corpore, aculeato & aspero, collo extenso, & plurib. pedibus, quib. forcipes desunt. Abũdat quoque gammaris, qui locus est apud Plin. & parum a locusta differens. In agro Drepanitano ad radices Erycis montis argenti est minera, quam vulgo Argenta hodie appellant: licet eius vsum minime exerceant. Portu Drepanitano emenso, duo occurrunt scopuli: quorum vni Bonum cõsilium, Porcorum alteri est nomen. Et mille prope sequenti ordinem passus turris S. Iuliani occurrit ad littus. Et paulo post non longe a littore paruula est insula ab Asinello dicta.

DE ERYCE MONTE ET VRBE.

CAPVT III.

DREPANO ad mille ferme passus interiacente planitie, quæ Chersonesi Drepanitani isthmus est, quem Auster vehemens frequenter infestat, Eryx mons apud poetas & historicos celebratissimus imminet. Quem subeuntibus templum D. Mariæ Annuntiatæ, & Carmelitarum adiunctum illi cœnobium tota Sicilia celeberrimum occurrit. Mons hic solus sine alterius cuiusquam montis consortio perstans maris fluctibus, qua Italiam spectat, alluitur: atque altitudine, excepto Ætna & Nebrode, omnes Siciliæ mõtes superat. Potissimo anni tempore nube cooperitur, ideoque tum neque sole neque sereno cœlo fruitur: aeris nihilominus tantam habet clementiam, vt ad centum & viginti ferme annorum ætatem ibi plurimi incolæ peruenerint. vnde aui proauique veteres fabulas sermonesque maiorum iuuenibus enarrant. In eius vertice planities est, vbi olim Veneris templum erat omnium ornatissimum atque opulentissimum. Et paulo infra, vrbs eiusdem nominis adhuc est, difficillimam habens expugnationem, vt lib. 1. scribit Polybius. Quæ licet ab editissimo monte pendeat, puteos tamen perennes habet plurimos. Sed & vnaquæque domus pro ratione

cisternam

ciſternam oſtentat. HancEryx,Butis,qui Bebrycia ob tyrannidem pulſus huc cõfugerat,& Lycaſtæ filius,a fundamentis erexit,& vna cum monte ſuo nomine inſigniuit.qui, quod Lycaſta mater ob inſolitam pulchritudinem ab accolis Venus appellaretur, Veneris filius ipſe quoque eſt dictus. Cumque decedente matre opibus & imperio cæteros regionis heroas antecelleret, templum ingens in arce matri Veneri,quæ inde Erycinæ cognomentum accepit,condidit dicauitque,ac vaſis ſacris & donis quam plurimis exornauit.Quod,mortuo Eryce, æuique curſu non ſolum cultu & donariis non eſt imminutum, ſed mira etiam incrementa ſuſcepit. Nam præter honores a conditore inſtitutos, Dædalus quoque genere Atheniẽſis architectura pręſtantiſſimus, Minoem Cretenſium Regem fugiens, a Cocalo Sicanorum Rege exceptus,cum per abrupta præcipitis & vltra modum editæ rupis iter ad templum eſſet anguſtum atque difficile: in eo ſaxo mira arte murum duxit ampliſſimum: quo viæ atque aditus ad ſacram ædem faciles ſunt redditi. Arietem quoque aureum Veneri & Eryci in templo tam eleganti artificio ſculpſit, vt viuus prope ab omnibus putaretur,quemadmodum Diodorus lib.5.refert. Æneas poſtea in Italiam cum pluribus Troianis veniens, plurimum illud excoluit, doniſque variis decorauit, vt Thucydides lib. 6. & Diodorus lib. 5. commemorant, Siculi præterea multis poſt ſeculis maxima religione,& ſubinde Carthaginenſes hac regione potiti,pientiſſime coluerunt. Sed omnium celeberrime Romani totam Siciliam adepti,ſignis argenteis aureiſque, ac anathematis etiam plurimis exornarunt. Quinimo & puerorum ludis, mulierumque conſuetudine, abiecta triſtitia, ſolutiſſima hilaritate ſacra ibidem Veneri peragebant. cui captas quoque in perpetuum miniſterium fœminas e Sicilia barbariſque gentibus, locataſque etiam, conſecrarunt.Quarum deinceps multitudine templũ refertiſſimum ſemper fuit, vt lib.6.tradidit Strabo.cuique (quod memoratu non eſt indignum)exacta a decẽ & ſeptem Siciliæ vrbibus numeroſi auri tributa in ſingulos annos decreuerũt:militeſque ducentos ad templi cuſtodiam perpetuo deſtinarunt. Denique &Romæ, ne e Sicilia decedentes,tantæ huius Deæ memoriam obliterarent, duo ei tẽpla ædificarunt. vnum, ante portam Collinam: in quo eius ſimulacrum quod M.Marcellus capta hac vrbe reſponſo Sibyllę Cumanæ Romã tranſuehi iuſſerat,repoſuerunt. alterum, in Capitolio: ad quod dedicandũ Fabius deſignatus fuit, vt author eſt Liuius.Scribunt lib. 9. Athenæus,& Ælianus lib.1.in hoc templo priſco tempore ſtatutis quibuſdam anni dieb. mille columbas apparere ſolitas,& ob id eos dies anagogas ab Erycinis appellatos, quod peregrinationis dies Latine ſonat.Credebat enim veſano errore ducta antiquitas, quolibet anno eiſdem diebus Venerem ex hoc Erycino templo in Libyam proficiſci,eamque abeuntem columbas comitari, & cum ea Libyam petere. Poſt nonum vero profectionis diem, columba vna ex iis quæ Venerem vſque in Libyam ſecutæ fuerant, ex alto veniens mari templũ hoc volatu ingrediebatur, atque feſtiua, vt aduentantis Veneris prænuntia,templum circumuolitabat: mox cæteræ columbæ vno agmine aderant, & templũ ingreſſæ maximo plauſu templi parietes,tectum,& aras ipſas volatu ſuo circumibãt. Quibus viſis Erycini profundiſſimo gaudio,cantibus,conuiuiis,& omni hilaritate ſimul,& vniuerſis ex vicinis oppidis populus in Veneris honorem diem feſtum cõcelebrabat: quod columbæ aduentantis Deæ vel certiſſimum eſſent indicium. Templum hoc cum vetuſtate poſtea collaberetur,auſpiciis Tyberii Cæſ. ex ęrario pop. Romani reſtitutum fuit, poſtulantibus id Segeſtanis: qui cũ illud a Troianis, ad quos & ipſi originem ſuam referebant,fundatum inceptumque propoſuiſſent, libentius ille reſtaurationis curam ſuſcepit, vt Suetonius in Tyberio,& lib.4.Cornelius Tacitus memoriæ prodiderunt. Id tamen templum refert Strabo,ſuo tempore vna cum eius colonia deſertum fuiſſe. Steterat autem olim in ipſo monte, vbi arx eſt hodie vaſta & ingens,& in rupe mire excelſa & præcipiti,ac amplo vetuſti operis ambitu, & magna ſui parte quadratis ex lapidibus ſtructa: in qua nullum quidem ſacræ ædis veſtigium in ſuperficie apparet: ſolum duntaxat arcis excauatum plures,& eos maximos ſubter prodit lapides. quin & foſſores in diuerſi coloris lapillulis teſſellatum incidunt pauimentum. quod Erycini templi monumentum

esse non ambigimus. Lapis quoque marmoreus ætate mea Latinis his literis inscriptus ibi repertus est: Deæ Veneri Erycinæ dicatum. Vrbs ipsa mutato priori nomine adhuc extat, Mons Drepani vulgo appellata, ob id quod Drepano mons ipse prominet. In archiuo autem regio Mons Sancti Iuliani hodie dicitur, quod (vt fama per manus ducta Erycini prædicant) cum aliquando ea vrbs dure ab hostib. esset obsessa, repente Diuus Iulianus, quem Baronem & militem appellant, armis instructus super mœnibus est visus. cuius numine territi hostes, partim fugati, partim vero non longe ab arce in loco cui hucusque Fossa Buscainorum nomen est, mortui sunt reperti. quo miraculo vrbs asserta, abinde cognomentum & insigne a Diuo suscepit. apud eruditos tamen & vetustatis decus, & priscum nomen incorruptum perseuerat. Antiquitatis signa, quæ in ea adhuc visuntur, huiuscemodi sunt. In singulis ædibus vetusta & pro familiarum proportione cisterna est. Domus est collapsa, quam corrupte Piscinã Apollinis Erycini appellant. Portæ vrbis duæ: qua Drepanum petitur, vna, & altera a Spatha dicta. Retinet & pleraque alia veteris ædificii ex quadrato lapide vestigia. Sed cum forma careant, quid olim fuerint, ignoratur. Nobilitatur autem vrbs hodie Alberti Carmelitæ ortu, pii viri & miraculis præclari. Sed nos Eryce omisso itinerarium persequamur. Ad radices Erycini montis, quæ mari alluuntur, post Drepanum vrbem ora est Bonagia vulgo appellata. Hæc est ora illa Æneæ illætabilis Anchisæ genitoris interitu. cuius sepulchro & ludis funebribus fuit illustrata. de quib. lib. Æn. 2. &. 5. abunde tractat Vergilius. Ad quam orã & Dionysius Alicarnasseus templum ab Ænea Anchisæ conditum hac inscriptione refert: Diui terrestris, qui fluuii Numici vndas gubernat. Statio est in hac ora eiusdem nominis, paruarum cymbarum capax, & thynnorum captura. Quam non longe sequitur fons ingens, statimque in mare procurrens, a Buyhuto Sarracenice nominatus, ad laxãdam aluum potus semel efficacissimus. cui vlterius ad p.m. fere. 3. Caput cophani succedit. Et deinceps ad p.m. 5. Ægitharsus promõtorium Ptolemæo, (licet ordinem non seruauerit) Caput. S. Viti hodie, a templo huius Diui (qui ob CHRISTI fidem vix anno ætatis suæ decimotertio mortem fortiter oppetiit) ad scopulos sito, appellatum occurrit. Id templum miraculorum fama celeberrimum, & confluxu hominum toti Siciliæ notissimũ est. quod quisquis a cane rabido morsus inuiserit, præsentaneum & nunquam nõ verum habet remedium. Promontorium etsi nullam hodie teneat coloniam, puteos tamen exhibet perennes, & inter duos angulos in mare procurrentes, stationẽ habet nauium capacissimam. Cui a littore. 500. passus recedens incubat rupes quędam a reliquo monte diuulsa, Conterrana appellata. quam vrbem olim fuisse, & terræmotu disiectam nulla authoritate, nulloque signo vulgus prædicat. Hoc promontorium vbi se curuato littore ad meridiem deflectit, sinum tota Sicilia maximum, sed importuosum, Gulfus castelli ad mare hodie vocatum, habet: quem duo efficiunt brachia. Quorum vnum ipsum est Ægitharsus promontoriũ, & Caput Rami est alterum. Sed ab Ægitharso littoralia percurrenti ad p.m. 12. Cetaria succedit Ptolemæo, (ita dicta quod thynni, quos ceteGræci vocant, ibi frequẽter & capiuntur, & sale condiuntur) Scupellus hodie nominata, piratarum statio. vbi Placentini Friderici secundi Cæsaris ætate oppidum duce Obdone erexerũt. quo ob loci angustiam, & hostium maritimorum incursiones relicto, Corilionẽ in mediterraneis coluerunt, vt eius diplomate constat. Cuius oppidi ruinæ adhuc sparsæ cernuntur, sola turri eiusdem nominis specula perstante. Emporium Segestanum ad p.m. 5. sequitur: quod p.m. 32. a Panormo distare lib. 6. scribit Strabo. cuius minima apparent vestigia. Non procul inde Castrum ad mare (oppidulum, frumentique emporium, quod a Friderico secundo Siciliæ Rege funditus euersum, hodie sola arce & vico colitur) distat: a quo sinus iste ingens hoc tempore nomẽ suscipit. Crinisius deinde fluuius est Thucydidi, Diodoro & Plutarcho, qui a Sancto Bartholomæo ab ædicula eiusdem nominis nunc appellatur. Oritur a duobus capitibus, quorum vnum supra Calatafimum surgit: alterum a stricto Soricis & a planitie Habitæ. Ex quibus dilapsus Segestam, quam ad leuã relinquit, præterlabitur: vbi Frigidus vocatur. quo loco Timoleontis contra Carthaginenses vi-

ſes victoria teſte Plutarcho in Timoleonte (cuius verbis & contextu hunc ipſum fl. Criniſium eſſe curioſo lectori apertiſſime conſtabit) factus eſt inſignis. Augetur deinde primum ex balneorum Segeſtanorum aquis, & mox Herbeſi æſtuantis fontis (qui Gurgus hodie nominatus fluuiolum Calidum appellatum ſtatim facit, & molas conuoluit) congreſſum admittit: & ſic auctus in mare erumpit. Nomen habuiſſe a Criniſio Aceſtis Regis patre plerique cenſent: etſi quod altas habeat ripas Criniſium Græce dictum fuiſſe quidam contendant.

DE SEGESTA VRBE, ET VICINIS OPPIDIS,

CAPVT IIII.

IMMINET Criniſii oſtio & huic ora ad meridiem p.m.5. Segeſta vrbs vetuſta, in colle vndiq; prærupto iacens, Barbara vulgo hodie dicta. id quod liquido oſtendũt ſulphureæ aquæ vicinæ, Segeſtanæ a Strab. appellatæ: Herbeſus fons propinquus, Segeſtanis ortus agris Solino: Criniſius fluuius Plutarcho, qui Fluuius frigidus eſt hodie, vt diximus: emporium ad oram ſitum, Segeſtanorum a Strabone nuncupatum, & tota hæc littoralis ora nominata a Thucydide libro .5. & Polybio lib.1. Segeſtana. Stupendæ præterea vetuſtiſſimi operis ruinæ, quas ibi eſſe in contextu recenſebo, apertiſſime identidem loquuntur. Huc accedit, quod Ptolemæus mediterraneam Segeſtam hoc loci ponit in tabulis. Fuit autẽ condita ab Ægeſto Troiano, ſuadente Ænea, vt Dionyſius Alicar. tradit. Laomedonte enim rerum in Ilio potiente, cum quidã nobilitate clarus, cuius nomen ſcriptores non explicant, ab eo deſciuiſſet, reus capitis cum omni virili ſtirpe condemnatur. Filias vero eius, quæ plures erant, cum hinc indecorum eas necare, inde Troianis nuptui dare minime tutum Regi videretur, in Siciliam per mercatores peregrinos deportari iuſsit. Delatus forte fortuna fuerat in eadem naui adoleſcens quidam, claro Phrygioque etiam ipſe genere ortus: qui vnius ex virginibus amore correptus, matrimonio illi iungitur: ſimulq; in hanc Sicanorum regionem, quæ Drepana eo tempore dicebatur, deportati, benigne ab inſulanis excipiuntur. vbi cum aliquandiu abſq; ſedibus habitaſſent: mulier illa infantem peperit. qui quod in ſyluis atq; inter capras fuiſſet editus, Ægeſtus eſt appellatus. cum autem adoleuiſſet, Troiam mortuis Laomedonte Phrygio, patre infœlicique matre, perrexit. vnde non diu poſt miſero illius vrbis excidio fugere coactus, cum Elymo regii ſanguinis ſocio Siciliam ad hæc loca reuerſus eſt. Quo cum profugus eodem ferme anno & Æneas fortunæ ventorumque imperio ad eos delatus, reſtituendo Troiano nomini ſuaſiſſet vt vrbem ſibi illic circa Criniſiũ fluuium vterque vnam conderent: perſuaſi continuo AEgeſtus AEgeſtam, Elymã vero Elymus non longe ab ea ſibi vrbes ædificarunt, ſuum quiſque ſuæ nomen indicentes. Quæ vt citius coaleſcerent, adiiciendæ multitudinis cauſa, ex ea gente quam ſecum nauibus aduexerat, in vtrãque vrbem colonos adſcripſit. Sed in AEgeſtam imbecilles tantum effœtoſque ſenes ac ægrotos, ob aquas ſulphureas quæ circum ea loca ſunt, congeſſit. quam quaſi ſub Elymi ditione eſſe voluit, tum quod ob regalem generis ſeriem Elymo hic honos deferendus, tum quod auguſtior hic vniendæ ciuitati, conciliandoque populo titulus videretur. Quocirca vtriuſque vrbis incolas Elymos vocari placuit. Quod ita breui tam auſpicato principio inualuit, vt & finitimi, vniuerſique illius regionis habitatores Elymi ſibi cognomen vltro vſurpauerint. Nec ab his, quæ fuſius Dionyſius Alicarnaſſeus ſcribit, Strabo diuerſum tradidit, cum Troianos a Philoctete ad Erycem vna cum Phrygio AEgeſta miſſos AEgeſtæ mœnia feciſſe memorat. Nec Cicero ab eis diſſentit, qui in Verrem.6. Segeſta (inquit) oppidum peruetus in Sicilia eſt: quod ab AEnea fugiente a Troia, atque in hæc loca veniente, conditum demonſtrant. Cum quibus con-

conuenit & Thucydides libro.6. cum Troianos vrbe incensa profugos, & in hanc Siciliæ partem delatos, duas has vrbes condidisse refert. AEgestani aliquot post annos AEneæ templum in hac vrbe, honoresque diuinos vouerunt, vt idem Dionysius refert. Philippo quoque Butacidi Crotoniatæ, Doriei, qui Heracleam in Sicilia condidit, socio, ob speciosissimam corporis formam heroico monumento extructo solennes sepulturæ eius hostias obtulerunt. Quod nulli alii mortalium antea concessum fuisse libro.5. scribit Herodotus. Sed licet vrbs prius a conditore AEgesta sit appellata, a Latinis postea, qui AEgestanos sese appellari ignominiosum ducebant, quod humile & sordidum esset nomen, præposita litera. S. Segesta est dicta. Verum cum hæc vrbs æui processu, virium suarum diuitiarumque fiducia, ab Agathocle Siciliæ Rege desciuisset: oppidanis omnibus apud fluuium Scamandrum interfectis, exulibus, transfugis, omnique id genus turba a victore repleta est. quam deinceps non Segestam, sed Dicæopolim, hoc est iustam ciuitatem, quod iusto in ciues eius supplicio animaduertisset, appellari iussit, vt lib.20. scribit Diodorus. Siquidem ante id tempus validam fuisse, & cum finitimis non infœliciter aliquando pugnasse, apud scriptores constat. Quo nomine & apud Thucydidem lib.5. potens vocatur, cum ab ea Selinuntios superatos, victoriæque non indignis trophæis claruisse commemorat. Refert ex Aristide Plutarchus in Parallelis, in ea AEmilium Censorinum sæuissimũ fuisse Tyrannum, qui, si quis nouum cruciatus aut tormenti genus excogitasset, eum donare muneribus solitus sit. Qua fama cũ Aruntius Paterculus equũ ex ære fabricatũ crudelissimi inuẽti inuentum sub magni præmii spe ei, quasi tyranno crudelique ingenio dignum munus, obtulisset: ille stupefacto, alienatoque a tanta sæuitia animo, ipsum artificem, vt quam pœnam ille cæteris excogitasset, omnium primus ipse subiret, in eo constrictum mox e Tarpeio monte præcipitẽ dedit. Erat Segestæ inter reliqua Deorum superstitionis signa Dianæ simulacrum ex ære singulari opere confectum, in summa apud Segestanos veneratione (vt in Verrem Cicero tradit) amplum & excelsum valde, cum stola ætate & habitu virginali, quem eius magnitudo ingens nõ adumbrabat, sed cũ procerit ate virginalis forma resplendebat. Pendebant ab eius humero sagittæ. sinistra arcum, dextra vero facem ferebat ardentem. Hoc signũ a Pœnis, Segesta, cum suo nomine nulloque hortante bellum mouisset, superata, capta, disiectaque, cum reliquis omnibus signis ornamentisque Carthaginem, cui magno id decori futurum fidebant, deportatum est. Quod post aliquot annos. P. Scipio iunior, tertio bello Punico expugnata dirutaque Carthagine, inde ablatum Segestanis reddidit. Qui eo beneficio affecti, suis illud sedibus summa cum ciuiũ gratulatione ac lætitia, & in basi excelsa reposuerunt: eique in capite typis regiis. P. Scipionis Africani nomen, totiusque liberalitatis historiam, in perpetuum gratitudinis argumentum incisam adiunxerunt. Id deinceps cum Verres e Segesta sibi auferre decreuisset, ob maximam, qua ab omnibus colebatur, religionem, nemo neque ciuis, neque seruus, neque peregrinus proprio loco ausus est dimouere. quod cum a quibusdam Lilybitis, eisque etiam rei ignaris, & mercede conductis, conclamante senatu sublatum esset, matronæ ac virgines Segestanæ omnes cõuenere vnguentis perfusæ, thure odoribusque incensis, furtum quasi totius vrbis funus vsque ad agri Segestani fines multis cũ lachrymis, gemitu, & eiulatu sunt prosecutæ. Hæc vrbs Romanis Siciliæ dominantibus libera erat: quam & cum populo Romano non solum amicitia & societate, sed cognatione quoque coniunctã fuisse in Verrem.6. scribit Cicero. Eam vero quis post Carthaginenses penitus deleuerit, incompertum habeo. Huius cadaueris cũ ante me nulla apud nostrates fuisset memoria, (quippe qui Segestam magna vetustatis imperitia Conterranam fuisse erediderant) ex authorum collatione & argumentis apertissimis proprium nomen ab interitu a nobis vindicatum est. Habet adhuc antiquitatis monumenta visu dignissima. vrbem enim, quæ ascensum habet non difficilem, licet angustum & arte elaboratum, ingredientibus statim theatrum occurrit semidirutum. fanum quoque intra mœnia, prisci operis monumentum, quadratis ex lapidibus, testudinatũ ac integrum prope superest: quod in Diuæ Mariæ cultũ transabiit.

Cæteraq

Cæteraque vrbis omnia magnis lapidibus proſtrata, ac ciſternę plurimæ adhuc in dirutis domibus affectæ conſpiciuntur. Sub vrbis vero mœnibus dextrorſum ante quam vrbem aſcendas, templum Cereris eſt maximum, nulla pene ex parte violatum, tredecim vtriuſque ſublimibus columnis ſuffultum, in quo nihil præter tectum deſideratur, Cerêris media producta ab imperitis vulgo hodie nominatũ, Segeſtanæ vrbis proſtratæ nobiliſſimum vetuſtatis monumentum. Extra mœnia id fuit conditũ, quod Cereris templa ſemper in angulis ac ſeceſſibus, quo frequenter homines non confluebant, ex antiqua ſuperſtitioſæ religionis conſuetudine (vt Vitruuius docet) conſtrui ſolerent. Numiſmata etiam in vrbe paſſim a foſſoribus fabriſq; cæmentariis ſæpenumero ex ære & argento reperiuntur, ex vna parte humani capitis, Græca cum inſcriptione SEGESTANON, ex altera vero gallinæ (ſi recte ex oculari animaduerſione cognoui) ſigno incuſa. Scaturigines aquarũ ſunt in his agris ſulphureæ contra varios morbos vim ſecum afferentes. Abſunt ab vrbe ad aquilonem mare verſus. p. circiter mille balneæ, Yammeth Sarracenice, (quod balneas ſonat Latinis) licet corrupte, vulgo Calameth hodie appellatæ, a diruto Sarracenorum oppido ibi olim condito, quod Normannis in Sicilia regnãtibus extabat, vt Rogerii Comitis diplomate oſtenditur: hac vero ætate ruinas tãtum demonſtrat. De his aquis lib. 6. in hunc modum Strabo: Calidarum aquarum ſcaturigines habet Sicilia multis in locis. E quibus Selinuntiæ, & ad Himeram, ſalſæ ſunt: Segeſtanæ vero potabiles: quod vſu etiam euenire ſumus experti. Aquæ etenim hæ, licet calidiſſimæ ſint & ſuphureæ, quia tamẽ ſalis minerã non tranſeũt, veluti Selinuntiæ, quæ Saccenſes: & Himerenſes, quæ Thermitanæ ſunt hodie, ſi refrixerint, potabiles ſunt. quod Segeſtanas has eſſe aquas a Strabone appellatas, & vrbem hanc proſtratam Segeſtam fuiſſe, vel ſolum argumentum apertiſſime declarat. Sub his ad iactum fundæ ingens lacus calidus eſt ſulphureus, qui ſubita eructatione æſtuãs ac feruens Herbeſus Solino, a nobis Gurgus hodie appellatur. Cuius aquæ cum omnibus circumuicinis vno nomine Segeſtanæ a Strabone & cæteris veteribus vocabantur. Scribit AElianus lib. 2. a Segeſtanis Criniſium, Porpacem, ac Telmiſſum fluuios virili forma pingi ſolitos: quorum duos poſteriores pro Herbeſo & Balneo nominari arbitror. Et de Segeſtæ quidẽ ſitu hucuſque. nam de rebus geſtis eius in hiſtoriis. Traiecto Criniſio fluuio dextrorſum ad. 3. p.m. & a mari. 4. milia ſemotus mons excelſus, & vndique præruptus, ac in acutũ ſurgens prominet. Ad cuius verticem Alcamus aliquando fuit, ab Halcamah Sarracenorum qui Siciliam occuparunt, duce (vt in Africa recenſet Ioannes Leonis) in ſuam ibi conditum tutelam, ſuoque nomine inſignitum oppidum. licet pulſis Sarracenis a Frederico ſecundo Siciliæ Rege (vt eius priuilegio dato Iulianæ anno ſalut. 1332. conſtat) ad montis Bonifati radices, qua mare ſpectat, conceſſa munerũ & militiæ incolis vacatione, translatũ ſit: quod locuples & nobile eſt, & Alcami nomen retinet. Et quamuis oppidum a Sarracenis ad montis verticem conditum diu Chriſtianorum tempore perſeuerauerit: Martini tamen Siciliæ Regis imperio (vt in noſtris annalibus legimus) deletum eſt. Cuius & veſtigia ſemidiruta adhuc cernuntur, & nomen perdurat. Pro mœnibus Alcami recentis oppidi, vbi cœnobiũ eſt hodie fratrum prædicatorum, ædis eſt illi coniuncta, Diuæ Mariæ de Stella inſcripta: quæ translationis tempore parochialis eius oppidi erat ædis: poſtea cõcurrente populi multitudine, paulo altius ampliatum, & muro cinctum, ac frequentiſſime habitatum eſt. Calatubus Sarracenorum olim oppidulum, nunc ſola arce & veſtigiis cognitum, Alcamo ad paſſus mille verſus mare ſubiacet. Ad oram poſt Criniſii fluuii oſtium Bathys amnis oſtiũ occurrit Ptolemæo, Iati hodie dicti. Oritur is inter Ietum iacens oppidum, & Scalam curiæ, a fonte cui Cannauera eſt appellatio: & augetur mox ex Bizolo fonte, & deinde ex Cluſæ fonte, qui in ſpecubus ſcatens in diuerſas formas lapideſcit, cũm quibus Gineſtra fons iungitur. Hi fontes ſub lato monte poſtea confluentes, fluuium faciunt, qui molas conuoluit, & Iati nomen ſuſcipit. quem ad ſiniſtram, Mirabellam vero arcem ad dexteram relinquit. Dilapſus deinde ad. 4. m. paſſuum ſiniſtrorſum fluuium Ballecti in eodem agro oriundum recipit: & decurrens Giſiam in collis radice ſitum, ſed dirutum

oppidum

oppidum primum, deinde Tayhurum Sarracenici nominis dirutum etiam oppidum, eius sibi arrogato nomine, præterlabitur: & defluens pristino Iati nomine resumpto in mare sese immergit. Iati. flu. ostio transmissis Parthenicus ager, & Ilius ora, Antonino Pio, Sarracenorum oppidulum Rogerio Normãno Siciliæ Comite imperante, quod defecit, obuiam fit. Hodie ager nomen retinet, & nemori cognomentum dedit toti Siciliæ ad latrocinandum olim accommodato, notissimum. Quo mea ætate conuulso, ager vinetis est consitus, & oppidulo Sala nobilitatus: vbi aquis est irriguus, & cannæ mellitæ feracissimus.

DE ELYMA VRBE.

CAPVT V.

AB Iati faucibus. p. m. 3. Sancti Cataldi turris specula ab ædicula eiusdẽ nominis appellationem habẽs occurrit, & iuxta eam fluuii Diui eiusdem titulo inscripti ostium. Ortum habet in vicinis montibus excelsis ex fonte Renda, augeturque deinde pluribus fontibus, quorũ impetu ad conuoluendas molas frumentarias sufficit. Vnde dilapsus, Nucillæ nomen a taberna hospitatoria, per quam Panormo Alcamũ est iter, suscipit: cum quo excurrens ad. p. m. 3. in pelagus sese exonerat. Vbi sinum maris piscu-
lentissimi capacissimum, atque in eius interiori recessu loco prominentiori arcis vetustissimæ, quondam ad maris littorisque custodiam extructæ, magna ex quadratis lapidibus habet vestigia. Iuxta quæ multi specus habitationi peridonei, fenestrellis quibusdã in mare despiciunt: in quibus verisimile est speculatores olim, obseruatoresque nauium hostilium, quas & ex his locis (si necessitas postularet) facillime offendere poterant, habitasse. Et non procul inde nisi. p. 500. ad meridiem fons est ingens agrum adiacentem irrigans, & in mare fluens, quem Aquam Regis vocant. cui & turris superimposita, & vetustate & industria, nominis quoque perpetuitate Regem conditorem præ se fert. Agri præterea vicini frumenti, vini, oleique sunt feracissimi, & plurib. permagnis fontibus ibi scaturientibus irrigui. Imminet huic sinui. 2. a. mari. p. m. mons arduus, excelsus, præruptus, atque vnico ad orientem ac mediterranea ascensu tutissimo quidem, & paucissimi præsidii indigo difficillimus. in cuius vertice planities est mille ferme. p. cuius totum ambitum ingentes magnæ vrbis, & prostratarum ædium ruinæ, lapides immensi, regulæ lateritiæ inauditæ crassitudinis, vasa fictilia antiquissimæ, inusitatæq; tã nobis quam Sarracenis formæ, ac pro singulis liminibus singulæ fere cisternæ, quales & in Eryce & in Segesta vrbibus notauimus, sparsim & confuse occupant. Ad angulum vrbis, qui mari & Zephyri flatibus prominet, magnæ arcis diruteq; cisternarum, ædiumque, ac murorum ingentium vasta cernuntur monumenta. Ingressum quoque eius, mœnium amplissima quondam murorum compagine, lapidũq; quadratorum fabrica insurgentium magna fragmenta impediunt. Pro mœnibus quoque iacentium domorum, murique, quo sepiebantur, reliquiæ, suburbium aut pomarium bene constitutæ ac populosæ ciuitatis extitisse declarant: quam Alymiten, siue Palymiten vulgo hodie vocant. Hanc vrbem nominis pene solius vicinia Elymam Troianorum vrbẽ, cuius supra meminimus, fuisse, licet satis ex se probetur, aliæ tamen non desunt rationes plures efficacioresque, quibus id hucusque Siculis ignoratum confirmem. Primum enim Elymam his agris stetisse, Dionysii Alicarnassei ac Thucydidis authoritas docet: Thucydidis, qui lib. 6. Soloentum, Panormum, & Motyam finitima Elymis ponit: Dionysii vero, cum Segestam & Elymam in hac regione agrisque conditas scribit. Quod vtrunque cum descriptoa nobis situ munitissimo respondet. Quis vero dubitat in tanta duorum profugorum Troianorum Egesti atque Elymi societate, vicinos maxime & munitissimos in cõdendarum vrbium instituto agros placuisse? Segestani nanque agri quales fuerint, ostendimus. Hi vero vbertate frumenti, rerumque omnium ad vitam conducibilium abundantia, aeris amœnitate, irriguisque fontium suauissimorum scatebris non

non modo Segestanis nulla ex parte inferiores, sed etiam longe (vti & maiorum illustri ac regia prosapia dignior erat Egesto Elymus) superiores sunt. Inter quæ & argumentum non infirmum præbet ex plurimis, fons ingens, aliisque & naturæ & artis præstantia merito prælatus, quingentis pas.a. S. Cataldi arce remotus, vsque ad mare agros perenniter irrigans, ac fœtis saccaro arundinibus vtilissimos humores inferens: quem (vt diximus) aquas adhuc Regis vocant. cui & turris vetustissima, quadratis ex lapidibus inusitata Græcis & Latinis arte elaborata, superstructa, nomenque Regis perpetuum Regem conditorem antiquissimum, quem Elymũ fuisse coniicimus, significat. His accedit quod, cum in illius sinus ingentis superiori brachio Segestam constitutam iam constet, in inferiori Elymæ sedem determinatam fuisse, vt pote in loco vicino, vt, si necessitas postularet, auxilio sibi inuicẽ cognatæ ciuitates statim adessent, plusquam verisimile haberi debeat. Postremo architectura cum Segestana, atque Erycina, & liquæ sunt aliæ Troianorum operum, conueniens, omni posthac dubitationi finem imponit. Neque est quod quenquam moueat aut istius ambitus angustia, aut nominis (quod in initiis non Egestã modo ipsam, sed finitimos omnes sub se agros cõtinuisse diximus) tanta apud scriptores obliuio. Nam (vt sunt res humanæ) multis id rationibus, aut Elymi immatura morte rerum omnium summa ad Egestũ delata, aut præpropera defectione, aut fauoris popularis ad Egesti res maiori propensione facile obliterari potuit. Neque tamen ex eo inferri potest eam aliquando Elymam non fuisse, cum adhuc hodierna vrbis appellatio cum ea satis consentiat. Erat ea (quantum ex ambitu colligitur) bis fere mille laribus habitata. in qua ad eius verticem Æneas Veneri arã erexit, vt Dionysius refert. At quæ ex tot ruinis, quæ miratu dignæ ibi hodie cernãtur, huius aræ sint monumenta, incertum est nobis. Sed de Elyma hactenus fusius quam decreueram: sed eo fortasse non inutilius, quod iacentem vrbem tam antiquam, & ab eruditis diu desideratam, anno salu. 1556. Iunio mense tam parua chartula in vitam quasi reuocarim. Caput Rami deinceps est alterum huius sinus ingentis brachium, & nauigiorum statio, Calaporrus nominata: & intus ad mille passus ex quadratis lapidibus priscæ habitationis ruinæ: quæ cuius antiquitatis vestigia sint, incompertum ego habeo.

DE HYCCARA ET MOTYA, vetustissimis oppidis.

CAPVT VI.

VLTERIVS post Elymam & Caput Rami, Hyccaris, vetus maritimumque in hac ora oppidum (vt Thucydides li. 6. & Antoninus Pius in suo Itinerario testantur) ad p.m. 12. situm, defecit. Cuius ruinæ prorsus iacentes adhuc extant loco Garbolangi vocitato. vbi turris superstructa hodie est, thynnorumque captura. Perseuerat autem prisci nominis id tantummodo vestigium, quod locus ille Murus Carinis appellatur, ab antiquo proculdubio deriuatum. vbi & Hyccarim vetus oppidum fuisse authores prędicti indicãt, & Hyccarinenses ipsi fama per manus ducta prædicant. Intus quoque ab eisdem ruinis ad p. m. 3. in rupe Carinis est hodie recens oppidulum. inter quod oramque ingens planities, aquis ex collibus oppidulo prominentibus defluxis irrigua, cannæ mellitæ ferax, interiacet. Id oppidum D. Gregorii Romani Pontificis ætate extabat Episcopali dignitate nobile, vt in suo regiſtro ipse Gregorius scribit, qui ad Barbarum Episcopum Carinensem, vt electioni Panormitani Antistitis præsit, literas dat. Fuisse autem Hyccarim a Sicanis antiquissimis Siciliæ populis conditum, lib. 6. in hæc verba testatur Thucydides. Post hæc (inquit) reliqui duces Athenienſium in Siciliam diuiso bifariam exercitu, ac sortito imperantes, cum omnibus copiis in Selinuntem nauigant, atque ad Egestam, ad cognoscendũ quidem daturi ne forent pecuniam Egestani, an non. Sed ad explorandas quoque res Selinuntinorum, discendamque controuersiam quæ inter illos esset & Egesta-

nos, profecti, ac Siciliam a siniſtra habentes, qua parte vergit ad Tyrrhenum sinũ, Himeram tenuerunt: quæ vna est Græca vrbs ex omni illa Siciliæ ora. vbi non receperi redierunt. & cum præterueherentur, ceperunt Hyccara, vicum Sicanicum quidem, sed hostilem Egestanis: erat autem maritimus. Quem quidem vbi diripuerunt, Egestanis tradiderunt. hucusque Thucydides. Et Diodorus lib. 13. Duces (inquit) Atheniẽsium, qui rem in Sicilia gerebant, appulsa ad Egestam classe, Hyccara Sicanorum castellum capiunt. Cuius ex præda & spoliis ad centum talenta venundatis omnibus coegere. Exactis præterea ab Egesta triginta talentis Catanam repetunt. hæc Diodorus. Hyccara ob Laidis meretricis præstantissimam formam apud veteres authores maxime celebratur. In eius namque ab Atheniensibus direptione fuit capta, vt lib. 2. his verbis tradit Pausanias. Ante Corinthũ (inquit) Laidis etiam sepulchrum est, cui leæna inscalpta est, prioribus pedibus arietẽ tenens. Ostenditur etiam in Thessalia Laidis monimentũ. venisse enim in Thessaliam dicitur, Hippostratum amatorem suum secuta. Primum quidem ab Hyccaris, (Siciliæ id oppidum est) a Niciæ militibus cum adhuc puella esset, captam: Corinthum deinde ab eo cui vendita est, adductam, meretrices aiunt longe omnes suæ ætatis corporis forma anteisse. Tantæ autem fuit Corinthiis admirationi, vt nunc etiam de Laide certent. Plutarchus quoque in Nicia: Post hæc (inquit) exercitum Catinam ducens, cum illi se sponte dedidissent, nihil memoratu dignum gessit, nisi quod Hyccarensem agrum a barbaris tunc possessum populatus est. Vnde & Laidem postea formosissimam meretricem, tunc vero paruulam admodum puellam, inter alios captiuos abductam, & in Peloponnesum deuectam fuisse tradunt. hactenus Plutarchus. Nymphodorus Syracusanus etiam in lib. de admirabilibus Siciliæ, referente lib. 13. Athenæo: Lais (inquit) ex Hyccaro loco Siciliæ munitissimo fuit. Timæus quoq; li. 13. (vt idem Athenæus refert) ex Hyccaris Siciliæ eam fuisse memorat. Fuit itaq; illa ex Hyccara hoc Siciliæ tum ad mare sito oppido, genita Epimandra & ipsa Hyccarensi, insigniq; impudicitiæ matre. Quam cum Philoxenus poeta a Dionysio Tyranno accepisset, Corinthum duxit. vbi & ab omnibus dilecta celebris adeo facta est meretricula, vt Alexandrum ad Persas e Corintho fuerit comitata. Sed Lais longe pulchrior matre, cum esset paruula, Corinthum a victoribus ducta belli iure cum reliquis vendita est mancipiis. Quæ longe nobilius matre scortum euasit, ac forma omnes sui temporis meretrices superauit. Hãc adeo formosam fuisse lib. 13. capite 20. tradit Athenæus, vt pictores non alia ratione magnis itineribus, magnoque pretio eam adirent, nisi vt eius mammas pectusq; in sua arte imitarentur. Quam cum aliquando Apelles pictor insignis a Pirene Corinthiaco fonte aquam ferentem vidisset, formæ eius admiratione fertur obstupuisse. De ea quoque & in hæc verba lib. 1. cap. 8. Aulus Gellius: Lais (inquit) ob elegantiam venustatemque formæ grandem pecuniam demerebat: conuentusq; ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erãt. Nec admittebatur nisi qui dabat quod ea popoſcerat: poscebat autem illa nimiam quantitatem. Hanc amauit (vt Athenæus lib. 13. refert) Aristippus, Demosthenesque orator, & Diogenes. Sed Demosthenes cum ad eam aliquando clanculum adiisset, & illa decem drachmarum milia popoſciſſet: tali petulantia, & ea magnitudine pecuniæ territus, ab eaque auersus: Non emo ego (inquit) tanti pœnitere. Hinc vulgatissimum illud apud Græcos prouerbium exortum: Non cuiuis homini contingit adire Corinthũ. significantes frustra Corinthum ad Laidem petere, qui dare non posset quod illa exigebat. Plura alia de ea commemorat Athenæus, quæ consulto nos omittimus. Erat autem licet formosa, ferissimis tamen moribus, ob quos axine, hoc est securis, appellabatur, vt lib. 12. ex Aristophane narrat Ælianus. De eius morte hãc sententiam ex Polemone tradit Athenæus: quod a Thessalorum complurium, qui nimio amore illam dilexerant, vxoribus inuidia & zelotypia macescentibus, inter sacra, ad quæ viris conuenire non licebat, ligneis fudibus interempta sit. cuius ob id in Thessalia tumulus ostendebatur. Corinthii vero, qui natales quoque eius sibi vendicabãt, Corinthi defunctam eam esse contendebant, atque extra vrbis mœnia iuxta Bellerophontis fanum, atque Veneris cognomento Melanidis sacellum, moni-

monimentum eius insculpta leæna prioribus pedibus arietem demulcente, ostendebant. Vnde apud plerosque scriptores adhuc pro Corinthia memoratur. Sed ad Hyccaram veterem redeo. cuius sparsa quædam, & ea minima fragmenta ibidem, sed & lapicidinæ non procul inde Hyccarenses, Pierrerazæ (quod Siculis idē sonat) dictæ, extant. Recens vero oppidulum & a mari. 3. p. m. recedens, a quo fuerit conditum, incompertum est. arcis tamen magnifice in eo extructæ Manfredum Claromontanum authorem fuisse, etiam insignia eius familiæ ibi sculpta testantur. In agro Hyccarensi specus est, cui a Longo est nomen: vbi gigantum ossa reperiuntur. In hac ora maritima, albescente die, militaris exercitus ac classis ingentis aereæ imagines (quod aliis quoque locis notasse me supra memini) frequenter cernuntur, Ruffini exercitus ab Hyccarensibus appellatæ, quæ exorto sole in aerem abeunt. Post Hyccaram deletum oppidum ad. 2. p. m. paruula illa Fœminarum insula hodie, sed a Guilelmo Rege secundo Fimi appellata, & a littore 500. passus recedens succedit. Quam Motya vrbs vetusta Thucydidi lib. 6. & Diodoro. lib. 14. ad p. circiter mille sequitur, in sinu quem Portum Galli hodie nominãt, sita. vbi & turris est specula a Sferracaballo vernacule dicta, ob lapides acutos, quibus a natura semitæ sunt stratæ. Cuius vrbis pauca admodū ibi vestigia, & obruta, solo operta, sed maxima, apparent, lapidumque quadratorum, eorumque ingentium mira monumenta. Hanc vero Motyam vrbem ipsam esse, authoritate Thucydidis lib. 6. primum probatur: qui Motyam, Panormum, & Soloentum non multum inter se dissitas, Elymitis finitimas, & eodem tempore a Phœnicibus habitatas vrbes tradit: Diodori præterea lib. 14. argumento, qui vicinam agris Pãormitanis, & sinum in hac ora maritimum ei adscribit. Annibal Giscónis filius (inquit) cum ad Selinuntem expugnandam Carthagine Lilybæum venisset, ingentē classem, quam secum adduxerat, ad Motyæ sinum misit, secum retentis militibus: quo facto Syracusanis persuaderet, se neque ad bellum eis mouendum, neque Syracusas nauigaturum, venisse. Et paulo inferius: Selinunte (inquit) Hermocrates Syracusanus exercitum sex milium armatorum instruxit, & inde egressus Motyanorum agros populatus est. Ex populo præterea, qui sibi ante vrbem obuiã exierant, quingentos occidit, reliquos vero intra muros inclusit. Superatis igitur iis qui ab vrbe progressi fuerant, agros Panormitanorum finesque vastauit, & ingentem prædam cõsecutus est. hucusque Diodorus. Ex cuius verbis hæ mihi rationes colliguntur, quod, cum tota hac ora Panormo vicina, sinus, præter Soloentum & hunc quem Galli portum vocant, nullus sit, & nullibi deletæ priscæ vrbis vestigia Panormo propinqua, & ad mare sita, præter hæc, quæ licet obruta, admiranda tamen sunt, appareant: iure optimo hanc vrbem fuisse Motyam iudicandum sit. Motyas in Sicilia tres fuisse Græci tradiderunt. Quarum eam quæ ad Pachynū est, suo loco satis descripsimus: altera in Agrigentinis agris sita eorum erat præsidium: quam & nos in mediterraneis explicabimus. Tertia est hæc, quam Phœnices incoluisse lib. 6. Thucydides refert. Sed quis eam deleuerit, adhuc me latet. Caput Galli Motyæ succedit, ac deinde turris specula in scopulis structa a Mondello nomen habens. Et vlterius mons Panormo vrbi. m. p. prominens sequitur, Peregrinus hodie appellatus, sibi soli constans, & vndique præcisus. In summitate planitiē habet culturæ & pascuis peridoneam. a mari & a mediterranea regione rupes habet inaccessas. aditū vnicum exhibet, qua Panormum meridiemque respicit: quē duo vel tres custodire possunt. In montis medio tumulus exurgit, qui speculæ simul & arcis locum obtinēs, turrim habet super impositam, vnde piratarum & hostium matitimorum aduentum igne emisso Panormitanis significare moris est.

Peregrino monte peragrato, Panormus vrbs, quæ ad mille fere passus flexo sequitur littore, sequenti libro describenda est.

F. TH. FAZELLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS

LIBER VIII.

DE PANORMO VRBE,

CAPVT VNICVM.

PANORMVS Vrbium Siciliæ maxima & princeps est hodie, ac sedes regia. Sita est in campestri solo, & in ora, quam (lib. 7. teste Herodoto) Pulchrum littus vocabat antiquitas. Vnam eius partem mare Tyrrhenũ alluit: cæteræ tres lato patent campo, qui montibus asperis & excelsis, arborumque prorsus expertibus, omni ex parte cingitur. Agros planos diffusosq; cõplectitur, in circuitu passuum milibus plus minus viginti quinque, qui immensi cuiusdam amphitheatri instar, & qualem sola rerum natura effingere possit, maximam voluptatẽ e proximis cliuorum iugis prospicienti gignit. Neque enim terras, sed formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictã repræsentat, ea varietate, eaque descriptione, vt quocunque inciderint oculi, reficiantur: adeo latus, amœnus, apricus, atque vber est. Enimuero mali Medici, citrii, Punici, ac cæterorum omnium cuiusuis generis fructuum feracissimus est. Frumenti præterea, vini, oleique, ac segetis mellitarum arũdinum, adeo est fœcundus, vt Liberum & Cererem, omnesque humanæ societatis conseruatores planetas, in eo honestando liberaliter inter se contendisse existimetur. Ager inquam non Siciliæ modo, sed Italiæ quoque pulcherrimus: quem pluribus, iisque placidissimis fontibus ibi natis, splendidissimæ ac saluberrimæ aquæ omnibus locis interfluunt irrigantque. Quarum perpetua scaturigine, rerumque omnium abundantia simul, & hortorum viriditate, animis vel tristibus semper arridet. Hinc Callias lib. historiarum. 8. (referente Athenæo lib. 12.) Panormum non absurde totum hortum interpretatur, quod domesticis arboribus speciosissimis vndequaque constitus sit, & vnicum totius Siciliæ delicium. Scribunt ex veteribus plærique, quod Panormi ad mœnia eius septentrionalia stagnum olim fuerit maritimum, quod passus prope mille vsque ad eum locum, qui Papyritus dicitur, ingressum, portum efficiebat capacissimum, ac tutos nauibus præstabat receptus, vt Procopius lib. 5. de bello Gothico significare videtur, & Panormitani ducta per manus fama prædicant. vnde etiam vrbi nomen inditum fuisse nonnulli affirmant. Panormus enim Græce non modo totum hortum, vt Callias & Athenæus referunt, sed totum

tum quoq; portum Latinis sonat. panſiquidem totus vel tota, Græce, hormus vero hortus vel ſtatio eſt Latine. Eius porro originem in Phœnices, quo tempore Græci Siciliam traiicere cœperunt, Thucydides libro 6. referre videtur. cuius hæc ſunt verba: Phœnices præterea per eam inſulam paſſim habitauerunt, occupatis ad mare promontoriis, & paruis circa inſulis, negotiandi cum Siculis gratia: & poſtquam permulti Græcorũ illuc cum nauibus traiecerunt, omiſſa nauigatione Motyam, Soloentum, & Panormum finitima Elymis oppida ſedibus ibi poſitis coluerunt, freti cum Elymorũ ſocietate, tum quia exiguo illinc in Carthaginem traiectu Sicilia diſtat. Petrus quoque Ranzanus, ordinis Prædicatorum, Lucerinus Epiſcopus, in ſuo quem de Panormo edidit libello, a Chaldæis, Damaſcenis, & Phœnicibus eam multo ante tempore quam definiuit Thucydides, duabus Chaldæis inſcriptionibus, quæ Panormi in lapidibus inciſæ palam ab omnibus ſpectantur, fundatam oſtendit. Quarum vna marmoreo ſaxo inſculpta, Guilelmo ſecundo rerum potiente, ab Abramo genere Damaſceno, viro rei medicæ peritiſſimo, in hanc ſententiam Latine verſa eſt: Viuente Iſaac filio Abrahæ, & regnante in Idumæa atque in valle Damaſcena Eſau filio Iſaac, ingens Hebræorum manus, quibus adiuncti ſunt multi Damaſceni atque Phœnices, profecti in hanc triangularem inſulam, ſedes perpetuas locauerunt in hoc amœniſſimo loco, quem Panormum nominauerunt. Cæterum quo iam lapis ille inſignis peruaſerit, ignoratur: licet plura eiuſcemodi marmorum monumenta ſint Panormi, in quibus inſcriptos literarum characteres admiramur: quos quia nec Græci, nec Chaldæi, néque Arabes noſtri temporis legere potuerunt, vulgi opinio eos e Troiæ excidio Panormum aduectos tenet: cum non Troiæ, ſed Panormi vetuſtatem contineãt. Hos, cum ciuium incuria inertiaque paſſim mea ætate proiecti conculcarentur, ne tam certa antiquitatis Panormitanæ monumenta interirent, Senatus (meo authore) 1552. ad prætoriam vrbis cutiam aſportari curauit, præter eum qui in ædium Gerardi Agliati, Siciliæ olim Protonotarii, angulo fundamentis obrutus eſt: quem eum ipſum eſſe qui deſideratur, Ranzanus arbitratur. Altera autem inſcriptio in vetuſtis illis quadratiſque ſaxis, quibus veteris vrbis porta quam Patitelli appellant, eſt excitata, ſimilibus Chaldæorum typis inciſa ſupereminet, & cuiuis in propatulo eſt. Quam Petrus ſpecialis anno ſalutis 1470. cum Prætura Panormi fungeretur, ab homine Syro in hunc modum verti fecit: Non eſt alius Deus præter vnum Deum. Non eſt alius potens præter eundem Deum. Neque eſt alius victor præter eundem quem colimus Deum. Huius turris præfectus eſt Saphu, filius Eliphar, filii Eſau, fratris Iacob, filii Iſaac, filii Abraham. Et turri quidem ipſi nomen eſt Baych: ſed turri huic proximæ nomen eſt Pharath. Quæ verba ſuperiorum non ſolum fidem augent, ſed vel ſola Panormum Chaldæorum fuiſſe ædificium, ex ſeſe confirmant. Nam cum ex iis literis Saphum non condidiſſe eam turrim, ſed præfectum illius fuiſſe conſtet: Panormum & ante Saphi tempora extitiſſe, & illius primordia in huius maiores (qui Chaldæi fuerunt, vt Geneſeos cap. trigeſimo ſexto ſcribit Moſes) referri, nihil vltra dubitandum eſt. Neque enimuero eſt quod in Siciliam Chaldæos aliquando veniſſe, vrbemque condidiſſe, quiſquam fabuloſum exiſtimet: cum authoribus Beroſo & Diodoro; Chamus Noæ filius, (quem Chameſenem & Saturnum Beroſus & Diodorus appellant) magna ſecum adducta colonia, Sicilia (vt in hiſtoriis memorabilimus) fuerit potitus. Turris Baych, in cuius ſupercilio circumquaque inſcriptio eſt inſculpta, integra adhuc eſt, habitationique non incommoda. Verum qui eam anno ſalutis. 1534. inhabitabat, murum eius occiduum (vnde celebrior veteris vrbis via auſpicatur) inſtauraturus, inciſas ad eius verticem literas tranſpoſuit, pleraſq; comminuit. Quod cum fieret, angebar ego animi, hominemque ipſum ſtolidum, ac cæmentarios acerrime obiurgabam. Sed & graui ſubinde etiam ſublatis vocibus increpatione Senatum incuſare cœpi, qui tantam vrbis iacturam, clademque irreparabilem tam turpi ſilentio prætereret. Demum ne prorſus literarum monumenta, quæ ibi colligi potuerũt, aut temporis aut ſimilis ineptiæ iniuria interirent, fragmentum inde exceptũ hic adſcribere libuit. quod huiuſcemodi eſt:

لا إله إلا الله
محمد رسول الله
أبو بكر الصديق
عمر الفاروق
عثمان ذو النورين
علي المرتضى *

ALTERA turris, cui nomen erat Pharat, portæ Patitelli ad siniſtram hærens, ad Diui Antonii ædis vſque angulũ Yharraffi Sarracenici nominis fontis capiti prominentem ex quadratis, & eis ingentibus conſtructa lapidibus, protendebatur. Quæ tandem & ipſa proſtratis ab imperitis eius molibus, in mercium artificumq; officinas profanata eſt, miſerrimo ſane, ac flebili bonorum omnium ſpectaculo, qui ante oculos noſtros cernebamus admirandæ maieſtatis Panormitanæ non cadauera, ſed integra, & viua ipſa propugnacula, omnium quæ habet Italia, vetuſtiſſima, non iniuria temporum collabi, neque ab hoſtibus ſubrui, ſed ab ipſis improbis ciuibus deteſtandis etiam Senatuſconſulti decreto proſterni. Fuit autem Panormus condita (quantum ex earum inſcriptionum calculo colligimus) anno mundi ferme. 3360. Neque ab hac ſupputatione Thucydides diſſentire videtur, cum non condidiſſe Panormũ Phœnices, quo tempore in Siciliam Græci traiecerũt, ſed incoluiſſe ſcribit. Quid enim obſtat, quominus Panormum, q̃ multo antea Chaldæi, Damaſceni, & Phœnices condiderũt, pceſſu æui aliã Phœnicũ multitudinẽ in Siciliã negotiãdi gratia aduectã inhabitaſſe credendũ ſit? Neq; vero quiſpiã priſcos antiquitatis huius vrbis monumentũ lapidib. inſcripſiſſe miretur: cum Noã etiã poſt diluuiũ egreſſum ſuũ a mõte Gordiço, & deſcẽſum in ſubiectos cadueribuſq; refertos agros, lapidib. (teſte Beroſo) inciderit. Sed iis omiſſis ad eius incremẽta venio. Primũ itaq; Panormus (vt lib. 14. Diodorus, & lib. 1. Polybius) ante primũ bellũ Punicũ Carthaginenſiũ imperio ſubibat. Sed quo pacto, quo tẽpore, quoue duce illis capta ceſſerit, hucuſq; ſcriptũ nõ reperi. Hermocrates nanq; Syracuſanus, etſi ex Selini vrbe, q̃ reſtituerat, cũ exercitu mouens, plura non longe a Panormo oppida, quæ Carthaginenſib. ſubierant, felici victoriæ curſu recepiſſet, Panormũ tñ vaſtatis tantũ eius finibus agriſq;, ac magna inde præda auecta, retrocedens nõ attigit, vt teſtatur eodẽ lib. Diodorus. Quinimo erat eo tẽpore amplior facta, cũ vltra veterẽ vrbẽ a primis conditoribus ſtructã, altera pars, quæ Neapolis Græce dicebatur, ad meridiẽ veteri adiecta eſſet, vt ex primo Polybii colligere eſt. Flagrãte vero primo bello Punico, cũ Carthaginenſiũ valida eſſet ciuitas, a Romanis duce A. Aquilio eſt expugnata, vt in hæc verba teſtatur lib. 1. idem Polybius: Cũ ea claſſe A. Aquilius & C. Cornelius Coſſ. petere Siciliã, bellũq; Pœnis inferre iuſſi, repente freto traiecto Meſſanã peruenerũt. Ibi acceptis quæ ex naufragio ſupfuerant, nauibus, totã ſimul claſſem trecentarũ nauiũ fecerunt. Hinc Panormum pfecti, quæ præcipua Carthaginenſiũ ciuitas erat, atq; ſociis populi Romani per ea tẽpora maxime erat infeſta, eã magna vi aggrediuntur, duobuſq; e laterib. caſtrametati, paucorũ dierũ interuallo machinis, ac vi tormentorum depoſita arce, ingreſſiſq; cum impetu militibus, eã partẽ vrbis ceperunt quæ Neapolis appellatur. Quo facto reliqua pars vrbis, quam vrbẽ veterẽ vocant, metu exanimatis ciuibus, Conſulibus deditur. Capto Panormo Coſſ. relicto præſidio Romam reuertuntur. Sub Romanis quoq; victoria, qua contra Aſdrubalẽ Pœnorũ ducẽ Metellus Ro. Coſ. memorabili immaniũ elephantorum eluſorũ, ſimulatq; metus ac fugæ ſtratagemate potitus eſt, non vulgarẽ ſibi famã conciliauit, vt lib. 1. Iulius Frontinus, & lib. 1. Polybius ſcribũt. De qua nos latiſſime in hiſtoriis. Scribit etiã lib. 6. Strabo, Panormũ Romanã habuiſſe coloniã. ſed quo tempore eo peruenerit, neq; ab ipſo, neq; ab hiſtoricorũ vllo expreſſum hactenus legi. Suadẽt nihilominus ratio, poſt hanc inſignem victoriam eo deductã fuiſſe. Memoriæ a veteribus proditum eſt, Panormi nõ virilis modo ſexus inuictam fuiſſe virtutem, fidem atque induſtriam, ſed fœminarũ etiam viriles animos clariſſime emicuiſſe, ita vt aliquãdo pro patriæ ſuæ defenſione, deficiente cannabi, crines ſuos contexendis funib. diſſecuiſſe ſcribant: licet quo bello egregiũ illud ac dignũ memoratu facinus geſſerunt, apud authores non cõperiam. Ad hæc cũ Syracuſæ vrbs a Romanis duce M. Marcello obſiderẽtur, Pãormus tria ei armatorũ milia in auxiliũ miſit: cũ cęteræ Romanis cõfœderatę Sicilię vrbes mille duntaxat præſtitiſſent. vnde li. 14. Silius: Tergemino venit numero fœcunda Panormus. Cic. quoq; in Verrem 5. Panormum inter liberas ſua ætate ciuitates recenſet: Quinque (inquiẽs) præterea ſine fœdere immunes ac liberæ ciuitates, Centuripina, Halæſina, Segeſtana, Halicyenſis, Panormitana.

Huius

Huius rei extãt adhuc Panormi palam marmoreis tabulis vetuſtiſſimis Seuero imperante Latine inſcripta monumenta. In quadrato nanque atque amplo ſpatio, quod ante ædem maximam, ad aditum qui feneſtræ maiori ædium Antiſtitis correſpondet, lapis marmoreus lateri eius infixus hæc habet:

Imp. Cęſ. L. Septimio Seuero. Pio. Perti. Aug. Par. Adiaben. Arabico. P.M. Tri. P. VII. Imp. XI. Coſ. II. P. P. Procoſ. V. Impe. Cæſ. Diui Antonini Pii. Germanici. Sarmatici. Diui Commodi fratri. D. Antonini Pii nepoti. Diui Adriani pronep. Diui Traiani Parthici. ab. Diui Neruę adnepoti. indulgentiſſimo. ac clementiſſimo Principi noſtro. Reſp. Panormitanorum. P. Satyri Donati & M. Marci Rufini. D. D.

In alio eiuſdem areæ ingreſſu, quo a veteri vrbe ad ædem via patet, marmor etiam iacebat, mea pridem opera ad domum Prætoriã delatum, hac inſcriptione inſigne:

Imp. Cæſ. M. Aurelio Antonino Aug. Diui Antonini Adriani. E.P. Diui Traiani Parth. adnepoti. Diui Neruæ nepoti. Pont. Max. Trib. P. XVII. Coſ. III. R.P. Panormit.

Ad fores quoque priuati cuiuſdam ædificii, quod in celebriori vico vrbis veteris eſt, lapis alius muro illigatus erat in Prætoriam etiam aſportatus, hoc titulo clarus:

Imp. Cæſ. L. Septimii Seueri Pii Pertinacis Aug. Arabici. Adiabenici. Parthici. M. Tribunitia poteſtate VII. Imp. XI. Coſ. II. P. P. & Imp. Cæſ. M. Aurelii Antonini Aug. Trib. Pot. Domino indulgentiſſimo Reſpublica Panormitana li. Vir. P. Satyri. Donati. & M. Marci Rufini. D. D.

Ad ædem præterea D. Mariæ Magdalenæ, quæ portæ Nouæ hæret, lapis marmoreus vetuſtus nuper baſi cuiuſdã colũnæ infixus, id etiã confirmat in hunc modũ:

Iuliæ Aug. Imp. Cæſ. L. Septimii Seueri. Pertinacis. Aug. Pii. Parthici Arabici. & Parthici Adiabenici. P.M. Tr. Pot. III. Imp. V. Coſ. II. P. P. Reſp. Panormitanorũ.

In lapide poſtremo alio, qui Panormitanorum negligentia adhuc iacet, Adriano Cæſ. inſcripto dicatoque, hæc duo verba ad calcem leguntur, RESPVBLICA PANORMII. Quibus conſtat hanc vrbem apud veteres Panormium, & gentiles Panormienſes appellatos fuiſſe.

Panormus itaque vrbs, poſtquam reſp. Romana in monarchiam redacta eſt, Imperatoribus paruit: donec declinante ac diuiſo imperio, Conſtantinopolitanis ceſſit. At vero anno ſalut. 515. Iuſtiniano imperante, a Gothis, veluti & omnis Sicilia, occupata, eorum facta eſt præſidium validiſſimum. Quibus poſt annos deinde circiter quatuordecim a Belliſario Iuſtiniani Cæſ. Præfecto magna vi erepta, imperio reſtituta eſt, vt Procopius tradit. Salutis poſtmodum anno. 826. Michaele Balbo imperante, a Sarracenis qui Africam incolunt, cum omni Sicilia capta, eis in regiam ciuitatem adoptata eſt. Cum nanque quicquid præterea vrbium, oppidorum, locorumque repererant, incendiis ruinis ve turpiter fœdarent, ſola Panormo (quod deliciis victuſque commoditate, ad quæ ea gens natura procliuior eſt, abundaret) non abſtinuerũt modo, ſed pro ſede etiam regia præſidioque delectã (vt Ioannes Curopalates in Conſtantinopolitanorum Cæſarum vitis ſcribit) præclaris ædificiis, quorum pleraque intra & extra pomœria integra ſuperſunt, auxerunt exornaruntque. Fuitque deinceps non ſolum Sarracenis, ſed Chriſtianis etiam poſtea dominantibus, tota Sicilia, populi frequentia & Regum præſentia non ſolum ciuitatum omniũ maxima, ſed princeps ac regia. Normanni nanque, Galliæ hodie populi, & qui poſt ducentos & triginta ferme annos ducibus Roberto Guiſcardo, & Rogerio Comite eius germano fratre, Sarracenis auſpicatiſſimo Marte ſuperaris, Siciliam ſubegerunt: Panormum nonniſi maximo labore, ac pluriũ annorum obſidione, tandem potiti ſunt. Quam tum Robertus ad Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ titulos adiecit, paucisque poſt diebus muro cinxit, & duplici arce muniuit, vt in eius vita traditur. Cuius ſubinde Imperium, Roberto & altero Rogerio Roberti filio decedentibus, Rogerius Comes adeptus, plurimũ quoque decorauit. Quã deinde Rogerio Comite defuncto, tertius Rogerius Rogerii Comitis filius, qui primus omnium Siciliæ Rex eſt ſalutatus, maiorem in modum munitionibus & opulentia locupletauit. Vterque poſtmodum Guilelmus,

Tan-

Tancredus quoque & Henricus sextus, Siciliæ identidem Reges, eam & sua præsentia, & structurarum magnificentia honestarunt. Fridericus post hos secundus, Romanorum Cęsar & Siciliæ Rex, pręter complura ædificiorum ornamenta, perpetuo eam fœlicitatis titulo insigniuit. Fridericus deinde alter Siciliæ Rex, Petri Regis filius, qui restaurato muro atque addito spatio vrbem adauxit, constituit etiam vti summus eius magistratus, cui Baiulatus nomen erat, in posterum augustam Præturæ denominationem acciperet. Cuius munere omnium primus senator cognomento Mayda, patritius Panormitanus, functus est. Ransanus autem nulla auctoritate suffultus, vrbis titulum, Prętoris nomen, & insigne, quod est aquila aureo colore fulgens, post Metelli contra Asdrubalem victoriam, huic vrbi a Senatu populoque Romano, simul & patritiã coloniam obueniisse scribit. Inde Ioannis Nasi Corilionensis Siculi apud Panormitanos vulgatum illud distichon:

Tacta fides sociam statuit sibi Roma Panormum.
Hinc aquila, & Prætor, & decus vrbis adest.

Sed harum rerum fides penes eos sit, qui ausi sunt hæc prodere. Panormus itaque vrbs tum propter agri præstantiam, tum propter Regum præsentiam, atq; Imperatorum, qui vel in ea sunt orti, vel per complurium annorum curricula sedes habuere, maxima suscepit incrementa: ita vt cuicunque Italiæ vrbi non indigne comparanda sit. Hodie quatuor partibus, quarum singulæ vti vrbium formam absoluunt, ita & ordine nomen receperunt, dilatatis successu temporum pomœriis ac suburbiis, constat.

HARVM VNA est ea quam Chaldæos & Phœnices condidisse diximus, quãque vrbẽ veterem prisci nominabant, vt lib. 1. testatur Polybius. Ea adhuc ambitiosa mœnium structura, quibus late atque præalte circumductis cingitur, in cęteratum partium meditullio integra prope cernitur, etsi non adeo magna. Mœnia eius mira arte, quadrato ingentique lapide, absque calcis glutino, luto solum interlito sunt extructa. De quibus lib. 3. belli Gothici Procopius: Panormi (inquit) in mœnium fiducia Gothi se tuebantur: erat nimirum munitissimus locus. At magna eorum pars non solum temporis iniuria, sed Panormitanorum quoque improbitate dispersa est: qui lapides illos admirandos, ac sola fere legum maiestate sanctos, ad priuata sibi ædificia erigenda sustulerunt, ac non paruo vrbem munimine spoliarunt. Est præterea ea pars non opere solum, & viarum angustiis, sed natura quoq; tutissima, quod in mole quadã pauliśper edita, atq; hinc & hinc vallata iaceat. In eam & primi belli Punici, Gothici etiam, & Normannici temporibus Panormitani (cæteris vrbis partibus iam captis) sese veluti in arcem inexpugnabilem recipientes, nunquam capi ab hostibus potuerunt, sed sola deditione subacti sunt, vt fusius in historiis. Iccirco Sarraceni, qui maxime propria locis ac rebus nomina plærunque indidere, Panormo olim potiti, eam vrbis partem Alcassar Punica voce nominauerunt: & adhuc Alcassar Palatium appellant. quod Castellum forte, locumque munitum sonat Latinis. Qua nomenclatura, etsi nonnihil corrupte, & nos hodie vtimur, Cassarum eam vocantes. Longior hæc porro quam latior est: eamque tres viæ diuidunt, sed transuersæ plures intersecant. Quarum quæ media, & cæteris celebrior in rectam lineam ad verticem vsque vrbis protensa ac perpetua est, marmorea in Rogerii ceterorumq; Siciliæ Regum diplomatibus ac tabellionum tabulis vel ob id appellatur, quod marmore olim strata fuerit. Erant vrbis veteris portæ plures ampliśimis turribus munitę. Quarum quidem & nomina prisca interierunt omnia: & aucta ciuitate, cum hæc pars in medio remanserit, aliquot formam simul, & nomen amiserunt. Earum autem quæ hodie extant, Patitellorum noui nominis porta (cuius supra meminimus) vna est, qua ad mare olim aditus patebat: & integra adhuc est, & solæ in ea fores desiderantur, formamque veterem, ac vsum habet frequentissimum. Altera obscura ætate mea appellata, septentrionem spectat. Quæ anno salut. 1542. cum incolumis eousque superesset, ab imperitis, qui tum senatum agebant, fœdata facie antiqua, in artificum officinas est mutata. Tertia Sclauorum porta centum fere ab hinc annis dicta, inter domos Rainaldi Crispi ab oriente, & Ioannis Thomæ Gualbes ab occidẽte, iuxta forum

forum Cancellarii ſtabat. vbi & proſtrata eius forma viculus eſt relictus, quo ad macellum nouum,& ad locum Aynromæ Sarracenice appellatum,(vbi & anno ſalut.1550. lanificii ampliſſimæ ædes ſunt conſtructæ) iter patet. Quarta in eodẽ vrbis aſpectu,Rogerii & Guilelmorum Siciliæ Regum ætate,vt in eorum priuilegiis legimus, ſanctæ Agathæ de villa, ab æde eiuſdem propinqua nomen habebat, quod pluribus ab hinc annis vna cum ſtatu amiſit. Quinta Palatii porta ætate ſuperiori dicebatur,quod arcis lateri meridionali hærebat, qua Mons regalis ciuitas olim adibatur. Hæc,cum centum circiter ante annos,alia in eius vicem ſeptentrionali incubans Palatii lateri, quæ in rectum vicum vrbis marmoreum reſpicit, porta Noua nuncupata, quod ciuibus commodior eſſet, aperiretur, clauſa eſt. Sexta, quæ meridiem reſpicit,integra quoque eſt hodie, & inſanis molibus ſpectabilis, quæ Sarracenice adhuc Buſuemis appellatur. Septima iuxta ædem.S. Heliæ,ſolo iactu lapidis a Prætoria curia diſtans,a Iudæis,qui in vicis proximis habitabant, dicebatur, vt in publicis tabulis legimus. Cuius & ſemiarcus ætate mea viſebatur,& turris ingens vetuſtiſſima ex quadratis lapidibus admirandis, quæ illi propugnaculo hærebat,integra adhuc ędibus Nicolai Ciafalioni incluſa cernitur. In eiſdem quoque tabulis legitur ad hanc veteris vrbis partem anno ſalut.1332. regnante Petro ſecundo,portam fuiſſe a Trabuchetto dictam.ſed quęnam ea fuerit, incompertum mihi eſſe fateor. Octaua olim prope ædem. S.Stephani de Admirato ſita, ac Sarracenice Bebilbacal appellata,qua Yhuzet ſuburbium oblique petebatur, vt in eiſdem tabulis legitur, a multis quoque luſtris formã ſimul & nomen perdidit. Nam in eo loco cœnobium monialium D. Catharinæ ſubinde erectum,& ædem D. Stephani cum Georgii Admirati ædibus,& hanc vrbis portam, latiori ad Yhuzet aperta via, ſibi occupauit. In hac veteri vrbe ædes ſunt complures publicæ & priuatæ, ſacrę & prophanæ, ſuperbia & pulchritudine cæteris Italiæ ædificiis nihilo inferiores. In primis namque ad vrbis verticem occidentem verſus arx eſt præclara,quam Palatium regale appellant,magnifice quadratis ex lapidibus compacta,& in multis ſui partibus pario marmore, ac auro gemmiſq; eximie ſplendideque ornata,multorum hucuſque Regum & Imperatorum domicilium. Hanc a Sarracenis primum Panormum adeptis ſuper veteris arcis ruinis excitatam literæ in ea inciſæ indicant. His poſtea ſubactis, Robertus Guiſcardus & Rogerius Comes Panormo potiti, prælatis muris, cæteriſque turribus ac propugnaculis ſuo more munitiorem reddiderunt. Rogerius Comes rubram ſubinde turrim lateritiam addidit:quam anno ſalut.1553. Ioannes Vega Hiſpanus genere Siciliæ Prorex, Palatii ædes inſtauraturus, quo in vrbem expeditior ei eſſet proſpectus, diruit. Rogerius poſtmodum Rex turrim Græcam ex meridionali plaga, & ex aquilone aliam, ad theſaurorum munimentum,mediamque arcis partem,quæ Ioaria ea pręcipue ratione eſt appellata,quod multo gemmarum aurique ſplendore conſpicua ſit,ædificauit. Is nanque plurium gentium manubiis locupletatus,vt tutum ſibi regnoque domicilium compararet, arcis huiuſce infima vallo, media diſcubitoriis, ſumma propugnaculis munitioribus firmauit. in cuius poſtea penetralibus omnem opum pecuniarumque ſummam congeſſit. Guilhelmus primus huius nominis Rex, partem eam quæ Tyrimbris eſt dicta,cæteris a Rogerio patre editis,& artificio & pulchritudine præcellentem erexit. Cuius opus morte eius præmatura interruptum imperfectumque Guilhelmus ſecundus filius abſoluit. Aulæ ſunt in ea arce complures in receſſu circumquaque, vermiculato opere ac gemmis valde inſignes,cultu magnificentiaque regia inſtructæ,aulæis oſtro tinctis vndique ſecus obductæ, in quibus mirifici luxus opera annotabantur. Pauimenta marmoreis porphyreticiſque teſſellis erant cõſtrata, quę pedibus premere religio videbatur. Arcem ipſam ingredientibus ſacellum muſiuo a Roberto Guiſcardo ſtructum,Hieruſalem nuncupatum,a frontẽ occurrebat.Quod deformatum mea ætate ad profanos mutatum eſt vſus. Sed & ad dexteram hodie in veſtibulo templum eſt D.Petro Apoſtolorum principi ſacrum, a Rogerio Siciliæ Rege a fundamentis erectum:prout Petrus Archiepiſcopus Panormitanus,& Canonici,eorum diplomate dato Panormi anno ſalut.1132. eiuſdem Rogerii regni anno ſecundo teſtantur,

ſtantur,& ipſius Rogerii Regis priuilegio dato Panormi menſe Martio anno ſalut. 1142. & ſui regni .12. conſtat. Cuius verba libenter ſubieci: In nomine ſanctæ Trinitatis,Rogerius diuina fauente clementia Rex Siciliæ,Ducatus Apuliæ,& Principatus Capuæ. Nouerunt gentes & populi per mundi climata conſtituti,per quot & quantos ſudores bellicoſos,quantoque diſcrimine præceſſores & progenitores piæ recordationis,& beatæ memoriæ,Robertus Guiſcardus patruus noſter,Rogerius Comes pater noſter,& cæteri patrui noſtri & conſanguinei,ab inimicis fidei Chriſtianæ Sarracenis miſerabiliter occupatos vniuerſos fines Siciliæ, Calabriæ,Appuliæ & Longobardiæ,ſuo dominatui ſubiugauerunt. Quibus omnipotentis Dei inæſtimabilis benignitas miſericorditer cooperata,nobis miſericordius longeque copioſius gratiam ſuam ampliauit, non ſolum eam quæ patri noſtro cõtigit,acquiſitionem,verum etiam omnium eorum labores & partes noſtræ ditioni ſubiecit,ac poteſtatem ſacroſancti regni,matris noſtræ eccleſiæ Rom.authoritate, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum,Principum, Comitum,Procerũ, cleri, noſtri regni, & totius populi communi cõſilio.Regnum igitur,quod multis iam euolutis temporibus diſſolutum erat,benignitate Redemptoris diebus noſtris rediit in ſtatum& formam Regni integram & perfectam,honorificentius decoratam,& magnificentius ſublimatam. Aſpirante itaque nobis ſeptiformi Saluatoris gratia,cuius miſericordia noſtra proſperantur in melius,in honorem beatæ virginis Marię,omniumque ſanctorum,& titulo Beati Petri Apoſtolorum principis intra noſtrum regale palatium,quod eſt in vrbe Panormi,eccleſiam ſumma cum deuotione fabricari fecimus. Ita quidem, & quæ ſequuntur. Id ſacellum ſua pulchritudine,& rerum precioſiſſimarum apparatu cęteris quæ in Italia nunc vſquam extant,ſeu veteribus ſeu nouis,merito præferri conſtat.quo nomine ab omnibus qui Panormum aut inhabitant,aut inuiſunt viris, non imperitis modo,ſed ingenio etiam doctrinaque præſtantibus,ſumma cum admiratione ac iucunditate frequentatur. Marmotum enim diuerſitate, incruſtatione, muſiuo, ac interiori pictura ſumptuoſiſſimum eſt. Pauimentum illius marmoreum ac porphyreticum,diuerſique coloris teſſellis compactum eſt: inferior parietum pars marmoreis etiam ac porphyreticis incruſtata tabulis: ſuperior lapillulis quadratis & eis inauratis inſignita,& variantium colorum lapillis contextam veteris teſtamenti continet hiſtoriam: quæ & picturæ artificio, & rerum cognitione plurimum delectat. Supremũ faſtigii tectum bino ex marmore columnarum ordine, arcubuſque vermiculato opere ſplendentibus ac variegatis ſubnixum, admirabili rerum cælatura arteque inſignitum, laqueatumque ac auro illitum, ſpecum quoque habet ſubterraneum religioſiſſimum. Valuæ ſunt ad eius ſacraria geminæ ex ære fuſo,pari & inſigniforma conſpicuæ. In templi frontiſpicio penſilis, & pluribus ex marmore columnis ſuffulta eſt porticus. cuius parietum inferiorem partem licet Rogerius marmoreis incruſtauerit tabulis,ſuperiorem tamen rudem reliquit.Quam Ioannes Sances ſacelli Prophoniſta, & ſubinde Cephalœdenſis Epiſcopus anno ſalut.1506. muſiuo opere,ac Diuorum noui Teſtamenti,& animalium pictura decorauit, vt in eo inſcriptum ex muſiuo huiuſcemodi diſtichon oſtendit:

Hic rudis interno paries inuiderat aurum:
Diuitiis cantor fecit & arte parem.

Marmoreis gradibus templum inſcenditur. ad quorum dexteram marmor eſt muro infixum: in quo triplex Latina, Græca & Sarracenica,huiuſmodi legitur inſcriptio: Hoc opus horologii pręcepit fieri Dominus & magnificus Rex Rogerius, anno incarnationis dominicę M. C. XLII. M. Martio Ind.5.anno Regni eius XIII. fœliciter. Greça & Sarracenica hoc Latinis ſonant: O ſpectaculum nouũ. Fortis Dominus Rogerius Rex, ex Deo ſceptrum tenens, fluxum frenat fluentis ſubſtantię,cognitionem diſtribuens a peccato immunem horarum temporis: mẽſe Martio, ind. 5. ſalutis anno.1142. regni eius.13. Hoc templum,Rogerio Rege efflagitante, Petrus huius nominis primus Panormitanus Archiepiſcopus parochiali dignitate inſigniuit, vt eius priuilegio dato Panormi anno ſalut.1132.liquet. Aditus in arcẽ interior non rectus & ſpatioſus eſt, ſed obliquus & anguſtus. Ante

arcem

arcem ipsam atrium erat vernacule Sala olim, sed ætate mea Sala viridis dict ũ, amplum, spatiosum, quod ad ludos spectaculaque edenda, ac Regis conciones ad populum habendas theatri vsum præbebat. Locus & Pario lapide constratus, & muro circunseptus: quem a meridionali latere per tot annorum spacium quadratorũ ingentiumque saxorum compagine ab imo ad summum vsque procedente perstantem, nec vetustate collabentem, neque ruinam vllam minantem, sed integrũ plane, & vetustatis Panormitanæ insigne tota vrbe admirandumque vestigium, ad noua vrbis propugnacula extruenda imprudentes Regis & vrbis ministri anno 1549. funditus sunt demoliti: quasi Panormus tam intra quam & extra mœnia lapicidinas passim aut non satis ingentes, aut minus commodas, & ad cædendum difficiles haberet, quo inopia id excusari possit. Ipsa vero atrii area pascuis aratroque mea etiamnum memoria relicta: in cuius rudera tabulasque marmoreas agricolæ rastris frequenter illidebãt: tandem anno salut. 1554. in nouam planitiem cylindro sabuloque æquatam redacta. Inter hoc atrium, & priuatas vrbis domos, spatium erat alterum ingens sane, lato muro cinctum, a Sarracenis Yhalca Punice vocatũ, quod circunseptum locum Latinis significat, & portam habens in rectum vrbis vicum respicientem. vbi Regum & arcis custodia, cui Vicecomes præerat, vt ad repentinas necessitates præsto esset, habitabat: vt in publicis illius memoriæ tabellionum tabulis adhuc reperire est. Yhalca, quicquid hodie est interualli inter vrbis mœnia sinistrorsum palatio ad Papyritum vsque flu. hærentia, & ædes sacras. S. Ioannis Baptistæ, sanctæ Barbaræ, Diuæ Magdalenæ, & sancti Constantini a Yhalca adhuc cum tota illa regione cognominatas, includebat. Id spacium, quod Yhalcæ forma vsusque cum tempore collapsus sit, vrbi additum est, & ad muros palatii acquilonares nouæ vrbis portæ, qua in marmoream viam rectus est ingressus, locum cessit. Ab ipsa arce ad vrbem vsque sinistrorsum mœnibus annexa, via erat Coopertanominata, ob id quod tota testudinata ab ipsa arce ad ædem vsque. S. Agathę de Villa, Papyrito fluuio incubans, ingressum egressumque opertum præbebat, prout in publicis tabulis legimus, & in horto. S. Iacobi la Massara adhuc clara testãtur vestigia. Palatio pomarium extra vrbis mœnia, qua occidentem spectat, adhærebat, ambitus pas. milium ferme duorum, Parcum, hoc est circus regius, appellatum. In quo horti amœnissimi omnis generis arborum consitionibus, aquisq; perenniter irrigantibus luxuriabant. Habebant quoque hinc atque inde viridaria lauro & myrto redolentia. Medium locum ab ingressu ad extremum vsque porticus tendebat vna, sed longissima, sacellis testudinatis ex omni parte patentibus ad delicias Regum orbiculari opere extructis frequens: quorum vnum adhuc integrum restat. Piscina erat ingens in medio, in qua viui pisces coercebantur antiquo, quadrato, ingentique lapide mira crassitudine instructa. Quę hodie incorrupta est, aquasque solum & pisces requirit. Imminebant, veluti & hucusque ei incubant, ædes ad solatia Regum magnifico opere conditæ, cum incisis ad verticem literis Sarracenicis, quarum interpretẽ hactenus reperire non potui. Ex vna huius pomarii parte, nequid regii luxus deesset, animalia omnis fere tum ad voluptatẽ, tum ad Palatii delicias ferini generis, abunde nutriebantur. At ea omnia collapsa sunt hodie, ac priuatis vinetis & hortis occupata. Pomarii tantum ambitus, ob id quod maxima murorũ pars inuiolata pene permansit, dilucide discerni potest. Cubam eum locum, vt olim, ita & nunc Sarracenice Panormitani vocant. Pomario huic in septentrionem ad quingentos circiter passus, hortus alter regius erat proximus, cui Sarracenice Zisa nomen adhuc est, domesticarum arborum fructibus, & aquarũ etiam perpetuis scaturiginibus irriguus. Quo loco ædes etiamnũ regiæ lapide quadrato, candidoque marmore, ac porphyrete, vermiculatoque & musiuo superbo nimis opere tument: Sarracenorum opus, quantum ex Sarracenica superius inscriptione, & ipsa quoque structura indicari potest, ad Regum secessus latebrasque voluptuarias extructum: omnibus quæ in Italia hodie sunt, regiis structuris facile comparandum. Memorant Sarraceni rerum veterum peritiores, Cubam & Azisam Sarraceni cuiusdam Siciliæ Regis filiarum olim fuisse nomina, a quibus duobus his Regum pomariis cognomenta desumpta sint: penes quos

sit eius rei fides. Plures ætatis illius authores Palatii huius magnificentiam ac pulchritudinem scriptis illustrarũt. Quorum vnum, & quidem vetustissimum, cui titulus Guiscarda erat, anno salut. 1551. primum legi. Sed de arce satis. A Palatio in vrbem pergenti insignes ex antiquis lapidib. ac magnæ, veluti moles quædam, statim occurrunt ædes, a Matthæo Sclafano Adrani olim Comite anno salut. 1330. conditæ. opus quidem ingens, & priuatorum omnium maximum, quadrangulari forma, vndique peruium, & vnius vix anni spacio absolutum: quod præ sua incredibili magnitudine fidem omnem excederet, nisi super eius porta, quæ mare spectat, fixa in tabula marmorea literis maiusculis titulus, licet meram illius ætatis barbariem sonans, confirmaret.

ANNO D. M. CCCXXX.

Fœlix Matthæus Sclafanis memoria dignus
Fabricam hanc fecit nobilem pius benignus.
Vt ne mireris modico tam tempore factam:
Vix annus fluxerat, quam cernis ita peractam.

PRÆDICANT Panormitani, idque accepta ex maiorum relatu opinione, æmulationem aut inuidiam huic ædificio originem dedisse. Matthæum siquidem Sclafanum Manfredi Claromontani Motycæ Comitis, qui ad mare præclaras sibi construxerat ædes, successibus inuidentem, illi palam dixisse, se infra annum ædes conditurum, quæ suas ambire possent: quod & perfecit. Has ædes postmodum anno salutis. 1440. a Sancio Roderico Liori Galiani Vicecomite, earum domino, S. P. Q. Panormitanus vnciis centum quinquaginta redemptas, (vt tabulis publicis constat) Alfonso Hispaniæ & Siciliæ rerum potiente, pio ægrotantium operi, & pauperum vsui destinantes, magnum & nouum Hospitale vocauerunt. quod & structuræ magnitudine & pulchritudine loci cæteris Italiæ xenodochiis nihil inuidet. Paulo infra eas ædes, & iuxta vrbis portam Busuemi appellatam, sacellum est. D. Claræ dicatum, & cœnobium monialium illi adiunctum: quod ab eodem Matthęo Sclafano ædificatum index marmoreus in frontispicio hac prosopopœia ostendit:

Annus erat quartus Domini post mille trecentos
Triginta septem, Ludouicus regna tenebat. Et infra:
Hęc sacra Clara Comes tibi templa Mathęus
De Sclafano propriis largus quę sumptibus egit.
Hic condam damnare reos Thermita Mathęus
Asper erat: seruabat enim pia iura Magistri
Iustitię, &c.

E regione noui hospitalis, qua in septentrionem vergit, templum est in vrbe maximum, Maior ecclesia vulgo appellatum, D. Marię virgini sacrum, reticulata structura, quadrato, ac diuersis in exteriori facie imaginibus figurisque inciso, ac perpolito lapide, a Gualterio huius nominis secundo Panormitano Archiepiscopo anno salutis. 1185. super veteri maxima ęde, quam solo propter hoc institutum ęquauerat, a fundamentis excitatum. Quod non solum Guilelmi secundi, cuius ætate suffragiisque insurrexit, diplomata, sed etiam carmina in absyde templi incisa huiusce modi testantur:

Si ter quinq; minus numerent de mille ducentis,
Inuenient annos Rex pie Christe tuos:
Dum tibi constructam pręsul Gualterius aulam
Obtulit officii post tria lustra sui.
Aurea florebant Vilelmi regna secundi,
Quo tantum tanto sub duce fulsit opus.
Sit tibi laus perpes, sit gloria Christe perennis:
Sit decus, & templi sit tibi cura tui.

Tu

Tu quoque florigerę mater pulcherrima turbę,
Perpetuus sacrę virginitatis apex,
Respice prostrati lachrymas & vota clientis:
Æternis pensęs hęc sua dona bonis.

Prædicant quoque Panormitani ducta per maiores fama, quibus & Siculorum annales conueniunt, Gualterium ex thesauro apud ædem sancti Spiritus extra mœnia, anno salut. 1184. mense Aprili, & Guilelmi Regis secundi. 18. a se reperto, celebertimum ac sumptuosissimum hoc tota Italia templum eodem anno & mense inchoasse. Templum hoc maximum peruio vndique circuitu extructum est. Pauimentum ex marmore & diuersis lapidibus tessellatum habet satis conspicuũ. Cuius absides, columnæ amplissimæ ingentesque duplici ordine, grandi mole, & profusissimo sumptu sustinent, quæ & capita extendunt inaurata. In suprema parte testudinata, quam Tribunam vulgo appellant, signa sunt numero quadraginta duo, Hetrusco marmore, Seruatoris, D. Mariæ, Apostolorum duodecim, Martyrum Diuorumque plurium, triplici ordine miro artificio ætate mea exculpta. Sub quibus singulorũ vitæ, ac res religiose gestæ, marmori etiam incisæ minori forma quam Diuorum imagines, summa cum delectatione spectantur: opus Antonii Gazini Panormitani, mirabilium rerum artificis & sculptoris insignis. Opere porro hoc Italia nullum hodie habet eximius. Enimuero signa hæc ad humanam staturam, ac mira ad viuum prope arte elaborata, cum vestium, tum sensuum & animorum varietatem ita exprimunt, vt spectantium oculos fixos detineant, ac nunquã satient. In sinistra maioris sacelli parte contigua est illi ædicula D. Mariæ, cum eius marmoreo quoque signo: cuius angulus marmoreis Panormitanorum Præsulum sepulchris est frequẽs & insignis. Extat in eodem etiam templi latere, quod sinistram alam vulgus appellat, Diuæ Christinæ virginis & martyris, ex Tyro Italiæ oppido oriundæ, sacellum marmore, gemmis & auro intextum, nulli secundũ. Vbi & arca argentea reconditum eius corpus sub Hugone Archiepiscopo, anno salutis. 1160. Guilelmo primo Siciliæ Rege rerum potiente, huc translatum, maxima religione colitur: quo nõ solum templum est inclitum, sed vrbs etiam ipsa maxime nobilitatur. In dextera templi parte Eucharistiæ sacellum maiori hæret: ad cuius angulum adytum est. Iuxta quod paulo inferius quatuor sunt ingentia ex porphyrite Mausolea, miro artificio fabrefacta, omnium nostræ ætatis pulcherrima. Quorum duo a Rogerio Rege dicata, in æde cathedrali Cephalœdensi, quam ipse a fundamentis erexit, ad suum funus, & templi ipsius ornamentum reposita, (vt eius diplomate dato Panormi mense Aprili anno salutis. 1145. & Regni sui. 15. constat) Friderici secundi postea Cæsaris iussu priuilegioque, Panormum ad suũ & Henrici patris monumentum, in hunc locum transmigrarunt. In aliis autem sepulchris, Rogerii Regis, & aliorum Regum Reginarumque Siciliæ, ac Ducũ quoque cadauera sunt recondita, vt qui eorum vitas scripserunt, tradidere, & Gualterius Panormitanus Archiepiscopus in suo & Canonicorum diplomate, dato Panormi mense Martio anno salutis millesimo centesimo octuagesimo septimo: & Henricus sextus in suo priuilegio dato Panormi die 5. Ianua. anno salut. 1195. & Fridericus secundus Cæsar in suo etiam priuilegio, & testamento dato anno salutis. 1238. die. 17. Decembris, contestatum reliquerunt. Henricus nanque quotannis Rogerio & aliis Siciliæ Regibus solennes exequias celebrabat: & Fridericus filius, eius vestigia sectatus, eisdem tria per singulos annos anniuersaria perpetuo celebranda, & decreto dum viueret, & testamento moriturus sanciuit. In hoc templo præter Archiepiscoporum & Regum sarcophagos, nulli sunt alii. Siquidem iã inde ab initio eô, præter istiusmodi dignitatis cadauera, neminem inferri cautum fuit. Sacellum est paulo inferius in hac dextra ala Crucifixo omnium seruatori sacrum: cuius imago gloriosissima, a Manfredo Claromontano Mowycæ olim Comite ibi dicata, maxima veneratione colitur. Ante portam quoque eius meridionalẽ prothyrion est, seu porticus, opere testudineo, & marmoreis suffulta colũnis: quam templi vestibulum eruditi appellant. Cui statim e limine obiecta cohæret area latissima in longitudinem, quadrata forma, lateribus strata, deambulationi

peridonea, & vndequaque cancellato muro circumsepta. In cuius medio fons e marmorea pila nimis placidus erumpit. Ante occiduam eius portam ædes sunt Archiepiscoporum hodie habitationi seruientes, a Simone cognomento Bononio, Panormitano Antistite, anno sal. 1460. excitata: opus adhuc affectum. Ante septentrionalem vero portam ædes erant Archiepiscoporum veteres, quæ ætate mea cœnobio monialium ordinis minorum addictæ sunt. Ad quarum angulũ occiduum ædicula est vetus D. Mariæ incoronatæ sacra, veteri Panormitano tẽplo, quod Gualterius diruit, cohærens. In ea priscos Siciliæ Reges vngi, ac Regia insigniri corona mos erat. Quod quidem a Rogerio, Rogerii Siciliæ Comitis filio, initium cœpit. qui anno salut. 1129. cum Siciliam, Appuliam, Calabriam, & magnã Libyæ oræ partem possideret, se indignum ratus tantum imperii sub angusto Ducatus & Comitatus titulo continere, primus omnium Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ, Rex appellari, ac Regia corona Panormi hoc loci insigniri voluit: suamque in ea vrbe, atque futurorum Siciliæ Regum sedem constituit: edixitque vt Siciliæ Reges, eiusque Italiæ partis quæ eo tempore Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ, & nondum Regni titulum habebat, Principes Panormi, & non alibi, more Christianorum eo loci regio diademate inuestirentur, vt eius diplomate dato Panormi anno salutis. 1129. die. 15. Maii constat. Cui obsecuti eius in Regnum successores Guilelmus primus, Guilelmus secundus, Tancredus, Henricus sextus, Fridericus secundus Cæsar, Manfredus, Petrus Aragonius, Iacobus, Fridericus alter, Petrus secundus, Ludouicus, Fridericus tertius, & Martinus, oẽs denique Panormi loco præfinito Reges coronati sunt. Vnde Panormus deinceps ab illis ipsis prima Regni Siciliæ sedes est appellata. Quæ ne præter fidem ac testimonium a me asserta temere videantur, diplomatum regiorum, vnde illa excerpsi, verba subiicere placuit. Guilelmus igitur huius nominis primus, qui superstite adhuc Rogerio patre, regalia insignia Panormi adeptus est, (vt in eius vita legimus) in priuilegio clericis Panormitanis concesso, dato Messanę anno salutis. 1155. in hũc modum habet: Sanctam itaque Panormitanam ecclesiam, quam ex hoc generali voto diuinæ religionis intuitu amplectimur, tũ quia & regii diadematis nostri primitias in ipsa, & ab ipsa suscepimus, & quæ sequuntur. Alio item diplomate, dato Panormi die. 15. Aprilis. 5. Ind. Guilelmus (inquit) Dei gratia Rex Siciliæ, &c. Etũ vnicuique nostri regni ecclesię in educandis clericis, & adulteriis coercendis priuilegio pendeat principali: venerabili tamẽ Panormitanæ ecclesiæ illud tanto clemẽtius duximus indulgendum, quanto & in vrbe regia fundata dignoscitur: in qua thronus & solium nostræ residet maiestatis, &c. Guilelmus post hunc secundus, nondum tumulato genitore, vnctionem ac regium capiti indumentum ibidem iniecisse, in gestis suis legitur. Tancredus quoque Guilelmi successor, Panormi regium diadema suscepit, vt Siculorum annales testantur. Henricus sextus, idẽ Imperator & Siciliæ Rex, anno regni sui quinto, Imperi vero quarto, mortuo Tãcredo, Guilelmoque eius filio capto, Panormi corona regia donatus, in priuilegio ibidem dato anno salutis. 1195. mense Iunio: Nos attendentes (inquit) deuotionem dilecti fidelis nostri Bartholomæi, venerabilis Panormitani Archiepiscopi, & omnium Canonicorum Panormitanæ ecclesiæ: considerantes etiam dignitatem & prærogatiuam ipsius ecclesiæ Panormitanæ, quæ sedes est & caput regni nostri Siciliæ, & in qua ipsius regni coronam primo portauimus, &c. Fridericus etiam secundus Imperator, Henrici filius, & Siciliæ Rex, in priuilegio dato Panormi anno salut. 1200. sic habet: Habentes quoque præ oculis quod in ipsa ecclesia Panormitana sacram vnctionem & regium suscepimus diadema: quia etiam sicut ipsa ecclesia prima est inter omnes ecclesias regni nostri, & excellentia dignitatis suæ cęteris ecclesiis pręest, sic diuitiis debet excedere vniuersas, &c. Idemque in alio priuilegio dato Panormi die. 11. Octobris. anno salut. 1211. Ind. 15. Attendentes (inquit) quod venerabilis & veneranda sacrosancta Panormitana ecclesia, quæ caput est & sedes regni nostri, & antiquitate sit nobilis, & dignitate ac speciali prærogatiua inter alias regni nostri ecclesias prima & merito principalis sit: quia tamen persecutione multa vallata non modicam sui iuris iniuriam patitur, ne nostro fœlici tempore

pore quæ hactenus passa est, iterum patiatur: considerantes quod in ea sacram vnctionem, & regium suscepimus diadema: consideratione quoque fidei, & grati seruitii, quod Berardus dictæ Panormitanæ ecclesiæ Archiepiscopus, &c. Et in alio diplomate dato Augustæ anno salutis. 1215. idem Fridericus ecclesiam Panormitanam caput, & sedem regni nuncupat, & in ea suscepisse sacra regalia fatetur. Quod & in alio indulto dato Norembergæ anno salutis. 1216. affirmat. Itemque in alio dato Panormi die. 12. Octobris. 1233. Ind. 7. hæc habet verba: Cum fœlix ciuitas nostra Panormitana, in qua educati sumus, & regium suscepimus diadema, prima regni nostri sedes existat, & a progenitoribus nostris priscis Regibus multis approbatis consuetudinibus fuerit approbata, & quæ sequuntur. Ex quibus verbis Fridericum Panormi non fuisse ortum constat, vt multi scribunt. Nam si Panormitanus fuisset, sicut educationem & coronationem, ita quoque & maxime in hoc priuilegio, sui primordia in Panormitanam quoque vrbem proculdubio retulisset. Manfredus etiam Siciliæ Rex in diplomate dato Panormi die. 17. Aug. primæ Ind. anno salutis. 1256. in hunc modum: Dum (inquit) Reges Siciliæ, & Imperatores progenitores nostri, in Panormitana ecclesia honoris excellentis insignia in vita consueuerunt recipere, & post fata quiescere in domino dormientes: vbi etiã cœlesti præsidio clarum fœliciter suscepimus diadema, &c. Carolus Siciliæ Rex, Comes Andegauensis (qui Manfredo occiso Siciliæ Regnum Clementis quarti Romani Pontificis munere est adeptus) in diplomate dato Neapoli die 19. Octob. 14. Indict. anno salutis. 1277. ita habet: Pro parte Canonicorum & clericorum Archiepiscopatus & capellæ sacri palatii Panormitani, & aliorum clericorum tam Latinorum quam Græcorum ciuitatis eiusdem. & infra: Nos autem, qui ciuitatẽ eandem speciali prærogatiua diligimus & fouemus, eo quod caput & sedes regni existit: ipsorum iustas petitiones gratis prosequentes affectibus, fidelitati vestræ firmiter præcipiendo mandamus, &c. Petrus quoque Aragonius Siciliæ Rex, post Gallorum cædem, Panormi regiam coronam suscepit anno salutis. 1282. die. 12. August. Iacobus eius filius, qui post eum Siciliæ Rex salutatus est, in eadem Panormitana ecclesia regiis euectus est insignibus anno salut. 1286. die. 2. Februarii in festiuitate Purificationis, vt constat per eius diploma datum Panormi eo die. &c. Fridericus secundus huius nominis Siciliæ Rex, (quem falso tertium appellant) Panormi quoque regiis fascibus amictuque primum indutus, in priuilegio dato Panormi die. 7. Ianua. anno salutis. 1325. Considerantes (inquit) fœlicem Panormitanam vrbem, quam progenitores nostri diuæ memoriæ tanquam amœnitate naturali conspicuam, & deuota fœlicitate, ac fideli deuotione pollentem, regni caput, & merito eligere decreuerunt. &c. Petrus secundus Siciliæ Rex in priuilegio dato Panormi die. 19. Maii anno salutis. 1340. Si Panormitanam (inquit) vrbem fœlicitatis titulo suæ fidelitatis merito insignitam, in qua prædecessorum nostrorum sedes & gloriosa cunabula claruerunt, ipsi prædecessores nostri Reges & Principes priuilegiis, immunitatibus, & gratiis plurimis decorarunt: nos etiam, qui Dei nutu ab illis Regibus atque principibus originem trahimus, atque in eadẽ vrbe ortum habuimus, & sceptrum regni suscepimus, &c. & infra: Præsentis itaque priuilegii serie notum fieri volumus vniuersis, tam præsentibus quam futuris, quod nos attendentes grata satis notabilia, & plurima fidelitatis obsequia, quæ Panormitani ciues ab eo tempore quo Gallorum communium hostium importabili iugo sublato prædecessoribus nostris præstiterunt, a quibus redeundi ad naturalis matris gremium a cunctis Siculis exemplum laudabile sumptum est. &c. Lodouicus præterea, qui Petro genitori in regiam dignitatem successit, anno salut. 1343. die. 7. Decembris, Panormi primum vnctus, ac Rex salutatus est, vt in gestis eius legimus. Fridericus tertius Siciliæ Rex regios fasces non est adeptus, quod per Claromontanorum, qui ab eo defciuerant, seditiosa perpetuaque obstacula Panormo prohiberetur, vt in eius vita legitur. Martinus Rex Aragonum, & Martinus eius filius, & Maria, Siciliæ quoque Reges, suo diplomate dato Cataniæ cõfirmauerunt, vt Siciliæ Reges Panormi loco consueto per manus Archiepiscopi Panormitani vngerentur coronarenturque, prout eousque obseruatum fuerat. Et

Martinus iunior ſedatis Claromontanorum turbinibus, quibus diu detinebatur, Pãormo potitus, ſolito ibi ritu regni primitias ſuſcepit: vt in eius vita legimus. Alfonſus demum, Aragonum & Siciliæ Rex, in priuilegio dato in arce noua ciuitatis Neapolis, die 15. Iunii. anno ſalut. 1445. Ind. 8. quo concedit Panormitanis molem portus ædificandi poteſtatem, Cogitantibus (inquit) diu nobis in noſtra fœlici vrbe Panormo, quam vnam in dicto Siciliæ vltra Farum regno habemus primariam, quæ apud totum fere orbem vulgatum & ſingulare cognomentum recepit. &c. Quin etiam Romani Pontifices eandem Panormitanam eccleſiã pluribus prærogatiuis decorarunt. Et in primis Gregorius huius nominis ſeptimus, ſcribens Archerio, Nicodemi Sarracenorum a Normannis expulſionis tempore Archiepiſcopi Panormitani, in Archiepiſcopatum ſucceſſori, in hunc modum habet: Gregorius ſeruus ſeruorum Dei, dilecto in CHRISTO fratri Archerio Panormitano Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem, &c. & infra, Quãobrem chariſſime frater Archeri, Panormitanam eccleſiam, quæ quondam nobilis & famoſa, poſtmodum peccatis exigentibus in Sarracenorum poteſtatem perfidiamque reducta, nunc reuera ad Chriſtianam fidem labore & inſtantia filii noſtri glorioſi Ducis Roberti, Domino opitulante, conuerſa eſt, poſtulantis priuilegio apoſtolicæ libertatis fulciri: nos tam iuſtæ petitionis intuitu, quã etiam præfati Ducis amore, quem id ſcimus optare ac cupere, gratanter concedimus, tribuimus, atque elargimur, ac apoſtolica authoritate cõfirmamus eidem eccleſię, &per eam tibi, quicquid dignitatis & antiquitatis tenuiſſe probatur. Item omnes eius ſuffraganeos Epiſcopatus, vel ſi qui deſtructis illis in eorum loco ſtatuti ſunt, vel opitulante Domino ſtatuentur, vt in præfatæ tuæ eccleſiæ priſtinam redeant poteſtatem, &c. Et infra, Præterea fraternitati tuæ pallii vſum ſecundum antiquum eccleſiæ tuæ morem concedimus, vt eo inter miſſarum ſolennia his dumtaxat feſtiuitatibus vtaris. &c. Datum Romæ. 16. Calen. Maii, anno domini. 1083. Pontificatus noſtri anno. 10. Calixtus Romanus Pontifex huius nominis ſecundus, ea omnia per ſuum priuilegium datum Laterani anno domini. 1122. nonis Aprilis confirmauit. in quo commemorat, quo tempore Robertus Guiſcardus & Rogerius Comes Panormum ſuperatis Sarracenis adepti ſunt, Nicodemum genere Græcũ Archiepiſcopum ſolo titulo fuiſſe Panormitanum, qui dominantibus Sarracenis vitam pauperrimam apud ſanctam Kyriacam, hoc eſt dominicam, ſub Mõte regali ſitam, degebat. Adrianus quoque huius nominis quartus Romanus Põtifex, eccleſiam Panormitanam metropolitanam, quo tempore Hugo Panormitanæ præſidebat eccleſiæ, in omni Sicilia his verbis inſtituit: Adrianus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi ſalutẽ & apoſtolicam benedictionem. Ne in aliqua prouincia fidelibus Chriſtianis ſanctorum miniſteriorum plenitudo deeſſet, ſanctorum patrum ſanxit authoritas, vt in ſingulis prouinciis aliqua metropolis haberetur, quæ aliis ex diſpenſatione regiminis, & authoritate officii præſideret. Siquidem nos prouinciæ Siciliæ id deeſſe videntes, Panormitanam ciuitatem, quę ſolo nomine vſque modo metropolis habebatur, in plenitudine dignitatis metropolim decreuimus ſtatuendam. &c. Datum Beneuenti. 7. idus Iulii. 1154. Alexander etiam tertius Romanus Pontifex, Adriani priuilegium ſuo diplomate confirmauit, dato Reate. 4. nonas Martii, Põtificatus ſui anno quinto. Fuiſſe Panormum vrbem vetuſto tempore, ante Siciliam a Sarracenis occupatam, Præſulatus titulo inſignem, Diuus Gregorius in regiſtro lib. 11. cap. 16. 17. 57. ac. 59. oſtendit. Sed de maximo templo, eiuſque prærogatiuis hucuſque. nunc reliqua veteris vrbis, quæ vel vetuſtatis vel dignitatis aliquid præ ſe ferunt, proſequamur. Ædes eſt in eadem veteri vrbe paulo infra maximũ templum omnium Seruatori ſacra, & D. Baſilii ordinis monialium cœnobium illi adiunctum ex ſancti Matthæi, ſancti Theodori intra mœnia, & S. Mariæ a Loreto eiuſdem ordinis extra mœnia, & fluuio Oretho imminentis ſitis olim, & ob id nũc deſertis monaſteriis, a Normannis Principibus conditum. Prædicant in eo antiquiores virgines ſacræ, ducta per manus fama, Conſtantiam Rogerii Regis filiam, cum Deo hic dicata eſſet, a Gualterio Archiepiſcopo raptam, Henrico ſexto Cæleſtini

lestini tertii Romani Pontificis indulto nupsisse. Ostendunt & ipsius breuiarium Græco idiomate, quo ab initio ad meam vsque ætatem moniales vtebantur, manu scriptum simul, & insignis puellæ ipsius pedissequæ marmoreum sepulchrũ, quicquid scriptores minus aduertenter tradiderint. Enimuero fuisse eam Rogerii Regis non neptem, (vt plerique falso asseruere) sed filiam, nemo certior testis est, quã ipsamet Constantia, quæ plurimis id diplomatis suis, tabellisque publicis, explicatum contestatumque reliquit. Inter alia nanque eius priuilegia vnum est, quo tẽplo Panormitano casale lacus Nicotri (vt vocant) anno. 1196. die. 15. Aprilis. 14. Ind. ab ea concessum legitur. in eo post multa: Vnde (inquit) ostensis in curia nostra priuilegiis ab illustrissimo Comite Rogerio bonæ memoriæ auo nostro, & clarissimo Rege Rogerio inclitæ recordationis patre nostro, ecclesiæ Panormitanæ de prædicto casali dudum indultis. &c. Et in eius rescripto, quod Abbatiæ S. Mariæ la Gructa de Panormo (vt appellant) Abbatiam S. Mariæ de Marsala coniungit, dato Panormi die. 13. Aprilis, anno salut. 1196. bis Rogerium Regem patrem appellat, inquiens: Magnifici patris nostri Regis Rogerii bonæ memoriæ sequentes exemplum, qui multas Abbatias fere desertas monasterio Saluatoris de Messana concessit. &c. Et infra: A tempore Regis Rogerii patris nostri, vsque ad tẽpora Guilelmi Regis secundi, nepotis nostri, &c. Et in alio item post mortem Henrici Imperatoris sui mariti, dato Panormi die. 9. Nouembris. 2. Ind. 1199. hæc habet: Dum tu Barlaam, monasterii Sanctæ Mariæ de Gructa Abbas fidelis noster, ostẽderes Maiestati nostrę priuilegium glorioſissimi Regis Rogerii patris nostri. &c. Reliqua multa breuitatis causa prętereo. Ædes alia extat in ea vrbis parte quodam tẽpore Parochia D. Marię de Cancellario nuncupatæ, & monialium ordinis D. Benedicti monasterium illi adiunctum, quod ex Stephani illius, quem a Cancellariatu Guilelmi primi, in Panormitanum Episcopum accersitum, & subinde a plebe in Regẽ Maionemque eius Admiratum tumultuante, Sicilia pulsum, in historiis late commemorabimus, ędibus a Matthęo Cancellario in sacros vsus conuersum est. Qua de re extat etiam Panormi Guilelmi secundi diploma. Non procul hinc portę obscurę imminẽs vetusta est ędes D. Theodori testudinata, & columnis subnixa, Normannorum fabrica, monialibus D. Basilii primum adscripta. In huius vrbis regione quę meridiem spectat, inter portas extinctas Iudæam & Bebilbacal, fanũ est. D. Cataldi, musiuo pauimento, & porhyrete lapide, columnisque testudinem sustinentibus insigne, a Syluestro Comite Marsico, Rogerii Sicilię Comitis nepote, conditum. cui & eius magnę ędes erant coniunctę, quę hodie nullę apparent. Supereſt in eo fano marmorea theca paruula muro infixa, in qua huiusmodi legitur epitaphium:

Egregii Comitis Syluestri nata Matildis,
Nata die martis, martis adempta die.
Viuens ter ternos habuit menses, obiitque
Dans animam cœlis, corpus inane solo.
Hęc annis Domini centum vndecies simul vno
Et decies senis, hac requieſcit humo. hoc est anno salu. 1161. In propinquo templum est diuæ Mariæ ab Admirato, porphyrete etiam, ac musiuo opere, multisque aliis ornamentis illustre, a Georgio Antiocheno Rogerii Comitis primum, & deinde Rogerii etiã Regis Admirato, (vt sublimes intus & Græcæ & Sarracenicæ maiores tam scriptæ quam etiam in lapidibus incisæ demonstrant literę, & plura Rogerii Regis, Guilelmorum, & aliorum Siciliæ Regum testantur diplomata) extructum, multis quoque donariis vasisque ad rem sacram aureis dotatum, ac octo insuper Canonicorum sacerdotum frequenti cultu celebratum. Quos postmodum Rogerius Rex, quatuor aliis superadditis, ad Diui Petri Apostoli in Palatio sacra seruitia transumpsit, vt publico ipse rescripto testatus est. Vasa vero sacra omnia Fridericus secundus Cæsar ad sumptus belli sustentandos abstulit: pro quorum restitutione casale Scupellum templo dedit, vt & illius tabellis datis Panormi die. 15. Augusti anno salutis. 1220. liquet. Huic templo plures post annos cum monasterium monialium ordinis Sancti Benedicti Goffredus Marturana &

Aloysia eius vxor coniunxissent, effectum est vt ætate mea Admirati nomine apud rudes prorsus obliterato, templum etiam ipsum insigne absurde a Marturana appelletur. Hic, vbi hodie carcer noxiorum est publicus, & initium viæ qua Yhuzetha petitur, ac quadrato e lapide monasterii sanctæ Catharinæ officinæ cernuntur, ædes olim stabant Georgii ipsius Admirati, magnifice splendideque extructę. Quarum ea quæ toto illo ambitu mira vetustatis fragmenta, & tessellata passim visuntur pauimenta, sunt reliquiæ. In hoc spatio, & sola via ab æde Sancti Cathaldi, & Sanctæ Mariæ de Admirato seiuncta, Prætoria vrbis est domus: opus quidem recens, sed anno salutis. 1553. cum primum nummulariam tabulam Panormitani instituerent, in eam quæ nunc est magnitudinem ad pecuniæ custodiam amplia- 10
ta, Prætoris est sedes. Ad cuius portam quæ meridiem respicit, duo hinc inde extât pari forma ex marmore nuda hominum nobis incognitorum simulacra, insigni sculpturæ industria elaborata. Subest ei dextrorsum S. Catharinæ monialium ordinis Prædicatorum cœnobium, a Palma de Magistro Angelo & Beneuenuta eius filia anno salutis. 1300. sacratum ditatumque: vbi Bebilbacal porta olim erat vrbis, & ædes S. Stephani de Admirato. eique inferius hæret Diui Matthæi fanum, virginum olim Diui Basilii cœnobium, a Normannis conditum. Nec multo infra marmorea via intercurrente, ad angulum vrbis, super mœnibus turris Pharath ac portæ Patitellorum incubans templum est hodie Diui Antonii. quo loco forũ olim Sarracenorum fuisse, in Regum diplomatibus & publicis tabulis comperimus. 20
Vetus hæc vrbs, qua septentrionem respicit, prisco tempore (vt dixi) stagno maritimo, vsque ad eum locũ qui Papyritus hodie dicitur, alluebatur. Quod obiectu protensæ linguæ ad vrbis vsque verticem mare incurrens portum tutissimum faciebat. At æui cursu amnis, qui hac etiamnum ætate Papyritus dicitur, quiq; olim vrbis mœnia cum stagno lambebat, & auctam iam vrbem interfluit, limosus alioqui, & materiæ secum aliquid semper afferẽs, obturatis luto portus faucibus, paulatim illud ad maris vsque littus prorsus oppleuit, oppletque etiam in singulos adhuc annos Panormitanum maris sinum, qui ea causa importuosus prope relinquitur. Enimuero quinquaginta plus minus ab hinc annis hybernis nonnunquã temporibus sæuiente Aquilone, non solum maritima vrbis porta, sed & campus quoque qui intra vrbis mœnia est hodie, ad tabernas vsque meritorias vndis atterebatur: quod hac ætate repleto iam limosa materia sinu minime contingit. Nam fluctus ipsi etiam vehementissimi ne ad portam quidem suo impetu peruadunt. Et quod de stagni ingressu scripsimus, Procopius libro. 1. de bello Gothico affirmare videtur. Cuius verba adscripsi, Panormus (inquit) vrbs sola, quoniam in ea validũ erat Gothorum præsidium, ac munitissimus erat locus, obsidionem expectauit ac pertulit. Quæ cum a terra munitissima esset, hostesque contemneret, quinimo & vt abirent, imperabat. Classe in portum delata, mari tandem expugnata est. portus enim vsque ad mœnia patebat. Animaduersumque a Belissario fuerat, quibusdam in locis malorum nauium q; altitudinem celsius attolli quam mœnia. Quare classem intra portum suis statim vt agerent, iussit, ac murum ad mare situm subirent, qui forte tunc erat defensoribus vacuus. Iactis itaque in portu mox ancoris, & nauibus in tuto firmatis, quarum mali vrbis propugnacula superabant, extemplo lẽbos sagittariis complent, sublatosque ad mali suspendunt fastigium. Vnde eminenti Gothi sagittis vndique icti, & instanti periculo adducti, in imbellem formidinem acti, sine mora mox Panormum Belliſſario dedunt. &c. hucusque Procopius. Hæc communi Panormitanorum opinioni plurimum astipulantur. Nam cũ ea anno salutis. 538. Panormi obtigerint, qui decimus septimus ab hinc supra millesimum fuit, quo tempore neque partes vrbis hodierno portui cohærentes, neque quæ portum hodie ambiunt mœnia condita, vt paulo post ostendam, sed longo post tempore extructa fuerint: vbi portum vsque ad mœnia Procopius patere scribit, non de hoc portu, neque de his mœnibus, quæ eo tempore non extabant, sed de veteris vrbis mœnibus, & portu qui ea tunc stagni instar alluebat, proculdubio locutus est. Quod & annales vrbis affirmant, cum regnantibus Petro, Iacobo, Friderico, Petro secundo, & Ludouico, Logiam ac Conciariam paludosas inhabitatasque,

tasque,ac Iuratum,qui his partibus exinde cultis hodie adscribitur,portę Patitellorum appellatum fuisse referunt, vt in archiuo Prætoris est videre. Cæmentarii præterea,qui ædium in ea regione aliquando fundamenta fodiunt,non in molem lapideam, neque in solidum firmumque aliquod,sed in arenas marinas incidunt. quod euidentissimum, ac omni prorsus tergiuersationi contrarium est argumentum. Sed de veteri vrbe hactenus satis.

ALTERA PANORMI pars est, quam longo post veterem vrbem tempore conditam, Neapolim Græce (id est nouam ciuitatem) appellatam fuisse Polybii authoritate supra demonstrauimus. Hæc ea est quæ vrbi veteri ad meridiē hæret. Fuisse autem conditam lōge ante primum bellum Punicum, muroque qui adhuc vetustissimus pro maiori parte hodie veteri vrbe distinguitur, atque arce munitā, Polybius eodem loco testatur. Quam eo tempore fossis etiam ac mœnibus circūuallatam fuisse,quo Metellus Asdrubalem Carthaginensium ducem, eiusque exercitum, ac eorum elephantos primo bello Punico flagrante fregit, ex eodē apertissimum est. Hæc a palatio incipiens,ac in formam deinceps hemicycli productа claudebatur. Quas autem iam inde a primordio regiones habuerit, incertū est.Normānorum vero ætate Kemonia,Albergaria,Deisin,& Yhalcia (quæ a Sarracenis proculdubio deriuantur) distinctam fuisse, ex Regum diplomatibus,& publicis tabulis compertissimum est.Kemonia,quę hodie nomen amisit,statim ab arce incipiens,regionē portæ Mazarienſis complectebatur.in qua prope arcē hodie ædes est Diuæ Mariæ ab Itria.cui iuncta est ædes alia vetustissima,diuo Andreæ olim dicata & sacello Regio a Petro Archiepiscopo attributa, sed nunc ruinis affecta. Et absque interuallo super mœnibus vrbis templum est Diui Ioannis cognomento ab Eremitis,& cœnobium ordinis sancti Benedicti illi annexum,a Rogerio Siciliæ Rege extructum,vt eius priuilegio dato Panormi anno salutis. 1148. mense Iulio cōstat.quod ætate mea quatuor Panormitanis Canonicis a CAROLO QVINTO CÆSARE Siciliæ Rege, & Clemente septimo Romano Pontifice concessum est. Huic ad meridiem hæret ædes Diui Georgii,& cœnobium ordinis Diui Basilii, a Roberto Guiscardo illi coniunctum: sed processu æui a Friderico secundo Rege,monasterio Sanctæ Mariæ de Alto fonte & de Parco,in hospitium elargitū, vt patet eius diplomate dato Messanæ die.28.Iunii.1307. Altera huius partis regio Albergaria, hodie appellationem retinet. In qua venale forum Segeballarath Sarracenice dicebatur, vt in Regum eorundem diplomatibus, & tabulis publicis legimus: sed corruptō paulatim nomine, a cæde Gallorum ad meam vsque ætatē, per aphæresim ac syncopata voce Ballaró nuncupatur. Huic foro ad occidentem templum imminet Parochiale Diui Nicolai ab Albergaria vetusto cognomēto,a Regina Blanca anno salutis.1400.conditum,vt inscriptio in vetusta tabula primario eius templi sacello affixa ætate mea testabatur. Incubat quoque eidem foro ad meridiem Carmelitarum cœnobium.Sed subest ei ad Boream cœnobium D. Mariæ a Gructa ordinis sancti Basilii,a Roberto Guiscardo erectum.cui ab Hērico quinto Cæsare & Siciliæ Rege,& Constantia Imperatrice, fuit adiuncta Abbatia sanctæ Mariæ de Marsala cum iuribus suis, vt eorum rescriptis datis Panormi.8.Calend.Maias.1197. apertum est.quod anno.1552. sacerdotibus de IESV cessit. In hac æde tabula marmorea ætate mea est reperta Græco epitaphio inscripta: quod ad verbum ex iambico carmine (huiusmodi nanque erat Græcum) Latine redditum est in hunc modum:

Quæ fœliciter peperit virum illustrem
Georgium primum Principum vniuersorum,
Castam,solitariam,piam Dei ministram
Lapis hic cooperit tumulo,
Defunctam in senectute profundissima.
Ianuarius habebat diem
Vltimam & finalem solam,
Inditioque agebatur tertia tunc
Anni prætereuntis subtilissime

Transacto

Transacto milium senario
Annis cum ipsis sexcentis totis
Quadragesima cum octonario rursus.
Et puluerem quidem ipsius intus occultat tumulus:
Animam vero gestant angelorum manus,
Nympham immaculatam, dignam Domino
Nympharum duce, & innoxio thalamo.
Et nunc exultat nymphice tractata,
Virtutum linteo induta,
Et bonis omnibus circumornata,
Et diuinis radiis impleta,
Vt quæ comis legata pro filiis
Preces commendat Deo alloquii fiducia.

Thecam hanc Georgii Admirati fuisse genitricis, & tempus & locus satis indicat. Vtraque hæc regio ampla est, & populo frequentissima. Tertia huius partis regio, Deisin Sarracenice, ea est quæ nonnihil immutata Diuisi hodie dicitur. cuius Parochialis ecclesia Diuo Ioanni Baptistæ cognomento a Tartaris est dicata. Quarta regio Yhalcia Sarracenice dicta, nomen adhuc retinet, & deinceps vsque ad mare, quod portæ Græcorum mœnia atterit, sequitur. Huius rerum venalium forum Fera vetus dicitur: vbi olim Panormitanæ celebrabantur nundinę, quarum vernaculum adhuc id nomen seruat vestigium. Ædes sacræ in hac regione complures. Quarum vna est Diuæ Trinitatis iuxta Thermarum portam, a Matthæo Guilelmi Regis secundi Cancellario intra vrbis eo tempore mœnia cũ monasterio illi coniuncto a fundamentis erecta. quam etiam postea a Guilelmo Rege fuisse dotatam, ex eius priuilegio dato Panormi anno salutis. 1150. consequimur. Hanc subinde Henricus sextus Siciliæ Rex, Teutona gente ortus, vtpote Friderici primi Cæsaris a ruffa barba appellati filius, ecclesiæ sanctæ Mariæ, & hospitali Teutonicorum concessit, vt ex Friderici secundi Cęsaris rescripto colligimus. quod in hunc modum refert: Notum (inquit) facimus tam præsentibus quam futuris, quod nos ad imitationem Domini Imperatoris, & Dominę Imperatricis, fœlicium parentum nostrorum diuę memorię, monasterium sanctę Trinitatis de Panormo, a Matthęo quondam dicto Cancellario constructum, quod ipsi Dominus Imperator, & Domina Imperatrix, ecclesię sanctę Mariæ, & hospitali Teutonicorum misericorditer concesserunt. hęc ille. Teutonum igitur hoc pacto factum est ex ea xenodochium, Mansio hodie vulgo appellatum. Non longe ab eo templum est D. Marię ab Angelis, & minorum Fratrum, quos Obseruantiales vocant, cœnobium ętate mea illi a fundamentis adiectum. Eique vicinum aliud est monasterium monialium ordinis Prędicatorum Diuę Mariæ a Pietate, a Frãcisco Patella Sicilię Magistro Portulano super eius egregiis ex quadrato & ornato lapide constructis ędibus ętate etiam mea fundatum. Et prope extat ędes D. Marię a Victoria piis viris dicta, qui veste alba amicti, & facie velata in furcam, securim, aut aliam id genus capitis pœnam damnatis pie assistunt. Cui hęret templum aliud insigne D. Marię de Spasmo appellatum, & cœnobium Montis Oliueti illi contiguũ, a Iacobo Basilico Iureconsulto anno salutis. 1506. extra vrbis mœnia tunc, licet ampliata ea parte, ætate mea intra mœnia conditum. Vlterius moli portus imminęs ędes est prędara, duplici columnarum ordine suffulta, & lapidibus quadratis ingentibus insurgens Diuo Nicolao cognomento a Yhalcia, totius regionis Parochialis. Et iuxta eam, sed portui magis prominens, templum est quadrato etiam lapide testudinatum, columnisque ex speculari lapide conspicuis subnixum, D. Marię a Cathena vel ob id nuncupatum, quod portus littori incubat. Vbi olim, eũ profusior erat, ne aliquando hostiles rostratę naues in portum irruerent, cathena ferrea faucibus inserta vtrinque erat colligata. Hinc ad iactum lapidis ad meridiem distant areę maximę, quam planitiem maritimam appellant, prominentes, Manfredi Claromontani Motycę olim Comitis insignes veteris architecturę ędes, anno salutis. 1320. structę, Hosterium ętate mea dictę. Quas, cum Andreas Manfredi

fredi filius defuncto patre, quod a Martino Siciliæ Rege desciuisset, capite plexus esset, Rex ipse sibi in regiam adscripsit: curiamque circum eas amplissimam, vbi Iudices totius regni ad causas decernendas (quæ ante, vt Friderici Regis secundi priuilegio cõstat, in Castro ad mare agitabantur) conuenirent, instituit: qua post-ea Siciliæ Proreges vsi sunt. Verum anno salutis. 1517. cum per mortem Ferdinandi, Hispaniæ & Siciliæ Catholici Regis, motibus in Sicilia, & Panormo præsertim exortis, Hector Pignatellus Montisleonis tum Comes, Siciliæ Præses, a coniuratis in ea regia expugnata captus esset, sedatis postea motibus, tutũ sibi suisque posteris ibi refugium minime fore ratus, regia ad maris arcem, quæ munitior est, transtulit, mercium eo horreum, quod Doanam vulgo appellant, transcripsit. Porta vrbis in hac regione, & non longe ab his ædib. olim erat, Politio cognominata: quæ hodie licet nulla sit, nomẽ tamen apud seniores adhuc retinet. Et de Neapoli quidem satis.

TERTIA PANORMI pars ea est, quæ veteri vrbi ad septentrionem interfluente amne hodie hæret, Seralcadis Normannorum Regum ætate & hodie appellata, Transpapyretum ciuitas Rogerio regnante in priuilegiis & publicis tabulis etiam dicta. Hæc a Palatii confinio, & a fluuiolo Papyreto initium habens, mœnibus curuato cursu cincta, veteri vrbi ad turrim Pharath iungebatur, vt ex murorum fundamentis in quæ fossores passim incidunt, liquet. Forum eius venale a Bandera nomen habet. Eius ædes sacræ sunt: templum sanctæ Crucis Parochiale, & alterum Diui Hippolyti. Est & D. Augustini cum Eremitarum fratrum cœnobio non ignobile fanum. Hanc vrbis partem Papyretus amnis hodie statim interfluit: qui plures habens triticeas molas ad Panormitanum portum se exonerat. Oritur autem extra mœnia ad pas. ferme quingentos e fonte sub specu effluente, cui Sarracenice Aynseitime, sed Aynsindis corrupte hodie nomen est. Siquidem Ayn Sarracenice fontem sonat: Seytim viri proprium est nomen. Is fluuius & extra, & vrbis etiam mœnia ingressus, statim in stagnum paludesque diffunditur. vbi papyri magna gignitur copia. Est autem hoc genus scirpi frutex nudam habens virgam triangulis lateribus in gracilitatem fastigiatum, longitudinis circiter cannæ vnius, & in summo lanuginem habens capillarem. a quo & locus & amnis Papyritus est appellatus. Erat eo loci, ad flu. dexteram, Sarracenorum tempore trapetum: vbi & cannæ mellitæ frustatim coniectæ, & oleæ, fluuii cursu molebãtur: Mahassar Sarracenice dictum, vt in Normãnorum Regum priuilegiis legitur. Super cuius postmodum rupem a Normannis Regibus ædes D. Iacobo Apostolo dicata est, & a Mahassar quoq; appellata: quæ corrupte hodie a Mázara, correpta media, a Pãormitanis ciuibus nominatur. Stagnum illud maritimũ cuius supra memini, huc usque olim peruenisse, situs quoque loci maxime vallatus indicat. Porta erat ad hæc vrbis mœnia a Rota olim vocata, vt publicis tabulis & Regum priuilegiis constat: quæ hodie clausa, licet nomen amiserit, mœnibus tamen nomen dedit, quæ Rotę appellationem adhuc habent. In hac vrbis parte, & ad huius flu. sinistram, loco cui Sarracenice adhuc Ayn Rome (quod fontem Christianorum Latine interpretamur) nomen est, anno salutis. 1550. insignes conditæ sunt ędes. in quibus textrina officina ingens, in qua textiles lanę fiunt vestes, primum constituta est.

QVARTA & vltima Panormi pars, id totum spatium quod inter veterem vrbem, duasque vrbis prędictas partes & portus littora interiacet, complectitur: ingens sane, & pluribus regionibus, sacrisque ac profanis ędibus prędaris ornatissima. Nam cùm olim stagnante fluuio, & stagno quoque eam perfundente, tota esset paludosa, habitatiõi erat inepta. Processu vero ęui palude reficcata suburbiis locum dedit. Quorum prędipuum Amalphitanorum fuit, & eorum Parochialis ędes D. Andreę sacra, quę adhuc extat: & D. Nicolai fanum prope eam, quod a Burgo adhuc cognominatur. & subinde cęterę regiones illis adiectę sunt, vt Conciaria, Logia, & Terracina. Cuius rei argumentum non infirmum est, quod tẽpore Guilelmorum Regũ neque Conciaria, neque Logia regiones habitatę nec cognitę fuerunt: sed Amalphitanorum duntaxat suburbium, vt in diplomatibus & tabellionum

bellionum tabulis comperimus. Iuratus præterea vrbis, qui omnium postremus est, non Conciariæ aut Logiæ, prout huc ætate, sed portæ Patitellorum etiam anno salutis. 1300. Petro primo, Friderico, Petro secundo, & Lodouico Regib. asscribebatur, prout in Archiuo Prætoris videre est. Hæc itaque pars cum proxime coaluisset, templum Sarracenorum, quod & in ea & extra mœnia erat, Christiano purgatum more, D. Iacobo iam antea dicatum, relicta S. Andreæ æde, in vniuersalem totius huiusce partis Parochiam ciues cõstituere, vt ex publ. tabulis cognouimus. Ædibus præterea D. Francisci cum fratrum minorum (quos Conuentuales appellant) cœnobio insigni hæc regio est celeberrima. D. quoq; Dominici templum in eadem, & monasterium illi annexum religiosissimum ordinis Prædicatorum. A quo non procul cœnobium est S. Citæ ordinis eiusdem, Lucensium olim xenodochium. E regione quoque templum D. Annunciatæ ornatissimum, cui vicina est D. Lucæ ædes. subestque huic D. Petri Apostoli templum cognomento Balnearii, anno mundi. 6589. Roberto Guiscardo rerum Panormi potiente extructum, quemadmodum huiusmodi super eius porta in saxo marmoreo Græca, sed in Latinum versa indicat inscriptio: Expletum fuit adorabile templum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in diebus illustrissimi Ducis Roberti, & Siciliettæ eius vxoris, impẽsa Nicolai filii Leonis Parathalassiti Panormitani, & sollicitudine curaque Nicolai Simplicis presbyteri & tabellarii, anno mundi. 6589. inditione quarta. orate pro eo. hucusque inscriptio. Et ad limen templi eiusdem marmor calcatur, in quo hoc fragmentum Latine legitur: Aurelio Imperatori. Hæret huic arx vetus, quam Castellum ad mare ideo vocant, quod tres eius partes mari impetuntur, & ad tuendum portus ostium a priscis condita, sed a Sarracenis templo Mahumetanæ superstitionis excitato ornata, & a Roberto Guiscardo ac Rogerio fratre illis superatis postmodum instaurata, vt in Annalibus Siculorum & Vita Rogerii legimus. Quam postremo Carolus Quintus Cæsar propugnaculis ingentibus mea ætate muniuit. Adhærebat arci, qua portus fluctibus alluitur, templum vetustum D. Ioannis Baptistæ, a Normannis quidem Principibus ditatum, sed a Guilielmo secundo Siciliæ Rege postea cœnobio sancti Spiritus extra mœnia eius tẽpore ab Archiepiscopo Panormitano condito cum suis pagis concessum: vt eius diplomate dato Panormi anno salutis. 1178. mense Nouemb. (quod legimus) constat. quod tempestate etiam mea ad muniendam arcem funditus deletum, iuxta ædem D. Mariæ a Cathena restitutum est. Sunt & aliæ duæ D. Mariæ ædes me viuente in ea conditæ. quarum vna a Portu saluo, altera a miraculis appellatur: vtraque miraculis ad aream maritimam conspicua. Hæc quarta Panormi pars cum aperto prospectu ad maris portum olim exiret, anno salutis. 1380. Manfredi Claromontani opera, foro & campo maritimo fornicibus instar muri editis incluso muro amplissimo cincta, & cęteris tribus ædium nobilitate ac populi frequentia reddita est celebrior. Quatuor has Panormi partes eo temporis ordine quo a me sunt descriptæ, fuisse conditas, Conseruatorum vrbis (quos Iuratos Siculi appellant) ordo indicat. Nam cum sex sint eius dignitatis nominisque in vrbe Senatores, distributis oneribus, duo eorum veteris vrbis, tertius Neapolis (quam Albergariam hodie appellant) quartus Seralcadis, quintus Yhalciæ: sextus anno ab hinc quinquagesimo supra centesimum portæ Patitellorum, ac subinde aucta ea regione Conciariæ & Logiæ nomen suscepit, vt diximus. Ita Panormus quatuor præcipuis partibus complexa, habet in circuitu p.m. fere quatuor. Anno nanque salutis. 1493. filo extra ad mœnia ducto, senatus eius ambitum. 3253. in circuitu cannas demensus est. cui & mea ætate aliquid etiam spatii ad Græcorum portam (vt paulo post dicemus) accessit. Mœnia vrbis, qua septentrionem spectat, cum essent vetustate collapsa, Fridericus secundus huius nominis Siciliæ Rex, & Petrus filius restaurarunt. Manfredus postea Claromons (penes quem multos annos non modo in hac vrbe, sed & in ea Siciliæ parte quam Vallem Mazaræ vocant, summa rerum fuit) totius pene vrbis muros multis locis dissolutos in cultum longe splendidiorem restituit. Sed & mea ætate Senatus ipse Panormitanus propugnaculis, eisque miris ac frequentibus, ad recentiorem disciplinæ militaris munitionumq; formam

formam innouatis munitissimã reddidit. Est vero Panormus hodie non tantum sedes regia, & ciuitatum Siciliæ maxima: sed & emporium, rerumque omnium venalium forum non modo Sicilia tota, sed & Italia celebratissimum. Quo cõfluere sedesque transferre propterea consuescunt non solum Italici generis Genuenses & Ethrusci, sed Hispani quoque complures: quorum consuetudine res Panormitanæ maiorem in modum succreuerunt. Habet hodie portas decem: Maris, Doanæ, Molis, Græcorum, Thermarum, Sanctæ Agathæ, Mazaræ, Nouam, Carinis, & Sancti Georgii. Quarum tres primæ maritimæ sunt, ac vehementi flante aquilone vndis nonnunquam verberantur. Prima a Mari nomen habet, qua portus petitur. Altera Doanæ anno salutis. 1520. est dicata, quod per eam merces, quæ nauibus aduehuntur, in regium horreum vectigali pendendo transeunt. Tertia Molis dicitur, ob id quod vasta ibi est moles, quã Panormitani fluctibus marinis, quo tutior esset nauib. statio, regnante Alfonso Hispaniæ & Siciliæ Rege, anno ab hinc octauo supra centesimum obiecerunt. Reliquæ mediterraneæ sunt. quarum vna, & moli vicinior, a Græcis, quorum olim ibi erat suburbium, appellatur. quæ anno salutis. 1553. cum mœnibus coniunctis diruta, ac vrbi spatio adiecto nõ ad orientẽ, vt iam pridem, sed aquilonem spectans, nouam ex lapidibus quadratis, & maximis propugnaculis, & Africæ Sarracenorum vrbis foribus, ornatissimæ structuræ faciem suscepit. Quæ & ipsa sæuiente aquilone fluctibus alluitur. Succedit ei ad paucos passus porta quædam hodie clausa, a Victoria nomen habens: qua Rogerius Siciliæ Comes vrbem ingressus, & superatis Sarracenis, olim Panormo potitus est. Extra duas has portas pro mœnibus Sarracenorum olim sepulchrorum erat locus, quorum ætate mea plurima sunt reperta. Subinde traiecto fluuio Orethο ad. p.m. ferme quinque seges est dulcium arundinum, ex quibus saccarum fit. Vbi ædes ingentes sunt arcis instar a Petro speciali anno supra centesimum ad saccarũ conficiendum extructæ. Sed & paulo superius aquæductus sunt insignes, qui excelsis arcubus fluuii aquas ad cannas mellitas irrigandas ducunt, a Petro Campo eodem ferme tempore extructi. Secunda porta Thermarum nominatur ab oppido eiusdem nominis, quod p.m. 24. Panormo abest. Hanc & mœnia coniuncta, vetustate collapsa Fridericus Siciliæ Rex secundus a fundamentis instaurauit, vt ex eius priuilegio dato Panormi anno salutis. 1328. colligimus. Ætate vero mea & propugnaculis admirandis, & recenti forma innouatam videmus. Extra quam ad quingentos ferme passus Orethus flu. vrbem præterlabitur, Metelli contra Asdrubalem Carthaginensium ducem victoria insignis. vbi ponte eximio quadratis ex lapidib. a Georgio Antiocheno Rogetii Regis Admirato, cuius adhuc cognomentum retinet, liberaliter extructo traiicitur. Traiecto amne ad iactum fundæ ædis sacra testudinata occurrit D. Ioanni ab infirmis leprosis dicata, a Roberto Guiscardo, & Rogerio Siciliæ Comite, cum Panormum obsiderent, excitata: vt & in eius gestis legimus, & Fridericus secundus Cæsar in suo diplomate dato Hagenouæ anno salutis. 1209. mense Februario testatur. Et vlterius ad. p. circiter mille fons ingens est, a Fauara sancti Philippi nominatus: vbi Rogerius Siciliæ Rex ædes insignes, locumque fecit amœnissimum, Solatium Regium vna cum fonte appellatum, vt in eius vita traditur, & ex priuilegio Regis Friderici secundi dato Messanæ die 28. Iunii. 1307. habemus. Et ad. p. deinde plus minus. 400. ad radicẽ excelsi montis fons alius insignis scaturit, Mare dulce nũcupatus. vbi & piscina regia olim erat, cuius adhuc vestigia cernuntur. Incubat huic fonti ad angulũ montis specus ingens, in quo cadauer illud immensæ proceritatis, cuius lib. 1. meminimus, inuentum est. Has aquas Fredericus secundus Sicilię Rex pro commutatione viridarii cuiusdam Panormitani, quod idem Rex ex domo Mansionis Trinitatis pro extruendis mœnibus & porta Thermarum sibi occupauit, eidem Teutonum xenodochio dedit, vt dato eius priuilegio Panormi ostenditur. Ad. p. deinde circiter. 500. dextrorsum ad montium latus cœnobium est ornatissimum ac religiosissimum, fratrum minorum obseruantiam regularem sectantium, a Sancta Maria de IESV appellatum, Matthęi Agrigentini concionatoris sua tempestate illustris opera, anno ab hinc ferme centesimo excitatum. Tertia porta a. S. Agatha,

cuius ædicula ad passus circiter. 200. ab ea dissidet, nomen suscepit. Quam deinde sequitur templum S. Spiritui sacrum, & cœnobium Cistercienſis ordinis illi annexum, præclarum quidem, & a Gualtherio *P*anormitano Archiepiscopo ad ripã fluminis, quod Sarracenis eo tempore Habes nominabatur, gratia & fauore Guielmi secundi Siciliæ Regis conditum, vt in suo priuilegio dato *P*anormi mense Nouembri anno salutis 1178. Gulielmus ipse testatur, cuius primo inchoationis die, Solem eclipsim passum fuisse Siculorum annales referunt. Vbi etiam a conditore thesaurum, quo postea templum maximum excitauit, repertum memorant. Id templum maximum excitauit, repertum memorant. Id templum illud est vbi temporis successu anno salut. 1282. tertio de *P*aschę festo Galli quotquot tum *P*anormi aderant, quod petulantius mulieres, quæ ad rem sacram solenni more confluxerant, oculis gestibusque procarentur, vna vesperarum hora a *P*anormitanis, partim religionis, partim pudicitiæ vindicibus, trucidati sunt. Vnde Siculorũ vesperæ in prouerbium abiere. Quarta porta ad latus vrbis occidentale sita, a Mazara vrbe, quæ *P*anormo. p.m. 70. distat, nomen habet. Extra quam per pontem superato Oretho amne templum D. Mariæ a Gratiis. p. m. 3. ab vrbe aditur. Quo præterito, sinistrorsum ad mõtium radices emergens fons est perennis & magnus, Ambler Sarracenice nuncupatus. Vlteriusque ad. p.m. 2. ad montium latus fons alius affluentissime emergit: qui quod celso oritur loco, totumque *P*anormitanũ agrum irrigat, Altus fons appellatur. vbi vetustum eiusdem nominis est templũ D. Mariæ, eique cœnobium sacerdotum ordinis Cistercienſis coniunctum. cui hærebant saltus Guilelmi secundi, quos *P*arcum, aut Circum regium nominabãt: vbi frequenter venationi indulgebat: hodie priuatis vineis suffecti, a quibus & ager & monasterium a *P*arco adhuc cognominantur, a Friderico secundo Siciliæ Rege conditum: cui pro dote vtrumque *P*arcum, & nouum vbi est erectum, & vetus *P*anormi, agrumque *P*arthenici cõtulit, ac etiam vt in Sala eiusdem agri posset pagus construi & habitari: addiditq; doti ecclesiam. S. Georgii a Kemonia, quę monasterium tunc erat monachorum Græcorũ: vt ex eius priuilegio dato Messanæ. 28. Iunii anno salut. 1307. constat. Quinta porta, Palatii lateri septentrionali hærens, Noua est dicta. de qua satis superque hoc eodem capite. Extra hanc Aynsindis fons ad. p. 500. occurrit. Iuxta quem Zisa pomarium regium: & deinde ad. p. 500. Archiepiscoporum *P*anormitanorum sunt horti. Et supra ad. p.m. fons est ingens a Nixo dictus: quem ad sagittæ proiectum præclarus sequitur fons, Criebel Sarracenice in quodam Conradi Siciliæ Regis diplomate, sed Gabriel hodie dictus. Duo hi fontes cum maximi & celeberrimi sint, agrum irrigant *P*anormitanum, & plures quoque molas conuoluũt. Gabrieli fonti ad dexteram quidem in elato nonnihil tumulo, qui Acuto monti altissimo subest, templum ad. p. mille assurgit, & ordinis D. Bernardi adiectum illi cœnobium insigne. D. Mariæ de Angelis cognomento, a Manfredo Claromonte Motycę olim Comite, consensu Vrbani sexti Romani Pontificis, in agro Baydæ (qui iuris erat ecclesiæ *P*anormitanę) ex causa permutationis adepto ędificatum, locupletissimeque ditatum, vt in publicis tabulis notarii Nicolai Castroni. 1388. mense August. & in archiuo magnæ regiæ curię legimus. Quod ætate mea vetustate collapsum a Ioanne *P*aternione Catanensi, *P*anormitano Archiepiscopo, cui cessit, instauratum, magnisque ædibus ampliatum, ab ædicula in area templi ab eo fabricata, &. D. Ioanni Baptistæ dicata, appellationem a. S. Ioanne Baydæ vulgo adeptum est. *P*rospectum habet in totũ agrum ac mare *P*anormitanum iucundissimum, ac vere regium. Fonti Gabrielis ad sinistram ad. p.m. 2. & *P*anormo. p. m. 4. incubans mons excelsus prominet: ad cuius radices in angulo paulisper edito vrbs sita est Mons regalis appellata. vbi & templum est ingens, musiuo opere, ædiumque superbissimarum structura toto orbe celeberrimum magnificentissimumque, Diuę Mariæ sacrum, & cœnobium sacerdotibus. D. Benedicti adscriptum, quod Guilelmus secundus Siciliæ Rex magnis impensis loco iuxta Bulchar Sarracenorum pagum paulo supra. S. Kyriacam a fundamentis erexit, omnibus fanis nõ solum Italia, sed toto etiam terrarum orbe excitatis eo genere structuræ præferẽdum. vbi statim tanta, tamque insignis fabricæ

fabricæ maiestatisq; templi admiratione, Regis præterea frequenti accessu ac incolatu, accita rerum nouarum auida multitudo, oppidum pro initiis suis, Panormiq; tam illustris ciuitatis vicinia non contemnendum effecit. quod eiusdem Regis liberalitas paulo post in ciuitatem metropolim, concedente Lucio tertio Romano Pontifice, euexit. Hic locus hortorum amœnitate, liquidis fontium plane manãtium aquis, & suauissimo in totam Panormitanam sibi subiectam planitiem, omnemque vrbem ipsam, ac mare Tyrrhenũ prospectu, aerisque clementia pulcherrimus cum esset, & ob frequentes Regum secessus, qui se animi relaxandi gratia eo conferre solebant, Mons regalis iure optimo appellatus est. Vrbi & templo mons ipse incubat editus, nudus & horridus. Ad cuius verticem arx est vetustissima, natura quoque ac structura munitissima. quæ arcis simul & speculæ, cœnobiique speciem habet. Ædem nãque sacram & columnis suffultam, ac cæteras sacerdotum officinas licet antiquitate iam deformatas intus exhibet. Cui depressa & montibus circunsepta succedit vallis. vbi templum D. Martini colitur, a Petro Indulfo olim extructum, vt Guilelmus secundus Siciliæ Rex in eo priuilegio, quo in ecclesiam Montis regalis dono illud transferebat, dato Panormi mense Iunio anno salut. 1182. contestatur. Quod deinde Emanuel Montis regalis Archiepiscopus sacerdotib. ordinis D. Benedicti cõcessit: vt monasteriũ hac lege ibi construeret, vt quotãnis sexto idus Septembris, solenni pompa, & facibus accensis, prædictum Montis regalis templum, cui festus singulis annis hic dies est, quodque. 2. p. m. inde recedit, inuiserent. Qua conditione ad Sancti Martini ædem cœnobium accessit, tota Sicilia hodie nobilissimum ditissimumque. Sexta Panormi porta in latere vrbis septentrionali sita, Carinis, ab oppido eiusdem nominis p. m. 12. terrestri itinere a Panormo diuiso, cognominatur. Extra hanc ad iactum sagittæ D. Oliuæ virginis & martyris Panormitanæ templum est, mea ætate diruto veteri a fundamentis in nobilissimam testudinum faciem instauratũ, illique minimorum fratrũ cœnobium religiosissimum adiunctum. Et deinceps post. 2. p. m. ad montium radices tumulus surgit vndique præcisus, non ingratum quoque aut inanem in Panormum, & eius agros ac mare prospectum præbẽs: vbi ædicula est vetusta D. Heliæ. Et ad p. deinde. m. 5. ab vrbe autem. 8. dissitus, Galli portus prominet: vbi & olim Motya stabat vrbs, vt præscripsimus. Septima porta omniũ postrema Castro ad mare hęrens, Sancti Georgii, ab æde peruetusta ad maris littus sita, & sexcentos ferme passus ab vrbe distans, nomen sortita. Vbi molem nouam ex ingentibus lapidibus ad portum tutissimum construendum mea ætate magno ęre inceptam, vis fluctuum Panormitanorum inertia absorpsit. Mons Peregrinus (cuius supra memini) ad totidem passus imminet, ad cuius meridionalem angulum lapis ingẽs toti Panormitanæ planiciei patens, Imperatori nuncupatus, a Friderico secundo Cęsare Sicilię Rege ibi ea lege, quę in hũc vsque diem sanctissime obseruatur, affixus est, vt cum primum solis vmbram ex rupe imminenti cadentem recipit, (quod vigesima prope diei hora æstate euenit) coloni, qui mercede Panormitanum colunt agrum, laborem peregisse censeantur, nec serius in opus cogi possint. Mare, ad cuius littus perstat Panormus, fœcundum, & omnis piscium generis pisculentissimum, thynnorum etiam a Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum copiosa industria, visuque delectabili captura, celebre est. Id quoque habet Panormus peculiare, vt vbicunque tam intra quam extra mœnia, terra non nimis effoditur, statim ingens vis aquarũ scaturiat, potu nec ingrata, nec insalubris. Hinc priuatę ędes singulę suos habent puteos. Manant prętera ac largissime effluunt intra vrbem aquę complures publicę. Quarum habetur saluberrima quę Sarracenice adhuc Yharaffi nomen habet. Sed hęc aquarum abundãtia interdum exitiosa est, qua crassior concretiorque factus aer inclementiam parit, atque in morbos resoluitur. quibus non parum etiam causę ex eo prouenit, quod ęstate refrigerantes salutaresque flatus, montium, quibus circumsepta vrbs est, obiectu arceantur. Offensionem etiam interdum non mediocrem accipit a torrente, qui ex aquis pluuialibus a collibus Montis regalis collabentibus collectus, meridionalia olim veteris vrbis mœnia alluebat: sed auctam iam ea parte vrbem interfluit, hodie Fluuius mali tẽporis

appellatus. Qui cum alias Panormo metum tantummodo incussérit, anno demum salutis.1557.5.Calend.Octobris,hora noctis prima,aquæductus eiusdem nominis orificiis a ciuibus imprudenter obturatis, adeo tum ex quatriduana ingenti pluuia auctus iuxta mœnia stagnauit,vt perruptis sua vi mœnibus palatio regio ad meridiem hærentibus,ita vehemens ac sæuus maximo suo alueo abinde vsque ad mare proruperit, vt in exitium Panormi conspirasse videretur. Nam quicquid in eo tractu viis depressis, quibus fluebat,tum sacrarum tum profanarum etiam nobilium erat ædium,quæ supra bis mille fuisse censentur,cum trium fere hominum milium miserabili suffocatione,ac maxima rerum omnium iactura,vel secũ traxit & absumpsit,vel prostrauit: nobis videntibus, & tot Siciliæ Regum ac Pãormitanorum segnitiem arguentibus, qui tanto hosti, cum facile possent,facto pro mœnibus vallo,quo torrens intacta vrbe Oretho fluuio misceretur, modum nunquã imposuerint. Panormus alioqui singulare id nomen promeruit & seruat, vt in exteris excipiendis, amandis ac fouendis,quorum incolatu maxime coaluit,nulli sit secunda.Quo factum est vt eam virili formaPanormitani pingere soleant.cuius facies prolixa, atq; acuminata barba , caput regio diademate sit redimitũ: pectus flexuoso volumine fugat anguis: ante pedes calathum habeat auro & florib. plenum,cum hoc symbolo:Panormus vas auri,suos deuorat,alienos nutrit.Cuius iudicium numisma vetus ex ære apud me est, quod dextera barbati hominis Græcanico amictu insignis caput hac Græca inscriptiõe,PANORMITANON: sinistra vero phœnicem pedibus fulmen tenentem exhibet exprimitque. Nobilitata fuit hæc vrbs prisco tempore Andrea vetustissimo, & in primis philosopho insigni, Panormi orto,vt.14.lib.testatur Athenæus. Scripsit de iis quæ falso creduntur: librumque edidit de historia ciuili Siculorum. Sed maxime insignis effecta est ortu Oliuæ & Nymphæ virginum & martyrum: quarum gesta clara habentur. Antonius quoque cognomento de Bononia,equestri Beccatella familia Panormi natus fuit.qua ratione a prima ętate se Panormitam cognominari voluit.Is adolescẽtulus Bononiam , vnde suum genus repetitur, studiorum gratia missus,iuri primũ ciuili operam dedit: atque aliquot in eo studio annos versatus,iureconsultus tandem nõ mediocriter doctus euasit: operam deinde dedit Poeticæ atque Oratorię, ad quas facultates veluti a natura rapiebatur.In quibus adeo clarus breui euasit,vt per ea tempora in omni Italia Poeta & haberetur & esset. Quem eo nomine Sigismundus Imperator in Italiam veniens vno omnium doctorum virorum Principumque consensu laurea corona donauit. Ob facundiam quoque ac prudentiam omnes pene Italiæ Principes maximo ipsum honore prosecuti sunt:præsertim vero Philippo Mariæ Mediolanensium Principi adeo charus fuit,vt octingentis annuis aureis ab eo donaretur. Sed eo grauissimis postmodum bellis occupato,Alfonso Hispaniæ,Siciliæ & Neapolis Regi, postremo & Alfonsi filio Ferdinãdo adhæsit. Quibus longe iucundissimus atque chariſſimus fuit. Lusit admodum adolescens in Hermaphrodito.Extant multæ eius orationes: extant & epistolarum atque epigrammatum multa volumina, quæ quidem in magno vsu habentur.Extat & eius opus elegiaco versu in Antonium Raudensem:quod ab eo lacessitus,Rhodum inscripsit.Scripsit de dictis & factis Alfonsi Regis,qui eo doctore perdiu vsus est, libros quatuor. Complexus est etiam res gestas Ferdinandi Regis. At cum ad septuagesimum ferme ætatis annum peruenisset , epitaphium huiuscemodi sibi ipse composuit:

Quærite Pierides alium qui ploret amores:
Quærite qui Regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens hominum sator,atque redemptor
Euocat,& sedes donat adire pias.

Id voluit Tusculo in marmore sepulchro incidi, quod viuens adhuc humi sine vlla structura magnifica Neapoli in æde Diui Dominici sibi fieri curauit. Vbi paulo post relicta honesta sobole fato functus & tumulatus est. Floruit sub idem tẽpus Petrus Ranzanus Panormitanus ordinis Prædicatorum. Is theologiæ professor clarus,oratoriæ facultati ac poeticæ ita insudauit,vt in oratorem & poetam celebrem

lebrem euaſerit. Cuius eloquentiæ fama impulſus Ferdinandus Neapolitanus Rex Ioanni filio, qui poſtea Cardinalis effectus eſt, præceptorem eum adhibuit, ac ſubinde ad Lucerinũ epiſcopatum euexit. Scripſit annales omnium temporũ, quod opus morte præuentus non compleuit: quod his eius verbis in lib. 40. conſtat: Gerborum (inquit) inſulam pons quidam lapide ſtructus, turribus altis munitus continenti coniũgebat. Fuiſſe vero ſtructum eum pontem a Siculis conſtat, quo tempore eorum illi inclyti Reges a Normannorum ſanguine ducti (de quib. ſuo loco mentionem aliquando faciam) Tuniſienſes Reges variis cladibus afficiebant, Africæque partem poſſidebant. Et paulo infra: In Aragonia (inquit) & in Sicilia, atque in cæteris regnis, quorum ſum mentionem facturus. hæc ille. Et cũ in decem aliis, quos poſtea tantum ſcripſit, libris, neque Hiſpanorum neque Siculorum Regum, nec earum prouinciarum meminerit, opus eum non perfeciſſe conſtantiſſimum eſt. Scripſit etiam de ædificatione Panormi opuſculum, quod extat. Tulit quoque hæc vrbs ætate mea Hieronymum Fuxa arcis ad mare præfectum. Is (mirum dictu) decem dies æſtiuo tempore longiſſimis etiam itineribus feſſus abſque potu agebat. Ornatur hodie Petro Tagliauia & Aragonio Archiepiſcopo Panormitano, & S.R.E. Cardinali religioſiſſimo. Sed Panormo vrbe ſatis deſcripta ordinem perſequamur.

Post Græcorum portam & vrbis mœnia ad p. fere. 300. oſtium fluuii Orethi (quod natum ex monte Latinis ſonat) ſuccedit, Vibio Sequeſtri, abſque nomine aũt Polybio lib. 1. Habes Sarracenis, & Normannis Regibus in diplomatibus: Admirati hodie Panormitanis, ob pontem ad eius traiectum a Georgio Admirato olim extructum, appellati. Ptolemæus vero iuxta Panormum in eiſdem longitudine, gradibus & minutis fluuium Eleutherum ponit in tabulis & figura Siciliæ. Cuius authoritate Orethum hunc eſſe fluuium proculdubio cẽſendum eſt. Eleutheros præterea Græcis cũ amœnum ſonet, & in Phœnicia (vnde Panormus eſt) Eleutherus alter fluuius Ptolemæo in tabulis, & Plin. lib. 9. cap. 10. teſtibus extet: huic noſtro a primis conditoribus vrbis, qui Phœnices fuerunt, (vt diximus) vel ab illo, vel ab amœnitate loci nomen hoc inditum fuiſſe, etſi nullus author, qui quidẽ ad manus meas peruenerit, memoriæ hoc prodiderit, veriſimile tamen eſt. Præbet is fl. etſi raro, ſiluros, ſed eos paruos, quos recentiores Sturiones appellant, pro vt anno ſalut. 1545. ipſi nos viſu didicimus. Caput habet in montibus ſupra Montẽ regalem vrbem ad p. m. fere. 4. ex duobus fontibus: quorum vni Miſiliandunis Sarracenice, alteri vero Frauacta nomẽ eſt. qui excurrentes paulo infra confluũt, & mox augentur ex fonte inſigni, cui Cannizzaro hodie eſt appellatio, qui ſtatim a ſuo fere ortu molas conuoluit. non longe vero ab eius dextera Rayhalceſis, Pyrus, Parcus, & alii fontes exoriuntur, qui omnes ad monaſterium S. Mariæ a gratiis concurrunt, & mox in Orethũ illabuntur. qui ita auctus ingenti alueo in vtraque ſui ripa domeſticarum arborum viriditate, & plurium fontium ſcaturigine amœniſſimus, dilapſus hic tandem in mare effunditur. Vlterius ad p.m. 2. ad littus maris duo ſunt fontes ſibi ſuccedẽtes, quos aquas Curſalium (qui piratæ ſunt) hodie appellant. Et deinceps ad totidem paſſus Ficaraziarum ager & ædes ſunt, & mox Bayharię Sarracenici nominis (quod terram arenoſam mobilemque ſignificat) fluuii oſtium. vbi & paruarum cymbarum eſt ſtatio: cui Sarracenice Miſilimir adhuc nomen remanſit. Oritur is fluuius ad arcem cui Reſalaymis Sarracenicum hodie eſt nomen, decem circiter. p.m. a littore diſtans, e fonte eiuſdem nominis ex ſpecu exundante, ſtatimque fluuium faciente, vbi pagus olim erat Miſerella nominatus, quem Teutonum xenodochio Sanctæ Trinitatis Fridericus ſecundus Cæſar conceſſit, vt priuilegio dato Panormi. 1206. ipſe teſtatur. Dilapſus deinde augetur ex pluribus fontibus. Sed cum tabernam hoſpitatoriam a Myrtis appellatam alluit, Riſalaymi cognomento relicto, Myrtorum nomen ſuſcipit, & decurrens ad 3. p.m. augetur ex fonte alio, cui Sarracenice Miſilimer eſt appellatio. vbi arx eſt eiuſdem nominis in rupe edita a Manfredo Claromonte olim excitata, & mea ætate anno ſalutis. 1540. oppidulum a Franciſco Boſco Siciliæ Locũtenente conditum. Deinceps fontem paruum excipit a Buyhuto Sarracenice nũ-

cupatum, ſalſas tepidaſque habentem aquas: quas epotas ſtatim ventrē laxare, & pleroſque languores curare Panormitani experiuntur. Dilapſus poſtmodum agrum Bayhariæ vino nobilem interluit, cuius ad oſtium (priori amiſſo) nomen vſurpat. Inſignis fuit & mira Rogerii Siciliæ Comitis contra Sarracenos victoria, qua mox animo elatus Panormo potitus eſt, vt in hiſtoriis memorabimus. Mons Gerbinus vlterius ad p.m.4. & a Panormo p.m.12. diſtans ſequitur, quem mare allambit: & mons alius vndique præciſus ei contiguus, Yhalfanus Sarracenice adhuc vulgo nominatus. Ad cuius verticem Soloentū vrbs vetuſtiſſima hodie prorſus iacens cernitur. Cuius mœnia circumquaque iacentia, ac templorum ædiumque priuatarum veſtigia, columnæ prēterea proſtratæ, ac ciſternæ, quæ hucuſque viſuntur, eius præteritam oſtendunt claritatem. Erat autem ambitus paſſuum ſupra mille, & naturali ſitu communitā, vnicum habens aditum, & aſcenſu perdifficilem. Hanc Phœnices eo tempore, quo & Panormum & Motyam, (vt lib. 6. teſtatur Thucydides) incoluerunt. Subeſt ei ordine eiuſdem nominis (nimirum Soloenti) hodie arx, frumenti emporium, portum habens nauium capaciſſimum: vbi & thynnorum præclarus eſt piſcatus. Sequitur deinde ad p.m.2. fluuii oſtium, quem S. Michaelis de Campo groſſo, in ſuo priuilegio dato Panormi anno ſalutis. 1240. Fridericus ſecundus Cæſar & Siciliæ Rex, ab æde ſacra eiuſdem nominis, quæ proxima ſequitur, appellat. Ætate vero mea fluuius Pontis rupti vocatur: cui, cum Petrus ſpecialis, cuius paulo ſupra memini, anno abhinc fere centeſimo ad traiectum eius pontem ſua ipſius impenſa ad ſalutem itinerantium magnifice extruxiſſet, torrentiſque impetu corruiſſet, ab euentu nomen obuenit. qui tandē anno ſalutis. 1553. ære publico reſtitutus eſt. Caput habet is fluuius ex balneis Cephalæ. vbi paruo inter ſe ſpatio diſtantes tres diſcrepantis naturæ fontes emergunt, calidus, frigidus, tepidus: qui ſtatim in æde teſtudinata recepti miſcentur, & balneas faciunt aluminoſas. quæ inde dilapſæ caput ſunt huius fluuii, qui exilis primum & macer, augetur deinde pluribus fontibus ex monte edito, quem Canem vulgo hodie cognominant, oriundis, & excurrens hic mare ingreditur. Diui poſtea Michaelis a Campo groſſo nuncupati templum ingēs & pulcherrimum ſequitur, in rupe edita, & mari prominenti, ex lapidibus quadratis, ac ſtructura inſigni & teſtudinata a Principibus Normannis (vt artificium elaboratum indicat) conditum. Sunt ei annexæ officinæ aliquæ, ac ciſterna, quæ cœnobium ſacerdotum illi fuiſſe coniunctum aliquando, demonſtrant. Olulis oppidum in hac ora a Ptolemæo ponitur: cuius neq; veterum quiſquam meminit, neque veſtigia apparent. Turris ſpecula ſuccedit, ætate mea a Thermitanis Himerenſibus excitata, piratarū ſtationibus prominens. Et deinde arx eſt S. Nicolao adſcripta, centum circiter abhinc annis a Thomaſio Criſpo Panormitano a fundamētis ad maris littus erecta. Et vlterius ad p.m.3. Trabia eſt arx, & fontes plures ex viua ipſa rupe periucunde ac affluenter emanantes, quibus totus inter vtranque arcem interiacens ager ad ſegetem arundinum mellitarum irrigatur. Mare huius oræ thynnorum captura fœcundiſſimum eſt. Et ad p.m.2. Thermitani fl. oſtium occurrit ornatiſſimo ex quadrato lapide ſtructo ponte mea ætate nobilitatum. Oritur is non longe a Prizi oppido, & dilapſus ad Marganā arcē, cuius nomen ſuſcipit, ex trib. fluuiolis augetur. vnde decurrens Biccarum primum, a quo nomen induit, & paulo poſt Caccabum ad dexteram, ac ſubinde fluens Ciminnam ad ſiniſtram relinquens oppida, hic non longe a Thermis Himerenſibus oppido, cuius cognomentum vſurpat, mare influit.

F. TH.

F. TH. FAZELLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS

LIBER IX.

DE THERMIS HIMERENSIBVS VRBE,

CAPVT I.

TRAIECTO fl. ostio, per passus ferme quingentos ad radices Erauci mõtis (in Verrem. 3.) ex Himeræ vrbis excidio, ac reliquiis Himerensibus conditum extat oppidum: cui a calendo (id enim thermæno Græcis sonat) Thermæ nomen imposuerunt. Sũt enim eo littore calentes ex sulphuris contagione aquæ, lauandi sudãdique vsibus deputatæ: quibus Herculem aliquãdo ad soluendam itineris defatigationẽ lotum fuisse, li. 5. author est Diodorus. Cupiens (inquit) Hercules circuire Siciliam, a Peloro ad Erycem perambulanti littus, ferunt Nymphas ei calidas aquas in requiẽ corporis parasse. quæ cũ duplices essent, hæ Imertæ, Geptæ alteræ a locis sunt denominatæ. Harum itaque aquarum commoditas ad definiendam nouæ vrbi sedem miserè eiectos attraxit. Quas ab Himera non adeo magno interuallo abfuisse in Verrem. 4. satis indicat Cicero: Himera (inquit) deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, hi sese Thermis collocarant in iisdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo. Proinde sex tantummodo ab Himera p.m. septentrionem versus absunt. His autem præter magnam balneorum spem, Scipionis etiam Africani iunioris auxilium non mediocriter affuit, qui Romanorum eis ad supplendum multitudinis defectum coloniam duxit. Signa quoque ex ære fuso plurima, quæ Carthaginenses ab Himera antea abstulerant, deleta postmodum Carthagine restituit, quæ non paruo eis ornamento ac delectationi fuere. Inter quæ miratu digna erat Himera ipsa oppidi nomine & fluminis, in muliebrem figuram habitumque formata, quæ suis lineamentis & figura ipsa summopere intuentes afficiebat. Statua quoque Stesichori poetæ Himerensis clarissimi, senilis curuaque, cum libro in manu, summa arte elaborata, vt Cic. refert. Quibus receptis, aliisque complurib. Romanorum beneficiis nonnihil se retexit veteris cladis memoria, inuasitq; animos resarciendarum fortunarum, dignitatisque pristinæ Thermis crescentibus spes amplissima. Sed non expectarunt eius euentum bellorum procellæ, quib. vndiq; ac sæpenumero iactata, ac pluries populata (vt in historiis commemorabimus) priscæ tamẽ Thermitanæ vrbis cõplura, & ea præclara cernũtur monumẽta. Theatrum semidirutum, aquæductus præterea cæmentitii, quibus aquæ, quæ a Brucato

hodie nominantur, per. 4. p. m. in vrbem deducebantur. Plumbeæ item fistulæ, & ædes priuatæ iacentes plurimę, in quibus complures vetustæ inscriptiones in marmoreis tabulis reperiuntur. Inter quas in priuata quadam domo fragmentũ Græcum Latine tantum inuersis literis huiusce modi legitur:

O. LE. PAPIE
AGAVARCHE
CHAERE

In parochiali æde literis maiusculis Latinis:

C. Mæsio Aquilio
Fabio Titiano C.V.Cos.
optimo ciui, ac patrono bene merenti, ordo & populus splendidissime col. Aug. Himeræorum
Thermit. pecunia sua posuit.

In æde D. Petri:

Titiano C.F.C.Mæsi
Titiani & Fonteiæ
Frontinæ consularium filio
patritio ob honorem togæ virilis
Clodius Rufus eques Romanus
amico suo incomparabili.

In æde D. Ioannis:

P. Cestio Catulo.
Ann. Ↄ. XXVII.
Et P. Cestio Catulio
Patri.

In clausto D. Vincentii:

Paciliæ Gne:
V. A. II. M. II. D. XXVII.
veteranus &
Apol. Auste: Par.

In Domo Garofali:

L. 6. Acilio
aduento.
Helias. 6. Pio
Coniugi
Ↄ. Sempronio
7. L. Primioni.
annorum. XIIII.

Iuxta ædem S. Iacobi:

Secundo. XX. her:
VII. Summar: Vrbanæ, matri
Climene. cog.
primigenius. XX.

In porta falsa:

Publicia, Agathia,
Publicius, Brutanus.
D. S. P.

In domo priuata Nicolai Antonii Marturanæ iuxta paroc hialem ecclesiam, quæ Sthenii aliquando ædes fuere, in lapide marmoreo:

STHENII ÆDES.
FVIT Sthenius Thermitanus vir primarius, cui in Thermitana curia ęnea tabula

tabula pretiosissima ob plurima in Remp. beneficia, quæ publicis literis in ea inci-
sis declarabantur, affixa erat, vt in Verrem. 4. scribit Cic. Quæ Romã deinde a Ci-
cerone delata, & in senatum contra Verris falsam in Sthenium accusationem pro-
ducta est. Signum hic Cupidinis argenteum egregii operis habebat: quod post-
modum cum lampade ab hoc oppido ad Veneris Erycinæ templum translatũ fuit.
Hic est ille Sthenius Thermitanus, qui, vt Cic. in Verrem. 4. & Plutarchus in Põ-
peio referunt, magno animo Pompeium, qui a L. Sylla Romanæ vrbis Dictatore
in Siciliam contra Marii partes missus, Thermitanos Himeræos, quod hostiũ par-
tibus adhæserant, vniuersos interficere, ac oppidum delere statuerat, repressit: Nõ
æquum (inquiens) facis Pompei, quod vnius ob noxam, innoxios innumeros oc-
cidere paras. Nam ego ipse sum ille, qui ciuibus amicisque persuasi, & inimicos
coegi Marianas sequi partes. De me igitur solo supplicium sumito. Cuius responsi
animique, qui suæ ipsius vitæ patriam Thermitanosque omnes prætulerat, admi-
ratiõe, patriæ ipsius simul & ipsi Sthenio Pompeius pepercit: ac in eo ipso iudicio,
quo absolutus est, Sthenium hospitio suo dignum censuit: atque ob huius libera-
tionem non solum cum hoc oppido, sed cum tota etiam prouincia gratiam iniit.
Hic est ille Sthenius, qui solus in Sicilia (quod Siculus nemo, sed ne quidem Sici-
lia tota potuit) Verri Romanorum Prætori tanto animi robore obstitit, vt ex hoc
oppido nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil ex publico, vbi
complura erãt præclara, & ab illo concupita, vnquam attigerit. Hunc propterea
Verres ipse iniusto ac falso captum titulo condemnauit, ac in varias coegit cala-
mitates. Quem tamen apud S. P. Q. R. ciuitates Siciliæ prope omnes testimonio
suo, legationibusque publice laudarunt, defenderunt, ac veluti virorum omnium
fortissimum prædicarunt. Sed ad Thermas oppidum redeo: quod ætate mea
satis amplum est redditum. Nam cum frumẽti tota Sicilia nobilissimum sit empo-
rium, & Panormo terra marique vicinum, habitatur frequentissime. Post Ther-
mas ad p. m. 4. Brucatum subsequitur arx, & taberna eiusdem nominis hospitato-
ria: vbi oppidum eiusdem erat nominis, quod cum ad Gallos defecisset, a Petro se-
cundo Siciliæ Rege funditus est deletum. cuius reliquiæ supersunt eo loco qui ad-
huc Curia vetus dicitur. vbi & domus dirutæ ac iacentes visuntur, vbi & arx est
deleta Castellazum appellata, cuius & vestigia clara cernuntur. Huic ordine fl.
Tortus hodie dictus ad p. m. 2. succedit. Ortum habet a monte, cui hodie Xarria
nomen est, ex aquis eius pluuialibus, quæ occidentem versus defluunt: & augetur
deinde ad tabernam hospitatoriam a Yhaccatis hodie dictam, ex fluuio eiusdem
nominis, qui ex collibus imminentibus colligitur.

DE HIMERA VRBE.

CAPVT II.

HIMERA vrbs post fluuium Tortum ad p. m. 2. in agro S. Nicolai ho-
die appellato, vtcunque edito, qui turri Bonfornelli a littore quingẽ-
tos passus sito prominet, ad sinistram ripam Himeræ fl. a quo nomen
accepit, sita est, vt Duris Samius, Liuius & Strabo referunt. Hæc a
Zãclæis (quos eos fuisse Strabo arbitratur, qui Mylas ante incoluerãt)
fuit condita, ducibus Euclide, Simo, & Sacone. Quorum coloniæ plurimi Chalci-
denses interfuerunt, cum quibus habitauerunt & Syracusani complures exules
a contraria factione superati, qui Myletadæ nominabãtur. Quo factum est, vt apud
hos pro populi confusione permixta etiam fuerit lingua, obtinueritque idioma
Græcum quoddam medium inter Chalcidicum & Doricum. Leges tamen Chal-
cidensium omnes complexi sunt; vt lib. 6. Thucydides tradit, qui & eam in tota
hac Siciliæ ora, quæ mare Tyrrhenum spectat, solam fuisse Græcam asserit: Athe-
nienses (inquiens) profecti ad sinum Tyrrhenum Himeram tenuerunt: quæ vna
est Græca vrbs ex omni illa Siciliæ ora quæ vergit ad sinum Tyrrhenum. & lib. 7.
Ex ea (inquit) ora quæ in mare Tyrrhenum vergit, Himeræi, qui soli omnium e

Græcis

Græcis illic habitabant. Scribit Pindarus in Pythiis ode. 12. (quod & lib. 6. Diodorus refert) Mineruam Himeræ regiones elegisse, in quibus Nymphæ aquæ calidę fontem scaturire Hercule aduentante fecere. Quæ loca simul & vrbem, quæ nunc vsque Mineruæ nomen tenent, incolæ ei sacrarunt. hæc Diodorus. In Himeram (inquit Stephanus Byzantius lib. de vrbibus) diuertit Hercules cũ Geryonis armentis, vbi aquas calidas proueniſſe Palladis iussu ferunt. in quibus Hercules membra labore sordida abluit, mollioraque reddidit, ex quo Himera appellata est. Hæc vrbs crescentibus subinde viribus eo potentiæ peruasit, vt cum Rhegini discordia laborarent, a parte in auxiliũ solicitati Himerenses, pulsa parte contraria, contra vocantes arma verterint: illisque patria eiectis, Rhegium sibi ipsis occuparint. Hi sunt Himerenses iidem quos, cum aucta Rep. Phalarim imperatorẽ exercitus constituissent, & custodes corporis ab eo postulatos daturi essent, Stesichorus, cum plura super eo disseruisset, lepidissimo eos apologo tandẽ in hæc verba admonuit: Equus prata solus obtinebat: cumq; ceruus superueniens pascua deuastasset, hominẽ contra ceruũ consuluit. At ille: Si frenũ (inquit) patieris, & ego in te cum hasta ascendero, quam facillime hostem vlciscēris. accepit equus conditionem: atque ita pro vltione homini deinceps perpetuo seruiuit. Apologo excepto probatoque, Himerenses Phalarim imperio abdicarunt, atq; diu fortiter vrbis libertatem tutati sunt. Quam sua postmodum insolentia, & magnitudinis impatientia, tandem Cydippi tyrannide (vt lib. 7. scribit Herodotus) turpiter permutarunt. cui deinde Terillus successit. Quo eiecto, Thero Agrigentinorum Princeps Himeræ imperium obtinuit: quod contra Terillum, & Anaxilam Zanclæ dominum eius generum, necnon Himilconem Pœnorum ducem cum trecentis armatorum milibus bellum inferentes, Geloni Syracusarum Regi confœderatus, centum quinquaginta Carthaginensium milibus cum Himilcone eorum duce cæsis, & cæteris omnibus in captiuitatem abactis, fortiter sibi retinuit, vt exactius in posteriori decade: qua victoria elatus, Thrasydæũ filium vrbi præfecit. Sed cum ille insolentius vrbis imperio fungeretur, Himerẽses ab eo & Therone patre animo alienati, ad Hieronem Syracusarum Regem, qui Geloni successerat, defecerunt. Quos ab Hierone postea sibi proditos Thero comprehensos interfecit. Qua clade Himera cultoribus cum exhausta fere remansisset, Doriensium colonia a Therone deducta restituta est. Quo cum & aliis gentibus conuenire liberum esset, omnesque pro ciuibus adscripti ciuitate donarentur: Resp. Himerẽsis quinquaginta & octo annos optimo statu præclare administrata est. Quã ob id Pindarus vrbem late potentem appellauit. Sed ducentesimo ac vigesimo posteaquam condita est, anno, Annibal Pœnorum dux, veteris iniuriæ memor, quod eius causa & pater eius Carthagine eiectus, & Himilco auus a Gelone occisus fuerat, magno eam cum exercitu aggressus in vindictam depoposcit: expugnatamque populatus, spoliis eius omnibus Carthaginem transmissis, incendio prorsus absumpsit, vt lib. 11. Diodorus refert, & nos in historiis. Atque ex eo deinceps vsque ad ætatem non solum Diodori, (vt ipse testatur) sed meam quoque, cultoribus deserta remansit. Quod & Strabo his paucis lib. 6. affirmat: Non enim Himerã habitari amplius nouimus, non Gelam, non Callipolim, non Selinuntem, nõ Eubœam, neque alias plures. Quocirca nulli mirandum est, si a tot annis exusta desolataque raras, easque exiguas suæ antiquitatis reliquias conseruet. At cum hodie tota prorsus aretur, rudera eius solicitantes, sepulchra refodiũt, fictilia inueniunt, ostreaceaque toreumata, permulta etiam ænea reperiunt. In hac vrbe comœdiam primum repertam fuisse, Solinus, & lib. 14. Silius testantur. Nobilitata vero fuit Stesichoro poeta, vno ex nouem Græciæ Lyricis, vt Suidas scribit. Qui cum ante Tisias vocaretur, propter chorearum inuẽtum, quas ille primus instituit, Stesichorus est appellatus. ex cuius infantis ore Plin. lib. 10. luscíniam cecinisse prodit: cuiusque camœnas Horatius Carminum lib. 4. graues appellat. De quo & Quintil. Institutionum orat. lib. 10. & 11. Stesichorus (inquit) quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt: maxima bella, & clarissimos canens duces, lyrici carminis dignitatem curua sustinẽs lyra. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque

doque debitam dignitatem. Et si tenuisset medium, videretur æmulari proximus Homerum potuisse: sed redundat & effunditur: quod vt reprehenditur, ita copiæ vitium est. Vixit Phalaridis temporibus, a quo alioqui crudelissimo immanissimoque homine, ob musas plurimum est dilectus. Cuius iussu inter alia plurima, quæ Dorice ab eo sunt composita, pro Nicodi Syracusani viri patritii vxore sororisque filia epigramma celeberrimum composuit: pro quo magnas a Tyranno gratias retulit. Opus præterea contra Helenam edidit: quod priusquam consumasset, in ægritudinem oculorum incidit. At cum carmen feciſſet quod palinodiam vocant, eandemque laudasset, valetudinem visumque recuperauit, vt lib. 3. Pausanias memorat. Edidit & poema Epodicum, quod ex tribus constat, nimirum Strophe, Antistrophe, & Epodo, vnde adagium exortum: Ne tria quidem Stesichori nosti. Filias habuit longe doctissimas: quarum carmina Phalaris admiratur. Germanos fratres habuit duos, Mamertinum geometram, & Helionactem legũ latorem. Agens autem annos quinque supra octoginta, olympiade. 38. Catanæ, quo profugerat, extremum diem obiit, vt Lucianus in Macrobiis refert. Cui Catanenses monumentum (cuius in Catana memini) magnificentissimum extruxerunt, & portam ciuitatis qua illud petebatur, Stesichoream appellarunt. Eius audita morte Phalaris Himerensibus & filiabus consolatorias de eius obitu scripsit epistolas. Quinimo & Himerenses est hortatus vt templum ei, veluti virtutũ suarũ immortale monumẽtum conderent, eiusque carmina & publice in omnib. templis, & domi quoque priuatim quisque haberet. Crison Himeræus prodigiosa currendi celeritate celebris apud veteres, ac insignis est habitus. cuius & Plato in Protagora meminit. Himerensis quoque fuit Ergoteles olympicus. cuius simul & Himeræ vrbis laudes in Pythiis prosequitur Pindarus. Sed ad ordinem. Himeræ amnis ostium, &. flu. ipse vrbis mœnia alluens statim sequitur, Fluuius magnus hodie appellatus, priscorum scriptis celebratus vel ob id quod mediam Siciliam diuidere, & duos ex vno eodemque fonte dispares gignere alueos (quorum qui mare Tyrrhenum, dulces: sed qui Libycum influit, salsas habeat aquas) ad miraculum creditus sit. Quorum tamen errorem res ipsa arguit. Is nanque eius alueus qui in mare Tyrrhenum, excurrit: ad radices occiduas Nebrodis montis ex fonte ad dexteram Politii oppidi exoriente, &. p. m. fere. 20. ab ostio recedenti, caput habet. Qui vt emergit, non solum molas habet triticeas, sed in fluuiũ diffunditur, atque ita ad ostium vsque delabitur. Augetur deinde ad. p. m. 6. Xillati Saracenici nominis, domesticisque arboribus & aquis passim vberrime scatentibus nobilis pagi, fonte a dextra ei illabente. Et subinde fluuiolus qui ex Xarria monte, qua orientem vergit, oritur, & decurrens inter Calatauulturum & Sclafanum oppida, ex quibusdam fontibus salsas parumper recipit aquas, ad sinistram ei miscetur. Et ita Himera maxime auctus mœnia vrbis eiusdem nominis iacentis prius alluens ad p. postea ferme. 500. hic tandem in mare se exonerat. Alter vero eius alueus Gela a Vergilio dictus, qui in Libycum fluit mare, ex altera Nebrodis parte, qua meridiem respicit, ex fontibus supra Petraliam oppidum oritur, vt in eius descriptione late diximus. Qui decurrens paulo post lapicidinas salis interfluens, & salsi nomẽ, & salsas vsque ad ostium aquas mutuat. Quod & maiorem etiam Solini errorem arguit, qui Himeram, dum ad meridiem fluit, dulces, in Aquilonẽ vero amaras habere aquas falso memoriæ prodidit. Post Himeram fluuium Auricellæ Latinis, sed vulgo Rocellæ noui nominis ostium ad. p. m. 4. occurrit: vbi eiusdem nominis est arx. Ortum habet is iuxta Golisanum oppidum ex Fauara fonte 6. p. m. ab ostio recedenti.

DE CEPHALOEDI VRBE.

CAPVT III.

CEPHALOEDIS vrbs vetusta Ciceroni, Straboni, Ptolemæo, P. Melæ, & Plinio, post Rocellæ amnis ostium ad. p. m. 12. succedit: nomen a cephale (quod caput est

put est Latinis) nacta vel ob id, quod ad verticem præruptæ rupis, ac promontorii speciem habentis, condita fuit. vbi adhuc arx est natura munitissima, & vrbs ipsa iacens ambitus. m. ferme. p. vbi quoque & templi ingentis diruti, Dorica forma olim conditi, clara visuntur monumenta. Quis vero eam, & quo tempore condiderit, ex authoribus, quorũ opera ego quidem legi, incompertum habeo. Nobilis certe fuit vrbs Cic. ætate sacerdotii maximi dignitate, vt in Verrẽ. ſ. legimus. Sed cum demum exile sane esset oppidulum, ruinisque affectum, & ascensu perdifficile, a Rogerio Rege ad angulum rupis translatum, Episcopi dignitate ac templo insigni hac occasione nobilitatum est. Nam cum Rogerius Neapoli, cui quoq; imperabat, cum tribus nauibus Siciliam versus soluisset, casu circa Salernitanũ pelagus sæua oborta tempestate, duos dies incerta nauigatione periclitans, serio vouit vt, ad quod primum littus incolumis applicuisset, ibi templum Seruatori omnium atque Apostolis conderet. Ad Cephalœdim itaque euitato vix naufragio appulsus, confestim ad ipsius rupis radices, quæ maris fluctibus alluuntur, D. Georgio ædẽ extruxit: quam postea ruinæ proximam ciues restaurarunt. ac paulo post vrbe eo translata, mœnibusque circunsepta, templum in ea maximum multo ac vermiculato opere hominum Seruatori dicatum, ac Episcopali dignitate exornatum condidit, columnis e templo veteri eo comportatis, ac oppido vetusto deserto, vt inhærens templi absidi inscriptio, ipsiusque super hoc Rogerii diploma testantur. cuius verba hæc sunt: In nomine Dei æterni, & Saluatoris nostri Iesv Christi: Rogerius diuina clementia Siciliæ & Italiæ Rex. Dignum & rationabile fore duximus, ad Saluatoris nostri honorem domum construere, ac ad illius gloriam aulam fundare, qui nobis & honorem contulit, & nostrum nomen laude decorauit: cui dare est munus centuplum accipere, & post mortem vitam mereri. Hac itaque ratione ducti ex longo iam tempore ad honorem. S. Saluatoris proposuimus ecclesiam construere in ciuitate Cephalœdi, in qua canonice obseruantia coleretur. Quam volente Deo, & Saluatore nostro cooperante, fundauimus atque construximus, concedente tamen & confirmante Hugone tunc Archiepiscopo Messanensi, & eius loci metropolitano, assensu quoque tam Messanensiũ quam Traynensium Canonicorum, in eodem loco Episcopatum fieri, ipsumq; perpetuo & inuiolabiliter permanere. Ea propter pro anima patris mei piæ memoriæ Rogerii primi Siciliæ Comitis, matrisque meæ Adelasiæ Reginæ, mea denique redemptione, ac omnium peccatorum meorum liberatione, hæredum quoque meorum prosperitate & salute, concedimus prędatæ ecclesiæ totam ciuitatem & mare cum eorum pertinentiis quiete & libere possidẽda, eique vt in perpetuum tam in temporalibus quam in spiritualibus obediant. Redditus quoque ac iura ipsius ciuitatis & maris, quæcunque ad nostram dominationem pertinent, largitione perpetua eidem donamus: saluis tamẽ regalibus nostræ maiestatis, scilicet, traditione, & homicidio. Sarcophagos vero duos porphyreticos ad decessus mei signum perpetuum conspicuos in præfata ecclesia stabiliuimus fore permansuros. In quorum altero iuxta Canonicorum psallentium chorũ post diei mei obitum conditus requiescam. Alterum vero tam ad insignem memoriã mei nominis, quam ad ipsius ecclesiæ gloriam stabiliuimus. Ad augmentũ quoq; ecclesiæ prædictæ, suorumque bonorum augmentationem concedimus ciuibus Cephalœditanis ibidem perpetuo Deo annuẽte permansuris, suisque hæredibus, vt absque omni inquietudine & solicitudine curiæ nostræ viuant, neque mari neque terra in exercitu eant: & vt nihil in introitu vel exitu Cephalœdi mari vel terra tribuãt. Ligna quoque ad construendas domos eorum, & ad alia necessaria domum suarum, & victualia pro eorum vsu sine datione aliqua afferant. Concedimus quoque eis, vt domos, & vineas & terras suas, cultas & incultas, & syluas, quas possident, quibus voluerint, vendant, in ciuitate tamen permansuras, & ecclesiæ perenniter responsuras. Nullum hominem in ciuitate Cephalœdi captum teneat ecclesia prædicta, si sufficientes fideiussores dare poterit, exceptis (vt iam diximus) traditione & homicidio. Præcipimus quoque, vt nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut possessiones eius minuere, seu quibus-

libet

libet vexationibus fatigare: sed integra & illibata seruetur circa ea quæ pro illius gubernatione ac sustentatione concessa sunt, ac suis vsibus profutura. Verum vt prædicta omnia validiora semper & inexpugnabiliter munita existant, & in perpetuum rata ac firma permaneant, præsens scriptum per manus Petri Notarii nostri, & bulla plumbea regio typario impressa muniri fecimus. Datum in vrbe Panormi per manus Roberti Cancellarii nostri, anno incarnationis dominicę millesimo centesimo quadragesimo quinto, mense Aprili, inditione nona, Regni vero nostri Siciliæ & Italiæ anno. 15. Non rapiant nati data per genitores. hæc Rogerius Rex. Verum quod in superiori diplomate de sepulchris porphyreticis cõstituit, id per obitum eius, qui Panormi obtigit, non est obseruatum. Nam Fridericus secundus Cæsar ea quamprimum Panormum transtulit, Ioanne de Neapoli Episcopo Cephalœdensi callide Barcinonam prius ab se misso, vt liberius, quod conceperat, perficere posset, concesso ecclesiæ Cephalœdensi in eorum pretium feudo, quod Cultura peritis, vulgo vero Cuctura appellatur, vt eius diplomate dato Panormi constat. Campi Cephalœditani marinis fluctibus superfunduntur, quorum agros cete pisces pascunt. vnde li. 14. Silius: Quæque procelloso Cephalœdias ora profundo Cæruleis horrent campis pascentia cete. Delphini nanque pisces etiam hac ætate tempestatibus & fluctibus eiecti marinis, sæpenumero ad littus in salo relinquũtur. Cephalœditana quoque ora thynnorum captura est celebris. Cephalœdi statim Carbonis noui nominis, & mox Malpertusi fluuiorũ ostia succedunt. Nascitur vterque in montibus imminentibus. Sed vbi vlterius processeris, Caput Rasichelbi a Sarraceno olim archipirata, qui ibi frequẽter statione m habebat, hodie dictum, occurrit, & turris specula eiusdem nominis: vbi & piratarum adhuc est statio. Cui interius ad. 3. p. m. arduo & excelso in monte vndique prærupto Pollina noui nominis prominet oppidum: sed ad oram Monali fluuii ostium Ptolemæo, Pollinæ hodie nominati sequitur. Oritur is amnis ex Madonia monte qua orientem respicit: sed antequam Pollinensem irriget agrum, augetur ex fluuio Geracis & Castelli Boni, & dilapsus Isnellum oppidum præterlabitur, & mare hic tandem influit, itinerantibus hyberno tempore sua immanitate formidabilis.

DE ALETA, ALESA, ALVNtio, & Calata, priscis vrbibus.

CAPVT IIII.

MONALO fluuio ad. m. p. & post Cephalœdim ad. 18. p. m. Thusa arx recens ad littus succedit. Cui intus in colle imminenti ad. p. m. 3. eiusdem nominis oppidum incubat. Sed ad oram post arcem Thusam ad iactum fundæ torrens eiusdem appellationis sequitur. Quo traiecto, ad. p. 500. in littore mira diruti cuiusdam ædificii vestigia occurrunt, quæ ab accolis Balneæ vocantur. ibique vsque ad collis prominentis verticem, vbi arx prostrata cernitur, continuatæ per passus supra mille iacentis vrbis extant monumenta, ædiumque per magnæ ruinæ, ac disiectæ ingentium lapidum moles, & marmora quædam Cæs. Augusti titulo, plæraque Græcis characteribus inscripta, passim reperiuntur. In vrbis medio ædes sacra. D. Mariæ cognomento a palatiis dicata, & Monasterium ordinis. S. Benedicti illi coniunctum extat. Supra vrbem ad. p. m. 3. meridiem versus in collibus fons est ingens, aqua ciuitatis adhuc vulgo appellata. Vnde aquæductibus cæmentitiis miris (quorum quidam integri sunt, plerique disiecti, sed & multi obruti) ac fistulis lateritiis aquæ ad arcem ipsam primum, deinde ad vrbem subiacentem, & illius regiones, ac demum ad ipsas balneas in littore deducebantur. Eratque ea vrbs ambitus vt apparet duorũ & eo amplius. p. m. Hæc vrbs, nisi Ptolemæus erret, qui in hac ora inter Cephalœdim & Alesam, Aleten vrbem ponit in tabulis, eam ipsam Aleten fuisse censendum est. Sed cum nullus scriptor præter Ptolemæum Aletes meminerit, si Alecia non est,

quam immunem ac liberam fuisse Cicero in Verrem scribit,& Diodorus,quæ nã vrbs Alete sit,me ignorare fateor. At dum hæc mea scripta sub prælo essent, tabula quædam marmorea vetustissima latitudinis palmorum circiter trium, longitudinis vero sex,multis literis Græce inscripta, & inter cadauera huius vrbis reperta, Cæsaris Mãni mercatoris Pisani studio ad manus meas peruenit. In qua leges plures de agrorum, vinetorum, ac oliuetorum terminis sunt perscriptæ. vbi sæpe de fluuio Alesо,& nulla tamen de Alesa vrbe fit mentio. quæ si fieret, hanc ipsam Alesam fuisse, & Strabonem in miliariorum supputatione, simul & Ptolemæum errasse,constantissimum esset. Hanc etenim tabulam marmoream in foro huius vrbis affixam olim fuisse verisimile est. Verum etsi Alesa vrbs in ea non nominetur, quia tamen de Alesо fluuio pluries memoria repetitur, non omnino eam Alesam non fuisse affirmo,sed anceps adhuc mihi est animus, dum ex veterum scriptorũ, qui nõdum forte sunt editi,monumentis veritas haberi possit. Qui vero Tissam eam fuisse, (a qua & Tusam deriuatam aiunt) cum Tissa a Cicerone exile oppidũ memoretur,& a Ptolemæo Plinioque inter mediterranea collocetur,hanc autem & littoralem prope,ac magnam & insignem fuisse ex vestigiis compertissimum sit, minus æquo aduertunt. Post hanc vrbem prostratam ad iactum lapidis ostium fluuii Pittinei sequitur, qui Alesus in tabula marmorea vocatur. a quo,si hæc vrbs Alesa est, nomen, veluti & plures alias a proximis fluuiis, adeptam fuisse arbitrandum est. Oritur is fluuius ex montibus propinquis, in quibus Pittineum situm est oppidum. Cui deinde Motta fermi succedit. atque ei dextrorsum in mediterraneis ad.p.m.6. Amestrata hæret vrbs,Mestretta hodie dicta. Post quam orientẽ versus Rigitanus primum, & postea. S.Stephanus oppidula sequuntur. Sed ad littus,post fluuium Pittinei caput Mariazi, a palude limosa nomen habens, extat, vbi turris est specula. Subinde Serrauallis.fl.est ostium,ex propinquis dilapsi collibus.cui eiusdem nominis mox succedit arx, iacensque oppidulum : quod cum regnãte Friderico tertio huius nominis Siciliæ Rege, adhuc staret, per defectionem Francisci Vintimilii, cuius erat ditionis, a Rege solo fuit æquatum. Vlterius post amnem Serrauallis, Caroniæ fluuii ostium ex torrentibus collium Sanctorum Petri,& Constantini,& Mollis conflati sequitur, & nominis eiusdem recens oppidulum. vbi ad littus Alesa peruetusta olim erat vrbs,si Straboni credim', qui Alesam post Cephalœdim ad.30. p. m. ponit. Ptol.quoque (vt diximus) eam post Aletem, seu Aliciam collocat. Vbi fragmenta ac veteres ruinæ pro maxima parte obrutæ ad ædem Annunciatæ circa Caroniæ littora adhuc iacent, atque in subiectis agris & vineis,ad.p.fere.2.m. vbicunque effoditur, passim occurrunt. De ea insigne testimonium.5.in Verrem Cic. edidit : Siciliæ (inquiens) ciuitates multæ sunt ornatæ atque honestæ : ex quibus in primis numeranda est ciuitas Alesina. Nullã enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorẽ, aut authoritate grauiorem. Quam etiam immunem & liberam cum quatuor aliis, quarum iam meminimus, connumerat. Epistolarum etiam lib. 13. lautam & nobilem appellat. Lex fuit in ea vrbe de senatu cooptando: ne quis minor triginta annis legeretur, vt in Verrem. 4. idem memorat. In Alesino agro (Iulio Solino, & Afro Dionysio authoribus) fons est, qui cum silet, quietus ac trãquillus est: sin autem tibiæ sonant, exultabundus ad cantum eleuatur, & quasi miretur vocis dulcedinem, vltra margines intumescit. Qui vbi sit hodie, nobis quidem incompertum est. Furiani nomine fl. ostium est post Alesam. oritur autem ex fontibus Solatii, Marescotti & Miragli in montibus inter Troynam & sanctum Philadelphum in excelsum surgentibus, atque huic oræ prominentibus. Hi sunt montes celeberrimi quos aerios appellat lib.5. Diodorus. De quibus abũde lib. primo. Aquæ deinde cognomento dulces cum taberna hospitatoria ad radices horum montium, non longe a mari, statim subsequuntur. De his montibus, & aquis lib.5. hæc habet Diodorus: Sunt montes in Sicilia quos aerios vocant. Hos loci natura, tanquã continua æstate, amœnos atque vberes reddit. Fõtes sunt in eis densis vndique arboribus, aquæ præter cæteras dulces. Frequentes quoque in eis quercus grossiorem, quam qui apud alios nascuntur, fructũ reddunt. Domesticæ etiam arbores, ac vites permultæ, co-

tæ,copiaque ingenti mala naſcuntur. Adeo autem fructiferi montes exiſtunt, vt aliquando Carthaginenſium permagnum exercitum fame ſuperueniente abunde nutrierint. In huius regionis ſylua admodum amœna, in quam diuertebantur nymphæ,ex Mercurio & Nympha Daphnidem natum ferunt,qui a laurorũ multitudine, quæ in ea frequentes ſunt, appellatus eſt Daphnis. Educatus a Nymphis boum permulta poſſedit armenta, a quorum cura Bucólos dictus eſt. Cum autem eſſet ingenio acri, ſtudiumque plurimum gubernandis bobus impenderet,carmẽ bucolicum,quod etiam nunc vſque a Siculis in pretio habetur, adinuenit:& quæ ſequũtur. Montes ii ætate mea aliquid habẽt priſci nominis, Montiſori corrupte, quaſi Montes aerii,vocitati. Ad eorum radices in colle edito & mari prominẽti,quem montem incolæ vocant, nonnihil infra S. Philadelphi oppidum, Aluntiũ vetuſta iacet vrbs Cic.&Dionyſio Alicarnaſſeo, Alontium Ptolemæo, Aleuntium Plinio, dicta: quam Ptolemæi in ſuis tabulis ordo, & Cic. deſcriptio eam ipſam fuiſſe ſatis liquido declarant. Aluntium (in Verrem.5. inquit Cic.) ſupra mare ſitũ eſt oppidum difficili aſcenſu atque arduo: infra oppidum eſt mare. Ptolemęus autem poſt Aleſam in tabulis eam collocat. Hanc lib.1. Dionyſius Alicarnaſſeus Patronem genere Thurium, capto Ilio Æneæ ſocium, cum Thuriorum non contemnenda manu,relicto Ænea nouandarum rerum cupidine ductum, in hac ora, quæ Æolias reſpicit inſulas,in colle edito & mari imminẽti incoluiſſe ſcribit. Hodie vero iacet. Cuius adhuc mira,& ea ingentia,ex lapidibus quadratis,& pro maiori parte diſiecta cernuntur monumenta. Ædes eſt in ea D.Mariæ, integra quidẽ, ſed (vt arbitror, & ſtructura docet) recens,& Chriſtianorum opus. Lapidem marmoreum vetuſtiſſimum ad eius ianuam iacẽtem magnum quidem offendi Græcis inſcriptum literis, quas in Latinum ad verbum ita vertendas curaui: Populus hæc virorum ſedilia pulchra conſtituit in honorem Deorum propter beneficia ab eis accepta. Per vrbem quoque ipſam magnæ ingenteſque vetuſtorum operũ ruinæ iacent. Huic ad paſ. ferme .500. ſuperius prominet S. Philadelphi nomine, & Longobardorum, vt ex incolarum idiomate colligitur,oppidum. Qui an cum Rogerio Siciliæ Comite in Siciliam venerint,an vero alio poſt tempore, incompertum habeo. Nobilitatur autem ortu Philadelphi, Alphii, & Cyrini germanorum fratrum, qui ob CHRISTI fidem imperante Valeriano Cæſare,ex Tertylli Siciliæ Præſidis ſententia apud Leontinos fortiſſime mortem oppetierũt. Ad oram reuertenti fluuii eiuſdem nominis oſtium ſubſequitur,ex vicinis montibus oriundi,& vlterius Chydæ fl. oſtium Ptolemæo: cui nunc a Roſmarino vulgatiſſima eſt a roſmarinorum copia appellatio. oritur ex Montiſoris montibus. Ager deinde ſequitur Planities S. Marci hodie appellatus amœniſſimus,domeſticarumque omnis generis arborum ferax, & aquarum vberrimus.cui in ſublimi colle, agro & mari ad.p.m.3. prominenti,S. Marci incubat oppidum,ab æde vetuſtiſſima. D. Marco paulo infra ſacra,nomen adeptum,Comitatus titulo inſignitum. vbi & veſtigia antiquitatis nonnulla ſpectantur. Ad eius arcem in rupe ſitam in ſacello tabula eſt marmorea Latinis his literis inſcripta: Liuiæ Auguſtidæ municipium. Aquæductus etiam lateritii ruinæ,quo,quod natura oppidum aquarum eſſet indigum,ex fonte Fauarotta p.m.inde. 2. auſtrum verſus aquæ in vrbem deducebantur,adhuc ſupermanſerunt. Id vero vrbem Calatam olim fuiſſe Ciceroni,non temere, vt credam adducor. Nam cum Ptolemæus Calactam in hac ora collocet, & Diodorus lib.12. eam ad pulchrum Sicilię hoc littus (quod ipſum Calata,& eius nomen Græcis ſonat) fuiſſe conditam ſcribat,etſi ille eam paulo ſuperius inter Aluntium & Aleſam poſuerit,cum tamen nullum ſit aliud prẽter hoc tota hac ora pulchrum littus, huiuſque aliqua extent vetuſtatis monumenta,fruſtra mihi videor diutius apud Ptolemęum de eo ambigere, quod oculis deciſum habere arbitror. Neque enim eſt quod in nomine, vnius literæ additio me moueat, quam typographorum incuria adiectam eſſe ſatis veriſimile ſit. Nam Cicero Calatam,& non Calactam, gentileſque eius Calatinos epiſt.lib.13.& in Verrem.5.appellauit. Quem Diodorus lib. 12. ſectatus eſt. Plinius autem quod Galatam eam nominauerit,id authoritati ſuæ acceptũ ferat, ſi typographorum hic quoq; error

non fuit. Fuit autem condita Calata vrbs a Ducetio Siculorũ Rege, & Archonide Herbitorum Principe, vt lib. 12. scribit Diodorus, L. Iulio & M. Geganio Romæ Coss. Olympiade. 85. A quo veto tandem deleta sit, præsertim cum Cicer. ætate vna cum Alecia & Alesa floreret, me quidem præterit. Extra mœnia huius oppidi ad iactum fundæ orientem versus cœnobium est monialium ordinis D. Benedicti, Seruatori hominum dicatum, a Margarita Siciliæ Regina olim conditum, & hodie religiosissimum. Ornatur mea ætate Scipione Ribiba, S. R. E. Cardinali insigni. Ad oram eiusdem agri vetusta est arx Petra Romæ appellata, & subinde Phitaliæ noui nominis fluuii ostium. qui geminum habet fontem: vnum in arduo monte supra Turturicium oppidum ad p. m. 4. qui exilis ac frigidissimus primum decidẽs, ex pluribus simul augetur fontibus, auctusque Turturicium interfluit, ac diuidit pene medium, cuius sibi nomen induit. dilapsusque paulo post ad montium latus Castaniam ad dextẽram, ad siniſtram Saluatorem in colle edito, & propinquum ostẽtat oppidum. Alterum fontem inter Galatim & Longum habet oppida. qui defluens Galati nomine suscepto, ad siniſtram Longum oppidum, S. Philippi Abbatiam a Fragali nomen habentem, Mirtiro, Frazano præterea, & Belmontem vicos relinquit. Dilabentesque inde hi duo fluuii apud Phitaliam diruptum hodie oppidum, quod interamne deserunt, coeunt: vbi ad siniſtram minerã habet chalcanthi. Dehinc vnus ex duobus factus amnis Phitaliæ nomen vsq; ad ostium vsurpans, siniſtrorsum Myrtũ & Crapim habens oppidula, in mare hoc loci se exonerat. Montes qui huic flu. intus prominent, omnium qui tota pene sunt Sicilia amœniſſimi sunt. Nam licet excelsi sint, fontium tamen vberrimi sunt: quibus loca ipsa redduntur habitationi cultuique idonea, vinetis quoque, rosetis, oliuetis, ac domesticis omnium generum arboribus refertissimi, quæ toto anni tẽpore virent. & quod in primis locorum pulchritudinem perficit & amœnitatem, ad collium vicinorum vertices oppida sunt frequentia & conspicua, quæ inter prata ipsa ac hortos depicta esse videntur. Rarum profecto tota Sicilia naturæ opus, cum cæteri ferme omnes Siciliæ montes aut nudi sint & horridi, aut syluestribus arboribus & syluis solum amicti.

DE AGATHYRIO VEtusta vrbe.

Caput V.

AGathyrivm vetustissima vrbs deinceps ad p. m. 10. occurrit Ptolemæo, quam Strabo & Plinius Agathyrsum appellant. Sita erat ad latus promontorii quod ætate mea Orlandi caput nominatur, tota Sicilia notissimum, vt Strabo lib. 6. scribit, qui eo loco eam constituisse videtur, cum ab Alesa. 30. p. m. totidemque a Tyndaride distantem fuisse tradit. Hanc Agathyrsus Æoli filius a se agnominatam condidit, vt li. 6. his verbis Diodorus memorat: Agathyrsus (inquiens) Æoli filius cum dominaretur ei quæ nunc Agathyrsis ora appellatur, vrbem condidit ab se Agathyrsidem vocatam. Extitisse porro eam tempore quo Marcellus & Leuinus Siciliam Romano imperio subegerunt, author est Liuius. Hodie vero prorsus extincta est, & vix minima in agro S. Martini, qui totus aratur, lapidum laterumque iacentium, aquæductuum præterea vetusti operis, antiquitatis suæ relinquit monumenta. Erat ad littus, sinumque paruorum nauigiorum capacem habens, saluberrimi quoq; aeris, ac humanæ habitationi loco sita commodissimo. Promontorium ingens, Caput Orlandi hac ætate nominatum, Agathyrsæ vrbi ad orientem hærebat. Cuius quidem ora ab eodem conditore Agathyrsis etiam vocabatur, vt ex verbis Diodori constat. Est id promontorium adeo late in mare diffusum, vt eminus etiam e Panormo vrbe, quæ supra centum p. m. recedit, sereno cœlo liquido videatur. Sterile est pro maiore parte, atque petrosum, vnica turri, quæ specula est, hodie habitatum. Nostrorum vero maiorum ætate oppidulum habuit Caput Orlandi nescio qua

qua ratione ipsum quoque vocatum, vt in gestis Friderici secundi Siciliæ Regis legimus: quod hodie sub ruderibus iacet. Ad.4. postea p.m. Nasi noui nominis flu. extat ostium. Ortum habet supra Vcriam oppidulum: quo ad sinistram relicto decurrens dextrorsum Raccudiam oppidum exhibet, cadensque Sinagram interfluit oppidum: & deinde Martini ad dexterã, & mox Ficarram in edito colle relinquit oppidula: atque vlterius Nasidam (media producta) oppidum vetusti operis dirutum ad sinistram in valle. Sed in excelso colle Nasum hodie dictum recens oppidum, ex Nasidæ pagorumque aliquot reliquiis conditum, & Coni pii viri, qui tempore Rogerii Regis claruit, ossibus nobilitatum habet. fluensque tandem hoc loci in mare sese ingerit. Arx deinde recentis operis Brolus appellata sequitur, continuis maris fluctibus attrita. Cui ostium postea fluuii a sancto Angelo dicti vicinum est. Caput habet is in montibus supra eiusdem nominis oppidum ad dexteram eidem hærens, ad sinistram verò vtcunque remote Ficarram & Martinum relinquens, dilapsus in mare hic illabitur. Caput Calauæ vulgo appellatum, in mare satis nimis excurrens, deinde sequitur. Cui Pilainus oppidulum in rupe edita incubat. Dein Turris sancti Georgii, & Iusæ torrentis ostium.

DE PACTIS VRBE.

CAPVT VI.

VRBS Pactæ, in flexuoso sinu, a mari quingẽtos circiter passus recẽdens, post Calauæ promõtorium succedit. Cuius cum nullus veterũ meminerit, neq; nominis ratio tradita sit, prima eius memoria ad annum salut. 1094. nobis occurrit: cum Rogerii Siciliæ Comitis diplomate, aliorumque principum actis publicis cõstet, hoc loci ędem diuo Bartholomæo, & ei coniunctum ordinis Diui Benedicti cœnobium insigne a Rogerio fuisse conditum, & alteri nominis eiusdem religionisque, quod Liparæ est, ab eodem extructo, iure & reditibus consociatum, ac centum villicis Pactensibus, & Thermitanis octo donatum, vt eiusdem Rogerii priuilegio dato Panormi anno salutis. 1094. liquet. At processu temporis a Bonifacio huius nominis. 8. Romano Pontifice, duo hæc cœnobia diuisa sunt, & in Episcopalem quoque dignitatem euecta. Eoque modo Pactæ vrbs suam inchoauit nobilitatem. Sedes nanque antistitis facta, populis frequentari, ac muro cingi cœpit. Celebris quoque est Adelasiæ Rogerii Siciliæ Comitis vxoris & Rogerii Regis matris sepulchro, quod in ecclesia Cathedrali ab omnibus spectatur. Imminent huic vrbi Brizis, Montagnana, Serrintinus & Iusa ei subiecta oppidula. Timethi fluuii ostium Ptolemæo, Simethi Straboni & Plinio sequitur, a Pactis hodie appellati: qui a Sancto Petro, Pactis & Casali nouo oppidulis oritur.

DE TYNDARIDE VRBE.

CAPVT VII.

TYNDARIS Ciceroni, Straboni & Plinio, Tyndariũ Ptolemæo dicta, vrbs vetustissima, post Pactas ad p.m.6. in edito colle sita, & a mari rupes habens præruptas & inaccessas, iacens subsequitur. Condita fuit a Laconibus, indito ei a Tyndaro patre Ledæ, matris Castoris & Pollucis, nomine. De quo Sylius lib.14. Geminoque Lacone Tyndaris attollens sese. Huius vrbis partem dimidiam mare quõdam absorpsit, vt li.2. cap.94. Plinius memoriæ tradidit. Nam cum radices eius maris fluctibus impeterentur, sæuiente hyeme, vndisque supra solitum irruentibus, a cætera vrbe ea pars diuulsa disiectaque, cum habitatoribus in pelagus repente prolapsa est. Cuius vorago ingens ac horrenda adhuc cernitur. Eam vrbem in Verrem .5. nobilissimam appellat Cicero: & commeatu fœcundam ac refertam, & bello maritimo satis ac-

commodam fuisse lib. 5. testatur Alexandrinus Appianus, qui extitisse eam tẽpore Siculi belli, quod inter Octauium, Sextum Pompeium, & Lepidum fuit, author quoque est. Fanum habebat olim Mercurio dicatum annuis sacris religiosissimũ. Vbi & simulacrum erat Mercurii memorabilis pretii ac artificii & picturę illustris, vt in Verrem. 6. Cicero refert. Quod capta a Carthaginensibus vrbe Carthaginem delatum, deletaque postea Carthagine per Scipionem iuniorem Tyndaritanis restitutum, ac summa ciuium gratulatione suis sedibus epigrammate in basi inciso repositum est. Tyndaritani eo Africani beneficio moti, Romanorum fœdus deinceps inuiolatum cultumque seruarunt. In medio huius vrbis foro, M. Marcelli Romani equestres erant statuæ, magno artificio elaboratæ. Afflicti maxime fuerunt Tyndaritani C. Verris improba in Mercurii simulachrum auiditate. Inter quos Proagoras non obscurus genere præcipuam iniuriam tulit: qui cum Messanam a Verre illud deferre iussus, iniussu Senatus sub mulcta capitis sibi non licere respondisset, virgis cæsus, capitis etiam minas accepit, ni illud quam primum deferretur. At cum fletibus id iterum a Senatu postulando nec impetrasset, nec sua ad facinus authoritate vti ausus esset, a lictoribus Verris rursus capitur, virgis cæditur, atque vrgente bruma ad statuas Marcellorum ligatus, toto die totisq; noctibus, in aere, in imbre, in frigore relinquitur, donec populi tandem commiseratione simulacro promisso, vindictaque in Deum reiecta, vix viuus inde abductus est. Ob quam sæuitiam a Zosippo & Hismenia Tyndaritanis patritiis accusatus Verres, a senatu populoque Romano Ciceronis patrocinio prætura abdicatus est. Tyndaris Frederico secundo Siciliæ rege rerum potiente extabat quidem, sed non florens vt olim: ætate autem mea vsque ad fundamenta prostrata cernitur. Cuius vestigia ampliſſima, mœnia longe lateque iacentia, lapides quadrati, disiectæ columnæ, domus dispersæ passim eo loco vbi stetit, visuntur. In editiori vrbis loco vbi arx prisco erat tempore, vnica ædes sacra est hodie diuæ Mariæ cognomine a Tyndáro (media producta) quod & vrbi iacenti cognomentum adhuc remansit: quæ religiosissime colitur, vbi & quotannis 6. idus Septembris magna Siculorum frequentia nundinæ celebrantur. Et præter eam, tota vrbe nihil nisi seges est. Extra vrbem occidentem versus, in colle vicino & vndique præciso, qui ab accolis adhuc hodie mons Iouis appellatur, templi Iouis mirabiles cernuntur ruinæ. Ordinem sequentibus infra deinde in Tyndaridis descensu Heliconis fluuii ostium Ptolemæo occurrit: qui nunc Oliuerius appellatur: ad cuius ripam sinistram pene littoralem eiusdem nominis est arx. Oritur ad. 5. p. m. supra montem Albanum oppidum, ex fonte cui Puluirello nomen est: cui alterius fontis Largimusco appellati (qui ad. 3. p. m. supra Montem Albanum effluit) aquæ miscentur. vbi & ædes sunt regiæ a Friderico secundo ad sedandam olim podagram, qua vexabatur, extructæ. Vnde dilapsus ad dexteram illud .p. circiter mille relinquit, & sub Monte Albano molas voluit frumentarias: ac subinde plures recipiens fluuiolos, ex vicinorum montiũ iugis decurrentes, Oliuerium arcem alluit: cuius nomine suscepto in mari statim exoneratur. Furnaris inde oppidulum ad. p. m. 2. & paulisper a littore recedens extat: cui interius ad. p. m. 3. incubat in edito & vndiquaque prærupto monte Tripis oppidum. Infra huius autem mœnia, magnæ vrbis & (vt apparet) vetustissimæ, magnique ambitus, sed vsque ad fundamenta dirutæ vestigia, lapides quadrati, columnæ iacentes, & arces prostratæ cernuntur. Quæ nam tamẽ apud maiores fuerit, hactenus non comperi. Ad oram vlterius Castri regalis est ostiũ, qui caput habet e duob. fontibus, altero non longe a Castro Regali oppido, (quod Fredericus secundus Rex ex plurium pagorum reliquiis anno salu. 1330. cõdidit) altero apud Abbatiam Sanctæ Mariæ de Gala ordinis Diui Basilii. Sancti Basilii flu. ab ædicula eiusdem nominis appellati ostium postea sequitur: quod ex latere occidentali collis, vbi Sancta Lucia oppidum conditum est, emanat.

DE

DE MYLIS OPPIDO peruetusto.

CAPVT VIII.

MYLARVM promontorium siue caput hodie dictum deinceps est, chersonesus ab Apollonii interprete lib. 4. & nonnullis aliis (quod .3. p.m. peninsulæ instar in mare procurrat) appellatum: quem quidem chersonesum, Fredericum Regem in insulam reducere tentasse, excauatæ, profundæ, & latæ etiam fossæ, necnon murus ingentis crassitudinis longitudinisque cannarum plurium in rescindendæ eo tempore insulæ munimentum protractus, licet imperfectum opus, apertissimo indicio, cum Frederici Regis huius incepti authoris nomine adhuc ibidem expresso, declarant. In eo tres sunt ædes sacræ, Diuo Nicolao vna, Trinitati altera, postrema Diuo Theodoro inscriptæ. Ad eius flexuosum littus dextrorsum Portus, & Mylæ oppidum est Straboni, Ptolem. Polyb. & Ouidio, Milazium hodie nominatum, a Zanclæis (vt lib. 6. refert Strabo) nomine a Myla fluuio, qui portum influit, mutuato extructum: quod Siculi belli tempore præcipuam Sexti Pompeii sedem fuisse accepimus. Enimuero vetus quædam antiquæ vrbis porta, quam a Rege Iacobo Aragonio adhuc vocant, cum veteris muri fundamentis obrutis, necnon alterum muri vrbis fragmentum, quod cum ad portum vergat, maris nunc portã nominant, longe ampliorem quodam tempore hanc vrbem fuisse quam nunc est, liquido ostendunt. Postea vero in angustiorem formam redacta, ætate mea, vna est ex maritimis Siciliæ arcibus situ & arte munitissima. Nonnihil infra Regis Iacobi portam distans a mari viginti circiter passus, puteus est perennis, & adeo semper exundans, vt vel numerosissimæ cuiuis classi regiæ aquas præbeat affluentissime. Portum præterea habet & insignem, & nauium capacissimum. Nobilitatum fuit hoc oppidum ortu Phocylidis Philosophi illustris. Ager Mylensis planus, frumenti, vini, olei & pabuli feracissimus est: vbi Solis boues, Vlyssis somnium, & sacrilegium sociorum eius contigisse Odysseas lib. 12. latissime fabulatur Homerus, & lib. 5. refert Appianus. Et lib. 2. cap. 101. Plin. circa Messanam (inquit) & Mylas fimo similia expuuntur in littus purgamenta: vnde fabula, Solis boues ibi stabulari. Mylæ (inquit Apollonii interpres) Siciliæ Chersonesus, in qua Solis boues pascebãtur. Et lib. fast. 4. Ouid. Sacrarumque Mylæ pascua læta boum. Quod etiam vna cum fabula in Quæst. naturalib. commemorat Seneca. Quid vero per Solis boues intelligat, Odysseæ lib. 1. exponere videtur Homerus, cum feracitatẽ huius regionis cõmendat. Et quod de fimo similibus purgamentis scribit Plinius, nostra tempestate etiamnum experti sumus. Enimuero quibusdam temporibus hoc mare sordes quasdam simi instar in continentem eiicit. Scribit idem Plin. lib. 31. cap. 4. circa Mylas hyeme fontes prorsus arescere, æstate vero ita exundare, vt amnem conficiant: quod & nos vsu venire didicimus. Iuxta lacum enim quem Pantanum appellant, a Mylis. p.m. 2. Messanam versus recedentem, puteus est ędi Diuæ Mariæ a Plana & a Buschetto appellatæ propinquus, qui per hyemem totus exiccatur, per æstatem vero aquis abundat. In agro hoc Mylensi exiguum olim fuit oppidum Artemisium nomine, quod flagrante Siculo bello extitisse lib. 5. author est Appianus: cuius hodie nulla visuntur monumenta. Hinc post Mylas Oliueti primum, & mox Frundonis noui nominis fluuiorum sunt ostia. Et vlterius ipsius Mylæ flu. Ouidio & Plinio, Nuciti hodie nominati, ostium patet: qui ab aquarum nigredine, (id enim melas Græcis significat) quam adhuc habet, id sibi nomen contraxit, cui nigræ etiam hodie arenæ conueniunt. Qua occasione & alium Bœotię fluuium Mylas appellatum, ex cuius aquis bibentes oues, pullum in vellera colorem trahere, lib. 2. cap. 106. recenset Plinius. Emanat autem hic noster Mylas ex latere orientali collis Sanctæ Luciæ. Malpurtiti deinceps recentis appellationis amnis ostium aperitur: vbi & eiusdem nominis scopulus subaquaneus latet, nautis formidabilis. Et paulo post Diuetum taberna hospitatoria & turris,

& ſubinde Falacriũ ſequitur promontorium Ptolemæo, Raſiculmus hodie dictũ: vbi & turris eſt ſpecula. Hinc mox Myrtorum ſuccedit caput & ſtatio. Et demum Pelorus promontorium & turris Phari, vnde auſpicati ſumus. Proinde ora littorali nouẽ libris abſoluta, ad mediterranea, ob fluminum fontiumque propinquitatem duntaxat hactenus memorata, deinceps deſcribenda accedamus: adiecta quoque noua Siciliæ diuiſione, additiſque in Odœporici modum miliarium ſpatiis veluti filo deſignatis, etiam cum maritimi tractus oppidis ciuitatibuſq;, prout ſeſe inuicem in ſua regione ſubſequuntur: vt tandem deſcriptionis opus decimo hoc labore terminetur.

F. TH. FAZELLI, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS

Liber decimus & vltimus.

DE REGIONE VALLIS DEMINI, ET EIVS OPPIDIS:

CAPVT I.

SICILIA tribus hodie regionibus, quas valles vocant, a Fliſco dirimitur: quarum Demini vnam, Noti alterã, & Mazaræ tertiam appellant. Hac partitione Sarracenos primum, dein Normannos ac cæteros Siciliæ Reges huc vſque vſos, & in hiſtoriis & in publicis tabulis legimus. Adeoque recens eſt, vt neq; Græcorum veterum, neque Latinorum quiſquam eius meminerit. Demini regio a Peloro promontorio incipit, & ſuperum infe-rumque amplexa littus, hinc Teria flumine, illinc vero Himera amne, qui mare Tyrrhenum influit, clauditur. Noti regio a Teria ſumens initium, cum eo intus extenditur, Ennamque inde interſecans, cum Gela fluuio deſcendit, atque ad Alicatam vrbem terminatur. Mazaræ vero regio, quod reliquum eſt Siciliæ, ad Lilybæum vſque continet. Porro a regione Demini ea ratione duximus inchoãdum, quod Italiæ ſit propinquior: a qua ſolo freto diſiuncta Pelorum promontorium, deſcriptionis noſtræ & initium & finem, amplectitur. Hæc difficilium montium & ſaltuum, aliis alios continue excipientibus, denſiſſimorumque nemorum horridam habet faciem, ſituque ſuo eminenti reliquis duabus eſt eleuatior. Quo fit vt frumenti, frugumque omnium in eis locis ſit indiga: olei tamen ac lanę ſericę fœcundiſſima. Nominis etymologiam multi ad nemora, quibus abundat: plerique, ſed hi ineptiores, ad Dæmones, (quibus in Ætna mõte, quem continet, a vulgo ſedes conſtituitur) nonnulli quoque ad eminentiam, quod montes tota Sicilia celſiſſimos habeat, non adeo abſurde, retulerunt. Mihi vero id non diſplicet, quod, cũ a Sarracenis diuiſio hæc adinuẽta ſit, Sarracenici idiomatis nomenclatura incertæ nobis originis exiſtimari debeat. Primum igitur a Peloro Meſſanam vici ſeſe complures offerunt: quos etſi, propterea quod nihil aut vetuſtatis aut dignitatis habeant, iure omittendi videantur, nominum tamen cognitionem non ingratam fore ſum arbitratus. Sunt itaque hi: Pharus, Caſtania, Maſſa, Mõtana, S. Georgius, Flomara, Gattainus, S. Ioannes, Lacus, Curcuracius, S. Agatha, Annunciata, S. Michael,

S. Michael, & S. Maria la Scala. Hi quam minimis a se inuicem spatiis distincti. 12. tantum. p. m. vna omnes Messanam vsque conficiunt. Quam deinde subsequũtur pagi quos Furias appellant: Ciera, S. Philippus cognomento Paruulus, Cataractis, Cammaris, Burdunarus, Cumia, Gazis, Contissa, Trimosteris, Pistomna, Camarda, Calispera, Roccamaduris, S. Lucia, Casalottus, Zafaria, S. Philippus magnus, Ardaria, Milis, S. Marcus, S. Petrus de Mili, Galatis, S. Margarita, S. Stephanus, Pezula, Labrica, Iampileris, Artisia, Scaletta, Iundimandrus, Itâla, Aly, flumen Dionysii, Beluedere arx, Mandanicius, Pagliara, Locadius, Casale vetus, Sauoca, S. Alexis arx ad Argennum promontorium sita, Forza, Limina, Muniuffus, & Calidorus. Multitudo hæc vicorum, villarum & castellorum spacium. 30. p. m. a Messana ad Tauromenium continens, freto imminent, paruisque admodum inter se interuallis dissiti, feracibus vallibus, amœnisque ac magna multarum rerũ varietate excultis agellis, nec aquarum indigis, collibus præterea, tum vinetis Mamertinis, tum oliuetis ac moretis, necnon argenti, ferri, aluminis, & lapidis porphyretici, & iaspidis mineris, accolarumque frequẽtia sunt insignes. Quibus a tergo montes sunt Aerii, & inter eos præcipuus Neptunius, Spreuerius hodie dictus. De quibus singulis latissime in superioribus tractatum est. Tauromeniũ postea celso in colle, trigesimo a Messana miliario distans sequitur: cui supereminet in alpibus ad. p. m. oppidulum Mola appellatum, relegatorum locus. A quo. p. m. 5. Gaggus, & ad mille passus deinde Ganitis Tauromenitani sunt pagi. Tauromenio demissis ad littus. p. m. 2. Schixon hodie sese arx ostentat, vbi olim Naxus peruetusta stabat vrbs. Sed littore paulatim relicto, & vallem ingressis, ad dexterã in editis collibus Motta Camastri ad. 6. p. m. oppidulum abest. Ad sinistrã, traiecto Tauromenitano fluuio, ad rupis angulum, & radices Ætnæ montis in cœlum sese efferentis, situm. 4. p. m. a Motta Camastri Caltabianum recedit, Sarraceni nominis oppidum, a mari. p. m. 3. refugiens. Hinc ad. p. m. 2. sub radicib. Ætnę Lingua grossa est oppidulum, sic dictum ob duram illic rusticamque vernaculi sermonis pronunciationem: quod, quia inter Ætneas syluas iacet, picearum arborum luco nobilitatur. Vnde ad. 3. circiter. p. m. in collibus Castrum leonis est oppidũ: cuius arx vetusta ex quadratis lapidibus structura vtcunque exornatur. (Hanc vallem, quam a læua Ætnæ radices, & a dextera mõtes Tauromenitanis alpibus continuati efficiunt, Tauromenitanus fl. scindit & irrigat. Ad cuius vtranque ripam platani, toto orbe deliciosissimæ arboris, numerosa luxuriat sylua) Inde ad. p. m. 3. Frãcauilla sequitur, Vicecomitatus titulo ætate mea illustratum oppidum: quod Guilielmi primi Siciliæ Regis temporibus extitisse, in eius gestis legimus. A quo abest. p. m. 8. Auricella Latine, Rocella vulgo nominatum oppidulum. Et ab eo. 5. p. m. Randatium noui nominis sub Ætna, qua septentrionem spectat, ingens, nobile, locuples & muro cinctum oppidum. Et deinde. p. m. 8. D. Mariæ cognomento Maniacis, ordinis. D. Benedicti, a Margarita Siciliæ Regina prioris Gulielmi vxore & posterioris matre, ex Clementis Papæ concessu (vt pontificio diplomate patet) eo loco qui tunc temporis Maniacis dicebatur, institutum ædificatumque anno salut. 1182. monasterium. Huic in occidentem ad passus circiter mille immanet Maniacium, a Georgio Maniacio, Siciliæ præfecto, anno salut. 932. ob insignẽ, quam eo loco contra Sarracenos adeptus est, victoriam & conditum & denominatum oppidum. quod cum nunc dirutum videamus, tempore Guilielmi Boni stetisse, ex eius vita consequimur: sed nec a quo deinceps, nec quo tempore deletũ sit, certo constat. Visuntur tamen eius ruinæ, quæ ipsæ hodie Casalinus nominantur. Ad sinistram vero prædicti peristylii, Ætnæ radices circumambulanti ad. p. m. 8. Brontes recens oppidulum occurrit. Cui ad easdem montis radices totidem. p. m. Adranum peruetustum oppidum, Aderno hodie dictum, succedit. De quo in Timoleonte Plutarchus, Adranitæ (inquit) paruam vrbem habentes Deum Adranum, qui maximo in honore per vniuersam Siciliam habebatur, colebant. Fuisse vero Adernionem id quod olim Adranum vocabant, idem Plutarchus in eodem ostẽdit: qui quadraginta supra trecentos stadiis Tauromenium ab Adrano distare scribit: quo spatii interuallo etiam hac ætate dissidet. Nominis quoque antiqui

vestigium,

veſtigium & vetuſtæ vrbis ſtructuræ ruinæque ampliſſimæ conteſtantur. Pa-
ternio. 4. ad. p. m. etiam ſub Ætna monte recens oppidum ſubſequitur, a Rogerio
Siciliæ Comite ad obſidendam olim Catanam vrbem (vt in eius hiſtoria comperi-
mus) extructum. Valcorrentis vicus ſub Ætna quoque, ab hoc. p. m. 4. diſtans,
poſtea reperitur. A quo Motta (arx olim) S. Anaſtaſiæ. p. m. 5. abeſt, ex rupe præci-
ſa in Catanenſium & Leontinorum ſubiectos ſibi agros iucundiſſimum proſpectū
habens oppidulum. Monaſterium album pagus ad. p. m. 4. ſequitur. Et totidem
paſſibus Catana vrbs ad radices quoque Ætnæ ſita (vt diximus) quam eodem pe-
ne montis ſitu vicatim excipiunt Ætnam ambientes pagi, vineæ Catanenſium ho-
die appellati: Sanctus Ioannes, Galermus, Maſcauſia, Pracis, Sanctus Petrus, Cam-
pus rotundus, Rapiſardis, Malpaſſus, Mompilerius, Nicoloſus, Lapidara, Trica-
ſtagnis, Via grandis, S. Ioannes lapunta, Sanctus Gregorius, Sancta Maria Beluiri-
dis, Bonaccurſius, Cătarellis, Xaccis, Terracitis, Caſalottus, Diuus Antonius, Cu-
biſia, Pantacis, Scarpis, Acis arx in ſcopulo mari imminens, Molendina, Regitana,
Supramianus, Muſumegis, Culia, & Maſcaris: vbi Ætnam olim (vt plerique ſcri-
bunt) vrbem poſt mortem Hieronis a ſuis Catana expulſis conditam, & octuagin-
ta a Catana ſtadiis ad montanam Ætnæ oram ſitam fuiſſe, lib. 6. teſtatur Strabo. In-
ſignis porro fuit hæc ingenti ſeruorum ſtrage, belli ſeruilis tempore, vt Oroſius re-
fert. Viſuntur autem vrbis deletæ ad Maſcarim & manifeſta & obruta veſtigia. Etſi
non deſint qui Ætnam vrbem, quam Inneſam etiam aliqui appellant, non longe a
Centoripe fuiſſe prodiderint. Ætna monte in ambitu emenſo ad Brontem eſt
redeundū: vt, quæ ſunt hac regione reliqua, idoneo ordine percurrantur. Poſt
Brontem igitur occidentem verſus ad. p. m. 8. Carbunis eſt pagus, & poſt eum. p.
m. fere. 5. Ciſaro oppidulum.

DE TROYNA VRBE, ET vicinis oppidulis.

TRoyna vrbs ad. p. m. 8. deinceps ad occidẽtem in colle edito ſucce-
dit. Hãc vrbem Troynam appellatam, in priuilegio Rogerii Comi-
tis, quo cõſtat ædem D. Nicolai de nobilibus Meſſanæ ipſum cõdi-
diſſe, iis verbis lego: Sacrauimus eã ſub diœceſi Troynẽſi. In inſigni
quoque æneo huius vrbis vetuſtiſſimo, ad Frãcauillæ flu. ripas anno
abhinc ferme. 70. caſu reperto, quod arx eſt tribus tũrribus ornata, & leone ianuã
cuſtodiente, hæ literæ circumleguntur: Vetuſtiſſima ciuitas Troynæ. quod ſigil-
lum in archiuo ciuitatis Troynenſes hodie ſeruant. In priuilegio quoque Roge-
rii Comitis, quo Abbatiam S. Michaelis ipſum condidiſſe ſcribit, Troynam his
verbis ipſam appellat: Conſtruxi in ciuitate Troynæ monaſterium. Et Rogerius
Rex in diplomate erectionis eccleſiæ Cephalœdenſis: Accedente (inquit) conſen-
ſu canonicorũ Troynenſiũ. Quibus omnibus impulſus hanc vrbem eam eſſe quã
Traianopolim, immunem ac liberam, in Sicilia, lege prima de cenſibus Vlpianus
refert, facile adducor vt credam. At cur Troyna ſit appellata, & a quo, & quan-
do condita, nondum comperi. Cuius cum veterum nullus, qui quidem ad manus
meas peruenerit, meminerit, prima eius memoria Rogerii Siciliæ Comitis tem-
pore ſe prodidit: in cuius geſtis ſub Sarracenorum imperio Græcam eam vrbem,
mox illis pulſis epiſcopali dignitate inſignem, ac ſuæ etiam curiæ longo tempore
ſedem fuiſſe conſequimur. Habet adhuc pro Epiſcopo Archidiaconum hodie, &
Canonicorum collegium: quorũ conſenſu a Rogerio rege Cephalœditanã eccle-
ſiam epiſcopali decore fuiſſe inſignitã ſupra diximus. Veteris porro vrbis arx, no-
uæ huius vrbis finibus hodie concluſa eſt: vrbs vero inferius ad mille paſſus in me-
ridiem, loco Sancti Sylueſtri cernitur, vbi ædium, murorum ac pyramidũ ex qua-
dratis lapidibus clariſſima ſpectantur cadauera. Prædicant enim Troynenſes, fa-
ma per manus ducta, ædem ſacram, quæ maior ibi eccleſia appellatur, fuiſſe olim
veteris vrbis arcem, quam Rogerius Comes diruit, eiuſque loco templum maxi-
mum ſuffecit, quod non ſine manifeſto rei veræ argumento Baglium Caſtelli ho-
die vul-

die vulgus vocat. Iuxta maius huius templi fanum, quod Tribonam maiorem sua voce nominant, sacellum est paruum, idque subterraneum, vbi Vrbanũ quartum huius nominis Pontificem, cum ad Rogerium Comitem Sarracenis profligãdis occupatum, curiosius visendum conuenisset, (vt in eius gestis memorabitur) sacra celebrasse Troynenses etiam affirmant: quo mulieres ingredi ex instituto non licet. Paulo infra vrbem ad. p. m. 2. meridiem versus, ædes D. Michaelis super collem erecta, & cœnobium D. Basilii illi adiunctum extat, a Rogerio Comite parta contra Sarracenos victoria, pro triumpho dedicatum: vt eius priuilegio data Troynæ anno. 1073. declaratur: quod est eiusmodi: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Notum sit cunctis Ecclesiæ filiis, quod ego Rogerius Calabriæ & Siciliæ Comes, diuina inspiratus dignatione, pro salute animæ meæ & cõiugis meæ, necnon & parentum meorum, & fidelium meorum, & Domini mei Ducis, fratris videlicet mei, (cuius beneficio totius honoris mei summam retineo) constituxi in ciuitate Troynæ monasterium ad honorẽ Sanctæ Trinitatis, sanctęq; perpetuæ Virginis Mariæ, atque Sancti Michaelis Archangeli, & aliorum Sanctorum quorum ibidem nomina & reliquiæ continentur. Et terras & prædia ibidẽ Deo seruientibus monachis dedi, & Abbati Roberto nostro consanguineo. Et nouiter tam libera autoritate, quam priuilegio Domini mei Ducis ac meo, illi dono & cõcedo vt habeant monachi potestatem secundum regulam Sancti Basilii ipsimet sibi eligendi & constituendi Abbatem: & quod in omnibus quæ supradicta ecclesia habet concessione mea, vel habere poterit, liberam potestatem, omniumque prædiorum & ecclesiarum pertinentias & iura omnia habeant. Si quis vero fidelium, amore Dei, & salute eius animæ compũctus, eidem ecclesiæ ex suo iure dare aliquid voluerit, vel ecclesias, possessiones, vineas, terras, domos, villicos, stet in illorũ libertate concessa cum gaudio spirituali remota omni occasione præbeant. Qua authoritate in dedicatione ecclesiæ (quæ facta est a bona memoria Donni Arnulphi, quartodecimo Ianuarii, anno ab incarnatione Domini millesimo octuagesimo primo, inditione quarta, dominante Domino meo Duce Roberto Guiscardo, Amen) a fidelibus meis dotis nomine eidem ecclesiæ data & concessa sunt: & quæ sequuntur. Robertũ huius monasterii Abbatem Rogerius postea Episcopum Troynæ, & demum a Troyna translata Messanam Episcopali dignitate, Messanensem præsulem instituit, vt in eius rescripto, cuius in Messana meminimus, dato Panormi die. 7. Iulii. 10. Indi. anno salutis. 1087. ipse testatur: quod in hoc loco repetere operæ pretium duxi: Ego vero (inquiens) quoniam semper in animo meo proposueram Ecclesiam Messanæ magnis possessionibus ampliare, multisque donis & oblationibus ditare, eo quod eum post acquisitionem Siciliæ translata sede Episcopatus a Troyna in Messanam, primum episcopum erexeram, prædicti Episcopi Roberti precibus aures inclinaui, &c. Huic peristylio ad septentrionem. p. m. 5. Sancti Heliæ Eubuli ordinis etiam Diui Basilii cœnobium hæret, a Rogerio quoque Siciliæ Comite extructum, vbi antea Christianorum erant pagi, vt ex Græco quodam eius priuilegio accepimus. Cum quibus Rogerius Comes, Troynam, quæ Sarracenorum erat præsidium, expugnaturus, consiliũ de ea oppugnanda habuit. qua postea expugnata, Diui Heliæ ædem & cœnobium in hoc loco condidit: cui a re gesta, Eubuli (quod bonum consilium Latinis sonat) nomen indidit, quod hucusque, etsi parum corrupte, retinet. Sed ad meridiem. p. m. 6. Gaglianum oppidum, Vicecomitatus titulo nobile, rupisque excelsæ situ munitissimum, sequitur. A quo deinde ad. 3. circiter. p. m. sed quinque a Nicosia distans Rocca Serlonis, Sarno hodie dicta, occurrit, a Serlone Rogerii nepote, Sarracenorum ibi manu (vt fusius in historiis memorabimus) interfecto, cognominata. Ciramis ad. p. m. 7. Capitii quodam tempore pagus, nunc oppidum subsequitur. A quo. p. m. 4. Capitium ad Aeriorum montium, qua meridiem spectant, angulum situm, vetustum abest oppidum Ptolemæo, Capitina a Ciceronenuncupatum. Cui a sinistra Nicosia, populosum & ingens est, Nicosinũ oppidum a Frederico Secundo Cęsare in diplomate quodam appellatum: quod Lõbardi & Galli cum Rogerio Siciliæ Comite in Siciliam aduecti promiscue inhabitarunt,

tarunt, vt Siculorum Annales referunt: cuius etiamnum incolæ sermone Lõbardo & Gallico, etsi corrupte, vtuntur. A quo ad occidentem non longe dissidet eiusdem nominis celebris salis fodina. Spirlinga deinde munitissima, & in rupe edita, ad .3. p. m. extat arx: quæ, quod Gallicæ stragis sola inter Sicula oppida fuerit expers, hoc prouerbiali adhuc versiculo celebratur: Quod Siculis placuit, sola Spirlinga negauit. A qua. p. m. circiter. 9. arx alia abest, Reioannis corrupte hodie, sed olim sub Sarracenis Rayhalioannis oppidum nominatum: quod a Frederico secundo, ob Francisci Vintimilii, cui suberat, perduellionem in ruinas abiit. Huic ad. 6. p. m. vicinum est Gangis oppidum nouum, ad latus collis qui ex torrẽtibus Gelæ flu. caput vnum habet, situm. Eique ad meridiem. p. m. 2. in valle monasterium ordinis Diui Benedicti, a religiosis viris, super ruinis Gangis veteris (quod cum a Frederico secundo, anno salutis. 1299. cum Francisco Vintimilio eius domino insolenter desciuisset, funditus deletum est: quodque falso quidam Engiũ vetustissimam vrbem fuisse asserunt) liberaliter superstructum. Giracis a Gangi septentrionem versus. p. m. 6. Sarracenicum oppidum abest, Marchionatus titulo insigne. A quo totidem. p. Petralia superior, in edito colle situm, & vetustũ quidem oppidum, Petra a Ptolemæo appellatum, distat. Et sub eo mille passibus seiunctum in valle Petralla inferior recens oppidum extat, supra quod caput aliud est Gelæ flu. Salsi hodie dicti. Et ab eo. p. m. 6. Politium noui nominis, sed nihilominus ingens & locuples, & inter duo Himeræ fl. capita situm abest oppidum: reliquiis Gandolfi pii viri & miraculis illustratum. Originem ad Rogerium Siciliæ Comitem refert: qui Sarracenos insequens, cum ad verticem Nebrodis fugasset, eos obsessurus, in mole quadam edita ad montis radices, arcem, vbi commodius stativa teneret, excitauit, quæ adhuc supereſt. Vnde hostes sæpe adortus, in montis planitie, quę adhuc Planities belli patria lingua nominatur, eos superauit. Crastas hic mõs Ptolemæo, sed cæteris scriptoribus Nebrodes, vulgo autem hodie Madonia dicitur. Qui tota Sicilia præter vnum Ætnam, omnium latissimus celsissimusque, maxima anni parte niue tegitur, & mari Tyrrheno prominet. Complures circunquaque perennes ac ingentes habet fontes: qui e vestigio non solũ molas voluunt triticeas, sed in flumina quoque diffundũtur. Herbis suis etiam radicibusq; omnis generis nobilitatur, quas aut brutis animantibus, aut hominib. in potiones salutares herbilegi atque aromatarii vndique confluentes inde discerpunt. Damis præterea ac hinnulis ceruisque abundare solet: a quorum copia nomen olim Nebrodis (quod damam Latinis sonat) aptissimum mutuauit. Vnde & locus ad eius quoque verticem, rupibus vndiq; fossæ instar circuncisus, Mandra ceruorum vernacule, Ceruile Latine dictus est. Hodie autem ob nimis inconsideratã promiscuamque venationem, omni ferme ferarũ genere, quæ eius loca quietiora secedere consueuerant, videtur exhaustus. Porro oues quæ ibi ex pascuis sagi-
nantur, & dum viuũt, & post interitum etiam, perpetuo dentes habent inauratos. Plura quoque alia, præter Politium, ad huius montis latera ac radices sunt oppida. Isnellus oppidum, quod Asinellum vernacule nominant, tertio miliario a Politio Nebrode emenso refugit. Et mille exinde. p. Bonuicinus arx: sed. 4. circiter. p. m. Yholisanus Sarracenis, sed Collisanus peritioribus dictum oppidum, Comitatus hodie titulo illustre, necnon iaspidis & porphyritis lapicidina nobile: cuius vetus regio Bayharina adhuc vocatur. In cuius antiqua arce, quæ hodie templi Parochialis turris est campanaria, ad fenestram hoc fragmẽtum legitur: Me Fecit Anno Domini 1060. Huic ad occidentem collis incubat Mons nominatus. vbi dirути oppiduli cadauer nescio quod dispersum visitur: e cuius reliquiis Yholisanum conditum oppidani prædicant. Et ad maris Tyrrheni oram ad. p. m. 6. Roccella subest arx, cuius suo loco meminimus. Et ab eo ad mõtes. p. m. 5. Grattarium oppidum beryllo lapide nobile. Octauo deinde miliario ad oram Cephalœdis est vrbs. Et ab ea dextrorsum. p. m. 9. Pollina in celso colle & in acutum surgente est oppidum. A quo Castellum Bonum ad. 4. p. m. abest oppidum nobile. A quo p. m. 3. cœnobium Sanctæ Anastasiæ a Rogerio Rege fundatum recedit. Ac deinceps supra verticem montis ad. p. m. 8. oppidum Sanctus Maurus eminet.

Et

Et totidem ab eo passibus Castellucium abest. A quo.3. p. m. Migaidus distat pagus. Est deinde ad.p.m.6. Tusa oppidum: cui ad maris littus ad.p.m.2. Tusa arx, & frumenti emporium subest. A quo.p. m.6. Pittineum abest oppidum, Pittia Plinio dictum: vnde Pittienses. Motta fermi deinceps ad.2.fere.p.m. & Rigitanum mox ad.3.p.m.sequuntur. Sed superius ad.p.m. 4. Misistratum Polybio libro primo, est peruetustum oppidum, Amestrata Ciceroni & Plinio dictū: cuius nomen adhuc ædis ibi Diuæ Catharinæ retinet. Hodie vero Mistretta appellatur. Vetusti oppidi circa montem plura spectantur monumenta, & arx vetustissima. A quo. p. m. 5. Sanctus Stephanus oppidulum recedit. Et totidem passibus Caronia ab eo remotum est oppidum: ad cuius littora Alesæ vrbis (vt memoratum est) prostratæ iacent ruinæ. Sanctus Philadelphus, deinde Lombardorum ad.p.m. 12. est oppidum. Cui Aluntium (vt diximus) iacens antiqua vrbs ad passus quingentos subest. Et in collibus supra, Militellus ad.p.m.5. recens se oppidum ostendit. A quo p.m.4. Sanctus Marcus oppidum: & totidem ab hoc p. Arcara abest. Et non longe ab eo Crastus iacens est vetus vrbs, ortu Epicharmi poetæ nobilis, cuius in viris suis illustribus Neāthes meminit. Et supra Arcaram ad.p.m.4. Longi oppidulum. Et.p. deinde mille Galatis distat. Est postea ad.p. m.4. in valle profunda Turturicium oppidū, opificibus variis, sed in primis fabris ferrariis & campanariis clarum, quorum opera tota Sicilia diffunduntur. Et æquali inde spatio Saluatoris in edito colle situm oppidum abest. A quo Frazano.3. p. m. distat pagus: cui ad.p.m. Abbatia Sancti Philippi Fragali a Rogerio Siciliæ olim Comite extructa, & ordini Diui Basilii inscripta supereminet: quam idem post fabricam magnifice ditauit, vt singulari ipsius rescripto, anno a condito mundo. 6598. ipsis Calendis Iunii elargito (quod anno postea eiusdem supputationis. 6600. Simon Rogerii filius Siciliæ Comes, & alio iterum secundo post anno diplomatis, necnon Rogerius inde rex anno mundi. 6653. publicis tabulis, ratum habuere) apertissime constat. Sed duobus inde. p.m. Crapis est oppidulum. A quo. p.m.3. ad oram Petra Romæ arx: & intus ad.p. m.4. Myrtus: & in edito deinde colle ad.p.m.5. Nasus est oppidū. Hinc tertio miliario. S. Marina pagus habitatur: cui in colle post.p. m. 2. Castania ducentis plus minus abhinc annis ex pluribus pagis congregatum oppidum supereminet. Et deinceps ad.4.p.m. oppidum Veria sequitur. Et totidem passibus in valle est Raccudia, Raccuya vernacule dictum oppidum. a quo. m.p. Sācti Nicolai a Ficu cognomento Abbatia abest, a Rogerio Siciliæ Comite dicata, vt ipsius Græco, & Rogerii Regis Latino (quod anno salutis. 1153. Messanæ datum est) diplomatis declaratur. Et.p. m. ab oppido.3. distat Sinagra noui nominis oppidum. A quo Martinis.2. p. m. vicus dissidet: & non longiori interuallo Ficarra oppidum cernitur. Sanctus Angelus deinde oppidum ad. 4. p. m. sequitur, ex duobus pagis Sarracenicis Ansa & Lisico, ad cœnobium ordinis Sancti Basilii, a Rogerio Siciliæ Comite, ob insignem quam eo loco contra Sarracenos adeptus est victoriam, Diuo Michaeli dicatum, conditum & dotatum, sese recipientibus coactū: vt ipsius Comitis anno. 1092. & Regis item Rogerii dato Panormi anno mundi. 6502. rescriptis proditum est. Et pari spatio ad oram Brolus est arx. Pilainus.2.p.m. ab eo postea refugit oppidum: a quo Giusa oppidulum.4.p.m. abest. Surrentinum sequitur ad.p.m.2. vicus. Et Montagna postea ad passus mille. Et pari interuallo Pactæ vrbs occurrit: quam Brizis ad.p.m.4. excipit vicus. Et non absimili spacio. S. Petrus vicus alter, a Pactis appellatus. Et totidem. p. m. in edito monte Mons Albanus est oppidum a Frederico secundo Siciliæ rege conditum & muro cinctum: vbi & regias ædes lapide quadrato conspicuas a fundamentis erexit. Nobilitatur Raynaldi Villanouæ medici & mathematici clarissimi sepulchro: quod in sacello arcis ab omnibus visitur. Insigne quoque est magna præ cæteris canum statura ac ferocia. A quo.3.p.m. Casale nouū distat. cui ad ora. p.m.6. Tyndaris prostrata subest vrbs. & mille subinde. p. arx Oliueris: quam. p.m.3. sequitur Furnaris, & ad totidem inde. p.m. Noara oppidum refugit. Huic vicina est Abbatia Sanctæ Mariæ eiusdē cognominis, ordinis Cistercienſis: cui monasterium eiusdem ordinis, Sanctæ Mariæ a stella & spano, Nicolai Traynensis ære ante ædificatum, plurimumque dita-

tum, hæredum eius liberalitate postmodum accessit. Distat ab eo decem passuum milibus Castrum Regale, ingens quidem & in rupe prærupta (vt supra memorauimus) a Frederico secundo Siciliæ Rege ex ruinis Curatii, Nasari, Protonotarii, Milichis, Rudis & plurium aliorum pagorum excitatum oppidum. &. 4. inde. p. m. Gala succedit. A quo nonnihil refugit Abbatia Sanctæ Mariæ a Gala, ordinis Diui Basilii, a Rogerio Siciliæ Comite extructum, vt eius diplomate comprobatur. Deinceps tertio miliario Sancta Lucia est oppidum. A quo ad oram post. p. m. 6. Mylæ est vetustum oppidum, Milatium hodie dictum. Et totidem. p. Gualtaris ab eo recedens est: cui ad. m. p. Condro succedit. Et. 2. p. m. Sanctus Petrus cognomento Monfortis, est oppidulũ. & pari spatio Rocca ab eo distat. cui ad. m. p. Mauroiannis subest, & pariter inde Vineticus. Mõfortis postea ad. 3. p. m. in colle situm oppidum, & a Frederico secundo Siciliæ Rege conditum extat. Et. 2. p. m. Rametta oppidum editæ rupis naturali situ munitissimum sequitur. a quo pari interuallo Saponara abest. S. Martinus deinde ad. 3. p. m. & pariter Calbarusus &. 2. p. m. Babusus, necnon pari interuallo Sancti Gregorii monasterium. Et. m. p. Gibisus, & Salix demum ad. 2. p. m. sequuntur vicatim habitantes. post quos Pelorus est promontorium, vnde incepimus. Nunc ad propinquam conterminamque Noti regionem transeamus.

DE REGIONE NOTI, EIVSque vrbibus & oppidis.

CAPVT II.

SECVNDA inter Siciliæ regiones Noti est regio: quæ a Neeto oppido in editis collibus Pachyno prominentibus conspicuo nomen accepit. Hæc pro maiori parte salebrosa est, montesque cæteris Siciliæ humiliores, ac campos late lapidibus refertos habet: sub quibus tamen & segetes exuberant, & gramen quoque exoritur: a quo pecoribus vbertim pabulum suppeditatur. Abundat autem frumento, vino, melle, & pecore: multisque sicut olim, ita & nunc antiquis vrbibus est insignis.

DE ENGYO VETVSTA vrbe.

INGITVR, vt cum superioribus hanc quoque regionẽ connectamus, a Teria flu. vnde incipit, non longe aberat Engyon aut Eugyon (vt aliis placet) vrbs vetustissima. Quæ siue maritima, vel in eo loco qui prius Ongia, nunc Lognina, & a veteribus Portus Vlyssis dicitur, vel eo qui Ingiuni nominatur, Leontino hodie frumenti emporio, (vt ex authoritate Plutarchi coniiciunt plerique) siue mediterranea, centum ab Agyre stadiis distans, (vt lib. 5. Diodorus referre videtur) fuerit: a Cretensibus, qui defuncto Minoe in Sicilia remanserant, fuit condita: quantum ex Diodori verbis consequimur: Cretensibus (inquit) qui defuncto Minoe in Sicilia absque imperio remanserant, inuicem dissidentibus, eorum pars ciuitatem condidit, quam ab eorum rege dixerunt Minoam: pars per littus errans locum munitum condendæ vrbi elegit, quam a fonte in vrbem fluente Engyum appellarunt. post captam vero Troiam, Merionem Cretem, & cum eo Cretenses nauibus delatos, veluti cognatos in ciuitatem susceperе. Hi postea ab Ochyra recedentes, expugnatis nonnullis finitimis, eorum regiones possederunt. hæc ille. Quibus verbis aut maritimam fuisse Engyon, aut non longe saltem ab ora recedentem, mihi (rei veræ adhuc incompertæ venia) videor colligere. Quod ipsum Vlyssis quoque eo cum classe accessus (de quo paulo infra ex Plutarchi in Marcello authoritate nonnihil subiungemus) affirmare putatur. Quinetiam a Leontino, marique non adeo remote dissitam ex Diodori lib. 16. non temere agnoscimus. Eius ibi verba hæc sunt: In Sicilia vero Timoleon

molcon contra Leontinos, quo Icetas cum iusto exercitu se retraxerat, mouit castra: statimque inuadens in eam quam Nouam vrbem appellant, cum magnum præsidium, & quod bene ad mœnium propugnationem sufficeret, intus positum esset, cæptam rem omittere est coactus: transiuitque ad Engyum, (quæ vrbs Tyranno Leptinæ seruiebat) omnique studio, vt ciuitatem pulso tyranno ad libertatem reduceret, nitebatur. Leptines a Timoleonte grauiter pressus, deditionem fecit, & per conditiones dictas iussus est migrare in Peloponnesum. Cumque eidem Leptinę Apolloniatæ parerent, receptæ huic ciuitati, & Engyinis libertatem, vt suis legibus viuerent, concessit Timoleon. Hæc ibi: quæ sane de Engyi cum Apollonia & Leontino vicinia non minimo sunt argumento: cum lib. 20. idem Centoripen & Apolloniam vicinas fuisse vrbes significet. Sed vtcunque se res habeat, cum de loco vbi steterit nihil certi (nisi quod in iis agris) afferre possim, de eius rebus hæc saltem habeo certissima: vrbem fuisse, Dearum, quæ a superstitiosis Matres fuerunt appellatæ, præcipua religione insignem. De quibus hæc habet in .5. Diodorus: Engionates aucti postmodum opibus templum matribus ædificarunt, præcipuo eas cultu Deas, multisque templum donis honorantes. Nam & eas non solũ huius vrbis accolæ, sed etiam ex finitimis quidam sacris solennib. & aliis honorib. celebrant. Quædam vrbes etiam preciosa vasa earum cultui deputarunt. Vsque adeo autem istarum Dearum creuit religio, vt accolæ permultis aureis atque argenteis vsque ad horum scriptorum tempora donis exornarint. Templum quippe ipsis ædificatum est ingens ac sumptuosum: ad cuius structuram cum loci natura non suppeteret, ab Astygione Agyrinæorum, quę centum ab eis distat stadiis, saxa aduehi magna impensa curarunt. Cum vero iter quo necesse erat lapides ferri, asperum esset, ac difficile transitu, quatuor rotarum curribus ad id præparatis, centum iugis boum lapides delati sunt. Sacrarum enim pecuniarum copiæ impensam tanti operis contempsere. Paulo ante hæc tempora erant eis deabus sacri boues ad tria milia, agri adeo permulti vt magnum vectigal præberent. Huc vsque Diodorus. De ea quoque, eiusque templo hæc Plutarchus in Marcello: Vrbs est (inquit) Siciliæ Engyon non magna, verum antiquissima, & dearum religione celeberrima, quas Matéras appellant. In ea templum est quod a Cretensibus ædificatum traditur. Hastæ quædam, ex æreque cassides ostenduntur, quæ tum Merionis, tum Vlyssis, qui eas Deorum simulacris affixerant, inscripta habent nomina. Hæc vrbs cum ad res Carthaginensium inclinaretur, Nicias in ciuitate vir primarius, vt ad Romanos animum applicarent, palam ac intrepide pro concione consultabat, nonnũquam aduersatiorum sententiam arguens. Qui, hominis authoritatem ac potentiam veriti, illum captum Pœnis tradere deliberabant. Quod cum Nicias intelligeret, clandestinam circa se disponẽs custodiam, manifeste in Materas Deas cœpit intempestiuus ac ineptus obloqui, multaq; aduersus earum diuinitatem ac gloriam, vt incredulus ac contemptor perpetrare, exultantibus mirum in modũ inimicis, quod suorum causas malorum præbuisse videretur. Inde cum ad eũ corripiendum se pararent aduersarii, tantisper Nicias in concione ciuium, cum orare ac publice consultare cœpisset, corpus repente dimisit in terram. Vbi paululum commorante, magno cum stupore silentium (vt par erat) exortum est. Hinc caput attollens, & voce subtremula grauique circumagitans, acutum paulatim protendit sonitum. Quare cum theatrum silentio simul & horrore implicitum vidisset, abiecto amictu, & intima abscissa interula, seminudus emicans ad theatri fores cursu festinat, se a Matéron numine agitatum clamitans. Quem cum religionis causa attingere vel refragari nullus auderet, & proinde vniuersi cederent, extra portas cursu defertur, nullo interim lymphantis clamore, aut insanientis vsus impetu. Huius enim actus conscia coniunx, prius susceptis filiis in Dearum templo supplex aduoluitur: inde virum errantem se quæsitum ire simulans, prohibente nemine, tuta ex vrbe decessit. Eo pacto liberati Syracusas ad Marcellum contendunt. Postea cum Engiates, ob eorum petulantiam & commissa facinora, Marcellus vniuersos ligari, vt eos supplicio afficeret, iussisset: Nicias astabat illachrymans, eius manus ac genua complectens, suos ciues, & in primis aduersarios de-

poſcebat. Qua re placatus Marcellus, miſſos fecit vniuerſos, & ciuitatem nulla affecit iniuria. Niciæ quoque magnis honorato muneribus, agri plurimum vindicauit. Hæc ex Poſidonio Plutarchus. Engyum lapidoſos habere artus, quod in rupe fuerit ſita, ſcribit lib. 14. Sylius. At hi qui Eugyon eam vocant, pingue (ex Græci nominis notatione) ſolum habuiſſe eam referunt. Sed cũ hæc vrbs prorſus defecerit, inde egreſſi, Centoripen vicinam aggrediamur.

DE CENTORIPE VRBE.

CENTORIPE vetuſta, & maxima olim (ſed nunc iacens, & raris habitata colonis, Centoruis vulgo appellata) vrbs occurrit: a Siculis condita, vt ex Thucydide lib. 6. vbi eam Siculum oppidum nominat, infertur. De hac lib. 6. Strabo: Supra Catanam (inquit) Centoripe iacet, Ætnæis propinqua montibus, fluminique Symætho agrum Catanæum influenti. Quam & in Verrem. 6. ciuitatem totius Siciliæ multo maximam vocat Cicero. Et actione. 5. Centoripinos præcipuam agri Ennenſis partem poſſidere, ſimulque honeſtiſſimos ac locupletiſſimos eſſe, populumque in Sicilia maximum ſcribit. Eam quoque Romanis imperantibus liberam cùm quatuor aliis ſupra ſæpiſſime repetitis vrbibus fuiſſe, idem Cicero in Verrem eſt author. In Sicilia nanque, quia prima omnium prouincia Romanorum fuit, Meſſana & Tauromenium fœderatæ: liberæ vero & immunes Centoripe, Aleſa, Segeſta, Halicya, & Panormus factæ ſunt. Inter quas Centoripini & Segeſtani Latinitatis iura obtinebant. Ea autem erant, vt alios ſumere magiſtratus aut præſides non tenerẽtur, niſi ciues Romanos. Eius porro ſitus in æquatis collibus conſtabat, magna murorum & latitudine & craſſitudine, necnon ambitu plurimo definitus, cui in fabricam lapides quadrati ſubiere, vt clara eius adhuc oſtendunt veſtigia. Rerũ opulẽtia, ac viris tum opibus, tum literarum ſtudiis ac militia præſtantiſſimis præpollebat. Cuius ager etiam frumenti, vini, olei, ſalis, cuius color (authore Plinio, vt præmeminimus) purpureus eſt, atque omnium rerum humano victui conducibilium feraciſſimus habetur. Vnde Solinus: Licet (inquit) quicquid Sicilia gignit, ſiue ſoli bonitate, ſiue hominis ingenio, proximum ſit iis quæ optima iudicantur, fœtus tamen terræ Centoripino croco vincitur. Apud hanc vrbem refert Polybius, Hieronem Syracuſarum ducem, Mamertinis obuiam factum, veteranorũ militum multitudinem ac conductitium exercitum, qui Syracuſas vrbem ſeditionibus agitabant, ne nouas res amplius molirentur, ad cædem vſque ac miſeram ſtragem deſtituiſſe. Huius etiam vrbis. 5. in Verrem Cicero triremem quandam velociſſimam celebrat. Hanc præterea Verris ſceleribus miſere fœdatam, atque omni fere argento, auro, ebore, emblematis ac gemmis, phaleris quoque Hieronis Siciliæ Regis ſupramodum pulcherrimis, a Philarcho viro Centoripino nobiliſſimo conquiſitis, atque ad illum comportatis, eneruatam, idem inter alias Siciliæ vrbes ab improbiſſimo Prætore ſpoliatas recenſet. Quam deinde a Sexto Põpeio dirutam Octauianus poſtmodum Cæſar reſtituit, vt Strabo memorat. Ex quo tempore cum ſub Romanis & Conſtantinopolitanis poſtea, Sarracenis ac Normannis denique floruiſſet, anno tandem ſalut. 1233. a Frederico ſecundo Cæſare, perduellionis nomine in ſolum abiit. ex cuius inde reliquiis Auguſta vrbs (vt ſuo loco memorauimus) in fabricam ſurrexit. Ingentes tamen eius proſtratæ ruinę, arx, & mœnia diſiecta miratu digniſſima adhuc diſcernuntur: in quibus & numiſmata ſæpenumero ærea & argentea paſſim reperiũtur, hac cũ inſcriptione: CENTORIPYON. Tulit ea olim Apuleium Celſum medicæ artis peritiſſimum: qui (teſte Scribonio Largo in lib. de comp. medicamen. c. 171.) antidotum quotannis componebat contra canes rabioſos, quod Centoripas, (vnde ortus erat) quod in ea canes frequenter rabiem contraherent, mittere ſolebat. Non longe a Centoripe his agris Hybla ſecunda aberat, vt ex Thucydide habemus: qui lib. 6. Athenienſes (inquit) reuerſi Catanam, & illic frumentati, cum omnibus copiis profecti ſunt in Centoripam oppidum Siculum. Quo cum ex conuentione intraſſent, incenſis

incensis segetibus Inessæorum simul & Hyblæorum, discessere, & Catanam sunt reuersi. Huius meminit & Pausanias lib. 4. cum eam sua ætate prorsus iacentem fuisse refert. Meminit & Ptolemęus, qui mediterraneã eã in tabulis ponit. De qua latius in Megaræ descriptione supra diximus. Quo vero loco steterit, & quæ sint eius hodie vestigia, nisi forte Iudica vrbs non procul inde in monte sita, & a Rogerio æui processu funditus deleta, haberi queat, plane incompertum habeo. Ab ea non procul etiam discedebat Inessa vetustum oppidum, vt ex superiorib. Thucydidis verbis inferimus. Quibus astipulatur & Strabo, qui eam Innesam appellat: & Diodorus, qui AEtnosiam cognominat. qui simul omnes in iis agris sitam eam fuisse conueniunt. Quorum equidem authoritas, eorum opinione, qui ad Mascalim eam stetisse arbitrantur, certior haberi debet. Alicyam Cẽtoripæ propinquam etiam fuisse lib. 7. tradit Thucydides: De hac re (inquiens) certior factus Nicias, mittit ad eos Siculos, qua transiturus erat hostis, & ad socios, cum alios tum Centoripinos & Alicyæos, ne illum transire permittant, sed congregati prohibeant non alia via transire conaturum. Nam Agrigentini per suum agrum iter denegabant. Ea tamen vbi vestigia habeat hactenus ignoratur.

DE RAYHALBVTŌ OPPIDO.

SVPRA Centoripen. p. m. 5. Rayhalbutũ Sarracenici nominis est oppidũ. Cuius etymologia ex appellatiuo nomine composita casale siue pagum Butah significat: a Rogerio Siciliæ Comite Episcopatui Messanensi concessum, vt publico ipse rescripto consignatum contestatumque deposuit. Eius autem verba eo hic libenter subieci, vt rei fidem hac etiam historica repetitione promoueam, & sunt hæc: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Notum sit omnibus successoribus meis, & vniuersis, quibus quandoque præsens priuilegium meum ostensum fuerit, quod ego Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ, post multas tribulationes & angustias atque pericula, quæ pro eripienda insula Siciliæ a Tyrannica potestate Sarracenicæ gentis, vna cum Christianis fidelibus meis perpessus fueram, cum essem in ciuitate Messana cum coniuge mea Adelasia, & filiis meis Godfredo & Iordano, & cum multis Baronibus & fidelibus meis, venit ad me Robertus Messanensium Episcopus, obsecrans & petens a me, vt darem illi terras ad operandum circa ciuitatem Troynæ, quarum auxilio tam ipse quam clerici sui seruientes Ecclesiæ sustentari possent. Ego vero, quoniam semper in animo meo proposueram, Ecclesiam Messanæ magnis possessionibus ampliare, multisque donis & oblationibus ditare, eo quod eum post acquisitionem Siciliæ, translata sede Episcopali a Troyna in Messanam, primum Episcopum erexeram, prædicti Episcopi Roberti precibus aures inclinaui. Vnde audita eius petitione, pro salute animæ meæ, & fratris mei nobilissimi Ducis Roberti Guiscardi, a quo omnis honor & gloria mea processit, & pro salute animæ coniugis meæ Adelasię, & filiorum meorum Godfredi & Iordani, & omnium meorum fidelium, dedi, & imperpetuum cõcessi Ecclesiæ. S. Nicolai Episcopatus Messanæ, casale Sarracenorum quod dicitur Butah, cum omni tenimento suo & pertinentiis suis, secundum antiquas diuisiones Sarracenorum: vt sit prædictum casale in potestate & subiectione. S. matris Ecclesiæ Beati Nicolai Episcopatus Messanæ imperpetuum. Sic autem prædicto Episcopatui Messanæ casale ipsum Butah liberum dedi & absolutum, vt non liceat alicui ecclesiasticæ vel seculari personæ futuris temporib. aliquid iuris vel seruitii in eo requirere: sed sit proprium. S. matris Ecclesiæ Beati Nicolai Episcopatus Messanæ. Et si contigerit in posterum casale ipsum a Christianis habitari, & Ecclesias in eo vel in pertinentiis suis construi, Ecclesiæ ipsæ soli Episcopo Messanæ subiaceant, atque ab eodem Episcopo de chrismate & aliis ecclesiasticis ministeriis eisdẽ Ecclesiis prouideatur. Tempus autem quo præsens priuilegium factum fuit, si quis scire voluerit, noscat anno incarnationis dominicæ millesimo octuagesimo, die septimo mensis Iulii, inditione decima scriptum & factum fuisse. Contra quod

quicunq; siue de consanguineis meis, siue alienis venire, & hanc donationem meã infringere tentauerit, excommunicetur a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: & faciẽ omnipotentis Dei nunquam videat, nec in regno eius portionem habeat, sed cũ Iuda proditore Domini æternis incendiis concremetur. Quæ a Rogerio facta donatio, anno postea salutis. 1346. Lodouici Regis diplomate dato Messanæ. 6. calend. Octob. reseruatis omnibus regiis iuribus confirmata est. Oppidum vero ipsum, cum breui sub Christianorum potestate coaluisset, anno demum. 1261. a Centuripinis, qui a Frederico (vt dixi) & Manfredo Regibus præter fidem defciuerant, incendio funditus est absumptum, atque a Manfredo, proximo inde anno restauratum: vt eius diplomate dato Messanæ, 22. Septemb. 6. Ind. anno salutis. 1262. satis liquet. Hodie autem oppidum est honestum, & frumenti mediterraneũ emporium. Hinc porro eorum error, qui Alicyam hoc fuisse & a regali voto denominatum tradiderunt, manifesto conuincitur.

DE ARGYRE PERVETVSTA VRBE.

ARGYRE vetustissima vrbs, in editissimo & acuto monte sita, ad. p. m. 6. Rayhalbutum sequitur. Ciceroni, Diodoro & Ptolemæo. Huic nominis causam scriptores afferunt, quod argenteum (argyrion nãque argentum Græcis sonat) habeat solum, argentique apud eam sit minera: quod ipsum vsu hac etiam ætate didicimus. Siquidem aquarum torrentes, qui sæuiente hyeme ad ima dilabuntur, auri argentique plurima secum deferunt ramenta. Ab argento itaque Argyre denominatur. Sed a quibus fuerit condita me latet. Hæc vrbs prisco tempore Herculi adhuc viuo sacra obtulit, templumque ei, atque Iolao nepoti magnificum extruxit: vbi quotannis diẽ festũ tota Sicilia celeberrimum Agyrenæi agebant. Fuit autẽ Iolaus Herculi ex Iphicle germano fratre nepos, (vt Solinus) eidemque laborum socius & particeps, vt Pausanias scribit: qui patrui virtutes æmulatus, malis plurimis Sardiniam liberauit, & palantes incolarum animos ad cõcordiam blanditiis pellexit. Olbiam, & alia Græca oppida condidit. vnde Sardi sepulchro eius templum addiderunt, eiusque in se nomen recipientes Iolenses transnominati sunt. De quo Pausanias, Iolaus (inquit) Thebanus, Herculis nepos, Atheniẽsibus & Thespiensibus in Sardiniam dux fuit. Suidas quoque, Iolaus (inquit) heros fuit & Herculis nepos, qui apud Atheniẽses & Siculos Agyrenæos diuinis honoribus cultus est. De his vero sacris statis lib. 5. Diodorus hæc habet: Agyrenæi veluti Olympios Deos festis diebus sacrisq; Herculem colunt. Et licet antea id Hercules prohibuisset, tunc tamẽ primum, suadente dæmonio, tanquam immortalitatis præsagium fieri passus est. Cum non procul ab vrbe iter saxosum esset, boues saxis tanquam ceræ vestigia impressere. Quod simile & ipsi Herculi cum accidisset, existimans decimo iam consummato labore aliquid sibi immortalitatis deberi, impensa sibi annua ab incolis sacra libens accepit. Vt igitur gratiam bene de se meritis referret, lacum ante vrbẽ effodit, quatuor ambitu stadiorum: quem a suo nomine vocari iussit. Idem & loco vbi boum vestigia impressa sunt, nomen indidit. Templo Geryoni constructo, quod adhuc honorant incolæ, Iolao quoque nepoti templum ædificauit, ostenditque quomodo honores ei, ac annua sacra fierent, vsque ad hoc tempus seruata. Omnes enim eam incolentes vrbem, ab ipso Iolao sacras nutriunt comas, quoad amplissimis victimis eum sibi Deum propitium reddant. Tanta vero eius templi maiestas habetur, reuerentiaque, vt qui assuetis deficiant sacris pueri, muti euadant, & mortuis similes. iidem, si vouerint solita sacrificia, suscepto voto statim fiunt a morbo liberi. Eius regionis incolæ portam qua hæc celebritas sacraque prodibant, Heracleam vocitarunt. Palæstras insuper, equorumque certamina quotannis, ad quæ publice oẽs serui liberique conueniunt, instituere. Docuere & seruos priuatim Deum colentes, choreas ducere, epulasque simul ac sacra celebrare Deo. huc vsque Diodorus. Cuius verbis quod fabulosius intextum est, id in historiis verius explicabimus.

Hanc

Hanc vrbem, cum per tyrannidem Apolloniades longo post tempore occupasset, Timoleon Corinthius tyrannide subacta libertati restituit. Cumque longis bellorum motibus depopulata, ac pene deserta esset, ne tantæ ciuitati, cuius ager latissimus, magna loci amœnitas, & soli fœcunditas erat immensa, quicquã inuidere videretur: collecta decẽ e Græcia milium colonia, populo idẽ restaurauit: vt li. 16. tradit Diodorus. Quo effectum est, vt breui magna rerum incrementa susceperit, eoque ibi tempore theatrum, Syracusano excepto, omnium quæ in Sicilia tum erant, pulcherrimum sit erectum, vt idem Diodorus scriptum reliquit: & honestam eã vrbẽ, eiusq; populũ fidelẽ, fortissimũ, locupletẽ, ac illustrẽ postea in Verrẽ. 5. appellauerit Cicero. Vetustæ vrbis adhuc ea oppidi regione, quæ Lombardia hodie dicitur, ex quadratis, eisque ingentibus lapidibus monumenta cernuntur: vbi numismata quoque in æs, argentum atque aurum affabre excusa interdum reperiuntur. Extat hæc vrbs magno ambitu, & antiquum nomen retinet: celebraturq; non mediocriter Diodori cognomento Siculi historici clarissimo ortu, quam & ipse in historiæ suæ præfatione patriam agnoscit. Floruit is sub Augusto Cæsare, & paulo etiam ante, prout Suidas asserit, & ipse de se lib. 6. testatur: Iulius Cæsar (inquiens) diebus nostris Rhenum pontibus miro modo iunxit. Latinæ æque ac Græcæ linguæ peritia præstitit: Græcæ, quippe quæ Siculis ea ætate genuina erat: Latinæ, quam a Romanis, qui Agyram concurrebant, sua solicitudine addidicit. Perlectis postea veteribus (vt ipse refert) annalibus, breui rerum omnium Romanarum exactissimam cognitionem assequutus est. At parũ ea contentus, mira quadam ingenii animique magnitudine ad omnium quoque aliarum gentium historias cognoscendas aspirauit: eo consilio, vt nactus postea ocium eas in vnum opus ea industria digereret, vt vnius quodammodo ciuitatis cuiusdam res esse gestæ viderentur. Quas vt maiori aliquando fide tractaret, maiorẽ Asiæ, Europæ, atque Africæ partẽ multis difficultatibus atque periculis peragrauit. Nauigauit in Ægyptum cẽtesima octuagesima Olympiade, regnãte ibi Ptolem. quem nouũ Dionysum appellabant. Erant nãq; ea tempestate in Ægypto complures viri ingenio excellenti: qui, obid quod sapientiæ studio publica impensa vacabant, atq; ab hominum frequentia seiuncti rerum tantummodo naturalium & diuinarum indagationi incumbebant, Sacerdotes nuncupabantur. Horum sapientia pellecti plerique ex Græcia insigni ingenio præditi viri, in Ægyptum ad corradendam sibi rerum abditarum scientiam concurrebant. Ex his vetustiores fuerunt: Orpheus, Musæus, Homerus, postea Pythagoras, Solon, Dædalus, Melampus, Lycurgus, Eudoxus, Plato, Democritus, Mopides, & omnium postremus Diodorus Siculus hic noster. Ab his itaque Ægyptiis sacerdotibus multa de prima rerum origine, & primis temporibus consecutus est. Constituto deinde eo sibi scribendi genere, quod præ cæteris probatũ iri iudicauit, otiosis narrationibus, & superuacuis descriptionibus, ac fictis meditatisque orationibus prorsus posthabitis, solam rei gestæ veritatem attendens, multo labore ac longo tempore (triginta enim in scribendo annos consumpsit) omnium ferme gentium ac populorum historiam quadraginta voluminibus absoluit, quam bibliothecam nuncupauit, quaque nimirum ab humani generis exordio ad suam vsque ætatem facta omnia ordine continentur. Primi nãque sex libri, antiquorum gesta, quæ fabulosa appellat, ante bellum Troianum, cõplectuntur: & eorum quidem prioribus tribus barbarorum, reliquis vero antiquæ Græcorum res enarrantur. In quatuordecim deinde sequentibus conferuntur ea quæ a bello Troiano non solum vsque ad Philippi & Alexandri, ac successorum Macedoniæ Regum, gesta sunt, sed &. 19. & 20. libris Agathoclis Siciliæ tyranni, ac Carthaginensium mutua bella latissime enucleantur. Reliquis autem viginti continentur quæ deinceps obtigerunt, vsque ad bellum Gallicum, quod Romani duce Iulio Cęsare gesserunt. Huius vastæ historiæ sex libri primi, vndecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quartus, decimus sextus, decimus septimus, decimus octauus, decimus nonus, & vigesimus ad manus meas duntaxat peruenerunt: cęteri adhuc desiderantur. Diodorus itaque absoluto tam immenso historiæ opere, annum ætatis agens septuagesimum secundum, Syracusis, siue (vt alii tradunt)

Romæ Olympiadis centesimæ septuagesimæ quintæ anno tertio moritur. Est Agyræ ætate mea & pluribus retro seculis Diui Philippi templum, miraculorum frequentia celeberrimum, & confluxu hominum adeo notum, vt vel ipsi vrbi ex eo Diui Philippi nomen vulgo inoleuerit. Is genere Constantinopolitanus, Christi fidem professus, ob doctrinæ morumque integritatem a Diuo Petro Apostolorũ principe (cui erat discipulus) ad Christi euangelium Siculis concionandum missus, magna Siciliæ parte Christi sacris initiata, apud Agyrenæos tandem obiit: a quibus ei ad quartum Idus Maii, quo decesserat, festus dies anniuersarius institutus est. Hoc recurrente, plura, sed in arreptitios præcipue eius numine, fiunt miracula: quæ quod nõ miratu tantum digna, sed fide etiam maiora ab ethnicis existimantur, paulo altius enodanda esse hoc loco duxi. Dæmones, CHRISTI cultus abhorret (etsi diuersum Peripatetici Platonicique tueri studeant) eosque incorporeos esse, & non natura facinorosos, sed a condito prope æuo, cœlo dilapsos, non alia de causa quam quod in principis sui antesignani, a diuinæ mentis placito arroganter deficientis, noxam temeraria æmulatione consenserint, palam prædicat. Ab his igitur quorundam hominum corpora obsideri idem cultus asserit: quæ arreptitia a Theologis appellantur. In quibus illud maxime est admirandum, quod mulieres, rusticosque ac idiotas aliquando Latine, plerunque Græce, & nonnunquam de naturæ rebus, ac supercælestibus etiam, tam docte quam elegãter loqui, animorumque suos cuique conceptus (quos secreta cordis vocant) quod lõge est mirabilius, enarrare, non semel a me expertum visumque est: quos tamen non nisi ex prodentibus se prius quibusdam in corpore notis, quas nostrates coniecturas appellant, dæmones deprehendere, eorumque illi suggestu pronuntiare possunt. Eorum igitur multitudo, quæ in Sicilia est maxima, ad. D. Philippi templũ aramq; quotannis incolumitatis impetrandæ gratia deferuntur: vnde aut nunquam, aut quam rarissime, nisi præsentissimo numinis remedio liberati discedunt. Quo fit vt omnis prope Sicilia eo, tum spectandi, tum conciliãdi sibi numinis studio, velut ad theatrum cateruatim eodem solenni tempore concurrat. Sed non possum hoc loco non admirari quorundam imprudentiam, qui non in dæmones, sed in morbũ quem melancholiam nominant, siue in naturalem atræ bilis occupationem hãc arreptitiam referunt. Quos vt refellam, collationem id me quam rectissime consecuturum putaui. Atrum igitur humorem, tum natura, insitoue temperamento, tum etiam quotidiani victus ratione, Hippocrates & Galenus humanis corporib. ingenerari tradiderunt. Vtroque autem modo genitus, vel a frigidiori siccaq; naturali temperatura, terrestrique ac frigido & sicco victu, quem proprie humorem melancholicum, atrabiliarium ue, ac succum siue sanguinem melancholicum appellarunt: vel ab impense calido igneoque naturali temperamento, pariterque ad exustionem prompto victu exoritur: quem atram bilem, & nigram cholerã vocant. Proinde vtrinque, si mentis sedes offendatur, melancholiam: sin vero corporis meatus obstruantur, comitialem morbũ gigni censuerunt. Igitur si frigescat, attonitos, obtorpentes, anxios, mœroris plenos, taciturnos, formidolosos, & quãdoque absque febre deliros, plura imaginantes, ac solitarios: si incalescat, percitos, ingeniosos, & ad omnem excandescentiam & cupiditatẽ propensiores, & loquaciores facit. Si morbosa dispositio mentem afficit, non deliros modo, maniacos ac furentes, sed & diuino quasi numine afflatos, vates, atque futura prædicentes quãdoque gignit. Ex quo Sibyllæ efficiuntur & Bacchides. Hinc fœminas aliquot rudes, & omnium scientiarum expertes, dum ab eo atræ bilis genere corripiuntur, sensibus corporis tunc quiescentibus, de Philosophia, & scientiarum quarumliber arcanis, tum Latino sermone differere, tum præsagire sunt arbitrati. Affirmantq; id Maraci Syracusani exemplo, quod Aristoteles producit, qui quoties a mente alienabatur, poetam insigniter præstabat. Illiteratæ etiam cuiusdã mulieris, cuius Petrus Aponus Aristotelis commentator meminit, facto, quæ dum atra bili agitabatur, Latine, cessante vero ea, non nisi vernacule callebat, identidem astruunt. Atque his demum rationibus inferunt, ex effectuum similitudine, hanc quoque arreptitiam, ægritudini potius quam dæmonum instinctibus inniti debere. Hæc

sunt

sunt illa quæ Philosophi & medici de atra bili & eius vi iniqua comparatione tradiderunt. At longe vehementiores inhumanioresque sunt hi effectus, gestus, habituſque, quos in arreptis non morbus aut natura, (omnem siquidem eorum vim excedunt) sed dæmonũ insultus producunt. Quos, vt ipse vidi, cogor hic ex professionis instituto adiicere. Enimuero anno salut. 1541. solenni Diui Philippi festo, dum Agyræ, vna cum aliis, religionis instinctu interessem, ducentas pene ibi arreptitias fœminas offendi. Mirum erat ac horrendum spectaculum, videre eas nõ ex sese, sed ex dæmonis, qui in earum corpora imperium occupauerat, ludibriis agitatas, voces in sublime efferre, omni amictu ac verecundia abiectis rotare crines, stridere dentibus, os oculosque distorquere, spumã emittere, brachia ac totũ pene corpus in altum magna vi sustollere, volubilem linguam turgere, guttur & illius venas intumescere, & denique furorem inauditum totis membris concipere: Græce quasdam, pleraſque Latine, Sarracenice alias loqui, ita perfecte, vt nihil purius ab expertissimo quoque in suo genere proferri possit. Cordium postremo conceptus, & quæ clam quisque, & sibi vni cognita perpetrauerat, facinora (quod mirabilius fuit) mulierem quandam Leontinam (de qua etiam paulo post) ignominiose cuique exprobrare. Et hæc quidem priuata. At publica, & quæ procedẽte simulacri diuini pompa contigerunt, illis longe fuere maiora. Nocte enim illa quæ facta præcessit, arreptitiæ hæ ad præcipuum templi altare cum custodib. suis absque vllo morbi signo, quasi prorsus incolumes quiescebant, Diui Philippi simulacrum ex adytis, quæ iuxta sunt, exportandum præstolantes: vbi & frequentissimus populi conuentus, & nos quoque mira cum expectatione aderamus. Mane vero, aperta adyti ianua, Diuique signo ostenso, vt illud arreptæ conspexerunt, mox acsi hostis capitalis adesset, illius aspectum formidantes, voce sublata vestimenta scindere, crines vellere, vinculisque, quibus strictissime impediebãtur, diffractis, quædam etiam e custodum manibus elabi cœpere: quarum dein inusitati clamores, omnique gemitu maiores, veluti tugitus immanes, ita toto templo vicinisque agris personuere, vt e propinquo bellum ingens ac sæuum, cruentissimũque prælium committi videretur. Ibique tum Ragusana quædam mulier, cunctis spectantibus, mox curata est, signo perspectissimo relicto. Pendebat nanque a fune supra altare sinistrum candelabrum æneum, lampadibus ac lychnis plurib. pellucidum, a terra octo circiter cubitos eleuatũ: quod ipso illo quo liberabatur momento, nullo, qui quidem videretur, mouente, lampadibus omnibus dissipatis (mirum visu) crebris motibus, molaris rotæ instar, quam velocissime totum inuersum est. Accedant huc velim nunc qui Philosophi censentur, & in atram bilem hos effectus referãt. Ecce mobile: ecce motum euidentissimum: vbi quæso iam est motor: Num atra bilis tanti erat vigoris, vt non modo corpus quod afficit, sed & distãs, & inanimatum mouere possit? Semota sunt a Philosophiæ placitis, quinimo & ridicula sunt hæc omnia. Quocirca & a separata natura (cuiusmodi dæmonem esse, & apud catholicos, & apud Philosophos constantissimum est) quæ a puella recesserat, candelabrum fuisse motum proculdubio censendum est. Sed ad pompam ipsam venio. Viri igitur qui vel sacerdotio, vel dignitate præstabant, celeberrimam longo ordine pompam deducentes, Diui Philippi imaginem subnigram quidem illam, ac visu horribilem præcedebant: quam subinde conditionis cuiusuis viri & mulieres innumeræ fere cum cereis thure etiam ardentibus permixtim sequebãtur. Cumque ad templi medium, vbi ara erat, peruentum esset: Leontina mulier quædam, quæ a quodam sacerdote sinu portabatur, plures iam annos dæmonio detenta, edita voce ad cæteras versa signo manu facto: Forti (exclamauit) animo estote, nullus abscedat, dies hic iã occidet. Hæc cum ego audissem, obstupui, quod eũ, quo illa obsidebatur, esse inter dæmones principem, ex verbis, vultu præterea, audacia ac imperio, quibus cæteris præstare videbatur, non absurde cognoscerẽ: quod & patritiis Catanensibus, qui prope me erant, vt aduerterent, indicaui, & re ipsa postmodum declaratum est. Nam cum paulatim eodem ordine procedendo feretrum iam ad valuas templi primarias peruasisset, eadem illa mulier ex editiori loco in gradu templi vltimo conspiciens omnem arreptitiorum turbam sibi subiectam,

iectam, subſtitit, appellatiſque omnibus, ac manu demonſtratis, rurſum vernacule, Abſit (inquit) metus, procul hinc terror abeat. Iam adueſperaſcit, iam ad occaſum vergit hic dies nobis infenſus, atque hoſtis acerrimus. abiicite timorem: nullus veſtrum recedat: abſiſtant curæ, ſufferte parumper: iam occaſus inſtat. Cui ex illis vna: Vim patior, reſpondit: compellor hinc exire. At princeps contra: Vbi vires? reſumas animum. Iam diei adeſt interitus. At illa iterum: Exire cogor. O cruces, o tormenta, quæ patior. Quibus vix expreſſis, præmiſſo fremitu a numine Diui Philippi exactus ab ea receſſit dæmon: & mulier modo ferociſſima, inauditam continuo manſuetudinem induit. Sed & dæmon ab ipſa mox in ſeruum quendam hæc curioſius inſpicientem, videntibus nobis ac mirantibus tranſmigrauit. Qui vlulare, ingemiſcere, dentibus frendere, ac ſanguineis oculis occupatus furere ceueſtigio cœpit: quod dominus eius, qui Alicatenſis erat, vt vidit, iræ impetu in cõtumelias prorupit, ac Sanctum Diabolum (quæ familiaris hodie Siculis blaſphemia eſt) inclamauit: quod ſeruum aureorum centum pretii ita repente atque exinopinato amiſiſſet. Hoc ſignum, veritatis, quam prædicamus, index fuit ad perſuaſionem euidentiſſimus. Niſi enim ille mentis eodem momento compos, ita repente in furorem dæmoniacum abiiſſet, ægre multitudini, quæ ibi aderat, perſuaſum foret, a muliere exiſſe dæmonem. Verum paulo poſt & ille ad aram perducti, nullo labore priſtinam mentem liberamque recepit. Accedant huc rurſus velim, qui dæmones negant, & doceant an bilis atra de corpore in corpus tranſire poſſit. Perridicula nempe ſunt hæc, & a ratione, cui Philoſophia innititur, alieniſſima. Porro tempus me deficiet, & inſtituti ratio, ſi ſingula quæ eo die apertiſſima Diui Philippi eluxere miracula, velim recenſere. Aderant enim ibidem ſexaginta (inter cæteras) puellæ Ciramenſes, quæ vna noctis hora, dum ſimul in eodem vico luderent, a dæmonibus fuerant occupatæ: quæ omnes, & quotquot aliæ ad hæc ſacra conuenerant, ſpectantibus nobis, mirabiliter liberatæ & incolumitati reſtitutæ ſunt. Sola tamen Leontina illa tanti beneficii fuit expers: quæ eo nomine, re ſacra peracta, quaſi de victoria triumphans ſeſe omnibus inſolenter oſtentabat. At cum paulo poſt ad ſacrarium eſſet perducta, ob mira eius tum dicta, tum facta, a pleriſque proceribus circundata, mirum quiddam atque inauditum perpetrauit. Erant nanque ibi nobiſcum plerique ſacerdotes, qui dæmonem ab ea conceptis obſecrationibus expellere conabantur. Sed cum fruſtra id ſæpe tentatum eſſet, vir quidam patritius Catanenſis, leuconii maſſam, quæ Diuę Agathæ Catanenſium tutelaris reliquias tetigerat, chartula inuolutam clam ſacerdoti eam cuſtodienti obtulit: quam is ſtatim inter eius vbera ſine vllo alterius verbi additamento iniecit, ratus illius numine aliquid effectum iri. At illa quater & pluries ante ſubodorato leuconio, in hæc ad extremum ſublimi voce nos irridens verba prorupit: Nõ potis fuit (inquit) ſeruus ille niger (Diuum Philippum intelligens) hinc me expellere, & mulier hæc Catanenſis (Diuam Agatham innuens) deturbabit? Minime hercle. His igitur & nonnullis id genus aliis modis, dæmonis impetu, & nõ atra bili agitari ſe mulier Leontina liquido nobis declarauit. Sed & prædictis illud addendũ duxi admiratione fortaſſe ac ſtupore non indignius: Ioãnes Paulus, cognomine a monte, Panormitanus tabellio, vxorem habebat pluribus annis arreptã, quam cum eo anno ad Diui Philippi hæc ſtata adduceret, a dæmone crebrius in itinere his verbis eſt admonitus: Ne me Agyram adducas: mortuam nanque tibi vxorem in itinere ſiſtam. Rem loquor, vt inauditam, ita veriſſimam. Cum vix mille paſſus ab Agyra abeſſet, egreſſus ab ea dæmon miris cum vlulatibus corpus mulieris exanime ac fœtidum reliquit: quod cum præ fœtore ferri longius non poſſet, paulo poſt ſepulturæ traditum eſt. Accedant huc poſtremo qui effectus omnes in naturam referunt, & hos quoque euentus cum atra bili conferant, ſi poſſunt. Enimuero inſcite eos ac temere & ſentire, & loqui, & ſcribere, cuiuis perſuaſiſſimum eſt. Proinde tempus eſt vt ad inſtitutum regrediamur.

DE ASSORO OPPIDO.

Asso-

ASSORVM oppidum antiquum, cuius in Verrem Cicero, & in tabulis Ptolemæus meminerũt, in edito monte situm ad.p.m. sex in occidentem sequitur. Hodie extat, & nomen seruat, titulo Comitatus etiamnum nobile: cuius tamen conditores qui fuerint, adhuc incompertum relinquimus. Amnis, qui per Assorinorum agros fluit, Chrysas olim (quod aurum Græcis sonat) vt testatur in Verrẽ Cicero, sed ætate mea Assori fluuius appellatur. Is prisco tempore apud illos pro Deo habitus in præcipua religione erat: cui & fanum prope ipsam viam, qua inde Ennam iter est, ornatissimum stetit: in quo simulacrum eius e marmore inter alia pleraque signa præclarissime exculptum colebatur. Id processu qui Verres, qui cęteras Sicilienſium passim signa compilauerat, cum propter singularem fani religionem auferre non auderet, Theopolemo & Hieroni furandum commisit. qui intẽpesta nocte manu armata templum aggressi, foribus effractis, a custodibus cogniti, ab excitis buccinæ signo vicinis familiari eiecti fugatique sunt, nec quicquã ex templo, nisi perexiguum ex ære signum vnum abstulerunt. Templi huius, ad radicem montis Assori, ex quadratis lapidibus tres ingentes arcus, ac nouem eius portæ hodie duntaxat in vetustatis monumentum superstant. Oppidi quoque antiqui mœnia cum porta adhuc integra ex miris saxis fabricata cernuntur. In agro eius numismata passim ærea ex vna nudum Chrysam, ex altera parte caput hominis cum Græcis litteris ASSORON exprimentia, reperiuntur. Est in eo Alabastri etiam hodie lapicidina. Distat ab Assoro ad occidentem. p.m. 4. Tauis mõs excelsus, ad cuius radices eiusdem nominis est arx: vbi olim Sarracenorum erat oppidulum, cuius vestigia passim ob oculos iacẽt. Vnde eiusdem etiam appellationis fons ingens emanat, Chrysæ & Teriæ fluminum caput. Is Sarracenis Siciliæ potentibus sanguineos latices (vt in Siculorum annalibus legimus) iugiter emisit. Calatasibetha, Sarracenici nominis mons & oppidũ, ad.p.m. 12. postea succedit: vnde arce erecta, quæ hodie ædis est Diuo Petro dicata, Rogerius Siciliæ Comes, Ennam vrbem ad expugnationem vsque obsedit, prout in gestis eius est legere.

DE ENNA VRBE, AYDONE, Herbita, Calatagirone, Ochula & Megellino.

ENNA vrbs peruetusta, distat a Calatasibetha, valle interiacente, vix. p. m. 2. in monte præcelso ac vndique prærupto, qui vmbilicus Siciliæ dicitur. Enna (inquit Cicero in Verrem. 6.) loco præcelso atque edito est sita: qui locus, quod in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ nominatur. Quo in summo est æquata agri planities, & aquæ perennes. Tota vero omni ambitu circuncisa atque directa est: quam circa, lacus lucique sunt plurimi, & lectissimi flores, omni tempore anni. Enna (.3. decad. lib.4. ait Liuius) in excelso loco & prærupto vndique sita inexpugnabilis est. Nam mons ipse vndique ita circuncisus & direptus est, vt adiri vno aut altero ex loco singulis ab hominibus possit: aliunde vero, aut a pluribus non possit. Itaque si parua manu defendatur, omnes omnium imperatorum & ducum exercitus, tormenta, artes, & impetus ac quam maxime diuturnas obsidiones facile frustretur atq; illudat. Vbi & in quacunque parte effodiatur, aqua, non secus quam in Ætna ignis, scaturit: vnde perennis ei aquæ fluxus cum a Cicerone, tum a vetustioribus omnibus attributus est. Condita fuit in eo hæc vrbs a Syracusanis, duce Enno, a quo & nomẽ fortita, vt plerique tradunt. Enna (inquit Stephanus Byzantius) vrbs Siciliæ, Syracusanorũ duce Enno ædificium est. Quãquam res ipsa, natura loci, & culturæ frequentia, nominis etymologiam e Græco producere videantur. Ennæ in nanque Græcis inhabitare, siue intus habitare significat. Hodie vero corrupta per vulgus voce ad veterem accedente Castrumianni dicitur. Cereris ortu & Proserpinæ raptu, apud scriptores & poetas præsertim celebris est. De qua Strabo: Enna (inquit) modicis quidem possessa inquilinis, super collem iacens, in qua sacra Cereris ædis. Ea montanas amplectitur planities, totas arabiles. &c. Et P. Mela, Enna (inquit) famam habet ob Cereris templum, vbi & raptus Proserpinæ celebratus fuit.

Et

Et Ouid. de Fastis, Grata domus Cereri, multas ea possidet vrbes, In quibus est cul-
to fertilis Enna solo. In eius nanque vertice campus est occidentem versus, quem
oppidani Montem appellant: de quo Solinus: Campus (inquit) Ennensis in flori-
bus semper, & omni vernus die: iuxta quem demersum est foramen, quo Ditē pa-
trem ad raptum Liberæ exeuntem fama est lucem hausisse. Quo prior Aristoteles
lib. de mirab. audit. inter naturæ eum miracula connumerat: quippe in quo tanta
copia, tātoq; odore flores prouenire scribit, vt neq; canes ibi sagire, neq; alias quāp
vim inde abigi possint. Sed fusius cæteris omnibus, de eius situ, fertilitate, Cereris
templo, atque religione. 6. in Verrem Cicero: Vetus (inquit) est hæc opinio, quæ
constat ex antiquissimis Græcorum literis atque monumentis, insulam Siciliam to-
tam esse Cereri ac Liberæ consecratam. Hoc cum cæterę gentes sic arbitrantur,
tum ipsis Siculis tam est persuasum, vt animis eorum insitum atque innatum esse
videatur. Nam & natas esse has in his locis Deas, & fruges in ea terra primum re-
pertas arbitrantur, & raptam esse Liberam (quam eandem Proserpinam vocant)
ex Ennensium nemore: qui locus, quod in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ
nominatur. Quam cum inuestigare & cōquirere Ceres vellet, dicitur inflammas-
se tædas ex his ignibus qui ex Ætnæ vertice erumpunt: quas sibi cum ipsa præfer-
ret, orbem omnium peragrasse terrarum. Enna autem, vbi ea quæ dico, gesta esse
memorātur, est loco præcelso atque edito: quo in summo est æquata agri planities,
& aquæ perennes. Tota vero omni aditu circuncisa atque direpta est. quā circa,
lacus lucique sunt plurimi, & lectissimi flores omni tēpore anni: locus vt ipse raptū
illum virginis, quē iam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim prope est
spelunca quædam conuersa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrē
ferunt repente cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco virginem secū asporta-
tasse, & subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco re-
pente extitisse: vbi vsque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniuersarios agūt
celeberrimo virorum mulierumque conuentu. propter huius opinionis vetusta-
tem, quod eorum in his locis vestigia, ac prope incunabula reperiuntur Deorum,
mira quædam tota Sicilia priuatim ac publice religio est Cereris Ennensis. Nec so-
lum Siculi, verum etiam cæteræ gentes nationesque Ennensem Cererem maxime
colunt. Etenim si Athenienſium sacra summa cupiditate expetuntur, ad quos Ce-
res in illo errore venisse dicitur, frugesque attulisse, quantam esse religionem con-
uenit eorum, apud quos eam natam esse, & fruges inuenisse constat? Itaque apud
patres nostros atroci ac difficili Reip. tempore cum Tiberio Graccho occiso,
magnorū periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mutio & L. Calphur-
nio Coss. aditum est ad libros Sibyllinos: in quibus inuentum est, Cererem anti-
quissimam placari oportere. Tum ex amplissimo collegio decemuirali sacerdo-
tes populi Romani, cum esset in vrbe nostra Cereris pulcherrimum & magnifice-
tissimum templum, tamen vsque Ennam profecti sunt. Tanta enim erat authori-
tas & vetustas illius religionis, vt cum illuc irent, nō ad ædem Cereris, sed ad ipsam
Cererem proficisci viderentur. Huc vsque Cicero. Cuius authoritate illorum er-
ror conuincitur, qui non in Enna, sed Ætna, & fruges inuentas, & raptā fuisse Pro-
serpinam, & Cereris templum fuisse falso asseruerunt. Porro templū id magni-
ficentissimum a Gelone Syracusanorum Tyranno extructum fuisse lib. 11. Diodo-
rus est author. Erat in eo Cereris simulacrum ex marmore præclarum, atque per-
amplum. Erat & alterum eiusdem signum ex ære, singulari arte fusum, ac omniū
quæ in eo fano erant, antiquissimum. In ædis vestibulo duo quoque alia signa erāt:
vnum Cereris, cuius manu dextra pulcherrima victoriæ imago tenebatur, alterū
Triptolemi: ornatissima & ampliſſima. Nec mirum tot in vnius templo Cereris
signa fuisse, cum tanta eius ibi esset religio, tamque assiduus in communi cultus, vt
Enna nō vrbs, sed tota Cereris fanum videretur. In qua Ennenses, & Siculi omnes,
atque exteræ nationes, & Romani demum ipsi Cererem habitare arbitrabantur:
ciuesque ipsi omnes, nō ciues, sed Cereris sacerdotes, & templi antistites esse cre-
debantur. Quin etiam exteri ac barbari tantam huic templo dignitatem ac reue-
rentiam tribuerūt, vt, cum. P. Pupilio & P. Rupilio Coss. vrbem ipsam fugitiui serui

atque

atque hostes barbari tenuissent, ciuiumque fortunas hostiliter tractassent: Cereris tamen templum auro gemmisque ornatissimum ditissimumque non solum attingere, verumetiam metu numinis nec aggredi sint ausi. Eius porro minima atq; indigna hodie spectantur vestigia. Nam cum præcipiti in loco staret, temporis processu cum montis visceribus in præceps quoque collapsum est. Erat & ante Cereris templum in aperto ac propatulo loco ædes Proserpinæ præclarissima atque pulcherrima. Bellonæ quoque fanum maximo apparatu in hac vrbe Gelo cõstrui iussit: cuius opus immatura conditoris morte interruptũ permansit, vt Diodorus tradit. Specus vero vnde Plutonem raptorem exisse fabulatur antiquitas, (qui ad Aquilonem non authoritatis modo Ciceronianæ testimonio, sed etiã nunc obuersus est) oppletus hodie totus conspicitur. Perguſa quoque lacus olim nemoribus circunseptus, cuius supra meminimus, quinque.p.m.ab vrbe ad meridiem refugit, piscibus prorsus carens, & lino molliendo accommodus, ac vinetis hodie circumquaque ambitus, & in circuitu.4. p. m. complectens. De quo lib.4. Claudianus hæc habet:

Nec procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis, admittit in altum
Cernentes oculos, & late peruius humor
Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus,
Imaque perspicui prodit secreta profundi.

Hæc de Proserpinæ raptu tametsi fabulosa, ex historia tamen promanarunt: cuius apud Eusebium id solum supereſt: quod Proserpina Cereris filia, ab Orco Molossorum (quæ regio ad Epirum est) rege rapta, eidem in matrimonium cesserit. Reliqua omnia Poetarum commenta sunt, vti latius in historiis declarabimus. Fuit autem Ceres quæ prima suo tempore frumenti inuentrix, eadem quoq; molere, & panem conficere in Sicilia, Italia, & Attica docendo, diuinum sibi nomen continuo apud gentes conciliauit: quæ & ipsa prima leges condidit, vt Herodot.li.6.& Plin.lib.7.scribunt. De qua Ouid.Metamorph.lib.5.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro,
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

Quæ fere eadem de illa lib.Georgicorum primo habet Vergilius. Numismata passim & in hac vrbe, & tota passim Sicilia, in æs, argentum, & aurum affabre facta reperiuntur: in quibus ex vna parte Ceres ipsa, ex altera vero tritici spica expressa conspicitur. In hac vrbe Agathoclis Syracusanorum Regis prima armorum experimenta, & victricia signa apparuisse lib.19. Diodorus, & Iustinus tradidere. Bellum quoque seruile infensissimum fuisse notissimum est. Insignis reddita est hæc ipsa vrbs ortu Philonidis medici præstantissimi: cuius in cap. de veratro albo Dioscorides meminit. Nobilitata etiam fuit diutina Frederici.2. Siciliæ Regis sede, cuius arx adhuc extat. Incrementa vero hæc vrbs non minima suscepit ætate Martini Siciliæ Regis, ex Vberti Squaloris Asari & Fũdirô Comitis, Gattæque & Rusumanni Baronis defectione: cuius ædes eõ loci fuerunt quem hodie Franciscani cœnobitæ incolunt. eo nanque cæso, prostratisque eius oppidis, eorũ incolæ in Ennam vrbem Regis iussu sedes suas contulerunt, vrbisque regiones ab oppidis nominarunt, quorum nomina adhuc retinent. Ætate vero mea ingẽs est, &.4.fere.m.latium incolatu frequens vrbs. In agro ad Aquilonem.10.p.m.ab ea obuerso, colles sunt natiui salis, qui ab Enna nomen habent: in quibus lapicidinarum in modum sal renascens cæditur, & per magnam Siciliæ partem venum diffunditur.

Post Ennam meridiem versus ad.p.m.5. monasterium est Diui Benedicti a Fundirô nominatum: a quo non longe Petra tagliata arx abest. Et inde ad.3.p.m. Aydonum occurrit, Lombardorum oppidum, Normannorum tempore, superatis Sarracenis, a Lombardis qui cum Rogerio Comite in Siciliam traiecerũt, in edito monte, cui tota Catanensis planities subest, conditum: quibus adhuc pa-

trii sermonis est vsus. Huic ad orientem. p. m. 2. vrbs quædam iacens subest, in colle fundata, quam Citatellam accolæ appellant. vbi præter templa diruta, ædiū ac murorum ingentes ruinas, theatrum adhuc quadratum, eiusque gradus semiruti, curruum quoque viæ, qui ex Aydone huc olim decurrebant, magna cum iucunditate spectantur. Dorsus quoque in ea, quem accolæ Sellam Orlandi agnominant, lateres præterea magnæ crassitudinis, coloriſque rubei, necnon mirifica domorum fundamenta huc vsq; supersunt. Quæ omnia non indignam ibi prisco tempore vrbē fuisse satis præ se ferunt. Quæ an Herbita vetusta fuerit vrbs (quā. 6. in Verrem Cicero non longe ab Enna in iis agris constituere videtur: Audistis, inquiēs, Centuripinos, Agyrinenses, Catanenses, Herbitenses & Ennenses. &c. Quā & libro decimonono Diodorus Leontino vicinam, & in tabulis Ptolemæus inter Centoripen & Leontinum collocarunt) incertum mihi est. Rosmanus quoque locus est. 6. passuum milibus ab Enna dissitus: vbi dirutę vrbis arcisque etiam ignorata adhuc sunt monumenta. A Citatella. p. m. 6. ad meridiem abest Platia, populi frequentia, scatentibus circunquaque fontibus, ac omni amœnitate, nucibus quoque auellanis nobilissimum oppidum, a Gulielmo primo huius nominis Siciliæ Rege, ex alterius eiusdem nominis oppidi (quod. 3. inde ad occidentem. p. m. a Longobardis in Normannorum comitatu olim in Siciliam appulsis conditum, atque ab illo in perduellionis supplicium funditus deletum, distat, cuiusque arx diruta, domusque ibi iacentes adhuc visuntur, & Platia vetus appellantur) asportatis huc reliquiis extructum. Naunis a Platia veteri ad. p. m. 2. sequitur, collis sibi soli constans. ad cuius verticē oppidi prostrati quidē, sed adhuc ignoti magnū cadauer teritur. cui ad Orientem. p. m. 8. Yhanceria, ad montis eiusdem radices, Sarracenici nominis succedit oppidulū. Et subindead. p. m. 7. Calata Yheronis, Sarracenicum & ipsum sua origine, Caltagiō regnantibus Iacobo & Frederico in Regum priuilegiis appellatum: sed hodie amplum, ac Rogerii Normanni, ex Zoticæ oppidi ab ipso dissipati spoliis, liberalitate ditissimum oppidum: inscite a quibusdam Calata vrbs vetusta ex nominis affinitate existimatum: cum illa maritima, & ad pulchrum littus sita fuerit, vt ostendimus. Hoc oppidū, vt Caltagironæi prædicant, & diplomate attestantur, Sarracenis Sicilia potientibus, a Genuensibus cū classe Camerinam appulsis, atque inde in mediterranea progressis, magna vi receptum est: vbi & ædem sacram Diuo Georgio eorum tutelari extruxerunt: quæ adhuc oppidi Parochia extat. Insigne quoq; Genuæ vrbis, quod crux est, oppido, velut Genuensium præsidio, concesserunt: quo huc vsque ipsi Caltagironæi pro suo vtuntur. Hoc oppidum, ob debilem soli infirmioris situm, pluries etiam ætate mea, qua meridiem respicit, tellure dehiscente ruinam passum est: cuius rei & clara ibi hodie vestigia videre est. Ochula oppidum (Aquila in plerisque tabulis publicis, & in priuilegio Caltagironis, quo vtriusque agri terminantur, serio appellatū) post. 6. p. m. sequitur: vbi & antiquitatis mira conspiciuntur monumenta. Mūgelinum deinde ad. p. m. extat arx, Magellinum a Plinio lib. 3. vocatum oppidum: quod & ruinę ibidem indicant. Et ad. 4. p. m. ad sinistram Serrauallis est Castrum.

DE MENÆO, PALIÇA, TRINACIA, & aliis recentibus simul & vetustis oppidis.

MENÆ deinde ad. p. m. 6. vetustissima sequitur vrbs, Ptolemæo, arduo colli superimposita, Menænon Diodoro: cuius populos Menænos Cicero in Verrem & Plin. appellant. Hanc vrbem Ducetiū condidisse lib. 11. Diodorus refert: Ducetius (inquiens) in Sicilia rex Siculorum, genere admodum clarus, atque ea tempestate opibus plurimum pollens, vrbem Menęnon condidit, finitimumque ei agrum colonis illuc deductis distribuit: tempore (vt idem supputat) quo Athenis præfecturam Philocles, Romæ A. Posthumius Regulus, & Sp. Furius Mediolanus consulatum gerebant. Arcem habet, & mœnia adhuc antiquissima. Nobilitatur reliquiis Diuæ Agrip-

Agrippinæ, Romanæ virginis & martyris, quas eo Paula, Bassa, & Agathonita Romanæ virgines detulerunt. In ea quoque eiusque circum agris numismata in ære atque argento insigniter quidem expressa cum hac inscriptione, MENENON, passim effodiuntur, visunturque veterum operum plerisque in locis non obscura monumenta. Ad orientem huic. p.m. 2. locus est, cui hodie adhuc Lamia nomen est: vbi specus ingens patet Daphron vulgo nominatus: in qua Lamiã mulierem veneficam, quæ præstigiorum olim infamia pessime & audiebat, & de hominibus merebatur, & natã, & habitasse Menænini fabulantur. Menæno quoque ad. 2. p.m. Palicorum lacus subest, Naphthia hodie dictus: vbi & templum olim eiusdem nominis erat. Cui incubat ad iactum fundæ in colle prominenti Palica, iacens vrbs, a Ducetio etiam extructa: de quo lib. 11. Diodorus: Ducetius (inquit) iuxta templum earum quæ Palicæ appellabantur, vrbem non ignobilem cõdidit: quam a dicta appellatione sumpto Dearum nomine Palicen appellari instituit. Et paulo infra: Ducetius itaque cum Palicam vrbem condidisset, muroque eam circum munisset satis firmo, finitimum colonis eius agrum diuisit. Quæ quidẽ cum vbertate agri, tum multitudine incolarum breui mirum in modum coaluit creuitque. Nec diu quidem ea fœlicitate perfrui valuit. Verum paulo post eruta euersaq; est, & vsq; ad nostra tempora sine cultoribus & incolis vasto solo & inhabitato permansit. De quibus rebus suo deinceps loco & tempore sumus scripturi. hæc Diodor. De hac vrbe a nobis etiam libro. 3. vbi de Symætho amne egimus, satis fuse, quemadmodũ & de lacu temploque Palicorum, tractatum est. Imminet ei ad meridiem. p. m. 3. Catalfanus Sarracenici nominis mons: vbi ingentis vrbis vetustæ dirutæ, ac magnæ quoque arcis miræ spectantur ex quadratis lapidib. ruinæ. Trinaciam hanc fuisse, Siculorum olim Regiam, coniectura solummodo ex Diodori lib. 12. vbi eam non longe ab his locis abfuisse asserit, ducti aliqui suspicãtur. Ego vero tametsi Siculorum id ædificium fuisse existimem, quænam tamen vrbs suo tempore fuerit, ignorare me fateor: quin nec quo aliquando loco steterit Trinacia, tametsi diu multumque a me perueștigata, possum astruere. Id tantũ ex Diodoro consequor, fuisse eam inter Siculas vrbes principatu atque imperio semper præcipuam, opum ditissimam, virorum multitudine, robore ac splendore pręstantissimam, optimatum quoque fœcundissimam ciuium, naturali denique situ munitissimam. quæ tandem a Syracusanis æmulationis inuidia funditus est deleta, vti exactius in historiis. Eius populos Trinacienses siue Trinacinos Diodorus, licet Triracienses appellet Plinius. Ad inferiora Catalfani nonnihil a Symætho fluuio remota Paliconia est recens oppidulum, quod an a Palica originem habuerit, tametsi id nomenclatura præse ferre videatur, incertum tamen relinquitur. Inde dextrorsum ad. p.m. 5. arduis ac saxosis collibus interiectis, ascensuque difficilibus, Militellum est recens oppidum. &. p. inde. m. 3. Oxini arx. parique spatio Francofons, recens etiam, ac fontibus vberrimis circumscatentibus insigne oppidum, abest: quo loco Hydram ponit Ptolemæus. In processu ad. p.m. 6. in rupe edita ac prærupta, Lycodia Sarracenici nominis oppidum recedit, ætate mea a Ferdinando Catholico Hispaniæ & Siciliæ Rege Marchionatus titulo nobilitatũ: vbi miræ quoque vetustatis, licet prostratæ ac sepultæ magna ex parte sunt ruinæ, vestigia proculdubio iacentis priscæ vrbis, quam & ego incognitam pertranseo. Specus est in eo subterranea, quæ in immensum protenditur. Subinde ad. p.m. vix. 2. Bizinis noui nominis, sed ingens est oppidum, vbi & Dirillus amnis caput egerit, vt diximus. Mons Rubeus. p.m. 5. recens & ipsum oppidum, distat. A quo dextrorsum in monte excelso (vbi & Hirminii flu. originem locauimus) p.m. 3. recedit Cerratana vetustum oppidum Ciceroni in Verrem. cui sinistrorsum ad. 4. p. m. Buker Sarracenicum oppidum, Bucherium hodie dictum, in colle parũ edito hæret. Et exinde. p.m. 5. Buxema recentis nominis oppidum anno salutis. 1556. Comitatus titulo illustratum diuiditur: in cuius agris Anapi flu. Syracusani ortũ posuimus. cui ad. p.m. 2. Palazolus oppidum prope est, Acræ olim appellatum a Syracusanis, florenti ipsorum tempore conditum, vt author est lib. 6. Thucydides: cuius populos Acrenses nominat Plinius. Eius egregium adhuc ad cœnobium minorũ

Sanctæ Mariæ de IESV cognominatum iacet cadauer: quod ipsum illius esse & nominis apud seniores vestigium, quod Acremons adhuc est, & cum authoritate respondens. 24. m. p. a Syracusis vrbe interuallum liquido confirmant. In huius rupibus propinquis magna specuum multitudo se se offert, quæ Læstrygonum ne fuerit & Cyclopum habitatio, etsi ratio suadeat, incompertum mihi esse fateor. Templum inde ad. p. m. Diuæ Luciæ occurrit, a Rogerio Comite ædificatum: vt eius diplomate dato Syracusis anno. 1110. ostenditur. Iuxta quod Mendula erat oppidulum hodie iacens. Raguſa postea ad dexteram post. p. m. 12. etsi recens, ingens tamen & agrorum Camerinensium diues oppidum sequitur. Nec longius ab eo quã. p. m. 8. Claromons abest, in arduis & petrosis collibus a Manfredo Claromontano conditum oppidum, Gulfis olim, sed situ paulo inferiori denominatum: cuius etiam vestigia, ac ædes quoque sacræ dirutæ, ibi ob oculos iacent: vbi & templum hodie Diuæ Mariæ veteri cognomento celebre, necnon populi miraculorumque frequentia insigne: cui & anno salutis. 1550. Franciscanorum, qui Capucini vocantur, cœnobium est adiunctum. Nobilitatum fuit Claromons anno abhinc quinquagesimo supra centesimum, Martini Siciliæ Regis tempestate, Thoma Chaula poeta laureato: qui Tragœdiarum opus, ac bellum Macedonicum versu heroico. 24. libris fœliciter absoluit: quod in mea bibliotheca ipsius poetæ manu scriptum reseruatur. Huic sinistrorsum Yhomisum Sarracenici nominis oppidulum ad. p. m. 8. subest, Dianæ fonte apud veteres celebrato insigne. Qui Casmenas hoc oppidum fuisse arbitrantur, toto (quod aiunt) & quidem sereno cœlo errant. Et non minori hinc interuallo ad ripam Dirilli amnis, Biscaris est oppidulũ. A quo Grassuliatum oppidulum & arx. p. m. 18. refugit. Et ab eo. p. m. 6. Mazarenum ætate mea Comitatus titulo ornatum recens distat oppidum: quod qui Mactorium fuisse asserunt, in sole plane caligant. Et. 4. inde. p. m. Barrafranca, oppidulum ætate mea a Matthæo Barresio conditum, se offert. cui post. 5. fere. p. m. Petra Pretia succedit, oppidum tempestate mea Marchionatus titulo illustratum. A quo ad meridiem sinistrorsum. p. m. 12. Buterium refugit oppidum, antiquitatis pleraque ostentans monumenta: quod an Hybla minima fuerit, non aſsero. Huic Terranoua post. p. m. 8. ad oram subest: quam Camerina iacens ad. 18. p. m. excipit. Cui ad. 12. p. m. Inyctum, vetusta olim & regia vrbs, prorsus hodie iacens, & Longobardum appellata, ad oram hæret. Siclis postea intus ad. 10. p. m. recens, sed nobile tamen oppidum extat. Et. p. m. 5. Motyca amplissimum & Comitatus titulo, populique frequentia egregium, in profunda valle oppidum situm est. Cui dextrorsum ad. p. m. 6. Spacafurnus vulgo, sed Yspa Syllio dictum oppidulum subest: cuius in valle paulo supra magnæ spectantur ruinæ. Ager totius Motycensis regionis lapidosus est, vallibus frequentibus, salebrosis, depressisque discriminatus. Et ad oram post. 6. p. m. Ficallus est iacens oppidum. Hinc Marza ad totidem. p. m. sequitur, vbi diruta etiam vrbs in oculis est: quã ad. 10. p. m. Pachynus promontorium, & Motya prostrata vrbs excipiunt. Et ad. 2. p. m. Yhibinis Saracenici nominis arx. Et deinde ad. p. m. 14. Machara est vrbs, Citatella hodie, & Vindicaris portus. Renda arx sinistrorsum ad. 8. passuum milia incubat. Et pari miliarium spatio in rupibus prominentibus antiqua Neæ Diodoro, Neetum Ptolemæo, Notum hodie dicta vrbs extat. & ab ea. p. m. 6. Abola Sarracenici nominis oppidum, cui sinistrorsum in collibus Yhasiblis Sarracenicæ appellationis arx imminet. & ab ea, alia intus arx Castellutium nuncupata, ad. 6. p. m. Nec multo post dirutum est oppidum, vbi ædis Diuo Ioãni a Bidini sacra est. Quod Bidis ne sit oppidum, quod tenue, & non longe a Syracusis dissitum facit Cicero, incertum habeo. Pari inde spatio Cassarus sequitur oppidulum, in valle profunda, & platanis ad. 3. p. m. luxuriante, situm. Et mille post modum passibus Ferula recens oppidum abest. In his agris Leghum, siue Legha, Siculorum oppidum ponit Thucydides, quod defecit. A Ferula autem ad. 5. p. m. Pantalica se offert, vrbs deserta, in rupe vndique præcisa, speluncis infinitis referta, fluminibus circumsepta, & natura munitissima. Fuisse hanc vrbem olim Erbessum (quam Polybius & Liuius inter Syracusas & Leontinum collocant, & inter Neetum & Leontinum Ptolemæus ponit

ponit in tabulis) & locus, & nominis etymologia liquido ostendunt. Erbessus nanque Græce, locum speluncis plenum sonat Latine. Erat autem ea vrbs magna, & specubus manu excauatis, iisque admirandis habitata: quarum numerosa multitudine hucusque miratu est dignissima. Interierat ab olim hæc vrbs non solum incolatu veluti & nunc, sed etiam & nomine, ob appellationis mutationem. Pantalica etenim, obliterata prorsus veteri denominatione, hodie nominatur, extabatq; eo titulo anno salut. 203. vt in gestis Sophiæ virginis & martyris legitur. Cuius nominis cum nullus veterum meminerit, quæ nam apud priscos hæc fuisset vrbs, impense desiderabatur. Tandem anno salut. 1555. mense Aug. ex nominis vetusti interpretatione, cum situ collatione deprehenso, ab interitu a nobis vindicata est. In eius ambitu, vrbis portam quæ Ferulam versus patet, arcem disiectam, ac ædem sacram recentis structuræ prostratam, & præter hæc nihil aliud nisi oliueta, & in viua rupe innumeram specuum multitudinem hodie spectare atque admirari licet. Hæc vrbs cum in Leontinis fere agris sita sit, Lęstrygonum ne olim, an a Iolao colonię e Græcia in Siciliam deductæ, (quæ in speluncis rupe effossis vsque ad Carthaginenſium & Romanorum imperium bello inuicta floruit, vt Diodorus lib. 5. & nos in historiis) an vtriusque gentis fuerit domicilium: etsi eorum saltem alterũ proculdubio censendum sit, authores tamen non habeo. Hinc ad mille passus interiacente valle Sortinum noui nominis oppidum sequitur, amnibus circũquaque irriguum, quorum aquæ (vt docuimus) Syracusas olim mira industria deducebantur. Sub Sortino ad. p. m. circiter octo Climitis est arx: cui pari interuallo Syracusæ vrbs ad oram subest. Targia mox, & Fontana ficus arces, & in collibus Hybląis Milillis recens oppidulum. A quo Septentrionem versus paruo interstitio distat Curcuratium dirutum in vallis tumulo, quem Marcellinus fluuius (qui ad lapidosas sui ripas multas habet specus) alluit, situm: quod tempore Frederici tertii Regis in ruinas abiit. Et ad littus Megara prostrata, & Augusta postea, & Pantagiæ flu. ostium, nec non Morgentia extincta extant, cum Bruca & Ingiuni emporiis triticeis: de quibus singulis plus satis in superioribus. Leontinũ inde ab ora. p. m. 5. distans est vetus vrbs, & ad eius verticem nouum oppidum Carleontinum appellatũ. In cuius agris Bonuicinus est arx. Et ad oram Symęthi fl. fauces. Et paulo post Teriæ amnis ostium, vnde cœpimus. Et hæc quidem sunt quæ Noti regione continentur. Reliquum est vt ad tertiam atque vltimã Siciliæ regionem, quæ Mazarę est, transeundo, describendi tandem finem faciamus.

DE REGIONE VALLIS Mazaræ, & eius oppidis.

CAPVT III.

MAZARÆ regio, quæ tertia est, quod reliquum est Siciliæ, amplectitur, & ad Lilybæum terminatur. Ea frumenti aliarumque frugum segetes fert vberrimas: vinum præterea, oleum, & mel probatissimum. Boum quoq; cæterorũque armentorum ac gregum pecuaria est. Montes habet sublimes, præcipites, horridos, steriles, atque arborum prorsus expertes. A Lilybæo itaque promontorio, & eiusdem nominis vrbe, quam Marsalam hodie vocant, ad dexteram post passuum milia. 18. Drepanum vrbs abest. Cui Eryx, mons, & vetusta ad. 4. passuum milia vrbs prominet. A qua Calatafimis dextrorsum (Sarracenicæ appellationis oppidum) passuum milia. 18. dissidet. Et ab eo passuum duntaxat milia. 3. Segesta iacet vrbs, Barbara hodie dicta. a qua totidem passibus Bayda arx, ac deinde ad oram. p. m. 4. oppidulum abest Castrum ad mare de Gulfo frumenti emporium. Supra vero & in mediterraneis ad. p. m. 5. Alcamus est oppidum, ab Alcamah Sarracenorum qui Siciliam occupauerunt præfecto, ad verticem Bonifati montis (teste in sua Africa Ioanne Leonis, Sarraceno) conditum. Quod postea Fridericus secundus Siciliæ Rex, ad montis radicem transtulit, vt eius priuilegio dato Iulianæ anno salut. 1332. mense Augusto, constat. Sed & Martinus Rex arcem

vetusti oppidi quæ suo tempore extabat, disiecit, vt in Archiuo regio legitur. Est hodie Alcamus insigne ac ditissimum oppidum. Cui ad mille prope passus subest Calatubus Sarracenicum olim oppidum, sola arce hodie superstes. Et ab eo p.m. 8. Sala Parthenici nemoris recens, & Frederici secundi Siciliæ Regis concessu in planitie conditum oppidulum, aquis irriguum, & vinetis, ac segetis cannæ mellitę præstantia nobile. Cui ad aquilonem post. p. m. 3. Elyma vetustissima, & in edito monte iacens, Palymita hodie vulgo nominata, imminet. Quam Carinis nũc, Hycmus recedit vrbs, Siciliæ regia. Cui ad. p. m. 4. ad montium radices Mons regalis vrbs & templum musiuo opere celeberrimum incubat. Ad quorum verticem arx est vetusta, sed deserta hodie. Cui ad meridiem ad. p.m. 2. Abbatia. S. Mariæ ab alto fonte & Parco dicta, ordinis Cistercienſis, subest, a Frederico secundo Siciliæ Rege anno salut. 1307. condita & ditata. quam ad meridiem quoque post. p.m. 5. Græcorum oppidum in planitie Archiepiscopi Montisregalis sequitur, a Græcis, ob Turcarum Regis metum patria profugis, anno salut. 1488. ædificatum. Misilimeris oppidulum ad siniſtram p.m. 10. inde recedit, a Francisco Bosco anno salutis. 1540. conditum: vbi & arx est a Manfredo Claromontano olim erecta. Rysalaimis ad. 5. p.m. arx etiam Sarracenici nominis succedit: vbi & fons est ingens, Myrtorum, & Bayhariæ, amnis origo, vt diximus. Marineus ad. p.m. 2. deinde sequitur, a Francisco Bononia Panormitano ætate mea conditum oppidulum: cui siniſtrorsum ad. 5. p.m. Cefala Sarracenica arx in rupe edita hæret. Ad cuius radices in vallo profunda eiusdem nominis sunt balneæ aluminosæ. Muniuffus post. 4. inde. p.m. Græcorum est oppidulum. A quo septimo post miliario abest Ciminna noui nominis oppidum, & vino nobile. Cui Caccabus siniſtrorsum ad. p.m. 5. oppidum incubat. Et. 4. p.m. ad oram Thermæ Himerenſes ab eo distant, & vrbs. A qua. 15. p.m. dextrorsum recedit Sclafanis, Comitatus titulo nobilis. Et. 3. inde. p.m. Calatuturus Sarracenicæ appellationis oppidum extat. A quo Biccarum oppidum. 6. p.m. abest, anno salut. 1557. Comitatus titulo insignitum: vbi arx est ingens a Manfredo Claromontano fabricata. Et pari interuallo a Biccaro abest Margana arx, a Teutonicis militibus, qui monasterium Mansionis S. Trinitatis Panormi incolebant, inconsulto Rege erecta, & a Ludouico postea Rege, recepta ab eis fide ac solenni auctoramento, confirmata est. Castrum nouum inter rupes situm inde ad. p.m. 9. honestum oppidum recedit. A quo. p.m. 4. Camarata abest ingens oppidum, Comitatus titulo illustre, ad radices montis eiusdem nominis altissimi situ: in cuius agris salis est fodina. Et ab eo Musumellis oppidum. 8. p.m. distat, a Manfredo Claromontano conditum: vt vetus inscriptio super portam indicat, a quo Manfreda appellatur: etsi Mons mellis hodie, a monte cui hæret, nuncupetur. Ab hoc mille ad orientem. p. arx est eiusdem nominis, ab eodem erecta. Sutera deinceps est post. p.m. 3. ad angulum montis eiusdem nominis excelsi, situm oppidum: Paulini pii viri & reliquiis & miraculis celebre. Cui dextrorsum ad vallem profundissimam Fontana frigida arx subiecta est. A qua septimo in orientem miliario Gruttis oppidulum refugit: Herbesus a Polyb. lib. 1. nominatũ, quod primo bello Punico Agrigentinis & Romanis frumenti horreum fuisse satis ex authoribus cõstat. Nominis vetusti rationem Græca etymologia ad spelũcas, quas Siculi Gruttas vernacule hodie vocant, non absurde refert: cuius & appellationis & notationis duo in Sicilia fuisse oppida veteres scribunt, quorum alterum supra a nobis in Pãtalica deprehensum est. Ad duo hinc. p. m. Rayhalmutum Sarracenicum oppidum occurit: vbi arx est a Frederico olim Claromontano erecta. quã Giblina arx ad. 4. p.m. excipit. Et deinde. 8. p.m. Cannicatinis pagus. Et quinto mox miliario Narus nobile hodie est oppidũ, tametsi origine ac nomine Sarracenicũ. A quo. p. m. 18. Calatanixetta oppidum Sarracenicæ etiam vocis distat: cui ad oram post. p. m. 30. Alicata & Gela vrbes occurrunt: quas ad. 14. inde. p.m. Mons clarus arx ad littus sequitur. Huic vero interius. p.m. 9. Fauara oppidulum instat, & Arx magna Frederici Claromontani opus insurgit. Agrigentum vrbs quarto post miliario succedit. & quinto deinde ad dexteram Raphadalis est oppidulum, a Petro Mõte aperto

aperto ætate mea conditum: cum casale olim esset Sarracenorum. Hinc Siculiana Sarracenici etiam nominis oppidulum, & arx ab eodem Frederico Claromontano excitata ad. 10. p. m. recedunt. Cui ordine Heraclea iacens in littore vrbs non minori dimensione succedit. Intus postea ad. p. m. 7. in monte edito, inter Pecurarum & Platanellam, magna vrbs prostrata concernitur. Et paulo superius in colle vndique præciso, quem Lycus amnis sua dextera alluit, cuique mons Platanellæ est nomen, alterius vrbis dirutæ ambitus. p. m. & vnico accessu adeundæ, miræ visuntur ruinæ. Et non longe Guastanella, Motta, & Muxar, Sarracenici nominis vicinæ arces, a Rogerio Siciliæ Comite eodem victoriæ cursu cum Naro & aliis captæ absunt. Petra arx ad. p. m. 10. subsequitur. Biuona postmodum sub altis rupibus ad. 3. p. m. noui nominis est oppidum, aquis irriguum & amœnissimũ. Arcem habet disiectam. 200. ferme abhinc annos a Ioanne de aurea, Siciliæ Admirato, oppidi tum domino, a fundamentis erectam. Sed & ætate mea anno sal. 1554. a CAROLO QVINTO CÆSARE Ducatus titulo illustratum est. Cui paulo superius. S. Stephanus oppidum ad. 3. quoque. p. m. incubat. In his agris, ad mõtem cui Contubernio nomen est, 3. p. m. a Biuona dissitum, auri fodina inuenitur. & e propinquo fons est meridiem obuersus, cuius aquæ natura salsæ, æstate in cõcretum sal abeunt. Et non procul a Biuona alius est fons oleo scatens, a quo nomẽ habet. Mons excelsus Biuonæ supereminet, a rosis appellatus, herbis suis præcipuam, eamque ingenitam virtutem præstans: quas herbilegi vndique confluentes affatim vel brutorum saluti, vel hominum valetudini accommodas decerpũt ac colligunt. Septimo inde miliario Palatium Hadriani, Græcorum oppidum, occidentem versus sequitur. cui ad aquilonem. p. m. 4. Prizis Sarracenicum oppidum imminet in edito colle situm. Corilionis postea ad. p. m. 8. honestum hodie & diues oppidum succedit. Quod eiusdem nominis Sarracenorum tempore & Normannorum præfuisse, duobus priuilegiis Rogerii Siciliæ Comitis, quibus Agrigentum & Mazaram vrbes ad Episcopalem dignitatem euexit, constat. Sed tempore Friderici secundi Cæsaris & Siciliæ Regis, Longobardorum (quorum ad huc idiomate oppidani vtuntur) habuit coloniam: quam Oddo Camarana a Scupello transferẽs, eo deduxit, vt eiusdem Frederici Cęsaris diplomate liquet. Quod etsi prolixum sit, libenter tamen ad verbum ideo subieci, quod non ingratum futurum censui. Et est huiusmodi: Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex. &c. Toties Imperialis extollitur maiestas, quoties in subditos suam exercet munificentiam liberaliter imperatoria celsitudo. & exinde ipsi ad omne sinceriſſimæ fidelitatis obsequium feruentius incalescunt. Per præsens itaque priuilegium notum facimus vniuersis fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, quod nobilis vir Oddo de Camarana miles, dilectus fidelis noster, apud Brixiam nobis fœliciter existentibus, coram nostra celsitudine constitutus, sua nobis petitione monstrauit, quod nonnulli homines de partibus Lombardiæ requisiuerunt eum vt, quia propter bellorum discrimina, & oppressionum importunitates quibus ibidem multipliciter grauabantur, abinde totaliter discedere, & apud insulam Siciliæ suum transferre desiderant incolatum, si de imperialis celsitudinis procederet beneplacito & mandato, & concederetur eis locus certus in eadem insula, vbi dicti homines de prædictis partibus Lombardiæ, ad dictam insulam suum transferentes domicilium, cum eorum familiis, animalibus & massariis, commode valeant commorari, sub fœlicis nostri nominis regimine, ad imperialis nostræ celsitudinis exaltationem, gloriam & honorem. Cuius supplicationibus inclinati, locum qui dicitur Scuppellus, situm in eadem insula Siciliæ, in Valle Mazariæ vltra flumen Salsum, cum toto territorio & districto suo, & iuribus suis, prædictis hominibus Lombardiæ & omnibus aliis qui de prædictis partibus ad dictum Scuppelli locum processu temporis se cõferent ad habitandum ibidem, exinde faciendum per eundem Oddonem, & hæredes eius, prout eis melius visum fuerit expedire, de imperialis nostræ mansuetudinis gratia speciali in perpetuum duximus cõcedendum. Verum quia dictus locus Scuppelli non erat locus sufficiens, nec aptus eisdem hominibus ad habitandum, dictus Od-

do supplicauit nostræ Maiestati humiliter & deuote, vt terram Corilionis sitam in prædicta insula nostra Siciliæ, in Valle Mazariæ vltra flu. Salsum, quæ est de Demanio nostræ Curiæ cum toto territorio, situ & districto suo, cum nemoribus, pascuis, aquis, terris sub aquis & sine aquis, terris aratoriis, & aliis quibuscunque casalinis, prædiis vrbanis & rusticanis eiusdem terræ, & cum omnibus iuribus, rationibus, iustitiis & pertinentiis suis, quæ dicta terra habet & habere potest, prædictis hominibus Lombardiæ, & aliis qui de prædictis partibus illuc se transferre voluerint, & successoribus eorum, ad habitandum ibidem, & exinde faciendum per eũdem Oddonem & hæredes eius, prout eis in perpetuum melius visum fuerit expedire. Et quod omnes habitatores Corilionis in nemoribus Demanii nostræ Curię prædictæ terræ Corilionis & territorio eius circumadiacentibus, ligna viua pro domibus & ruribus etiam, ac mortua pro igne, & aliis necessitatibus eorum, libere & absque aliquo iure nostræ Curiæ propterea persoluendo, incidere possint, de imperialis nostræ mansuetudinis gratia pro cambio dicti loci Scuppelli concedere dignaremur. Nos igitur, attendentes fidem puram & sinceram deuotionem, quam dictus Oddo erga Maiestatem nostram gessit, & gerere poterit in futurum, maxime quia in nostris & gratiæ nostræ seruitiis iugiter expendit dies suos, supplicationib. suis benigne admissis, in excambium prædicti loci Scuppelli, prædictã terram Corilionis, quæ est de mero demanio imperialis nostræ curiæ, sitã in dicta insula nostra Siciliæ in Valle Mazariæ, vltra fl. Salsum, cum toto territorio, situ & districto suo, cum nemoribus, pascuis, aquis, terris sub aquis & sine aquis, aratoriis & aliis quibuscunque casalinis, prædiis vrbanis & rusticanis eiusdem terræ, & cũ omnibus iuribus, rationibus, iustitiis & pertinentiis suis, quæ dicta terra habet, & habere sperat, & potest, prædictis hominibus Lombardiæ, & omnibus aliis qui de prædictis partibus Lombardiæ ad dictam terram Corilionis processu temporis se conferent ad habitandum ibidem, exinde faciendum per eundem Oddonem, & hæredes eius prout melius eis visum fuerit expedire, de imperialis nostræ mansuetudinis gratia speciali in perpetuum duximus concedendum. Insuper volumus & mandamus, tam per nos quam per hæredes & successores nostros, quod distributio & concessio facta per dictum Oddonem, vel eius hæredes eisdem Lombardis, & omnibus aliis qui de prædictis partibus Lombardiæ ad dictam terram Corilionis se conferent ad habitandum ibidem, tam in scriptis quam sine scriptis, præsentis priuilegii nostri authoritate perpetuo robore sint duraturæ. De abundantiori quoque, gratia nostra volumus & concedimus, quod omnes habitatores eiusdem terræ Corilionis, de territorio eius & circumiacentibus ligna viua pro domibus & ruribus eorum, & mortua pro igne & aliis necessitatibus eorum, possint incidere: & quod sumant pascua pro eorum animalibus in eodem territorio, libere, & absque aliquo iure per eos vel hæredes eorum perpetuo persoluendo: saluo tamen per omnia mandato & ordinatione nostra. Ad huius autem nostræ concessionis memoriam, & tam imperialis nostræ curiæ Celsitudinem, quam dicti Oddonis, & hæredum suorum, & prædictorum hominum Lombardorum, qui de prædictis partibus Lombardiæ ad dictam terram Corilionis se conferent ad habitandum ibidem, & successorum eorum cautelam & perpetuam firmitatem, præsens priuilegium per manus Nicolai de Tarento, fidelis nostri scribæ, & sigillo Maiestatis nostræ iussimus communiri. Datum in castris ante Brixiam, anno Dominicæ incarnationis millesimo, ducentesimo, trigesimo septimo, mense Nouembri. 11. Ind. Hactenus rescripti verba. Ætate vero mea anno salut. 1536. oppidi huius pars solo dehiscente funditus corruit. Deinde ad aquilonem. p.m. 6. mõs est tota hac regione notissimus & ingens, Busamar Sarracenice appellatus: ad cuius verticem Sarracenorum olim erat oppidum Calatabusamar nominatum, hodie iacens: cuius etiam nunc cernuntur vestigia. Ietum Plinio, (cuius populos Ietẽses vocat) Ietas celsus Sylio, Iatum hodie dictum oppidum, ad occidentem post. 12. p.m. in editissimo & vndique prærupto monte situm, abest, in magna quidẽ aquarum indigentia munitissimum & ingens, cuiusque vix vnus, & is arduus ac peracliuis, est aditus. Cuius fiducia eo se olim Sarracenorum in Sicilia reliquiæ, quæa

Frede-

Frederico secundo Cæsare desciuerant, ad se tuendos receperant. Quos Frederi-
cus, duce Roberto Caserte Comite, dura ac longa obsidione (quam propugnaculi
in id tum ibi extructi vestigia testantur) tandem expugnauit. Captaq; & funditus
deleta vrbe, quoscunque viuos cepit, ad Nuceriam non longe a Neapoli habitan-
dam transmisit: vnde a paganis illi oppido deinceps ad hanc vsque ætatem factum
est cognomentum. Proinde lati admirandæ extant, & tota vrbe aceruatim calcã-
tur ruinæ. Ad angulum montis meridionalem ædicula est in rupe excauata, D.
Cosmano dicata, quæ maxima religione ab accolis, & a Panormitanis præsertim,
qui.p.m.15. inde absunt, quotannis colitur. Iato Calatrasis ad meridiẽ arx hodie,
sed Sarracenicum olim oppidum ex vestigiis adhuc cognitum, in rupe in acutũ
surgente, vndique præcisa, ad passuum milia.10. succedit. In qua cadauer hominis
gigantis anno salut.1550. fuisse repertum, lib.1. meminimus. Duorum hinc.p.m.
spatio distat Entella vrbs vetustissima, in monte eiusdem nominis, quem præcisæ
vndique & inaccessæ rupes, & vnicus tantum aditus parui præsidii indigus, natura
munitissimum reddunt: qui in summitate planitiẽ habet ambitus.p.m.fere.4. per-
uiam & culturæ aptissimam. In ea hæc vrbs ab Entello Troiano Æneæ socio, (quẽ
cæstibus cum Darete contendentem lib. Æn.5. introducit Virgilius) industrio ar-
tificio (vt lib.14. testatur Sylius) condita est. De qua Diodorus lib.16. Timoleõ (in-
quit) potitus est etiam vrbe Entella: vbi ciues quindecim, qui Carthaginensium
partes sequebantur, interfecit, cæteros libertate donauit. Probatissimi vini nomi-
nea a Strabone commendatur: de quo etiam lib.14. Sylius, largoque virens Entella
lyæo, Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ. Hodie vero agris eius in frumẽti
segetem conuersis, vini commendationem prorsus amisit. Vrbs quoque ipsa a Fre-
derico secundo Cæsare, Sarracenis qui eam vna cum Iato, nouarum rerum studio
quasi pro seditionis munimine occupauerant, in Nuceriam vna cum Ietensib. re-
legatis, funditus deleta, penitus iacet. Cuius, arcisque etiam, quæ speculæ speciem
referebat, semidirutæ vestigia tantum sparsim proiecta conspiciuntur, reliqua in-
colatus parte equis bobusque relicta. Mons tamen ipse, ac prostrata vrbs Entellæ
ad huc nomine veteri gaudent. Ad radicem montis qua Calatrasim respicit, la-
pidis alabastri minera est probatissima: vbi & balneæ sunt ad diuersas ægritudines
accommodatissimæ. Qui autem Castrumueteranum Entellam olim fuisse scri-
bunt, in sole hi proculdubio caligant. Calatamar Sarracenica arx deserta in ru-
pe editissima ad.3.p.m. Entellæ incubat: vbi & Sarracenorum olim erat oppidulũ:
cuius quoque indicia supersunt. Hinc ad.2.p.m. Contissa subest oppidulum, æ-
tate paulo superiori a Græcis, qui Bisirim Mazariense casale olim incolebant, ha-
bitatum. Cui ad meridiem in angulo montis excelsi ad 2. p. m. Monasterium D.
Mariæ a Bosco ord. D. Benedicti prominet: vnde inferius pari interuallo Busachi-
num est oppidum. A quo Clusa totidem.p. abest, a Matthæo Sclafani Adrani tum
Comite anno salutis.1320. conditum: cum prius ad equorum pascua clausus esset
ager: vnde & nomen oppido est inditum. In agro Clusitano, locis quibus Iardinel-
lo & Canalotto est nomen, aqua lapidescit. Clusæ ad occidentem in sublimi ru-
pe, & ex omni parte prærupta, Iuliana oppidum, vti natura, ita & colonis, arce quo-
que & muro, a Friderico secundo Siciliæ Rege ampliatum & munitum, imminet.
Quod Sarracenorum casale vna cum Zabuth, Comichio, Adragno & Sinurio,
Guilelmus secundus Siciliæ Rex in suo priuilegio dato anno salutis.1185. olim fuisse
indicat, eaque Casalia appellat. Cæterum in agro Iulianæ auri, argenti & ferri mi-
neræ, adamantis præterea lapidis, & porphyretis optimæ sunt fodinæ. Comichiũ
ad.3.p.m. paulo infra ad meridiem prostratum iacet. cuius nomen ædi Diuo Iaco-
bo ibidem fabricatæ superstat. Acristia superiori ætate deletum, ad septentrionẽ
in rupibus editis desertum oppidum, ad tria passuum milia Comichio prominens
occurrit. cuius reliquiis auctum ad meridiem p.m.2. Burgius Millusius Sarraceni-
cæ vocis oppidum recedit. A quo mille passus Villafranca distat oppidulũ, ab An-
tonio Agliata anno salut.1499. conditum, vino nobile. Cui ad occidentem montes
excelsi ac ardui ad.3.p.m. insurgunt. Ad quorum verticem maris prospectu iucũ-
dissimum Caltabellotta Sarraceni nominis & ædificii supereminet oppidum,

Comi-

Comitatus titulo ornatum. & paulo inferius ad passus mille, ad angulum eiusdem montis meridionalem, in loco vbi hodie ædis est Diuæ Mariæ a Monte Virgineo, Triocala vetusta olim vrbs Ptolemæo sita erat, initio belli seruilis clara, quod Romanos magis afflixit quam bella Punica. In Triocalino agro (in Verrem. 7. inquit Cicero) quem locum fugitiui ante tenuerunt. Vnde lib. 14. Sylius: Et mox seruili vastata Triocala bello. Hæc vrbs extincto bello seruili a Romanis funditus est deleta, sed rursus postea habitata. Insignis est reddita victoria quã Rogerius Normãnus Siciliæ Comes contra Sarracenos in eo loco adeptus est. In cuius memoriam ibidem Diuo Georgio suo tutelari duplici columnarũ ordine ędem sacram a Triocala cognominatam, quæ adhuc extat, magnifice struxit. Vrbs vero ipsa prorsus iacet, vestigiis tantum ingentibus obrutis, & nomine cognita. Misilicassimus Sarracenicę appellationis arx ad. p. m. 2. mare versus deinde subest. quam ad occidentẽ & in maris littore Sacca sequitur vrbs, Thermæ Diodoro, P. Melæ, & Plinio dicta. Cui dextrorsum interius ad passuum milia. 10. Sambuca hodie oppidum, Sarracenorum olim casale Zabuth appellatum, vt Guilelmi secundi Siciliæ Regis diplomate dato Panormi mense Iunio anno salut. 1185. patet. Adragnum & ipsum Sarracenicum casale olim, sed Christianorum postea oppidum, ad. m. p. superemi-net hodie desertum, ruinis tantum & nomine superstes. A quo passuum milia. 4. ad occidentem Senurium, Sarracenorum & ipsum olim casale, sed hac ætate prorsus extinctum, solis dispersis lapidibus, & eiusdẽ taberna hospitatoria nominis cognitum. Misilindinis & ipsum quoque Sarracenorum olim oppidulum, nunc vero arce exili, & paucis colonis habitatum, ad meridiem passuum milia. 6. Senurio hæret. A quo occidentem versus passuum milia. 3. Sala donnæ: & mille postea passuũ Gibellina, (vbi arx a Manfredo Claromonte erecta adhuc extat) oppida recedunt. A quibus. 2. passuum milia ad aquilonem Abbatia Diuæ Mariæ de habita ordinis Diui Benedicti distat. a qua passuum milia. 8. Partanna abest, oppidum vino nobile. Et post eã ad passuum milia. 2. Biginis est arx. Cui ad oram tertio miliario Selinis vrbs vetusta iacens (Pulicorum terra hodie dicta) subest. Interius ad passuũ milia. 5. Castrum veteranum imminet, oppidũ ætate mea Comitatus titulo nobilitatũ. a quo non longe discedit Perribaydæ arx. Moyharta postea sinistrorsum ad. p. m. 8. Sarracenici nominis extat arx, vbi ingentes conspiciuntur ruinæ. Salemis ad. 3. p. m. deinde in collibus est oppidum honestum, aquis irriguum, & domesticarum arborum ferax. Semellitanos (quorum lib. 3. meminit Plinius) huius oppidi esse populos, & vocis affinitas & locus id præ se ferunt. A Sarracenis autem appellationem hoc oppidum, pro vt in præsentiarum nominatur, habuisse, etymologia indicare videtur. Salem etenim Sarracenice locus deliciarum (vt aiunt) est Latine. Huic ad oram & passuum milia. 18. vrbs Mazara succedit, quę regioni quam describimus, nomen dedit, Episcopali hodie dignitate, sed olim Sarracenorum, & subinde Rogerii Siciliæ Comitis sede insignis. Lilybæum tandem promontorium, & vrbs, Marsala hodie nominata, totius insulæ cuspis, & vnde initium sumpsimus, ad. 12. passuum milia hanc regionem claudit. Sed iam de Siciliæ descriptione satis. Quicquid est reliquum, altera Decade complectemur.

F. TH. FAZELLI, ORDINIS PRÆDICATORVM DE REBVS SICVLIS, PRIORIS DECADIS LIBRI VLTIMI FINIS.

INDEX POSTERIORIS Decadis, per ordinem librorum & capitum.

PRIMI LIBRI.

De primis Siciliæ habitatoribus. c. 1
De Græcis qui Siciliam incoluerunt. c. 2
De Tyrannis Siciliæ, Cleandro, Hippocrate, Gelone, Terillo. c. 3
De Hierone seniori, & Thrasybulo. c. 4

SECVNDI LIBRI.

De Ducetio Siculorum rege. c. 1
De bello inter Leontinos & Syracusanos. c. 2
De bello memorabili inter Athenienses & Syracusanos. c. 3
De bello inter Segestanos & Selinuntinos, ac Selinis & Himeræ vrbium ab Hannibale expugnatione. c. 4

TERTII LIBRI.

De Dionysio seniori. c. 1
De Dionysio iuniori, & Dione. c. 2
De Dionysii ad Principatum restitutione: & Timoleonte Tyrannidis extinctore. c. 3

LIBRI QVARTI.

De Agathocle Syracusarum Rege. c. 1
De Mamertinis Messanam occupantibus: & Pyrrho Siciliæ Rege. c. 2
De Hierone iuniori, & bello inter Romanos & Carthaginenses in Sicilia & propter Siciliam gesto, quod Primum bellum Punicum appellant. c. 3

LIBRI QVINTI.

De Hieronymo Syracusarum vltimo Rege: & eiusdem vrbis a M. Marcello expugnatione. c. 1
De Bello seruili, & cæteris motibus qui in Sicilia imperante Populo Ro. sunt exorti. c. 2
De Gothis Siciliam occupantibus & postmodum expulsis. c. 3

LIBRI SEXTI.

De Siciliæ a Sarracenis inuasione & occupatione. c. 1
De Georgio Maniace, & eius in Sicilia contra Sarracenos rebus strenue gestis. c. 2

LIBRI SEPTIMI.

De Rogerio Normanno Siciliæ Comite, & Sarracenorum expulsione. c. 1
De Simone Siciliæ Comite. c. 2
De Rogerio Siciliæ Rege. c. 3
De Guilelmo primo huius nominis Siciliæ Rege. c. 4
De Guilelmo secundo Siciliæ Rege. c. 5
De Tancredo Siciliæ rege. c. 6
De Rogerio secundo Siciliæ rege. c. 7

LIBRI OCTAVI.

De Henrico Sueuo Siciliæ Rege, quinto Romanorum Imperatore c. 1
De Frederico secundo Cæsare, & primo Siciliæ Rege. c. 2
De Corrado, Manfredo, & Corradino Siciliæ Regibus. c. 3
De Carolo Andegauensi Siciliæ Rege, & Gallorum occisione. c. 4

LIBRI NONI.

De Petro Aragonio, Siciliæ Rege. c. 1
De Iacobo Siciliæ Rege. c. 2
De Frederico secundo, Siciliæ Rege, quem falso tertium appellant. c. 3
De Petro secundo, Siciliæ Rege. c. 4
De Ludouico Siciliæ Rege. c. 5
De Frederico tertio, Siciliæ Rege, quem Bonũ appellant. c. 6
De Maria & Martino Siciliæ Regibus. c. 7.
De Ferdinando quinto Aragonum, sed primo Siciliæ Rege. c. 8
De Alfonso Aragonum & Siciliæ rege. c. 9
De Ioanne Aragonum & Siciliæ rege. c. 10
De Ferdinando Aragonum & Siciliæ secundo huius nominis rege, cognomento Catholico. c. 11

LIBRI DECIMI ET VLTIMI.

De Carolo Qvinto Cæsare, Hispaniæ primo, & Siciliæ secundo huius nominis Rege. c. vnicum.

FINIS.

F. TH. FAZELLI SICVLI,

Artium & Sacræ Theologiæ Professoris, ordinis prædicatorum,
de rebus Siculis posterioris Decadis,

AD CAROLVM QVINTVM CÆSAREM,
HISPANIÆ ET SICILIÆ REGEM,

PRAEFATIO.

SINVDO *locorum atq; urbium situ virtus a vitio, & vir laudatus ab illaudato discerni, quantumque in rerum humanarum successibus spei reponendum foret (quod vtrunq; instituti mei consilium est) perspici potuisset: iam priori decade toti operi finem imponere, ac epilogo coronidem perstringere oportuisset. Sed quoniam ex sola Siciliæ topographia hæc obseruari nequeunt, nihilo plus præstitisse nos hucusque existimauimus, quam qui comœdiam exhibituri omni apparatu theatrum splendidissimum instruxerunt. hi vero nisi quod exteriori ornatu promiserunt, interlocutorum actione gestuq; referant, ridiculum profecto necnon molestum vulgo accitisque spectatoribus cachinnum, imo publicum temeritatis suæ ludibrium, mouebunt. Proinde posta ob oculos tum vti nunc est, tum vti olim fuit, vniuersa Sicilia, superest vt cinno temporũ ordine, a quibus habitari cœpta, quibus rationibus coaluerit, qui Principes, Tyranni, Reges, bellorum cum exteris ac finitimis causæ, successus, victoriæ, strages: quæ denique in præsentem vsque statum crebræ ac memorabiles rerum mutationes iam inde a primordio se se mutuo consecutæ sint, narrationis actione veluti in prosceniũ producamus. Sic enimuero nostrates iis velut domesticis exemplis experrecti non temere ad vitiorum fugam, virtutesq; cum delectu capessendas magis magisq; concitabuntur. Cæterum quanta sit Siculæ historiæ, cuius non pœnitenda pars interiit, inopia, nemo est, vel mediocriter in literis versatus, quin videat. Ea nanque fere omnia quæ primo ac Sicanorum Siculorumque æuo gesta sunt, labentes anni inuida nobis vetustate abraserunt. Multa præterea quæ succedenti temporum cursu edita sunt, bellorum sæuitia, maiorumque negligentia interierunt & ipsa. Quocirca quod in manu fuit, id solum præstiti: dedique operam vt (posthabitis fabellis, & iis quæ minus certa referuntur) quod vndiq; ex incorruptis authorũ voluminibus haberi potuit, (ne a verbis quidem eorum, nequid, per immutationem, fidei detraheretur, in plerisq; locis recedens) in hanc alteram laboris mei partem, velut in penum Siculorum rerum, congereretur. Legant igitur libenter & ea conterranei mei, & cum a prioris decadis lectione fatigati fuerint, in hanc posteriorem, veluti in pratum secedant. Quicquid est autẽ huius,* CAROLE QVINTE CÆSAR, *quod mea præbet infirmitas, tibi vel hac vna ratione debetur, quod post tot calamitatum ac tyrannidum vndas, ad quietum tandem, nec absre vnquam amittendum, sub tuorum inuictissimæ maternæ Aragonicæ stirpis maiorum, ac tuo demum imperio, veluti portum appulerimus. Quare sub tuis auspiciis & hæc pars in lucem prodeat, sub quibus iampridem & altera euulgata est. VALE.*

F. TH.

F. THOMAE FAZELLI SICVLI, THEOLOGIÆ PROFESSORIS, ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REBVS Siculis posterioris Decadis

LIBER I.

DE PRIMIS SICILIÆ HABITATORIBVS.

CAPVT I.

SICILIAM a vetustissimis primisque illis ante cataclysmum temporibus (cuius ab orbe condito quadraginta duorum supra ducentos ac bis mille annorum interstitium supputatur) repetita rerum memorabilium serie auspicari, tametsi curiosæ potius quam frugiferæ perscrutationis videri possit: ab huius tamen operis instituto adeo non abhorret, vt aliunde primordia petenti, plane defuturum sit narrationis initiũ. quippe quod immanis illa gigantum propago, quæ primæ ætati scelerum suorum enormi machinatione exitium conciuit, vix constanti multitudine mundo ab aquis restituto, inter occupatæ Siciliæ initia, eadem fere corporum animorũque feritate, tanquam postliminio renata censeatur. Enimuero cum ante aquarum illuuiẽ procerum illud hominum genus, cum numerosa sobole latissime dispersa, orbem vniuersum (teste Beroso) ab ortu ad occasum inuasisset, Siciliam etiam aliasque mediterranei maris insulas occupasse iam satis constat. Quæ vero fuerint eo ævorum in Sicilia gestæ, cum nulla earum memoria, ac ne Siciliæ quidem tum vulgatum nomẽ exinde ad nos peruenerit, incompertum est. Quis enim res tam veteres, & quæ in recessum prorsus abierunt, vel coniectura assequi possit? Post aquas vero, velati & antea, fuisse gigantes, cúm plerisque difficillimis per orbẽ terrarum diffusos locis, tum Siciliam a præsertim infando dominatu, latrociniis ac tyrannide sibi subiectam, atque ab omni exterorum commercio inaccessam tenuisse, non modo Homeri poetarum omnium maximi, sed Berosi, ac aliorum grauissimorum quoque historicorum authoritatibus, exemplis præterea, stupendisque vti olim, ita & nostra etiam tempestate repertis passim eorum sub terra cadaueribus, constantissimum est. Sed an indigenum an aliunde, atque vnde tãdem in Siciliam hoc hominum genus aduectum, sedem sibi insulam delegerit, scriptorũ necdum satis (ob certamen contentionis ambiguum) discussa deciſaque est opinio. Trogus nanque & qui cum eo sentiunt, Siciliæ indigenas, & ex sese oriundos tradunt. Didymus autem, aliique complures authores Græci, genus esse Thrëicium, & subinde varias incoluisse regiones, & in primis Curetida, quæ Acarnania est, atque inde in Siciliam aduenisse contendunt. Proinde, si ad iudicium fides est

redigenda, ab Armenia eos in Siciliam primũ aduectos liquet. Quod præter Mósen, Berosus aliique fidelissimi vetustæ huius originis, illorumque scriptores temporum (quorum Græci, ac deinde eos secuti Romani fuerunt ignari) ab humana clade historiam exorsi, palam posteritati contestatum reliquerunt. Cum etenim gens omnis, gigantum præsertim, pudore sublato, in omne nefas abiisset, scelerum eorum atrocitate Deus Optimus Maximus lacessitus, vniuerso orbi inundationẽ immisit. In tanto tamen rerum humanarum discrimine, solum ex gigantibus Noe (quem Ianum fuisse Berosus refert) virum pium atque inter tot enormia vitiorum monstra inuictum, tribus cum filiis, Semo, Iapheto, & Chemo, ac sua eorumque vxoribus, ad restituendum post cladem genus humanũ seruari placuit. Qui multis ante excidiũ annis præmoniti, cautique, naui in arcæ speciem fabricata, in quã & sese ab vndarum periculo, & ex omnium animalium progenie coniugium conjugesserant, e quã siccato tandem orbe, & in Gordiei montis vertice (qui est in Armenia Saga) quiescente nauigio, egressi sunt. Vbi rei gestæ monumentum inlapide ab ipso Noa incisum, & locus Arameo idiomate Sale Noa (quod egressoriũ interpretatur) ad nostram vsque ætatem est appellatus, vt Armenii qui ad nos inde accedunt, perferunt. In quatuor itaque horum superstitum gigantum semine reparandi orbis, renouandique incolatus spes omnis consederat. Qui mirabili diuini numinis ope cum coniugibus suis cõgressi, numeroso in infinitum partu, cõgeminatis vtpote mare & fœmella, multiplicatisque præter solitum etiam nouorũ gigantum fœtibus, breui totam Armeniæ regionem impleuerunt. Loci postmodum angustia victi, ad quærendas nouas sedes, diuidendasque per vniuersum colonias, sese inuicem cohortati sunt. Vnde confirmato consilio, dispertitisque per omnes mundi regiones habitatoribus, in Siciliam quoque gigantum cohortem transmigrasse proculdubio censendum est. Fuit autem gigantum, qui primi Siciliam exinde incoluerunt, tanta ac tam effera in familiari vitæ consuetudine asperitas, vt neque legibus, neque moribus, neque societatis studio, neque denique vllo Dei cultu tenerentur. eoque per licentiam processerant, vt iniuriam pro innocentia, pro pietate numinis contemptum habentes, non solum regnandi ius, sed cuiusdam etiam diuinitatis fastigium sibi arrogauerint. Hos ob naturæ duritiem, virium robur, ac staturæ proceritatem, confícto ad opinionem suã nomine, gigantes appellauit antiquitas. Id vero non constans aut vnum primis hisce Siciliæ habitatoribus nomen inhæsit. Crescente nanque eorum libidine, vitibusque in dies ad noua scelera inualescentibus, nouorum quoque nominum accessionem meruere, atque a latrociniis, frequentibusque in mediterranea, ac finitimas Italiæ regiones excursionibus, ad quas nati potius quam instituti videbantur, Læstrygones sunt vocati. Ac deinde prædis haud quaquam contenti, nequid ad extremã nequitiam ac naturæ turpitudinem sibi reliqui facerent, cum neque a sanguine, miserorumque aduenarum laniena, ad diram vsque viscerum humanorum ingluuiem voracitatemque abstinerent, Anthropophagi etiam sunt dicti. At vero & Cyclopes iam tum appellati sunt. quod nomen ad allegoriam referendum nõnulli iudicarunt. quippe quibus nõ vnus tantum natura orbicularis in fronte oculus attributus, (vt fabulæ tradunt) sed propter ingenium prudentiamque, ac artiũ quas cyclides vocant, (quod illarum origo veluti circuli initium latens sit) industriam, Cyclopum nomen prouenerit: tametsi non desint ex Græcis authoribus, qui a Cyclope eorum Rege cognomentum huiuscemodi eos sortitos affirment. Fabrilis eos etiam artis non ignaros fuisse, & ferream primum fabricam, ac deinde turrium vsum inuenisse, fide digni scriptores testantur. Quibus alludunt & antiquissimorũ præcipuorumque poetarum fabulæ, qui vicinas Siciliæ insulas Vulcanias, atque Vulcani officinas, & Cyclopes operis eiusmodi ministros fuisse, & Iouí fulminã ac telum fabricasse, non adeo absurde, quanquam poetice, commenti sunt. Quibus cũ insuper ad rem accõmodatissima nomina indiderint, qualia sunt Brontes, Steropes, Pyracmon, & id genus alia, communi eorum arti non modo nihil detraxisse, sed lucis etiam non parum addidisse videntur. Nam Brontes tonitrum, quod ex incude malleis verberata resultat, Steropes fulgorem ex incendio natum,

natum,& Pyracmon calentem incudem Latine significant. Sed & Brontes oppidulo ad radices montis AEtnæ sito nomen inditum, ad meam vsque ætatem constantissimum vetustatis huius monumentum esse non inficias eo: veluti & Polyphemi specus,& Vlyssis portus ad eiusdem montis decliuia hucusque veterum authoritate appellati,eiusce antiquitatis clara sunt vestigia. Cyclopes itaq; hi,quoniã portentosæ erant corporis staturæ,non vrbes,non oppida, sed AEtnæos Leontinosque,ac alios eximiæ magnitudinis specus, quos in delectis sibi montibus effoderant, (vt in hanc vsque ætatem cernere licet) habitabant. Authores sunt Plato & Aristoteles. Quod & Plato Homeri verbis,quibus statum qui tunc temporis in Sicilia erat,exactissime descripsit,constantissime asserere non dubitat. Porro quãtum in rebus antiquissimis Homero tribui debeat, non Platonis solum,sed Aristotelis quoque aliorumque grauissimorum in suscipiendis tanti viri laudib. scriptorum iudicia, ac vetustas ipsa, & quam proxime ad historicam veritatem accedens poeseos modus, liquido commõstrant. Homerus itaque in iis quæ de Sicilia commemorat,a vetustissima Berosi historia parum dissentiens, cum docendi tantum, ac antiquissima quæque præcipuarum ignotissimarumque sua ætate regionum describendi consilio,tam ingenioſi operis laborem aggressus sit,non temporis ratio, quod post Troianum excidium circa Vlyssis errores obseruari possit, considerandaest: sed in eius instituto omne consumendum est iudiciũ. Nam vetus hospitii ius,violatæque societatis publicæ insignem vindictam propositurus, a gigantũ agrestibus,inhumanis atque inhospitis moribus aptissimum exemplũ petit. Quorum cum in Siciliam plurimam multitudinem ab emensi orbis primordio grassatã accepisset,insulæ descriptionẽ a primæ fere in ea ætatis habitatoribus inchoat. In qua cum nullum adhuc Trinacriæ, Sicaniæ, Siciliæ, aut si quod est iis antiquius nomen,cognitum esset,a memorabili ac feriſſima gente Cyclopum,qui primi insulam incoluerunt, eam appellat. Cuius denominationis hac etiam tempestate in specubus AEtnæis & Leontinis, & in tribus littori AEtnensi vicinis, & non longe ab Acis arce e mari surgentibus scopulis,non sine magna eius antiquitatis admiratione vestigia permanent. Nam illæ Cyclopum specus, & Læstrygonum sedes, hi vero Cyclopum scopuli a Plinio, Solino, & Mela appellantur. Excellens præterea illa,quam Homerus collaudat,telluris fertilitas, (vtpote quod frugũ omnium spõte enascentium sit ferax, quod Cyclopibus alimenta suggerebat accommoda, quodque vel ob ea Solis appelletur insula) in Leontinis, Ennensibus,Mylensibus, ac plerisque aliis passim agris, ad experientiam quoque vsusque nostros per tot seculorum intercapedines inaudita quodammodo hæreditate, vt antiquæ feracitatis indicium,peruenit. Cyclopes igitur, qui primi post humani generis interitũ Siciliam tenuerunt, ob recentem diluuii memoriam, ne eandem aquarum vim, qua sui maiores fuerant obruti, experirentur,montium altissimorum cacumina in speluncis habitasse,in quibus sese ab omni cœli iniuria tuebantur,cõstat. Subinde solitudinis vitæque incultioris tædio relictis syluestribus iugis,per montium decliuia descendentes, & ad ima specus sibi effodientes, ibi habitare cœperunt, vti si ab iis locis periculum immineret,facile ad editiora refugiũ pateret: quod & cunctãtius factum esse ratio suadet. Mox crescente societate, & corroboratis animis,imminutaque nonnihil veteris pressuræ memoria,ad patentes insulæ campos,latasq; planities,ampliores firmioresque sedes transtulerunt. Postremo autẽ omni abolito metu, camposque egressa audacia, in littoralibus locis consederunt, & per lata etiam maria expatiati nauibus, triremibus, phaselis,lintribus,& ratibus immẽso pelago se concrediderunt: imo & natatu ad piscium æmulationem libertatem sunt consecuti. Hæc itaque pro ætatum ordine atque timoris modo,incolatus genera, necnon viuendi atque morum discrimina, in Sicilia,veluti & in toto pene terrarum orbe,post sedatos aquarum impetus sese ordine subsecuta sunt,vt a veteribus accepimus.Et hæc quidem Siciliæ primordia.quæ quidem & ipsa nobis veluti nube quadam obducta a vetustioribus sunt relicta. Subinde anno post aquas. 268.& Nini primi Assyriorum Regis.22.(vt Berosus supputat)Saturnus AEgyptius omnium primus Siciliam occupauit. author est Diodorus. Sed operæpretium est

Saturni genus, propriaq; eius nomina paulo altius ex Berosо, Metasthene, Xenophonte, Fabio Pictore,& Catone hoc loco repetere. Quorum explicatio etsi prolixa,non solum rebus dicendis,sed Græcæ quoque historiæ(quæ hæc rerum initia satis obscura,ac veluti in fabulas reiecta recensere videtur) maximam afferet claritatem. Ab aquis igitur ad Ninum vsque primum Assyriorum Regem, annorum ducentorũ quadragintanouem interualli ætas fuit,quam Poetę aureã appellant:quando gentium imperium penes Reges erat, quos ad fastigium Regni non ambitus,& immoderata cupiditas, sed spectata virtus prouehebat, populusque nullis legibus astrictus arbitria Principum (quorum fines imperii tueri magis quã proferre moris erat) pro legibus habebat. At vero iis omnibus, velut & vniuersо terrarum orbi,ea temporis intercapedine Noa præsidebat. Cui cum soli anteactæ ætatis,rerumque sacrarum, vitæque ciuilis memoria insideret,humano genere ex se suisque liberis Semo,Iapheto, & Chamo eiusdem sortis gigantibus in Armenia (vt diximus)dilatato,simplicique agricultura,& dei cultu in nouos homines disseminato, multa quoque rerum naturalium secreta literis mandauit. Imprimisq; humanæ societatis modum ac viuendi cum summa comitate & gratia resuscitauit:ac denique, quæcunque ad pietatem,honestatem,necessitatemq; sentiebat non inutilia, ea ad cognitionem vsumque recentis ac rudis adhuc seculi reduxit. Astrorũ præterea cursus,annumque ad cursum Solis, mensem ad Lunæ motum dimensus est. Vinum, far, & pleraque alia ad humanæ vitæ vsum inuenit. Quæ non Armenis solũ,sed nationibus quoque omnibus ad extremũ communicauit. Quãobrem in tãta authoritate est habitus, vt certissima diuinitatis persuasione ducti,augustiori in dies,& pro beneficiorum gentiumque varietate diuerso nomine ipsum colẽdum sibi proposuerint. Nã & ante & post aquas Noa propriũ ei nomẽ fuit. Quod Hebræum cum sit,Latine mouẽtem omnia significat. Armeni vero Olybam,(hoc est cœlum) Arsa,(idest Solem) Ogygem,(hoc est illustrem sacrorum doctorem) Ianum (id est viniferum, vitisque inuentorem:) Græci subinde Chaos,(idest confusionem) Hylen,(hoc est syluam, siue materiem, eo quod in sui primordio rudis erat orbis) eum appellarunt, Vranium, idest cœlestem. Latini postremo Semen mundi,(quia sator omnium) Vertũnum,(idest cœli cardines conuertentẽ) & Cœlum,& Ianum etiam alia ratione eum appellarunt, idest patrem Diuorum maiorũ & minorum, Authorem & principium,vt pote humani generis: Ianitorem, Cœli clauigerum: Bifrontem & Bicipitem, idest caput anni & finem, præteritaque cognoscentẽ,& futura prospicientem: & plurimis aliis id genus epithetis eum cognominarunt. Quæ cum diuersa videantur, diuersorumque etiam poematum commentis immensam materiam præbuerint: penitius tamen introspecta, in vnum eundemque Noa (quem nos Ianum deinceps Berosum imitati nominabimus)coincidunt. Vxorem habuit nomine Tytheam,quam Aretiam (id est terram) appellarunt: dixeruntque ex Cœlo & Terra (hoc est Iano & Tythea) omnes homines genitos.Ex hac igitur Ianus post aquas fœcundam gigantum procreauit sobolem. Referta autem tam institutis quam populo Armenia, ad alias desertas regiones Ianus habitandas se conuertit. Anno itaque post aquas .100. in tres partes mundum, prout ante diluuium viderat, (nimirum in Asiam, Africam, Europam) diuisit. quarum tribus filiis maioribus vicariam velut administrationem concrediderit,sibi tamen præcipua in omnes reseruata monarchia. Semus itaque filiorũ Iani natu maximus,maiorem Asiam a termino Ægypti per meridiem ad Indiarum vsque fines obtinuit. Iaphetus (quem Atlantem Maurum ob id appellat Diodor. quod in Mauritania obierit) Europam & mediterranei maris insulas adeptus est. Chamus vero Africam,cum omnibus suis regionibus & Ægypto,sortitus est. Quibus non contentus,pluribus seorum fratrum prouinciis magna vi potitus est. Fuit enim Chamus auaritiæ,vetitæ magiæ,idololatriæ quoq;,impietatis præterea,ac libidinis promiscuæ, & cuiusuis facinoris studiosissimus. Ianum,ob id quod liberos post aquas genitos ardentius sibi amare videretur,odio prosecutus,cum mero sopitum humi prostratũ conspiceret, delusit. Hinc varia a diuersis nationib. cognomina adeptus est. Nam licet ei Cham,siue Chem proprium esset nomen, Chamеses et-

ſes etiam, & Chameſenus, Sterculius, Iunus, Incubus, Syluanus, Pan, Saturnus, & Zoroaſtes eſt dictus. Cham Hebræum eſt nomen, & libidinem Latinis ſonat. Chameſes Macrobio, ſiue Chameſenus, infamis eſt Latine. Promiſcua nãque libidine laborabat: aſſerebatque, nihil vetare quominus vt ante aquas, cum matribus, ſororibus, filiabus, maſculis, & brutis fœde miſceri liceret. Zoroaſtes (id eſt magus) & demum Saturnus AEgyptiorum, & inter Deos iunior ab AEgyptiis eſt nominatus, quod in AEgypto regnauerit. quo nomine eum dehinc nos, Beroſi ac Diodori ſectatores, non temere appellabimus. Quod vero hæc cognomina coincidant, id ex eo ſatis manifeſtũ eſt, quod id & palam deſcribit Beroſus, & approbat Diodorus, dum Saturnum ex Rhea ſorore Oſiridem & Iſidem ſuſcepiſſe refert: quos Beroſus Chameſeno attribuit, qui apud eum Saturnus & eſt, & nominatur. Quibus præterea Oſiridis illud epitaphiũ in columna AEgyptiaca inciſum, a Diodoro proditum, apertam fidem aſtruit in hæc verba: Sum Oſiris rex, cui pater Saturnus fuit, inter Deos iunior: cui Saturno generoſo & pulchro genus & pater fuit Cœlum. Saturnus igitur AEgyptius (qui Iani haud dubie fuit filius) Armenia diſcedens, in AEgypto in Thebaide Chemim ſui nominis oppidum condidit, ac deinde Telchinibus (qui Rhodii ſunt) magiæ profeſſione corruptis, in Italiam circa Nini primi Aſſyriorum Regis initia venit. quam a ſe Saturniam appellatam, magia, auaritia, & libidine fœdauit. Quo cognito, Ianus anno Nini. 19. in Italiam & ipſe deſcendit: vbi diſſimulata tribus annis filii impietate, (Macrobio etiam teſte) cum eo regnauit. At cum nec improbitati, nec ſceleri vllum fieri modũ, redactiſq; in deſperationem tanta tyrannide Italis, ad peiora etiam impetum parari conſpiceret, euicta tandem patientia, ad frangendam graſſatoris vim conſilia excogitauit: placuitque aſſignatis ei coloniis efferum hominem in deſertiores ſedes ablegare. Tum Saturnus Italia pulſus, Siciliam (vt Diodorus eſt author) magno cum exercitu inuaſit. vbi breui ſine vllo fere negotio potitus inſula, regiam vrbem a ſe Chameſenam nuncupatã condidit. Quæ vbi fuerit ſita, incertum nobis eſt. Deinde vt partum ſibi conſtabiliret imperium, oppidorum omnium arces, ac editiora quæque inſulæ loca, opere & præſidio muniens, Saturnia appellauit. Qua nomẽclatura ad ſuam vſque ætatem vſos fuiſſe Siculos, Diodorus ipſe teſtatur. Sed quas vrbes, quæue oppida ibi præter Chameſenam condiderit, non eſt memoriæ proditum. Firmato Siciliæ imperio Saturnus Libyam occupare ex huiuſcemodi cauſa aggreſſus eſt. Potiebatur eo tempore in Libya rerũ Hammon Tritonis (quẽ Ianus eo cum coloniis miſerat) filius, qui Rheam Saturni ſororem in vxorem acceperat. Is cum ex Amalthea Dionyſum filium ſuſcepiſſet, (quem in Arabiæ vrbem Nyſam furtim educandum miſerat) Rhea cognito adulterio, relicto Hammone, ad Saturnum germanum fratrem in Siciliam profugit, illique matrimonio iungitur. vbi paucis poſt diebus ex illo Cererem filiã genuit, quæ & Iſis & Io dicta eſt. Subinde comparato ſatis iuſto ad vlciſcendam iniuriam exercitu, contra Hammonem in Libyam ambo proficiſcuntur. vbi non longo deinde interuallo Titanum auxiliis conſerto certamine, victoriã adipiſcuntur, atque Hammonem ex Libya eiectũ in Cretam fugant. Eo modo Saturnus Libya, Cyrene & Numidia auctus, dum ibi regnaret, ex Rhea ſorore Oſirim filiũ genuit: qui Iupiter (quaſi iuuans patet) Rex (a regendo) Cõſul (a conſulendo) Iuſtus (quia toti AEgypto iuſte ſolus imperauit) Olympicus (a magiſtro qui eum docuit) varie dictus eſt. Interea cum Dionyſus Hammonis filius adoleuiſſet, regnum paternum repetere, atque Saturnum cum Rhea ex Libya profligare conſtituit. Anno igitur Nini (primi Aſſyriorum Regis) 43. confœderatus Libycis, & Amazonibus finitimis, atque Nyſæis, magnam contraxit militum manum, lõgiſque itineribus Libyam ingreſſus, ad regiam Hammonis vrbem, vbi Saturnus & Rhea ſe tuebantur, deuenit. Cuius aduentu cognito, Saturnus ingenti & ipſe comitatu inſtructus, extra vrbem ei occurrit: cõmiſſoque prælio, cum ſtrenue vtrinque primo congreſſu pugnatum eſſet, tandem inferior factus, viribuſque diffiſus, in vrbem ſe recepit: ac noctu, Rhea ſecum aſſumpta, vrbeque incenſa, fœde inde fuſus fugatuſque abſceſſit. Verum Dionyſus ſumma celeritate eos inſecutus aſſecutuſque cepit: modeſteq; victoria vſus, non vt in hoſtes

ſæuiit, ſed parentum loco, & Oſiridem pro filio adoptiuo ſemper habuit. Poſthæc Nino decedente, Ninias eius filius, quem Zemeim vocarunt, Aſſyriorum regno (teſte Beroſo, quem ſequimur) ſucceſsit. Huius anno octauo Ianus cum poſt aquas 350. compleſſet annum, fato functus eſt. quem Ianigenæ Vertunnum appellauerunt, temploque illi dicato diuinos etiam honores impenderunt. Nec diu poſt hæc tempora Saturnus, cum ab omni ferme orbe extorris ageret, in Bactrianos (qui Aſſyriis ſunt finitimi) ſeſe contulit: quos magia atque præſtigiis maxime ſibi deuinxit, adeo vt regni diadema apud eos, Zoroaſtrique cognomentum promeruerit. Sed & Ninias ſub idem tempus ad Bactrianos ſibi ſubiugandos animum adiecit. Coegit igitur peditum decies ſepties centena milia, equitum ducenta milia, currus falcatos paulo minus decem mille & ſexcentos. cui, percepta re, Zoroaſtes comparata hominũ quadringentorum milium nõ imbelli legione, in finibus occurrit: permiſſaque de induſtria parte aduerſi exercitus Bactriam ingredi, pugna inita hoſtes in fugam verſos fortiter ſuperat: quos totis viribus inſecutus, centum milibus egregie oppreſſis, diminuit. Sed Ninus cum magnis copiis, accepta ſuorum conſternatione, auxilio mox ſuperuenit. Sub cuius aduentum totis vtrinq; viribus in aciem eſt deſcenſum. vbi verſo Marte poſt atrox certamẽ Zoroaſtes victus, media ſui militis ſtrage ingenti animo dimicans occubuit. Ita victor Ninus regiam vrbem poſtea auxilio Semiramidis adeptus, Bactrianorũ regno potitus eſt. Hũcigitur vitæ finem habuit Saturnus Zoroaſtes, qui primus poſt aquas in Sicilia regnauit. Dum hæc foris geruntur, Sicilia & peritia, & re, & populo non mediocriter aucta eſt. Cumque plures ea tempeſtate paſſim extarent qui ad mortalium vſum varia eſſent cõmenti: Ceres, quam primo Semiramidis anno in AEgypto ex Rhea natam Saturnus in viuis reliquerat, Oſiridi fratri nupta proceræ giganteæque ſaturæ (vt ea ætate, eoque patre non eſt admirandum) mulier in Sicilia diuinum ſibi honorem conciliauit. Hordeum nanque & frumentum in agris ſponte enata terræ ad corporis alimoniam perpetuo condere, legeſque ad animi culturam Siculos (qui malis ſylueſtribus tunc temporis veſcebantur, nulliſque legibus tenebãtur) prima docuit. Ceres Iſis AEgyptiis, & Io dein Græcis appellata eſt. Nam Iſis AEgyptio idiomate (teſte lib. 2. Herodoto) Ceres Græce dicitur. Cuius inſigne epitaphium in columna AEgyptiaca inciſum non parum poſteritati ad fidem prodeſt in hanc ſententiam: Ego ſum Iſis AEgypti Regina, a Mercurio erudita. Quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluet. Ego ſum Oſiridis regis ſoror & vxor. Ego ſum frugũ prima inuentrix. Ego ſum Ori Regis mater. Vixitq; annos vnum ſupra ſexcentos: qui quidem facili ratione colliguntur. Nam vno ſupra centum anno ſuperaſſe Donæum memorat Beroſus, quem quingentos non exceſſiſſe Plin. ex Cornelii Alexandri authoritate refert. Quod & eius tempora per Reges Aſſyriorum a Beroſo ſupputata demonſtrant. A primo ſiquidem Semiramidis anno ad primum vſq; Cecropis annum, (quo Iaſius rerum apud Aſſyrios potitus eſt) annos. 460. numerant. Cumque Cererem interfuiſſe Iaſii & Cybeles nuptiis, eiſque panes triticeos obtuliſſe (cum antea glandibus paſcerentur) Beroſus ſcribat: quis non videt eam. 460. tũ annos fuiſſe natam? Quibus ſi Iaſium poſt quinquageſimum regni ſui annum (quot & Cecrops dominatus eſt) a Dardano germano fratre interfectum, addas, Cererem tum annorum decem ſupra quingentos fuiſſe conſtabit. Proinde cũ a cæde Iaſii ad conditam ab ipſo Dardano Iaſii fratre vſque Dardaniam, annos fluxiſſe vigintinouem aſſerat Euſebius, liquet eo tempore Cererem annos vitæ ſuæ numeraſſe trigintanouem ſupra quingentos. Poſtremo cum poſt extructam Dardaniam annos ſexaginta ſuperfuerit, vnum ſupra ſexcentos Cererem abſoluiſſe annos compertiſſimum eſt. Proinde Ceres inuenti frumentarii rationem ac modum non in Sicilia continuit, ſed poſt Oſiridis mariti exequias non inutili peregrinatione totum fere terrarum orbem peragrans, per AEgyptum, Græciamque, atque alias paſſim regiones diffudit. Cuius ea traditur origo. primum omniũ paucula frumenti hordeique grana accipiens, terra obruit: quæ ſuo tempore enata fructum reddiderunt. Rurſus deinde terræ gremio commiſſa iterum atque iterum, aliud atque aliud cũ fœnore ediderunt. Hoc ſæpius cum egiſſet, iã ſpatioſum agri tractum

tractum eo semine occupauit. Quod vbi euidentius esse cœpit, Siculi segetem huc condere, deinde herbescẽtem colere, postea flauam metere, triturare, horreo componere, mola molere, panem ex farina facere, clibano coquere, coctum denique panem edere cœperunt. Tantaque fuit huius meriti religio, vt & inter gentes, quæ fertilitatis nomine celebres habentur, de eo sit contentio. AEgyptii enim tritici vsum a Cerere in AEgypto inuentum sibi vendicant. Athenienses ingenue id munus Siculis & Siculæ Cereri acceptum ferunt, Siculisque ea causa amplius quam AEgyptiis se deuinctos prædicant. Siculi vero, & quod in Sicilia nata sit Ceres, eique sit insula sacra, ac hordeum & frumentum in Sicilia ab ea repertum autumant. Quæ propterea in antiquis apud eos numismatibus siue in æs siue in argẽtum factis, hordei triticiue spicis redimita sculpebatur. Erat Cereri Proserpina pulchritudine insignis filia. Hanc Orcus (quem Aidoneum vocabant) Epiri Molossorumque Rex cúm amore deperiret, ex Sicilia rapuit, eamque sibi matrimonio iunxit. Ceres connubii ignara, diu filiam anxie perquisitam tandem repperit. Hinc Græcis magna fabulandi occasio præstita: quorũ ludrica non est vt in historiæ sinum reponamus. At Siculi tantis beneficijs incensi, Cereri & Proserpinæ eius filiæ, quo contestatã muneris dignitatem facerent, sacra ceremoniasque diuersis statisque anni temporibus instituerunt. Proserpinæ quidem, maturis messibus, ea castimonia ac religione, quam accepti muneris ratio postulabat: Cereri vero, sementis tempore, summo apparatu, & magnificẽtia exquisita decẽ dies festos celebrabant. Quorum hæc erat superstitio. Pompam celebrem quicunque vel sacerdotio vel magistratu præstabant, longo ordine solenniter deducebant. Quibus cuiusuis ordinis viri & mulieres permixti, pueri præterea puellæ candida veste albentes, ac tempora sertis redimiti, Cereris imaginem sequebantur. Erat autem illa formæ matronalis pannis calceamentisq; admodum rustica, caput coronam spiceam amicta, ligonem dextra, calathum semine plenum brachio, sinistra falcẽ messoriam & baculum gestans, papaueribus circa eam positis (quæ fertilitatis sunt symbolum) duas inter arbores pomis onustas depicta. Superne a dextro quidem latere Iuno apud superstitiosos veteres nubium Dea, imbribus sata irrigãs, sinistro vero Apollo radiis segetes exiccans, picti quoque prominebant. Pompa quidem omnis, dictu fœdis obscœnisque verbis perstrepebat: arbitrantibus Siculis, intemperantia verborum, & iocorum lasciuia Cereris luctum mœoremque leuari, quẽ ex raptu Proserpinæ cœperat. Ita in templum, quo egressi fuerant, reuersi sacra peragebant. Quæ Thalysia appellabantur, quasi Cerealia. Nam Thalysis Græce Ceres est Latine. Erant autem Cereris ædes sacræ ex ritu priscæ superstitionis extra vrbes minus frequenti loco conditę: quo mortales nonnisi ad sacrificia conuenirent. Eaque ratione complura in Sicilia fuere Cereris templa simulacraque extructa: quorum extra Catanam, Segestam, Ennam, & alias nonnullas vetustiores Siciliæ ciuitates vestigia adhuc cernuntur. Paucis post Cererem annis Aristæus Athenis ortus, pecoris, & mellis oleique inuentor, Græciæ cum esset infensus, Siciliam venit. Quam cũ fructibus armentisque refertam vidisset, incolas eorum vsum edocuit. Quo munere a Siculis, & iis præsertim apud quos nascuntur oleæ, huic veluti Deo cuidam sacri honores sunt delati. Sub idem fere tempus Butes Amyci, pugilis luctatorisque optimi, Melitæ & Bebrycæ (quæ teste Salustio Phrygia maior est) Regis filius, patre ob tyrannidem a Polluce in cæstuum ludo interempto, ab imperio Bebrycæ pulsus fugatusque, Drepanum Siciliæ petiit. Potiebatur eo tempore rerum in ea regione Lycasta, opibus ac pulchritudine præclara mulier: cui ab eximia forma Veneris cognomen ab incolis prouenerat. Hæc Butis amore capta, coniugii cũ eo fœdus iniit: eique iuncta Erycem filium (quem vel ob id ex Bute & Venere ortum prodidit antiquitas) enixa est: qui defunctis parentibus adultior in relictum sibi hæreditate imperium successit. Quo suscepto in vertice mõtis qui solus Drepano incubat, primum suorum operum vrbẽ maximis validissimisque obseptam mœnibus condidit. cui simul & monti suum nomen indidit. Lycastæ deinde matri sub Veneris epitheto in Deorum numerum relatæ templũ structura eleganti, & lapide quadrato in arce extruxit. Quod nõ solũ Erycini, sed vicinæ quoq;

gentes,nationes,Regesq; barbari,acRomani deniq; ipsi certatim excoluerunt,atque auro & argento plurimum exornarunt.cuius in iis quæ de situ sunt, meminimus. Iis rerum initiis præclarum Eryce nomen apud incolas adepto, Hercules ex Locrensium agris traiecto freto Siciliam venit. Sed cum plures fuerint Hercules,omnium gesta,ac tot fabulosa,vni Alcmenæ & Amphitryonis filio adscripserunt Græci,qui vetustiora ad se omnia retulerunt: & in fabulis fingendis (atq; hac præsertim) adeo fuerũt licentiosi, vt non humano semine vir exortus,sed hominũ ingenio confictus videatur. Nã quid monstruosius dici aut excogitari potest quã (vt ex multis hoc vnũ protulisse satis sit) Cerberum tricipitem canẽ ab inferis Herculis manibus fuisse extractum: cum ibi neque brutum viuat animal, neque subterraneus aditus visatur vllus, neque sub terris ad degentium sedes viuus homo descendere, indeque postmodum reuerti queat? Poetarum figmenta sunt hæc omnia, & ab historia procul reiicienda: tametsi ea in allegoriam referant. Proinde omni poetico velamento detracto,quis, & vnde fuerit Hercules qui Siciliam peragrauit, tyranniscque eam primus omniũ asseruit,fide optima explicabimus. Primum omnium cum M. Varro tres & quadraginta Hercules collegerit,& Cic. in iis quæ de natura Deorum sunt, sex tantum commemorauerit: eorum vetustissimũ AEgyptium Thebanum,postremũ vero Alcidem Amphitryonis & Alcmenæ filiũ fuisse,authores grauissimi tradunt. Herodotus etenim in Phœnicia templum Herculi dicatum,longaque seculorum serie ante Alcæum,hoc est simul cum Tyro vrbe,conditum se vidisse scribit. vbi & aliud Herculis templum cognomine Thasii antiquissimum quinque virorum ætatibus prius a Phœnicibus ædificatum repe-rit,quam Hercules Amphitryonis filius in Græcia existeret. Berosus quoq; & Manecrobius AEgyptium Herculem inter primordia humani generis, cum gigantibus plena essent omnia,connumerat,quem paulo post Ninum (a quo ad Troianum vsque excidium supra octingentos supputantur anni) natum , Alcæum vero paulo ante Troianam cladem referunt. AEgyptium præterea claua lignea vsum,& pellibus ferinis toto corpore amictum,& prima fuisse ætate cum arma ferrea(quib.nũc vtimur) nondum essent inuenta,scribunt veteres. Græcum vero claua ferrea munitum tradunt,quod ea fuerit tempestate quando Legibus&Regibus subactus ornbis diu antea iam & æuo & ingenio profecisset. Quocirca Ephorus, Diodorus, & cæteri vetustiores,dum vnum Herculem prædicant,qui præclara non solum in Sicilia,sed per vniuersum facinora quæ traduntur,solus gesserit, non Alcæum Græcum ex Alcmena & Amphitryone filium,(vt falso Græci mentiuntur)sed hunc AEgyptium vetustissimum,Osiridis & Cereris filium,intelligunt. Nam Alcæus Græcus nulli orbis parti imperauit,sed sub Eurystheo Rege cum Argonautis non ad gentium defensionem,sed perniciem,prædamque piraticam exercuit. AEgyptius vero toti fere orbi præfectus, gigantes & tyrannos, qui eo tempore in AEgypto, Phœnicia, Asia, Africa, Hispania, Italia & Sicilia, grassabantur,cum gloriæ reiq; ciuilis conseruatione sustulit. Accedit ad hæc, quod Hercules cognomen est AEgyptium,quod totum pellitum Græcis sonat.quod Græci postea ex AEgypto mutuantes, Alcæo indiderunt,vt Herodotus tradit. Quod a vero non abesse,eo constat quod Alcmena & Amphitryo Alcæi parentes etsi in Græcia sint orti, ex AEgypto tamen fuerunt oriundi. Erycem præterea, quem in Sicilia occidit Hercules, Geryonem in Hispania, & Antęum in Libya, priori ætate,ac octingentos ferme ante Græcum fuisse annos, scriptorum monumentis deprehenditur. Diodorus etiam Græcus author, suæ gentis alioqui defensor acerrimus, Græcos ipsos prioris Herculis gesta Alcęo tribuisse ingenue fatetur. A vero igitur aberrant qui Græco tot egregia quæ de Hercule iactãtur facinora contribuunt: cum AEgyptiũ illum fuisse res ipsa doceat. Hercules itaque hic vetustissimus ex Osiride & Cerere Thebis natus est: cui Libyco (quod flammiger est Latinis) nomẽ fuit,cognomentum vero,Hercules,quod pellitum totum, significat. Gigantem porro fuisse Herculẽ,ac procera giganteaq; statura, optima huiuscemodi ratione Pythagoram comprehendisse ex Plutarcho refert Aulus Gellius. Cum nanque stadii Herculani curriculum,quod apud Iouem Olympium olim Pisis erat,ducentorum pedum

dum longitudinis fuerit, cæteraque postmodum in Græcia ab aliis instituta etsi totidem pedibus essent, breuiora tamen: collegit tanto pedis Herculei plantam, quã aliorum, fuisse longiorem, quanto Olympicum eius stadium proportione seruata cæteris esset protẽsius. Comprehensa pedis mensura membrorum omnium Herculis naturalem inter se proportionem metatus est: atque ita tanto fuisse Herculẽ corpore aliis celsiorem, quanto Olympicum stadium cæteris pari numero factis anteiret: quod ad quatuor cubitorum, pedisque vnius altitudinem deducit Heraclides. Pubertatis annos ingressus cum omnium suæ ætatis dux fortissimus esset, vtpote manu promptus, factis strenuus, & ad obeunda pericula, laboresque ferendos interritus, terras omnes inter Oceanum Tyrannis, qui late eo tempore dominabantur, exuere, & sibi subigere constituit. Quo animo Asiam aggressus non multo labore subiecit. Deinde Africam occiso Busiride in Phœnicia, Typhone in Phrygia, Antæo in Libya Tyrannis, qui gigantes erant, potitus est: subactisq; tum duabus orbis partibus, columnam in signũ victoriæ in Phutea, seu Phaethontea a duce denominata regione, posuit: cui Libyæ a se nomen indidit. Subinde in Hispaniam progressus Geryonem, qui & Chryseus dicebatur, totius Iberiæ Regẽ, auri & pecoris ditissimum, superauit. Erant Geryoni liberi tres tum corporis robore, tum delectorum militum exercitu fortissimi. quos etiam Hercules ad singulare certamẽ prouocatos, nequid tam nefandi generis superesset, sub pugnæ prætextu e medio sustulit: atque ita Tyrannis prostratis Hispaniam omnem suo nomini subegit. Vbi substituto Hispalo Rege, postmodum anno Balei Assyriorum Regis quadragesimo primo, non vno nauigio nec armentum agens boum, (vt poetæ fabulantur) sed magnis instructus copiis ad purgandam etiam Tyrannis Italiã proficisci administrans, pluribus oppidis exornauit, & Regem illis Tuscum filium reliquit. Proinde tot rebus præclare gestis, omnibusque in Italia rite constitutis, tantũ opinionis fulgorem Hercules sibi conciliauit, vt eum non aliter atque demissum cœlitus mundo numen amplecterentur venerarenturque. Hinc Alexicacus, quasi depulsor malorum, a veteribus fuit cognominatus. Nec ita multo post magna classe ex Hispania subacta, numerosaque militum selectissimorum manu, & non altero bouis cornu innixus, in Siciliam misere sub Tyrannis gementem traiecit: Pelorumque appulsus, freti Scyllæ & Charybdis explorata natura, Erycem versus, cuius celebre inter Siculos tunc erat omni immanitate nomen, iter littoreum arripuit: oramque prætergressus, vbi vrbs Himera postmodum est extructa, paulisper conquieuit: ibique remissis laboribus, ad sordes nimias, quas ex itinere contraxerat, abstergendas a Nymphis & cæteris illius regionis accolis, qui vltro eius imperio se dediderant, aquis calidis, quæ sulphureæ & admodum salubres perenniter ibi scaturiunt, leniter est refectus. Suo deinde cum exercitu Drepanum vsq; perrexit, Erycem Regem domiturus. Erat Eryx (vt idonei scribunt authores) ingẽtis (prout ætas illa postulabat) staturæ: cuius viribus industriaq; militari nemo vel pugnacissimorum barbarorum conferri posset. Quibus fretus ad duellum ab Hercule prouocatus nihil recusauit. Locus pugnæ ager constituitur Erycinus: quo & ad certam diem visendi studio incolæ accolæque omnes conueniunt. in campũ, qui in hunc vsque diem Herculanus dicitur, (vbi & hodie columna vetustissima iacens conspicitur) descendunt. pugiles cæstubus, quos adhuc antiquo de more exloris factos Melochias vocant, quibus liberior adictum est manus, pugnam ineũt. Hercules itaque in Erycem irruit: hic illum cæstu adoritur. ille contra nititur: hic vim propellit. vtrinque certaminis initio non minus animis, quam æquis viribus acerrime decertatur. neque alter ex alterius laude quippiam detraxerat: astantib. auide contuentibus, ac erectis suspensisque animis expectantibus vbinã victoria cederet: adeo varium & anceps certamen modo hinc, modo illinc prosperum & exitiabile videbatur. Demum cum Eryx cupidius quam cautius pugnat, fit inferior. Hercules animo victor exæstuans, claua pilas plumbeas loris bubulis appensas habente Erycem fractum incautumque graui ictu percutit, percussum humi proiicit,

proiicit, proiectum proſtratumque perimit. Qui luctæ præerant, ac cæteri prope omnes, qui ad ſpectaculum confluxerant, in Herculis victoriam ac decus magnis atque exultabundis confeſtim vocibus erumpunt. Quem deinde in vrbem triũphantis more inuectum magnificis tripudiis, multis acclamationibus, omniq; cæremonia excipiunt, Regemque vnanimi & ſui exercitus, & populi voce ſalutant, Erycis ſolum ſtudioſis collachrymantibus mœrentibuſque. Inde imperii cum inſignibus Veneris templum victor ingreſſus, peractiſque de more vetuſto ſacris, Erycis funus debitis inferiis non eſt paſſus fraudari, ſed cadauer eius Regio ritu ad montis ſpeluncam funerari iuſſit. Qua parentationis cura iuſtis Eryci perſolutis incolarum ſibi fauorem, odiumque Erycinorum ad gratiam deflexit. Poſt hæc vocata ad concilium multitudine, imperium ibi æquo iure partum abſque vectigalibus illis cõceſſit: diſtribuitque agros, quibus inopes quã plurimi præſenti egeſtate ſunt leuati. Poſtremo iureiurando illos aſtrinxit, neminem illic in poſterum Regem niſi Heraclidam admittere. His apud Erycem rite patratis, Hercules inde mouens omnem lateris meridionalis oram, cuncta in ordinem ſuique dominationem perluſtrauit. Ad Pachynum poſtea cum veniſſet, vrbem ibi condidit, quam a mulieris de ſe benemeritæ nomine Motyam appellauit: quam poſtea Libyci & Phœnices incoluerunt. Ortygiam inde profectus cum de Cerere matre, & Proſerpinæ ſororis raptu, quæ indigenæ, etſi fabuloſe, referebant, didiciſſet, lacumq; quo ſoror cum Plutone fuerat emerſa, conſpexiſſet, rem diuinam illis fecit. Et colonis quibus ſacris eos quotannis, ac Cyanen Proſerpinæ nutricem colerent, traditum reliquit. Siciliæ tota ferme littorali ora peragrata deuictaque, mediterranea deinceps ingreditur. vbi protinus promiſcuam Siculorum multitudinem armis ſine ordine munitam obuiam habuit: cum quibus commiſſo prælio, aliquandiu Marte incerto dimicans, tandẽ ſuperior factus eſt: hoſtibuſque ſuperatis Leucaſpim, Pedicratem, Bufonum, Glichatam, Buteum, & Critidam Siculorum ducces, quorum in re militari egregia facinora etiam Diodori ætate paſſim referebãtur, trucidauit: partaque ingenti victoria, cæſiſq; omnibus qui ad vim proruebãt, Leontinos agros petiit: quorum feracitatem admiratus, ab accolis, quibus æterna ſui monumenta (ſcriptorũ incuria nobis incerta) reliquit, pręcipuo cultu exceptus eſt. Agyram deinde profectus, ab incolis in Deorum numerum ſe referri viuum, quod nulli mortalium accidit, vel ob id paſſus eſt, quod cum non procul ab vrbe ſaxoſum eſſet iter, boues eius lapidibus tanquam cerę veſtigia impreſſerũt, quod ipſi diuinitatis fuit præſagium. Quod totum fabuloſum eſſe, nullus ſanæ mentis nõ videt. At ſi fortaſſis eo tempore excauata lapidum ſuperficies cernebatur, vel natura, vel dæmonum vi, aut humana arte id elaboratum cenſendum eſt. Præterſidem etenim eſt, petræ duritiem ad boum contactum ceræ mollitiem ita imitari potuiſſe, vt ſtatim veſtigii formam repręſentaret. Porro Hercules ſuis ipſe manibus pro mœnibus quatuor ambitu ſtadiorum lacum ſuo nomine nuncupatum pro beneficio Agyrinæis effodit. Templum præterea ſingularis admirationis & maieſtatis Iolao, (quem & ipſe eodem errore ductus pro Deo habebat) qui laborũ ſuorum & ſocius & particeps fuerat, ex quadrato lapide extruxit, ſacriſque acceptiſſimis, ſacerdotibuſque locupletauit: necnon quæ libamenta ſingulis annis offerrẽt, quos palæſtricos equeſtreſque ludos, quaſque choreas epulaſque ſerui ſimul & liberi concelebrarent, lege perpetua ſanciuit. Iolaia hęc ſacra (quæ Heracleia quoq; appellabantur) excepit inſana turba, veluti cœlitus decreta: falſaque diuinitatis perſuaſione ducti, violari ſtatuta cæremoniaſque piaculum ducebant. Diodorus autem pueros, qui Iolai ſacris initiabantur, comas ex profeſſo nutrire ab Hercule edoctos fuiſſe ſcribit, quouſque opimis victimis Deum ſibi deuinxiſſent. Quod qui irritum feciſſent, elingues primum, exanimeſque mox in terram corruebant. nec poterant a clade liberari, niſi prius ſufficientibus votis placato numine veniã impetraſſent. Res ſane mira, non diuina vi, (quæ ſuperſtitioſæ religionis teſtis eſſe nequit) ſed dæmonum arte ad hominum ludificationem efficta. Sacra hæc Herculis ſtata multis poſt annis, multiſque ætatibus maximo ex omnibus Siciliæ oppidis mulierum ac virorum conuentu, Agyrenæos etiam vſque ad Diodori ætatem celebraſſe,

celebrasse, ac templum integrum perstitisse: portamque vrbis qua hæc prodibãt, Heracleam appellatam legimus. Hercules confecto Siculæ colluſtrationis itinere, totaque ſibi inſula ſubacta, AEtnæi ignis miracula demum cum inſpexiſſet, traiecto rurſus euripo in Italiam, ac mortuo deinde in Iberia Hiſpano nepote, anno Altadis Aſſyriorum Regis 19. ætate admodum grauis in Celtiberos eſt reuerſus. Vbi cum annos. 19. præfuiſſet, anno ætatis ſuæ ferme ducenteſimo fato functus eſt. Poſt hæc Iolaus e Sardinia in Græciam profectus, inde in Siciliam cum pleriſque Græcis nauigauit, diuque eam incoluit. Quo tempore plures Græcorũ, qui cum eo venerant, locorũ amœnitate allecti, ſedes ibi & ipſi Siculis immixti poſuere. Vbi cum Iolaus gloria præclariſſimus plurima diuerſis Siciliæ locis beneficia, ſuiq; ingenii monumenta depoſuiſſet, tẽpla plures Siciliæ vrbes eius nomini, diuinoſque honores conſecrarunt. Quin & eius colonia, quam in Siciliam duxerat, ætui curſu concurrentibus ad eam barbaris, barbara & ipſa effecta, ad montiũ cacumina aſperaque ſe contulit loca. ibique habitaculis rupe effoſſis, lacte & armentorum carne veſcentes, procul a bellorum procellis degebant: quam cũ poſtmodum Carthaginenſes primum, ac Romani deinde armis ſubigere tentaſſent, nunquam tamẽ expugnare potuere: ſed libera ſemper, nulliuſque addicta imperio ad Diodori vſque ætatem oraculi reſpõſo perſeuerauit. Sed quæ fuerit eorum eo ſeculo vrbs, quodque illius nomen: ſi Erbeſſus (quæ Pantalica eſt hodie) vel ſpecuũ multitudo non longe a Palazolo ſita, non fuit, obſcurum eſt. Galateus quoque per ea tempora Herculis ex Tuſco filio nepos, in Siciliam cum coloniis a Tuſco patre miſſus peruenit, ibique conſedit. Sub idem fere tempus, Ilio adhuc incolumi, eiuſq; rebus florentibus, AEolus Hippotæ filius Heraclidarum ſtirpe prognatus Siciliam tenuit. Claſſe nãque Lipaam appulſus, Lipari Regis filiã, cui Telepora nomen erat, vxorem cum duxiſſet, inſulam a Rege dotalem accepit. ad quã ſubinde Brutiorum & Siciliæ quoque imperium ei acceſſit. Erat autem AEolus ſeuerioris vitæ authoritate & opibus longe princeps, & ad humanitatem & hoſpites ſatis propenſus. a quo plerique veterum ſcribunt Rhegium Brutiorum vrbem cõcedente Hercule conditam. Biſſenos ſuſcepit ex Telepora vxore liberos, mares ſex Aſtyochum, Xuthum, Androclem, Pheremonem, Iocaſten, & Agathyrſum: totidemque fœminas, Iphten, AEolen, Peribœam, Diam, Aſtycrateam, & Hephæſtiam. Proinde prudentia & humanitate adeo apud Siculos præfulſit, vt neque eo regnãte, neque decedente, cum diuiſum inter liberos eſſet imperium, arma contra mouere ſint auſi. atque ita immortali nominis ſui fama apud eos relicta, in extrema ætate quietiſſime deceſſit, & a filiis ſimul & Siculis nulla ſolenni parentationis pompa velut parenti omiſſa, regie elatus eſt. Quo facto filii patris imperio pro hæreditaria quiſq; portione ſuffecti ſunt. Iocaſtes Brutiis ad Rhegiũ vſque præfuit: AEoliis inſulis Aſtyochus: Xuthus oræ, quæ ad Leontinos vergit, quæ & ab eius nomine Diodori etiam ætate Xuthia dicebatur: oræ Siculæ quę mari Tyrrheno alluitur, AEoliaſque reſpicit, Agathyrſus: vbi ad promontoriũ cui ab Orlando hodie eſt nomen, vrbem condidit, quam a ſe Agathyrſam appellauit. Sed Pheremon & Androcles regionem quæ a freto ad Lilybæum vſque extenditur, communi imperio tenuerunt. Non multo deinde interiecto tẽpore, & nonnihil ante Troianorum excidium Solino, ſiue extinctis Trogo, ſiue Sicilia expulſis Solino, ſiue eam adhuc incolentibus Cyclopibus, (adeo diuerſa eſt veterũ opinio) Sicani (quos tametſi Timæus indigenas vocet, ex Hiſpania tamen, & a Sicori fluuio Segra hodie dicto proueniſſe Philiſtus, Thucydides, Dionyſius, & cæteri feremen ſortiti, vt Solinus tradit) e Latio quod tenebant, a Liguribus pulſi, in Siciliam reſcriptores affirmant: & a loco, vt iidem authores, ſiue a Sicano eorum rege notraiecerunt. Quam cum incultã, hirtaque ſylua horreſcentem, & maiore ſui parte deſertam, ſed humano cultui aptiſſimam comperiſſent, ſedibus ibi collocatis inhabitarunt, eamque Trinacriam prius ab ſui forma denominatam Sicaniam vocauere. Vbi cum efferati quam plurimi adhuc homines (quos Cyclopum reliquias fuiſſe cenſendũ eſt) dominarentur, & cum eis contentio primum, mox etiam aſſumptis armis ardens interdum ſeditio oriretur, inacceſſorum montium iugis, difficiliumq;

ficiliumque locorum ſitibus indagatis delectiſque, ad ſecuritatem vrbes ſibi nulli Regi debitas principio ædificarunt. Cæterum tametſi omnem poſſiderent inſulã, AEtna tamen frequentius ignes euomente, eorumque agros vltra quam tolerare poterant vaſtante, omiſſis orientalibus regionibus, partes quæ ad occidentem & meridiem vergunt, petiuere. vbi & plura condiderunt oppida. Quorum Hyccaris ad mare tum ſitum (teſte Thucydide) erat vnum. Interea Siculi genus hominum in Latio ortum, cum eam Latii partem, vbi interiecto poſt tempore vrbs Roma eſt condita, vicatim ad Circæum vſque montem habitarent, a Pelaſgis & Aboriginibus, ſiue ab Opicis & Oſcis Thucydidi, inde eiecti, non multo poſt Siculorum traiectum Dionyſio Alicarnaſſeo, in Siciliam cum coniugibus & liberis transfretarunt. Erat tum annus a condito mundo. 4000. & trecenti ferme anni priuſquam Græci ad Naxum & Syracuſas condendas Siciliam traieciſſent, & tres ætates (quarum quælibet, teſte Xenophonte in iis quæ de æquiuocis, quartam cẽtenarii partem, hoc eſt. 25. continebat) ante Troianorum excidium numerabãtur: Alcyone in Argo ſacerdotiũ anno. 26. adminiſtrante. quo tempore Ellanicus duas Italorum claſſes Siciliam traieciſſe memorat: Elymorum vnam, quos ab OEnotriis profectos tradit: Auſoniorum alteram, quinto poſt anno Iapyges fugientium: quibus Rex, nomine Siculus, præfuit: a quo & ipſi, & inſula quam occuparunt, nomen ſunt adepti. Philiſtus vero anno ante Troianum excidium octuageſimo Siculos Siciliam transfretaſſe tradit: gentem tamen neque Siculos, neque Auſonios, neque Elymos, ſed Ligures, cum Siculo Itali filio Duce (a quo ſunt poſtea nomen ſortiti) ab Vmbris eiectos fuiſſe ſcribit. Antiochus vero ſeptuageſimo quinto anno ante res Troianas, Siculos a Pelaſgis pulſos, & Siciliam traieciſſe refert. Cæterum quoquomodo res ad nominis originem ſeſe habeat, ſatis conſtat trãſuectos ſiue a ſe, ſiue a Duce Siculos appellatos, Italiæque ante extitiſſe cultores. Siculi itaque vetuſtiſſimi Italię populi in Siciliam traiecti, Sicanos confeſtim armatos cõtra obuios habent: quibus tandem domitis, & in partes meridionales & occidentales remiſſis, regionem quę ad orientem extenditur, primum incolunt: mox optima quæque inſulæ loca peruadunt, inſulamq; ipſam ex Sicania Siciliam vocant. Vrbes eorum Zancla in freto, Zãclo eorum Rege authore, & Orione architecto, vt præmeminimus: Catana præterea, Leontinum, Syracuſæ, Nea, Centoripe, Leghum, Trinacia, Hybla, Gereates non longe a Centoripe, Hybla minor ſupra Gelam, & pleræquè aliæ, vt Diodorus, Thucydides, Plutarchus & Pauſanias referũt. Sed cum Siculi ſæpius pro agris cũ Sicanis bello decertarent, certo fœdere, & quibuſdam finibus agris ab AEoli filiis (quibus propter parentis pietatem vtrique ſe ſubiecerunt) conſtitutis, quieuerunt. Extincta deinde AEoli ſobole, Siculi ad prudentiores viros magiſtratum detulerunt. quo euenit, vt opibus atque imperio adeo coaluerint, vt obliterata penitus priori appellatione, Siciliæ impoſitum nomen ratum firmumque ac perpetuum poſteritati effecerint. Sed poſtmodum Sicani & ipſi cupidine dominandi orta inter ſe mutua contentione, diu inuicẽ prælijs cruẽtiſſimis factionibuſque vexati ſunt. Morgetes etiam per hæc tempora (vt Antiochus teſte Strab. ſcribit) in Siciliã traiecerunt, ac Morgentium vrbem ad Leõtinam oram condiderunt. Sub idem fere tempus, anno ab aquis circiter. 2000. & ante Troiæ excidium. 40. Thebis OEdipode imperante, Cocalo OEboli, ſiue (vt alii tradunt) Eupalami filio, Sicanorum Rege viribus præcellente, rerum in ea Siciliæ parte quæ meridiẽ reſpicit, potiente, Dædalus Athenienſis regio ſanguine ex iis qui Metionidæ appellabantur exortus, huiuſcemodi facinore commiſſo Siciliam confugit. Calũ, ſiue Talum (vt alii efferunt) ex ſorore nepotem architectura præſtantem cum haberet, inuidia illum occidit. Quo cæſo in Cretam fugit: vbi Minoi Regi ob heroum ſimulacra, quæ affabre illi fecerat, acceptiſſimus fuit. Sed Theſei poſtea cauſa Regem cum offendiſſet, iniuriarum damnatus eſt: atque vna cum Icaro in carcerem coniectus, inde nauigio illi a Regina ſuppeditato, diffugit, & in Siciliam ad Cocalum Sicanorum Regem Inyctum venit, quæ illi erat regia. Neque hoc Dædalo exilium dignitatem ademit, ſed auxit admirationem, nominiſque celebritatem. Siquidem non modo benigne a Cocalo Rege eſt exceptus,

ſed

sed ibi plura artis suæ monumenta edidit. Nam prope Megaram vrbem arcem inexpugnabilem extruxit, cui Lympetra nomen indidit. Iuxta Agrigẽtum quoq; in rupe Camico dicta thesaurorũ Cocali munitissimũ promptuariũ excogitauit, perfecitq; : de quo priori decade latius. Ad hæc, in Eryce monte editissimo, ad Veneris Erycinæ templum celeberrimum miro consilio murum amplissimum duxit: quo aditus perfacilis tutissimusque est redditus. vbi & arietem aureum Veneri & Eryci tanta industria fusum apposuit, vt viuus prope crederetur. Quibus, ac plerisque singulatib. testimoniis tã publicis quã etiam priuatis apud Cocalum Regem, eiusq; filias, ac denique Siculos omnes tantum sibi gratiæ conquisiuit, vt nemo vel extrema quæq;, nedum bellum pro eo libentissime nõ fuerit subiturus. Minos itaque Cretensium Rex, cognita eius in Siciliam fuga, ad Cocalum legatos misit, poscens vt Dædalũ sibi dederet. Cui cum contumacius fuisset responsum, Minos, qui eo tẽpore mari dominabatur, multasq; insulas armorum vi sibi subiecerat, classem ingentẽ parat instruitq;, ac contra Cocalum Regem simul & Dædalum in Siciliam nauigat: in cuius fines, obsistente nullo, copias exponit. Inde Regis animũ tentãdi gratia, an fortassis exardescente iã bello consilii pœnituisset, legatos rursus ad eum expedit, Dædalũ se repetere hostem suũ, & Cretæ proditorem. Quem si ex æquo amiceq; sibi traderet, vt mutua inter Reges pro tuendis firmandisq; imperiis iura postulant, fore vt copiis inde abductis domũ placide reuerteretur. Legati quæ in mandatis habebant, breuiter, quid Minois conatus, quid vires possint, quo tendãt, bellũ præterea periculosum & longe ipsi pernicios issimũ exponunt: tandemq; Cocalum admonent, vt futura diligenter prospiciat, consideretq; quid sibi imperioq; suo magis conducat, an flagitiosi hominis causa bellum atrox suscipere, an facinorosum virum Minoi ad pœnam, vt iura exposcunt, tradere. Et demũ dũ integra res erat, eum, vt pacem amplecteretur, hortantur, ne postea optatam, quæ nunc sibi vltro offerebatur, pacem frustra requireret. Cocalus iis auditis, cum hinc pertinacem Siculorum animum ad Dædalum tuendum exploratũ haberet, illinc bellum sibi imminere, hostẽ in foribus esse, & tantæ se moli imparem cognosceret, anceps quid ageret, aliquandiu immotus cõstitit. tandem præsenti fortunæ consulens, vt ingruenti bello se liberaret, ad fraudẽ se conuertit. Legatis igitur cõmento dolo Dædalũ se dediturũ (quod neutiquã habebat in animo) respõdet. fœdus amicitiãq; Regis Rex ipse priuato homini iure se præferre corã profert: sed iã in Minois nefarium animum intenderat. Reuersos proinde cum responso legatos suscepit lætus, rataque Minos habuit quæ cum Cocalo composuerant. Vtrinque igitur missis & remissis internuntiis, demum cum numerosa ex vniuerso exercitu selecta militum manu Cocalus simulata benignitate ad mare descendit. cui Minos exultabundus continuo & ipse occurrit. Post mutuas gratulationes data acceptaque dextra, fidẽ futuræ amicitiæ firmant. Fœdus inter Reges ictum est : inter exercitus salutatio facta. Inde cum ingenti lætitia in vrbe regia amice Minos excipitur. Erant Cocalo filiæ duæ forma longe pulcherrimæ. eas Minois obsequiis genitor addixit, futurũ ratus (quod & euenit) vt iisdem authoribus hostem de medio tolleret. Igitur dum Camici plures dies otio & luxu, & in Dædalo repetendo, (quem in mediterraneis esse Cocalus edixerat) Minos conterit, virginum amore corripitur. Id vbi Cocalus animaduertit, cum filiabus consilium capit, Minoiq; insidias struit. Erant in Cocali regia balneæ ad delicias miro ingenio a Dædalo elaboratæ: quibus Minos solis filiabus Cocali subseruientibus corpus abluendi consuetudinem induerat. In his itaque dum de more vltimo Minos refouetur, nihil minus quam insidias cauens, a puellis nõ magno negotio opprimitur, siue (vt alii perhibent) aquæ calidæ per tecti culmẽ in balneas ab eisdẽ demisso influxu, nimio ęstu suffocatur. Cõmisso facinore, ne patratæ cædis authores haberentur, statim obiisse Minoẽ conclamant, repẽtinũ Regis obitũ deflere incipiunt, magno eiulatu queruntur: tantaq; calliditatis audacia criminis atrocitatẽ contegunt, vt scelus pietatis specie velarent. Ad voces eorũ lugubres Cocalei domestici prosiliũt, quos & Cocalus ipse versuti vir ingenii, & sceleris author, ne homicidii perfidiæq; insimularetur, & vt a se patratum facinus delitesceret, querula voce insecutus est. Cretenses præterea rumore per re-

giam euagato, lymphatis similes ad balneas & ipsi procurrunt. vbi Minoem Regẽ iacentem exanimemq; conspiciũt, causam mortis inquirũt. virgines concisis syncopatisq; inter eiulatũ verbis referunt ex apoplexia, in quam repente inciderat, in balneas nimis calentes dilapsum obiisse. Cocalus, vt prorsus omnis suspicio abeo dimoueretur, quã ardentissime corpus prospicit, tangit, vestibus nudatum an virus vestigiũ aliquod inesset, explorat. Identidẽ & Cretenses physicorum etiã arbitrio exploratius exquirunt. In hanc curã dimidiũ diei extractum est. Postremo cadauere regio currui subselliis aureis decenter instructo superimposito, eius manibus parentandum procurarũt. Itaq; cadauer regio funere elatum ingenti exequiarum apparatu prosequuntur, igni superiiciunt, cineres mox perusti corporis vrnæ contradũt, & demũ duplex illi sepulchrũ (vt Diodorus refert) extruunt: clam vnum, in quo eius ossa cinereq; cõdunt: cenotaphiũ alterũ, palam ædificato Veneris templo, quod multis seculis posteri quã religiosissime, vt templum Veneris coluerunt. Verũ postea Agragantini regnante apud eos Therone, cum in eodem loco vrbem conderent, repertũ Minois sepulchrũ ossibus in Cretã remissis demoliti sunt. Hũc finẽ Minos anno a condito mundo (vt supputat Eusebius) 4000. in Sicilia Rex habuit, dũ nimis temere Dædali vitã insectatur. Cocalus peracto parentationis officio, Cretenses milites ad concionẽ vocat, eosq; prius mœrentes circuit, mox ad incolendã Siciliam impensius cunctos pluribus hortatur. Cuius verbis incensi Cretenses, Regis humanitatem liberalitatemq; excipiũt: & quoniã Sicanis assueuerãt, spreto in Cretã reditu in Sicilia consederunt. Quorum plurimi vrbem a Camico p.m.fere.20. distantem condiderunt, quam a defuncto eorum Rege Minoam appellauerunt. Cæteri ab illis dissidentes, littus aliquandiu meridionale peragrarũt, tandemque in loco natura satis munito, vtpote saxoso colle, vrbem & ipsi sibi struunt, quã a fonte influente Engium vocauerunt. Et hæ quidem duæ primæ Græcorum vrbes in Sicilia surrexere. At vero etsi Regis iã milites in Sicilia perstiterint, morte tamen Minois cognita, Cretenses rati (id quod fuerat) dolo eum interemptum, omnes præter Polichnitanos & Præsios, magna classe armisque formidabili ad vindictam vsque in Siciliam concurrerunt, Camicumque vrbem magna vi aggressi, naturæ artisque vrbis munitione frustrati sunt. Ea enim dura obsidione per quinq; annos nequicquã expugnata, tandẽ cõmeatus inopia depulsi fœde castris re infecta abiere, necnõ in Italiæ oram tẽpestate disiecti naues omnes amisere. Quocirca spem omnem in Cretam redeundi plane sibi ademptam videntes, mutato nomine se Iapyges & Messapios appellarunt: atq; Hyriam vrbem in Italia condiderunt, vt scribit Herodotus. Dædalus autem in Sicilia ne, an in Sardinia, quo Iolaus ipsum accersiuerat, an potius in Italia diem suum obierit, incertũ est. Post hæc Laomedonte Troiæ imperante, & paulo ante incendium, vir quidam vti gnoti nominis, ita non obscuri sanguinis, a rege iniuriarũ damnatus, cum tota prosapia præter filias virgines, capite plexus est. In virgines namque cum & ob sexus & ob ætatis infirmitatẽ sæuire indecorũ fœdumq; Regi visum esset, procul inde asportandas mercatoribus plerisque Ilio profectis commisit, supplicium illis vltimum, si dimãdatis deessent, interminatus. Naui igitur vna virgines, & incerti nominis adolescens, illustri tamen & ipse Phrygio genere prognatus, Siciliam (consilio, an vi pelagi, incompertum) adnauigant, inq; eam partem quæ Drepano est contermina, quã & Sicani adhuc habitabãt, appulsi, in agris inter Sicanos subsidẽt. Vbi adolescẽs alterius virginũ amore captꝰ, eã sibi cõnubio iũgit: filiũq; ex ea suscepit, quẽ qdã inter agrarios & caprarũ syluas sit editus, Ægestũ nominat. Qui inter Sicanos educatus, cũ primũ adoleuit, parentib. orbatus, a Priamo Laomedõtis in regnũ successore reditũ in Troiã impetrat. quo cũ pueniisset, quib. esset maiorib. genitus, edixit. Gẽtilibus statim nepotis subiit memoria, lineamẽtaq; patris agnoscunt. ad quæ cum conuenirent & parentũ ætas, & exilii tempus, a suis gratulanter, nec minoria cæteris Troianis studio excipitur. Subinde decem & septẽ dies æstiuale ante solstitiũ capto Ilio, AEgestus vna cũ Elymo Phryge regia stirpe nato, fuga salutẽ sibi quęrẽs, trib. cũ nauibus Siciliã aliquanto prius quã AEneas aduectus, in littus Sicanorum iuxta Criniſium fluu. egreditur, agrisq; vicinis sedes ponit. Sicani ad nouæ classis

classis aduentum occurrunt, Ægestum ac Elymum Troianæ nobilitatis principem insignem quam benignissime & in hospitia & in agrorum partem accipiunt. Interea Æneas anno post captã Troiam primo, qui. 20. post solstitium die (hoc est. 8. Calend. Iul.) incipit, classe profuga Italiam nauigans, circiter autumnale æquinoctiũ per Hellespontum in Thraciam cum sociis aduectus, ibi totam eam commoratus est hyemem, quo & susciperet ex fuga reliquos, & pararet ad nauigationem necessaria. Quo facto Epirum venit: vbi Epirotæ complures, Patro præterea Thurius cum Thuriorum nõ contemnẽda manu, ei se itineris instituti comites (teste Dionysio) addunt. Quorum Epirotæ, Ionio emenso mari, ad eam Italiæ oram quæ Magna Græcia dicebatur, applicantes, laborum pertæsi, Epirum reuertuntur, Troianis & Thuriis cum Ænea cursum sequentibus. Siciliam igitur veris initio, freto peragrato tenent. Vbi Patro nouandarum rerum cupidine ductus, relicto Ænea Alontium circa eam oram quæ Æolias respicit, in edito colle sitam vrbem cum sociis incoluit. Æneas vero, vt Veneris templum inuiseret, secundante vento Erycem versus cursum tendit. Vbi & in eos Troianos incidit, qui ad Crinisium. fl. paulo ante cum Elymo & Ægesto inter Sicanos insederãt. Cuius aduentu cognito, Elymus & Ægestus ad littus occurrunt. Quos post multos vtrinque questus, ac mutuã cõgratulationem Æneas ad sedes ibi Troianis instaurandas hortatur. Eoque monitu duas vrbes ad Crinisium flu. & agros vicinos vterque sibi vnam condunt. Hæc AEgesta, (quam proinde Latini Segestam dixerunt) altera Elyma a conditoribus nomen est adepta. Ibique AEneas, quo citius eæ vrbes accrescerent, per hyemem secundo post Troiæ excidium anno cum sociis mansit: conditisque vrbibus, ex ea Troianorum multitudine quam secum adduxerat, siue vt iactatis mari fluctib. exhiberet requiem, siue vt ægri ex balnearum vsu, quæ ad Segestam sunt, conualescerent, siue ob incensas a mulieribus naues, (vt diuersa est authorum opinio) associatis ciuesque adscripsit. Sub idem ferme tempus Phocenses ob varias calamitates e Troia in Libyam tempestate, ac deinde in Siciliã delati, accolæ icto cũ Troianis fœdere accesserunt. His igitur coloniis Troiani eas vrbes, ac Scheram etiam vicinam habitantes, omnes vno nomine ab Elymi præstantia Elymi sunt appellati. AEneas deinde suorum successu lætus, & templo Erycinæ Veneris quam religiosissime culto, pretiosisque muneribus donato, & Eryce etiam colonia relicta, qui cum aliis etiam Elymi sunt dicti, ibique ad eius maritimum agrum (qui a Bonagia hodie nomen habet) genitore amisso, Tyrrheno mari Italiam ad Laurentẽ appulsus agrum, secundo post Ilium deletum anno peruenit. Vbi icto cũ Latino Rege fœdere, & accepta agri portione, ductaque vxore Lauinia Latini filia, vrbẽ ibi condidit, quam ab vxore Lauiniam appellauit. Dũ hæc a Troianis in Sicilia gerũtur, Phœnices ac Libyci in Siciliam communi classe traiecerunt: occupatisq; promontoriis Pachyno & Lilybæo, aliisq; paruis inter Africam & Siciliam interiacẽtibus insulis, oram Siciliæ quæ ad Aquilonem vergit, negotiandi cum Siculis studio etiam sunt adepti. Post Græcorum vero in Siciliam aduentum, inde recedentes, Motyam, Soloentum & Panormum, finitima Elymis oppida, translatis eo sedibus incoluerunt, freti tum Elymorum societate, quam fœdere pepigerant, tũ quod locus ille exiguo traiectu distat a Carthagine. Eodem ferme tempore post captã nimirum Troiam Meriones Cretensis, & cum eo ex Creta insula complures classe in Siciliam (voluntate, an maris excursu delati incertum) ad Engium vrbem appelluntur. Vbi ab Engiatibus eorum cognatis humaniter & hilari studio suscepti, pro ciuibus profugi, pro domesticis hospites adscribuntur. Et hæc quidem in Sicilia ab initio ad Troianorum vsq; errores a Barbaris sunt gesta. Quorum maxima pars scriptorum inertia, & temporum iniuria a nobis desideratur. Nunc temporum ordo expostulat, vt de Græcis, qui Siciliam postea cultu, moribus, lingua, & vrbibus maiorem in modum excoluerunt, differamus.

CAPVT II.

POST occupatam igitur a variis nationibus Siciliam, nemo fuit qui solus in ea imperium obtinuerit: sed magna ex parte singulis vrbibus singuli imperitabant Tyranni. Reliquæ ciuitates liberæ suarum Rerumpublicarum, qualescunque essent, conseruationi defensionique operam dabant. Quo enim tempore Artaxerxes (qui & Longimanus est appellatus) Persis dominabatur, Romani vero a Consulibus regi cœperunt, Sicilia a populo (vt author est Cæsariensis Eusebius) regebatur. Eoq; rerũ statu anno ab orbe condito (si recte Eusebius supputat) circiter. 4400. & post Siculorum aduentum trecentesimo, & multo post Troianum excidium, Græci Siciliam traiicere cœperunt. Quorum post Cretenses, primi Chalcidenses ex Eubœa insula, Hippobatis Chalcidem metropolim vrbem (teste Aristotele) moderantibus, Theoclis Athenienſis ductu, a Thucydide, Strabone, & Pausania perhibentur. Enimuero Theocles cursu pelagi ventorumque in Siciliam actus, visa soli feracitate, mortalium solitudine, ac pulchritudine loci, in nouandarum rerum cupiditatem pertrahitur. Athenas igitur regressus, cum ciues suos ad mutandas sedes flectere nequiret, Chalcidenses, Iones, & Dorienses nactus in Siciliam reuertitur, & Naxũ vrbem in ora freto adiacenti ad angulum qui aliquatenus in mare procurrit, (vbi hodie arx est Schixon appellata) condidit, & incoluit. Vbi & Apollinis Archagetę templum aramque magno structurę ornamento extra vrbẽ extruxit. Cuius oraculum deinceps Græci antequam Sicilia siue ad bellum, siue ad negotiũ aliquod peragendum soluissent, sacris plurimis libaminibusque frequentabant ac venerabantur. Sequenti deinde anno Archias Corinthius Herculis genere satus magna Corinthiorum, ac Dorienſium qui Zephyrum spectant, manu secum adducta, e Corintho ea quam ex Plutarcho supra retulimus causa, in Siciliam venit: Syracusasque in Ortygiam ab AEtolis primum, & trecentis postmodum annis a Siculis habitatam vrbem, classe applicuit: eamque copiis ibi omnibus expositis, magna incolarum strage facta, militari manu capit, Siculosque qui e prælio superfuerant, inde in mediterranea Siciliæ oppida expulit. Erat tum ea sola Syracusarum pars mœnibus cincta, quæ Omothermon ab AEtolis, Ortygia postea & Nasos Græce, Insula Latine vocata est. Quam tum solum Siculos tenuisse ex veteribus constat. Mox ei nouo incolatu, crescenteque in dies multitudine, Acradina, Tycha, & Neapolis partes sunt additæ: quibus in eam, quæ postea fuit, magnitudinem adoleuit. Et hæc secunda fuit Græcorum in Sicilia vrbs. Quæ naturali duorum portuum commoditate, & agri fœlicitate, breui maxima rerum ac imperii susceptit incrementa. ita vt Syracusani non modo dignitate, sed principatu quoque cæteros antecellerent: Barbarosque omnes (qui Siculi erant, Sicani, & Morgetes, pluresque alii, qui ante Græcos Siciliam traiecerant) maritima insulæ loca attingere non permittebant, sed in mediterranea eos depulerant. Vnde euenit vt duo in Sicilia essent imperia, Siculorum vnum, quod solum mediterranea possidebat: cuius regia vrbs Trinacia fuit: alterum Syracusanorum, quod latissime postea etiam extra insulam ad aliquot Italiæ & Græciæ regiones, ac vicinas etiam insulas propagatum est. Sed ad institutum redeo. Septimo anno post Syracusas a Corinthiis occupatas, Chalcidensium plurimi Leontinum vrbem a Siculis multis ante annorum spatiis extructam habitatamque, Corinthiorum adducti exemplo, armis aggrediuntur, superatis prælio Siculis, atque in mediterranea abactis, incoluerunt. Eodemque anno eiusdem gentis cõplures ob inclementiam cœli Naxo discedentes Euarcho duce, Thucydidi, siue Catano coloniæ ductore, vt alii scribunt, Catanam vrbem a Siculis conditam adorti non magno labore capiunt, Siculis etiam inde in mediterranea remissis. Sub idem ferme tempus e Megara Græciæ

Græciæ vrbe Lampis coloniam Megarenſium ducens in Siciliam venit,& ad Pantagiã fluuium Brucam hodie dictũ conſedit,ibiq; oppidum nomine Trotilũ cõdidit. Qui cũm Chalcidenſibus poſtmodũ apud Leontinos Remp. adminiſtraret,a Leontinis eſt exactus.Iccirco Thapſum peninſulam non multum inde diſtantem petens, oppidum eiuſdem nominis in ea condidit. Quo poſtea decedente Megarenſes Thapſo profecti, ſub Siculorum Rege, cui Hybloni nomen erat,& qui regionem prodiderat, Hyblam Siculorum vrbem ibi propinquam occuparunt: quam poſtea a ſua patria Megaram dixerunt. Sed & anno quadrageſimo ſupra centeſimum poſt Hyblam a Megarenſibus occupatam, Duce Pammilo noua ex Megaris Græciæ eorum metropoli accita militum manu, Selinuntem in latere meridionali ſitam vrbem, & a Phœnicibus conditam, pulſis ex ea regione conditoribus,inuadunt & occupant. Sed & Hybla poſtquam a Megarenſibus eſt habitata anno quadrageſimo quinto ſupra ducenteſimum, a Gelone Syracuſarũ Rege incolis vrbe & regione depulſis funditus eſt deleta. Anno vero poſt captas ab Archia Syracuſas quadrageſimo quinto,Antiphemus e Rhodo,& Entimus ex Creta ſocietatis inito fœdere, coloniam Rhodiorum, qui Lindii fuerant,legibus Doricis imbutam,& Cretenſium,in Siciliam duxerunt: vrbemque iuxta Gelę flu. oſtium Gelam fundarunt. Sed & Geloi ipſi anno centeſimo ferme octauo a ſuis primordiis,ducibus Ariſtonoo & Pyſtilo,Agrigentum vrbem,datis etiã ei Doricis legibus,cõdiderunt.Syracuſani quoq; anno poſt Syracuſas occupatas ſeptuageſimo Acras in niuoſis montibus oppidũ, annoq; dein nonageſimo Caſmenam vrbem in planitie ædificarunt. Præterea & anno centeſimo trigeſimo quinto Camerinam vrbem ad littus meridionale, ducibus Daſcone & Menecolo,condiderunt. Sed & iidem Syracuſani paulo poſt Enpam in vmbilico Siciliæ vrbem ædificarunt.Cumani ſub eadem ferme tempora ex Cumis (quæ eſt in Opica Chalcidica vrbs) per Siciliæ fretũ prædatoriis nauibus graſſantes, Zanclam in freto a Siculis quadringenteſimo quinquageſimo circiter ante anno conditam, paruo negotio pulſis incolis occuparunt.Sed & poſtea ab eiuſdem gentis Periere Cumano, & Cratæmene Chalcidenſe ducibus,ſuperueniente hominum multitudine,cõmuni fœdere cum maiori tutela eſt habitata.Quo tempore Zancleı adeo floruerunt, vt Himeram vrbem deducta ab Euclide,Simo,& Sacone colonia condiderint.Cũ quibus plures Chalcidenſes,& Syracuſani etiam venerunt.Interiecto deinde non ita longo tẽpore, quo apud Latinos Æneas Syluius regnare cœpit: Heraclea in Sicilia a Dorieo Lacedęmonio conditur.Sed libet paulo altius eius originem repetere.Euryſtheo in Lacedæmonia rerũ potiente, Heraclidarũ genus (quod iã inde ab initio celebre,& apud Spartanos in ſumma veneratiõe vel ob id ſemper fuit,quod ex Hercule ſatum in Sparta vrbe floruit) in Pelopõneſum deſcendit, atque ſe Dorienſibus immiſcuit. Ex his Anaxandrides Leontis filius vnus fuit,qui ſororis filiã in vxorem duxit.Quæ cum extrema ſterilitate laboraret,ne Euryſthei propago deficeret,ab Ephoris (qui & Tribuni erant) optimatibuſque ei conceſſum eſt,vt non repudiata priore alteram ſuperduceret. ex qua ſuo tempore Cleomenem filium ſuſcepit. Quo nato , & prior concepit. Cui parturienti, ne vterum mentita partum ſibi ſubiiceret,cuſtodes aſſederunt: iiſque teſtibus Dorieum primum,poſtea Leonidem, ac demum Cleombrotum edidit. Mortuo Anaxandride, etſi Dorieus germanos fratres & conſilio & militia longe antecelleret, Regniq; vel ob id ſummam ad ſe delatum iri confideret: Ephori tamen Cleomeni natu & mentis inopia maximo ſucceſſionis legitimo iure coacti inuiti ſane Regnum tradiderunt. Quocirca Dorieus indignum ſibi prælatum moleſte ferens, adduci non potuit vt in Sparta permanens fratri ſubiiceretur. eoque impetrata a Spartanis colonia, inconſulto Delphis oraculo, in Africam delatus eſt. Vbi ad Cinypem iuxta flumen locum ſibi delegit tota Africa pulcherrimum, & ad futurę vrbis ſpem aptiſſimum, quemq; arte & præſidio munitiſſimum etiam reddidit. At tertio vix exacto anno ab Afris & Carthaginenſibus fœde inde pulſus, in Peloponneſum rediit. Cui Antichares vir Eleonius ex Laii oraculis conſuluit, vt in Sicilia in Erycis regione, quæ Heraclidis lege ab Hercule ob interfectum Erycem pacta, & non Barbaris, a quibus teneba-

tur, in Herculis honorem debebatur, Heracleam vrbem conderet. Quo ille acceptо Delphos non impiger ad oraculum (prout ſuperſtitioſæ gentis mos erat) conſulendum ſeſe cõtulit. cui cum Erycis regionem Pythius polliceretur, ſumptа, quã paratã pro Africa repetenda habebat, claſſe, cum Theſſalo, Paræbate, Celea, & Euryleonte coloniæ Spartiatarum deducendæ Spartiatis ducibus Diodoro, & Chilone Athenienſi Pauſaniæ, Lacedæmone ſoluens, & Italiam præteruectus Siciliam tenuit. Vbi regionem Erycis quamprimũ declarata progenie, ſeſe dedentib. accolis adeptus eſt: atq; inter Agrigentum & Selinuntem ad promontorium quod Caput album hodie dicitur, ſuper ruinis vrbis Minoæ vrbem cõdidit, quã ab Hercule Heracleam appellauit. Qua ratione perſuaſi incolæ, vrbis Heracleæ Herculẽ authorem conditoremq; prædicant. Ea vero, regnante ibidem Dorieo, adeo breui coaluit, vt Carthaginenſes vel inuidia, vel metu, nequando Heraclea viribus aucta ob vicinitatẽ Phœnicũ deleret imperiũ, exciti, ſocia arma cum Egeſtanis ſumpſerint, magniſq; contra eam copiis conſpirauerint. Qui fractis bello Heraclidis, cæſiſq; Dorieo, Theſſalo, Chilone, Celea, & cæteris Spartiatis ducibus, vno Euryleõte excepto, captã vrbẽ euerterunt. Eam tamen non multo poſt Selinuntii inducta ſuorum colonia reſtituerunt. quam Pythagoras deinde aſſumpto Monarchiæ titulo adminiſtrauit. Sed & ipſam Euryleon, qui ſolus Spartiatarum ducũ cladis ſuæ pererat, collectis vndiq; Heraclidarum reliquiis, a Selinuntiis veteri nomini legibusq; redditã, Minoamq; appellatam aggreſſus (ſublato Pythagora) magna vi recepit, Selinuntinosq; a monarchiæ iugo aſſeruit. Quam tamen ipſe poſtmodũ cũ inuaſiſſet, a Selinuntiis in ſeditionem actis in ipſo Iouis Forenſis templo, ad quod confugerat, ante aras cõfoſſus in ſuo ſanguine corruit. Subinde Zãcl̨i nõ multo poſt Zanclã conditã, & Olympiade ſeptuageſima prima, cũ Scythes OEnycinus Rex Zanclæ vrbi imperaret, miſſis in Ioniã nuntiis, Iones in Pulchro Siciliæ littore, quod ad mare Tyrrhenũ vergit, ad nouã condendã vrbem inducere conantur. Qua legatione ex Ioniis Samii ſolum, & Ionii quidã a Phœnicibus & Medis victi, cum Cadmo Coo, Scythæ Coorum Tyranni filio, qui Tyrannidem Coorum a patre acceptam iuſtitia perſuaſus ſpõte in medio vrbis renuntiauerat, ad iter ſeſe vrbiſque decretæ ſtudium parauere. Cumque ad Zephyrium Locrorum promõtorium (quod noſtra ætate vulgo Spartiuentum appellatur) applicuiſſent, Zanclæi cum Scythe eorum Rege in vrbis cuiuſdam Siculæ (cuius nomen ſcriptorum incertia intercidit) obſidionem exierant, ſteteratque eo modo Zancla vrbs vel ob id præſidio vacua. Inuaſerat per ea tempora Rhegii Brutiorum vrbis, quæ paucorum politia prius regebatur, Tyrannidem Anaxilas Cretinis filius, qui paternum genus ad Alcidamidem Meſſeniũ Peloponneſiacum (5. Poli. teſte Ariſtot.) referebat. Is cum Zanclæorũ odio laboraret, Samios hortatur vt Pulchro Siciliæ littore nacto Zanclã vrbem viris deſertam ſibi occuparent. Qui, vt perſuaſi fuerãt, Zanclã, in qua amice fuerant recepti, violata fide adoriuntur, atq; nullo labore capiũt. Re cognita, Zãclæi ſtatim ſoluta obſidione, aduocatoq; Hippocratis (Gelę Tyrãni, Gelonis fratris) auxilio, ſtatim ad Zanclã violatũq; hoſpitii ius repetendum aduolant. Quo & Hippocrates ſine mora, delecta cũ militũ manu, ad ſimulatas ſuppetias cõtendit. Vbi & ipſe diffracta fide in Zãclæos irruit, captũq; Scythen Zanclæorũ Regẽ, & Pythogenẽ eius germanũ fratrẽ, in oppidum Siciliæ Inyctum Gelæ vicinum, quod ſuæ ditionis erat, relegauit: Zanclæoſque poſtmodum, pacta cum Samiis prædæ totius ac agrorum æqua portione, Samiis prodidit. quibus & trecentos e Zanclæis viros patritios, quos captiuos tenebat, ad lanienam tradidit. Illi vero nefarium facinus horrentes, vitam captis libertatemque donarunt, Zanclæ occupatione ſatis iniuriæ factum rati. Quam deinde libere veteribus exutam colonis cum ſuis inſedere, Scythes autem Zanclæorum Rex, effractis vinculis Inyćto fugiens, Himeram primum, ac ſubinde in Aſiam, ad Darium Regem confugit. A quo benigne ſuſceptus, iuſtiſſimus omnium ob id iudicatus eſt, quod cum antea exorato Rege in Siciliam abiiſſet, rurſus nunc vltro ad eum rediiſſet. Protracta igitur apud Perſas multos annos vita, ſenex tandem deceſſit. Poſt hanc Samiorum proditionem anno ferme decimo, inter Samios, & Rheginos, ac

Anaxilam

Anaxilam eorum Regem, odia bellorumque etiam initia non parua suborta sunt: ita vt Anaxilas pertæsus consilii auxiliique, quæ ad Zanclam inuadendam Samiis dederat, eosdem pellere in animo statuerit. Cuius instituti occasione Messenios complures Peloponnesiacos populares a Lacedæmoniis superatos, & patrias sedes relinquere cupientes, pollicitationibus allectos, in Samiorum iniuriam profligationemque Anaxilas ad se euocauit. Eoque impulsu Gorgus Aristomenis filius, & Manticlus magna cum Messeniorum multitudine in Siciliam traiecerunt. Cum quibus Anaxilas communi Marte Zanclam terrestri maritimoque bello aggreditur. quam breui obsidione expugnatam funditus delet, eique ad. p. m. nouam vrbem substituit, quam a sua & sociorum patria, Peloponnesi scilicet Messena, extincto Zanclæ nomine Messanam appellauit. Quam deinde Manticlus, alter Messenensiū ducum, extra mœnia Herculis templo magnifice sua ipsius impēsa constructo decorauit: in quo erectus Hercules visebatur, Hercules Manticlus nominatus. Anaxilas quoque Rhegii oppidi administratione Micytho Chœri filio spectatissimæ fidei seruo relicta, nouæ vrbi ampliandæ totus incubuit. Enimuero magna prudentia conspicuus salutares leges tulit, nec quicquam, quod ad defendendum honestandumque ciuium suorum statum pertinere videretur, vnquam prætermisit. Quo effectum est vt hinc ex Sicilia, inde ex Italia ad Messanam frequentandam turmatim homines confluerent. eaque ad naturalis portus commoditatem accessione, mœnibus etiam circumquaque ac propugnaculis erectis, priuatorumque ædificiis, breui coaluit, & in pulcherrimæ vrbis formā redacta est. Post hæc Anaxilas Cydippam, Terilli Himeræ vrbis Tyranni filiam, vxorem accepit. quæ duos ei peperit liberos. Sic igitur cum plures a Græcis coloniæ in Siciliam essent ductæ, & plures maritimæ vrbes præclaræ ab eis essent conditæ, mutuaque cum Siculis postmodum consuetudine vsuque complures quotidie Græci in Siciliam nauigarent, mutato nomine, processu æui omnes sunt Siculi appellati. Sed & Siculi ipsi, barbara omissa lingua, Græcam didicerunt. qua omnes deinceps publice tanta constantia sunt vsi, vt Græcæ adhuc Siculorum passim non paruī nominis scriptorum variæ obseruentur voces. Sed de Tyrānis Siciliæ postulat ordo vt loquamur.

DE TYRANNIS SICILIÆ, Cleandro, Hippocrate, & Gelone,

CAPVT III.

SICILIA ab initio incredibili Tyrannorum prouentu longe omnibus orbis regionibus feracior, ab initio hominum monstra gignere consueuit: quæ potius a Tragœdis deflenda, quam a scriptore recensenda sunt. Hinc Cyclopes, Læstrygones, & Saturnus: hinc plurimi deinceps in eius sinu, eiusque deliciis enutriti, efferatę mentis sæuitatem in ea exercuerunt: quosque inopinatum robur prouexit, vberum eius lacte saginati, eius viscera recalcitrando discerpserunt. Porro Siciliæ ciuitates cū oligarchia Græcorum tempore regerentur, anno mundi. 4547. & ante vrbem conditam. 64. Phalaris inter Græcos primus Agrigentum Tyrannide inuasit. quā non sine magno ciuitatis ciuiumque potentissimorum tædio & discrimine, aduenarumque miserandis sceleratisque cladibus, annos secundum Eusebiū triginta vnum, secundum alios nonnullos sexdecim, crudelissime vsurpatam nō multo mitius finire coactus est, dū a Zenone nequicquā cōiurationis authores cruciatib. extorquēs, a Telemacho Regiæ stirpis iuuene saxis obruitur. De cuius administratione vitaq; latissime priori decade memorauimus. Sed nō diuturna assertis hæc libertas fuit. postmodum enim eam Thero, ibidem resumpta circa annum mundi 4700. Tyrānide, perrupit. Quo tēpore & Panætius Leontinū, & Cleāder Patareus Gelā in seruitutem sibi subegit: qui post septimū Tyrannidis suæ annum a Sabyllo viro Geloo interemptus, non indignum suæ vitæ exitum sortitus est. Sed eo mor-

tuo Hippocrates frater eius Gelæ ſuſcepit imperium. Cuius ſtatim initio Callipolitanos, Naxios, Zancleos & Leontinos bello laceſſiuit: ac eos ferme omnes, Gelone ſatellite ſuo (quem ob ſtrenue deinde operam nauatam equitum præfectura donauit) & AEneſidemo Pataico ducibus ſuperauit. Barbaros quoque plurimos ſuæ ditioni ſubiecit. Pugnauit quoque Hippocrates cum Syracuſanis, quos cum ad flumen Elorum magna ſtrage fregiſſet, eorum complures ex primoribus cepit. Quos tamen, Corinthiis & Corcyræis intercedentibus, hac lege dimiſit, vt Camerinam, quam deletam a ſe deſeruerant, ei dederent. Quam in redemptionis pretium libere acceptam Geloorum immiſſa colonia, quibus arma, viaticum, & agri portionem viritim aſſignauit, continuo reſtituit. Quibus rite conſtitutis, rerum ſeptennio potitus Hippocrates, dum contra Siculos ante Hyblam cognomento minimam confligit, in ipſo prælio ab hoſtibus peremptus glorioſe occubuit. Dum hæc apud Hyblam gerũtur, Syracuſæ vrbs, quæ ea tempeſtate populari nomine moderabatur, potentioribus nobilioribuſque populi ineptum regimen deteſtantibus, facta conſpiratione, in paucorum & optimatum regimen (quod Græce Ariſtocratiam vocant) deſciuit. Sub idem ferme tempus interfecto Hippocrate, Gelon Gelæ vrbis imperium ſibi vſurpat. Sed libet ex Herodoto paucis eius primordia recenſere. Gelon ex OEcetore deſcendit. Fuerat OEcetor ex inſula Telo (quæ Rhodus eſt) oriundus, qui dũ a Lindiis Gela conderetur, aſſumptus non eſt. Cuius tamen poſteri interiecto tempore Deorum inferorum ſacerdotes in Gela perſeuerarunt, oriundi a Teline ex propagine OEcetoris, qui eos Gelois quibuſdam per ſeditionem in Mactorium vrbem, quæ ſita erat ſupra Gelam, relegatis, nullis militum copiis, ſed ſolis Deorum inferorum ſacris fretus, in Gelam introduxit. OEcetor igitur Dinomenem habuit filium. qui etiã ex ſe quatuor genuit liberos, hũc Gelonem, Hieronem, Polybulũ, & Thraſybulum. Scribũt Timæus & Diodorus, quod Gelon, dum puer admodum eſſet, & in ludi literarii veſtibulo libellum manu tenens ſederet, lupus accedens de manu eius rapuit. At Gelon magno clamore lupum inſecutus, maximum tumultum excitauit. Quo ludi magiſter, ac pueri omnes, qui centum ferme erant, commoti, vt Geloni ſuppetias ferrent, arma fuſteſque tumultuarie per domum in qua erant, quærebant. Sed inter quærendum domus ſolutis contignationibus corruit, ac pueros omnes cum præceptore peremit. ita Gelon a lupo ſeruatus eſt. Gelon itaque Dinomenis filius cum in bellis quæ Hippocrates geſſerat, præclariſſimum nomen eſſet adeptus, demoriens Hippocrates ob res egregie geſtas Euryclem & Cleandrum filios ei reliquit. Is vero cum Geloi a fide liberorum Hippocratis defeciſſent, ſub tutelæ prætextu eos prælio vicit ac ſubiecit. Qua fortuna inſolens factus, pupillis hæreditate fraudatis, ipſe Gelæ dominatũ ſibi vſurpat. Subinde cũ pleriq; Syracuſani patritii ordinis, qui Gamori dicebantur, ob contentionem magiſtratus a plebe & ſeruis, qui Cyllyrii nominabantur, coniuratione facta eiecti in Caſmenam vrbem ſeceſſiſſent, Gelon in auxilium ab eis euocatus, magna militum manu coacta, eos ab vrbe Caſmena, ſubacta plebe & ſeruis, Syracuſas reduxit. Quo facto adeo apud eos illius nomen inualuit, vt ei Syracuſas aduenienti vno cõſenſu vniuerſitas & vrbem & ſeipſam dederit. Atque hoc pacto Syracuſarum imperium primus omnium ſolus Gelon eſt adeptus, anno ſecundo ſeptuageſimæ ſecundæ Olympiadis Hybride Athenis regnante, vt Pauſanias lib. 6. teſtatur. quo tempore Demataten Theronis Agrigentinorum Tyranni filiam vxorem accepit. Gelõ igitur, occupata per hunc modum Syracuſarum vrbe, Gelam, quã tenebat, Hieroni fratri conceſſit, ipſe vero ad Syracuſas muniendas atque ornandas totum ſe dedidit. Ideoque ea ciuitas eius opera confeſtim excreuit ac propagata eſt. Nam Camerina ab eo inſolenter deficiente deleta, Camerinæos Syracuſas adduxit, ciueſq; adſcripſit. Geloos quoq; complures Syracuſas habitandam tranſmiſit. Megarenſes præterea, qui temere bellum contra eum mouerant, ſuperatos, locupletiſſimosquoſque & belli authores Syracuſas traduxit, & ciuitate donauit. Plebem vero, quæ belli moti fuerat expers, Syracuſas in vinculis adductam per Siciliam vendidit. Eubœam etiam Siciliæ vrbem, quæ ab eo fide & officio receſſerat, armis euictam euer-

ctam euertit. Cuius proceres (plebe pretio proscripta) Syracusas etiam incolere voluit. Iure etenim Megarensium & Euboicorum plebem a proceribus diuisit, quod plebis contubernium proceribus sæpenumero sciret esse perniciem. Iis itaque rerum momentis & Syracusæ vrbs maxima suscepit incrementa, & Gelō nobilitatis, administrationis, authoritatisque commendatione, præclarissimi Tyranni tā domi quā foris nomen est adeptus. Cuius res nihilo inferiores quam Græcorum & bello & pace vulgo censebantur ferebanturque: etsi disciplinarum liberalium (teste Æliano) fuerit expers. Bellicę vero virtutis, imperii sui principio nō obscura exēpla edidit. Mortē nāq; Doriei Lacedęmonii a Carthaginensibus & Egestanis interfecti (vt memorauimus) vlturus, bellū cōtra Egestanos mouit. quib. cū Carthaginēses auxilia misissent, ipse suppetias a Lacedæmoniis & Athenienſibus postulauit. Quibus negatis, solus ipse in aciē egressus, longe amplissimā victoriam contra hostes obtinuit. At cum subinde Xerxes iuncto pontibus Hellesponto Græciæ bellum inferret, ad Gelonem Lacedæmoniorum & Athenienſium legati venere, auxilia aduersus Xerxem petituri. Quibus quam turpem in simili causa repulsam ab eis passus fuisset, prius ad dedecus recensens, ducētas mox triremes cum viginti armatorum milibus, equitum vero duobus, sagittariorum totidem, ferentariorum totidem, leuis armaturæ totidem, & funditorum totidem, & rei frumentariæ quantū cunctis Græciæ copiis esset vsque ad debellationem necessarium, ea lege pollicitus est, vt vel maritimo vel terrestri ipse præesset exercitui. Quam conditionē legatis prædictis recusantib. dicentibusq; milite, nō duce Gręcos indigere: subridens Gelon, Vos (inquit) Athenienses, qui apud vos imperent, nō qui pareant, habetis. Abite igitur hinc quam celerrime, & vestris vrbibus hoc renuntiate: Ver exanno illis exaruit. (hoc adagio subindicans, suum exercitum præcipuum esse Græcię florem, ac robur. Qui si illis deesset, defuturum quod erat in primis habendum. Ver enim præstantior est anni pars: quo sublato, ne annus quidem dici meretur) Hoc responso nuntii accepto profecti sunt. Sed Gelon aduertens quod Xerxis victoria sibi periculum foret, vbi primum cognouit, eum Hellespontum transmisisse, Cadmum Scythæ filium Coum, hominum iustissimum, cum tribus triremibus multaque pecunia misit ad obseruandum quo casura esset pugna: vti si Xerxes vinceret, ei pecuniam suo nomine traderet simul, & terram, ac eorum locorum aquam, quibus in partibus Græciæ ipse imperabat: sin Græci superarent, pecuniam rursus reportaret. Cadmus in Græciam profectus, vbi Græcos nauali pugna superiores, Xerxemque cum exercitu retrocessisse cognouit, & ipse cum omni pecunia, prout in mandatis habebat, in Siciliam ad Gelonem est reuersus. Dum hæc Syracusis agerentur, Terillus Crinippi filius Himeræ Tyrannus, a Therone AEnesidemi filio Agrigentinorum monarcha, magno exercitu, magnaque vi ab Himera eiicitur, imperioque priuatur. Erat Terillo Himeræo Anaxilas Zanclæ Tyrannus gener, vt diximus. Is vlciscendi soceri gratia Hamilcari Hannonis filio, Carthaginensium duci ingenio & militia præstantissimo, (qui a patre quidem Carthaginensis, a matre vero Syracusanus erat, vt Herodotus refert) filios duos obsides dat: quibus Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Ligyorum, Elisycorum, Sardorum, & Cyrniorum trecenta milia contra Theronē, & ad Terillo Himeræ imperium restituendum ab eo impetrat. Quo cognito Theron virium accessione etiam opus sibi ratus Gelonem generum in societatem euocat. Iuncti itaque Theron & Gelon Hamilcari obsistere pergunt. Hamilcar itaque cum copias omnes terrestres nauales que coegisset, Carthagine cū ducētis longis nauibus, ac trecentis onerariis soluens, dum Libycum mare nauigat, subortā ventorum ac maris vi naues omnes, quibus equites curruſq; vehebantur, amisit. Tandemque coactus procella Panormi portum applicuit: tum victoriam in manu se habere confidens, postquā maris sæuitiē euasisset. Verebatur etenim ante ne maris tempestas classem omnem prorsus absumens, hostes metu & periculo liberaret. Refotis igitur triduo militibus, instructisque omnibus quæ maris agitatio concusserat, contra Himeram terrestri itinere copias educit, adnauigante littori ac pariter assequente classe. Vbi ad Himeram ventum est, bina castra muniri

niri iubet: altera maritimo, pedestri militi altera opportuna. Tum naues longas in terram subducit, easque fossis, vallo, & ligneo muro circumagit. Castra pedestris exercitus in vrbis conspectũ fronte aduersa constituit, munitione a nauali vallo vsque ad colles vrbi imminentes producta. Postremo parte ad occasum spectante munitionibus vndique circumobsessa, commeatum omnẽ ex onerariis in terram exposuit. Expeditiones in diuersa ex Africa & Sardinia ad frumenta & commeatum exercitui deferenda dimittit. Rebus igitur ita paratis, ipse cum robore exercitus, mox ad pomœria vrbem inuadit. Cui Himerensium agmen tumultuarie statim occurrit. Sed Hamilcar primo impetu eos per vim fudit: pluribusq; cæsis intra mœnia compulit. Atque ea clades ad frangendos Himerensium animos perterrendosque non parum valitura videbatur: nisi Theron, qui præsidio ciuitatem tuebatur, cognita suorum trepidatione, hostiumq; vim suspiciens, extemplo ad Gelonem re per nuntios declarata, Syracusis suppetias exciuisset. Quale gatione accepta, cum quinquaginta peditum, equitũ vero quinq; milibus (quos iã paratos expeditosq; ad oẽm euentum habebat) Gelõ magnis itineribus Himeram aduolauit. Cuius statim præsentia aspectuque turbati obsessorum animi resedere, atque in melioris fortunæ spem eriguntur. Subinde castra iuxta vrbem locat, fossaque atque aggere munit. Quo facto clam equites contra barbaros, quos iam tum commeatus & rerum omnium inopia palantes vagosq; per agros turmatim sine ordine in prædam coegerat, nihil minus quã Græcos metuentes, dimittit. Qui & in incautos hostes irruentes, ex abrupto occupant, paruo negotio superant, eorumque supra decem milia in vrbem captiuos ducunt. Hac prima parta victoria, authoritatem, quam sibi apud confœderatos pepererat, sociorumque spem, quos iam ex pauore in contemptũ ludibriumq; hostiũ conuerterat, fortunæq; applausum, quibus intrepide constantiq; pectore vti cœperat, prosequitur. Vrbis igitur portas, quas præ metu inimicorũ Theron munitionib. obstruxerat, in hostium despectum aperiri, aliasq; præterea patefieri iubet. quibus sibi ad emergentes occasiones patere præsentanea commoditas videbatur. Et quo suis animos faceret, infirmissimum quemque hostium, quos per excursiones ceperat, præsertim ex auxiliariis, qui nigerrimi erant, nudatum in conspectu suorum militum produxit: quorum vilitate & formæ, & staturæ, ad audendum prouocarentur. quod & euenit. nam conserto postea prælio, suorum fiducia potius quam viribus aut numero adiutus, Carthaginenses ingenti ac memorabili clade affectos egregie docuit, quãtum esset in insolentia vanoque numero spei ponendum. Neque enim uero eo fastidio contentus meditari insuper secum ac scrutari cœpit, quibus artibus totam hostium legionem eludere, copiasque omnes citra suum discrimen posset euertere. Primum itaque de nauibus eorum ingenio absumendis tentatum consilium fuit. quod si succederet, & de hoste actum fore, & rerum omnium summam, bellique victoriam sibi in manus dari certo confidebat. Nec voto euentus defuit. Siquidem statuto die, quo Hamilcar Neptuno solennibus hostiis de more sacrificaturus erat, ab equitibus Gelonis interceptus nuntius, qui ab Hamilcare ad Soloentinos literas ferebat, quibus eo die quo scripserat, equites præcinctos ei mitterent, ad Gelonem adducitur. Quo examinato, perceptoque hostium consilio, ad stratagema se parat. Cumque dies sacrificii instaret, equites ex suis delectissimos, Soloentinorum ritum habitumque mentitos, noctu ad circumuicina loca lustrãda emittit. Quibus iniunxit, vt illucescente ad nauales hostium stationes accedãt, seque a Soloentinis sociis missos simulent, ac simul vt intra vallum amice fuerint admissi, facto impetu Hamilcarem obtruncent, mox ad naues incendendas irrumpant. Cum his etiam exploratores in præiacentes colles dimittit, vt, cum primum intra hostium septa receptos suos equites conspexissent, signum extollerent, quo equites in castra hostium ingressos certum sibi sit indicium. Igitur illucescente, vbi omnem exercitum parauit, e specula signum a suis, quos miserat, præstolabatur. Equites sub solis exortum ad nauales Carthaginensium copias (vt iussum fuerat) peruecti, statim intra munitiones a custodibus nil doli veritis pro Soloentinis sociis recipiuntur. Ingressi repente in Hamilcarem sacrificantem irruunt,

irruunt, inter sacra deprehensum trucidant, postea ex aris in naues ignem iniiciunt, ac omnia hostium cæde, & incendio fœdant. Exploratores, vti erant instructi, eodem tempore patratæ rei Geloni signum extollunt. Gelo, conspecto signo, confestim cum omni quam parauerat militum acie, contra Carthaginenses citato agmine progreditur. Phœnicum duces, vbi Siculos ad se venire vident, statim arma expediunt, & contra occurrere pergunt, collatisque signis pugnam ineunt. tela vltro citroque peruolant, vir virum inuadit: vtrinque clamore sublato, vtraq; alterno impetu in alteram concurrit acies: vbique cæsorum clades editur: diuque anceps cruentumque bellum geritur. Interea flamma in naues late atque in altum correpta, multa cum fumi nebula erumpens, Carthaginensium omnium oculos a pugna ad id quod esset mali incertique periculi imminens, conuertit. Qui vbi Hamilcarem cæsum, naues que incensas accipiunt, aduerso & inopinato gemino casu perculsi, animo ac viribus concidunt, & in fugam vertuntur. Græci audentiores facti, ad certam victoriam læto clamore in barbaros incumbunt, fugientesque insequuntur. Et quoniam Gelonis edicto cautum erat, ne hostium quispiam viuus caperetur, fœda ac miserabilis barbarorum strages committitur. Nec ante finis fuit cædendi, quam centum & quinquaginta hostium milia occubuerunt. Reliqua omnis Carthaginensium multitudo in locum quendam natura munitum se recipiens, non spe victoriæ, sed in mortis vltionem, confertis animis, collectisq; viribus acerrime resistunt. Sed vbi loco arido se conclusos vident, cogente siti ad deditionem compelluntur. Herodotus diuersum quid a Diodoro de morte Hamilcaris tradit. Refert nanque non dolo a Syracusanis enecatum, sed in acie victum a conspectu ablatum, nec vsquam deinde gentiũ aut viuum aut mortuum amplius comparuisse. Carthaginenses vero tradunt quod, dum barbari cum Græcis hoc prælio ab aurora ad crepusculum dimicant, Hamilcar in castris sacrificãs, cum suos in fugam versos vidit, sese in ingentem pyram viuus iniecerit, atque ita combustus e cõspectu omnium sublatus euanuerit. Porro interea dum pugnãt acies, & Carthaginensiũ omnia igni corripiuntur, hostesque iam fere omnes vel cæsi, vel capti in Gelonis potestatem veniunt: naues etiam flammis cunctæ perierc, exceptis viginti tantum, quæ incendium remis euaserant. Quæ etiam cum ex fusa acie barbarorum pluribus (quot quæque capere potuit) perfugis repletæ, versus patriam vela verterent, in medio pelagi atroci maris tempestate suborta, omnes in transuersum abiere. Ex quo naufragio vix pauci parua scapha erepti, Carthaginem nuntii tantæ cladis peruenere. Gelon tam insigni victoria, cæsis videlicet vnica acie tot hostium milibus, quot nunquam antea imperatori cuiquã obtigisse memoriæ est proditũ, præclarissimi ducis non modo apud Siculos, verũ etiã apud omnes Græcorum & barbarorum nationes nomen est adeptus. Carthaginenses vero suorum audita tam ingenti strage, adeo consternantur animis, vt nil tutum firmumque sibi superesse amplius rati, noctes dieſque vigiliis domi incũberent, custodirent, mœnia curarent, ac si Gelon cum victore suo exercitu victor & ipse iamiam pro mœnibus expectandus esset. Luctu præterea publico Carthago ob interfectorum multitudinem innumeram repletur. Gelon itaque victor soluta acie ad victoriæ munia animum intendit, ac tum equites suos, tum milites omnes, eosque præsertim qui Hamilcarẽ occiderãt, amplissimis prosecutus est muneribus, vnicuique pro meritis præmia distribuens. Hostium selecta spolia plura Himeræ templis, pleraq; Syracusanis Deorum ædibus seruari statuit. Reliquum omne cum captiuorum turba computatum, in militum sociorum capita pro cuiusque ordine militiæ militibus centurionibusque diuisit. Siciliæ vrbes captiuos, quos sibi sors dedidit, in publica. R. P. opera dedicarunt. Agragantini, quibus tanta deditiorum multitudo obtigerat, vt plerisq; quingenti annumerarẽtur, in vrbis ædificationem, agrorumq; cultus seruorum more impenderunt. Quorum ingens numerus in publicum relatus, ad lapides cædendos est addictus. Ex quibus non Deorum modo maxima extruxere templa, verum & aquæductus spectabilis structuræ mirisq; artificii defoderunt, a Phæace viro Agrigentino, qui operibus struendis præerat, Phæacos appellatos. Construxerunt etiam eisdem operis Acragantini

tini Geloni,& ob memoriam tam insignis victoriæ,& ob delicias, piscinam ambitus stadiorum septem,de qua satis in Agrigento diximus. Gelon post hæc dimissis auxiliis, & Anaxila Messanensium Tyranno in libertatem asserto, firmataq; cũ eo pace,Syracusas reuertitur tã numeroso captiuorũ comitatu, vt omnis Africa in Sicilia hoc prælio capta videretur. Ibi vero Sicularum vrbium, Tyrannorumq;, qui Carthaginensium partes tutando eum offenderant, legati confestim adsunt: detrectatiq; a se imperii veniam petunt,& quam facillime impetrant. Pœni quoq;, veriti ne Gelon elatus tam ingenti victoria Carthaginem cũ exercitu traiiceret, legatos cum rerum componendarum potestate ad eum mittunt:quos adeo benigne recepit, vt statim conditiones has illis proposuerit : vt abstinerent deinceps Saturno filios impuberes sacrificare, vt duo argenti talẽtorum milia ad belli sumptus resarciendos soluerent, & vt duas præterea naues ei instructas in fœderis signum mitterent: quibus receptis,nihil ipsis deterius metuendũ foret. Pœni præter spem impetrata pace, conditiones alacriter acceptant: coronamq; auri centũ talentorum pondo Damaratæ Gelonis coniugi, quæ ad pacem impetrandam satis eis patrocinata fuerat,vltro offerunt. Numisma deinde in aurum affabre factũ, ab eius nomine Damarateum est appellatum,decem drachmas Atticas continẽs: quod Siculi Pentecontalitron, hoc est quinquaginta libras,dixerunt. At Gelon iam tempus esse post impetratam bellis pacem ratus, quo suorum in se animos experiretur, comitia edicit, mandans omnibus, vt armis accincti loricatique Syracusas adueniant. ipse vero non solum inermis,sed nudo etiam corpore,solo tectus pallio, in concionem prodiit. Vbi tum vitam suam percensere omnem,singulasq; res a se fortiter gestas, beneficiaq; erga Syracusanos accurata oratione cauis vnicuique adiectis declarare cœpit. Cumq; singula quæq; nutibus signisque apertissimis tota concio primũ comprobasset, mox sublata omniũ voce,læto clamore benefactor, liberator patriæ, & Rex Regum consalutatur,principatusq; publico cõsensu totius Siciliæ vltro ei oblatus. Quem tamen ille summa alacritate vultus cõstantiaque recusauit. Cuius facti magnitudine in vehementiorem amorem pertracti Siculi, (quippe quod eum populi quam monarchiæ studiosiorem cognoscerent) huius responsi monumentum, erecto in Iunonis tẽplo,quod Syracusis erat, Gelonis nudo simulacro, adiecta illi inscriptione quoq; paraphrastica,factũ egregium declarante,imperpetuum sui animi testimonium deposuerunt. Tum vero concione soluta,rebusq; compositis,e foro discessit,reique ad æquum bonumque administrandæ multo quã ante addictior, & modestia singulari,clemẽtiq; natura gratiam sibi omnium,ac singulorum etiam voluntates priuata sibi munificentia deuincire magis magisq; in dies constituit, quo vel publica authoritate,vel priuata gratia vnumquemque sibi obnoxium redderet. Nec sacrarum etiam rerum curam neglexit. Syracusis nanque subinde Cereris & Proserpinæ templa ex manubiis spoliisque hostium summo ornatu, miroq; artificio, ingenti impensa construxit. Tripodem quoque sexdecim auri talentorum pondo, mira arte elaboratum, Delphos misit,Apollinique pro gratia numinis & bene gestæ rei referenda corroborandaque consecrauit. In Enna præterea Cereri templũ ædificare cœpit:quod tamen extremo fato præpeditus,reliquit imperfectum.Scribit etiam Duris Samius post hanc victoriam apud ciuitatem Hipponium locum ædificasse deliciis insignem, luco & pulchritudine celebrem, ac aquis irriguum: quem Cornucopiam appellauit. Iamque sub optimo Principe pace parta, vectigalibus rebusq; ad vsum necessariis Syracusani operam dabant:quo tempore Athenis Demosthenes Prætectus, & Romæ Fabius, & L.Mamercus Consulatum gerebant. Pax magna Siciliam habuit: statu communi legibus optimis composito, comparataque Gelonis studio vectigalium rerumque ad vsum omnium singulis quibusque ciuitatib. copia. Sed ne Syracusani desidia otioq; marcescerent,eos tanquam in expeditionem ad agros colendos,& syluas cædendas ducere solebat:eaq; arte munus plantationis longo bello sepultum, velut ab inferis reuocauit: tum agros & cultu feraciores, & ornatu iucundiores reddidit. Septem tandem annis recte gubernato imperio graui morbo correptus, cum iam de salute desperaret,nec hæredem relinqueret,

Hieroni

Hieroni fratri natu maiori Regnum Syracusanum consensu populi tradidit, volensque plebis scita inuiolata suo exemplo seruari, in suo corpore sepeliēdo, acerrimo interdicto statuit, ne lex de sumptuum in pompas imminutione edita violaretur. Ita tandem quiete discessit, & in vxoris agrum loco nouem turrium à re ipsa appellato, ducentis stadiis ab vrbe dissito, elatus tumulatusque est. Vbi pauco post tempore Syracusanus populus sepulchrum insigne, mirificique operis extruxit, titulisque heroicis Gelonis nomen extulit. Quod postea Carthaginenses, cum contra Syracusas maxima vi venissent, diruerunt. Agathoclēs etiam Syracusarū Rex, liuore & ipse demortui Gelonis ductus, turres ipsas solo æquauit. Sed nec publica Carthaginensium simultas, neque priuata Agathoclis prauitas, neque temporum vis, Gelonis vnquam potuerunt apud Syracusanos memoriam gloriamque delere. Mirum quoddam de Pyrrho Gelonis cane Philistus & Plinius memoriæ tradiderunt. Vbi etenim canis demortuum vidit Gelonem, & in flammas vetusto more iniectum conspexit, seipsum in Regis rogum iniecit, & secum exarsit.

DE HIERONE SENIORI, ET Thrasybulo.

CAPVT IIII.

HIERON post Gelonis mortem, reliquorum fratrum maximus natu, Syracusarū Rex sufficitur, defuncto fratri supra modū absimilis: quippe qui in inexhaustā inexplebilēque auaritiam immanitatemq; extreme procliuis, ab omni honesto egregioque facinore prorsus fuerit alienus. Firmato nanque ibi Principatu, cum Polyzelum fratrem natu minorem summæ apud Syracusanos existimationis esse conspiceret, veritus ne ad suam dignitatem minuendam, imperiumque labefactandum tandem euaderet: insidiis illum occupare statuit. Primū igitur milites conductitios, exulesque quam plurimos, ad corporis sui vrbisque custodiam delegit. dein Sybaritanis, qui a Crotoniatis obsidebantur, implorata auxilia missurus, delectæ militum manui Polyzelum fratrem ex consilio præficit, vt inter præliandum a Crotoniatis absumeretur. Polyzelus, dolos fratris prouida suspicione subodoratus, præfecturā renuit, atque ad Theronem Acragantinorum Tyrannum (cuius, post mortem Gelonis, Demaratam filiam vxorem duxerat) salutem sibi fuga quæsiuit. Sed Hieron fugiētem insequitur, atque ad Polyzelum perdendum se comparat. Quo facto iratus Thero, indignabunduſq;, contra Hieronem expeditionem educit. Quod bellum paulo post Simonides lyricus poeta Hieronis studiosissimus diremit: tantæque inter eos concordiæ fuit author, vt affinitate quoque arctius iungerentur, Hierone Theronis sororem in vxorem accipiente. Interea Thrasydæus Theronis filius, qui a patre post Carthaginensium insignem cladem, Himerensium Præfectus cōstitutus fuerat, cum licentiosius aduersus eos se gereret, ciuium a se animos auertit. Qui cum querelas contra filium apud Theronem proponere non auderent, ad Hieronē, quē contra Theronē exercitū instruxisse sciebāt, legatos mittunt, Thrasydæi iniurias enarrant, conqueruntur, auxiliū exposcunt, vrbem simul & se oēs cū eo contra Theronē profecturos offerunt. Hieron occasionem nactus, qua Theroni se gratificaturum, atque ita Polyzelum sibi deditum iri arbitrabatur, Himerēses eorūq; consilia ei clā prodidit. Ille diligenti prius inquisitione facta, vbi ea omnia vera esse cōperit, Hieroni se primū & Polyzelum fratrē conciliat: deinde Himerēses, qui ab eo desciuerāt, quorum maxima erat multitudo, comprehensos vno die omnes necari iubet. Qua laniena Himera vrbs cultoribus remansit exhausta. Sed Theron Dores, aliasque ex Græcis gentes, quotquot habere potuit colonos, eo deductos ciues adscripsit. Qui omnes prudenter Remp. administrantes, ad octo & quinquaginta annos fœlici propagine profecere, quousq; vrbs a Carthaginensibus postmodum funditus est deleta. Et ex eo tempore ad Diodori vsque tempora colonis vacua atque deserta perstitit. Post hæc Hieron cū natura rudis, & ad

eruditionem omnino ineptus, atq; ab omni humanitate alienus semper fuisset, in morbum quendam incidens, vitam moresq; cum valetudine mutauit, tandemq; longe omnium doctissimus euasit. Enimuero tempus quod morbus ei diuturnus suppeditauit, in audiendis summorum hominum sermonibus consumpsit: factus- que firmior assidue erat cum Simonide Ceo, Pindaro Thebano, & Bacchylide Iulite: per quos plurium rerum cognitionem adeptus est. tantoque postea ad libe- ralitatem fuit procliuior, quãto antea perditioris erat auaritiæ: promptiorque fuit deinceps ad largiendum, quam petentes ad accipiendum. Animum denique vere illustrem ac magnificum induit. vnde cum germanis fratribus Thrasybulo & Po- lyzelo post modum leniter & amice vixit: a quibus etiam plurimum diligebatur. Cum Catana, Naxo, & Leontino etiam vrbibus potiretur, minusq; in Catanæis & Naxiis confideret: Catanæos & Naxios pulsos in Leontinos transcripsit, atque ex Peloponneso & Syracusis colonos ad decem milia ducens, Catanam inhabitare iussit, quo sibi ad necessitates imminentes subsidia quã paratissima ac fidissima ha- beret. Cæterum cum non Tyrannus Catanæ vrbis, neque Rex, sed veluti conditor & haberi & nominari vellet, abolito Catanæ nomine, AEtnam eam vrbem, & se AEtnæum appellari iussit, legesque tum Laconicas tum Doricas incolis præscri- psit: quæ sane erant præstantissimæ. Post hæc Athenis Acestoride, Romæ Cæso- ne Fabio, &. T. Virginio Coss. cum Tyrrheni Phœnicũ coloni aduersus Cumanos Italiæ populos bellum mouissent, Cumani per legatos Hieronem ad suppetias so- licitant. quibus annuens, confestim classem parat, eamque contra hostes mittit: consertoq; certamine Syracusani superiores fiũt. Nã Tyrrhenis partim cæsis iuxta Himerã. fl. partim fusis submersisq;, Siculi Cumanos ab hostib. eripiunt. Xerxes subinde cũ Græciam magno exercitu inuadere vellet, legatos ad Carthaginenses mittit, vt in Siciliã nauigantẽ Græcorũ classem vel subuerterent, vel incenderent, veliſque dein in Peloponnesum directis, ei præsto adessent. Sed cum eodẽ tẽpo- re ab Athenien sib. ad Hieronẽ legati affuissent, subsidia petentes, Hierõ illis obse- cutus ducentas naues, equitũ duo milia, peditũ decem, in Græcorũ auxilium præ- buit. Eaq; Hieronis classis Carthaginenses, qui iam in Siciliã irruerant, adorta de- bellauit. Quo memorabili facinore Siculos simul & Græcos ab imminenti clade liberauit. Scribit Epicharmus, quod, cũ Anaxilas Rheginorũ & Messanẽsium Ty- rannus Locros Epizephyrios funditus perdere tentaret, Hieron illũ sola intermi- natione compescuit. Post hæc Romæ. T. Minutio, &. C. Horatio Pulchro Coss. Theron Agragantinorũ Tyrannus, cum sexdecim regnasset annos, morbo corre- ptus interiit. Cuius funus ob singularẽ eius imperandi modestiã, & quod bonis ar- tibus in conciliandis sibi ciuiũ animis vitã oẽm absumpserat, heroicis laudibus A- grigentini sunt prosecuti. Ei in imperio Thrasydæus filius successit: qui sicuti vi- uente patre infirmior adhuc, inaudita odiosaq; sæuitia flagrauerat, ita postmodum illo mortuo, viribus & imperio immanitatem copulauit, in ciuesque suos sæuire cœpit. Quo breui factum est vt cum crudelitate immodica suorum in se ciuiũ vo- luntates irritaret, nihil fidum sibi tutumq; vsquã ratus, nõ aliter inter suos, atq; in- ter hostes versaretur: adeo omnia circunspiciebat, adeo quemq; pro suspecto du- cebat, vt seipsum tandẽ prope timere cœperit. Hac igitur desperatione potius quã consilio, coactis Agrigentinorum & Himerensium viginti peditum equitumque milibus, sola dominandi causa, contra Syracusanos Hieronemq; eorum Regem mouit. Hieron, delecto instructoq; non impari exercitu, contra occurrit: conser- toq; prælio, vtrinq; complures, Græcis cum Græcis acie dimicantibus, ea pugna ce- ciderunt. Superiores tamen Syracusani fuerunt: quorũ ad duo milia, Agrigenti- norũ ad quatuor sunt cæsa. Thrasydæus hoc prælio fract⁹ animo, rebusq; suis diffi- dẽs, imperio sese abdicans, ad Megarenses cognomento Myseos secessit: vbi mor- tẽ manu sibi ipse consciuit. Agrigentini missis ad Hieronẽ legatis pacẽ impetrarũt, & libertatẽ adepti populari statu ciuitatẽ deinceps cõposuerũt. Hierõ nõ ita pridẽ quã moreretur, L. Pinario Mamertino, &. P. Furio Philosopho Romæ Coss. Anaxi- læ filios iã adultos amice ad se Syracusas accersit. quib. primũ insigni munerũ pre- tio donatis, & quã benignissime exceptis, beneficia a Gelone eius germano fratre.

Syra-

Syracusarũ principe, Anaxilæ eorũ genitori post cladẽ apud Himeram receptam collata, recensuit: cõsuluitq; postea, vt Messanã regressi, a Micytho imperii administrati rationẽ exposcerẽt. Messanam illi reuersi, Regni iura, vt Hieron suaserat, a Micytho expetunt, quod ille nulla deliberationis postulata mora statim fecit, tergnũq; illis resignauit, prout latius in Messanæ descriptione. Illi vero paulo post Romæ Q. Seruilio, & Sp. Posthumio Albo Coss. e tutelari potestate imperio suscepto, in libidinem procliuiores, cum Messanam & Rhegium licentiori dominio administrarent, ac insolentius in ciues sæuirẽt, vterque Principatu a populo abdicãtur: eoque pacto Messanensibus libertatem adeptis, magna & opum & imperii in vrbe postea facta est accessio. Hieron post hæc Syracusanorum (qua causa incertũ) in se infestissimũ odiũ prouocauit. Quocirca cum plebis seditiones, clandestinasq; cõspirationes admodum timeret, auriculariosq; & deductores instituit viros sui studiosissimos: quos, vbicunque ciuium erat cõgregatio, submittebat, vt quid Syracusani loquerẽtur, persentiscerẽt & sibi referrẽt: eoq; modo metũ in Syracusanos incussit, ne aliquid contra ipsum machinarẽtur. Cũq; aliquot e familiaribus suspectos haberet, eos in publico foro occidit. Fuit Hieron pugil etiã strenuus, terque in Olympicis certaminibus vicit, semel quadrigis, bis celete. At post alterã celete partam in Olympiis victoriã Syracusas regressus, Catanã postea petiit: vbi morbo correptus, postquã vndecim regnauit annos, mensesq; octo, fato functus est: voto Ioui facto, regniq; successore Thrasybulo fratre prius ab eo nominato. Reliquit aũt vnicũ filiũ, cui Dinomeni erat nomẽ. Honores funeris nõ alios nactus est, quã si ipsius Catanæ vrbis fuisset cõditor. Mortuo patre Dinomenes filius, quæ Ioui Olympio vouerat, statim ei persoluit, contestata hoc Regio epigrãmate Græcis literis inscripto: O Iupiter Olympie, cũ Hieron auũ venerandũ vicissset certamen quadrigis semel, vnico equo bis, hæc tibi largitus est dona. Filius aũt dicauit Dinomenes Syracusani patris monumentum. Syracusani quoq; Hieronis Thrasybulum (vti vltima voluntate decreuerat) fratrẽ Regẽ salutant. Is Principatus initio Hieronem improbitatis & prauitatis sæuitia superauit. Nã plerosq; ciues nõ solũ iniuriis affecit, sed etiã crudeliter necauit. Nõnullos proscriptis bonis innoxios in exiliũ egit. Cumq; indies magis magisq; inuisus populo redderetur, sibi timens, collectũ exterorũ exercitũ ad sui tutelã apud se tenuit. Sed cũ nullus esset extremæ crudelitati modus, in desperationem acti Syracusani, eũ regno pellere, seq; in libertatẽ vindicare electis ad hoc ducibus statuũt. Thrasybulus vero conspirationẽ ciuium cum resciisset, mutato consilio placidis verbis seditionem frænare nititur. At vbi frustra ciuium animos flectere conatur, confestim ex AEtna viros, quos sibi colonos Hieron instituerat, aliorumque oppidorum socios ad se euocat: atque ex iis, & mercenariis militibus, exercitum ad quindecim hominum milia cogit. Syracusani igitur pro libertate vindicanda se inuicem exhortantes, dato a ducibus signo, contra Tyrannum insurgunt, atque eam vrbis partẽ quæ Tycha dicitur, occupãt: deinde legatos Gelam, Agrigentum, Selinuntem, Himeram, & ad mediterraneas etiã Siculorum ciuitates mittunt, auxilia ad Syracusas tyrannide liberandas petentes. Thrasybulus interea multorum militum manu Acradinam & Nason duas vrbis partes muniẽs, eruptionibus assiduis Syracusanos lacessebat, illisq; terrorẽ incutiebat. Dũ Syracusis hæc ancipiti Marte geruntur, ex Gelois, Agrigentinis, Selinũtinis, Himerensibus & Siculis, pedestriũ atq; equestriũ præsidia, & classis etiam satis ad bellũ instructa Syracusas adueniũt. Syracusani auxiliis receptis, classe & exercitu satis expedito freti, Thrasybulo terra mariq; pugnandi copiã faciũt, eũ ad bellũ prouocant, atq; vrgẽt. Quibus ille cõspectis, classe sua, quã paratã habebat, confestim magna vi Syracusanorũ classem adoritur. Sed conserto prælio, cũ plures trirẽmes amisisset, in Insulã confugiens, peditatu ex Acradina educto, contra Syracusanos sub mœnib. vrbis pugnã iniit: vbi magna suorũ clade recepta, intra Acradinã vi cõpellitur. Postremo desperatis reb. legatos ad Syracusanos mittit. cũ quib. (vt potuit) rebus eõpositis, Syracusis libertatem restituit. Atq; fœde decẽ postquã rerũ potitus est menses, inde discedens Locros abiit. vbi cũ regnũ bonis artib. a Gelone partum firmatumque sua sæuitia vecordiaque ante annum amisisset, priuatam

apud Locros vitam deinceps ad mortem vsque peregit. Syracusani vero noua lætitia perfusi, Ioui Liberatori statuam colossęam erigunt: sacraq; Libertati quotannis libamina, in quibus Diis suis quingentos quadraginta boues in ciuium conuiuium immolabant, persoluunt. Magistratus vetustis & indigenis ciuibus distribuunt, nouitiis prorsus exclusis, quos Gelon ad decem milia ciuitate donauerat: quorum ad id vsque tempus septem milia supererant: siue quia eos tanto honore indignos censebant, siue quoniam tyrannidi iamdiu assueti facile si magistratu potirentur, ad eandem aspirare potuissent. mercenarios quoque milites libere Syracusis abire permittunt. Reliquas postea Siciliæ vrbes tyrannide & præsidiis occupatas, in libertatem reuocant, statumq; popularē vbiq; cōstituunt. Quo per sexaginta prope annos ad Dionysii vsq; dominatū placide vsi, solo fœcundo vbertatē suggerente, & opibus & imperio maxime profecere. Sed tandem fœlicitas hæc in licentiā superbiāq; conuersa, seditionū causas illis suppeditauit: quæ Syracusis primum emerserunt. Enimuero cū Gelonis coloni, & quos ciuitate donauerat, magistratu se abdicatos viderent, iniquo id ferentes animo, inito inter se consilio, in Syracusanos conspirant, atq; armis instructi in seditionem vertuntur: duasque vrbis partes maximo muro cinctas, Acradinam scilicet & Insulā, inuadūt, paruoq; negotio occupant. Syracusani in tā repentino tumultu consternati, reliquā vrbis partē, quæ aperta erat, & ad occidentē & agros locosq; apertos vergebat, confestim ingredient, mutoq; claudunt. Ex qua quidem parte facillime cōspiratores, qui duas occupauerāt partes, prohibere poterant ne in agros ad commeatū habendū egrederentur. Quo factū est vt seditiosi obsidione simul & annonæ inopia premerentur. At cū rei militaris præstantia Syracusani superiores essent, etsi numero inferiores, excursionibus frequentib. vrbē infestabant, atq; victores apparebāt. Post hæc Syracusani Acradinā peditatu acriter oppugnāt. Sed cū asperitas loci nimis cōspiratoribus faueret, irritos etiā illorum conatus reddidit. Idcirco Syracusani classe eos adoriuntur, atq; ita, bello nauali inferiores facti, cedere tamē noluerunt: quinimo eductis in apertum copiis acerrime certamen redintegrant. Aliquandiu ancipiti marte, æquisq; viribus, ac utrinq; plurimis cæsis, prælium geritur: tandem Syracusanis victoria cessit. Parta victoria plebs Syracusana sexcentos viros eo bello cæteris præstantiores, quorum insigni opera hostes subacti in deditionem venerant, coronis aureis donarunt: cæteris omnibus qui pro Rep. dimicarant, per capita argenti nummum distribuerunt. Sub idem tempus a Catanæ vrbis incolis, quos Hiero ibi ciues adscripserat, Siculi & Syracusani agros sibi per vim ereptos repetunt, & ni reddant, ad bellum se parent, indicunt. Quocirca Catanenses contra armis instructi in aciē exeunt. Vbi conserto prælio inferiores fiunt, tandemq; fracti animis, cū se tueri amplius nō possent, agros & vrbē Catanā illis cedunt, atq; in mōtanā Ætnæ orā, quā Inessam Thucydides, Innesam Strabo, Ennesiā Diodorus appellat, (quæ a Catana. 12. p. m. distabat) commigrarunt, vrbemq; Ætnā appellant, & conditorem Hieronē simulant. Prisci vero Catanēses, qui ab Hierone fuerāt expulsi, redeūtes proprias sedes incoluerūt, & Hieronis tumulo insigni solo æquato, vrbē ipsam prisco nomine Catanā, & nō Ætnā dixerunt. Quicunq; præterea alium de propriis vrbibus ab Hierone eiecti, ad eam vsq; ætatem exulabāt, sociorum auxilio in patrias vrbes redierunt: illosq; inde eiiciunt qui per vim Hieronis eas possidebant. Quorum ex numero Geloi, Agrigentini, Himerenses, Rhegini quoque & Zanclæi fuerunt. Exules vero omnes, & eos qui Hieronis imperio loca & iura aliena sibi vsurpauerant, Messanæ incolas constituerunt. Ciuitates præterea cæteras ad delendos aduenas, colonos, omnesque hostes viribus communibus conspurgunt, eisque superatis sese in sua iura restituunt. Ita seditiones omnes, quæ per Siciliā frequenter antea concitabantur, hoc pacto sunt compressæ. Postremo ciuitates omnes, lapsasque vrbes instaurare, leges reformare, ciues bonis moribus instruere, & agros per ciuium capita distribuere pergunt. Post hæc, dum Romæ Qu. Fabius Bibulanus, & L. Cornelius Curetenus Consulatum gererent, inter Segestanos & Lilybitanos pro agris ad Mazarū. fl. positis, maximū bellū est exortū. Facto igitur inter eos atroci certamine multi vtrinq; occubuere: adeoque cruenta vtrisque

vtrisque fuit hæc dimicatio, vt ab armis, & a contentione, subsecuta inter eos pace, discessum sit. Eodem ferme tempore ciuitates quoque Siciliæ denuo motibus ciuilibus & popularibus, intestinisq; discordiis passim vno eodemque authore vexari cœperunt. Quæ labes vrbem Syracusas in primis inuasit. Erat etenim Syracusis vir, cui Tyndario nomen erat, vti opibus, ita & incredibili audacia, & omni scelere insignis. Is tyrannidem captans, initio egenis plerisque alimenta necessaria propense subministrauit. postmodum plebi fauere atque assistere cœpit. Ita hac via fauorem sibi popularem cum deuinxisset, ad vrbis tyrannidem occupandam se parabat. Comperto eius instituto, in iudicium trahitur, & a iudicio in vincula ducitur. Quo cognito, ii qui ab eo ali consueuerant, conferto agmine in eos qui in carcerem Tyndarionem deferebant, irruũt, pugnamque ineunt. Tumultu excitato vrbis primores, & ii qui magistratus officio fungebantur, simul conueniunt: seditiosos cum Tyndarione capiunt, ac simul ad supplicia raptos capite puniunt. Et cũm eo tempore tyrannidis in ea vrbe occupandæ frequenter pericula emergerent: petalismum (quod exilii genus est) Senatus populusque Syracusanus ad imitationem Athenienſium, quibus lex ante ostracismus fuerat instituta, introduxit. Athenis quippe, qui ad tyrannidem aptus videbatur, a ciuibus super petrã, Syracusis vero in oliuæ foliis nomen inscribebant. Qui igitur tyrannidis studiosior ex multitudine scribentium apparebat, quinquennii exilio mulctabatur. Nulla in lege iuris vtrobique, sed nominis sola est differentia, nisi quod apud Athenienses diu, sed apud Syracusanos pauco tempore fuerit obseruata. Nam cum prudentissimus ac potentissimus quisque delati, Regis præcepto exulassent, si qui remanserant prudentia insignes, metu legis Rempub. deseruerunt. Quo effectũ est vt praui, seditiosi, & rerum semper nouarum cupidi, ad vrbem gubernandam bonorum inopia eligerentur. Oratorum præterea, deferentium que numerus erat ingens, & optima quæque consuetudo propterea interierat, morumque prauitas nimis admodum inoleuerat: nulliq; probitatis, iustitiæ, boni, æquiue iam amplius cura suberat. Quo animaduerso lex iacturæ magnitudine damnata abrogataque est. Post hæc Romæ. C. Nautio Rutilio, &. L. Minucio Carutiano Coss. cum Tyrrheni mare Sicilienſe incursionibus ac deprædationibus affatim vexarent: Syracusani classem instruunt, eique Phaylum Syracusanum Prætorem præficiunt, & contra Tyrrhenos mittunt. Is primo cursu AEthaliam Liguſtici maris insulam depopulatus est, tum magno auri pondo a Tyrrhenis, ne eorum oram tangeret, clam accepto, nihilque strenue ea expeditione gesto, Syracusas rediit. Senatus facinore comperto, eum in iudicium pertractum vt Reipub. proditorem, exilio mulctauit. Apellem subinde sexaginta triremium classi contra Tyrrhenos præfectum constituunt. Qui prima sui excursione Tyrrhenam deprędatur oram, deinde Cyrnum insulam (quæ Corsica est hodie) inuadit. Postremo AEthalia insula vi capta, præda, magnoque captiuorum numero, ac rebus aliis ad varios vsus accommodatis onustus, Syracusas est regressus.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER II.

DE DVCETIO SICVLORVM REGE.

CAPVT I.

SICVLI (vt diximus) a Græcis maritimis locis expulsi, in mediterranea Siciliæ recesserunt: distincto a Græcis Principatu res suas gerentes. Potiebatur eodem ferme tempore Siculorum regno Ducetius, patria Neetinus, genere & opibus insignis, nec minus acri vir ingenio, & ad egregia quæq; facinora obeunda promptissimus. Is Menænon vrbem condidit, eiusque agros colonis per capita diuisit. Subinde contra Morgantium vrbem bellum mouit. quam tandem magna vi oppugnatam cepit. Qua victoria apud Siculos, Græcosque etiam, magnum Ducis nomen promeruit. Post modum Siculas omnes vrbes, Hybla excepta, ad æquale tributum coegit: eoque ære publico ingentes sibi coaceruauit opes. Quo factum est vt maxima pecunia per vim contracta, magni quoque potentisque nomen sibi vendicauerit. Deinde Neas vrbē (quæ Notum est hodie) suam patriam, in collis vertice a Siculis ab initio fundatam, in planitiem monti subiectam transtulit. Iuxta templum Palicorum vrbem insignē condidit, quam a Palicis Palicen appellari iussit: eamque cum muro satis firmo circummunisset, finitimum agrum colonis diuisit. Hæc vrbs sicuti vbertate agri, incolarum multitudine, & maiestate templi, breui coaluit, ita & breui post mortem Ducetii defecit. Sed de Palicis, eorumque templo satis priori Decade scripsimus. Ducetius post hæc maxima militū manu coacta, Romæ. L. Posthumio, &. M. Horatio Coss. Ennam Græcorum vrbem inuadit, necatoq; per fraudem eius Principe ea potitur. Deinde in Agrigentinorum agros exercitum traiiciens, Motyon oppidum non longe ab Agrigento situm, Agrigentinorum præsidio munitum, magna vi adoritur. Quo cognito Agrigentini Motyensibus suppetias mittunt. Sed Ducetius expedito agmine contra eos statim occurrit, consertaque pugna victor Agrigentinos & Motyenses castris spoliat, & Motyon capit. Verum hyeme ingruente a se mutuo diuisi, ad propria sunt reuersi. Syracusani, qui Siculis erant infensissimi, contra Ducetium exercitum & ipsi miserunt ingentem, illique Bolconem Syracusanum præfecerūt. Pugna inita Ducetius superior factus Syracusanos profligauit. Sed cum rumor certis indiciis firmatus ad Syracusanos peruenisset, Bolconem cum Ducetio conuenisse, ac fugæ amissæque victoriæ authorem fuisse: Syracusani Bolconem in ius vocauerunt, ac veluti Reip. hostē proditorēq; publico supplicio affecere. Deinde exercitum parant, illiq; ducē alterū præficiunt: cui iubent vt contra Ducetium moueat, eūq; omni arte delere nitatur. Is igitur mandata exequitur, castraque hostis circa Nomas metata adoritur. Vbi vtrinq; inita pugna acerrime decertatur, non sine vtriusque aciei memorabili strage. Tandem Siculi Syracusanorum vi propelluntur, ac in fugam vertuntur. quorū Syracusani terga secuti, multos quidē trucidarunt. maior vero fugientiū pars, in munitissima quæq; oppida vna cum Ducetio sese recipientes, salutem sibi quæsierūt. At deinde Siculorū magna multitudo, Ducetio (quod ei vires nō sufficere ad audaciā prospiceret) deserto, ad sua quisq; loca se contulerunt. Quo intellecto, Agrigentini oppidum Motyon confestim magna vi aggressi (cum pauci in eo bellatores essent) nō

multo

multo labore recipiunt. Motyo recepto, Agrigentini fœdus cum Syracusanis contra Ducetium ineunt, socia arma contra eum iungunt: ac demum ex Agrigentinis & Syracusanis contra Ducetium ingens conflatur exercitus. Ducetius, vbi effœtas vires, seque a suis desertum videt, veritus ne & etiam eis qui pauci in fide perstiterant, exosus fieret, desperatis rebus, callido consilio vsus, noctu Syracusas properat, in forũ ante aras prosternitur: mox ad Senatum supplex accedit, seipsum regionemq; Siculorũ in Syracusanorum fidem tradit. Vbi per vrbẽ insperatus Ducetii aduentus diuulgatur, turmatim ad forum Syracusani cõcurrunt, rei nouitate permoti, admiratione etiam pene tabescunt. Deinde ad concionẽ omnes vocantur: quid de Ducetio agendum sit deliberant. Qui plebis partes tuebantur, supplicium de eo veluti de hoste sumendum censuerunt. Vrbis primores, & qui prudentiores erant, parcendum Ducetio: neq; fidem ei violandam, qui fortunæ ludibrio proiectus supplex aduenerat: Deorum, qui violatæ fidei crimen vlcisci solent, irã pertimescendam: quid Syracusanam maiestatem deceret, ac demum quid vetusta Syracusanorum instituta decretaq; iuberent, & non quid Ducetius sua culpa mereretur, inspiciendum esse dixerunt. Horum igitur sententia prævalente, populus vno ore ignoscendum Ducetio conclamat. Quorum consensu Senatus Ducetium vltimo supplicio ea conditione absoluit, vt Corinthum relegatus reliquum ætatis agat: illique vitæ necessaria satis abunde ibidem suppeditentur. Ad Corinthum igitur Ducetius in exilium actus ducitur. Vbi non ita diu commoratus, exilii cõuenta rupit, flagitium religione velat, rumore ficto sibi fatis ac Deorum oraculo sub interminatione indictum, vt in Pulchro Siciliæ littore, quod mari Tyrrheno alluitur, vrbem condat. Oraculo per Corinthum diuulgato, maxima hominum multitudo ad nouam vrbem Deorum iussu promouendam Ducetio adhæsit. Cũ quibus in Siciliam reuersus, vbi eius aduentus innotuit, Siculorum non contemnenda manus ad reducẽ postliminio Principem suum refluxit: operaque ei sua vltro oblata, nouam cum eo rem suscepere. In quorum numero & Archonides fuit Herbitæorum Princeps. Qua accessione, Ducetii ductu, studio curaque strenua, vrbs ad Pulchrum littus, pluribus Siculorum colonis eo adductis, intra pauc os menses exædificatur: quam Collatinam appellarunt. Interea Agrigentini, veteri in Syracusanos odio exciti, simul & quod Ducetium communem hostem eis inconsultis contra iura, libertate donauerant, bellum Syracusanis inferunt. Bello indicto, Siculorum inter se vrbes dissentiunt, aliis Agrigentinas, plærisq; Syracusanas partes tuentibus. Eaque discordia prorepente, magna vtrinque militum multitudo, populis ipsis æmulatione quadam in arma ruentibus, copiisque eductis, ad Himeram fluuium e regione castra metantur. Acie instructa, collatis signis in pugnam descendunt: acerrime vtrinque, ac æquis fere viribus dimicatur. Tandem Agrigentinorum supra mille in ea acie cæsis, Syracusanis victoria cessit. A quibus, sedato prælio, legati ab Agrigentinis pro rerum compositione missi pacẽ impetrarunt. Cæterum dum hæc inter Agrigentinos & Syracusanos geruntur: Ducetius, Collatina vrbe iam condita, & Siculorum regno ab interitu vindicato, interrupto rerum magnarum consilio, morbo correptus obiit. Quo mortuo, & pace inter Syracusanos & Agrigentinos nuper facta, perseuerante, & icto iam pridem inter Gelonem Syracusanosque, & Carthaginenses fœdere durante: Græcorum in Sicilia vrbes summam imperii rerumque administrationem penes Syracusanos esse vltro permisere. Iamque eorum magnæ tunc erant opes, latequepatebat imperium: quippe qui non solum Græcorum, sed Siculorum quoque vrbes omnes (Trinacia excepta) sibi addictas habebant. Erat Trinacia Siculorũ vrbiũ Princeps ac regia, opere & præsidio munitissima, ciuibus quoq; optimatibus virtute, ingenio ac opibus præstantissimis, referta. Quocirca Syracusani veriti ne Trinacini magnitudine virium, & militum cognatorum multitudine freti, vi subactis Syracusis, vniuersum sibi Siciliæ vsurparent imperium: Trinaciã totis virib. aggredi constituunt. habitoq; militũ vndiq; tã ex ipsis Syracusis quam etiam ex sociis vrbibus delectu, contractisque quantis tum poterant copiis, exercitum contra eam vrbem mouent. Trinacini, sociis Siculis, atque externo præsidio desti-

tuti, contra instructo ex seipsis exercitu occurrunt, atque acerrime ferociterque dimicant, magnamque hostium multitudinem cædunt. Sed cum numero satis essent inferiores, præualentibus postea Syracusanis, heroice præliando mortem omnes oppetiere. Senum quoque complures inuictis adeo animis fuerunt, vt propria manu sibi vitam effuderint, ne captiuitatis contumelias ludibriaq; experirentur. Syracusani parta victoria, ac prostratis penitusque deletis Trinacinis, qui antea inexpugnabiles eis habebantur, plebe incolisque omnibus in prædam & seruitutem abductis, vrbem etiam ipsam funditus euertunt. Ex omni autem præda manubiisque quicquid selectum fuit, Delphos ad Apollinem miserunt, (quem superstitiosa religione & Deum, & fortunarum suarum authorem auctoremq; arbitrabantur) gratias pro tam insigni atque ingenti victoria referentes. Erant tum Romæ. L. Iulius, &. M. Geganius Coss. Olympiasq; octuagesima quinta. Syracusani harum rerum successu, opibus & animo elati, cum iam pridem vniuersam sibi Siciliam subigere meditarentur, centum triremes ædificant, equitum ac peditum numerum conduplicant. Et ne pecunia ad necessarias belli impensas minor esset, cõtributiones augent, maioraq; subiectis Siculorum vrbibus vectigalia imponũt, imperantque vt peculiares quasdam quæ supererant respublicæ, & suis adhuc legibus viuebant, subiugarent.

DE BELLO INTER LEONtinos & Syracusanos:

Caput II.

ERAT inter Siciliæ vrbes Leontinum Resp. Græcorum insignis. Hãc igitur & propinquitatis occasione, quod suis agris multum momenti allatura eius accessu videretur, & veteri totius Siciliæ possidendæ animo, Syracusani (M. Manio, Q. Sonticio, Seruilio Cornelio Romæ Consulari potestate Tribunis) inuadere statuunt, viresque ad id omnes exacuunt. Quo accepto, Leontini, cum opibus potentiaq; longe Syracusanis inferiores sese cognoscerent, in discrimen patriæ amittendæ adducti, legatos ad Athenienses (quorum erant cognati, vtpote ex Naxiis Chalcidensibus exorti) mittunt, orantes vt quam celerrime in suæ originis vrbis iam periclitantis auxiliũ properent. Fauebant Syracusanis quæcunque Dorici nominis in Sicilia erant ciuitates, præter Camerinenses: Leontinis Camerina, & Chalcidicæ omnes vrbes (quæ eædem & Iones erant) suppetias ferebant. Ex Italia propinqua, Syracusis Locrenses: Rhegini, vtpote cognati, Leontinis studebant. Pressi itaque Leontini Syracusanorum viribus, incumbente iam periculo, Gorgiam Rhetorem omnium suæ ætatis sermonis acrimonia longe præstantissimum, legatum & ipsi Athenas ad auxilia petenda miserunt. Gorgias Athenas cum applicuit, super fœdere contrahendo, auxilioque impetrando, publice luculentissimam habuit orationem. Athenienses nouitatem rei, & eius miram in dicendo industriam admirati, & eius verbis, & quia iampridem Siciliæ inuadendæ (ob loci opportunitatem, soliq; feracitatem) libido eos ceperat, & quoniam sperabant fore, vt quandiu in Sicilia Atticæ naues essent, commeatus inde Lacedæmoniis, cum quibus bellum eo tempore gerebant, non apportaretur: ad suppetias Leontinis ferendas facile sunt persuasi. Decreto igitur Leontinis auxilio, centum naues ducibus Lachete Melanopi, & Charœade Euphileti filio in Siciliam mittunt. Rhegium igitur secundante vento Attica classis aduecta, centum nauibus a Rheginis & Chalcidensibus colonis in id collatis augetur. Inde enauigantes, insulas AEolias, quæ partes tuebantur Syracusanorum, inuadunt. Quas cum ad deditionem compellere non possent, hostiliter agris populatis discedentes, in vrbem Locros (quæ cum Syracusanis fœdere iuncta erat) deferuntur, captisque ibi quinque Locrensium nauibus, oppidum Peripolion, quod ad flumen Halecem situm est, obsident. quo tandem, conserta cum oppidanis pugna, & eorum supra mille cæsis, & sexcẽtis captis, magna vi potiti,

titi, Rhegium reuertuntur. Post hæc cum Syracusani magna classe contra & ipsi Athenienſibus occurriſſent, Athenienſes cũ ſociis inuictis eos adoriuntur: commiſſoque prælio in ea pugna Charœades occubuit. Laches, penes quem vnum remanſerat classis potestas, Mylas oppidum, vbi duæ Messeniorum erãt cohortes, obſidet. Sed cum illi inſidias Athenienſibus paraſſent, Athenienſes eos inuadunt, atque in fugam vertunt, multiſque ex eis cæſis copias Mylas admouent. quib. Mylenſes oppreſſi deditionem fecerunt. Postmodum contra Messenam ſoluunt, vrbemque oppugnant. At Messanenſes, cum viribus ſe cognoſcerent inferiores, deditionem ſtatim fecerunt: datiſque obſidibus, & quæ ad tutelam pertinebant, præſtitis, in fidem ab Athenienſibus ſunt recepti. Subinde Athenienſes cũ ſociis Græcis, & cæteris qui vel ex Siculis, vel ex Syracuſanis ad eos defecerant, e Messana mouent, & Niſam oppidum, cuius arcem Syracuſani tenebant, aggrediuntur. Vnde, oppidanis Syracuſaniſque fortiter obſiſtentibus, fœde re infecta abire cogũtur. Quos inſecuti Niſenſes & Syracuſani, magno impetu in fugam vertunt, atque eorum multos occidunt. Athenienſes poſt hæc per littus maris nauigantes, cum ad Himeram vrbem peruenisſent, e nauibus egreſſi cum Siculis ſociis vrbem ipſam magna vi oppugnãt. Sed cum Himerenſes acerrime vrbem defenderent, Athenienſes depopulatis tantum eorum agris, regreſſi ad AEolias nauigant, & paulo poſt ad Rhegium nullo egregio facinore geſto rediere. Siculi qui Athenienſium erant ſocii, cum Syracuſanos viderent & terra & mari ſuperiores, Athenienſesque fruſtra contra niti, perſuaſerunt vt maiori classe ſe munirent. Igitur Athenienſes Pythodorum Iſolochi filium, Lachetis in Præfectura classis ſubrogatum ducem, cum aliquot nauibus in Siciliam mittũt, cum reliquis Sophoclem Soſtratidæ, & Eurymedontem Thuclis filium propediem miſſuri. Laches cum Rhegium applicuiſſet, Pythodorum, qui noua cum classe Athenis venerat, offendit. quem confeſtim (translata in eũ Præfectura) ad Peripolion Locrorum præſidium proficiſci iubet. Ineunte deinde ſeptimo belli Peloponneſiaci anno, Syracuſani decem cum ſuis, totidemque Locrenſium nauibus, Messanam a ciuibus vocati recipiunt. Quam cum primum præſidio muniſſent, Eurymedõ & Sophocles quinquaginta cum inſtructis triremibus Athenis in Siciliam applicant. Erant eo tẽpore & ad tuendas freti anguſtias, & ad Rhegii præſidium, Atticæ naues duodeuiginti in ſalo ſtantes. Eas Syracuſani, Locrenſium hortatu, cum triginta ferme inſtructis nauibus in medio freto ſub occaſum Solis adoriuntur. Vicit Attica claſſis, etſi numero impar. Syracuſani fœda fuga diſiecti, naui vna ad Rhegiũ, ad Meſſanam altera amiſſis, ad Pelori Siciliæ promontorii oram iterum ſe collegere. Quibus Syracuſanorum peditatus ſtatim affuit. Athenienſes vero Rheginique, vbi hoſtium naues militibus vacuas audiunt, eas iniecta ferrea manu aggrediuntur. Sed inter præliandum Athenienſium nauis vna ſubmergitur, viris ſolum nando elapſis. Quo caſu Syracuſani erectis pauliſper animis ſuas naues aſcendunt, eaſque funẽ per littus Meſſanam verſus trahunt. Athenienſes vbi hoc vident, ſua classe hoſtes inuadere ſtatuunt. At Syracuſani, qui ad arma iam parati erant, dato ſigno, prius in Atticas irruũt: atque conſerto prælio, eas amiſſa altera naui propulſant. In hunc modum Syracuſanæ naues in portum Meſſanæ tandem incolumes venere. Poſt hæc Athenienſes, cum Camerinam, quæ eorum erat ſocia, ab Archia Camerinenſi, & pleriſque aliis ad id facinus coniuratis, proditum iri Syracuſanis cognouiſſent, eo contendunt: eamque (interfectis coniuratoribus) periculo liberant. Dum hæc Camerinæ aguntur, Meſſanenſes & Syracuſani, qui Meſſanenſibus præſidio aderant, contra Naxum vrbem Chalcidicam terra & mari bellum mouent. Et primo die intra mœnia repulſis Naxiis, eorum quidem agrum populantur. Sequenti vero die ad amnem Aceſinem classe adnauigantes agrum vaſtant, & terreſtri exercitu vrbem oppugnant. Cognita ac vulgata Naxi obſidione, Siculi montani Naxiorum ſocii, ad ferendam eis opem ſtatim properant, & in obſidentes deſcendunt. Naxii, vt ſociorum aduentum reſciunt, rati Leontinos cæteris cum Græcis eis auxilio aduenisſe, reſumptis animis ſe mutuo hortantur, atque repente ex vrbe erumpentes & ipſi in hoſtes irruunt, eoſq; in fugam

gam vertunt. Qui dum fugiunt, in Siculos, turmatim ad Naxo ſuppetias ferendas accurrentes, incidunt. Ita inter duos hoſtium exercitus poſiti ſupra mille eorum trucidantur, cæteris in domum ægre elapſis. Dum hæc Syracuſanorum naues, quæ Meſſanam tenebant, cognoſcunt, in ſuã quæq; vrbem & ipſæ redierunt. Leõtini vero, vbi Meſſanã præſidio deſertam audiunt, aſſumptis Athenienſibus & ſociis, ad eam armis laceſſendam quã celerrime contendunt. Athenienſes igitur portu claſſe, ſed Leontini cum ſociis a terra vrbem obſident. Meſſanenſes vbi obſidione preſſos ſe vident, Demotele Præfecto, & Locrenſium aliquot ad vrbis, ne ab hoſtium claſſe inuaderetur, præſidium relictis, ex vrbe contra Leontinos erũpunt, in eoſque impetum faciunt. Leontini repentina incurſione attoniti fœde ſe fugæ committunt. Quorum inter fugiendum complures a Meſſanenſibus interficiuntur. Athenienſes, qui portum obſidebant, clade Leontinorum cognita, cõfeſtim nauibus egreſſi lapſis ſociis opem ferunt: mox Meſſanenſes adorti, eos intrepide in vrbis mœnia compellunt: ac demũ veluti victores erecto trophæo Rhegium reuertuntur. Subinde Græci qui erant in Sicilia, ſe inuicem, ſine Atheniẽſibus, bello infeſtabãt, Camerinæi Geloos, & alii alios: ita vt Sicilia plurimis bellorum domeſticorum anfractibus premeretur. At non ita multo poſt inter Camerinæos atque Geloos inducię primum initæ, dehinc ex omnibus ciuitatibus legati Gelam miſſi, ſi quo modo pacem componere poſſent. Cuius cum nullus eſſet modus, Hermocratis tandem Syracuſani longa oratione (qua quid damni bellũ, quæ bona pax afferret, & quod Athenienſes non vt Leontinis opitularentur, ſed vt Siciliæ imperium incolarum diſſidiis adipiſcerentur, bellum gererent, luculenter exprimebat) inducti Sicilienſes pacem hac lege pepigerunt, vt ab armis diſcederent, & retineret vnuſquiſque quod poſſidebat: dummodo Morgantina Camerinis cederet, ſi certam Syracuſanis pecuniæ ſummam penderent. Igitur Leõtini cæteris cum ſociis diutino bello lapſi per legatos pacem cum Syracuſanis hoc modo componunt, vt Syracuſani Leontinos Syracuſana ciuitate donatos, Syracuſanos ciues adſcribant, Leontinumq; vrbem municipium Syracuſanum eſſe declarent. Leontini deinde conuocatis Atheniẽſis armaturæ claſſisq; (quæ centum quinquaginta triremium, præter Rheginẽſes erat) Præfectis, pacem compoſitam, & fœdera cum Syracuſanis inita, manifeſtarunt, eaque omnia cum eis etiam communia eſſe dixerunt. Quib. approbatis, auxiliariæ triremes bello ſoluto Athenas redierunt. Verum Senatus populuſque Athenienſis, quorum fuerat ſtudium, Siciliam ea claſſe conquirere, vbi re infecta claſſem reuerſam vident, Pythodorum & Sophoclem duos ex ducibus exilio, Eurymedõtem ex eis tertium pecunia mulctauerunt, imponentes eis quod Siciliam, quam ſubigere in eorum fuiſſet manu, muneribus corrupti fœde incolumem reliquerunt. Verum cum poſtmodum anno belli Peloponneſiaci decimo, Leontini poſt conuentionẽ plures in ciuitatẽ adſcripſiſſent, & plebs agros per capita diſtribuere vellet: qui primores erant in ciuitate, re percepta, Syracuſanis accitis plebem eiecerunt. Qua paſſim vagante, ii qui plebem profligarant, Syracuſanis ſe dedentes, Leontino prorſus deſerta, habitaculiſque ſolo æquatis, Syracuſas tandem vt ciues commigrarunt. Cuius facti paulo poſt pleriq; pertæſi, relicta vrbe Syracuſana, locum quendam Leontinæ vrbis Phoceas nomine ceperunt: ac deinde arcem in Leontino agro munitiſſimam, Bricinnias nomine, etiã ſunt adepti: quibus quam plurimi plebei extorres ſe addiderunt: vbi & ſe tuebantur, & cum hoſtibus ſæpenumero pręliabantur. His Leõtinorum motibus cognitis Athenienſes, quibus nondum deferbuerat Siciliæ captandæ deſiderium, Phæacem virum impigrum, & rerum bene gerendarum ſolertem, cum tribus nauibus Siciliam miſerunt, ſi quo modo ſocios, qui ibi erant, atque alios inducere poſſet, vt reſumptis viribus atque armis coercita Syracuſanorum potẽtia populum Leontinum liberarent. Phæax vbi Siciliam aduenit, Camerinæos atq; Agrigentinos ſolum in ſuam ſententiam pertraxit: Geloos autem, & cæteros alios Syracuſanorum ſocios, emollire non potuit. Quocirca re infecta per mediterranea Siculorũ oppida Catanam venit, ac deinde Bricinnias, vbi Leõtini ſe munierant: quos ad conſtantiam fidemque hortatus Sicilia deceſſit. Hunc igitur

igitur finem habuit bellum quod inter Syracusanos, & Leontinos & socios eorũ Athenienses, pluribus annis gestum est. Postulat nunc historiæ & temporum ordo, vt bellum memoria dignissimum, quod postea inter Athenienses & Syracusanos gestum est, eius initiis & causa paulo altius repetitis, enarremus.

DE BELLO MEMORABILI inter Athenienses & Syracusanos.

CAPVT III.

INTER Segestanos & Selinuntinos ob quædam sponsalia, & agrorum fines, quos vtrisque fluuius Amphisbetes diuidebat, octingentis post Troianum excidium annis, Romæ. T. Claudio, Sp. Nautio, L. Sentio, & Sex. Iulio Consularem potestatem quatuor Tribunis gerentibus, maxima est exorta discordia. Selinuntini igitur torrentem transgressi, primũ agri partẽ fluuio adiacẽtem per vim sibi occupant, & deinde proximi quoq; agri ablata magna parte Segestanos illudunt, contumeliisque afficiunt. Segestani iniuriis excandescentes, primum verbis, ne alienum agrum inuadant, & per vim occupatum, vt ratio suadebat, cedere velint, precantur. Sed vbi frustra & precib. & questibus laboratum est, armis rem experiri decernunt. Proinde in iuris humani violatores copias instruunt, instructas educunt, locoque eiectis Selinuntinis agrum per vim occupatum vi quoque & ipsi sibi restituũt. Exacerbata inter vtrosque contentione, litem bello dirimere constituunt. Expeditis igitur militum copiis vtrinque in aciem descenditur, atrocique certamine diu pugnatum est. Demum Selinuntini maxima Segestanorum cæde facta, victores fiunt. Segestani hac clade pressi, Agrigentinorum Syracusanorumque auxilia implorant. Quibus frustrati, ad Carthaginenses supplices mittunt. His vero etiam opem recusantibus, cum Leontinis, quos eo tempore Syracusani vrbe eiectos agris quoque spoliauerant, societatem ineunt: communique decreto ab Athenienſibus, vt vrbibus vetusta sub cognatione astrictis, Syracusanorum & aliorum vi oppressis succurrãt, vehementer contendunt: simulque eis ad Siciliam inuadendam operam suam pollicentur, Segestanis ingentem pecuniæ summam, quam paratam habebant, pro huiusmodi belli impensis offerentibus. Catanenses præterea, quibus fœdus a Syracusanis violatum fuerat, oratores & ipsi eodem tempore pro subsidiis Athenas legant. Qui veste sordida, barba capilloque prolixis, demisso vultu, lachrymis obortis Athenarũ Senatũ populũq;, vt auxiliẽtur, rogant, obsecrant, obtestãtur: errasse se, quod eorũ copias remisissent, cõfessi. Athenienses, tribus Siciliæ ciuitatibus vno eodemq; tẽpore inuitati, ne occasionẽ Siciliæ potiundæ imprudenter reliquisse viderentur, auxilia eis pollicentur. Sed insulæ regiones, ac Segestanorum opes diligenter antea explorandas esse edicũt: eoq; nomine tres naues in Siciliam mittunt, vt cognoscãt & quænã eos essent ciuitates excepturæ, & an Segestanorũ res nũmaria tanta sit, quantã eorũ legati Athenis protulerant. Exploratores Segestam primum adnauigant. Segestani, qui tot opes, quot ad tam ingens bellum requirebantur, non habebant, ne ob sumptuum inopiam Athenienses a bello desisterent, commentum huiusmodi inuenerunt. Legatis in fanum Veneris, quod Segestæ erat, adductis, sacraria, phialas, trullas, thuribula, cæteraq; alia Veneris donaria, nec non tenuẽ sacrarũ vestium supellectilem ostentarunt. Quæ cum essent argentea vel aurea, multo impensius pretiũ ferebãt, quam paruæ ciuitatis expectatio permitteret. Sunt qui scribant frumenti quoque aceruos in horreis positos argento & auro amictos pro aureis ostendisse. Priuatim præterea hospitio exceptis trierarchis, ex Segesta, & ex omnibus Phœnicum & Græcorum circum oppidis, corrogata pocula argentea simul & aurea in conuiuiis pro suis exhibuerunt. Quorum omnium aspectu decepti legati vehementer obstupuere, Athenasque reuersi Segestanorum opes ad sumptus belli perferẽdos plusquam suffecturas, Senatui renuntiant. Porro comitiis de bello cõtra Syracusanos suscipiẽdo, & classe in Siciliam

ciliã traiiciẽda Athenis cũ Senatu & populo habitis, Nicias Nicerati filius, vir inter Athenienſes virtute & authoritate præſtantiſſimus, minime bellũ Sicilienſe ſuſcipiendum eſſe edixit. Nam Athenienſibus non eam eſſe vim opum, vt ſimul cum Lacedæmoniis Græcorum potentiſſimis bellum, quod plures annos gerebant, & Syracuſanis ſuſtinere poſſint: temerariique eſſe conſilii Athenienſibus, qui Græciæ imperium ſæpe coactis integriſque viribus tentatum vendicare ſibi non valuiſſent, mox vana ſpe cum copiarum parte maximam totius orbis terrarum, opulentiſſimamque inſulam aggredi: quam Carthaginenſes in terris potentiſſimi, & quorum admodum pollens late pateret imperium, bello moliri, & variis artibus ſibi ſubigere fruſtrà tentaſſent. Quibus eleganter propoſitis, Alcibiades (Athenienſium vir clariſſimus, & qui acerrimum in dicendo ingenium, facundiamque ſuper ciues omnes vehementem elegantiſſimamq; habebat, & cui genus nobiliſſimum, vtpote paternum quidem ab Aiace, maternum vero ab Alcmæone, ampliſſimæ opes, reiq; militaris peritia ſumma, & nomen apud omnes gloria erat celebratiſſimum) in contrariam ſententiam non Reip. zelo, ſed ſuæ libidinis ambitioniſque impetu eſt adductus: populumque diuerſis rationibus hortatur, vt bellũ illud confidenter aggrediantur, ingens imperium, perpetuamque gloriam Athenienſium Reip. allaturum: audendum aliquando, quo vlterius imperium extẽdatur, nec pedetẽtim, vt antea, ſed totis viribus tentandam eſſe Siciliam. Athenienſium vires potentiores eſſe quam Syracuſanorum. Siculos præterea nulli rei minus aſſuetos quam bello, ſeditioſos, ſuique commodi plus quam publici ſtudioſiores, inuicem inuidentes, atque eo Syracuſanis magis inuidere, quo opibus præter cæteros ſunt præſtantiores. in Sicilia demũ barbaros pleroſq; eſſe, & Græcos cõplures, qui Syracuſanis infenſi Athenienſium facile partes ſequantur. His plurimiſq; aliis Alcibiadis perſuaſionibus ſuperuenere Segeſtani & Leontini exules, in Senatum introducti: qui multis precibus & lachrymis obſecrare obteſtarique cœperunt, ne ſe & ſocios in tanto diſcrimine deſerant. Nec parum valuit apud dominandi cupidos tot rationum contendentium, atque in idem deſtinatarum numerus. Acceſſit & per ea tempora quod Athenienſes oraculum an in Siciliam eſſet traiiciendum ſciſcitati cum fuiſſent, reſponſum huiuſcemodi in Dodone habuerunt: In Siciliam coloniam deducendam eſſe. quos tamen nomen ambiguum fefellit. Erat etenim non longe ab Athenis terræ nõ ſane magnus tumulus, cui Siciliæ nomen erat: de quo oraculi edictum loquebatur. quod ab ignaris ad inſulam tractum, extra fines ſuſcipiendi belli non parua fuit occaſio. Bellum igitur Senatuſconſulto contra Syracuſanos decernitur. Duces eius expeditionis tres deliguntur: Nicias Nicerati, Alcibiades Cliniæ, & Lamachus Xenophanis filii. Quibus a Senatu hęc in mandatis data fuerunt: Contra Selinuntinos Segeſtanis auxilio ſint: & ſi proſpere in bello ſuccederent omnia, Leontinos in ſua ſede collocent: Selinuntinos & Syracuſanos in prædam dent, adducantque prorſus in ſeruitutem: reliquas Siciliæ vrbes vectigales Athenienſium faciant, ſtipendiaque ſingulis annua imponant, aliaque tranſigant quæ Athenienſium Imperio profutura cenſuerint. Erat Lamachus adeo pauper, vt, quoties dux crearetur, pallium ei & crepidas ex publico ærario comparari neceſſe eſſet. & licet ad ſenectutem vergeret, erat tamen in periculis adeundis longe audacior quam ætas poſtulabat. Ditior Alcibiades, ſed ferociſſimus: & ingenium in eo ad optima quæque ſimul & peſſima verſatile. Nicias ditiſſimus, & ob opes præclareque res geſtas apud ſuos magnæ exiſtimationis: qui etſi ob collegarum ſocietatem imperium detrectaret, populus tamen eum coegit: vt ſua cunctatione modeſtiaque Lamachi & Alcibiadis furorem ferocitatemque cohibere & tẽperare poſſet. Extemplo claſſem ad bellum idoneam centum triginta triremium & ipſi & ſocii quinque armatorum milibus inſtructam ædificant. cui olcadum onerariarum numerus magnus, qui commeatum veheret, adiungebatur. militum præterea peditatus & equitatus, ſcutatorũ, ſagittariorum, funditorum, tormentorum ac machinarum pro expugnandis vrbibus erat ingens. Sed dum hæc magno ciuium (quos ardens belli Siculi cupiditas inceſſerat) ſtudio parant, magna rerum portenta Athenis ſunt viſa, veluti funeſti

nesti huius belli euentus præsagia. Nam Meton astrologiæ peritissimus, per id tē-
pus in magistratu constitutus, siue artis peritia, siue portentorum signis admoni-
tus, siue humano ingenio ductus, furere sese simulauit, & propriam domum, quæ
vicina erat, incendit, ac in concionem prodiit, conquestusque domus iacturam,
efflagitauit ne filius, cui proprio sumptu triremem ad bellum instruxerat, Siciliam
pro hac expeditione proficisceretur. nam funestum hoc bellum futurum ipse si-
bi præuidere videbatur. Socrates præterea solito fortasse de more agitatus ciues
terrebat, ne hoc bellum pacto aliquo susciperent. Sacra quoque Cereris, quæ
per id tempus celebrabantur, fœda horrendaque portendere, & matronas passim
per vrbem magno cum gemitu, noctu & interdiu, veluti funera celebrantes, au-
diri prædicabant. Mercurii postremo statuæ, quæ per vrbem depositæ plures erāt,
omnes incerto authore truncatis capitibus manè sunt repertæ. Facinus hoc non
casu euenisse, sed ab iis qui statum popularem dissoluere cupiebant, plebs excepit.
Alii ad Siculæ huius expeditionis augurium sunt interpretati. Proposita sunt indi-
canti præmia, & impunitas promissa, si quis eius sacrilegii conscius rem deferret ad
Senatum. Inter hæc ex priuatis quidam intempesta nocte Alcibiadem intra inqui-
lini cuiuspiam domum se vidisse Senatui refert. Interrogatus quonam pacto per
noctis tenebras vultum discernere potuisset, respondit, Lunæ radiis. Pluries ita-
que super eodē quæsitus, ob sermonis incōstantiam pro falso reiectus est. Verum
cum vulgato per noctem Alcibiadis præter solitū lasciuo discursu, flagitium ipse
negaret, ac priusquam in prouinciam proficisceretur, se iudicio staturum polli-
ceretur, quia omnia ad bellum opportuna parata erant, accusatione Magistratus
in aliud tempus reiecta ipsum dimisit. Erat igitur iam dimidium æstatis, cum
classis ex Pyræo profecta, omnium ad id tempus vnius Græciæ vrbis longe orna-
tissima, remigio (circum emensa Peloponnesi ora) Corcyram defertur. Inde sol-
uens nauigato maris Ionii tractu ad extremam applicuit Iapygiam: atque inde
mota, Italiæ oras perlegendo, a Tarentinis cum esset recepta, ad Thurios appulsa,
& benigne ibi excepta, mox Crotonem petunt. Et inde superato promontorio,
quod Dioscuriás dicitur, Scylletium Locrosque præuecti, non procul ab vrbe
Rhegio in ancoris constituuntur. Syracusani his cognitis tres Dictatores statim
creant, Hermocratem, Sicalium, & Heraclidem. Hi primum delectos vndique mi-
lites conscribunt, legatos per Siculas vrbes mittunt: eas, vt pro salute communi ad
bellum acingantur, armaque sumant, hortantur. Athenienses enim licet bellum
contra Syracusanos susceperint, imperium tamen Siciliæ eos affectare, pro com-
perto admonent. & iccirco vel seruitutis iugo colla submittere, vel contra hostiū
ferocitatem acerrime confligere necesse esse. Ab Agrigentinis & Naxiis eis est
responsum, se pro seruanda fide Athenienſium societatem non posse deserere.
Himerenses vero ac Messanenses bello affore sunt polliciti. Selinuntini, Geloi &
Catanenses, arma viresque suas Syracusanis & ipsi sunt polliciti. Siculorum quoq;
vrbes illud idem in ore quidem habebant: animo tamen pacem optabant, & pe-
riculo abesse satius ducebant. Dum Rhegii Athenienſium classis moratur, Du-
ces inter se consilia conferunt. Lamachus recto cursu Syracusas nondum armis
instructam vrbem inuadendam: Alcibiades finitimas prius ciuitates ad deditionē
compellendas, deinde de Syracusis cogitandum: Nicias nihil in Sicilia tentandum
tenebat: solum in Selinuntinos nauigandum, contra quos præcipue missi erant.
Sententiam tandem Alcibiadis sectari omnibus visum est. Igitur Alcibiades sua
prouectus naui Messanam traiicit, atque cum Messanensibus de societate verba
facit. existimabat enim eam vrbem & ob portus capacitatem, & situs vicinitatem,
satis sibi ad res gerendas accommodam. Porro Messanenses societatem quidem
atque hospitium negant: res tamen venales offerunt. Alcibiades parum benigne
auditus Rhegium regreditur: & confestim duo ex Ducibus reliqui sexaginta na-
uibus in Naxum Chalcidicam nauigant, tertio cum reliqua classe ad Rhegium re-
licto. Duces a Naxiis intra vrbem amice sunt recepti: mox Catanam petunt. Vbi
licet primo ingressu repellerentur, postmodum solis Ducibus introeundi pote-
stas facta est. Duces Catanam ingressi, ad concionem vocato populo, de ineunda

simul societate, quam per legatos petierant, suadere nituntur. Quod dum ibi agitur, ex improuiso ualuis per uim euulsis, milites Athenienses, qui extra mœnia cõsistebant, intra urbem irrumpunt: Catanaque occupata societatem cum Catanẽsibus contra Syracusanos ineũt. Hoc initio prospere gesto, iam ad reliqua magnis animis Alcibiade solo duce Athenienses se parabant. Interea Athenis qui priuatas cum Alcibiade inimicitias exercebant, de truncatione imaginum Mercurii, & in patriam conspiratione eum insimulant. Ab accusatoribus persuasus populus nauem Salaminiam in Siciliam nauigare iubet, mandatq; ut quam celerrime Alcibiadem Athenas reuehat causæ iudicioque respondurũ. Naui Catanã delata, Alcibiades, ubi legatos audiuit, ira percitus, Messanam primum, quæ certã defectionem eo authore parauerat, ex manibus abstulit Athenienſium: clam rem omnem Syracusanis, aduersus quos id bellum præcipue gerebatur, aperiens, ac detegens eos qui prodere Messanam decreuerant. Deinde triremem suam ascendit, atq; ea uectus cum naui Salaminia in altum nauigat. Deinde cum ad Thurios peruenisset, siue magnitudine periculi, siue impietate sceleris perterrefactus, siue ciuium ingratitudine offensus, deceptis custodibus e triremi qua uehebatur, repente prosiliit, ac se e prospectu nautarum celeriter eripiens, cum certo in loco delituisset, facile persequentium manus effugit. Legatis Athenas regressis, fugamque Ducis renuntiantibus, Athenienses Alcibiadem omnesque fugæ socios absentes ob cõtumaciam capitis reos una uoce condemnarunt. Ille ubi non multo post sibi a populo mortis sententiam dictam percepit: At ego (inquit) ostendã Alcibiadem uiuere. Quocirca in Peloponnesum profectus, ad Lacedæmonios, quibus antea fuerat infestus, habita eorum fide publica, se contulit: a quibus mutata rerum fortuna comiter hospitaliterque susceptus est. Quos de Syracusano bello consultantes multis compulit rationibus, ut Gylippum Ducem auxilio Syracusanis, exercitumque contra Athenienses emitterent: aliaque ad hæc persuasit, quæ eorum est instituti recensere, qui Alcibiadis uitam, uel Athenienſium res ex professo scribunt. Post Alcibiadis ex Catana discessum, Duces, qui rẽ Athenienſem in Sicilia regebant, e Catana soluentes, Syracusas uersus adnauigant, ac Teriã propinquum Catanæ fluuiũ subeunt. Vbi stationem eo die cum fecissent, illucescente decẽ triremes Syracusas præmiserunt, quæ & portũ explorarẽt, & Syracusanis, si Leontinos diutius in exilio detinerent, bellũ indicerent. Quo facto, cõtigit ut forte Athenienſium naues triremẽ Syracusanorũ unã ceperint, quæ a Iouis Olympii templo tabulas cũ Syracusanorũ ciuiũ qui ad arma censebãtur idonei nominib. inscriptas uehebat. Hæ tabulæ ad Athenienſium Duces delatæ, & inter milites uulgatæ, aruspicũ mentes mirũ in modũ turbauerunt, quod oraculũ Apollinis iis tabularũ nominibus perfunctũ arbitrarentur. Respõderat enim aliquando Pythias, fore ut Athenienses Syracusanis omnib. potirentur: uerũ non ad id tẽpus, sed cũ Athenieẽsis Callippus Dione interfecto Syracusas est adeptus, oraculũ respexisse uidetur. Post hæc Athenienſiũ duces bipertita classe Camerinã Lamachus, Segestã Nicias nauigant. Sed cũ Lamachus Camerinæos ad societatẽ inducere nequisset, admoto litori exercitu, Hyblã minorẽ (oppidum in agro Geloo, quod hostiũ erat) oppugnare cœpit. Quod cum uirib. nequicquã superasset, aduocatos ad colloquiũ oppidanos ad deditionẽ frustra etiã est adhortatus. Quamobrẽ non minus apud suos quã apud hostes male audire cœpit. Nicias ex parte altera, sua classe recto cursu Segestam tetendit, exploraturus Segestanorum Selinuntinorũq; res, & an daturi essent pecuniam Segestani, quam pro classe Athenienſibus promiserant. Dum igitur per Tyrrhenũ mare nauigat, ad siniſtram Siciliã habens, Himeram urbem tenuit. Vbi non receptus, sed recto cursu Segestam petens, Hyccarã Sicanorũ (quod nunc Carinis est) ad mare tunc situm, Segestaniſq; inimicum oppidum, cepit. Vnde & Laidem formosissimam postea meretricem, tunc uero paruulam, inter alios captiuos cepit. Hyccara direpta, & ad centum uiginti talenta per hastam ex spoliis & omni præda coactis, Segestanis, quorum equitatus iam aderat, eã tradidit. Inde protinus Segestam delatus, ibique triginta talentis pro classe exactis, Catanam ipse ex hac ora, & Lamachus ex altera cum classe redierunt. Athenienses porro cum nihil

adhuc

adhuc præclari gessissent, eoq; nomine in contemptum & suis & Siculis venissent, Syracusani eos resumptis animis illudebant: atque ad eorum vsq; castra prouecti, tum alia tum hæc probra eis ingerebant, nūquid potius ad habitandū secū in alienis, quā ad Leontinos in proprias sedes collocandos venissent. His verbis Duces irritati, consilium ineunt, si qua ratione locum magno Syracusarum portui proximum sine dimicationis periculo occupare possint. Cōmentum igitur hoc sunt machinati. Virum Catanensem probatæ fidei Syracusanis perquam familiarē Syracusas mittunt: qui Catanensium quorundā Syracusanæ vrbis studiosorum, quorū nomina explicaturus erat, nomine se missum diceret: ad hoc, vt constituta nocte Syracusani instructo exercitu Catanā peterent. fore procul dubio, vt Atheniēses somno oppressos, & armis nudatos, inuadant deleantque: atque eadem celeritate, si velint, eorum naues etiam incendant. Id vero certissime successurum, præsertim Catanensibus iis, quorū nomine mittebatur, ad rē gerendam auxilia porrigētibus. Ille mandatis acceptis, protinus Syracusas versus impigre iter arripuit. Intrepide omnia Syracusanis exponit. Re sine vlla fraudis suspicione, quā fides nūtii familiaris remouerat, temere credita, Syracusani cum eo & qua nocte copias educturi essent, & quæcūque ad rem gerendam necessaria essent, conferunt componuntq; eumq; iis paratis remittunt. Interea Selinuntini, & Geloi, & cōplures ex sociis alii aliarū vrbiū iā Syracusas aduenerant, & delectum militum numerū vrbs habebat ingentē. Igitur ad statutā diē Syracusani Catanam versus profecti, ad Symæthū. fl. castrametantur. Quod vbi Nicias & Lamachus cognouerunt, omnib. copiis in naues celeriter impositis, Syracusas cursum intendūt. magnūq; portū nullo obsistēte ante Olympieū ingressi, per otiū copias opportuno loco munitionib. ac cæsis arboribus, stagnis insuper, & locis abruptis munito, collocauerunt. Nauib. præterea cæsas arbores, & ad mare comportatas, cancellatimq; cōfixas prætexuerunt. Partē vero castrorū quæ depressior erat, adituq; facillima, electis lapidib. ac lignis arduam fecerunt. Syracusani vbi se fraude delusos animaduerterunt, cōsternato agmine ad opem patriæ ferendam citato retro cursu procurrunt, ac primum ad Athenienſium exercitum propius accedunt. Deinde cum ab Athenienſibus nō occurreretur, via Elorina transmissa castrametati sunt. At vero Athenienses, vt Syracusanos ad bellum paratos conspexerunt, ita se & ipsi ad prælium instruxerūt. Argiui dextrum cornu, & Mantinei: alterum socii, Athenienses medium tenebant. Copiarum dimidium in fronte octonis ordinibus munitum erat. dimidiū alterū, quod ad tentoria erat, & ipsum octonis ordine quadrato agmine præferebat. cui præceptū erat, quācunq; partē exercitus laborare videret, ad eā subleuandā se cōtinuo conferret. Intra hos ita instructos, lixas caloneſq; posuerunt. Syracusani, qui militia præstabant, denos senos composuerunt, populum videlicet omnem, & socios qui aderant. Nam Selinuntini primum auxilio venerant: mox Geloi equites ducenti, Camerinæi viginti, sagittarii prope quinquaginta. Quos equites non minus mille & ducentos dextro cornu iuxta iaculatores collocauerunt. Igitur signo ab Athenienſibus primum dato res ad manus deuenit. dubio Marte aliquandiu dimicatum est: sed fœda interim tempestas cœlo oborta, tonitrua & fulgura, magno aeris fragore Syracusanos, veluti prodigio territos, a certamine auocant. Atheniēses vbi Syracusanos consternatos auersosq; ordines conspiciunt, inuadere illorum aciem statuunt. & primi omnium Argiui in læuum Syracusanorū cornu impetu feruntur: post Argiuos in oppositam sibi partem Athenienses in reliquas irrūpunt copias, atq; in fugā vertūt. Occubuerūt tū ex Syracusanis & sociis quadringenti, ex Athenienſib. circiter quinquaginta. Etenim equitatu Syracusanorū, qui permultus erat & prope inuictus, inhibiti, cū tuto persequi hostē nequirent, in castra se receperunt, trophæūq; extulerunt. Syracusani vero in via Elorina congregati, præsidium ad Olympieum oppidū, quod adhuc ipsorū erat, posuerunt. Cæteri in vrbē redierūt: ibiq; collectis suorū cæsis corporibus digna parentatione præstita extrema obsequia addiderunt. Athenienses receptis etiā suorum cadaueribus, ac pyræ impositis, Catanā nauigarunt, ac partim ibi, partim ad Naxum in hybernis cōsedere. Posthæc videntes Syracusanos equitatu præstare, nuntios Athenas miserunt,

qui equites ac pecuniam peterent. Syracusani quoq;, cũ bellum atrox in longum procedere prospicerent, a Corinthiis & Lacedæmoniis suppetias & ipsi implorãt. Quorum precibus adducti Gylippũ Cleandridæ filium rei militaris ducem exercitatissimum cum auxiliaribus copiis eis transmisere. & Corinthii quoque, vti requisiti fuerant, identidem pollicẽtur. Syracusani cum multitudinem Imperatorũ damnosam in prima pugna potius quã frugiferã sensissent, Hermocratem Hermonis filium, (virum cum rerum omnium peritia, tum in primis rei militaris præstãtia nulli Syracusanorum secundũ) & Heraclidẽ Lysimachi, & Sicanũ Execestli filium, abdicatis quindecim viris, quos antea rei bellicæ præfecerant, Imperatores totius exercitus creant. cũm quibus deinde, segnitie Athenienſiũ conspecta, excurrentes Catanam vsq;, oẽm regionem vrbi adiacentẽ populati sunt, ac castra etiam hostium, quæ nõ procul ab vrbe aberãt, incenderũt. Posthæc Hermocrates vna cũ aliis plurib. Camerinã pro societate cũ Syracusanis obtinenda profectus: quo forte & eodẽ tempore Euphemus Athenienſiũ legatus, vt in fide iã data Camerinenses perstare hortaretur, conuenerat. a Camerinenſib. vtriq; consulto respõsum est, se neutri auxilia permissuros: cũ tamen equites aliquot Syracusanis clam submiserint: ne, si id Athenienses qui victores erãt, rescirent, perfidię ab eis pœnas repoſcerẽt. Interea Athenienſiũ classis, quæ Catanæ hybernabat, ad Messanã per ꝓditionem (si posset) recipiendam se contulit. Sed Syracusani perduellibus, quos Alcibiades iam magistratu abdicatus detulerat, interemptis, Messanã iam antea firmiori optimoq; præsidio munierant. Munierant & per ea tempora Syracusas, vrbemque muro, qua parte spectat Epipolim, incluſo intra mœnia Fortunæ templo, corroborauerant: ne, si forte male pugnatum esset, ea parte, quæ fragilior erat, circumualari possent. Apud Megaram etiã Olympieũq; præsidia posuerant. quinimo & quãcunq; regionem qua descendi a mari in littus poterat, cancellato vallo præcluſerunt. Dum hæc Syracusis geruntur, Athenienses ineunte primum vere Catana mouentes aduersus Megaram nauigauerunt. Cuius agros populati, ad castellum quoddam Syracusanorum sunt progressi. & cũ id non expugnassent, rursus & pedestri itinere simul, & nauigatione ad flumẽ se Teriam receperũt. Inde transgressi campestria vastauerunt: quosdãq; Syracusanos viros, in quos forte inciderant, occiderunt: atq; trophæo erecto ad classem, quæ Catanã iã appulerat, redierunt. Subinde cũ omnib. copiis Centoripen (quod Siculũ oppidũ erat) profecti, cũ oppidanis conuentione facta sunt ingressi. Postea Inessæ simul & Hyblæ magnæ (oppidorum, quæ prope Centoripẽ sunt) segetibus incensis, Catanam sunt reuersi. Vbi dũ morantur, Athenis ducenti quinquaginta equites, argentique talenta trecenta aduecta eis a Senatu, prout petierant, venere. Syracusani eo cognito veriti ne hostes Epipolas (locum præruptũ, vrbiq; imminentẽ) clam occuparent, & Syracusas ex ea parte muro obstruerẽt, loci aditus obseruare constituunt. Non enim alia poterat parte conscendi, cũ cæteræ arduæ ac præruptæ sint. Sub auroram igitur sexcenti viri ex omnib. cohortibus, quibus Hermocrates iuxta Anapũ. fl. præerat, ad præsidium Epipolarũ seliguntur: iisq; Diomilus Andrius exul præfectus datur. Sed ea nocte Athenienses cũ copiis omnibus, Catana relicta, ad locũ quendã cui Leoni nomen erat, mille passus ab Epipolis distantem, peditatum oẽm classe aduectum clam in terram exponunt. Nauales vero milites classe Thapsum (peninsulam, Mãghisi hodie dictam) subierunt: ibiq; isthmo vallis obstructo subsederunt. At peditatus extemplo ad Epipoplas defertur, cõscendensque ab Euryelo, locum occupat, priusquã Syracusani ex Anapi agro, vbi ingens eorum exercitus aderat, ei succurrerent. Cognita Syracusani loci occupatione, statim ex vrbe auxilio affuerũt, tũ alii, (vt quisq; celerrime poterat) tum vero sexcenti illi milites cũ Diomilo eorum præfecto. Distabat aũt ab agro Anapi locus vbi hostibus Syracusani occurrerunt, trib. passuum milibus. Vbi inito inter eos prælio, cæsisq; Syracusanis ferme trecẽtis vna cum Diomilo præfecto, victoria penes Athenienses cessit. Qui Syracusanis iam in vrbem regressis, & redditis eis suorũ cadaueribus, victoriæ trophæum erexerũt. Sequẽti die, cũ nullus Syracusanorum obsisteret, Athenienses aduersus vrbẽ progressi, arcem apud Labdalũ in excelsa Epipolarũ crepidine excitarunt, qua

parte

parte Epipolæ Megaram ſpectant. Interea eis ex Segeſta equites trecenti, & a Siculis & Naxiis ducenti quinquaginta, & ex Catana totidem auxilio ſuperuenere. Itaque octingentis iam equitibus elati, relicto apud Labdalũ præſidio, contra Tychã ipſi ſunt profecti. Quã obſidione tentatam cum muro præpropere concluſiſſent, Syracuſanos pauor ingens inuaſit. Eaque trepidatione mœnibus egreſſi, in opifices fabros, qui murũ extruebant, irruunt, atq; ab incœpto repellere nituntur. Sed Athenienſibus equitibus contra propugnantibus, equeſtre certamẽ conſeritur, magnisq; vtrinq; animis dimicatur. Sed cum Syracuſanorũ Duces abſq; ordine præliarentur, crebro in terrã eorum milites proſtrati profligantur, diſſipanturq;. Cũq; nec in ordinem legio cogi poſſet, pars vna equitatus per Duces in vrbem reducitur, pars altera ad impediendos Athenienſes, ne lapides legerent, longiuſue vagarentur, in agris dimittitur. Sed hanc cohors vna Athenienſiũ, atque equitatus omnis adorti, primum in fugam vertunt, deinde eam inſecuti nonnullos etiam occidunt. Poſtremo locum Polichnam Græce dictum (qui ciuitatulam Latine ſonat, qui & Olympieum eſt oppidulum) portui magno imminentem hoſtes inuadunt, capiunt, cõmuniunt: Iouiſq; Olympici templũ eodem munimine concludunt, atque hoc pacto Syracuſas vtraq; parte obſident. Cumq; milites Iouis Olympii fanũ præcipuis opibus, & pretioſis argenteis atq; aureis donariis inſigne diripere vellent, Nicias religione ductus, ſacrilegiũ horruit, & tam ipſe quam cæteri Athenienſes magna circa templum vſi veneratione, nihil ex omnibus donariis amouerunt: quinimo & ſacerdotem etiam Syracuſanum, qui ea cuſtodiret (teſte Pauſania) ibidem reliquerunt. Sequenti die murum Aquilonem verſus extruunt ſimul, & apud locum cui nomen erat Trogilo, qua parte a magno portu ad alterum mare a Lamacho murus breuiſſimus fiebat, lapides & materiem conferunt. Sed dum ille operi fabricæque murorum nimis curioſe aſſidet, morbo correptus quem frenesim appellant, machinam inchoatam relinquere coactus eſt. Tantis igitur vna calamitatibus preſſi Syracuſani, Hermocratis (per quem eorum vires iam in periculum erant deductæ) pertæſi, eius reiectis conſiliis, qua parte Athenienſes ædificationem inſtituerant, murum & ipſi, ne ſe circumuallari contingeret, vrbe egreſſi excitãt, ducto ab vrbe principio ſubter ambitũ muri Athenienſium ex tranſuerſo, exciſis oleis fani Iouis Olympici: ex quibus turres ligneas erexerunt. Adhuc enim tum maritima obtinebant. Hoc vero hoſte aut inſcio, aut non repugnante ſaltem, cum celerrime Syracuſani abſoluiſſent, vna cohorte in operis præſidium relicta, in vrbem redierunt. Verum Athenienſes interea Syracuſanis aquæductus, qui ad potandum ex Sortino oppido in vrbem aquam ſuggerebant, diſciderunt. eoſq; poſtea paſſim in tentoriis, partim pro vallo ſegniter excubantes, partim quoq; in vrbem regreſſos conſpicati, trecentos ex ſuis milites, leuis præterea armaturæ aliquot conſtituunt, qui repente in ſubiectas Syracuſanorum munitiones irruant: cæteris copiis bipartitis, altera manu ad vrbem, ſi illinc ſuccurreretur, altera ad vallum, qua vicinum portale erat, ordinatis. Proinde trecenti Athenienſes impetu facto vallum capiunt cuſtodibus illud deſerentibus, & ad murum templo circundatum refugientibus. quo pariter & ipſi irrumpentes a Syracuſanis vi reiiciuntur, pluribus Argiuorum & Athenienſium occiſis. Cæteræ vero copiæ diruto muro, reuulſoq; vallo, tenſis trophæis, veluti victores retro ad ſua caſtra ſeceſſere. Poſtero die locum arduum paludi imminentem (vnde ex Epipolis in portum magnum proſpectus iucundus, & facilis eſt deſcenſus) pariete cingunt: Sed Syracuſani exeũtes, rurſus & ipſi vallum reparant inchoatum ab vrbe per mediam paludem, foſſamque pariter & aggerem ducunt, ne Athenienſes ſtructuram vſq; ad mare poſſent producere. Athenienſes completo ſuperiori opere, iterum Syracuſanorũ foſſam & vallum demoliri intendunt. Itaque ex Thapſo claſſem in portum magnum circumagi iubent, ipſi ſub ſolis ortum ab Epipolis in planum deſcendentes per paludem (quæ licet limoſa eſſet, aquis tamẽ carebat) ſubſtratis foribus, latiſq; aſſeribus: ac ſuperinſcendentes, priuſquã dies inferbuiſſet, foſſam & vallum præter exiguam partem, ſed mox & id quod erat reliquum capiunt: prælioq; ibi commiſſo Syracuſani ſuperantur. Quorũ qui in dextro cornu erant, ad vr-

bem: qui in siniſtro, ad fl. Anapum profugerunt. His tranſitũ trecenti illi viri præcludere conati, curſum ad pontẽ dirigũt. quos Syracuſani equites Callicrate duce rei militaris gloria præſtantiſſimo ſuborti, fugere cõpellunt: dextrumque deinde Athenienſium cornu aggreſſi, primã illius cohortẽ non mediocri formidine perculere. Lamachus, qui iã ex morbo ad ſe redierat, re perſpecta, e ſiniſtro cornu multis cũ ſagittariis, aſſumptis etiã pleriſq; Argiuis, labentibus viriliter ſuccurrit. Verũ cum foſſam quandam tranſgreſſus a ſuis deterreretur, cũ omnibus iis qui ſecũ aderãt, fortiter occubuit: licet Plutarchus ſingulari eum certamine a Callicrate prouocatum, in duellum deſcendiſſe, atq; inter dimicandum multis vulneribus ictos tandem ambos cecidiſſe referat. Syracuſani, Lamachi & corpore & armis potiti, quam celerrimo curſu Athenienſium muros & caſtra petebant. Quo viſo, & hi quos ſub initium pugnæ timor in vrbem coegerat, reſumptis animis & ipſi contra Athenienſes rurſus aciem inſtruunt: atque eorum pars ad ambitum hoſtium (qui Epipolis erat obiectus, viriſq; deſolatus) conuerſi, illico exteriores decem iugerum munitiones inuadũt atque expugnant, expugnaturi proculdubio & ipſum ambitũ, niſi a Nicia illinc ob oppreſſam valetudinem prohibiti fuiſſent. Is etenim ſolus, & abſq; copiis, infirmo etiam corpore, cernens nullo pacto ob militum inopiam locum teneri poſſe, miniſtris, qui ſecum aderant, iniunxit vt quicquid lignorum ante muros machinis parandis coniectum fuerat, ipſaſq; etiam fabricatas ex lignis machinas, in aceruum congeſtas incenderent. Eoq; conſilio irruentium Syracuſanorum, qui per flammas progredi non audebant, impetum cohibuit. Poſtea mortuis qui leui hoc prælio etiam cum Lamacho (ſi Thucydidẽ ſequimur) ceciderant, hinc inde redditis, Athenienſium claſſis ex Thapſo ad portum magnum conceſſit. Athenienſes præterea, qui indefatigate Syracuſanos fuerant inſecuti, iam ad vrbem obſidendam appropinquabant. Quo animaduerſo, Syracuſani (qui ſuperius erant) omniſq; pariter exercitus propere ad vrbem redierunt: rati non ſatis virium ibi ad prohibendum Athenienſium in muro ad mare pertrahendo inſtitutum ſupereſſe. Proinde cum Athenienſium nauales pariter & terreſtres copiæ omnes adiunctæ eſſent, ab Epipolis rupibuſque extructo vſque ad mare duplici muro Syracuſas vrbem cõcluſerunt. Interea plures Syracuſanorum res labantes conſpicati, aperte ad Athenienſes defecerunt. ita vt vndique, etiam ex ora maris Tyrrheni, nauigia omnis generis conuenerint, quæ commeatum militibus Athenienſibus ac neceſſaria ſuppeditarent. Iis calamitatibus Syracuſani pene exanimati, propriiſque iam plane viribus diffiſi, de pace inter ſe cum Nicia etiam tractare cœperunt: præſertim cum auxilia a Lacedæmoniis & Corinthiis promiſſa non aduentaſſent. Hinc omnia etiam ſibi iam tuta timebant: adeo vt nec inter ſe quidem mutua ſuſpicione vacarent. Duces præterea ipſos, quorum ductu tot cædes & bellorum clades ſibi obuenerant, vel vt imperitos, vel vt proditionis ſuſpectos abdicarunt: eorumque loco Heraclidem, Euclem, & Telliam ſuffecere. Dũ in hoc infœlici rerũ ſucceſſu res Syracuſanorum eſſent, Gylippus Lacedæmonius Cleandridæ filius a Spartanis, & Pythen a Corinthiis cũ copiis auxiliaribus miſſi circa Leucadem adſunt, recto curſu Syracuſanis auxilio venturi. Sed audita Syracuſanorum obſidione, dupliciſq; muri circumuallatione: Gylippus deſperans ſociis poſſe amplius ſubueniri, in Italiam curſum deflexit: vbi fœda tempeſtate iactatus, nauibus pene omnibus concutitur. Quibus deinde cum in Locros ex Tarento adnauigaſſet, certior ibi factus Syracuſis per Epipolarum partem copias inferri poſſe, ex Locris in Siciliam nauigare cœpit. Nicias, Gylippi accepto aduentu, eiuſque claſſis naufragio, & rerum ſucceſſibus ſupra modum etiam animo elatus, nullam aduenientis Gylippi habebat rationem. Augebant præterea eius animos clandeſtina per occultos nuntios cum Syracuſanis habita colloquia: quæ ſub certis conditionibus vrbis deditionem pollicebantur. Ea itaque fiducia Nicias factus ſecurior, neque aditus munire cuſtodiis, neque Gylippo aduenienti præſidia opponere curabat. Interea Gylippus & Pythen ſecum diu conſuluerunt, dexteriora ne Siciliæ littora tenderent, & cum periculo per hoſtium claſſem Syracuſas ingrederentur, an vero nauigatione ad læuam directa fretum excurrendo Himeram peterent:

peterent: vt comparata ibidem, quam possent, militum manu incautis Atheniensibus terrestri itinere in vrbem Syracusas per Epipolas reciperentur. Tandem de industria praeterita Siciliae dextra, Rhegium & Messanam praeteruecti, emenso freto Himeram versus nauigarunt. Vbi Himerensibus ad belli societatem inductis, Selinuntinis etiam, qui in Syracusanorum fide perstabant, certum locum, diemq; quo ab eis copias expectarent, praescripsere. Geloos quoq; ad submittendos milites excitarunt. Siculorum postremo complures vrbes (defuncto eo tempore Archonide eorum Rege) societatem quoq; cum Gylippo inierunt. Qui auctis hac sociorum confœderatione ad tria ferme armatorum milia suis copiis, terra Syracusas contendebat. Harum rerum Syracusani inscii populum in concionem cõciuerant: vt quibus conditionibus pax a Nicia esset petenda, consulerent: inter quos tum de legatis primum ad petendas inducias mittendis conuentum est. Interea vero ex improuiso Gongylus vnus e ducibus Corinthiacae classis cum vna tantum triremi a Gylippo missus Syracusas appulit. Ad quem repente totius ciuitatis frequentia concurrit. Qui vbi eum a Gylippo missum, illumque breui maximis copiis auxilio affuturum audierunt, licet laetis animis omnibus laetum omen exciperetur, non tamen plena verbis eius fides adhibita est, quousq; nuntius alter superueniens a Gylippo mãdata detulit, vt venienti sibi obuiam Syracusani occurrerent. Eo demum nuntio alacriores redditi, vrbem constantius tutantur. Nec multo post Gylippus dum Syracusas properat, in itinere Legham Siculorum oppidum, hostium studiosissimum, expugnat. Et deinde acie expedita ad Epipolas, tanquam ad praelium proficiscitur: ascendensque ab Euryelo, qua parte Athenienses primum ascenderant, contra hostium munitiones perrexit. Atheniensis, etsi murum duplicem ad mille ferme passus ab Epipolis ad portum magnum extruxissent: interruptum tamen circa maris prospectum (aliquot adhuc locis) erat opus: quod in tanta celeritate perfici non poterat. Inde igitur conspicati aduersus eos Gylippum aciem dirigere, & praeuidentes Syracusanos in pugnam exituros, sese ad praelium & ipsi expediunt. Ibi vero dum vtrinque instructae starent acies, Gylippus in conspectu Atheniensium depositis armis progressus per praeconem eis edixit, si Sicilia intra quinque dies abire vellent, tuto inde eis exire licere. Cui Nicias ne respondere quidem dignatus est. Scribit Timaeus, Gylippum, cum primum aduenisset, parum apud Syracusanos existimationis promeruisse: imo & processu temporis contemptui quoque habitum, ludibriisque ac scommatis potius quam honore exceptum fuisse: adeo populi animos primo suo aspectu offendisse. Thucydides vero, & Philistus Syracusanus, qui huius belli reb. administrandis nõ otiosus spectator interfuit, cum admiratione quadam & reuerentia a Syracusanis veneratum tradunt, cum in chlamyde semilacera, & solo baculo, (quib. Gylippus prodibat in publicum) ciuitatis Laconicae speciem & dignitatem cõtemplarentur. Porro Gylippus, paratis vtrinq; legionibus, cum tumultuarie Syracusanos perturbatosque progredi cerneret, in locum patentiorem eos reduxit. At Nicias milites contra non mouit, sed quietos sub castrorum muro cõtinebat. Quod vbi Gylippus animaduertit, exercitum ad verticem montis Temenitem adduxit: ibique castra metatus, sequenti die maiorem militum manum ad muros Atheniensium admouit, ne per vices hostibus sibi mutuo succurrendi potestas esset. Missa deinde copiarum parte Labdalum arcem vi cepit, occisis Atheniensibus qui in praesidio latitabant. Nam reliqui Athenienses in castris erant, & arcem hanc inde conspicere minime poterant. Eodem quoque die triremis Athenienſium vna, dum portum magnum subiret, a Syracusanis est capta. Post haec Syracusani ab vrbe per Epipolas sursum versus murum extruxerunt, ne Athenienses vrbem amplius vallo cingere possent. At illi absoluto iam ad mare muro, quem totis viribus perfecerant, in superiora se receperunt. Cumque quaedam muri pars fragilis esset, Gylippus ad eam noctu cum exercitu profectus, cum Athenienses id sensisse, obuiamque prodire vidisset, tacito agmine retro abiit. Hunc murum cum subinde Athenienses sublimius excitassent, per seipsos ibi excubias faciebant, sociis ad reliquas muri partes tutandas collocatis. Visum prae-

terea est Niciæ Plemmyrium promontorium (quod e regione vrbis prominet, & portus magni fauces coarctat) muro sepiendum fore: vt & commeatus ac rerum necessariarum facilior propinquiorque esset receptus, & fauces portus in potestate haberet. Iam enim post Gylippi aduentum, cum terrestribus copiis vrbis expugnationem minus speraret, ad nauale bellum totum animum adiecerat. Instructa deinde militibus classe, postquam triplici præsidio murum firmasset, Plemmyrium capit, classemque in statione ponit. Ex eo tempore Athenienſibus successus simul & fortuna defecit. Enimuero & aquæ penuria multi eorum interierunt, & quoties ad cædenda ligna prodibant, ab equitatu Syracusanorum, qui apud oppidum Olympieum statiua tenebat, fœde opprimebantur. Interea Nicias, cognito quod cæteræ Corinthiorum naues in Syracusanorum auxilium aduentarent, ad eas intercipiendas viginti naues circa Locros & Rhegium & promontoria Siciliæ & ipse mittit. Gylippus vero, cum murum inter Epipolas extruxisset, vbi sibi tempus præliandi adesse visum est, inter vtrunque murum primus omnium hostes inuasit. Cumq; ad manus deuentum esset, Athenienses (Syracusanorũ magna clade facta) victores Gylippi culpa extiterunt, qui, cum intra muros aciem instruxisset, bellandi vsum equitibus & iaculatoribus eripuisset. Qua clade Gylippus non animo fractus, cum primum mortuorum cadauera recepisset, mutato aciei ordine, rursus postridie in hostes irruere statuit. Milites proinde lõgius a muris quam nuper produxit, equitesque ac iaculatores in loco spatioso e regione Athenienſibus opposuit. Pugnam igitur maioribus animis redintegrat, sinistrumq; equitatus Athenienſis cornu, quod in ipsum spectabat, continuo impetit profligatque. Quo viso, & reliquus Athenienſium exercitus animis deiicitur, atque in fugam dissipatus vertitur. Quos Syracusani vsque ad castra fugiẽtes insecuti sunt. Ac tum ibi quantum in bello rei militaris scientia posset, Gylippus hoc suo exemplo, apertaque re gesta declarauit: quippe qui iisdem militibus, atque in eodem loco pugnans, aciei solum mutato ordine Athenienses vicerit, a quibus paulo ante ingenti ipse prælio superatus fuerat. Parta victoria Syracusani sequenti nocte murum, quem ceperant, vsque ad hostilem perduxerunt: ita vt ab Athenienſib. neq; amplius ab opificio prohiberi, neq; contra circumuallari possent. Post hæc appulerunt Ambracienſium & Corinthiorum duodecim (quas supra diximus) naues, quibus Erasinides Corinthius præerat. Quorum interuentu muri opus a Gylippo inchoatum celerrime ad summam perfectionem est perductum. Quo facto Gylippus vrbe egressus, terrestri itinere Siciliæ ciuitates, quæ a Syracusanis defciuerant, obibat, easque rursus in fidem recipiebat, atque vndiq; exercitum comparabat. Tum quoque, ne maritimis viribus cederent, ad classem colligendam totis animis opibusq; intendebat. Quocirca & legatos Lacedæmona Corinthumque rursus emittit, qui plus copiarũ Syracusas accerserent: quippe quod in principio, non in fine belli euentus adiuuandus esset. Nicias ex altera parte videns Syracusanorum vires terra mariq; inualescere, suisq; iam nihilo esse inferiores, ab Athenienſium Senatu & populo per literas & nuntios postulat, vt triremes, pecunias, copiasq; quantas possunt, quã celerrime transmittant, nec nõ & idoneos Prætores, qui loco Alcibiadis fuga subrepti, & Lamachi interempti, belli munia obeãt, ac ipsum senem & ægre belli molem sustinentem abdicent. Proinde maturato opus esse: alioqui de ingenti clade toti Athenienſium Reip. periculum imminere, prænuntiat. Niciæ literis in Senatu recitatis, omnia ex sententia sunt ei ad bellum decreta, magistratus solum abdicatio negata. Nihilominus donec collegas mittant, duos qui cum eo erant, Menandrum & Euthydemum, delegere, qui secum in partem bellici oneris succedant. Nec multo post collegam vnum Eurymedontem Thuclis filium circa brumam cum nauibus decem, argentique centum & viginti talentis, Athenienses in Siciliam misere: propediem & Demosthenẽ Alcisthenis filium cum maioribus viribus alterum collegam adduxuri. Contra Lacedæmonii & Corinthii, auditis quæ post Gylippi in Siciliam appulsum circa Syracusas gesta fuerant, summa ope classem terrestresque copias ad bellum instruunt: ac subinde mille sexcentos numero milites Spartiatas, Corinthios, & Bœotios cum nauibus viginti-

vigintiquinque Syracusas auxiliares legant. Athenienses quoq; & ipsi Demosthenem cum nauibus quadragintaquinq;, in quibus erant mille & ducenti Attici generis, & insulani complures, aduehũt. Reparatis itaque iam vtrinque copiis, Syracusani ob secunda prælia, quæ in terris gesserant, animo elati, & hortatu Gylippi & Hermocratis, classem opulentissimam educunt, pugnamque naualem cũ Athenienſibus experiri decernunt. Habebant in portu magno triginta quinque naues bello instructas, in minori vero quadraginta quinq;: sed fauces magni portꝰ, quæ angustæ sunt, ab Athenienſibus, qui circa Plemmyrium erant, custodiebantur. Quamobrem Syracusanæ naues in vnum coire absque ambiguo belli discrimine non poterant. Quod Gylippus animaduertens, noctu pedestre agmen circa isthmum Plemmyrii duxit: vt eodem momento ipse a terra, & naues a mari Plemmyrium, quod ab Athenienſibus tenebatur, aggrederentur. Igitur e vestigio Syracusanorũ triremes trigintaquinq; e portu magno, & ex minori quadragintaquinq; eo consilio soluunt, vt coeant, & simul Plemmyrium adoriantur. Athenienses ex sexaginta nauibus, quas ad Plemmyrium habebant, contra trigintaquinq; Syracusanas, quæ in portu erãt, solum vigintiquinq;: cæteras contra eas quæ e portu minori soluebant, educunt. Cæterum cum Syracusanorum classis remis impulsa magni portus e faucibus erumpere niteretur: vigintiquinq; Athenienſium triremes contra eam irruunt, & egressum inhibent. Quibus Syracusanæ naues magna vi se opponunt: atque in ore ipsius portus non ignauum certamen initur. Vbi confligi cœptum est, iam vndiq; ex Plemmyrio Athenienses ad mare collecti littus compleuerant, partim spectandi naualis prælii studio, partim vt si quid pugnando suis aduersi obtigisset, auxilio quamprimum succederent. Gylippus, vbi Plemmyrii præsidia negligentius ab hostibus haberi sensit, ad eorum propugnacula procurrit, in quibus nautica omnis facultas, & pecuniæ, tum rerum ac militum omnium apparatus reconditi tenebantur. Quo cum peruenisset, repente Plemmyrii muros adoritur, & primum e tribus qui maximus erat, & deinde alios minores paruo labore capit. Ea re cognita, Athenienses, qui ad mare descenderant, ad suppetias recurrunt. Sed Gylippus contra obstitit, magnamque eorum cædem fecit. Tum clamore ingenti, tumultuq; ac sonitu per castra sublato, re insperata varie Athenienſium acies perculsa funditur, atque in reliquam stationem confugit. Sed quam id negotium Gylippo prospere succesſit, tam naualis pugna Syracusanis fuit infœlix. Enimuero cum initio pugnæ res eis satis ad votum euenissent, nauesque minoris portus Athenienſibus frustra obnitentibus in portum magnum perrumperent, dum nimium & absque ordine accelerant, in internas naues incompositæ impingunt. Quo viso, victi Athenienses, agmine collecto conuersi impetum victorũ primum cõprimunt, inde etiam dispersas eorum vires frangunt, versaq; fortunæ vice eos in fugam vertunt, atq; inter insectandum naues eorum vndecim supprimunt, reliquas in Insulam vsque permultis Syracusanorum interfectis insecuti compulerunt. Soluto prælio, ab vtrisque trophæa sunt erecta: ab Athenienſibus, victoria nauali obtenta: a Syracusanis, re terrestri optime gesta. Siquidem Athenienses ex Syracusanorum naufragiis collectis manubiis trophæum in paruula insula, quæ faucibus magni portus ac Plemmyrio præiacens, a S. Martiano hodie nomen habet, in Syracusanorum ludibrium erexere, atque in sua castra reuersi sunt. Syracusani vero, pro tribus muris apud Plemmyrium adeptis, in eodem loco tria & ipsi statuere trophæa. Atq; ita contigit, vt vno eodemq; prælio vtrique & victi fuerint, & victores. Sed Athenienſium insignior fuit clades. Nam Gylippus capto Plemmyrio, & præsidiis munito, ingenti Athenienſium pecunia publica priuataque, omni præterea bellico apparatu, quæ in eũ locum veluti in ærarium fuerant deportata, potitus est. Ad hæc Syracusani parta terrestri victoria, iam portus magni fauces, & portum ipsum apertũ habebant. Quo euenit vt Athenienſibus commeatus in castra deinceps sine periculo minime subuehi potuerit: quippe quod in portus ingressu assidue paratam tenerent classem, Syracusaniq; aduenientes Athenienſiũ cum commeatu naues exciperent. Quocirca nihil ęque Athenienſib. obfuit atq; Plemmyrii amissio. Quæ & illis languorem, & suis audaciam præbuit. Nam &

pauco

pauco post tempore Syracusani naues duodecim cũ Agatharcho Syracusano classis præfecto in Italiam ablegarunt, quod fama erat naues pecunia onustas Athenis ad Niciam in Siciliam ea cursum tenere. Miserunt & nauim vnam Peloponnesum, quæ Spartanos, Corinthios ac socios cæteros prospere a suis gesta doceret. Porro Agatharchus cum sua classe Athenienſium nauibus in alto Appuliæ mari occurrens magnam ex illis partem oppressit: & in iis vnam, quæ stipendium in Athenienſium castra deuehebat. Et in ora Cauloniæ maritima ingentem materiam, quam ad ædificandas naues Athenienses ibi comparauerant, iniecto igne exussit. Sed cum in reditu circa Megaricum maris tractum viginti Athenienſium naues in eum irruissent, vna tantum eius naui ab hostibus intercepta, ipse cum cæteris de medio eorum fuga subductus, incolumis Syracusas rediit. Occluserant & minore portum cathena lignea: ne in eorum naualia, quæ ibi erant, Athenienses vel irrũperent, vel ignem iniicerent. Hanc Athenienses rescindere tentarunt, oneraria vna naui turrita ac loricata, ne in aggrediendo offenderentur, expugnationi admota. Sed Syracusanis ex naualibus in Athenienses missilia iacientibus, & viriliter propugnantibus, suo conatu illi frustrati ab incepto destiterunt. Dum hæc Syracusis fiunt, Demosthenes, vbi in Græcia copias coegit, cum quibus ad suis subueniẽdum in Siciliam traiecturus erat, ex Ægina in Peloponnesum nauigat, Chariclique, qui cum triginta ibi erat nauibus, iungitur. Corcyram inde versus cursum tenet: sed nauigatione intermissa, circa Zacynthum, Cephaleniam, aliasq; circumiectas insulas, aliquandiu ad delectum militum habendum subsedit. Cui circa ea loca tardanti Eurymedon e Sicilia pro solicitandis auxiliis veniens occurrit: qui ei Plemmyrium a Syracusanis fuisse receptum nuntiauit. Sed dum hi in eis locis ex sociis diuersis copias in Siciliam traiiciendas augere studẽt, in Sicilia legati Syracusanorum, qui post expugnatum Plemmyrium Siciliæ ciuitates adierant, eaq; præsenti rerum successu in Syracusanorum societatem adduxerant, cum bis mille & trecentis auxiliatoribus (quos tum ab Himera, tum ab aliis sociis vrbibus contraxerant) Syracusas petebant. Quo Nicias cognito, ad Siculos socios, Centuripinos præsertim & Alicyenses (qua Syracusani necessario transituri erant, obnegatum ab Agrigentinis per eorum agros iter) scribit, vt hostes insidiis adoriantur. Igitur ad iussa parati, tribus in locis transituris hostibus insidias posuere. vbi cum ad insidiarum locum Syracusani peruenissent, repente a Siculis inuasi, octingenti ex eis, legatique omnes præter vnum Corinthium trucidati interiere. cæteros mille & quingentos legatus Corinthius, licet disiectos, Syracusas incolumes perduxit. Sub idem quoque tempus Camerinæi armatos quingentos, iaculatores trecentos, totidemque sagittarios: & Geloi quoque naues quinque, iaculatores quadringẽtos, & equites ducentos Syracusas auxilio miserunt. Etiam omnis fere Sicilia præter Agrigentinos, qui nondum partibus adhæserant, ad Syracusanos defecerat. Athenienses interea, cognito quod propediem cũ Demosthene Prætore classis ingens auxiliaris eis ventura esset, statuunt ante illius aduentum fortunam belli nullo pacto amplius experiri. At Syracusanorum consilium contra erat. Enimuero sociorum accessu viribus aucti, & priusquam Demosthenes aduentaret, & nouis auxiliis Athenienses inualescerent, omnia moliri, intra munitiones sese continentes hostes lacessere, ad pugnam irritare, & classe instructa cunctãtes inuadere decernunt. Mari itaq; & terra acriter aliquãdiu, incertaque victoria dimicatum est: nisi quod duæ Athenienſium naues perierunt. Posthæc suadente Aristone Corinthio Pyrrichi filio, rei naualis peritissimo, Syracusani nauium proras & breuiores & depressiores constituunt, vt contra Athenienſium naues, quæ infirmiores ipsa figura proras habebant, quarumque rostra vel ob id nihil eis damni afferre poterant, quod impetum facere quam facillime non possent. Igitur Syracusani singulis prope diebus rostrorum concursu Athenienſium triremes vexabant, castra hostiũ inuadebant, terra marique nihil quietis hostibus permittebant. At cum sua se arte Athenienses aliquandiu tutati, irritamentis modum fieri non viderent, incalescũt tandem, pugnæq; studio incenduntur, ac exæstuant, neque diutius tam insolenter tamq; impune hostem sufferẽdum censent. Arma proinde expediunt, seq; ad decertan-

certandum accingunt, ac classem octuaginta nauium instruunt: sed onerarias ante triremium stationem certo inter se spatio collocant, vt per ea interualla foret triremibus, si fortasse ab hoste vincerentur, in tutum recursus. Erant Athenienſium triremes sicuti numero, ita & celeritate Syracusanis superiores. Nautæ præterea rei nauticæ peritia, ac disciplina quoque & arte præstantiores. Verum hæc omnia etsi ad victoriam in aperto mari non parui momenti essent, in angusto tamen portus magni sinu, vbi certamen est commissum, parum valuere. Accessit ad hæc ars quoque Syracusanorum, qui, dum Atheniēses se ad aciem parasse cernūt, quo incautos hostes adoriri possent, nullo ipsi belli dato indicio, ad stationem recepisse se simulant, rerum quoque venalium forum fingunt: quo nautæ ad cibos emendos confluunt, indeq; veluti ad prandēdum clam omnes triremes ascendūt. Quæ omnia industriam, & quæ Athenienſibus alia fuerant in belli ratione potiora, & æquabant & superabant. Athenienses his visis nullam eo die nauale pugnā futuram, sed omnia tuta esse arbitrati, ad prandium & ipsi se conferunt. Syracusani vero, vbi hostes remisso præliandi ardore ad cibum operam conuertisse cernunt, repente in eos nihil tale suspicantes procurrunt inuehunturq;. Athenienses, hostium tumultu audito, ieiuno corpore, nulloq; ordine ægre tandem naues ascendunt, atq; vt possunt commodissime obsistunt: dato signo pugnam ineunt. Triremibus consertis Syracusani Athenienses protinus occupant: nihil otii ad expeditionem, nihil quietis illis relinquunt: primos, qui ex tabulatis impetum repellebāt, hastis transfigunt, indeque deiiciunt: complures fundis saxisq; petunt, ac locis vndique deturbant: in plerosque rostris incurſant, atque per aduersas proras infodiunt. Postremo propius congressi, comminus gladiis rem gerunt: iamque nauale bellum speciem pugnæ pedestris referebat. Vbi afflicti vndique Athenienses in fugam præcipites aguntur. quos Syracusani summa vincendi libidine insectati, septē eorum triremes fluctibus supprimunt, pleraſque compagibus discussis ad munia belli prorsus inutiles reddunt. Plures eo bello capti, plurimi sunt interfecti. hostibusque cum terra tum mari profligatis, Syracusani victoriæ trophæum circa littus erexere. Sed dū ipsi in certam rerum suarum spem hac victoria efferuntur: ecce repente Demosthenes & Eurymedon cum ingenti classe, innumerisque copiis adnauigantes procul apparent. Nam in transcursu a Thuriis & Messapiis iure societatis præsidio accepto, septuaginta tres naues adducebant, milites ad quinque milia, iaculatorum ac sagittariorum (funditoribus etiam admixtis) ad tria milia, præterea eos qui in onerariis ad supplementa vehebantur. Armorum præterea pecuniæque magnam vim: ad hæc machinas, & omnifariam instrumenta ad expugnationem idonea. Armis præterea ac militaribus signis nautarū, ac tubicinum turba adeo exornatæ triremes erant, vt scenici apparatus magnificentiam præ se ferrēt. Quibus cognitis Syracusani fracti rursus animis, spem omnem ac fiduciam, quam de priori victoria ceperant, mox deposuere, ac retrolabuntur. Demosthenes Niciæ iunctus, explorato iam satis vrbis situ, non terendum tempus, sed dum se terribilem scit esse hostibus, vrbem aggrediendam censuit: ne cunctando contemnendum se Syracusanis, veluti ante Nicias, proponeret. Celerrime igitur extrema quæque experiri, captaque vrbe Athenas regredi statuit. Quod cum Nicias audisset, eius audaciam admiratus, orabat nequid temere aggredi properaret. cunctationem nanq; hostibus plurimum obesse, quod neque sumptus diutius tolerare diuturnitate inopiæ possent, & a sociis eos non multo post desertum iri necesse esset. fore vt in summis rerum difficultatibus ad conditiones rursus pacis petendas, quemadmodum & antea, concurrant. Et iam non pauci ex Syracusanis erant, qui clandestinis nuntiis Niciam iis ipsis de causis admonebant, ne quo modo remitteret obsidionem. Sed Niciæ consilio Demosthenis sententia apud milites præualuit. qui etiam omnes collegas ad occupandas Epipolarum moles hortatus, assumptis decem grauis armaturæ, totidemque leuis militum milibus, e stationibus egressus, Syracusanum circa Anapum fl. agrum populatur. mox pedestribus copiis simul & classe eam regionem sine hostium occursu obtinet: ac postremo ad Epipolas inuadendas ipse se parat. quinque dierum cibaria portari iubet:

iubet: & eos qui lapides legant, & qui ſtruant, reliquumque miſſilium apparatum portent, vna cum rebus ad ædificandum neceſſariis, ſi loco forte potiretur, ſecum aſſumit: conuocatiſque collegis, ſolo Nicia ad muros ſuos relicto, cum omnib. copiis ad inſtitutum contendit. Vbi igitur iam Euryelo propinquabat, repentino atque improuiſo in Syracuſanos impetu irruit, eorumq; murum occiſis cuſtodum pluribus capit. cumque e cuſtodibus aliquot quam propere dilapſi, tribus Syracuſanorum caſtris, quæ in Epipolis erant, hoſtium introitu nuntiato ſexcentos viros, eoſque etiam qui primi ad hanc ingreſſus partem excubabant, protinus in ſubſidium exciuiſſent: Demoſthenes atque Athenienſes primum impetum facile fregere: ac intra molis ſepta penetrando proximas hoſtium munitiones inuadũt, capiunt, & pinnas detrahunt. Hermocrates vero cum Syracuſanorum electa manu, & Gylippus quoque cum ſuis, præpropere e propugnaculis exeuntes, hoſtib. in occurſum prodeunt: & cum per noctem inopinato hoſtium occurſu premerẽtur, attoniti ad pugnam compulſi ſunt: & primo quidem congreſſu repulſi, cum tamẽ Athenienſes veluti victores nondum expugnata Epipolarum loca cupidius quá par erat irrumperent, longiuſque expatiarentur, Bœotii exorti ſeſe ingerunt, eoſq; non minori quam irruperant impetu funduntatq; eiiciunt. Vnde Athenienſes ingens perturbatio atq; difficultas circumuoluit: quam noctis caligo non mediocriter grauauerat. Fulgente ſiquidem luna amicum ab hoſte non diſcernebant: adeo corporum & armorum multitudine repercuſſa infirmum debilemq; reddebat intuitum. Forte etiam ita in acie conſtiterant, vt eis illa a tergo luceret: quo præ ſe iacentes vmbrarum tractus, armorum fulgorem, ſuorumque numerũ ipſimet occultabant. contraq; aduerſis clypeorum vmbonibus lunæ radii repercuſſi, & hoſtium maiorem videri numerum, & armorum claritatem lucidiorem efficiebant. His igitur cauſis in diuerſa præcipiti ordine ruunt. Hinc quicunque eis occurrebant, etiam ſocios pro hoſtibus formidatos refugiebant. Et cum in anguſto loco armati ex vtriſque non pauci verſarentur, omnia eis perculſa apparebant. Syracuſani vero ſociique victores magno vtebantur clamore, quod nequibant aliter per noctem quid ſibi opus eſſet, ſignificare. Athenienſes quoque contrá ſuos quæritabant, & ſignum teſſeræ (quod ſymbolum eſt) ex ſe mutuo requirebant, quod nulla re alia dignoſci poſſent. Sed & hoc maiorem ſibi perturbationem præbebat, quod omnes ſimul, & idem percontarentur. præter hæc autem præcipue illis obfuit modulatio pæanis, qui hymnus & pro victoria in Apollinem decantantium erat. Qui cũ ſimilis vtrorumque eſſet, animos confundebat: ita vt inuicem ſe vel trucidarẽt, vel ſaltem congrederentur. Eorum etiam plerique fugati per abrupta, locorũ imperitia, præcipiti fuga, cum arctus eſſet ex Epipolis ad regrediendum deſcenſus, interitum ipſi corruerunt. Nonnullos præterea alios alio itinere diſperſos palanteſque, vbi illuxit, Syracuſanorum circumfuſus equitatus obtruncauit. Proinde Syracuſani vna cum ſociis fortunã propenſius proſecuti, hoſtium ſupra duo milia, & quingentos necarunt, non minori eorum numero ſauciato: ex quorum ſpoliis prædam etiam non inutilem retulere. Atque ita ex inopinato parta victoria, apud Epipolas duo ſtatuerunt trophæa: vnum, qua parte hoſtes ingreſſi: alterum, vbi a Bœotiis primum repulſi ſunt. Atque exinde audentiores facti, non ſolum ſua tueri, ſed aliena quoque appetere animo concipiunt. Quocirca Sicanum ex Prætoribus vnum quindecim cum triremibus Agrigentum, vbi inter ciues orta erat ſeditio, ad ſedandos tumultus, occupandamque vrbem mittunt. Gylippus quoq; terreſtri itinere ad Siciliæ vrbes ad auxilia vndique contrahenda exiit. Tum Athenienſium duces, cum e clade accepta, tum exercitus imbecillitate, ſæuienteq; cœli inclementia, (quæ ex cœno paluſtri limoque prouenerat, exercitumque inuaſerat) in arduas adducti difficultates, conferre inter ſe conſilia cœperũt. Demoſthenes Epipolarum occupatione, ſuoque conatu fruſtratus, confeſtim obſidionẽ ſoluendam, abeundumque Athenas cenſebat, nec fruſtra Syracuſis aſſidendum: ſed ſatius eſſe patriam ſolũm contra Spartanos tueri, quam procul & in alieno prope orbe incaſſum tempus, pecunias, copias ipſas, ſalutis imperiique columen, terere. nec Eurymedon multum ab eo diſſentiebat. Nicias contra, aſſidendum adhuc;

huc: atque eo impensius, quod clam a Syracusanis plerisq; Athenienſium ſtudioſis per literas certior factus fuerat, futurum vt breui Syracuſæ caperentur, ſi in obſidione perſeueraretur. Hac igitur ſententiarum diuerſitate diſtracta conſultatione, nihil certi decernitur, ſed in loco perſtant. Interea Gylippus & Sicanus redierunt: Sicanus quidem, negotio infecto: (quia dum apud Gelam ipſe adhuc ageret, ſeditio Agrigentinorum ſedata eſt) Gylippus vero ex Siculis, Selinuntiis, Gelois, Himerenſibus & Camerinæis maxima militum præſidia ſecum adduxerat. Creſcentibus igitur Syracuſanorum viribus, ipſis augebantur: Athenienſium contra cecideruntanimi: eoque magis, quo morbus in ſuos durius graſſabatur. cui non parum etiam addiderat ponderis Ducum inter ſe diſſenſio. Qua perterritus Nicias reditum in patriam, ſed clandeſtinum probare cogitur. Cæterum cum inſtructis omnibus ſub auroram ad naues conuentum eſſet, pararetur que nauigatio: luna, quæ plena erat, noctis initio eclipſim paſſa eſt. qua turbatus Nicias, accitos aruſpices conſulit. A quibus ad alterum lunæ circuitum profectionem differri oportere reſponſum eſt. Quo nõ Nicias modo, ſed & cæteri ingenti formidine correpti, a vatibus decretum tempus expectandum eſſe iudicauerunt. Syracuſani, cognita per transfugas dilationis cauſa, adaucti audacia, terra marique morantes infeſtare ſtatuunt. Terreſtri exercitu murum & caſtra eorum obſident: nauibuſq; in latum ordinem directis, fauces portus occupant: vnde probris & conuitiis hoſtem laceſſebant. Interea Heraclides nobilitate inſignis adoloſcens, triremi qua ferebatur, alias prætergreſſus, in hoſtes licentioſius inuehebatur. Quem Athenienſium nauis vna inſecuta, parum abfuit quin retro ad ſuos fugientem comprehenderet. Cuius periculo commotus Poliuchus auunculus eius, cum decem triremibus, quibus præerat, in altum delatus auxilio venit. Cæteri Syracuſani de Poliuchi ſalute metuentes, vno conſenſu nauali certamine dimicare conſtituunt. triremes ſeptuaginta ſex parant, militibus inſtruunt, atque ad prælium expediunt. terreſtres etiam copias in ordine diſponunt, vt hoſtes terra & mari adoriantur. Athenienſes, etſi conſternati animo, & iam tum ad fugam parati, vrgente tamen diſcrimine, ſex atque octuaginta triremes militibus impulſi & ipſi complent. ſubinde acies inſtruunt. Dextrum cornu Eurymedonti datur: cui contra a Syracuſanis Agatharchus Prætor diſponitur. Alterum Athenienſium cornu Euthydemus duxit: huic Sicanum Syracuſani ducem oppoſuerunt. Medium agmen in Athenienſium acie Menandrus tenuit: in Syracuſana Pythes Corinthius. Signo itaque dato phalanx Athenienſium iuxta littus ſeſe porrigit. Inde Eurymedon illorum dux, cum maiori triremium numero confideret, procul a ſuis ſenſim abnauigando, cornu Syracuſanorum circumuenire nitebatur. Quem vbi ab ordinibus & reliquo agmine ſatis digreſſum Syracuſani conſpexerunt, rapto impetu, remiſque citatis in eum feruntur, intercipiunt, atque intra ſinum cui Daſcon eo tempore nomen erat, (quem Syracuſani præſidiis munitum tenebant) compellunt. Qui iam vndique a circunſiſtentibus hoſtibus in anguſtum profundumque portus locum concluſus, in terram vertere triremes cogitur: ibique ipſe cum pleriſque Athenienſibus præſtantiſſimis viris transfoſſus ab hoſtibus periit: ſeptemque triremes in ſcopulos impingendo contritæ ſunt. Qui rumor illico per ora Athenienſium diffuſus, iam eorum aciem ad extremam vſque deſperationem concuſſit. Cui cum accederet Syracuſanorum nihil remittentium ferocia, victos demum miſeros diffractoſque in fugam compulit. Sed & fuga parum ad ſalutem profuit. Cum nanque pauentes trepidanteſque in incertum hinc inde raperentur, nihilque certi haberent præſidii: (quippe quod omnia ſibi tentata conſilia a Syracuſanis interturbari viderent) pleræque eorum triremes in littora, breuiaque quædam loca cœno & limo inuia peruadunt. Vbi & Gylippus mox affuit, qui Athenienſes in terram euadentes ferro exciperet. Tyrrheni porro Athenienſium auxiliatores confeſtim & ipſi occurrunt: factoq; in Gylippum & ſuos impetu, in Lyſimeliam paludem fugientem vertunt, ac toto circum littore abigunt. Quod vbi Sicanus Syracuſanorum Prætor animaduertit, onerariam quandam vetuſtam (quam olcadem appellant) ſarmentis faſcibuſq; ac tædis ſtatim replet, eamq; pyrę additam atq; iniecto igne ad cõburen-

das Athenienſium triremes in vadis, & locis breuibus ac limoſis fluitantes expe-
nii iubet. Sed cauti Athenienſes machinamentis ad ignem reſtinguendum adhibi-
tis, hoc ſe periculo facile liberarunt. Tũ & copiæ eorum pedeſtres ad ea littora ad
quæ ſuas ex fuga naues appuliſſe cognouerant, auxilio accurrentes, cum Syracuſa-
nis, qui in magno etiam numero ſuperuenerant, prælium iterant: vt, cum vtrinque
ferociſſime dimicatum eſſet, Syracuſanos tamen pedeſtri certamine inferiores,
fuſos eſſe memoriæ ſit proditum. Sunt qui ſcribant iuxta hæc loca rurſum vtrinq;
duo erecta trophæa: a Syracuſanis vnum, ob naualem victoriã, militum ac equi-
tum interceptionem: ab Athenienſibus alterum, tum propter Gylippi & pedita-
tus a Tyrrhenis in paludem deiectionem, tum propter cæterorum factam profli-
gationem. cecidiſſe tamen hoc prælio Syracuſanos paucos, Athenienſes vero ad
duo prope milia. quibus & ibi triremes duodeuiginti periiſſe Thucydides & Dio-
dorus poſteritati tradidere. Syracuſani tamen, nondum pacata ira, ad noua con-
ſilia, quibus hoſtes penitus concluderent perderentque, animum intenderunt.
Proinde ne Athenienſium claſſis, quæ in portus magni ſinu erat, egredi poſſet,
portus fauces tranſuerſis triremibus, ac onerariis aliiſque nauigiis, & ad littus, &
ad inuicem ferreis cathenis & ancoris firmiter ac mutuo nexu compactis obſtru-
unt. Sed illi vbi ſe intercluſos vident, ad extrema conſilia redacti, tum ob alias
difficultates, tum præcipue ob inopiam commeatus, (quem nec vllum tunc ha-
bebant, nec in poſterum expectabant, niſi claſſem Syracuſanorum ſuperarent)
conſulto ſuperiores muros, caſtraque quæ iuxta fanum Herculis fixa fuerant, de-
ſerunt, & ad littus deſcendunt: naueſque ex vniuerſis hominibus ætate idoneis, at-
que ſagittariis & iaculatoribus complent, & nauali prælio dimicandum omnino
decernunt: vt, ſi eo victores forent, diſcedentes Catanam ſe reciperent: ſin victi,
incenſa claſſe, pedeſtri itinere agmen deducerent, abirentque ea parte qua quam
minimo interuallo locus aliquis ſiue barbaricus, ſiue Græcus, qui amicus eſſet,
permitteretur. Ferreas manus præterea complures in triremibus poſuere aduer-
ſus craſſitudinem lignorum, quæ prominebant e proris Syracuſanorum: vt naue
hoſtilem, ſiqua incurreret, retro abire prohiberent. Syracuſani etiam, re cognita,
naues & ipſi numero quatuor & ſeptuaginta armis & militibus inſtruunt, ſeque ad
bellũ parant. & de manib. ferreis certiores facti, quib. ſuas naues Athenienſes erãt
munituri, proras & ipſi, ac nauium ſuperiora, magna ex parte coriis contegunt, vt
in iis nihil habens manus iniecta quod apprehenderet, illico laberetur. Poſt hæc
libera Syracuſanorum omnis pubes, nec dum etiam bello ſatis maturam habens ę-
tatẽ, naues ſubſidiarias conſcendunt. Parentes quoq; filios in certamen deſcenſu-
ros adhortaturi, ac eorum ferociam vireſq; in dimicando ſuo conſpectu corrobo-
raturi ſimul aderant. Muri etiã vrbis circum vndique portum ducti, & cuncta præ-
terea vrbis eminentia loca, vnde poſſet acies ſpectari, paſſim mortaliũ corporibus
tanquã compacta videbantur. Mulieres omnes viriq;, qui per ætatem a belli mu-
niis vacabant, vndiq; cum ſumma trepidatione & ſolicitudine, ad contemplandũ
quaſi extremi certaminis diſcrimen confluxerant. Nicias Athenienſium Dux, cõ-
ſpecta periculi huius præſenti magnitudine, cum iam acies vtrinque conſtitiſſent,
confeſtim relicto peditatu, nauem quandam conſcendens, ſingulas quaſque ſuorũ
triremes adit: quas omnes, & ipſum etiam Demoſthenem, cæteroſque in primis
Prætores ad victoriam hortatur. deinde rurſus in aciem pedeſtrem ad ſuos ordi-
nes refertur. Nec ſecus Gylippus, & cæteri Syracuſanorum duces, milites Syracu-
ſanos ſocioſque ad victoriam, quam in manu habebant, hortatibus admonent.
Tandem belli dato ſigno, Demoſthenes, Menander & Euthydemus Atheni-
enſis claſſis Duces, loco ſoluunt, naues ex ordine remis ad fauces portus iam præ-
cluſas adigunt, cathenam primum ac nauium ſeptum reſcindere conati, quo in
exteriora perrumpant. Quos inde Syracuſani tempeſtiue accurrentes ab inſtitu-
to reuocatos ad certamen coegere. Ibi in anguſtiis ipſis, & intra portum atrox
pugna initur. Breui diſſipatis ordinibus diſperſæ triremes palanteſque incerto
curſu paſſim fluitantium more deferebantur: totoque vbique portu varia di-
uerſis locis prælia miſcebantur. Conſpicere erat ſingulari prope concurſu cer-

tantes

tantes iam tum obnixis animis vtrinque adeo ferociter, atque indefesse pro victoria dimicare: vt nunquam ad illud vsque tempus (teste Diodoro) alicubi gentium (quod quidem memoriæ sit proditū) tam infestæ inter se concurrerēt classes, nec maioribus odiis. Hi de vita, illi de patria, de liberis, de fortunis, de aris atque focis dimicabant. Athenienses nauium multitudine freti, tum desperato prorsus aliunde præsidio, pericula intrepide subibant, nihilque pertimescebant: nunc consistebant, nunc hostes impellebant, feroces semper impigre varieque rem gerebāt: postremo strenue constanterque periclitando mortem oppetebant. Syracusani etiam ipsi superioribus victoriis elati pertinacius multo acriusque pugnabant, pericula sine metu obeuntes. Demosthenes, Menander & Euthydemus Atheniensium duces bellum ciebant: Sicanus, Hermocrates & Pythes Syracusanos accendebant. Stabat in vtroque littore instructa vtriusque peditatus acies, vt clamore & præsentia suis fauerent. Stabant & in mœnibus vrbis, & locis prominentibus (velut e theatro) liberi, vxores, affines, domestici, & ciues omnes ad victoriam suos hortantes, & sese ad Deos suos, ne se salute fraudarent, precibus conuertentes. Neque in tanto agmine vlla furoris, crudelitatis, ac miserabilis casus species abfuit, affectusque contra in lætitiam effusi. Nonnullæ nanque Syracusanorum triremes, sub mœnia patriæ dimicando, vi hostium pulsæ dum defendere obnixe pergerent, diram suis pugnæ faciem, ac miseranda sub oculis spectacula præbuerant. Contra vero Athenienſium quoq; disiici naues, trucidari milites, submergi nautas, & plura huiusmodi, quæ Mars ferus Neptunusque edebant, opera cum lætitia cernebant. Cæterum cum aliquandiu ancipiti Marte dimicatum esset, a Syracusanis Athenienſiū agmen tandem in fugam vertitur: mox reliqui ordines, post breui tota acies inclinata, ac salutem in fuga ponere coacta, ad terram in exercitū pedestrem euadere properabant: quos Syracusani victores insequebantur. Per portus sinum tabulæ nauium, virorum arma, ac dilacerata passim corpora per summas vndas varie fluitantia, velut ex ingenti naufragio tēpestateq; disiecta conspiciebantur. Sexaginta Athenienſiū triremes eo conflictu dissipatæ per fluctus ferebantur, Syracusanorū viginti ad summū, quarū sexdecim cōcursu attritæ perierāt. Ariston Corinthius, Prætor præstantissimus, inter primos acerrime dimicans, victoria Syracusanis relicta, misere interfectus occubuit. Cōfecto prælio victores, quotquot poterant triremes, in terrā subduxere: simulq; vt ciuiū sociorūq; cadauera legerentur, laborauere: quos publicis honorib. sepulchrisq; recōdi placuit. Reuersi deinde in vrbē, victoriæ monumentū trophæo imposuere. Atheniēses e diuerso cladis magnitudine diffracti, neq; ad bellū repetendū, sed ad nocturnū clandestinumque recessum consilia retulere. Quo in cōuentu Demosthenes primus dissoluendū septū suasit, dū lassitudo & fiducia simul per recentē triumphū ab ea custodia Syracusanos auerteret. triremes deinde milite qui e clade superfuerat, cōplendas, ac repente in Syracusanā classem nondū sedata strage edomitā irrūpendū. fore vt eo modo voti cōpotes proculdubio facti, extra portū euaderent, atque Athenas liberi peterent. Niciæ consiliū ab hoc longe diuersum fuit. relinquendas prorsus naues, ac per mediterranea potius itinera ad socias vrbes confugiendū. cui mox vno oēs ore assensere. Quocirca nonnullis nauibus incensis ad profectionem quique cum festinatione se cōparant. Id cū passim inter Syracusanos iactaretur, Hermocrates ciues hortatur, vt omnibus copiis noctu instructis extra vrbem exeant: quaque fugituros Atheniēses arbitrarentur, vias & itinera vbique omnia occupent, & insidias collocent. Cuius sententiam cum Syracusani non probassent, quod magna eorum pars vulneribus curandis insisteret, & exercitus corpora ex certamine lassa curaret: ipse suorum ignauiam execratus, rem sine consensu ex se aggredi deliberat. equitesque e suis quosdam (velut ex his qui in vrbe erant Atheniensium studiosi, & ab hominibus amicæ factionis) excitos ad stationes hostium mittit, vt Niciæ cæterisque clam per noctem nuntient, ne ea nocte castra moueāt: cum Syracusani passim itinera, quibus ipsi profecturi essent, copiis insidiisque repleuerint, cunctasque viarum oras occupauerint. Equites Hermocratis imperata prudenter callideque ad Niciam suosque perferunt. quibus illi facile decepti,

a profectione ſuperſedentes, eam vſque in diem tertium differunt. Interea Syracuſani & Gylippus cum primum corporibus operam dediſſent, in diuerſa loca ad itinera paſſim obſtruenda, riuorũque & fluminum vada, milites mittunt. pontes præterea amnibus ſuperſtructos reſcindi iubent. Deinde in Athenienſium naues impetu facto, pleraſque ſubiecto igne combuſſere. Cæteras, quæ quinquaginta fuere, in ſuas ſtationes nemine prohibente iuxta vrbem protraxere. Nicias & Demoſthenes, triduo poſt naualem cladem elapſo, toto cum militum exercitu, qui ad quadraginta hominum milia fuerunt, motis caſtris tanquam e ſedibus patriis, flentes mœſtique in duas partes diuiſi proficiſcuntur. Quarum vni, cum veteranorum militum agmine, ſauciis ægrotiſque & impedimentis omnibus in medio diſpoſitis, Nicias: alteri cum ſuis copiis Demoſthenes præerat. Nihil in tantis cladibus ad eam diem acerbius Athenienſes viderunt, quam cum inſepulta ſuorum cadauera deſerere, locoque, ad quem cum votis ac canticis ſubigendũ venerant, profugi, abſque parentatione cedere cogerentur. Suum quoq; cuiq; periculum in primis animo obuerſabatur: cum incerti quo tenderent, ne de vita quidem ſecuri eſſe poſſent. Id vero lõge triſtius miſeratione q; dignius ſpectaculum eſt viſum, quod Nicias ipſe, nondum ex aduerſa valetudine ſatis firmus, ad famis vſque iniuriam cõpelleretur: quam perferebat conſtantiſſime, frontiſque hilaritate, ac comi ſalutatione, dextera obuios etiam quoſque amplexatus, calamitatis cõmunis ſortem diſſimulabat. Atque ita cũ Demoſthene totoque exercitu Catanam verſus iter flectens, cum ad vada Anapi. fl. perueniſſent, inſtructam primũ Syracuſanorum cohortem obuiam habent. Qua paruo negotio ſuperata, traiectuque fluuii potiti, ſuperatiſque equitibus Syracuſanis, leuiſque armaturæ iaculatoribus, eo die quinq; fere paſſuũ milia confecerunt, atque in tumulum quendam natura munitum appulſi quieuerunt. Die vero ſequenti ſub auroram itineri rurſus ſuccedunt, atque tribus paſſuum milibus emenſis ad campeſtrem quendam locum colonis habitatum caſtrametati ſunt, vt ibi cibo potuque reficerentur. Nam perſiticuloſa quædam loca nonnihil eis eundum eſſe ſciebant. Interea Syracuſani collem arduum, & vtrinque præruptum, Euryelum dictum (cuius vertex Lepas appellatur, per quem iter facturi erant Athenienſes) præoccupant atque tumultuarie muniunt. Athenienſes poſtridie ſummo mane profectionem proſequũtur: ſed continuo a Syracuſanis equitibus & iaculatoribus (quorum magnus erat numerus) vtrinque obequitantibus & iaculantibus, vltra progredi prohibentur. Vbi aliquandiu cum hoſtibus fruſtra pro loco luctati, in eadem rurſus caſtra, vnde mane diſceſſerant, vel inuiti rediere. Poſtera tamen luce rurſus inde diſcedunt, & magna vi ad collem Lepas perueniunt. Quem a Syracuſanis muro præcluſum, & pedeſtri ſcutatorum acie munitum cum inueniſſent, loci anguſtia animaduerſa ſubeuntes, expugnare illum ſumma ope nitebantur. Verum cum ex iniquo loco congrederentur, quam facillime a Syracuſanis, qui verticem poſſidebant, telis inde vibrantibus feriuntur, atque retrocedere coguntur. Interea cum magna imbrium vis eſſet exorta, & tonitrua etiam horrendo ſonitu increbreſcerent, ea velut exitii ſibi præſagia pertimeſcentes, in eodem loco inſederunt. Ad quos Gylippus a tergo quo venerant, muro intercludendos, copiarum partes emiſit: quem ipſi militibus e diuerſo expeditis ab incepto impediere. Cæterum cũ ſequenti die motis caſtris Lepas aſcendere decreuiſſent, eos Gylippus & Syracuſani de improuiſo adorti, vndique circumfundunt, plureſque ſauciant. Ipſi contra, vim repellunt, & in poſtremos Syracuſanorum impetum faciũt, ac demũ totũ eorum agmen propellunt, & vſque in caſtra inſectantur. Porro Nicias & Demoſthenes, cum omnes ſibi abeundi vias præcluſas viderent, Catanaque omnino prohiberentur: quo poſſent, non quo vellent, raptim agmen ducere ſtatuere. Noctu igitur multis per caſtra pyris accenſis, in aduerſam maris Siciliæ oram, quæ ad Camerinam, Gelam, aliaſque infeſtas ciuitates ſpectabat, iter ſilenti agmine conuertunt: quanquã & nox, & per hoſticum, hoſteq; victore non procul agente, profectio trepidationẽ maximam pauoremq; per ipſam viam eis incuteret. Qui Niciam ſequebantur, ordinẽ obſeruantes ad mare peruenerunt. Sed qui Demoſthenem,

nem, interrupti sunt, quia solutis ordinibus, & a suis aberrantes pergebant. Prima tamen luce ad mare cum venissent, viam Elorinam ingressi, ad Cacyparim amnẽ (Yhasiblim hac ætate appellatum) appropinquant. Vbi quosdã e Syracusanis fluuii vada munitionibus & vallo obsepientes offendunt. Sed illis victis fluuium traiecerunt. Traiecto amne, ad Erineum alium fluuium (qui Miranda hodie dicitur) processerunt. Etiam Athenienses Duce Nicia eo die obliquo itinere .p.m. circiter viginti confecerant. Syracusani, vbi illuxit, abiisse Athenienses primum cognouerunt. Pleriq; eorum Gylippum proditionis insimulabant, quod conscius illorum recessus dissimulauerit. Mox exploratis abeuntium per itinera vestigiis insistẽtes, circa horam prandii in Demosthenicos incidunt, qui tardius & inordinatius incedebant: in eosque ad locum arctum munitionibus circundatum, viamq; vtrinque oliuis consitam, irruentes, circumquaq; missilibus incessunt: neq; enim commodius pugnare audent, qui de vita desperassent. Sed vbi per arcta locorum eos toto die iaculis impetendo, fessos saucios q;, aliisq; insuper ærumnis exhaustos conspexere: Gylippus & Syracusani per prẽconem eis edicunt, si qui Siculorum ad se transire vellent, libertatem assecuturos. Transiere nonnulli, nec adeo multi: mox vita cæteris omnibus qui cum Demosthene adorant, promissa, omnium animi sese ad deditionem inclinarunt. Itaque ad sex milia e Demosthenicis sine armis & pecuniis dediti sunt missi. Scribit Plutarchus, Demosthenẽ, cum se vndique hostibus circunseptum vidisset, & nullam euadendi viam sibi superesse, nudatũ gladium sibi in suum pectus adegisse: qui tamen eo vulnere non occubuerit: sed statim a Syracusanis superuenientibus gladio e vulnere deducto, viuum in hostiũ potestatem deuenisse. Nicias interea harum rerum ignarus, cum suis .fl. Erineũ transgressus, in edito quodam loco cõsederat. quem victores ad Erineum mox insecuti, caduceatorem ei mittunt, qui Demosthenis & suorum deditionem illi annuntiet, idemque ipsum vt faciat, hortetur, si viuere illi esset in animo. Quo nihil horũ credente, paciscuntur vt equitem ad explorandum expediat. Missus eques, & reuersus, rem retulit. Qua comperta Nicias Athenienſium nomine se transigere spondet: si toto cum exercitu liberum eum abire permitterent, ad belli impensas Syracusanis soluendas suos inducturum. Hac conditione reiecta, Gylippus atque Syracusani vndique aggressi, telis ad vesperum vsque petiuere. Illi, etsi commeatus aliorumq; necessariorum inopia laborarent: seruato tamen in noctis silentium discedendi animo, arma sumpserunt. quæ, quia eorum discessus hostem nõ lateret, rursus deposuere, præter trecentos, qui magna vi Syracusanorum custodiã peruadentes, qua potuerunt, noctu contendere. Nec minus postridie Syracusani eodem quo pridie modo, iaculis sagittisque progredientes vndique lacessiuere: qui tamen ad Assinarum vsque fluuium (qui Falconara est hodie) inter tela festinando processerunt, tum potandi desiderio, quo anxie tenebantur, tũ rati eo traiecto tutiorem habere abitionem. Vbi ad flumen peruenerunt, tumultuarie in illum procumbunt, nulloque ordine irrumpunt, cum quisque primus transgredi fluuium satageret. Sed ingruentes Syracusani, difficilem periculosumq; traiectũ eis reddebant. Ibi nanque confertim procurrendo, inuicem illapsi conculcabantur, atq; inter se impliciti in aquas defluebant: vbi telis & armis impetiti peribant. Ex vtraq; præterea fluminis parte, cuius ripa præceps erat, ab hoste superstante cõfestim occupati interficiebantur. Complures insuper, propter sitis, quam diu tolerauerant, magnitudinem, quasi furentes, in cauum fluminis alueum sese præcipitabant, ibique & ipsi vitam profundebant. Inde miserabilis sane rerum facies, cũ plurimi vel cœnosam, vel cruentam aquam, permixtumque aquę commilitonum sanguinem inter ipsa cadauera potabant. Tandemque decem & octo cæsis, septẽq; captis milibus: Nicias ad Gylippi genua prouolutus, ac deditionem faciens: Misere (inquit) victor. His verbis motus Gylippus, apprehensa dextera eum subleuauit, lachrymantemque lachrymans & ipse non sine ingenti commiseratione suscepit: suisque, quanquam sero tandem, vt a cædibus abstineretur imperauit. Deinde & cæteri, qui cædem euaserant, (quorum ad septem milia erat numerus) traditis armis sese quoque dedere compelluntur. Proinde Syracusani, parta tam me-

morabili victoria, ingentes arbores (quæ plurimæ in ripa fluminis erant) captiuorum spoliis exornarunt: duoque trophæa spoliis hostium Ducum circumamicta eodem loco erexerunt: ac subinde coronati omnes cum equis coronas quoque gestantibus, sed hostium equis detonsis crinibus, in vrbem triumphum ducentes redierunt: captiuos vero omnes in Latomias, veluti in tutissimam custodiam, cõiecere. Tunc illico Diis suis sacra publice ab vniuerso populo fuere celebrata pro victoria: quæ tanta fuit, vt ex ducẽtis Athenienſium triremibus, & ex quadraginta & eo amplius pugnantum milibus, non solum nauis nulla relicta fuerit, sed ne nuntius quidem tantæ cladis euaserit. Fuit autem dies ille huius victoriæ adeo fœlix Syracusanis, quartus & vigesimus eius mensis, quem ea ætate ipsi Carnium, Metageitnionẽ Athenienses, Latini vero Maium appellant, vt Plutarchus prodit. licet Thucydides id anni tempus circa Autumnum reiicere videatur. Eusebius vero a mundo condito annum ferme. 4780. & ante salutis annum. 423. & post vrbem conditam. 342. Olympiadis autem nonagesimæ tertium supputat. Porro Syracusani post partam victoriam aduocata concione, statuerunt vt dies ille quotannis solennis in memoriam tam insignis victoriæ ac sacer celebraretur: festumque a fluuii cognomine, Assinarium appellarunt. Subinde consultatum est, quid de captiuis constituendum esset. Vbi Diocles summæ authoritatis vir, & inter populi principes facile præstantissimus, protulit, Niciam & Demosthenem virgis primũ verberatos, mox probris affectos vltimo supplicio dedendos: reliquam captiuorũ turbam per lapicidinas ad lapides cædendos distribuendam: Athenienſium socios sub hasta nudis corporibus vendendos. Huic sententiæ Eurycles Syracusanus Prætor, & populus plurimum assentiebantur. At Hermocrates decretum hoc vt satis impium reprehendit, suasitque illis ignoscendum, quo Syracusanorum & victoria & clementia pariter prædicaretur. Verum hæc sententia a populo cum strepitu repressa est. Nicolaus vero Syracusanus, vir primarius, qui eo bello duos filios amiserat, luculentã pro Athenienſium liberatione orationem habuit. Gylippus tamen, si Plutarcho credimus, Duces sibi ad gloriam dari frustra popoſcit: si autem Diodoro, (quem maxime in hac historia sumus imitati) implacabili in Athenienses odio flagrans, Duces necandos esse edixit: ne eis seruatis aliud quidquã aduersi grauioriſque periculi deinceps sibi contingeret. cui permota turba suo more assensum præbuit. Quare Nicias & Demosthenes (vt Philistus, qui huic bello & præfuit & interfuit, Thucydides, Diodorus, & Plutarchus referunt) illico ad supplicium rapti necantur: licet Timæus non fuisse eos a Syracusanis interfectos, sed, cúm communi decreto id concluſum fuisset, Hermocrati ad eos occidendos præfecto, nondum concione dimissa occurrisse carceris custodem, ac retulisse illos sibimet mortem conſciuisse scribat. Eorum corpora ante fores carceris proiecta diutius iacuere, vt ea cuique aspiciendi potestas fieret. Clypeus Niciæ, auro purpuraque mira arte intexta ornatissimus, Syracusis in Iouis templo in eius victoriæ monumentum fuit repositus: qui ætate Plutarchi ibidem adhuc visebatur. Athenienſium socii sub hasta loco prædæ fuerunt venditi: Athenienses per officinas lapidum distributi, sub custodia tenebantur in vinculis. Quorum pars, quicunque videlicet artem aliquam percalluerant, liberati: plures in vinculis & carcere interierunt. Nihil enim præter ordei duas, & vnam aquæ cotylam, (quę est mensuræ genus) singulis diebus in victum habebant: præter id quod in loco depresso & arcto sub diuo habitabant, vbi suis ipsi sordibus vexati suffocabantur. multi a custodibus clam surrepti ad colendos agros dimissi: pleriſque abeundi facultas tacite permissa: nonnulli quoque pro seruis venditi sunt, prius tamen equi charactere in fronte perusti & insigniti. Quo non obstante, ingenuitas, quam facies loquebatur, eorum pluribus fuit adiumento. nam empti vel a dominis manumittebantur, vel pro liberis habebantur. aliqui etiam propter Euripidem poetam salutem consecuti sunt: cuius præ cæteris Græcorum poetis carmina Siculi admirabantur: qui & a captiuis audita auide perdiscebant. Quæ quidam cum dominos docuissent, ab eisdem mercedis loco libertatem consequebantur. Nec deerãt qui post hanc pugnam per diuersa Siciliæ oppida dispersi carminibus huiusmodi decan-

decantandis victum conquirebant. Multi hac ratione captiuorum Athenas reuersi Euripidem salutatum veniebant, suis se carminibus libertatem consecutos adiicientes. Tantæ Athenienſium apud Assinarum cladis cum primus nuntius Athenas venit, vix fidem habuit, quousque certi frequentioresque alii nũtii rem omnem eo quo gesta erat ordine exponentes superuenere. Quod vbi ita esse cõstitit, tum demum pauor ingens ac stupor ciuitatem inuasit ac si Athenæ vrbs corruisset. Qua de re Euripides tale in suos edidit epigramma: Hi viri de Syracusiis victoriam octies reportarunt: donec vtrisque Dii æqua sorte propitii fuerunt. At vero non octies tantum, sed longe pluries Syracusanos fuisse ab Athenienſibus superatos, reperiet qui recte supputauerit, antequam illis fortuna aduersaretur. Porro deinde populus Syracusanus viribus & animo elatus Remp. ad statum popularem pertraxit: quem & legibus Diocles roborauit. inter quas & hæc commemoratur: Ne cui cum armis in forum aut concionem prodire sub capitis mulcta aliqua ex causa liceret. Cumque die quodam hostes in agrum irrupisse, seditionemque circa forum excitatam, nuntiatum esset, & ad eam compescendam gladio accinctus Diocles imprudenter in publicum prodiret, a quodam priuato notatus, quod leges ipse suas, quas ediderat, transgressus fuisset, incusanti edita voce respõdit: Vtique per Iouem: sed qui errauit, summota prorsus venia pœna plectetur. statimque stricto ferro de seipso supplicium sumpsit.

DE BELLO INTER SEGESTANOS & Selinuntinos, ac vrbium Selinis & Himeræ ab Annibale deletione.

CAPVT IIII.

ATHENIENSIBVS in Sicilia deletis, Segestani, qui Athenienſium contra Syracusanos socii fuerant, veriti ne eorum quæ contra Syracusanos gesserant, pœnas aliquando luerent, Selinuntinis, quibus Syracusani erant fœderati, agros, ex quibus tam ingentis belli causæ fuerant enatæ, vltro cedunt. Qui cum agrorum plus quam in contẽtionem venerat, sibi vsurpassent: Segestani legatos ad Carthaginenses mittunt, auxilium petunt, vrbemque suam Pœnorum imperio deinceps subiiciendam pollicentur: dummodo contra Selinuntinos agrorum ius sibi vendicent. Carthagine non sine hæsitatione legatio audita est. Enimuero etsi Segestanorum imperium concupiscerent, vel ob id quod ea vrbs bello contra Siciliam gerendo satis eis videbatur accommoda: Syracusanorum tamen, quorum Selinuntii erant socii, potentiam pertimescebant, qua paulo ante tam ingens Athenienſium exercitus corruerat. At paulo post Senatus populusque Carthaginenſis mutato consilio Segestanis contra Selinuntinos auxilia, & Annibalem bellicæ expeditionis ducẽ decreuere. Erat is Annibal Amilcaris nepos, qui cum Gelone apud Himeram bello infœliciter gesto, trucidatus obierat: Giſconis vero, qui paterna clade apud Selinuntem exilio plexus interierat, filius. Annibal igitur, cum his de causis vetus in Græcos Siculos odium concepisset, occasionem vindictæ amplexus, egregium aliquod facinus, & patria dignum, & sibi decorum contra Selinuntinos gerere ardebat. Sed priusquam Segestam veniſſet, Carthagine ad Syracusanos legatos misit, qui eorum iudicio agrorum controuersiam committerent. Quod eo fecit, quod animo iam præsumeret, Selinuntinos nullo pacto Syracusanorum se iudicio submissuros: ideoque nec subsidia ab eis obtenturos speraret: prout euentu comprobatum est. Siquidem Selinuntini nullo pacto in arbitrium consentientes, totis viribus quæ a Segestanis & Carthaginenſibus proponebantur, perturbabant. Quocirca Syracusani & amicitiæ iura, & Pœnis pacis fœdera seruare constituunt. Legatis agrorum contentione nõ dirempta reuersis, Carthaginenses ex Sicilia Libycorum quinq; milia, Campanorum vero (qui Chalcidenſiũ erant milites) octingentos Segestanis mittunt. Hos Campanos, cum Athenienſi-

bus inutiles operas ante præstitissent, quia post cladem tarde superuenerant, nullus supererat qui eos mercede conduceret. eamque ob rē Carthaginenses cōparatis equis, pecuniaque data, intra Segestam eos posuerunt. Selinuntini his auditis, cum ea tempestate potentes essent, vrbemque hominibus refertam haberent, Segestanos despiciebant, & in eorum agros cum suis militibus quotidie prædatum incurrebant. qui cum sparsim contemptu & sine ordine vagarentur, Segestani cū sociis occasione arrepta, armis instructi, palantes hostes improuiso impetu adorti in fugam vertunt, omnemque eorum prædam cæsis ex eis mille recipiunt. Selinuntini ea clade attriti, a Syracusanis per legatos suppetias petūt. Quo cognito Segestani, Carthaginenses, auxilia vt accelerent, multis precibus sollicitant. Cunq; ambobus ab vtrisque populis præsidiū promitteretur, Carthaginenses hunc Annibalem Giscónis filium cum ingenti classe Segestanis mittunt. Proinde Annibal sine mora Africo permenso mari, in Siciliam ad Lilybæum promontoriū (vbi longo post tempore, eiusdem nominis a Phœnicibus vrbs est condita) cum classe (teste Diodoro) applicat, militemque omnem nemine obsistente in terram exponit. Peditatus numerum ducenta, equitatus vero quatuor fuisse milia Ephorus scribit. Timæus vero centum duntaxat armatorum milia in toto exercitu recenset. Annibal militibus exoneratas naues omnes in sinum Motyæ vrbis (portum Galli hodie nō longe a Panormo, nominatum) stationem habere voluit: quo Syracusanis ob loci distantiam se neque ad bellum eis mouendum, neque Syracusas versus nauigaturum significaret. Deinde Segestanis aliisque sociis scribit, vt conductos ei milites mittant. Quibus acceptis, a Lilybæo mouens, Selinuntem versus terrestri itinere toto cum exercitu proficiscitur. Cumque ad Mazarum fluuium peruenisset, emporium oppidulumq; quod ad amnis ostium situm erat, statim in deditionem accepit: author est Diodorus. Ad Selinuntē autem ipsam vrbem, quæ ad.p.m.10. succedit, cum postmodum appropinquasset, in duas partes exercitum diuisit, ac vrbem obsidione cinxit, eamque deinde collocatis machinis oppugnare cœpit, atque summa vi vrbis muros quatit. Sed cum Selinuntini magnis animis mœnia tuerentur, Annibal sex ingentes ligneas turres effecit, super quibus cathenis alligatis arietes parietibus inhærentes imposuit. Vnde funditores & iaculatores, qui in muris pro præsidio stabant, missilibus propulsabat eiiciebatq;. Selinuntini præter opinionem atque ex improuiso a Carthaginensib. hoc bello impetiti, a defensione ad admirationem conuertuntur: quippe quod cū in bello quod Gelon contra eos apud Himeram gesserat, soli ipsi præsidium Pœnis misissent, nequaquam ab eis ad tātas rerū difficultates reduci timerent, a quibus maximā potius beneficiorum gratiam expectarent. Ea nanque securitate ducti, quæ ad obsidionem perferendam erant necessaria, minime pararant. Cumque etiam obsidionis tolerandæ essent expertes, bellicorum tormentorum magnitudine, ac hostiū multitudine perculsi, plurimum formidabant. a desperatione tamen abstinebant tantisper dum Syracusanos alioſq; socios cum veterano militum apparatu propediem sibi affore sperarent. Sed vt viderunt Carthaginenses occupandæ vrbis spē pertinaciter cepisse, aut vincendum sibi, aut moriendum censuere. Idcirco hi quibus ætas robusta erat, & ad pericula obeunda sufficiens, magnis viribus molibusque fortiter hostes propellebant. Proinde senes, & cætera imbecillis ætas, effœtæque ætatis viri, bello ad mortem vsque se offerunt: tantum animorum virium-que patriæ amore & penatum conspectu subministrabat. Mulieres vero, pueri, & valetudinarii, quib. vel ætas immatura, vel sexus huic oneri haud idoneus, vel corpus erat exile, muros ipsos circumeuntes sagittas, lapides, cibos, aliaque necessaria abiecto etiam dignitatis & sexus pudore decertantibus deferebant, hortati continue, vt hostes muris appropinquare nullo modo sufferrent. Annibal autem postquam militibus vrbem in prædam, si vincerent, promisisset, cum delectis virtute viris, vim augens debellabat, magnaque arietum vi mœnia concutit. Cunque turres ligneæ celsitudine sua vrbis muros superarent, Pœni bellando plures Selinuntinorum occidebant. Inter hæc magna pars muri subruitur: cuius occasione Campanorum plerique moti, audax facinus aggrediuntur. Vrbem nanque ea

qua

qua murus prolapsus est, confestim ingrediuntur: primoq; impetu perterrefactis custodibus, victoriam in manib. habere arbitrabãtur. Sed parum fœliciter eis successit audacia. continuo nanq; vniuersa ciuium acies laborantibus custodib. auxilio affuit, Campanosq; per ruinas ingressos, qui in difficiles vrbis partes inciderant, pluribus eorum occisis, foras abegit. Aduesperascẽte, cessante prælio, obsessi expeditiores equites elegere. quorum alios Agrigẽtum, Gelam quosdam, pleroſque Syracusas destinant, qui præsentem opem labantibus iamiam rebus exposcerent. Agrigentini & Geloi cum paratis auxiliis Syracusanos præstolabantur: quo omnis simul sociorum exercitus contra Carthaginenses induceretur. At Syracusani nũtio accepto, rati vrbem obsideri quidem, sed expugnari, & in prædam tam cito dari minime posse, (pace cum Catanensibus & cæteris Chalcidensibus, cum quibus adhuc bella gerebant, firmata) ingentem militum apparatum, quo Selinuntinis epitulentur, instruunt. Sed in hoc militum delectu, multum temporis absumebatur. Annibal illucescente ex omni parte contractis viribus, nihil aut temporis aut industriæ remittens, paruo labore, qua muri pars lapsa fuerat, alteram disiicit. difficile tamen erat eos qui pro aris, pro focis, pro patria, pro liberis, pro vxoribus ac demum pro salute certabant, ita prima fortuna superare. Proinde aperta vrbe prælium cõminus geri cœpit, consertisque manibus magna hinc inde strages cõmittitur. Sed Carthaginenses fessis militibus nouos subinde sufficiebant. Selinuntini vero, cum auxiliares adhuc socii non aduenissent, iidem semper pugnabant. Etiam nonus obsidionis dies animorum ardore insuperabilis illuxerat, quo Carthaginenses magno impetu per ruinas vrbis clamores feros, minasque etiam sæuas iterãtes irrumpunt. Quod vbi mulieres e tectis vident, eiulatibus omnia replent. Quibus auditis custodes, vrbem iam captam arbitrati, mœnia deserunt, & ad angustos vicorum exitus, vbi commodius hostibus obsistant, sese recipiunt. Sed Pœni magno nisu vrbem ingrediuntur. Quibus statim ardentissimis animis occurrerunt nonnulli, quos in patriæ occubitu diutius superesse tædebat. Sed & senes, & pueri, & mulieres e pinnaculis ac domorum fenestris lapidibus in hostes acriter eiectis, eorum plures interficiebant. Quo factum est vt impedita quidem aliquandiu vrbis expugnatio fuerit. Sed cum confertim ingrediendo cohortes increbescerent, ciuibus ex angiportibus compitisque viarum pulsis, cedentibusque demũ vrbs capitur. Capta vrbe pium erat exaudire Græcorum vlulatus vehementes: cõtraque horrendum, barbarorum elatos clamores, qui ad sydera personabant, Selinuntinosque præiacentis calamitatis aspectu perterritos. Pœni porro secunda fortuna elati, in vrbis perniciem se mutuo hortabantur. Itaque cum ciues ad forũ se conglobassent, ibidem acerrime propugnantes, præualentibus Carthaginensibus occubuerunt. Barbari deinde ad prædam conuersi, ciues quotquot intra domos inueniebant, concremabant. Sed & ii qui ab anguſtiis viarum primum impediebantur, patefactis per vim viis ingentem sæuamque senum & puerorum cædem ac stragem effecerunt. Quorum cadaueribus truncatis, more patrio telis acutis elatisque affixa capita deferebant. Mulieribus, quæ ad Deorum templa cõfugerant, secumque filios impuberes filiasque detulerãt, fides ab Annibale, ne trucidarentur, est præstita. Nec vero id pietatis votum fuit, sed ne mulieres salute desperata & templa, & opes, quas secum rapuerant, quibusque inhiabant, simul exurerent, templis parcebant, quæ postea diripere & spoliare possent. Etiam nox imminebat: & vrbis domus plures dirutæ, combustæ plurimæ: solum præterea vrbis sanguine madefactum, & cadaueribus refertum conspiciebatur. Supra nanque sexdecim Selinuntinorum milia trucidata ex inuentis cadaueribus deprehensa; quinque vero milia in captiuitatem redacta sunt. Mulieres libertate priuatæ dum noctu cum barbaris vna morarentur, præter miserias seruitutisque graue iugum, contumelias & opprobria supra humanam patientiam in se suisque filiabus ingenua venustate educatis tolerabant: eoque, ac animo repetentes acerbissimam quã in Africa toleraturæ erant seruitutem, vitæ iam pertæsi, fœlices eos ciues iudicabant qui cum ipsa vrbe mortem oppetierant. Selinuntini qui ante cladem vrbe cesserant, cum se ad Agrigentum contulissent, humanissime sunt recepti.

Capta

Capta iam vrbe, quatuor armatorum delectissimorum milia, qui a Syracusanis in auxiliũ Selinuntinorũ mittebantur, Agrigentũ peruenerũt. qui vbi captam vrbẽ deletamque acceperunt, legatos ad Annibalem mittunt, petentes vt captiuos pretio redimi liceret, & Deorum templa intacta incorruptaque dimitteret. Annibal his respondit, Selinuntinos seruitutem experiri oportere, qui libertatem aliis cõcedere nescierint: Deos vero iratos iam vrbe cessisse, ideoque templa solo æquãda esse. Syracusanis hoc responso relato, Selinuntini qui pro salute Agrigentum confugerant, legatum ciuem suum, cui Empedion erat nomen, ad Annibalem & ipsi mittunt, vt vrbi iam deletæ postremo parceret. Erat Empedion patria Selinuntinus, sed qui Carthaginensium semper fuerat studiosus: & qui ante obsidionem suos contribules, ne contra Carthaginenses bellum susciperent, frustra fuerat hortatus. Is igitur ad Annibalem profectus benigne ab eo habitus est, suosque cognatos e carcere petitos liberaliter vna cum libertate donatos recepit. Fortunas quoq; suas suorumque, ac prædia postulata recuperauit: quæ iam omnia per præconem publicum eo absente seruari, ne a militibus violarentur, Annibal edixerat. At cum rursus templis tota Sicilia celeberrimis vt paceret, obnixe deprecaretur, nõ est exauditus, vel ob id quod cum incolarum perfidia iam Deos & vrbe & fanis discessisse sibi constaret, & in profanos vsus redigi ea lex non permitteret, iure demoliẽda censebantur. Demum vt vrbem suam saltem instaurare sibi liceret, magnis precibus poscenti Annibal non abnuit: ea tamen lege, vt Selinuntinorum reliquiæ, quæ fuga sibi salutem quæsiuerant, soluto quotannis Pœnis tributo, ad vrbẽ agrosque colendos reuerterentur.

Annibal his gestis, Gisconis genitoris abunde in Selinuntinis morte vindicata, ad vlciscendam quoque Amilcaris aui mortem se conuertit: eoque instituto cum omni militum apparatu furoreque, terrestri itinere contra Himeram, delendæ etiam illius animo, proficiscitur. Vbi igitur ad circũiectos agros peruenit, quadraginta hominum milia supra conualles non longe ab vrbe locat: reliquum vero exercitum, ac viginti Siculorum & Sicanorum milia, circum vrbem ponit. Subinde tormentis machinisque mœnia propulsat, murique continuo magna vi partem vnam diruit. Adducta deinde ad muros maxima armatorũ multitudine Himerenses summa violentia lacessebat. Post hæc & subterraneos cuniculos sub vrbis fundamentis adeo effodit, vt desuper incumbentes muri suppositis trabibus sustentarentur. Quibus paratis iniecto incendio magna pars vrbis in voraginẽ collapsa est. Qua cum Carthaginenses vrbem ingredi niterentur, Himerenses, quib, hinc liberorum, parentum, inde patriæ quoque periculum, extremumque fatum ante oculos versabatur, nec iam spes vlla nisi in manibus erat, summo conatu hostẽ repellere, collapsaque mœnia reficere conabantur. Interea Syracusanorum aliorumque sociorum præsidia, quæ post cladem Selinuntinam apud Agrigentum adhuc erant, quibus Diocles Syracusanus præerat, Himeram appropinquarunt. Quibus auctis Himerenses nequaquam se more Selinuntinorum circumcludi vtile visum est. Quo circa relictis ad muros custodibus, milites socioſq; alios, quorum ad duodecim milia numerus ascendebat, extra mœnia contra hostes educunt: atque ex improuiso barbaros nil tale metuentes adoriuntur. quos partim loco pellunt, partim cædunt. Cumque passim barbarorum copiæ (quæ sibi persuadere nõ poterant, eos qui clausi obsidebantur, in tantam audaciam aliquando abituros, vt numero & viribus longe inferiores, contra tot armatorum milia armis instructissima erumperent) sine ordine discurrerent otiosæ: Himerenses impetu facto adeo eos turbant, vt alium alio impediente, maiorem ex seipsis cladem quam ex Himerensibus reciperent, eoque repentino atque inexpectato incursu perculsi in fugã tandem conuerterentur. Quos illi veluti victos sectati, maximaque eorum strage edita, editis etiam vocibus, ne cuiquam parceretur, persequebantur: adeo vt Timæus ea pugna sexdecim Carthaginensium milia (etsi viginti recenseat Ephorus) occubuisse tradat. Annibal cum suos iam effusos fugatosque, ac magna ex parte cæsos conspiceret, militum copias quas non longe ab vrbe supra conualles locauerat, in præsidium fugientium induxit, bellumque redintegrat: vbi acerrime quidem

quidem vtrinque pugnatur, sed Himerensium postea exercitus nouo Carthaginẽsium præsidio superueniente concussus, in fugam conuertitur. quorum tria tantũ milia inconcussa remanserunt: qui strenue tandem pugnando omnes interiere. At cum dimicatio eodem die hic finem accepisset, quinque & viginti triremes paulo ante ad Lacedæmoniorum auxilium a Syracusanis missæ Himeram applicant. statimque per vrbem fama vagatur, Syracusanos cum maiori parte populi ad suppetias Himerensibus ferendas propediem affuturos, Annibalemq; cũ triremibus omnibus (quas apud Motyæ sinum miserat, delectis militibus refertas) Syracusas petere, quo ciuibus destitutam vrbem inuaderet occuparetq;. Quo audito, Diocles nauium præfectis imperauit vt confestim Syracusas nauigarent, ne ex improuiso vrbs interciperetur. Decretum quoque est, Himerensium partem cum triremibus Messanam emitti, reliquos vero ad vrbis præsidium remanere quousque triremes reuerterentur. Himerenses, audito ducum decreto, etsi iniquissimo (vt par erat) id ferrent animo: noctu tamen summa celeritate in triremes se recipiunt: Diocleſque ipse conspecta eorum qui in pugna ceciderant, strage, relicta Himera Syracusas etiam redire parat. Quem Himerenses, rescito consilio, complures cum vxoribus & liberis deserta patria, quam propediem casuram præuidebant, sunt secuti. Ita Himera vrbs cum pauciſſimo præsidio remansit. Quam deinde Carthaginenses rursus circumsepiunt, ac magno belli ardore oppugnant. Obsessi, etsi pauci, ardentissimis tamen animis patriam nocte fortiter & insomnes tutati, sub auroram etiam contra hostes e mœnibus egressi prælium susceperе. Paucis post diebus cum triremes rediissent, videntes vrbem ab hostibus conclusam, nec audentes militem in terram exponere, in prospectu vrbis stabant, vt sic suis animum adderent. Sed Carthaginenses victoria iam pene certa incitati, adeo bellum vrgent, instantque oppugnationi, vt neque respirandi Himerensibus tempus darent. Quo demum ciues labore fessi, defecere, atque mœnia magnis tormentorum ictibus concussa magna ex parte corruerunt. Carthaginenses id videntes, statim magno impetu ex ea parte vrbem turmatim ingrediuntur, in ciues irruũt, & quotcunque obuios habent, trucidantes, horrendam stragẽ faciunt. Annibal, vt captam vrbem, & ingentem cæsorum numerum ac sæuam stragem, & cadauera passim per vicos & domos iacentia conspexit, a cæde cessationem militibus indixit, & vt viui Himerenses, eorum fortunis victoribus concessis, capiantur, sub mulcta imperat. Post hæc Deorum templa ornamentis opibusque spoliat, atque inde ciues omnes, qui ad Deorum præsidia confugerant, eduxit. Demum appositis tota vrbe lignis, & iniecto domibus & templis incendio, Himeram, ducentis & quadraginta postquam fuit condita annis, (teste Diodoro) combussit. Captiuos, qui ad tria hominum milia fuerũt, quam diligentissime ab exercitu secerni & custodiri iubet. Quos omnes ad eum locum, in quo Amilcar eius auus a Gelone occisus fuerat, trucidari iussit. Ita Himerensibus interfectis, & vrbe Himera combusta, Annibal triremib. & nauibus onerariis, omni præda (in qua & Stesichori statua, & Himeræ vrbis forma, ac cætera ornamenta in honorem vrbis, vel templorum, vel priuatarum ædium affabre facta erant) superimpositis, Carthaginem victor cum exercitu repetit. Cui ad vrbem appulso Senatus & populus Carthaginensium obuiam factus ingentem honorem, duarum vrbiũ expugnatori, gloriæq; publicæ restitutori debitum, exhibuit.

Eodem ferme tempore Hermocrates Syracusanæ classis prefectus, post Assinariam Athenienſium cladẽ in Lacedæmoniorum auxilium contra Athenienses missus, suorum æmulatione Syracusis expulsus est. Qui classe ducibus quos sibi Syracusani suffecerant, ad Peloponnesum assignata, ad Pharnabazum Persarum satrapam se contulit. a quo ingentem pecuniarum summam consecutus, in Siciliam nauigat. Messanam appulsus, statim triremes quinque fabricari fecit, easq; militibus veteranis, Himerensibusq; qui post Himeram ab Annibale combustam extorres vagabantur, instructas, cum ex suorum fauore Syracusas se conferre tentasset, fortunæ iniuria frustratus per mediterranea Selinuntem paruo colono habitatam occupat, dirutique a Carthaginensibus muri præcipuam partem refecit.

ad

ad quam deinde incolendam Selinuntinos, qui cladi supererant, vndique conuocat: collectisque postea ex vicinis oppidis militibus, sex milium armatorum exercitum comparat. cũ quo Selini egressus Motyanorum agros depopulatus est. Quo cognito, Motyani sumptis armis ad prælium contra eum egrediuntur. a quo superati turpiter intra mœnia reuertuntur. Superatis Motyanis, Hermocrates deinde Panormitanorum agros, finesque Motyanis vicinos inuadens vastauit, ingẽtemq; inde prædam abstulit. Sed Panormitani magna manu coacta, vrbe egressi ipsum adoriuntur. Qui inito acri ante vrbem certamine, cæsis Panormitanorum quingentis militibus, reliquos fudit fugauitque, atq; intra vrbem compulit. Hac victoria elatus Hermocrates, regionem omnem quam Carthaginenses paulo ante vi sibi subegerant, eorum reiecto Imperio libertati restituit. Quibus gestis magnum præclari Ducis nomen simul & gratiam apud Siculos est adeptus. Syracusani, cum tot eius egregia militiæ facinora audissent, pertæsi quod contra virtutis merita ipsum exilio mulctassent, conuocata concione de eius in patriam reditu cõsilium ineunt. cui populus facile assensit. Quo ille cognito, cõparato maiori exercitu, ad Syracusas redeundum se instruit. At cum eos qui contra se sententiam exilii dixerant, sibi adhuc obsistere sciret, vt insigni facinore & illos ad se in vrbem recipiendum flecteret, Himeram proficiscitur: inuestigatoq; loco quo Syracusani cum Carthaginensibus dimicando occubuerant, reperta diligenter eorum ossa, & simul collecta, super ornatis quadrigis imposuit, illaque secum Syracusas detulit. Vbi memor legis quæ exules simul cum ciuibus iungi sub capitis mulcta inhibebat, super colles non longe ab vrbe castrametatus, quosdam præmisit qui cadauerum quadrigas in vrbem introducerẽt. Quod eo fecit, vt in vrbe perspecta eius in occisos pro patria pietate, popularem sibi fauorem conciliaret: & Diocles, qui sibi aduersabatur, quiq; causa fuerat vt cæsorum corpora apud Himeram sine sepultura feris relicta iacerent, inuisus populo redderetur. Hermocratis nuntii cum in vrbẽ cadauera intulissent, magna inter ciues seditio est exorta. Diocles etenim ne humarentur obsistebat: cuius sententiæ complures assensi sunt. Syracusani vero, concitato populo Diocli aduersabantur, & occisorum ossa ingenti honore excepere, magnaq; pietate sepulturæ dederunt. Dioclem vero, qui tanta humanitatis officia defunctis inuidebat, Senatus consulto extra patriam eiecerunt, non tamen Hermocratem introduxerunt. Verebantur enim ne, cum primarius esset vrbis, victoria rerum gestarum elatus, tyrannidem occuparet. Ille vero, cum aduersante sibi Senatu in vrbem ingredi non posset, re infecta Selinuntem regressus est. Vbi aliquandiu moratus, & vrbe instaurata, ab amicis Syracusas reuocatus, per agros Geloorum nocte intempesta iter faciens, ad statutum sibi locum cum tribus armatorum milibus peruenit. Deinde ad Acradinæ portam cum paucis appulsus, reliquias exercitus, qui pedetẽtim sequebatur, præstolabatur. Syracusani vbi eius aduentum cognouerunt, vim timentes, in armis omnes conglobato ordine ad vrbis forum se coegerunt. Deinde contra Hermocratem facto impetu erumpunt, ipsumque cum pluribus Selinuntinis sociis adorti trucidant. reliquos vero sui exercitus, quorum plurimi Syracusani erant, in fugam vertunt, atque exilio mulctãt. Sed cum illorum plures inter præliandum grauibus vulneribus fuissent sauciati: (quorum Dionysius Hermocratis gener, qui vrbis postea Tyrannus effectus est teste Plutarcho, vnus erat) ne populus sæuiens ac furens ad eos interficiendos extra vrbem exiret, callide a suis pro mortuis, & parentationis officio, luctuq; etiam simulato, tota vrbe vulgati sunt.

F. TH.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER III.

DE DIONYSIO SENIORI.

CAPVT I.

SYRACVSANI postquam a Thrasybuli eiectione sexaginta ferme annos libertate sunt potiti, quia nimis intemperanter ea sunt abusi, Romæ consulari imperio Tribunis militaribus Rempublicam regentibus, anno vrbis conditæ circiter. 357. in Tyrannidem Dionysii inciderunt. Nam cum insatiabili libertatis amore ducerentur, beate sibi viuere videbantur, libidine ac luxu dissoluti dominantes. Et cum nulli ius æque dicenti subesset, sed in omnibus essent liberi, plures ante Dionysium præfectos absque lege aliqua deposuerunt, profligauerũtque. Seruitus enim ac libertas, si modum seruent, vtraque bona: si excedant, mala. Ea igitur causa Syracusæ vrbs in tyrannidem corruit. Fuit Dionysius (teste Plutarcho) Hermocrate patre, & Hermone auo, honestis bonisque parentibus, (in Tuscul. Cicerone authore) & Syracusis genitus. etsi Aristoteles & plerique alii, plebeium ac popularem ipsum fuisse memoriæ prodiderint. Porro Principatum eius præsagia multa antecesserunt. Mater nanque eius, cum prægnans eum aluo contineret, somniauit se peperisse Satyriscum, vt Philistus Syracusanus temporum eius æqualis scriptum reliquit. Somniorum interpretes, qui eo tempore Gallicei siue Galeotæ in Sicilia nominabantur, consulti matri responderunt, eum quem peperisset, clarissimũ Græciæ diuturna cum fortuna virum, potentissimumq; futurum. Mulier etiam quædã Syracusana, cui Himera erat nomen, genere clara, paulo ante imperium occupatũ, dum quiesceret, videre sibi visa est cœlum conscendere, atque ducem sibi datum, per quem cœli regiones peruagaretur. Cumq; ad Iouem esset introducta, sub eius pedibus iuuenis flaui coloris, lentiginosique oris, cathenis vinctus ferreis ei apparuit. Cunque ducem interrogasset quis nam is esset, Siciliæ illum atque Italię dirũ fatum, solutumque compedibus multis vrbibus exitio futurum audiuit. Interiectis deinde aliquot annis, cum Dionysius Rex creatus esset, ciuesque extra mœnia ex officio ei obuiam prodirent, atque inter hos matronæ complures Diis suis supplicationes facerent, inter eas Himera, vt Tyrannum ciuitatem ingredientem vidit, voce protinus edita clamauit, hunc illum esse iuuenem, quem in somnis per quietem viderat. Cuius dicto Dionysius cognito eam tolli de medio iussit. Tribuni præterea cum per literas sortirentur, esset que Dionysius insortitus, dicente quodam, Repulsam habuisti insane Dionysi: respondisse fertur, Princeps solus ero.

Eodem tendit & id quod de eo refert Plutarchus: quod, cum Syracusis mos esset vetustus, vt concionaturi literarum notis (quæ sortes dicebantur) designarentur, vbi qui literam suam adeptus esset, concionandi ad populum facultatē consequebatur: Dionysius in concionem proditurus, per literam. M. concionis habēdæ ius sortitus sit. Qua cum cauillatores morologiam (hoc est fatuam insulsamq; loquacitatem) essent interpretati: ipse eludens scomma, simulque ad sortis literam alludens, Monarchico dixit potiemur Principatu. Sicuti obuenit. Etenim nō ita multo post habitam concionem temporis spatio, Prætor a Syracusanis est designatus, qui fuit ad tyrannidem gradus peraccommodus. Eum nanque Carthaginensibus Siciliam inuadentibus, Syracusani, cum illustre in re bellica eo tempore haberet nomen, rerum summæ prefecerūt. Erat siquidem manu promptus, & fortis, & rei militaris Dux simul & miles peritissimus, summa in victu temperantia, in rebus gerendis acer & industrius: & (quod in ea fortuna perrarum est) minime libidinosus, neque auarus, nullius denique rei cupidus præterquam singularis perpetuique imperii. Porro principium tentandæ tyrannidis paulo altiori repetendum est initio. Primum omnium ex quo tempore bellum Carthaginense gestum est, Siciliæ familia vna continue ex decreto Syracusanorum publicis rebus præerat, quā Remp. appellabāt. Sed cum deinde a Carthaginensibus pressi, Syracusæ vrbs cum vniuersa Sicilia in extremum discrimen venisset, Dionysium iuuenem quidē strenuum, cuius iam virtus vulgata erat, militib. ac rebus bellicis: Hipparinū vero, vtpote seniorem, consilio præesse voluerunt. penes quos totius Siciliæ salus versabatur. Dionysius igitur contra Carthaginenses profectus, non multo negotio illos superauit profligauitque. Repulsis Carthaginensibus, & salute Siciliæ parta, inuadendi imperii occasionem hac via nactus est. Electos etenim ante eum a Syracusanis exercitus Duces (qui decem fuerant) cum contra Carthaginenses male se gessissent, vocato ad concionem populo, vt patriæ proditores accusat. Sed cū Magistratus acriter eum increpuisset, Philistus vir summæ authoritatis & opulentiæ, illi e contrario fauit, ac palam loquendi facultatem dedit. Quo Dionysius roboratus, elata voce populorum animos contra Duces exercitus concitabat, quod pecunia corrupti Agrigentinos Carthaginensibus prodidissent. Insectatus est & Daphnæum virum insignem, aliosque ciuitatis præpotentes ac principes viros, vt in Politicis refert Aristoteles. Quocirca cum contra primores vrbis inimicitias suscepisset, populi studiosissimus, & solus dignus cui principatus crederetur, iudicatus est. A Gelois præterea cum apud Syracusanos plurimum commendaretur, & ipse quoque Syracusanos plerosque ab exilio reuocasset, ab omni populo est acclamatum, solum Dionysium Syracusani exercitus ducem extemplo eligendum, neque diutius id esse differendum. Inclinatis igitur repente in peiorem partem (vt sæpenumero fit) plebis animis, totius exercitus summa cum potestate domi forisque iura dandi præfectura Dionysio datur, & Prætor constituitur. Initio magistratus, quo exercitum ad se inclinaret, suique studiosum faceret, militibus duplex dari stipendium instituit. Quo plerique viso, suspicionem futuri mali non mediocrē conceperunt. Quibus Dionysius hæc resciens, se purgaturus, palam respondit, iccirco se stipendium auxisse, vt milites ad præliandum promptiores redderentur, atque ita primo facinore velato, mox pro militibus sui corporis custodibus habēdis plebem solicitauit. Sed cum Syracusis complures sibi in petitione aduersantes haberet, iubet vt omnes ab exacta pubertate ad annum vsque quadragesimum secum arma sumant, & contra Leontinum vrbem exeant: ratus paucos ex contradictoribus secū profectionem suscepturos. Exulum itaque militumque suffragantium copiis instructus, contra Leontinum pergit: ibique re bene gesta, partaq; victoria, paratam contra se proditionem simulat, eamque primum per seruos & præcones per castra dispergit: dein vocata multitudine, palamque, suo more cōcionantis in modum per infernas obtestationes apud populum agit, vt sexcenti milites pro arbitrio eligendi ad sui corporis custodiam sibi decernantur. Et licet quibusdam (teste Aristotele) visum sit, ei tot custodes dari, quot populi potentiam subiicere nequirent: peruicit tamen vt sexcentos milites sibi deligere posset: Pisistratum

ſtratum Athenienſem imitatus, qui ſimili cõmento tyrannidem occupauit. Satellitũ itaq; agmine ſtipatus Syracuſas reuertitur: mox arcem, vbi naues ſubducuntur, tutior vt eſſet, ſibi populi conſenſu occupat. Tum demum re patefacta, quinque tantum & viginti natus annos ſuperbo dominatu Syracuſas vrbem & patriã inuadit, ſibique ſubiicit. Adiutus maxime ad id fuit Hipparini Syracuſani viri primarii patrocinio. Is nanque cum paupertate premeretur, & fruſtra magiſtratum ambiret, ei ad tyrannidem & animos auxit, & ſuffragio etiam fuit. Scribit Philiſtus eum paulo ante quam tyrannidem occupaſſet, vt aliquo oſtento rem futuram prę-
10 ſciret, equum in cœnum proiecciſſe: qui ſtatim inde erectus cum apum examine iubæ inhærente, domini veſtigia fuit ſecutus. Quo viſo Dionyſius, Tuto rem aggrediamur, inquit: nam voti compotes erimus. & ita in inſtituto animum firmauit. Philiſtus quoque non inutilem ei operam in eo præſtitit: qua gratia Dionyſius eũ arcis cuſtodiæ diu Præfectum inſtituit. Quem poſtea firmato imperio cum rumor eſſet rem habere cum Dionyſii matre, idque Dionyſium non lateret, e Sicilia expulit. quo viuente in Siciliam nunquam eſt reuerſus. Porro poſt vrbis Imperiũ occupatum ſtatim Hermocratis nobiliſſimi viri filiam vxorem duxit: ſororemque ſuam, cui Theſta erat nomen, Hermocratis fratri Polyxeno cõnubio iunxit. Id aũt fecit, vt nobilitatis ſtemmata ad tyrannidem ſibi perpetuandam non deeſſent. Cę-
20 terum initio principatus vix ſatis firmata tyrannide, Syracuſani complures ab eo defecere: qui in domum eius ditiſſimam irruentes, omnia prædabãtur, eiuſque vxorem grauibus ac nequiſſimis ludibriis affectam, ad violatam vſque pudicitiam laceſſere: quæ in deſperationem verſa, mortem ſibi ipſa manu pro tuendo pudore conſciuit. Eas porro iniurias Dionyſius non paſſus inultas interfectis ſeditionis & ſceleris authoribus, ne in poſterum ſimile quidquam ſibi iterum metuendum eſſet, omnes quos pro aduerſariis habebat, præſertim vero Daphnæum, & Demarchum, plureſque alios potentiores, trucidauit. Quæſiuit & Polyxenum ſibi
30 iam ob tyrannidem factum infenſiſſimum de medio tollere. Sed ille eius metu Sicilia diſceſſit. Quo cognito Dionyſius accitam ſororem incuſare cœpit, quod fugę Polyxeni viri conſcia, nihil ſibi denuntiaſſet. Cui illa omnis pauoris expers: Adeone (inquit) Dionyſi, vilis & abiecta, & virilitatis indiga tibi viſa ſum mulier, vt ſi cõiugis mei fugã ipſa præſciſſem, eiuſdem nauigationis comes, & fortunæ particeps eſſe noluiſſem? An non ante habui quod mihi ſatius extitiſſet, Polyxeni exulantis vxorem, quam tui dominantis ſororem appellari? Hæc cum ingenue & egregia quadam licentia Theſta protuliſſet, admiratum ferunt Dionyſium, admiratoſq; Syracuſanos tantam in muliere animi fortitudinem virtutemque vſque adeo fuiſſe, vt poſt deſtructam etiam tyrannidem regali more Syracuſani eam colere perſeuerauerint, & defunctæ poſtea funus honore publico fuerint proſecuti. Dionyſius demortua coniuge duas ſimul vxores duxit, Locridem vnam, cui nomen
40 erat Doris, & Ariſtomachen alteram Hipparini filiam, & Dionis ſororem, vt Cicero refert. Ex Doride tres habuit filios: quorum natu maximus Dionyſius fuit, qui ei in Imperio ſucceſſit. Ariſtomache diu ſterilis tandẽ quatuor filios genuit, duos mares, ac totidem fœminas: maribus Narſæus & Hipparinus, fœminis Sophroſyna & Areta fuerunt nomina, vt Plutarchus in Dione ſcribit. Sophroſynam Dionyſio filio nuptui dedit, & Aretam Thearidæ fratri, & eo mortuo Dioni deſpõdit. Dionyſii Tyrannidis plura apud veteres leguntur monumenta. Fratrem habebat Dionyſius Leptinem nomine: qui cum Siciliæ ſitum vellet in terra deſignare, a ſtipatorum vno ſpiculum mutuo accepit, eoque regionem deſcripſit. Quod cum reſciſſet Dionyſius, ipſum grauiter obiurgauit, quod lanceam accepiſſet. iam enim
50 omnibus armorum vſus ab eo interdictus erat: ſtipatorem vero, qui ei ſpiculum mutuarat, occidit. Marſyam quendam ſibi præ cæteris charum, & ad ſumma quæque euectum, ea ſolum cauſa interemit, quod is per quietem iugulare ſẽ Dionyſium ſomniauerat. Arbitratus eſt enim Tyrannus, quod ex diuturna cogitatione ac conſilio, hoc per quietem vidiſſet. Eo tempore cum Plato (ſiue ad crateres explorandos, vt plerique ſcribunt: ſiue ex Tarento, quo nuper venerat) ad Dionem cum Dionyſii venia Syracuſas accerſitus in Siciliam veniſſet: Syracuſanis

tanquam numen aliquod libertatis initium afferens apparuit. Hominis doctrinã Dion admiratus se illi adiũxit. Sub quo breui tempore tantum in philosophiæ documentis ac cæteris scientiis liberalibus profecit, vt cunctos Platonis discipulos lõge antecelluerit: adeo, vt præceptor ipse discipulum maxime admiraretur. Dion, vbi Platonem & eius philosophiam deguſtauit, desiderans vt idem Dionysio obtingeret, effecit vt differentem eum audiret, & cum eo per otium familiariter versaretur. Inter quos ibi de summa hominis virtute, & præsertim de fortitudine disputatum est: & inter cætera optimis rationibus mortales omnes longe fortiores esse quam Tyrannos, ostendit: beatissimam quoque iustorum esse vitam, calamitosissimam vero Tyrannorum: neque id præstare homini, quod sibi soli esset vtile, nisi virtute quoq; excelleret. offensum Dionysium respondisse ferunt: Verba tua otiosorum senum sunt. Et tua (inquit Plato) Tyrannidem sapiunt. Qua audacia indignatus Dionysius eum perdere voluit: sed repressus a Dione & Aristomache, Pollidi Lacedæmonio, qui per id tempus Legatus ad se venerat, vita donatum, vt in Ægina eum venundaret, tradidit. Vbi venditus, ac deinde ab Anniceri Cyrenaico philosopho viginti (licet triginta quidam numerent) minis redemptus est, quẽ Athenas ad suos statim liberum remisit. Sed non multo post Anniceri ab amicis Platonis pecuniæ sunt restitutæ. Firmato eius principatu, cum insurgentibus in eum Syracusanis, arctissimaq; obsidione prementibus, eius studiosi, vt se abdicaret dominio hortarentur, ne in hostium potestatem perueniens trucidaretur: forte cum ante oculos illi veniſſet vt bos a coquo iugularetur, momentoq; prolaberetur, ad amicos conuersus Dionysius: Nonne (inquit) deforme est ob mortem adeo celerem transuolantemque, talem me tantumque, relinquere imperium? Post hæc quinquennio omnes Syracusanorum diuitias exhausit, vt deinde in paupertẽ redacti rebellare nequirent. Quod vt exploratius haberet, iussit eis pecunias exigi semel, atq; iterum, ac tertio. Quos vt querentes vidit, indixit & quartam exactionem. At postquam maiore summa imperata audiret illos in foro obambulantes ridere, & scommata in Regem iacere, iussit Præfectis vt ab exigendo desisterent: Nunc enim (inquit) nihil habent: postquam nos contemnunt. Scribit Cicero Dionysium cum aliquando pila ludere vellet, (quod studiose faciebat) tunicam deposuisse, atque ensem amasio puero custodiendum tradidisse. quod quidam eius familiaris cum vidisset, dixisse fertur Dionysio, Huic vitam tuam committis? Arrisisse hoc dicto adolescentulum, eamque tyranno causam suffecisse produnt, qua sine mora vtrunque internecioni daret: familiarem, qui viam aperuit sui interimendi: adolescentulum, quoniam suo arriſu illius dictum approbasset. Cum Damocles Dionysii familiaris suspiciens eius copias, opes, maiestatem, dominatum, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, beatissimum eum omnium hominum iudicaret: Dionysius illum suam fortunam hoc epilogo deguſtare expeririq; voluit. Collocari iussit hominem in aureo lecto, quẽ ei strato pulcherrimo tapetisq; splendidissimo exornauerũt: mensas quoq; cõplures argento auroque sculpto instruxit, ad quas eximia forma pueros delectosque consistere, & ad Damoclis iussum ministrare iussit. Aderant ibi de more vnguenta, incendebantur odores, suffitus adolebantur: cibos Sabæi thuris atque myrrhæ lignis coqui, & deinde mensis epulas conquisitissimas apponi iussit. Non deerant instrumenta musicalia, atque omnis generis externæ lætitiæ, vt ex omni parte Damoclem beatum redderet. Sed post hæc omnia, gladium vagina exemptum fulgentemque a capulo de filo tenui pendentem mucrone demisso prandentis capiti inter ipsas epulas imminere præcepit. Tunc Damocles impendentis mortis periculo prope iam exanguis, neq; cælatum argentum & aurum, nec pulchros ministratores aspiciebat, nec manus porrigebat ad mensam: sed tot opes deliciasque præ mortis præsentis periculo aspernatus, Dionysium exorauit vt abire sibi liceret, cui tum, Talis est (inquit Dionysius) o Damocles vita mea, quam beatissimam putabas. Existima iam quî fœlix esse possim, cum vndique, a custodibus, a comitibus, a familiaribus mortem mihi imminere videam, & timere nunquam desinam. Hinc (teste Cicerone) summotis amicis, in eorum locum ferociſſimos

mos gentium homines, & ex familiis locupletissimis electos, prævalidosque servos, quibus corporis sui custodiam committebat, substituit. Hinc tonsorum quoque metu tondere filias edocuit. Quarum, cum adultæ iam essent, manibus novaculã committere non confidens, instituit vt candentium glandium aut nucum putaminibus barbam & capillum sibi adurerent. Hinc cubicularem lectum perinde quasi castra, lata fossa cinxerat: in quem se ligneo ponte recipiebat. cuius quidem fores extrinsecus custodes operiebant, sed interiori claustro diligenter ipse obserabat. Hinc concionaturus non in communibus suggestis, sed in turri alta cõsistere solebat. Hinc cum noctu ad vxores (cum quibus comunes habebat cœnas, vicissimque noctes diuidebat) vẽtitaret, omnia ante speculabatur, omnia perscrutabatur. Hinc demum cubiculum eius neque frater, neque filius, vt erant induti, ingrediebantur: sed depositio prius amictu & nudi satelliti se ostentare cogebantur. ita cum nemini fidem haberet, suspectos habebat mortales omnes. Quinimo & Dionysium filium, ne illi insidias tenderet, & regnum interciperet, inclusum domi sub custodibus obseruabat, neque cum prudentibus familiaritatem illum ob eam causam habere volebat. Quid igitur eius vita tetrius? quid miserius? quid denique detestabilius? Facinus egregium Damonis & Pythiæ sub eo contigit. Quorum cum alteri diem necis designasset, moriturus paucos dies pro rebus domesticis ordinandis altero sponsore impetrauit, & rediit ad diem. Cuius vtriusq; fidem Dionysius admiratus, vtrunque seruauit, & se in amicitiam tertium adscribi postulauit. Hospes quidam cum ei priuatim colloqui desideraret, ostensurus quonam pacto scire posset qui illi insidias molirentur: Dionysius semotis arbitris hominem prius diligentissime a custodibus perscrutatum admisit. at ille: Da mihi (inquit) talentum, vt existimetur a me insidiatorum te audisse indicia. Dedit Dionysius, ac simulauit se audisse. nam fucus ille plurimum vtilis erat ad deterrendos insidiatores. Fuit aliquando ei delatum adolescentes duos inter pocula conuitiatos in eum eiusque tyrannidem. ambos vocauit ad cœnam: ibique vt animaduertit alterum largius potum multa nugari, alterum raro cauteque: illum dimisit, vt qui natura vinolentus per temulentiam maledicus fuisset: hunc interfecit, vt qui studio maleuolus & hostis esset. Mulier quædam Syracusana extremæ senectutis, genere nobilis, Deos pro incolumitate Dionysii, cuius mortem omnes exoptabant, precari quotidie non desinebat. Quo Dionysius cognito admiratus, (quippe qui omnibus se inuisum videbat) mulierem ad se acciri iussit, causamque tam sedulæ deprecationis auidissime inquisiuit. Tum illa: Cum paruula (inquit) essem, Syracusis sæuus imperabat Tyrannus: cuius extinctionem votis omnibus ciues expetebãt. Quo tandem mortuo, deterior eo successit. Et hoc quoque defuncto, tertius imperio est suffectus vtroque longe peior. Timeo igitur ne te decedẽte deterrimus Tyrannus succedat. Hinc itaque tota mente, lachrymisque obortis Deos pro tua incolumitate deprecor. Tam liberam facetamque responsionem Dionysius punire erubuit. Sacrilegia sua facetis dictis solebat obtegere. Locris Proserpinæ templum spoliauit. mox cum classis illius secundo vento nauigaret: Videtis (inquit) quam prospera nauigatio a Diis immortalibus datur sacrilegis. Ioui Olympio Syracusis detraxit aureum amiculum ponderis (teste Æliano) octoginta quinque talentorum, quo eum Hieron ex manubiis Carthaginensium ornauerat, proque detracto aureo laneum illi pallium iniecit. Cum autem ministri timerent Iouem tangere, primus ipse simulacrum confregit: ita cauillans, Aureum æstate graue, hyeme frigidum esse, laneum vero ad vtrunque anni tempus aptissimum. Epidauri AEsculapio barbam auream ademit: quod negaret decorum, patrem Apollinem imberbem, AEsculapium filium barbatum conspici. Mensas aureas Diis bonis dicatas e fanis auferebat: cauillatus, se eorum bonitate vti. Spolia quoque aurea, pateras & coronas, quæ Deorum simulacra porrectis manibus habebant, tollebat, dicens, se oblata a Diis accipere, non eripere. Ad Trœzenias quoque naui appulsus, omnes Leucotheæ & Apollinis pecunias, mensamque argenteam Deo appositam sustulit: præcepitque vt bonum euentum ipsi propinarent. Lucinæ quoque templum ad Cæretæ siue Agyllæ emporium a Pelasgis con-

ſtructum opulentiſſimum Dionyſius in ſuo curſu ad Corſicam (teſte lib. 5. Strabone) ſpoliauit. Circunferuntur & eius aliquot præclara dicta. Cum intra Regiam ſacrũ ex more perageretur, prẹcoque precaretur vt per multa tẽpora inconcuſſum eius duraret imperium: Nõ tu deſines (inquit) abominanda nobis imprecari? Ab amicis cauendum etiam aiebat ei qui præſit: cum id omnibus perſuaſiſsimum eſſe debeat, eos imperare malle quam ſeruire. Metum & violentiam adamantina appellabat vincula, ſeque adamantinis vinculis principatum filio relicturum aiebat. Quem cum audiſſet aliquando ingenui viri coniugem adulteraſſe, iratus interrogauit, an vnquam tale quidquã in patre cõperiſſet. Tum ille, Tu nõ habuiſti patrẽ Regem. Cui mox Dionyſius, Neque tu Regem filium habebis. quod & euenit. Eidem filio vaſculorum aureorum & argenteorum magnam ſupellectilem habẽti dixit: Non eſt in te Regius animus, qui his neminem amicum tibi feciſti. Dum his moribus, multiſque aliis quæ apud Plutarchum latius commemorantur, imperio ſtabiliendo incumberet: Carthaginenſes, poſtquam Magone duce inſulas Africæ adiacentes ſibi ſubegiſſent, Siciliam omnibus viribus peruadere decernunt. Sed dũ expeditio paratur, Mago moritur, relictis liberis Amilcare & Aſdrubale. quo poſtea in bello Sardoo interfecto, & Annibale (patre alterius Amilcaris cognomẽto Barcha, patris magni Annibalis, quo duce Carthaginẽſes ſecundum bellum cõtra Romanos geſſerũt) Aſdrubale & Saphone filiis relictis, Amilcar eius frater dux belli efficitur. Is igitur veluti non ſatis auſpicato in Sardinia geſta res eſſet, in Siciliam bellum tranſtulit, magnaque claſſe inſulam inuadit. Cui quidem Siculi, duce Dionyſio, magno animo obſtitere. Cẹterum cum ſibi impares vires ad ferendos Carthaginenſium inſultus eſſe animaduerterent, a Leonida Spartanorum Regis fratre auxilia petunt. Qui quam primum aduectis claſſe tot armatorum milibus, quot vna cum exercitu Dionyſii ad Carthaginenſium potentiam reprimendam ſuffecturos ſperaret, in Siciliam traiecit. Graue itaque bellum geritur, in quo & diu, & vario Marte dimicatum eſt. Tandem eo bello Amilcar occiditur, relictis Himilcone, Hannone, & Giſcone liberis. E quibus Himilco exercitui a Carthaginenſibus in Sicilia præficitur. Is contra Dionyſium Siculoſque nauali terreſtrique bello dimicans, ſuperato Dionyſio, Gelam & Camerinam, & aliquot alias vrbes vi cepit. Nec multo poſt Leontini, qui plures annos Syracuſis fuerant adſcripti, & patria exulauerant, ea rerum nouitate vſi, Syracuſis clam egreſſi, in Leontinum patriam populariter remigrarunt. Interea dum multis ſecundis prælijs in Sicilia geſtis Carthaginenſes iam in manifeſto victoriæ curſu eſſent, repente peſtilentis ſyderis vis eorum exercitum inuaſit: ita vt breui omnibus fere copiis letali morbo abſumptis, Himilco Dux pro victo ex Sicilia cum exercitus reliquiis Carthaginem aufugere coactus ſit. Vbi cum ſummo totius ciuitatis luctu & mœrore, ac ſi vrbs iam capta fuiſſet, exceptus, mortem ſibi manu ſtatim intulit. Dionyſius Pœnis Sicilia morbo abactis, & totius inſulæ imperio per otium potitus, ne florentiſſimus eius exercitus (quo maiorem, teſte in epiſtolis Iſocrate, nullus vnquam habuit: cui inter alia Plutarchus triremes quadringentas, equitum milia decem, peditum viginti, & ſupra hæc milia ſtipatorum decem aſcribit) deſidia & ocio corrumperetur, Italiæ Principatum affectare cœpit, eoque protinus tranſuectis copiis, in eos Græcos irruit qui extremam Italiæ partem, quæ Siciliæ imminet, poſſidebant. Vbi expugnatis Locrorum vrbibus, & deleto Rhegio, Crotoniatas magna vi aggreditur. qui licet ex prioris belli, quod aduerſus Locrenſes habuerãt, clade, iam imminutas haberent vires, aliquatenus tamen reſtiterunt. Sybaritas poſtea luxu & diuitiis intemperantes paruo negotio ſuperauit. E quibus ingentem prædam, chlamydemque Athenis tota Italia tum ſumptu ipſo magnificentiaque, ac artis mira excellentia pretioſiſſimam cepit. Quam poſtea centum & viginti talentis Carthaginenſibus venundedit. Pars hæc Italiæ inferior mari Ionio alluitur, & tam crebro lancinatur, vt in tres breuis hæc ora ſinus curuetur, & adeo interdum ſeſe extenuat, vt non alibi Italia ſit anguſtior. Hanc Dionyſius adeptus, in animo habuit iſthmo circa portum qui poſtea eſt Annibalis dictus, reſciſſo, extremam hanc Italiæ partem inſulam facere, & Siciliæ adiungere. Sed

dum

dum hæc meditatur, legati Gallorum Senonum, qui ante menſes aliquot Romam incenderant, amicitiam ſocietatemque petentes ad eum venere. Gentem ſuam, quæ vel ob id quod inter eius in Italia hoſtes habitabat, magno ei vſui vel in acie bellanti, vel de tergo opprimendis hoſtibus eſſe poterat, offerunt. Gratiſſima hæc illi legatio fuit. Proinde pacta cum eis ſocietate, bellum veluti ex integro in Italiã reliquam reſtaurat, quam late eo tempore Græci incolebant. Sed ab Hannone Carthaginenſium duce ab incepto reuocatur. Eo nanque duce Carthaginenſes bellum, quod lue compellente in Sicilia deſeruerant, ſequẽti anno reparato exercitu, auctiſque viribus redintegrant. Id vbi Dionyſius cognouit, in Siciliam ſtatim cum exercitu reuertitur. Erat tum Carthago in duas diuiſa factiones. Vnius princeps erat Aſdrubal, Amilcariſque familia: alterius, præſtantes plerique ciues, qui Barchinini nominabantur. Ex his Surriatus quidam domi nobilis, & ea tempeſtate Pœnorum potentiſſimus, cum eſſet aduerſæ factionis, Hannonique infenſiſſimus, literas Græce ſcriptas clam ad Dionyſium in Italiam ſubmiſit: quibus ei omnem expeditionis apparatum, omnemque belli aduerſus Siciliam gerendi rationem: nauigiorum præterea totius claſſis, & militum numerum, conſtitutam quoque nauigandi diem, ducis ingenium, quis denique primum inuadendus eſſet locus, ſignificabat. Cæterum interceptis literis comprehenſus, proditus damnatuſque, capitis ſupplicium luit, occaſionemque Senatuſconſulto dedit quo, ne quis poſtea Carthaginenſis Græcis literis aut Græco ſermoni ſtuderet, & ne quis aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet, ſub capitis pœna caueretur. Porro aduenienti cum claſſe in Siciliam Hannoni Dionyſius inſtructo cum exercitu occurrit. Vbi tum vario Marte, varioque fortunæ euentu multis præliis habitis, tandem ob ſuperbiam acerboſque mores militibus inuiſus redditur, & a maiori exercitus parte deſeritur: atque ita Carthaginenſium viribus impar variis certaminibus aſſiduiſque ſuperatus, poſtquam duodequadraginta (teſte Cicerone) regnauit annos, inſidiis ſuorum (ſi Trogo credimus) interficitur, ſiue hauſta potione ſomnifera, quæ ſoporis mortem citra ſenſum continebat: quam ei medici ſuaſu Dionyſii filii, ne cum aliis fratribus regnum partiretur, (vt Dion ei perſuaſerat, vt Timæus, Plutarchus & Probus referunt) ſiue accepto tragicæ victoriæ nuntio, gaudio interiit, vt Plinius. Huic ſententiæ Cicero in lib. de natura deorum aſſentire videtur, qui de eo, Hunc (inquit) non Olympius Iupiter fulmine percuſſit, nõ Æſculapius mifero diuturnoque morbo tabeſcentem interemit: atqui in ſuo lectulo mortuus triumphantis in modum in rogum illatus eſt: eamque poteſtatem, quam per ſcelus nactus eſt, quaſi iuſtam & legitimam hæreditatis loco filio ſuo tradidit. Eo mortuo Siciliæ ciuitatum pars magna vi ab Hannone ſubiicitur, pars in deditionem accipitur, pars vero in ſocietatem eſt recepta. Hanno vero parta hac ingenti victoria, ex præda Sicilienſi factus ditiſſimus, Carthaginem rediit. Vbi maximo cum honore ſuſceptus non multo poſt animum ad occupandam ſuæ Reipub. dominationem adiecit. quod cum ſemel interfecto Senatu, atque iterum ſcelus fruſtra tentaſſet, tertio in ſeditione capitur, virgiſque cæſus, & effoſſis oculis, ac manibus cruribuſque fractis, & corpore verberibus lacerato in crucem adigitur. Filii quoque eius cognatique omnes etiam vltimo ſupplicio ſunt affecti, ne quiſquam aut ad eum imitandum, aut ad eius mortem vlciſcendam ex tam nefaria domo ſupereſſet. Ita igitur quem Siculæ opes clariſſimum reddiderant, hunc eundem non bene fortunis vſum in præceps dederunt.

DE DIONYSIO IVNIORI, ET DIONE.

CAPVT II.

DEFVNCTO Dionysio milites, qui in eius fide permanserant, Dionysiũ filiorum eius natu maximum, virum omnium ignauissimum, luxuque ac otio perditum, Imperio suffecerunt. Is cum nomine idem esset cum patre, longe tamen illum sceleribus antecelluit: sicuti magnitudine animi, & pluribus virtutibus satis ab illo retrocessit. Inter initia regni sui hic fratrum suorum auunculos (tanquam imperii sui æmulos, pueris ad diuisionem regni authores) de medio tollere pergit. Sed quo id cũ prætextu tutius faceret, ad fauorem sibi populi conciliandum prius animum aduertit. Igitur noxiorum ad tria milia carceribus liberat, tributa populo per triẽnium remittit. Vnde cum prudenter liberaliterque se gerere sub initia videretur, voluntates omnium ad se traxit: ac subinde cum quasi adamantinis nexibus imperium sibi firmatum putat, ad destinatum facinus conuertitur. Fratrum cognatis primum, mox fratribus quoque ipsis, nullo non iniuriarum genere in eos edito, vitam ademit, tyrannidemque in suos primum quam in externos auspicatus est. Sublatis omnibus Imperii æmulis, in Appulia vrbes duas extruxit, vt tutam efficeret maris Ionii nauigationẽ. Qui enim loca maritima incolebant, prædatoriis nauibus discurrentes, Adriaticum pelagus omnino inaccessum reddiderant. idque solum insigne ac dignum memoria facinus toto suo dominatu patrauit. Cum successisset in bellum quod Carthaginenses Siciliæ machinabantur, sedatorum motum simulatione, cum hostibus pacem firmauit. Cum Lucanis item bello summa negligentia prorogato, postremo præliis aliquot superior, cupidissimo animo pacem eis concessit. Dehinc in segnitiem lapsus, auaritiæ, socordiæ, ac luxuriæ sese totum mancipat, tanta intemperantia, vt nouarum voluptatum inuentores summis etiam afficeret præmiis, & ad nonagesimum vsque diem aliquando ebrius perseuerarit. Quare adeo cæcutientibus ac vitiosis oculis fuit, vt nec solem, nec diem, nec splendorem lucis ferre posset. Vnde amici eius, ac complures per adulationem simulare consueuerant nõ videre sese neque cibos, neque calices appositos. Ferunt quoque de eo veteres, quod cum Syracusis in Æsculapii templo ante simulacrum aurea mensa esset reposita, patera mero repleta, Propino tibi, (inquit) Æsculapi, boni dæmonis calicem: & cum dicto auream statim mensam auferri iussit. Quibus omnibus dum contemni se putat, in ciues sæuitia grassari cœpit, nunc hos, nunc illos pro libito atroci morte de medio auferens. Syracusani nõ impatienter, indignissime que hæc omnia ferentes primũ in eum conspirant. mox comparatis copiis eum in Acradina adeo dure obsident, vt aliquandiu dubitauerit, imperium ne deponeret, an bello resisteret. Sed a militibus suis, qui prædam vrbisque direptionem expetebant, persuasus, eductis ordinibus descendit in aciem: vbi sine vllo fere negotio victus, fusus, fugatusq; est in arcem: & cum iterato fortunam belli tentasset, inferior quoque factus succubuit. Porro cum viribus nihil se profecturum cognosceret, ad fraudem se conuertit. Legatos ad Syracusanos mittit, qui Tyrannidem se deposituru sponderent, si ad eum mittant cum quibus de pace agat. Primores itaque aliquot ex ciuibus ad eum legãt: quos ipse violata fide in carceribus retinuit: ac deinde incautis Syracusanis, nec quicquã hostile metuentibus, exercitum ad delẽdam vrbem eduxit. Syracusani tumultuarie ad obsistendum se parant: fitque in ipsa vrbe acre bellũ, sed aliquandiu anceps. tandẽ victis fugatisque Dionysianis, penes Syracusanos multitudine superantes manet victoria. Superatus Dionysius, cum arcis obsidionem metueret, cum omni apparatu regio clam nauem conscendens, in Locros (vrbem insignem, a Rhegio. 70. ferme. p. m. distantem) secessit. A Locrensibus rei gestæ ignaris regio more comiter benigneq; susceptus, benignitatis artib. sub initia ciuium animos ad se pellexit: vrbis

vrbis Rhegii à patre dirutæ partem restaurauit, eamq; Phœbeam appellauit. Sed mox vrbis arcem occupat, solitamq; sæuitiam aggreditur. Primorum virgines ad stuprum rapi, virgines ante nuptias ad se ducere, & stupratas procis reddere iubet. Locupletissimos quosq; aut vrbe pellebat, aut interficiebat, eorumque bona sibi adiudicabat. Subinde cum rapinæ occasio deesset, vniuersam ciuitatem callido commento circumuenit. Nam cum Locrenses a Leophrone Rheginorum Tyranno aliquando bello premerentur, vouerunt, si victoriam adipiscerentur, vt die Veneris festo virgines suas prostituerent. Parta victoria cum voto Locrenses intermisso aduersa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius vocat, diuinam hanc esse numinum vltionem dicit. quem si placare cuperent, hortatur vt vxores filiasque suas in Veneris templum quam possint ornatissimas mittant: ex quibus centum sorte ductæ voto publico fungantur, religionisque gratia vno mẽse stent in lupanari, omnibus ante iuratis viris, nequis vllam attaminet. Quæ res ne virginibus voto ciuitatem soluentibus fraudi damnoque esset, decretum facerẽt, ne qua virgo nuberet prius quam illæ nuptui traderentur. Probato consilio, quod nec superstitioni, nec virginum pudicitiæ iniuriam facere videbatur, certatim omnes fœminæ impensius exornatæ in templum Veneris conueniunt. quas vix fanum ingressas Dionysius missis militibus omnes spoliat, necnon ad prodendas maritorum pecunias pœnis minisque constringit: ipsisque nudo (vt erant) corpore ectis, ornamenta subtracta suam vertit in prædam. Plerique earum viri miserabiliter conquesti ab eo sunt interfecti. His igitur malis artibus cum sex apud Locros regnasset annos, ab exasperatis ciuibus impetu in eum facto, ignominiose ciuitate expulsus est. Vnde Syracusas reuersus, ingenio vsus veteri, pacis conditionibus interiectis, a Syracusanis regali more receptus est. Sed Locrenses post Tyranni fugam cæsis eius militibus, qui arci præerant, primo quidem (vt Strabo refert) in libertatem se vendicant, deinde eius vxorem ac liberos in sui potestatẽ redigunt. Reliquerat enim ibi filias duas, filiumque natu minorem adolescentẽ: maior nanque, cui nomen Apollocrates erat, cum patre diffugerat. Pater vero absens per nuntios Tarentinos obsecrat, vt vxorem & filios pretio ei restituant. Quibus id recusantibus hostilem exercitum mittit, Locros obsidet, eorumq; agros populatur. ipsi vero iram omnem in filias explicuere: quas constupratas interficiunt: demum earum corpora concremant, ossaque molibus ante frumentariis contrita in mare proiiciunt. Dionysius a Syracusanis receptus, principio benignissimum facillimumq; se adeuntibus exhibebat: sed eo minus illos ad beneuolentiam potuit inflectere. Tantæ siquidem in eorum præcordiis prioris odii reliquiæ consederant, vt nullis etiam beneficiis allici possent. Neq; enim facile propagata odiorũ sementis stirps interit: quippe vt gratiæ in odium deflexus facilis, ita odii ad gratiam difficilis est transitus: raroque animus, quem semel grauiter indignatio subit, sincera fide excolitur: aut cũ quo vehementes primum inimicitias gessit, affectuose postmodum in gratiam redit. Neq; vero diu ea humanitate vsus est: sed ad intermissam ignauiam, luxuriam, auaritiamque rediens, veteris etiam crudelitatis nõ est oblitus: atq; ita grauior sæuiorque in dies ciuibus redditur. Cuius quidem Tyrannidis plerique impatientia, deserta patria, in Italiam profugi sub ora Galliæ Cisalpinæ iuxta Cimmerium promontorium vrbem Anconem condiderunt. Naxii quoq; Chalcidenses per ea tempora sub Andromacho Naxio viro principe Timæi historici patre, quod Tyrãnidem Dionysii maxime essent exosi, ab eo magnâ peditum vi, & ingenti classe bello petiti, Naxoq; funditus deleta expugnati, in collẽ vrbi prominentẽ, qui eo tempore Taurus nuncupabatur, profugere. Vbi extructæ vrbi nomen Tauromenium indidere. Dionysius vero etsi omnibus esset inuisus, imperium tamen possidebat instructissimum. Habebat enim naues quadringentas, ordinum quinq; & sex: pedites ad decem myriadas, equites ad nouem milia. Ad hæc vrbs ipsa regia, portubus maximis insignis, altissimis mœnibus inuictam obsidionibus faciem præsentabat. cui apud se præterea semper in promptu erat & commeatus, & apparatus bellicus ad quingentas naues sufficiens. Intus seruabat ad centum myriadas medimnorum tritici. Armamentarium refertum

tum scutis, machæris, hastis, ocreis multis, thoracibus, & catapultis: quarum inuentorem fuisse ipsum Dionysium affirmant. Habebat & socios multos: quibus omnibus fretus adamantino se imperio septum arbitrabatur. Alebat postremo familiares quosdam sibi deuinctissimos, qui Prosagogidæ appellabantur, impios sane homines, & omnibus inuisos. Hi vrbem promiscui peragrabant, singulorum dicta vel facta sagacissime speculantes indagantesq; : quæ deinde ad Regem deferebant: quo ille amicos & inimicos pariter dignoscere, conspiratorumq; consilia præuenire posset. Quo cueniebat vt ne loqui quidem Syracusis tutum esset. Erat Dionysio affinis Dion Syracusanus, (cuius supra meminimus) vir non solum in philosophia, sed in re etiam militari, & generis nobilitate, atq; animi magnitudine clarus: qui sicut Dionysio patri gener fuerat, ita & iuniori intimus erat. Is cum apud Dionysium de bello quod Carthaginenses denuo contra Siciliam moliebãtur, sermo fieret, multique trepide ac imprudenter loquerentur, adeo prudenter pro temporis angustia disseruit, vt omnes præcipuo stupore affecerit. Enimuero post multa vltro citroque colloquia Dionysio pollicitus est, si pacem expeteret, se quam primum in Africam nauigaturum, eamq; compositurum: sin bellum, illud se propriis sumptibus sustentaturum. ad quod quinquaginta triremes offerebat. Porro hæc animi promptitudo ei apud Dionysium & admirationem & amorem peperit, sed apud proceres inuidiam & odium. Existimabant enim & ingenii perspicacia, & virium potẽtia se deiectos esse. quibus accedebat morum quoq; differentia. Illi etenim turpiter etiam cum ipso Dionysio educati: hic seuere admodũ, ac nullis illecebris, sed omni egregia viuendi forma imbutus. Cum igitur in aula regia non Regis gratia, sed rei veritate omnium primum se cognosceret, existimãs id ab imperitia proficisci, Dionysiũ ad philosophiæ studium, liberales moralesq; disciplinas accendere magnis rationibus cœpit: quo tandem, pro vt Regem decebat, reiecta solutiori vita, cui assueuerat, ad virtutis cõsuetudinem sese conuerteret: ignominiosum ac turpe esse dicens, si Rex corpus pretioso ornet amictu, ædiumque parietes auratis obducat vestibus, animum vero ignauia, luxu, auaritia & omnibus voluptatibus deturpari sinat. qui vt regali potestate cæteris præest, ita diuinis moribus est expoliendus. Hæc cum sæpe occineret, & nonnulla interdum Platonis documenta interfereret: ingẽs ac flagrans studiorum, Platonisque ipsius amor Dionysium cepit. Quare literas Athenas frequentes, & ab ipso, & a Dione, & a Pythagoricis, qui Italiam eo tempore habitabant, ad Platonem statim scribũt, vt Syracusas proficiscatur ad Regis animum imbuendum. Dum hi rumores per vrbem deferuntur, Dionis æmuli pro magno negotio habuerunt vt Philistus, qui a Dionysio patre fuerat relegatus, ab exilio reuocaretur: vt haberent quem Platoni & Dioni apud Dionysium opponerent. quod obtinuerunt. Reuocatus Philistus, vt erat acri vir ingenio, illico rerum regiarum administrationi se implicuit. Inuidi vero contra Dionem calumnias & criminationes ad Regem deferre non cessabant, quod Imperium dissoluere, & popularem principatum Platonis opera in vrbem reducere vellet. Interea Plato Syracusas applicuit. cui Dionysius triremem ornatu regio instructam aduentãti misit obuiam. Egresso deinde ex triremi regius etiam currus cum quadrigis albis affuit, qui ipsum ad Regiam magna pompa deueheret. Dionysius perinde ac si numen aliquod Syracusas aduenisset, sacrificia celebrare, conuiuia honesta indicere, curiæ ordinem mutare, benignitatem in omnes æque induere cœpit. cuius exemplo (solet nanque populus principis vitam æmulari) Syracusanorum omnium frequens ad philosophiam erat cõcursus: geometricis figuris, quas Platonis innumeri discipuli describebant, plena erat arx regia. Vbi cum non ita multo post tempore de more sacrificium fieret, præcoque vt consueuerat, perpetuum Dionysio imperium conceptis verbis precaretur: Desine (inquit ille) execranda nobis imprecari. Adeo Dionysius breui in Platonis philosophia profecerat, vt regnum vltro relinquere cogitaret. Id vbi Philistus audiuit, magno affectus est mœrore. Æmuli etiam Dionis Dionysii mentem immutatam videntes, rati quod si ipse se abdicaret imperio, Aristomaches liberos, quorum Dion erat auunculus, suo loco sufficeret: non clam, vt antea, sed palam

palam Dionem conuitiis lacessebant: Platonem vero vt sophistam irridebant, eiusque præsentiam regno pernicioſam aperte asserebant. Philistus interea totus in Dionem odio & inuidia flagrans clam eum apud Regem in suspicionem adducit, quod ad Carthaginensium præfectos, vt non nisi se præsente cum Dionysio de pace agerent, literas dederit. quibus commonstratis lectisque, Dionem Rex quarto mense post Platonis aduentum in arcem circa mare adduxit. vnde communicatis illiliteris vehementer increpatum, quod contra se vna cum Carthaginensibus cõspirasset, nullam excusationem admittens, statim, vt erat, cymbæ impositum cum Megacle eius fratre in Italiam primum, & mox in Peloponnesum exportari per nautas curauit. Quod vbi Syracusis vulgatum est, regiam quidem muliebris vlulatus, ciuitatem vero mœror & luctus tenuit. adeo non necessarii modo, sed & ciues omnes eum, mores, virtutumque illustria ornamenta prosequebantur beneuolentia. Quæ vt Dionysius conspexit, ad præsentem omnium dolorem leuandum, non exulasse Dionem, sed paululum ob linguæ petulantiam secessisse, ac cognatis breui Syracusas rediturum prædicabat: iussitque vt duabus nauibus ex eius bonis quantumcunque pecuniarum necesse esset, ad ipsum transmitteretur, quo laute & pro pristina fortuna viueret. Quæ omnia clarum ipsum etiam in exilio inter Græcos ostenderunt. Plato præterea multis precibus apud Dionysium agere non cessabat, vt eum reuocaret. Cui cum intra annum id facturum spopondisset, Plato e Sicilia discedere constituit, ante tamen Archyta Tarentino, nonnullisque Pythagoricis in amicitiam cum Dionysio conductis. Sub idem tempus Dionysius militibus stipendia contra patris decretum minuere voluit. Quod cum irati milites facto concursu se neutiquam toleraturos minarentur, ipse occlusis arcis portis eos cohercere nitebatur. Sed illi repente in furorem acti ad mœnia concurrunt, signisque datis classicum ciebant. quo territus Dionysius ad stipendia consueta, ac plura etiã coactus est. Rumor fuit Heraclidem, qui præfectus erat equitum, tumultus huiusce causam extitisse. Quod Heraclides audiẽs, ne Regis iram incurreret, fugam arripuit. Quem cum Dionysius capere optaret, Theodoto coram Platone imposuit, vt ea lege ad se illum adduceret, vt postquam criminib. sibi obiectis responderit, si Regi in Sicilia illum amplius manere non placeret, tuto assumptis vxore & liberis, ac omni supellectile, Peloponnesum petat. Theodotus vero, cum id ab eo per fraudem promitti intelligeret, cum Heraclide, iram regis metuens, Corinthum secessit. Plato postmodum non inuitus, neque absque Regis consensu Syracusis discedens Athenas est reuersus. Vbi & Dionem sapientiæ studiis assiduum in Academia continebat. Vnde tandem Dion Græcorum vrbes cum optimis & principibus viris adibat, festos conuentus celebrans, nihil non in vita modestum, nihil turpe, sed honestum, seque dignum peragebat. His moribus beneuolentiam & publicos honores a ciuitatib. consequebatur. Lacedæmonii etiam, qui per id tẽpus Dionysiũ contra Thebanos prõptissimum belli socium habebant, quasi eius iram patuipendentes, Dionem ob eius merita ciuitate donarunt. Nec multo post interiecto tempore cum Dionysius Platonis videndi, ac eius philosophiæ desiderio teneretur, Archytã ac cæteros Pythagoricos, qui per ea tẽpora Syracusas secesserãt, induxit vt vades ipsi pro eo existentes Syracusas illum accerserent. Qui Archidemũ Syracusanũ Archytæ familiarissimum, quem vnice Plato amabat, Athenas miserunt. Ipse etiam Dionysius plures oratores Siciliæ nobiles, & triremes ad Platonẽ transmisit, cum literis, quibus minabatur, nunquam se Dionẽ reuocaturũ, nisi Syracusas ipse rediret. Cognati præterea, ac soror, & vxor Dionem per literas monebant, vt omnino Syracusas Plato reuerteretur, si ipse patriã ac suos visere aliquando speraret. Quibus omnib. Plato adductus Syracusas tertio venit. Vbi cũ Dionysio familiariter versatus, cum reuocationẽ Dionis, tyrãnidemq; relinquendã sæpius hortatus esset, acerbiusq; vrgeret: Dionysius iratus ex arce eum remisit, & extra arcem manere iussit. quem cum conuicisset ad Theodotũ profectũ fuisse, veluti inimicum, nunquã amplius in suas ædes vocauit, sed inter milites conductitios habitare ipsum voluit. Qui cum illum interficere vellent, Dionysius obstitit. Quo Plato cognito, Archytam & cæteros Pythagoricos,

cos,qui eius erant vades,per certum nuntium in quo discrimine esset,certiores fecit. Qui statim Lamiscum eorum vnũ cum triremi ordinis triginta remorum,ad reposcendum Platonem,ad Dionysium legatum mittunt. Atque ita Plato a Dionysii sæuitia ereptus, Athenas, commeatum rege sibi suppeditante, est reuersus. Vbi cum Dionem ludos spectantem Olympiacos offendisset, illi quæ apud Dionysium facta fuerãt,enarrauit. At ille Deum testatus,se pœnas a Dionysio exacturum tum ob Platonem illusum, tum ob iniustam suam expulsionem iurauit.quod quidem Plato non improbauit:se tamen illi comitem fore negauit,& quod ætatem suam bellicis rebus ineptam,& familiaritatem cum Dionysio non esse violandam cognosceret. at si quando conciliatore inter eos opus esset,hoc munus sibi deberi arbitraretur. Dion igitur desperato reditu,iam inde animum ad Dionysium Sicilia pellendum,& Syracusas vrbem tyrannide liberandam adiecit:fœderatusque Heraclidi bellum parat, milites conquirit. Adiunxerunt se sponte illi Eudemus Cyprius,& Timonides Leucadius,& ex Zacyntho octingẽti viri in re bellica præstantes.Erat quoque eo tempore in Peloponneso Syracusanorum exulum manus ingens supra mille numero: ex quibus vix quinque & viginti a Dione potuerunt ad societatem allici, quod cæteri Dionysii potentiam pertimescerent. Quinimo plerique eius damnabant inceptum,veluti hominis præ nimia ira desipientis. Ipse porro accuratissima oratione suorum animos nonnihil cõfirmabat. Cui licet parua tunc facultas adesset,ingens tamen erat animus,virtus summa,&magna eorum qui misere Syracusis seruiebant, erga eum beneuolentia: quodque iis omnibus maius erat, ipsius tyranni ignauia, & popularium omnium mentes ab eo alienatæ. Proinde duas tantum onerarias naues armis & militibus instruit, & cum eis Zacynthum (insulam quæ prope est Cephaleniam)transmittit,relicto in Peloponneso Heraclide collega,quem Chariclidẽ Diodorus appellat, quo instructis aliis nauibus ipsum in Siciliam suo tempore sequeretur. Hæc vbi Dionysio sunt nuntiata, Areten inuitam Dionis vxorem Timocrati familiari suo matrimonio iunxit, filiumque eius intemperanter educari præcepit, patris in hoc iustitiam non imitatus,qui Polyxeno sibi insidianti,& ob metum Sicilia exulanti,vxorem Thestam intactam vsque ad funus seruauit. Interea Dioni e Zacyntho duabus cum nauibus paruo apparatu in Siciliam nauigaturo,cum ante luna pleno luceret orbe,repente tota delituit. Id prodigium veluti infaustum sociis est visum. Sed Dion,Milta Astronomo teste, deliquium esse lunæ, & natura factum ostendit. Quod si tamen quid mali portenderet,id totum ad Tyranni exitium pertinere, quod eius Principatus,qui veluti Sol clarissimus videbatur, obductis tenebris cito esset inuoluendus. Nec solum id eo tempore ostentum in Dionysii cladem apparuit:sed & pleraque alia notata fuere. Mare etenim quod Syracusanam arcem alluit, toto die vno dulces & potu suaues habuit aquas. Sues sine auribus editi. Aquila demum de cœlo lapsa iaculum satelliti abreptum in sublime primum detulit, mox deorsum in profundum abiecit. Quæ omnia Dionysii exitium, imperiique eius euersionem præsagire vates ita sunt interpretati,vt amarissimus eius Tyrannidis status dulcesceret,& Syracusanorum aures a sæuo imperio auerterentur,ab eoq; postremo vis regia Iouis nutu (cui aquila est sacra)penitus tolleretur,& ad ima dehiscceret. Dió vero tertiodecimo die Pachynum Siciliæ promontorium applicuit. Sed cum Philistum Dionysii classis præfectum(qui in Iapygia stationem habebat)& propinquũ hostibus descensum reformidaret: Pachyno ad dexteram relicto,vlteriora,lateris scilicet meridionalis regionem, petebat. Tum repente asper incumbens septentrio longe a Sicilia classem ingenti procella ad finitimam Libyæ Cercinam insulã primum detulit: vbi parum abfuit quin scopulis illisa dissiceretur : sed maximo nautarum remorumque labore seruata , mox alia tẽpestate ad magnę Syrtis caput peruenit. Vnde tandem flante austro Siciliam versus soluens quinto die prætervectus Agrigentum,Minoam tenuit. Parebat tum ea vrbs Carthaginensium imperio,præratque ei loco Paralus, vt Diodorus refert,licet Synalum Plutarchus eũ appellet. Hic Dioni anteactis licet temporibus amicitia & hospitio esset coniunctus:ignarus tamen qui hominum aduecti essent, arcere milites a littore nititur.

Quem

Quem Dion cum ſuis, in oppidanos mixto agmine irruentes, in fugam vertunt, vrbemq; in poteſtatem redigunt. Vrbe capta duces inter ſe cognoſcuntur: ſtatimque, nemine violato, vrbs Paralo reſtituitur. Tum Paralus receptis benigne militibus, neceſſaria Dioni comparauit: auditaque aduentus cauſa, ei ſignificauit Dionyſium per ea tempora octuaginta cum nauibus circa mare Adriaticum in vrbibus nuper a ſe conſtructis otiari. Quo audito, Dion & ſocii maximam bene gerendæ rei ſpem concepere. Igitur vt tempus patrandæ rei aptiſſimum vident, æreis armis numero ad quinque milia, & ſarcinis Paralo relictis, vt ea Syracuſas, vbi tempus ſibi opportunum viſum fuerit, tranſmitteret, mille viris comitatus Syracuſas verſus prępropere mouet. Proficiſcēti ducenti Agrigentinorum equites, qui Eenomum incolebant, vltro ſe illi adiunxere. Inde & Gelenſes, Madinęi, & Camerinenſes, ac alię Sicilię mediterraneę ciuitates ad aſſerendam Syracuſarum libertatem ſe ſocios addunt. atque ita Dion concurrentibus ex omni parte auxiliis, etiam Meſſanenſibus, & ex Italia pariter Gręcis, exercitum ſupra viginti milia hominum comparauit. Cuius aduentus fama illico Syracuſas peruaſit. Timocrates, cui Dionis coniux connubio fuerat tradita, pręſidio Syracuſarum pręfectus, ad Dionyſium expeditiſſimum cum literis nuntium mittit: quo Dionis aduentum ſignificabat. Nuntius traiecto freto, Rhegium venit: deinde in Cauloniam ad Dionyſium accelerans, in familiarem quendam incidit, qui nuper cęſum ferebat ariętem. A quo carnis fruſtum dono cum accepiſſet, perq, in qua literas deferebat, incluſit. poſtmodum maiori parte noctis itinere abſumpta, ſub auroram ſomno & labore victus in ſylua pauliſper ſe quieti dedit. Dormienti caſus ſane admirandus obtigit. Lupus forte per ſyluam oberrans iuxta cubantem tranſiens, odore carnis perſentito, ſacculum cum carne & literis abſtulit. Experrectus homo, ignarus rei, cum aliquandiu literas fruſtra quęſiſſet, ſine legationis fide ad Dionyſium non auſus accedere, ab itinere alió diuertit. Quo euenit vt Dionyſius Dionis aduentum tardius reſciuerit. Interea iã Dion Syracuſanos fines intrauerat. Cuius aduentu cognito, occurrit ei multitudo ingēs, & ex agris, & ex vrbe venientiū ad ſe hominum inermium. Quibus Dion aduecta iam ſibi ab vrbe Minoa arma diſtribuit. quę cum non ſufficerent, reliquos eo armorum genere quod ſibi ſors obtulit, inſtruxit. Poſt hęc omnibus ad concionem vocatis, eo animo ſe veniſſe dixit, vt Siciliæ libertatem reſtitueret: longoque ſermone eſt hortatus, vt tales duces deligant, qui huic prędio ſuperincumbant. cui ab omni multitudine conclamatum eſt, ſe nō alios quam ipſum & fratrem eius Megaclem aptiores ad id bellum noſſe. Flagrabat iam tum libertatis adipiſcendę deſiderio Syracuſę vrbs, & conſpirationibus æſtuabat. Duces interea quos Dionyſius ad vrbis cuſtodiam reliquerat, oppidanos a defectione quam diligentiſſime deterrere ſtudebant. Quod cum fruſtra tentaſſent, ciuium tumultu paſſim conualeſcente, coacto mercenario milite, vna cum his qui in vrbe Regis partes tuebantur, conſpirantibus obſiſtere pergunt. Erāt cum Timocrate Leontini atque Campani, qui Ennam: complures, qui Epipolis prędidium tenebant. Hi cum (ſed falſum) a Dione prolatum rumorem de eorum vrbibus occupandis audiſſent, Epipolis & Timocrate deſtitutis, opem ſuis allaturi cucurrerunt. Erat Dion tum circa Macras exercitum habens. Vbi cum per certū nuntium Leontinorum & Campanorum ab Epipolis abſceſſum audiuiſſet, confeſtim cōcitatis militibus noctu ad Anapum fl. peruenit. Ibi caſtrametatus, peractis iuxta flumē pro victoria obtinenda de more ſacris, cum inter ſacrificandum corona eſſet inſignitus: vno animo milites omnes & ſibi ipſis ex floribus & herbis coronas impoſuerunt. Erant tum cum Dione hominum milia ferme quinquaginta. cum quibus traiecto flumine ſubito vrbem inuadit. vbi cum nullos in aperto ſe illi opponentes offenderet, quinimo qui aut opibus aut nobilitate præſtabant, compoſito ad lætitiam gratulationemque habitu, ante mœnia obuiam illi egrederentur: audacter per Menetidas portas Acradinam ſubit, confeſtimque in forum cum exercitu libertatem apertis ac iteratis vocibus ingeminante contendit: ibique ingenti omnium ciuium fauore exceptus eſt. A quibus mox in Tyranni Proſagogidas facto impetu, quotquot occurrerunt, capti, virgis cæſi, & membranis exuti

ignominiosè sunt trucidati. Timocrates subita mutatione perculsus, cũ in arcem ingredi nequisset, cõscẽso cõfestim equo fuga salutẽ quęsiuit. Proinde vrbe a seruitute ad libertatẽ restituta, omnia gaudijs, sacrificijs focisq; triũphalibus publica & priuata perstrepebant. Passim ab omnibus vrbis partibus cõcursus ciuiũ ingens ad Dionem fiebat. Omnes eum cum admiratione intuebantur. Quocunq; ille incedebat, floribus frugibusq; libertatis assertori solũ insternebatur. Annus abintroducta a priori Dionysio tyrannide quinquagesimus, siue quadragesimus octauus (si Plutarcho credimus) agebatur, cum celerrima hæc Dioni & mira cum libertatis Syracusanæ restitutione, tertio post aduentũ die, tanto Dionysij imperio deleto contigit victoria. Capta vrbe, Dion horologiũ excelsum, quod sub arcẽ & Pentapylum Dionysius illustre ediderat, ascendens, ad concionem vocatã plebem ad tuendum sibi diuinitus redditum omnium dignissimum libertatis beneficium pluribus est hortatus. Subinde Epipolis minimo negotio captis, quotquot ex ciuibus in vinculis ibi detentos repperit, dissoluit. Totaq; iã vrbe præter arcẽ, quæ erat ad Insulã, potitus, vt & eã obsidione premeret, muro a terra circunsepit, ne prędio illius, quod erat validũ, suppetias vel cõmeatũ quisquã ferre posset. Interea cognitis apud Caulonjã Dionysius quæ Dion gesserat, septimo die post vrbem captã cum classe reuersus sese in arcem retulit. Vnde initio priuatim missis ad Dionem legatis pace res cõponere tentauit, mediocria polliceri vectigalia, militiæ requiem, nisi si quam illi vltro suscipiendam esse decreuerint. Quæ cum populus irrideret, mox petiit vt aliqui ad se mitterentur, cum quibus de pace aliquid certi transigi posset. Missi sunt ad eum viri quos Dion probatæ spectatęq; fidei esse sciebat. Qui dum cum Dionysio de pace disserũt, ex arce subdole exorta fama vrbem peruasit, a Dionysio tyrannidem non Dionis, sed sui ac patriæ gratia deferendam. Sed ea omnia dolum Syracusanis & insidias portendebant. Nam cum populus inter hæc, pacis expectatione negligentius stationes ageret, segniusque custodias curaret: ipse legatos primum in carcerem conijcit: mox illucescente, extemplo reseratis portis arcis, instructum stipendiariorum agmen & mero saturatum, contra circunductum a Dione murum emittit. Quem barbari cum clamore ingenti repente inuadentes, trucidatis non paucis, præsidium peruastant, ac deinde intra ciuitatem irruunt. Syracusani re inexpectata perculsi, ad obsistendum occurrere non audent. Dion vero, vbi fraude a Dionysio deceptum se videt, milites colligit, ac obuiam factus hostibus resistit: cœptoq; prælio multos passim cædit. Cumq; intra munitiones esset pugna, nec magnum, sed vnius vix stadii spatium interederet: accurrit subito ex arce noua militum manus. Vbi inter milites vtrinq; virtute præstantes acerrime pugnatum est: his quidem ob ingentia Dionysii promissa, illis vero libertatis amore partes suas tuentibus. Et initio quidem anceps pugna, æqualisq; vtrorumq; fuit animi vigor. Cadebant etenim ex vtrisque plurimi, nec pauci confodiebantur. Dion egregium facinus peracturus, in mediam hostium aciem prorupit, & acriter dimicans multos cæcidit, perturbatisque illorum ordinibus in medio solus constitit. Vbi contra emissa vndique in se tela, clypeo, galea, aliisq; armis propulsans, tandem in brachio dextro confixus est, vulnerisq; impatientia in terram collapsus. Quo viso, Syracusani de sui ducis salute soliciti, vehementiori in hostes ruunt impetu, Dionemque ne in hostium manus deueniret, periculo leuant. Quia militibus ereptus Timonidem ducem sibi substituit. Ipse vero equo vrbem circuit, Syracusanos a fuga retrahit, externos milites, qui Acradinam pro statione tenebant, contra Barbaros concitat. integros præterea contra saucios adhibet, promptos contra animo deiectos subrogat: ita vt barbari spe occupandæ vrbis deiecti gradum in arcem referre, & incumbente vehementius Græcorum agmine terga vertere, ac sese mœnibus includere compulsi sint. Idem quoque & ad aliam muri partem Syracusani strenue gesserunt, barbaros superantes, & eos ad portas vsque Insulæ persecuti. Ceciderunt ea pugna ex Dionis militibus quatuor & septuaginta, Dionysiani octingenti. Parta hac victoria, per quam Syracusanorum ciuium animi libertatis fiducia sunt roborati, trophæum in Tyranni opprobrium erexere: & externos milites centum

minarum

minarum coronis ornauerunt: Dionem vero aureo diademate redimiuerunt. Dionysius sua spe frustratus, impetratisq; suorũ cadaueribus, parentandũ curat: quæ aureis coronis, purpureisq; vestibus exculta efferri iubet. Quibus officiis superstitum animos ad subeunda libenter pro eo discrimina erexit. Magnis præterea muneribus eos qui strenue pugnauerant, prosecutus, validioribus præsidiis arces communiit. Post hæc legatos, qui de pace cum Syracusanis iterum tractarẽt, misit. Quos Dion variis excusationibus distinebat, quousq; eam muri partem absolueret quę ad totam arcem circumsepiendam deerat, eadem arte Dionysium ludificaturus, qua ipse fuerat ab eo paulo ante deceptus. Absoluto deinde opere, legatis respondit, vnicam esse pacis viam, si deposita tyrannide priuato sit contentus. Dionysius hac via exclusus, ad commenta quædam contra Dionẽ, quibus eum populo inuisum redderet, se conuertit. Literas igitur Hipparini Dionis filii, (quẽ Aretęum Timęus appellat) patri scriptas finxit, aliasq; aliis complures, quibus Dion eo bello Syracusanis, ob acceptas olim ab eis iniurias odio adhuc conflagrãs, non libertatem, sed imperium sibi acquirere pergebat. Syracusani literis publice lectis, Dionem suspectũ habere cœperunt. Cumq; interea Chariclides, (siue Heraclides, vt alii efferunt) quẽ Dion cum triremibus in Peloponneso reliquerat, Syracusas viginti cum triremibus, mille & quingẽtis instructis militibus appulisset, classis eum Prefectum deligunt: vt communi eius & Dionis consilio contra Dionysium deinceps res ageretur. A Egro id animo Dion tulit, questus collatã Heraclidi Præfecturã Principatus sui labefactationẽ esse. indeq; clam paucis Heraclidẽ increpuit, quod non bene eo tẽpore quo victoria in manu erat, secum pro gloria decertaret. Orta igitur ob hoc inter eos contentione, Heraclides, licet nõ apertas, clandestinas tamen in Dionem exercebat inimicitias. Erat inter Syracusanos Dionis insidiatores Soſſis versuti vir ingenii. Is contra eum nouandi res tempus cõmodum occasionemq; nactus, vulneribus ac plagis totum sibi corpus ac faciem fœdauit: atq; ita veste lacera indutus, quo ex omni parte fidẽ mereretur, in forum venit, ac lamentabili voce eas iniurias a Dione sibi illatas queritur. Ius sibi vt fiat, populum appellat. Cuius consilio ac fraude detecta, rerũ nouarum molitor & vrbis turbator iudiciũ publicum subiit, & pœnas luit. Damnato Soſſide Dion in populi gratiam rediit. Interea Philistus Dionysij præfectus, quem mari Adriatico præfecerat, octoginta cũ triremibus, & quingentis equitibus ex Iapygia Syracusas venit. Vnde pluribus aliis equitibus, ac duobus peditum milibus assumptis, in Leontinos, qui & ipsi a Dionysio desciuerant, se conuertit. Noctu mœnibus superatis, cũ partem vrbis occupasset, a Syracusanis, qui Leontinis auxilio venerant, irruentibus superatur, ac extra mœnia eijcitur. Ita fœde pulsus, classem triremium sexaginta mox instruit, & ad nauale bellum Syracusanos authores eius cladis excitat. Syracusani, qui & ipsi classem non multo minorem in procinctu habebant, cui Heraclides præerat, contra exeunt. Conserto prælio summa vi vtrinq; pugnatum est. Et iam primo victoria se ad Philistũ inclinabat: sed paulopost inferior factus a suis tandem vna cum sola naui deseritur. Syracusani, vbi Philistum derelictum vident, vndiq; eum premunt, & vt viuum capiant, obnixe laborant. Sed ipse ne in manus hostium veniret, captiuitatisq; contumelias euitaret, sua manu sibi mortem consciuit, vt Ephorus & Diodorus scribunt: licet Plutarchus viuũ in Syracusanorum potestatem venisse, probrisq; affectum tãdem obtruncatum fuisse, Timonidis authoritate, qui ab initio belli Dionis socius fuit, asserat. Eius cadauer discerptũ primo Syracusani rheda per vrbẽ traxerũt: dehinc in Latomias insepultũ abiecerunt. Dionysius mortuo Philisto, & amisso tanto duce, animo deijcitur: & demũ desperatis rebus per legatos Dioni dimidiũ imperii offert. quo recusato totum etiã cessit: dum tamen milites, & opes omnes in Italiam tuto posset transferre: & ex Gyarte agro, qui intra Syracusanos fines latus & ferax a mari ad mediterranea surgit, annuos fructus perciperet. Respõsum est a Dione, vt ea a populo petat. Approbabat nanq; ipse conditiones: populum etiam ad subeunda pacta hortabatur. Sed plerisq; in contrariũ tendentibus, nihil profecit, quippe quod vi, & viuum sibi dedi Tyrannum vellent. Re infecta reuersis legatis, Dionysius valido præ-

sidio firmata arce, & Apollocrati liberorum eius natu maximo tradita, Regiaque supellectili ac omni gaza nauibus clam imposita, Heraclidem, qui cum classe eius fugam in portu obseruabat, noctu praetexuectus, in Italiam ad Locros euasit. Dionysio fugato, in vrbe seditiones statim sunt exortæ. Erant namque qui rerum summam Heraclidi, qui ad Tyrannidem minime propensus videbatur, demandandam iudicabant: plerique Dioni. Populus agros æque plebi diuidi postulabat, quod hoc libertatis esset initium. Quibus hinc fauebat Heraclides, illinc aduersabatur Dion. Hinc populus (quo nihil in humanis est volubilius) odiis contra Dionem exardere cœpit: ac interea ne in præceps vrbs prolaberetur, quinque & viginti ex plebe deligunt præfectos, ex quibus vnus erat Heraclides, qui rei Syracusanæ (Dione frustrato) præessent. Accessit ad ærumnas quæ Syracusis paulo post superuenerunt, quod mercenarii milites, qui ad tria milia ex Peloponneso venerant, cum stipendia multa eis deberentur, & ob indigentiam Reip. præstari non possent, & abire propterea decreuissent, Dionem hortabantur, vt secum & ipse discederet, vlciscerenturque pariter communes iniurias a Syracusanis acceptas. Non annuit primo Dion, verum paulo post vrbe cõtra eum seditionibus flagrante, coactus (relicta ingrata Syracusarum vrbe) cũ eis ad Leontinos pergebat. Quo rescito, Syracusani acceptum odium aperto bello manifestant, eosque insequuntur. Sed in ipso itinere pugna inita superantur, multisq; cęsis retro fœde fugati domum redeunt. Vbi a mulieribus derisi, ab ignominia ac ludibriis exasperantur: tum resumptis animis contra Dionem sunt regressi. Quem vt fluuium traijcientem offendunt, abacto equitatu prælium inchoant: sed multis ibi e suis amissis, fœdiorem quam antea fugam capessentes iterum in vrbem reuertuntur. Dion bis parta victoria, humanissime erga hostes inimicosq; capitales se gessit. qui missis qui cæsorum corpora peterent, nihil negauit: captiuosque omnes citra redemptionem liberos dimisit. Inde vero Leontinum peueniens a ciuibus summo honore excipitur: vbi multa apud socios de suorum iniuria atque ingratitudine questus est. Leontini per legatos a Syracusanis militum stipendia, ut æquum erat, poscunt. Quibus illi militibus & Dioni ob varias rationes fidei nihil deberi respondent: ac demum sociorum decreto, vt res apud Leontinos discutiatur, statutum est. vbi auditis partibus quæ iam ibi conuenerant, contra Syracusanos iudicatum est. Illi vero, qui insolentiæ, ob seruitutis iugum excussum, magis magisque in dies incumbebant, iudicium subire noluerunt. Interea Dionysius ratus (quod & euenerat) milites qui erant in arce, annonæ caritate premi, veritusque ne ob id deditionem facerent: Nypsium Neapolitanum, virum prudentia & fortitudine insignem, cum aliquot nauibus commeatu onustis e Locris Syracusas ad obsessos in arcem misit. Sed illo nauigante, arcis milites, spei omnis atque expectationis ignari, fame pulsi, sequenti die & arcem & seipsos Syracusanis dedere statuerant. Illucescente igitur iam ab arce ad populum milites, qui deditionis pacta firmarẽt, ibant: cum Nypsius inexpectatus cum classe ab arce conspectus est. Portum ingressus circa Arethusam naues applicat: frumenta & summam rerum omnium abundantiam Dionysianis in arcem exponit. atque ita arx iam prope desperata, ex insperato militibus inopia leuatis firmata est. Syracusani eius aduentu ira commoti, eductis triremibus (Nypsio adhuc cum militibus in arce agente) in eius classem irruunt. Quo prælio Nypsii aliquot naues naufragio perierunt, quatuor captæ, cæteræ sunt fugatæ. Ea victoria ciues nimis elati, ab excubiis ad cõuiuia continua genium simul mentesque conuertere: vtpote qui iam hostibus penitus deuictis nihil sibi amplius metuendum esse arbitrabantur. Quo cognito Nypsius copiis noctu expeditis, oppositas arci munitiones cum suis furtim ascẽdit, perfractisque muris, trucidatisque custodibus, quos temulentos ac somno sopitos offenderat, reseratis portis totum exercitum (qui ad decem milia peditum erat) in vrbem introduxit. Syracusani, hostium ingressu experrecti, alii a mensis, alii a somno in subsidium accurrunt. Sed cum vino languerent, vel trucidati, vel in fugam versi, repentino casu consternati sunt. Incompositi itaque ipsi & sine duce, hostium vero ordinata acie, dimicantium impetus sustinere non

poterant.

poterant. Dionysiani porro occupato foro in domos irruunt, cuncta diripiunt, opes prædantur: fœminas & pueros captiuos cum eiulatu in arcem ducunt. Diffugerant complures in angiportus & vias quasdam: vbi magna etiam cum eorũ cæde dimicabatur. & noctu quidem hæc omnia gesta sunt: & propterea quanta hominum facta fuerit strages, nonnisi illucescente dignosci, tuit. Iamq; Acradinæ propinquum erat discrimen. Quo Syracusani animaduerso, ea omnia ob ingratitudinem in Dionem exercitam pati se intelligentes, vocandum Dionem, & ex Leontinis accersendos Peloponnenses milites, seria omnium voce conclamatum est. Proinde ad eos mittunt ex sociis Archonidem & Telesidem, ex equestri vero ordine Hellanicum. Missi concitato cursu Leontinum profecti coram Dione obortis procidere lachrymis, & mox patriæ calamitatem ac discrimen exponunt. cuius si miserendum statueret, ad eam subleuandam cum Peloponnensibus vt festinet, orant. Dioni & pietas & legationis nouitas lachrymas quoque excussit: ita vt vocem etiam præ singultibus aliquandiu teneret. Mox tamen vt ex affectu paululum se recepit, nihil indignationis in ciues ostendens, milites suos ad patriam liberandã paucis hortatus est. Subinde per eosdem legatos Syracusanis, vt sese omnes ad bellum noctu dum hostes quiescerent, parent, imperat. Interea Dionysiani, postquam & eo die pluribus cladibus vrbem affecissent, paucis suorum amissis, in arcẽ se retulere. Quo viso Dionis osores resumptis animis, & per se vrbem libertatemq; tueri confisi, ciues, vt Dionem omittant, hortantur: atque effecere vt Prẹfecti rursum, qui eum ab itinere retinerent, a populo remitterẽtur: at contra equites ciuesq;, vt maturaret iter, instabant. Ea ratione Dion sero simul ac per otium proficiscens aduenicbat. Quem noctu æmuli vt aduentantẽ excluderent, vrbis portas tenebant. Dum ita in cestinis hisce diffidiis student Syracusani, Nypsius ex arce longe plures promptioresq; stipendiarios milites emittens, totũ muri circuitum demolitus est, vrbemq; percurrens diripit vniuersa: cædunt ur non modo viri, sed mulieres quoq;, ac pueri non pauci. Magna cunctorũ strages, magnæ direptiones, magna incendia tota vrbe per domos agitabantur. Qui per vias profugiebant, necabantur: qui domos introibant, igne compulsi aut erumpebant, aut incendio suffocabantur. Dionysius nanq; desperatis rebus tantũ in Syracusanos odium conceperat, vt cum Principatu suo Nypsio simul & vrbem tumulare præceperit. Ea calamitas plusquam miserabilis vniuersam vrbem, & Dionis etiam inimicos tetigit. Quamobrẽ illucescente prodeuntes aliquot equites, & complures Dionis aduersarii, ac Heraclidis frater, & Theodotus auunculus, ab Heraclide missi, supplices Dioni in itinere obuiam occurrentes, magnis cũ precibus, vt captæ rursus vrbi, & prope euersæ ac concrematæ, priusquã penitus collabatur, quã celerrime auxilietur, orant. Aberat tum a portis vrbis vndecim passuum milibus: nec iam pedetentim, sed maturato itinere Syracusas cum exercitu perrexit. Cumq; ad Hexapylon peruenisset: ibi lustratis ordinibus progredi cœpit. Cui mulierum, puerorum, senumq; plus minus decem milium ab vrbe fugientiũ, sortem & vrbis & suam deplorantium, turba occurrit. Quos vt vidit, tum pietate accensus, tum militum strenuitate fretus, per portas in vrbis regionem quam Hecatompedon appellabant, irrupit: continuoq; leuis armaturæ equites in hostes immisit: reliquos munitos armis, confluẽtesq; promiscue ad se ciues, per turmas præfectosq; dispartiebatur, vt multis simul in locis terribiliorem se hostibus inferret. atq; ita in hostes nil tale metuentes, vt qui concremandis laribus, & auferenda raptim præda adhuc distinebantur, incomposite; per vrbem discurrebant, multis ex partibus repentinus irruit. Dionysiani, subito eius aduentu perculsi, animis consternantur, passimq; trucidantur. Ipse porro Dion per cruorẽ, per ignem, per cadauera primus inibat, primus discrimen obibat. ingens nanq; ab igne periculum milites turbabat, infestumq; faciebat iter. A Edium ruinæ, feruida permeantia rudera, & collabentia murorum fragmenta, fumus præterea simul & puluis, ne continuatæ incederent acies, impediebant. Vt vero sese hostibus immiscuerunt, pauci cum paucis ob locorum angustias difficultatesq; comminus pugnam conferũt. Cecidere ex eo prælio ex Dionysianis ad quatuor circiter milia. Tum Nypsius vi

compulsus cum reliquis repetita fuga in arcem sese recipit, obstructisque portis imminentem cladem euitat. Dion hac victoria fœlix, sine mora curauit vt incendia, quibus pleræque adhuc domus conflagrabant, coercerentur. Iussit quoq; vt quam primum munitionibus reficiendis incumberetur, ne ab arce in vrbem excurrere possent. Deinde expurgatis locis omnibus, quæ interfectorum cadaueribus patebant, trophæum erexit, & Diis more gentium sacra persoluit. Populus vero, & Heraclides ac Theodotus, inimici quoque eius, eum patriæ liberatorem salutant, imperatorem etiam sibi deligunt, & vt animum eius maximo officio demererentur, diuinos illi honores decernunt. Ille vt vbique se magnanimum ostenderet, inimicis quam benignissime indulsit. Heraclidem insuper amore præcipuo (classis præfectura ei populo consentiente restituta) complexus est: populumque vniuersum ad concordiam seruandam cohortatus est. Diuinos sibi honores decretos respuit: cæsos sepulturæ dedit, & captiuos ad duo prope milia soluit. Ad murum quem arci circundederat, vallum adiecit, & transuersis etiam trabibus arcem ambiuit. Quibus meritis diu in publico seruator patriæ cognominatus est. Cæterum cum pulso Dionysio, domos agrosque viritim populus diuisisset, eaq; decretis etiam firmasset: Dion huic distributioni aduersatus, plebiscitis rescissis noua iam lege immutauit. Eo facto indignatus populus nouum in eum odium suscepit. Heraclides, qui in ea lege populo fauebat, occasione considerata, confestim milites & nautas Messanam caute abduxit, eosque ibi contra Dionem, veluti ad Regnum inhiantem, in seditionem pertraxit. atque interea cum Dionysio per Pharacem Spartanum eius exercitus Ducem pacta transigebat. Erat is eo tempore cum castris non longe ab Agrigentinorum agris: vbi qui Dionysii adhuc partibus adhæserant, in fide continebat. Dion, licet cum eo manus conserere percuperet, rem tamen ad tempus magis opportunum differebat: quippe quod relinquere eo tempore vrbem, quæ intestinis seditionibus flagraret, expediens non arbitrabatur. Sed Heraclides, qui toto huc incumbebat animo, vt pulso Dione Syracusas ipse teneret, per suos diuulgauit, eum iccirco cum Pharace certamen procrastinare, quo perpetuum penes se teneret imperium. Quibus rumoribus excitus Dion, magna cum Syracusanorum manu contra Pharacem contendit. Conserto prælio Dion superatus, dum iterato instructis copiis redintegrare pugnam constituit, longeque a Syracusis bello incumbit: Heraclides Syracusas inuadendi tempus adesse ratus, Messana cum sua classe soluens, illuc nauigat: eo animo, vt capta vrbe Dionem excludat. Dion vbi hæc per certum indicium cognouit, confestim robustissimis, iisque expeditissimis militibus ante Syracusarum portas stetit. Heraclides, licet cum classe celerrimo contendisset cursu: posterior tamen Dione Syracusas venit. Qui vbi se præuentum cognouit, reflexo cursu littoralia inuasit. At inter nauigandum ex improuiso Gęsylus & ipse Spartanus, qui a Lacedæmoniis cum classe missus, vt Gylippus olim, ad Syracusas liberandas tuendasq; adnauigabat, ei occurrit. quẽ, quo sibi contra Dionem auxilio esset, quã benignissime receptum, præmisso præcone, Syracusanis vt præfectum suscipiant, imperat. Cui, satis præfectorum Syracusis esse, a Dione responsum est. quod si forte res Syracusanæ Spartano duce indigerent, Spartanum iam ciuem se factum esse etiam adiicit. Gęsylus horum visa controuersia, præfectura omissa, ad Dionem nauigat. A quo magnifice receptus, Heraclidem ei etiam iuramento conciliat. Syracusani his successibus læti classem, quæ ingentium impensarum, & magnarum inter principes sæpe seditionum causas suppeditabat, cum nihil eis amplius pro tempore opus esset, dissoluunt: ac deinde totis viribus ad obsidendam arcem conuertuntur, circunseptumque murum exædificant. Apollocrates Dionysii filius, quem pater arci in sua fuga præfecerat, cum forte annona deficeret, & suppetias nullas speraret, & milites in fide titubantes videret, desperatis rebus, præsenti fortunæ consulẽs, arcem Dioni tradidit: & ipse liber cum sororibus, ac triremibus quindecim regia gaza onustis, Syracusis discessit, & ad Dionysium patrem Locros nauigauit. Ad quod spectaculum tota ciuitas indicto festo confluxerat: quippe quod ex diuturnis tenebris eo demum die Syracusis

cusis sol per libertatem exoriri eis visus est. Dion vero ad arcem tendit. Cuius ingressum Areta coniux, & Aristomache soror cum Hipparino filio, ad fores prævenere. Quos benignissime, nec sine lacrymis complexus, arcem Syracusanis tradidit: atque ipse in paternam domum cum suis reuersus priuatam vitam instituit. Hæc modestia maiorem famam non solum inter suos, sed tota etiam Græcia, magnaque Italiæ parte, conflauit: operamque deinceps dedit, vt præsens vrbis status optime iuxta Platonis placita institueretur. Sed dum his incumbit, Heraclides rursum ei opponitur, ipsumque variis actionibus impetit, quod arcem non esset demolitus, quod Dionysii sepulchrum non euerterit, quod illius cadauer nõ desiecerit, prout populus expetiuerat: quod consiliarios ex Corintho euocarit, quod ciues dedignetur habere collegas, quod demum Principatum affectet. Nam Heraclides non minus valebat apud optimates (quorum consensu classi fuerat prælatus) quam Dion, qui peditatui præerat. Non tulit hæc Dion æquo animo: sed versum Homeri retulisse fertur: Non posse bene regi Rempubl. multorum imperiis. Quo dicto, magna inuidia suspicioque Dionem est consecuta: quippe quod eo ambitionem affectationemque imperii ipse declarare videretur. Eam porro non obsequiis lenire Dion studuit, sed acerbitate opprimere. Nam Heraclidem, quem alias a cæde seruauerat, vt turbulentum seditiosumque ciuem ad cædem depoposcit. Ciues, petitione Dionis audita, statim Heraclidis domum consentiente Dione irrumpunt, eumque interimunt. Dion, vt authorem sceleris minime fuisse se ostenderet, ei magnifice parentandum curauit, iustaque ei exercitu funus comitante persoluit. Displicuit Syracusanis vehementer eius mors: omnesque non dolore modo, sed & timore perculsit. Dion vero aduersario remoto, licentiosius Principatu fungebatur, eorumque bona quos sciebat contra se sensisse, militibus dispertiebat. Quibus moribus & optimatibus & militibus quoque inuisus redditur. Plebs etiam citatis vocibus Tyrannum non ferendum conclamare cœpit. Inter hæc horrendum ei suæ mortis ostentum apparuit. Sedebat prima nocte in cubiculo solus: vbi tum repente ex ea parte ædium quæ contra cubiculum erat, strepitus ingens eius aures perculit. Vnde & mulieris simulacrum statura enormi nihil a tragico cultu diuersum, ei oblatum est, quę scopis paumentum verrebat. Quo aspectu perculsus, accitos amicos orat vt secum pernoctent, ne rursus phantasma oculis obuersatum eum exanimaret. Erat eo tempore Callippus Atheniensis inter duces insignis, qui ex Peloponneso cum Dione (vt diximus) ad Syracusas liberandas venerat, vir callidus, vafri ingenii, & sine vlla religione ac fide. Is cum præstantissimos Dionis socios bello absumptos, Heraclidem quoque occisum, & Dionem ob Heraclidis necem populo inuisum, & militum animos ad se translatos videret, ad Siciliæ imperium inuadendum animum adiecit. In quo instituto cum solum Dionem formidaret, in eius necem conspirat. Quam vt cautius perpetrare posset, ipsum Dionem adit, eum in magno esse periculo propter optimatum & plebis odium aperit: &, nisi virum solertem habeat, qui simulata eius inimicitia cum æmulis se ingerat, & eorum animos tractatusque indagando perscrutetur præcaueatque, eum procul dubio interfectum iri. Probauit eius consilium Dion, eique ipse illud negotium commisit. Qui recepta cum eius æmulis conuersandi potestate, Zacynthios quosdam sibi asciscit: cum quibus, pacta viginti talentorum mercede, in caput Dionis conspirat. quem vt Syracusanis magis suspectum redderet, falso spargebat in vulgus, Dionem, quod filiis esset orbatus, Apollocratem Dionysii filium (qui vxoris eius ex fratre nepos erat) ad se vocatum imperii Syracusani hæredem instituisse. Callippi hæc coniuratio multis cognita ad Aristomachen sororem, vxoremque eius Aretam peruenit. Quæ timore perculsæ, Dionem monent vt caueat. Ille negat parari sibi insidias: sed quæ gerebantur, eius iussu fieri dicit. Mulieres nondum sedato hoc responso animo, ipsum Callippum adeunt, obiurgant. qui, re negata constantissime, quid tractatum sit, vt seruetur Dion, non vt perimatur, actum affirmat. Illę neque timore (quo plenus est fœmineus animus) hac quidem exceptione depositio, vt securæ omnino redderentur: Callippum in templum

Proserpinæ ducunt, ac iurare nihil ab illo periculi fore Dioni, compellunt. Qui cum nec religionem, nec fidem vereretur, hoc sacramento non modo non est deterritus, sed ad facinus maturandum potius concitatus: quippe quod timeret ne antequam voto potitus esset, consilium detegeretur. Callippus itaque coniuratis munitiora loca tradidit, domum custodibus circunsepsit, a foribus qui non discederent, constituit, triremem parat, vt si consiliis fortuna obstitisset, haberet quo confugeret ad salutem. Post hæc statuto Proserpinæ die, in Dionis domum, quo e ciuium conuentu iam se receperat, Zacynthii absq; mucronibus inermes veluti conueniendi eius gratia ingrediuntur: Dionem in cubiculo nil tale metuentem manibus inuadunt, suffocare nituntur. Quod vbi non succesſit, gladium exposcunt: quem eis Lycon Syracusanus coniuratorum vnus, qui foris cum cæteris astabat, per fenestras statim proiicit, quo ipsum pauitantem, veluti ante aras victimam interficerent, annos tum natum quinquagintaquinque, quarto post Syracusas in libertatem restitutas anno. Eius cædis rumore per vrbem delato, plebs omnis eo visendi gratia conuolauit. cuius mortui aspectus, omnium subito voluntates ab odio in lacrymas desiderium q; immutauit: & qui viuentem paulo ante Tyrannum vocitarant, eundem tunc patriæ liberatorem, & tyranni expulsorem cognouerunt. Porro Callippus cæso Dione Syracusas vrbem per vim tyrannide oppressit: Dionisq; grauidam vxorem vna cum sorore coniecit in carcerem. Quæ cum partus instaret, in vinculis peperit masculum. Eas postea Icetes Syracusanus Dionis amicus e carcere solutas benigne suscepit. Quas tamen a Dionis hostibus postea inductus, simulato earum in Peloponnesum traiectu, inter nauigandum vna cum infante necari & in pelagus proiici iussit. Callippus Syracusis oppressis, ad subigendam sibi Catanam perrexit. Quam dum oppugnat, Syracusas amisit. Nam Syracusani eo absente in libertatem nullo obsistente sese vendicarũt. Recepta Catana & subacta, Callippus Messanam est adortus. quam licet inuaserit, maximam tamen militum partem, & Dionis interfectores amisit. Et cum tota ferme Sicilia discurrens nullam ciuitatem cepisset, traiecto freto Rhegium occupat. Vbi cum præ inopia stipendia militibus soluere nequisset, a Leptine & Polyperchonte, eodem quo & Dion pugione, occisus, cædis immeritæ meritas tandem pœnas dedit.

DE DIONYSII IVNIORIS AD PRINCIPAtum restitutione, & Timoleonte Tyrannidis extinctore.

CAPVT III.

POST Dionis interitum insurgentibus ad libertatem contra Callippum qui cum Dione senserant: mansit per annos ferme sex nonnihil immunitatis libertatisq; Syracusis. Sed tot postea clades ac varii rerum casus Siciliam afflixerant, vt parum abfuerit quin vrbs ipsa penitus desereretur. Reliquæ etiam ciuitates turbulentę, vel a potentioribus, vel a barbaris facile occupabantur, aliæ aliis casibus afflictæ. Dum in hoc statu seditionum res Siculæ laborarent, Dionysius repetendi regni occasionem nactus, ex mercenariis militibus restaurato exercitu, decimo post Principatum amissum anno, Syracusas ex inopinato adortus, Nyseo tunc Reip. ministro sine negotio pulso, vrbem rursus tyrannide sibi subegit. Enimuero cum omni metu ciuitas videretur erepta, repente hostiles Dionysii copiæ cum exulibus quibusdã, quos ad societatem Rex coegerat, ad vrbem occupandam aduentarunt. Vbi sine periculo per Acradinæ muros illapsi, refracta proxima porta aditum equitibus patefecerunt. Ad horum ingressum clamor sublatus per vrbem diffunditur: itur ad arma, concurritur aduersus hostes, ac passim tota vrbe prælia conseruntur. At ciues trepidi, nec quid agere, nec vbi consistere deberent, nec quomodo tantis viribus resisti posset, præuidentes, migrandi aliqui consilium ceperunt, aliqui congrediendi.

grediendi. quos ita distractos in medio vrbis hostes hinc inde oppressere: tandemque ipsis superatis,& Nysæo fugam capessente, vrbs capitur, contrariæ factionis capita trucidantur. Mirum profecto Dioni obtigerat, Dionysium e tyrannide tũc omnium Tyrannorum maximum expulisse: at multo mirabilius, modo exulem Dionysium paucis cum copiis tyrannidem pleno iure recepisse. Porro Syracusani in vrbe subacti, eo sæuius a Dionysio opprimebantur, quo nuper exilium cladesque ingentes animum illius acerbius exasperauerant. Iamque omni domesticorum spe destituti optimates, cæterique omnes genere clari, quos iam seruitutis pertęsum erat, vrbe dilapsi ad Icetem Leontinorum tyrannum, qui & ipse Syracusanus erat, supplices confugiunt, ac eum vt patriæ iam in præceps iterum lapsæ succurrat, ducem sibi deligunt. Sub idem præterea tempus Carthaginenses quoque ad occupandam Siciliam totis animis intenti, centum & quinquaginta triremes, peditumque quinquaginta milia: præter hæc bigarum, curruum, armorum, telorum, ac machinarum ad expugnandas vrbes multa milia: commeatuum denique, & aliarum rerum quæ bello sunt vsui, copiam ingentem parauerant. cum quibus omnibus eo consilio Dux Hannon cum plena præfectura Siciliam peruenerat, iamque non longe a Syracusis erat. Tot igitur calamitatibus Syracusani oppressi, consilii prope inopes, per legatos Corinthum (quod coloni Corinthiorum essent, & ad Archiam primordia referrent) pro auxilio, & ad Tyrannidem abigendam, & ad Carthaginenses propulsandos, solicitant. Corinthii & vt cognatis opitularentur, & quod libertatis amatores semper extiterant, (pro qua in Græcia bella ingentia gesserant) suppetias Syracusanis ferre decreuerunt. Igitur Timoleontem Corinthium ducem, & rei militaris peritia, & bonis artibus præstantissimum, ad tantam molem deligunt. Erat is patre Timæneto (quem Timodemum Plutarchus appellat) & matre Demarista clarissimis parentibus ortus: qui patriam a Timophanis fratris natu maximi tyrannide oppressam, fratrem in publico foro trucidans, liberauerat. Dum igitur Timoleon & copias instruit, & ad profectionem se parat: mirum ei prodigium obtigit. Nam cum superstitiose in Delphis Apollinem consuleret, ab anathematis in templo affixis, ex alto in caput eius corona aurea adeo apte concidit, ac si ei ex industria fuisset imposita. quo omine ex demandato sibi bello victoriam pollicebatur. Nauiganti quoque ei in Siciliam noctu fax ardens in cœlo præluxit, donec ad Rhegium peruenisset. Prius etiam quam Corintho solueret, Cererẽ & Proserpinam vidisse, ac sacerdotibus suis in somnis astantes pollicitas fuisse, cum Timoleonte sese in Siciliam nauigaturas, memoriæ proditum est. Interea Icetes Leontinorum Princeps, ad quem Syracusani supplices confugerant, ad imperium Syracusarum aspirans, primum cum Carthaginensibus ad Dionysii Principatum euertendum societatem secreto iniit: deinde per literas Corinthios a suppetiis ferendis, duceque mittendo conatur auertere: multum periculi adesse significans, si eam expeditionem aggrederentur, Carthaginensibus longe lateque iam Siciliam occupantibus. Scripsit eisdem quoque se vel ob eam causam dedisse operam, vt sociæ ciuitates contra Carthaginenses Dionysio iungerentur. Spretæ a Corinthiis cum earum authore hæ literæ, a classis transmissione Corinthios auertere non potuerunt. quinimo maiori quam antea studio rebus ad bellum necessariis incumbere, & Timoleontem expedire properarunt. Icetes interea, vbi Corinthiorum classem aduentare omnino in Siciliam cognouit, veritus ne ad suam ambitionem ei impedimento forent, Carthaginensium triremibus accersitis, ac terrestri valido exercitu, Syracusas cõtra Dionysium ex Leontinis contendit. Iamq; vallum circa Olympieũ iecerat, totisque viribus terra & mari hostem oppugnabat. Sed obsidione in longum protracta, commeatus inopia pressus, inde soluere, Leontinosq; repetere cõpulsus est. Dionysius porro emissis copiis abeuntem insequitur, ac extremum eius agmen incessit. Quo irritatus Icetes conuersus manus cum Tyranno conseruit. Vtrinque acerrime bellatum. vbi ad extremum ipse superior factus tria armatorum milia sub Dionysio merentium cædit: reliquos in fugam cõuertit, eosq; tanta

celeritate insequitur, vt simul cum fugientibus in vrbem irruperit. Ita mira celeritate tota Syracusarum vrbe, excepta Insula atq; arce, paruo negotio potitus, vrbem muro & fossa circundedit, fugatumque Dionysium in arce & Insula terra & mari obsedit. Dum hæc Syracusis geruntur, Carthaginenses primam expeditionem contra Entellenses susceperunt: eorum agros primum populari, mox ad oppidum obsidendum properant. Tenebant Entellam Campani: qui magno hostium numero perterriti, ab vrbibus Carthaginensibus inimicis per legatos auxilia petunt. Ex quibus soli Galerienses (cæteris omnibus societatem detrectantibus) mille armatos miserunt. qui a Pœnis in itinere circumuenti omnes trucidati sunt. Campani quoque qui Ennam tenebant, comparata auxilia Entellam, vtpote ad ingentem cognatam, mittere decreuerant. Sed Galerienſium clade perculsi ab incepto destiterunt. Quocirca Entellēses omni destituti subsidio, tametsi vrbem natura munitam, & in colle edito ac vndique prærupto sitam incolerent, deditionem fecere. Carthaginenses ijs initijs prospere gestis, veriti ne a Corinthijs ab incepto impedirentur, legatos cum triremibus viginti ad Timoleontem precatū miserunt, vt remissis Corinthum navibus ipse se Iceti, qui iam in cursu esset victoriæ, socium adiungeret. Interea Timoleon decem cum triremibus Corintho soluerat, & Ionio mari emenso tribus diebus post captas ab Icete Syracusas Rhegium appulerat. vbi cum non longe ab oppido copias in terram ad corpora curanda vix exposuisset, Carthaginensium legati ei suorum mandata pertulere. Qui cum videret longe plurimas naues Carthaginensibus, Iceti vero multo maiores copias quā sibi esse, & ab incepto opere pedem referre sibi decorum non esse, ac nullo eorum quæ moliebatur, facto indicio, legatis simulato ore, satis benigne & ad vota respondit. Mox ab illis sese surripiens nauem ascendit, & quam ocyssime in Siciliam prouehitur. Quem cum legati ita delusi abeuntem insequerentur, ipse maiori cursu progressus, nocte superueniente tenebris maximum sibi auxilium præbente, citra offensam Tauromenium tenuit. Præerat illi oppidotum Andromachus Timæi historici pater, Syracusanæ libertatis studiosus, & Tyrannis infensissimus. qui summo humanitatis officio Timoleontem, suosq; omnes excepit: eisq; suum oppidum tanquam asylum obtulit. Deinde & ciues suos, vt pro Siciliæ libertate Corinthijs socios se adiungerent, hortatus est. Carthaginenses eo fœdere percepto grauiter offensi, per legatos Andromacho crudelissima quæque minantur. Quibus subridens Andromachus, ni inde citius vna cū naui abscessissent, igne absumendos comminatus est. Interea per vicinas vrbes Timoleontis ad Tyrannidem extinguendam aduentu diuulgato, ob copiarum paucitatem, (qui vix mille erant milites: Carthaginensium vero contra, exercitus immensus, classis ingens: & Icetis copiæ innumeræ, quæ iam in victoriæ cursu erant) parum fidei, minusque spei ad libertatem adipiscendam est assecutus. Cui etiam & Callippi Pharacisque (quorum alter ex Athenis, alter ex Sparta, pro libertate frustra in Siciliam nuper venerant) recens memoria non parum authoritatis detraxit. Sed egregium illud facinus, quod pro patriæ libertate contra fratrem Timoleon gesserat, tum eius in rebus gerendis prudentia simul, & rei militaris præstantia, beneuolentia denique & comitas, quam omnibus æque exhibebat, fiduciam Siculis tametsi exilem libertatis potiundæ exhibebat. Dum in hac animorum perplexitate essent Siculi, Icetes delectis quinque armatorum milibus contra Adranitas, qui suas partes detrectauerant, profectus est. Adranitæ hostem contra se armata manu progredientem cum vidissent, Timoleontis aduentu cognito, eum per legatos ad auxilium euocant. Qui legatione benigne audita, trecentis supra mille secum militibus confestim assumptis, ex Tauromenio, vbi adhuc agebat, Adranum (quod quadraginta fere passuum milibus ab eo distat) petit. Primo die non multum itineris confecit: proximo per loca aspera, vtpote combustas AEtnæ montis radices, iter ingressus, toto die progrediens, contigit vt vno eodemque ferme tempore, & ipse & Icetes Adranum appropinquarent. Icetes non longe ab oppido castrametatus, militibus reficiendis corporibus vacare concessit. Timoleon vbi Icetem cum exercitu prandentem accepit, hostes

hostes incautos, laboreque fessos inuadere statuit. Quare promptioribus ad pugnam militibus selectis, tanquam manifeste victoriam præsagiret, primus ad hostes contendit, eosque inuadit. Quem milites secuti in hostes & ipsi ruunt, eosque repentino aduentu turbatos in fugam vertunt, trecentis cæsis, sexcentisque vna cum illorum castris in captiuitatem abductis. Hac victoria læti Adranitæ, apertis portis Timoleontem mira gratulatione honoreque excipiunt: illique victoriæ illius præsagium ab se ante notatum huiusce modi enarrant. Viderant nanque ostiis templi vltro reclusis Adranum (quem deum falso errore ducti arbitrabantur) pili cuspidem concussisse, sudoremque nouum facie exhalasse. Quod ostentum suscepit insana turba non modo in peractæ pugnæ, sed futurarum etiam rerum omnium faustissimum omen. Fuit ea victoria Timoleonti ad res bene gerendas initium satis opportunum. Enimuero Tyndaritani, & plures Siciliæ populi qui adhuc sub Tyrannide viuebant, eo fœlici successu diuulgato, per legatos & ipsi auxilium ab eo ad Tyrannorum profligationem imploruere: quin & aliquot ciuitates decretis legationibus ei se se, vrbes agrosque suos vltro dederunt. Timoleon, vt gratum se omnibus pro accepta victoria præstaret, Adrano Deo more gentis sacra facit. Sed dum cæremoniis intendit, duo ad eum occidendum ab Icete milites missi rusticos mentiti ad aras astitere. Quorum alter gladio extracto, socium ducis peremit, ac fuga celeri ad petram altissimam ibi vicinam euasit. Alter dum Timoleontem occisurus aram amplectitur, capitur: captusque, ut sibi rem omnem detecturo parcatur, orat. Data fide, se ab Icete ad Timoleontem interficiendum missos fatetur. Timoleon, & ei, & capto etiam qui in petram ascenderat, condonauit: quod is qui ab eo occisus fuerat, patrem apud Leontinos necauerat. Atque ita peracta re diuina ereptus periculo, Adranitis Tyndaritanisque simul, & suorum militum manu assumptis, confestim Syracusas properat: miraque celeritate iter totum emensus Tycham ex improuiso adortus nullo labore capit. Tum repente ingens intra Syracusas tumultus fit, cum tres iam principes viri diuersa vrbis loca occuparent: Insulam & arcem Dionysius, Acradinam & Neapolim Icetes, & Tycham Timoleon. Porro sub hæc victoriæ initia, inopinata & quæ nullo consilio parari poterat, prospera rerum successio Timoleonti obuenit. Primum vulgata eius victoria Mamercus Catanæ Tyrannus, vir militia & opibus insignis, cuique tum & thesauri parati, & magnæ militum copiæ suppetebant, cum Timoleonte vltro societatem iniit: eiq; argentum, quo stipendia exercitui solueret, obtulit. Atque ipse etiam in Tyrannidis euersionem cum eo enixe cuncta moliebatur. A Corinthiis præterea naues alias decem militibus auroque onustas non ita multo post accepit. Quibus omnibus animo elatus, ad Dionysium expugnandum se accinxit. Quod antequã aggrederetur, per legatos ei persuasit, vti arce, tradita, & Principatu relicto in Peloponnesum cum omni sua pecunia ex composito transiret. Dionysius incredibilem Timoleontis rerum successum admiratus, & sibi nullam euadendi spem superesse videns, cõtinuo (mirum dictu) seipsum, arcem, regiam omnem, ac regnum nobilissimum, victori quinquagesimo postquam Siciliam ille applicuerat die, tradidit. Timoleon, assumptis secum Euclide & Telemacho Corinthiis, simul & quadringentis militibus, arcem a Dionysio recepit. In qua præter regiam supellectilem, (quæ immensi erat pretii) tantam armorum vim ibi congestam reperit, vt septuaginta hominum milia inde ad bellum satis commode instrui possent. Equorum insuper, telorum ac machinarum ingentem numerum, & militum plus minus duo milia. Dionysium deinde regno priuatum, quod decem ante Dionem, & duodecim postea crudeliter occuparat annos, cum vna naui, in quam omnem suam pecuniam conuehebat, Corinthum in exilium anno mundi 4860. transmisit: vt & Corinthii Tyrannidis ab eo extinctæ belluam immanem conspicerent. Pepercit autem Dionysio Timoleon, cum ad necem vsque sæuire posset, duas præsertim ob causas, tum quod Corinthii vtriusque Dionysii operas vtiles aliquando experti essent, tum quod clementiæ quam sæuitiæ memoria se digniorem arbitraretur. Ita Dionysius, qui quadringentas antea triremes ha-

buerat,in pusilla arctus nauicula ex Syracusis, vbi paulo ante in maiestatis solio fulserat,Corinthum soluit. Admirandum sane fortunæ spectaculum. Ad quod visendum Syracusani ferme omnes,viri,mulieres,senes,puerique quotquot in magna illa vrbe tunc erant,laribus relictis concurrere:alii pristinæ fortunæ celebritatem,plures priuatum odium secuti, vt veterem superbiam priuato exprobrarent. Multi fortunæ miserabile prope mancipium contumelioso cum ludibrio intuiti condolebant. Scribit Plinius eo die,quo Dionysius tyrannide est exutus,mare in portu Syracusano edulcuisse. Abeuntem eum cum plerique interrogassent,quid sibi Plato,eiusque quam didicerat,philosophia profuisset, respondisse ferunt: Vt has fortunę mutationes ferre possem. Interrogatus quoque quonam modo cum eius pater Syracusanus ciuis,egenus & priuatus,Tyrannidem sibi parauisset:ipse Regis filius,Regnum adamante reuinctum amiserit: respondit, patrem regnum sibi tradidisse,non fortunam. Corinthum cum appulisset, nemo fuit etiam ex Græcis,qui diuersa ratione inductus videndi illum & alloquendi studio non teneretur. Vbi cum ageret,sanniori ductus consilio,nil nisi quod humillimum esset, tutum arbitratus est. iccirco in sordidissimum vitæ genus abiit. Inter lixas nanque & lenones in popinis & fornacibus veste obsoleta contectus residebat. Nouissime se ludi magistrum professus in triuio docebat. Inter has tamen simulationum artes ter affectatæ tyrannidis a Corinthiis est insimulatus. Postremo miseria extrema ductus,obscure adeo interiit,vt incertum sit an apud Corinthum naturalem, an vero in Siciliam reuersus coactam mortem obierit. Corinthii felicem Timoleontis, festinamque fortunam ac victoriam admirati, maiori armatorum coacta manu, peditum milia duo,equites ducentos in Siciliam ei transmisere. Icetes posthæc,qui Acradinam & Neapolim adhuc tenebat, cum Carthaginensibus confœderatus,arcem,quæ Dionysio pulso in Corinthiorum potestatem venerat,terra & mari oppugnare constituit. Quocirca Carthaginensium centum & quinquaginta triremes duce Magone in portum magnum ad se pertraxit. Deinde sexaginta armatorum milibus in vrbem introductis, magnis viribus arcem obsedit. Timoleon interea cymbis & nauiculis per loca stagnosa occulte,ne ab hostium triremibus interciperentur, suis præsidiis in arcem ex Catana commeatum conuehebat. Quo explorato,Icetes & Mago Catanam ex improuiso inuadere statuunt. Sumptis igitur secum præstantissimis quibusque militibus,solutisque ex portu triremibus, Syracusis eo instituto excessit. Quod vbi Leon Corinthius,qui Syracusanæ arcis præfectus erat, resciuit, hostesque ab excubiis vrbem tenere animaduerteret:suorum manu educta,repente in Acradinam ex inopinato irruunt. quam hostibus partim cæsis, partim fugatis occupatam in suam potestatem redigit:eamque,quod & esset arci coniuncta, & cæteris vrbis partibus munitior,necnon commeatu aliisque ad bellum necessariis referta,muro & præsidio muniuit. Icetes & Mago,qui iuxta Catanam erant, vbi per certum nuntium, & captam Acradinam, & classem Corinthiorum propediem cum noua militum manu aduenturam audissent,aliquot triremes ad intercipiendam hostium classem emiserunt. Mox & ipsi (Catana relicta) Syracusas cum copiis sunt regressi. Sed dum ipsi prope Syracusas castrametantur, classis Corinthiaca cum duobus armatorum milibus, & ducentis equitibus, Rhegium applicat. Quibus Timoleon adauctus,relicto Syracusis præsidio,Messanam vrbem,quę Carthaginensibus etiam parebat,terra mariq; adortus, paruo labore adeptus est. Mago dum circa Syracusas expugnandas tempus terere se videt,ad fallendum Corinthios,qui in ea erant,nouum consilium comminiscitur. Nautas suos omnes coronis induit, rubrisque scutis, ac Corinthiorum insigni triremes extrinsecus ornat. Subinde Syracusas adnauigans,portum magnum maximo plausu ingreditur,ac si classem Corinthiacam,quam obseruabat, intercepisset: vt sic Corinthii animo deiecti,ad deditionem inducerentur. Sed Corinthii, qui Pœnorum artes exploratas habebant,& a mœnibus,& ab arce eos cachinnis & contumeliis incessebant. Interea Timoleon capta Messana,fortunæ successibus magis quam viribus fretus,cum quatuor armatorum milibus, paruifaciens quadraginta hominum

num milia, quos Mago sub signis habebat, Syracusas ad suis auxiliandum confidētissime properat. Mago, vbi tantā animi virtutem conspicit, suspicatus Timoleontem cum Icete clam fœdus (ad eum intercipiendum) iniisse, & sibi in Græcorum medio paratas insidias, præsertim quod id ex quibusdam signis notasset: Icete cum tota classe, copiisque omnibus Syracusis relictis, in Libyam contendit. Icetes, etsi Carthaginensium classe esset destitutus, animo tamen non deiicitur: sed cum Neapoli adhuc potiretur, de capiendis reliquis vrbis partibus spem sibi animumque facit. Timoleon contra, Magonis discessu cognito, milites quos præstantiores habebat, diuidit, ac Neapolim aggredi statuit. Igitur ad Anapum fluuium stationes ponit: deinde & præsidiares Acradinæ cohortes (quarum Isias Corinthius erat dux) inde egredi iubet. Tertiam vero militum partem, quos Dinarchus atque Demaratus Corinthii nouissime cum classe noua Corintho aduexerant, ad vertices direxit. atque ita Neapolim tribus ex locis adoritur: quam facili insultu, ex castris Icetis militibus ad eum transfugientibus, capit: atque in potestatem suam, nemine suorum aut cæso aut saucio redigit, Icete ad Leontinos profugiente. Ita tota Syracusarum vrbs a Timoleonte capitur. Mira sane & celerrima fuit hæc Timoleontis victoria, qui intra quinquagesimum diem, quo ex Corintho Siciliā applicuit, tota Syracusarum vrbe potitus est. Porro Timoleon his rebus fœliciter gestis, arcem vrbis Syracusanæ, situs præstantia, pulchritudine, & structuræ magnificentia toto fere orbe celebrem, veluti Tyrannorum asylum ac sedē, singulari animi magnitudine, in signum recuperatæ libertatis, vna cum tyrannorum sepulchris ac palatio, publice per præconem ad id accitis ciuibus, quo omnis Tyrannorum memoria aboleretur, funditus demolitus est. Gelonis autem statuā, ob id quod Carthaginenses ad Himeram vrbem vicisset, populique semper fuisset studiosus, ne illius, eiusque beneficiorum memoria excideret, Senatus populique decreto seruauit incolumem. Deinde ciuibus libertatem reddidit: populare regimen tyrannide præstantius instituit. Postea leges, quas a Diocle conscriptas hactenus Syracusani seruauerant, corrigere aggressus, quæ ad rerum priuatarum contractus, testamentaque pertinebant, inuiolata reliquit. Sed quæ Remp. decernebant, ad regimen populare immutando transtulit, authoresque & censores earum legum Cephalum & Dionysium Corinthios, doctrina & prudentia insignes, elegit. Instituit præterea annuū magistratū honorificentissimū, quē Iouis Olympii famulatū appellauit. Callimenesq; primus omniū Olympii Iouis famulus suffragiis est electus. Durauitq; is Iouis famulatus in ea vrbe annos supra trecentos: quousq; captis a Romanis Syracusis abolitus est. Et quoniā Tyrannorū sæuitia, variisq; bellorum cladibus, Syracusæ continuo afflictæ adeo ingentem vastitatem contraxerant, vt forum ipsum ob solitudinem in syluam concretum læta iam brutis pabula præberet: & pro mœnibus vrbis homines venarentur: (prout & in cæteris Siciliæ vrbibus ceruos aprosque habitasse memoriæ traditum est) Corinthii, petentibus Timoleonte & Syracusanis, decem hominum milia tum ex Siculis quos Dionysii Tyranni ceteræque calamitates in Græciam fecerant extorres, tum ex Græcia reliqua & Asia collecta, ad incolendum Syracusas transmisere. Quo & ipse Timoleon ex Sicilia Italiaque vicina sexaginta hominum milia, domibus & agris liberaliter donatos, habitatum pertraxit. His rite constitutis, reliquas Siciliæ vrbes sub Tyrannis adhuc pressas in libertatem vendicare properat. Ac primū contra Leontinum (quo Icetes iusto cum exercitu secesserat) castra mouit: statimque eam vrbis partem quam Nouam vrbem appellabant, aggressus, cum ibi esset præsidium, & ad mœnium propugnationem satis idoneum, ab incepto desistere coactus est. Vnde ad Engium vrbem transiuit, quæ Leptini Tyranno parebat: qui & Apolloniam cum plerisque aliis finitimis oppidis occupauerat. Is porro licet principio belli æquis prope viribus, & acerrime obsisteret: ingraescente tamen bello deditionem facere cogitur. Quem Timoleon Corinthum in exilium asportari iussit: vt eo pacto Græci deuictorum Tyrannorum pulchro fruerentur spectaculo. Capto Engio Apolloniatæ etiam se dedidere. Quibus Timoleon vtrisque libertatem, vt suis viuerent legibus, concessit. Potitus est præterea Entella vrbe. In qua

quindecim primores ciues, qui Carthaginensium partes acriter tutabantur, trucidauit: cæteros autem & vrbe ipsa, & libertate donauit. Interea cum rei pecuniariæ laboraret inopia: iamque militum, quibus multa stipendia debebantur, seditiones timeret: armatorum pubem selectissimam sub Dinarcho atque Demarato in Carthaginensium ciuitates ad incursiones populationesque faciendas emisit. Qui latissimam eorum regionem (vt iiunctum erat) populati, egregiam inde rerum omnium prædam Timoleonti apportauerunt. ex qua militibus multi temporis stipes persoluit. Hac rerum fœliciter gestarum fama excitæ Græcæ in Sicilia ciuitates, libertatis quoque expectatione, vltro omnes Timoleonti se tradiderunt. Siculorum præterea, Sicanorum & aliarum gentium ciuitates a Carthaginensibus subiugatæ, amicitiam ab eo societatemq; per legatos petiere. Qui benigne omnes in fœdus recipiens, libertatem quoque eis præstabat. Interea Carthaginenses cum parum strenue res Siciliæ a Magone administratas vidissent, corpus eius, qui per desperationem sibimet vim intulerat, cruci primum affigunt: mox ex Afris, Gallis, Hispanis & Liguribus, ad septuaginta milia exercitu comparato, ducentisque triremibus instructis, & mille præterea nauibus frumento, machinis, curribus, rerumque cæterarum copia onustis, Annibalem atque Bomilcarem duces in Siciliam cum mandatis transmittunt, vt omnes Græcos subacta prouincia inde pellant. Timoleon, licet non ita magnũ militum numerum haberet, cognito tãtę classis tãtarumque copiarum in Siciliam traiectu, nihil animo perturbatus est. Sed cum contra Icetem adhuc pugnaret, pace cum eo firmata, auxilia quoq; eius obtinuit. Quibus non parũ auctus, ad bellũ se parat: atque in Carthaginensium Siciliæ prouinciã (quæ hodie vallis Mazaræ dicitur, distatque a Syracusis centum & sexaginta ferme passuum milibus) bellum transferre pro consulto habuit: quo & vrbium sociarum agros immunes seruaret, & eodem tempore hostiles vastarentur. Cæterum Syracusani, militesque, audito Carthaginensiũ numero, adeo perculsi sunt, vt mille ex eis qui cum quatuor aliis milibus sub Timoleonte stipendia merebant, inter eundum secesserint: Timoleontem mente captũ edicentes, quod cum quinque peditum milibus, & equitum solis mille, contra septuaginta hostium milia dimicare auderet, abducto etiam longe a Syracusis exercitu: vnde nec suppetiarum indigentibus succursus, nec fugientibus salus, nec denique morientibus sepeliendi facultas expectari posset. Ipse vero his pro nihilo habitis, comparatas ex auxiliis omnibus & mercenariis suas omnes copias, quæ ad duodecim armatorum milia censebantur, ad concionem vocat. Vbi eos (oratione habita) ad bellum, & ad victoriæ communionem hortatur. eosdem ipsos esse, qui & paulo ante contra quadraginta Carthaginensium milia egressi acie vicerint, & Dionysium, Icetem, Leptinem etiam, ac Syracusas, Catanam, Messanam, & cæteras ferme omnes hostium vrbes expugnauerint, in memoriam reuocans. Carthaginenses præterea eos esse, qui paulo ante fœde fugati fuerint ac victi: victoriam denique non in multitudine, sed qualitate ac fortitudine consistere, multis edocens. Excepta est a militibus eius oratio magnis animis atque acclamationibus. qui omnes contra barbaros statim progrediendum esse conclamabant. Atque ita explicatis signis iter ingressi, vix in Agrigentinum agrum peruenerant, cum tumultus seditioque magna in eorum castris, nulla hostium apparente suspicione, repente exorta est. Erat in exercitu miles vnus Thrasius nomine, vir temeritatis incredibilis, & ad omne facinus promptus. Is milites ad defectionem solicitare cœpit: Timoleontem insanum dictitans, qui ad certissimam cædem suos duceret milites: quippe quod Carthaginenses copiarum numero sextuplo, & omni denique apparatu bellico sint superiores. Id autem nihil aliud esse, quam militum suorum animas in periculum coniicere: nestipendia longi temporis mortuis illis persolueret. Proinde vt Syracusas reuersi debitum expoſcerent, suasit. Verba hæc multorum animos commouerant, & iam seditio inter milites inchoata mille ex eis viros ad sequendum Thrasium retraxit. Timoleon magna prudentia reliquorum tumultum sedauit: & per literas primum ministris, quos Syracusis habebat, scripsit vt persolutis stipendiis milites

contu-

contumaces cum Thrasio benigne reciperent: seditionum authores in tempus aliud puniendos differens. Deinde sedatos blanda longaq; oratione a tumultu, reliquos ad veterem erga se beneuolentiam, animiq; promptitudinem reuocauit. Post hæc cum cognouisset Carthaginenses ad Crinisium. fl. propediem venturos, in colle fluuio prominenti, vnde hostes videre posset, castrametatus est. Vbi cum Græci in stationibus essent, viatores forte multi eis occurrerũt, qui iumentis magnam apiorũ vim ad thoros extruendos portabant. Quæ visio Græcos nõ mediocriter perterruit: coniectantes quod apium ob id quod sepulchris defunctorũ in Græcia solet affigi, mortem eis portenderet. At Timoleon in contrarium trahens, victoriæ id omen est interpretatus: quod victores Isthmiacis apud Corinthum ludis corona ex apio contexta capite redimirentur. Itaque statim in vectores irruẽs coronam ex apio contextam capiti sibi imposuit, idque vt omnes suo exemplo milites facerent, persuasit. Cuius interpretationem lætis animis milites exceptam quasi indubitatam vincendi sortem pari mentium alacritate præsumunt. quos eo audaciæ portentum ipsum prouehebat, vt iam sibi victoriam ante oculos proponentes, absque respectu periculorum certatim in prælium prosilirent. Ita Timoleon firmatis suorum animis aciem instruit, ac vt ex colle flumen ab alto conspiciant edocet. Postridie Carthaginenses ad fluuium traiecturi ab oriente appellunt: iamque æstiuum erat solstitium. quo crassior sub auroram maxime nebulosa tanta aeris densitas regionem & flumen obtexit, vt neq; ex cliuo superiori, vbi erat Timoleon, neq; per emissos ad flumen equites, Græci de hostiũ aduentu quicquam præsentire potuerint: sed tantummodo voces magnæ multitudinis, & sonitus quidam indiscretus atq; commixtus, de vertice collis a Timoleonte & Corinthiis audiebatur. Cæterum nebula sensim a locis inferioribus Solis viribus in montium summitates elata, fluuius claro vndiq; prospectu, hostiumq; traiectus a Timoleonte videri cœpit. Collocauerant Carthaginenses in prima fronte ad pugnã currus, & milites albis scutis candicantes: post quos cætera multitudo flumine traiecto absq; ordine sequebatur: & iam hostium decem circiter milia fluuium incõposite ob festinationem traiecerant. Quod cum vidisset Timoleon, iussit Demarato vt cum equitibus in eos nondum in aciem reductos irrueret. Ipse vero ex colle in planitiem descendens, plurimos stipendiarios cum Siculis in vtroque cornu primum constituit: deinde Syracusanis suisque militibus circum vndique stipatus, fixo gressu, quid Demaratus cum equitatu egisset, obseruabat. Cumq; Demaratus ob hostium currus, qui ante eum discurrendo dimicationem impediebant, manus cum hostibus conserere non posset: Timoleon cum exercitu, & editiori voce quam consueuerat vsus, vt absque mora in aciem irrumperent, equitibus signum dedit. Cornua extra ordinem curruum contra Carthaginenses irrue- reiubet: ipse collectis propugnatoribus in pugnam quoque succedit. Hostes, quoniam thoracibus ferreis, galeis æreis, ingentibusque scutis protecti, iaculorum insultus facile reiiciebant: primo congressu viribus æquis animisque restitere, iaculaque resiliebant: sed postquam bellum comminus gladiis geri cœptum est, vbi nõ minus ingenio quã corporis virib. est opus: consertis manibus Græci magna Carthaginensium facta cæde, reliquisq;, qui iam flumen traiecerant, in fugam versis, superiores fiũt. Sed interea reliquæ omnes hostium copiæ flumine transmisso Corinthiorum impetum facile repressêrunt: prælioque instaurato Græcos turbare incipiunt. Sed tum repente imber & vehemens & continuus cum fragore ingenti coortus est: simulque grando, ac vehementissima ventorum vis, & nebula ipsa, (quæ colles & montium vertices tegebat) veluti diuinitus missa ad locum pugnæ conglomerata sunt: nimbus deniq; Corinthios a tergo, Carthaginenses a fronte & ob oculos impetebat. quos & delata assidue a nubibus fulgura & tonitrua misere vexabant: feceruntq; vt ipsa sibi arma ab aqua & grandine propulsata impedimento essent, ne iussa Ducum vel audire vel exequi possent: vestimenta quoque sinuosa (quibus vtebantur) plurimo imbre repleta, dum manus conserebant, ipsos graues ineptosque reddebant, idoneos autẽ vt a Corinthiis superarentur. Ad hæc cum cadebant, ex cœno irreleuabiles erant. Nam Crinisius aquarum irruptio-

ne cum magnopere exundasset, ob traiicientium multitudinem aggerem rupe-
rat: & planities quæ fluuio adiacebat, multis fluuii faucibus cõcurrentibus, aquis,
quæ non suo ferebantur alueo, lutoq; abundabat: a quibus Carthaginenses inuo-
luti vix liberabantur. Tandẽ cum inundatio & aquarum fluctus instarent, & pri-
ma Corinthiorum acies, quæ ex quadringentis militibus constabat, contra Car-
thaginenses irrueret, in fugam illi vertuntur. Quorum plerique in planitie obie-
re: qui vero ad Crinisium vado & ripis impeditum, ac aquis tumentem, ex fuga,
vt traiicerent, peruenerunt, aut profluentis gurgitibus sunt absorpti, aut in ipsa
cunctatione tranandi amnis, dum alieno periculo humiliora quærunt, persequẽ-
tibus Corinthiis miserabiliter perierunt. Plurimos, qui ad colles sibi salutem quæ-
rebant, ab ascensu velites prohibebant. Multi conculcati a suis, pleriq; a sociis ob
vadi occupationem confossi: plures Corinthiorum equitatu vrgente, cum ad ri-
pam agminatim confluerent, vulneribus a tergo oppressi obibant. quamplurimi
citra hostilem offensam suis ipsi manibus interempti: nonnulli etiam metu & pa-
uore acti, cum flumini minime se committere auderent, aceruatim dilapsi, strue
corporum opprimebantur. Denique ex tanto Carthaginensium numero in hoc
bello decem milia sunt cæsa: inter quos tria ferme milia opibus, dignitate, ac mili-
tia inter Carthaginenses longe principes numerabantur: capti ad quindecim mi-
lia. Currus belliciin ipso certamine diffracti: ducenti tantum recepti. Iumenta ve-
ro & vehicula cum impedimentis milites sibi rapuerunt. Armorum magna vis in
flumine deperiit. Eorum porro quę superfuerant, thoraces mille, scuta fere decem
milia, ad Timoleontem a suis collecta peruenere: quæ partim in Syracusanis tem-
plis dicata fuerunt, partim sociis auxiliaribus dono data. Plura Corinthum in Ne-
ptuni templum ex voto sunt missa. Tanta vero auri argentique copia reperta est,
vt ab iis qui spolia extraxerunt, ærea atque ferrea supellex paruifieret. Triduum
Corinthii in prædæ conquisitione (adeo fuit ingens) consumauerunt. Subinde
trophæum pro victoria erexerunt. quæ eo fuit admirabilior, quod eam sine vllo
suorum vulnere tam paruus numero exercitus a tanta legione consecutus est.
Carthaginenses, qui tantæ cladi superfuerunt, animo consternati ad Lilybæum
se contulerunt: nec sunt ausi naues inscendere, veriti ne in ipso mari Libyco
quicquam aliud aduersi experirentur. Nuncius tantæ cladis Carthaginem dela-
tus, adeo vrbem perterruit, vt ipsa sibi in ea strage corruisse sit visa. Nam nullo ad id
vsque tempus prælio tot viros vna pugna amiserunt ex suis, quot in ista: cum in
cæteris bellis mercenario milite pleruṇq;, in hoc vero suis tantum essent vsi. Ti-
moleon ea victoria fœlix, mille stipendiarios Syracusas ad prædam deferendam
præmisit. quos ipse paulo post toto cum exercitu secutus, ingenti cum gratulatio-
ne, faustisque suorum acclamationibus tripudiisq; excipitur. Cum aliquantulum
quieuisset, mille milites, qui duce Thrasio in agro Agrigentino defectionem fece-
rant, Sicilia vt abscederent, sub capitis mulcta præcepit. Qui proximam Brutiorũ
Italiam petentes, oppidum ibi maritimum cum diripuissent, a Brutiis superati ad
vnum omnes trucidati sunt. Post hæc Timoleon Posthumium piratam, qui
prætextu amicitiæ duodecim cum biremibus cuncta Syracusis vicina littoralia
prædatus fuerat, captum interemit. Interea Icetes & Mamercus, qui iam Timo-
leonti fœdere iuncti erant, siue tam insignem ei victoriam inuidentes, siue (quod
verisimile videtur) timentes ne superatis Carthaginensibus, & subactis iam cæte-
ris omnibus Tyrannis, eos quoque tãdem armis sumptis expelleret: clam cũ Car-
thaginensibus fœdus societatemq; ineunt: eisque suadent vt nouum exercitum in
Sicilia restaurent, ni vellent & Sicilia penitus exulare, & ad extremum Carthagi-
nem discrimen deducere. Qui ita persuasi Gisconem Hannonis filium tunc exu-
lantem in patriã reuocant: eumq;, quod spiritus esset ingentis, & rei bellicæ peritia
polleret, ducem belli constituunt, milites exteros Græcosq; conducunt. Quos cũ
septuaginta nauibus omni commeatu instructis in Siciliam mittunt. Gisco, vt
primum in Siciliam peruenit, Messanam vrbem nauigat, primasque eius vires vna
cum Icete mouet, atque oppugnat. Quam initio statim obsidionis, in conspiratio-
nem abeuntibus ciuibus, paruo negotio cepit: eamq; trecentis Timoleontis mili-
tibus

tibus præsidiariis ibi captis interfectisq;, Hipponi tradidit. Timoleon vbi captam Messanam audiuit, eo militibus instructus proficiscitur. Sed cum Icetes in Calabriam ad expugnanda quædam oppida traiecisset, eius terga insequitur. cum quo ad Damyriam fluuium congressus, ancipiti Marte diu concertat. vbi tandem superior factus, ex hostili exercitu mille cadentibus, Icetem ipsum in fugam vertit. qui prolapsus, traiecto freto Leontinum venit. Quem Timoleon (omissa pro tempore Messana) persecutus, Leontino expugnato, viuum cum filio, iudicio populi, capitis supplicio affecit, ac sepulturæ tradidit. In Euthymum quoque, qui vna cum eodem in eius manus deuenerat, ob contumeliam in Corinthios, quos ad bellum non magis quam mulieres aptos in concione vocarat, capitaliter animaduertit. Icetis vxorem ac filias, eo quod ipse Aretam Dionis vxorem, sororemq; Aristomachen, ac filium infantem in mare demersérat, interficiendas Syracusanis tradidit. Porro iis gestis, nil se fecisse ratus si Mamercum inultum dimisisset: contra Catanam exercitum mouet. Quo cognito Mamercus contractis viribus Timoleonti in campum, qui inter Teriam & Symæthum fluuios situs est, occurrit. Ibi signo dato prælium ineunt, manus conserunt: gladiis res geritur. Aliquandiu Mamercus obstitit: demum amissis tribus militum milibus, quos sibi ex Phœnicibus Gisco auxiliares miserat, in fugam vertitur. atque ita auxilii consiliiq; inops in Italiã, vt Lucanos in Timoleontem induceret, nauigat. Sed qui cum eo Catanenses profecti sunt, duce relicto, remensoq; cũ triremibus pelago, in Siciliam reuersi, Catanam cum omnium ciuium consensu Timoleonti tradunt. Mamercus amissa Catana, & Lucanorum auxilio frustratus, in Messanam vrbem ad Hipponem confugere cogitur. Quo audito Timoleon copias contra Hipponem mouet. Messanam terra & mari recenti obsidione tentat. Qua in desperationem Hippo ductus, nauem ascendens, Italiam profugus nauigat: sed a militibus interceptus capitur, & in vrbem ducitur, atque vna cum filiis necatur. Mamercus desperata fuga, hac cõditione Timoleonti se dedidit, vt Syracusanorum iudicio sisteretur: sperabat enim ab illis ad commiserationem flexis veniam etiam consequi. Syracusas adductus, cum orationem pro se in concione moliretur, populus contra eum tumultu edito, non esse proditorem audiendum, sed in supplicium raptandum, conclamauit. Quod ille animaduertens, dolore ac desperatione percitus, abiecto pallio, per theatrum medium cursu citissimo in subsellia perductus, veluti ibi moriturus caput dabat: sed a militibus inhibitus paucis post diebus pro prædone a legibus indicto pœnæ genere suffocatus est. Scribit Athanes (referente Plutarcho) Timoleontem dum Messanam contra Hipponem & Mamercum oppugnaret, oculis aliquatenus fuisse captum: sed pedem minime retulisse, quinimo pertinaciter oppugnando tandem & vrbem & tyrannos cepisse. Carthaginenses fœliciſſimum huiuscemodi victoriarũ Timoleontis cursum, quo omnes iam Siciliæ Tyrannos subegerat, admirati, veriti etiam ne ad suorum in Sicilia prouinciam deueniretur: legatis ad eum primoribus vrbis destinatis pacem petunt. Quam benigne quidem Timoleon, sed iis conditionibus concessit: Vt Græcæ in Sicilia vrbes omnes liberæ essent: Vt Lycus fluuius (qui Platanis hodie dicitur) Carthaginensium prouinciæ ad occidentem terminus sit: Ne Carthaginenses Tyrannis suppetias ferant: & denique qui ex Carthaginensium prouincia Syracusas transmigrare vellent, cum familia & omni supellectile libere admitterentur. Hoc fœdere pacis cum Carthaginensibus icto, Timoleon Campanos, qui Ennam tenebant, interfecit: Nicodemum Centuripis vrbis Tyrannum ad libertatem suis dandam compulit: Apolloniadem Agyræ Principem Tyrannidem deponere coegit. In summa Tyrannis omnibus in Sicilia extinctis, ciuitates omnes liberas fecit. Verum & eas quæ bellorum procellis habitatoribus fere desertæ iacebant, cultu reddidit frequentiores. Nec Syracusas modo incolatu restaurauit: sed Agyram quoque (quod ibi ager esset latissimus, magnaque loci amœnitas) decem incolarum milia transcripsit. Agrigentum etiam & Gelam, magnas eo tempore Siciliæ vrbes post Atticum bellum a Carthaginensibus depopulatas, habitatoribus repleuit: Agrigentum, Megello & Feristo ex Helia coloniam ducentibus: Gelam vero, a Gorgo ex Chio co-

lonis ductis. Camerinam quoque multis ciuibus auxit. Vrbium mœnia fanaque diſiecta refecit. Singulis ciuitatibus leges tradidit: tantamque pacem & quietem ſubmotis bellis toti Siciliæ dedit, vt ſingularum vrbium verior ipſe quam illi qui ab initio earum fundamenta iecerant, conditor haberetur. Tum vero a laboribus diuturnis meritam quietem nactus, vxorem ex Corintho ſibi accerſiri curauit: &, quod nullo recuſante obtinere poterat, imperium depoſuit, priuatamque vitam Syracuſis egit. cui Syracuſani ædes ex publico ædificarunt: agrumq; ei donarunt amœniſſimum, quem apud Trimiliam fuiſſe hodie ducta per manus fama Syracuſani prædicant. in quo reliquum vitæ a ciuium tumultibus ſeceſſu delecto, inter rureſtria exercitia peregit. Senio vero confectus penitus viſu eſt orbatus. Syracuſani vero non minus cæcum quam videntem coluerunt: indieſq; ad eum cõfluentes, patrẽ patriæ, liberatorẽq; ſalutabãt. quin & hoſpites aduenaſque ad eum pro miraculo rerum geſtarum viſendum educebant: eoque eis placebat magis, quod apud ſe diem ſuum obire delegerit. Mireq; eum extollebant, quod ſplendidos claroſque triumphi apparatus, quos ſibi in ſuo reditu Corinthii cæteriq; Græci pro rerum geſtarum gloria pluſquam promerita præparauerant, Syracuſanorũ conſuetudini poſthabuerit. Ipſi præterea cum de rebus magnis concilium habebant, Timoleontem cæcum etiam conuocabant. Qui cum per forum lectica perferretur, in tranſitu a populo lætiſſimis acclamationibus Patris patriæ nomine ſalutabatur: dictaque in publico ſua de rebus conſultandis ſententia, rurſus per theatrum a miniſtris domum deportatus, cum iiſdem vocibus & plauſu ab omnibus dimittebatur. In huiuſce fœlici ſenio, paterna reuerentia a Syracuſanis habitus, diem ſuum anno octauo libertatis reſtitutæ obiuit. Syracuſani die funeris protracto, vt debitæ pararentur exequiæ, & vt finitimis ad ſpectaculum funeriſq; frequentiã veniendi daretur facultas, atratos de more iuuenes feretro ſubegere. Qui per regiam Dionyſii eo tempore ſolo adæquatam progreſſi, multis virorum ac mulierum milibus & præeuntibus & ſequentibus, ſpectaculum nullo celebritatis genere inferius exhibuere. Senatus præterea populuſque, ac tota ciuitas lachrymis, planctu luctuque Timoleontem proſequebantur, patrem patriæ, benefactorem, præſtantiſſimum libertatis reſtitutorem, Tyrannidis extinctorem, ac beatum fœlicemque, ingeminatis laudibus etiam in cœlum ipſum efferebant. Expenſæ vero in funus ducentæ minæ ſunt computatæ. Proinde vbi cadauer rogo iniectũ eſt, collapſiſque deinde cineribus flamma quieuit: Demetrius, qui ea tempeſtate facundia ac magnitudine vocis cæteris præſtabat, cum funebri oratione, populi Syracuſani decretũ etiam promulgauit: vt ſingulis annis perpetuo Timoleontis memoria muſico, equeſtri & gymnico certamine celebraretur: quod Barbaros in Sicilia Carthaginenſes debellaſſet: quod maximas Siciliæ vrbes populi frequentia repleuiſſet atque reſtauraſſet: quodque demum libertatem extinctis Tyrannis reſtituiſſet. Præconio edito ſepulchrum in foro ſtruunt, eius aream magna porticu circundant, palæſtras ædificant, gymnaſium extruunt, quod Timoleontis nomine appellant, atq; quotannis ludos in eo loco in eius & patriæ liberatæ memoriam inſtituunt.

F. TH.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER IIII.

DE AGATHOCLE SYracusarum Rege.

CAPVT I.

IMOLEONTIS opera libertate Siciliæ restituta, quæ per annos circiter viginti (vt supputat Eusebius) durauit: vrbes ac oppida, paruo eo temporis interuallo populi frequentia, opibus, publicis priuatisq; extructionibus maxime coaluerunt. Siquidem præter priuata ædificia, Deorũ quoq; templa, curiæ, fora, turres, monumẽta, pyramides, theatra, & cætera id genus opere egregio, accuratoq; artificio passim vrbibus accessere. Præ cęteris vero, Syracusanis ex opũ abundãtia non solũ ornatus, sed & imperii quoq; amplitudo accreuit. At voluentibus annis, dum externam vim metuũt, in domesticam incidunt dilabunturque. Nam anno mundi. 4880. Athenis imperante Demogene, & Romæ. L. Plotio, & Manio Fuluio Coss. Agathocles vir humili loco, & sordido genere, (vtpote ignobili & figulo patre genitus) Syracusarum vrbis Tyrannidem occupauit. Cuius originem paulo altius repeti locus expostulat. Carcinus figulina arte vix cognitus, Rhegii Brutiorum nascitur. Is processu æui ob seditionem patria pulsus, Thermas Siciliæ oppidum in ora Selinuntina situm, (quod nunc Sacca dicitur) incoluit: quod quidem eo tempore Carthaginensibus parebat. Vbi vxore, quam ex ea regione duxerat, concipiente, nocturnis ipse imaginibus frequenter, & ante somnum visis, & in somnis occurrentibus, deterrebatur. Quocirca, pro vt genti moris erat, per Carthaginenses amicos, qui Naxum se conferebant, de prole nascitura oraculum sciscitatur. Nuncupatis votis Archegetes Apollo natum iri infantem a quo Carthaginensibus atque vniuersæ Siciliæ variæ clades imminerent, vaticinatus est. Quod vbi pater resciuit, editum infantem (ne tandem ipse oraculi euentu declarato, in perduellionis pœnã, quæ equorũ vngulis dãnatos conculcabat, vna cũ vxore totaq; familia incideret) exponere decreuit. Iã enim oraculũ per totũ oppidũ iactabatur. Agathocles itaq; puerpera matre in lucẽ editus, ab incunabulis primisq; infantiæ rudimẽtis formosus, cũctisq; dilectus adeo euasit, vt omniũ sinu iugiter atq; oculis foueretur. Carcinus pater a Carthaginẽsibus, quib. suberat, exitiũ veritus, infantẽ exponendũ suffocandũq; conductis ad id famulis tradidit. Sed ministri eius pulchritudine in cõmiserationem, cædisq; innocuæ formidinẽ attracti, a suffocatione abstinentes, more gentis duntaxat eũ exposuerunt. Quo cognito, mater noctu filiũ e vado raptum ad Heraclidem eius germanum fratrẽ clam detulit educãdum. Vbi ab auo materno,

qui tũ adhuc viuis supererat, Agathoclis nomen sortitus est. Infantiam egresso, ac crescente cum annis forma & robore, Carcinus forte cum ad Heraclidis ædes ad sacrificandum Diis inuitatus conueniisset, septem iam annos natus puer ibidem cum aliis coætaneis ludo intentis aderat. Cuius ignarus pater, & decoram faciẽ, & vires vltra ætatem prouectas admiratus, & paterno affectu etiam in ignorantia stimulatus, quisnam & cuias puer esset, percontatus est: magnoq; se illius amore detineri, palamq; optare se vt suus esset filius, quem metu coactus exposuerat, edixit. Mater, vbi eius desiderium cognouit, statim, Hic est (inquit) filius tuus. Quo dicto, inopinatus pareas ingenti affectus lætitia in filii amplexus ruit, osculisq; delinitũ domũ recipit. Verum cũ præ recẽti adhuc oraculi apud oppidanos & Carthaginenses memoria nondũ formidinem exuisset: sumptis secum vxore, filio, omnique supellectili, Syracusas (quo id temporis lex a Timoleonte promulgata, omnibus ex oppidis Carthaginensibus liberam veniendi potestatem concesserat) cõmigrauit. Vbi in ciuium numerũ receptus tegulariã exercuit. qua postquã filium etiã imbuisset, paulo post morbo correptus vita functus est. Post Carcini mortem cũ Agathocles vna cũ matre extra Syracusas ad hortos esset, dormiretq;, ingens apum examen fauũ mellis ad os pueri conuolans formauit. Quod miraculum cunctis immani stupore prosequentibus, consultus aruspex eloquii in eo suauitatẽ, & ad Imperium euectionem interpretatus est. ad quod his initiis sane parum honestis contendit. Damas inter Syracusanos proceres & genere & opibus princeps vir erat. Is Agathoclem, insigni eius captus forma, ardere atq; miserrime deperire cœpit. Cuius libidini obsequentẽ auro vbertim prosequitur. iamq; paruo tempore ex stupri cũ Damãte patientia puer coaceruando ditissimus euasit. Vbi vero per ætatem ex ephebis excessit, libidinem a viris ad fœminas trãstulit. mox eo scelerum processit, vt iam vtroq; sexu esset infamis. cum quo & Damantis vxor in adulterio deprehensa est. Hinc Timæus eum scortum promiscuum impudentissimo cuique expositum, Triorchem (a triorche aue efferatæ libidinis) appellat. Inde vbi primum per ætatem militiæ aptus fuit, cum & manu promptus, & valde facundus esset, Damantis auxilio, gregarius miles efficitur. Prima militia egregia facinora aduersus Ennæos Syracusanis edidit. Vbi eodem suffragante Hecatontarchus (quẽ Centurionem appellant) factus est. Subinde contra Cãpanos atq; Agrigentinos tantam de se spem omnibus dedit, vt omnium consensu Tribunus militum (quẽ Græci Chiliarchũ vocant) sit institutus. In quibus bellis præclarum sibi Ducis nomen comparauit: agilis, promptus, & in periculis arduis obeundis strenuus & intrepidus: atque ita in præliis sese obiiciebat, vt semper inde cũ victoria reuerteretur. Cumq; milites vel turbatos vel pauidos conspiciebat, eos sua facundia & firmabat, & audentiores faciebat, ad prædam & latrocinia auidissimus. Hinc eo tempore ob morum eius affinitatem, quos natura ad furta imbuisse videbatur, loquacitatemque, graculum ipsum appellatum scribit Timæus. Interea Damante morbo correpto, & tandem absq; liberis defuncto, vix inferiis peractis, vxor exalse hæres, Agathocli (& quod clandestinos antea accubitus cũ eo habere consueuisset, & quod nomen eius militia inclarere cœperat) connubio iungitur. Atq; ita Agathocles ex inope diues, ex plebeio nobilis, & ex figulo dux, fœlix etiam matrimonio, animum ad maiora erexit. Sub id tempus cum inter Crotoniatas & Brutios bello exorto, Crotoniatæ inferiores facti a Brutiis dura obsidione premerentur, a Syracusanis auxilia petentes, Heraclidem & Sosistratum duces cum copiis impetrarunt: cum quibus & Agathocles cum Tribunatus munere est profectus. At cum Agathocles strenue cum Brutiis re gesta nomen suum propagaret, per inuidiam a Sosistrato Chiliarchatus dignitate priuatus fuit. Qui statim apud Syracusanos iniuste militia se abdicatum conqueritur, Sosistratumque Tyrannidis insimulat. Syracusani spreto propemodum accusatore, Sosistrati causæ fauerunt. Quod Agathocles ægre ferens Syracusis abscessit, & in Italiam profectus ad Brutios desciuit. Cum quibus contra Crotoniatas, eisq; fauentes Syracusanos, bellum mouit. Sed eo prælio victus fugatusque, a Tarentinis receptus est. Vbi ob singularem militaris rei peritiam Præfectura donatus, cum in rerum nouarum suspicionem

cionem

cionem postmodum incidisset, dignitatem simul cum ciuitate amisit. Eodem ferme tempore cum Heraclides & Sosistratus magna militum manu Rhegium oppidum obsiderent: Agathocles veteris iniuriæ non immemor, coactis exulibus omnibus qui per Italiam vagabantur, Rheginis opem tulit: profligatoq; Sosistrati & Heraclidis exercitu, confestim Syracusas ad vrbem occupandam se contulit. Sed qui ex Sosistrateis erant, cæteriq; ciues, fortiter obsistentes, nõ sine multo suorum sanguine irritos eius conatus effecerunt. Deinde cum Syracusani contra Gelam pugnantes, vrbem deseruissent, Agathocles eius rei certior per emissarios factus, mille cum militibus noctu Syracusas ingressus est. Sed Sosistratini, qui in vrbe erant, magna vi statim occurrunt, atque eum extra vrbem cum suis fugant: fugatosq; insecuti, ad angustissimum locum, vnde nulla euadẽdi spes apparebat, propellunt. At Agathocles in Syracusanos versus, acerrime contra propugnat, & tandem se suosq; a discrimine non sine magno vitæ periculo strenue liberat. Siquidem inter præliandum ab hostibus septem vulneribus confossus, in terram corruit: adeoque ex sanguine defluente debilitatus est, vt cum fugam arripere non posset, a Syracusanis cõfestim circundatus parum abfuerit quin in hostium manus veniret. calliditate tamen sua se redemit. Nam sine mora, suis ad vrbis mœnia signa canere iubet. Syracusani signo belli audito, rati nouos aduenisse hostes, vrbemque inuasisse, relicto Agathocle ad vrbem tuendam conuolant. Ita ipse periculo exemptus, in specus cuiusdam subterraneæ cum suis militibus primum latebras, deinde in tutissima loca se transtulit. Vbi grauissime ægrotans, ac longo itinere attritus, diu conquieuit. Syracusani postquam ad mœnia peruenere, vbi se delusos agnouerunt, ad Agathoclem capiendum redeunt. Quo non reperto, non satis cõstitutum habentes quod sibi capiendum consilium foret, neq; periclitari diutius pro eo tutum rati, Syracusas reuersi sunt. Erat eo tempore Syracusanorum dux Acestorides Corinthius. Is cum Tyrannidem ambiret, multaque pro ea obtinenda tentasset: Agathocles hoc cognito, spem sui facinoris accõmodam inde sumens, clã per internuntios cum Syracusanis conspirationem pro libertate patriæ contra eum ordinauit. Sed non latuit Acestoridem Agathoclis consilium. Idcirco contra eũ quæ vrbem ingressurus erat, insidias ponit. Sed Agathocles hæc rescius, adolescentẽ ætate & forma sibi similem, armis suis indutum, ac suo inuectum equo, per locum insidiarum transire iussit: qui pro Agathocle interfectus est: ipse vero rusticũ mentitus, per turbas nemini cognitus, incolumis Syracusas peruenit. Vbi paulo post cũ bis occupare imperium tentasset, secundo a ciuibus in exilium actus Murgantinos adiit. Illi, cum infensissimi Syracusanis essent, Agathoclem ducem cõtra eos creant. Agathocles itaq; coacta maxima militum manu, vrbem Leontinum ex inopinato adoritur capitq;. deinde contra Syracusas profectus, vrbem obsidet. Syracusani, necessitate premente, exules qui Sosistratinæ factionis erant, in vrbẽ reuocãt: & cũ Carthaginensibus, eorumq; duce Amilcare, pacem societatẽq; ineũt, atq; auxiliũ implorant. Amilcar, depositio quod ad id vsq; tempus in Syracusanos atrocissime gesserat, odio hostili, subsidia eis decernit. Mira rerũ vicissitudo. Vno eodemq; tempore Syracusæ vrbs ab hoste, ciuili amore defenditur, & a ciue hostiliter oppugnatur. Itaq; Syracusani & sociorum & Pœnorum aucti viribus, acerrime obsistendo, ab incepta oppugnatione Agathoclem dimouerunt. Quod ille animaduertens ad fraudem se conuertit. Amilcarem per internuntios promissionibus non solum sibi conciliare, sed occulte etiam se in eius societatem inducere studet, quod vt cum honesto prætextu impetraret, eum obsecrat vt pacem inter se & Syracusanos componat: quippe quod inuitum, & desperatione, non impietate ductum, contra Syracusas se bellum gerere iureiurando affirmaret. Amilcar, qui toto animo ad occupandam Carthaginensibus Siciliam inhiabat, ratus quanto Agathocles Syracusanis viribus præstabat, tanto Carthaginenses maiorem ad capessendum Siciliæ imperium facultatem habere: societatem cum homine iungit. Pro qua Agathocles expositis ignibus cereis, eisque digito contactis, in obsequia Carthaginensium iurat. Quibus inter se clam firmatis, Amilcar ad concionem Syracusanos vocat, eos elaborata oratione ad pacem

cum

cum Agathocle hortatur: præsertim cum principe viro domestico, & potente. Cuius ipsi verbis persuasi, pace renouata Agathoclem lætis animis in vrbem recipiunt. Vrbem ingressus, cum Senatu & populo ad Cereris templum perductus, more gentis ictis sacris, se nunquam amplius Reipub. infensum fore, neque cõtra eam arma sumpturum iurat: ac deinceps erga ciues comem, mitem, benignumq; se ostendebat, populi partes semper tuebatur. Qua morum immutatione illecti Syracusani, quia tum ingenio, lingua, & militia erat insignis, tum quod Amilcarem ad id authorem habebant, eum vrbis Prætorem simul & Ducem non multo post instituerunt: præsertim cum eo tempore in plures ciuium factiones vrbe diuisa, plerique ob Tyrannidis suspicionem in exilium abiissent. Agathocles itaque magistratu suscepto, ad Tyrannidem occupandam totus inhiabat, modumq; ac occasionem quærebat. Ad quam cum viros quosdam sibi aduersantes haberet, eos primum de medio tollere hac arte pergit. Contra Herbitam ciuitatem bellum se moturum simulanter edicit. postea Herbitenses quosdam patria extorres, qui in agro Herbitensi exercitum habebant, & Morgantinos multos, atque ex finitimis vrbibus mercenarios milites delegit. Milites quoque qui secum strenue contra Carthaginenses olim pugnauerant, & pluribus ab eo muneribus deuincti ad tyrãnidem occupandam, delendamque Remp. (quod perpetuo subiici populo iniquũ eis videbatur) iam secum nuper coniurauerant, ad se euocauit. Ciues præterea, qui paupertate pressi, inuidia aduersus diuites exardebant, sibi socios asciuit. Ab Amilcare demum quinque Pœnorum milia ad facinoris apparatum accepit. Eos igitur omnes cum Pisarcho & Decle, qui coniuratorum multitudini præerant, in vrbem reductos, mane ad concionem ad gymnasium (quod Timoleontis appellabatur) vocat, facunda oratione eos contra proceres suæ mentis turbatores, eo prætextu irritauit, quod populi (cuius ipse studiosissimus erat) illi fortunæ inuiderent, ac libertati, quam eousque fortiter ipse tutatus fuerat, & deinceps propter inuidorum diuitum calumnias, quibus premebatur, deserere cogeretur. Vix soluto concilio indomita militum populique turba non diutius cunctandum, sed in sui Ducis hostes irruendum conclamans, dato signo, concitatoque impetu in seditionem vertitur. Vrbis Senatum primo, mox primores ac potentiores exagitant, cædunt, irruptisque eorum ędibus prædam exportant. Ita vrbs repente tumultu, cæde, populatione repletur. Cuius facinoris ignari complures, per inordinatum rumorem e domibus exciti, vt vrbi labenti succurrerent, ad vicos forumq; festinabant. quos imparatos seditiosi milites adorti, nullo obuiantium, ac ne affinium quidem habito discrimine, genus nullum omittentes immanitatis & iniuriarum, trucidabant. Neque enimuero in tanta vrbis clade, maxima hominum nece patrata, omnique ciuitatis loco cadaueribus repleto, quisquã erat qui ad tam dirum & calamitosum spectaculum vel miseratione commoueretur, vel contra iret. Portis vrbis clausis, qui per eas profugium foras quærebant, capti vel interficiebantur, vel diripiebantur. Plurimi e mœnibus sese extra præcipites dabant, atque ad vicinas vrbes fugiendo stragem euaserunt: quorum plerique cum Sosistrato apud Agrigentinos benigne sunt recepti. Initio deinde noctis vxores, virgines, & cæteræ mulieres, omnis ignominiæ atque impudicitiæ dedecore violatæ sunt. Duobus diebus vrbe hoc pacto misere dilaniata, tertia demum luce eos qui tantæ cladi superfuerant, Agathocles captos ante se adduci fecit. Et Dinocratem quidem propter veteris beneuolentiæ nexum liberum dimisit: cæteros vero vel peremit, vel extorres patria fecit. Cæsorum numerus supra decem, fugientium vero ad sex milia fuit. Rerum omnium ac pecuniarum vis immensa abducta est. Iis immaniter gestis Agathocles milites, eosque omnes qui factioni suæ adhæserant, ad concionem vocauit. quos humanissima oratione a tantæ sæuitiæ admiratione abduxit: quippe quod non alia via peruicacibus & Reipub. libertatis perturbatoribus, quam permissa cæde obstari potuisset. Democratia (hoc est regimine populari) & non oligarchia, (ideſt paucorum magistratu, qui facile ad tyrannidem propensus est) deinceps vrbem moderandam sibi videri edixit. Et pro libertate Reipub. semet tam arduum opus non sine grauissimo & rerum & salutis

periculo

periculo aggressum: quo & ipse omni solicitudine solutus priuatam cum cæteris vitam ageret. His dictis chlamydem sericam, qua erat indutus, laceratam humi proiecit, ac se magistratu abdicauit, hortatus plebem vt cum in agmine ac prælio pro tuenda Rep. eum socium periculi accepissent, tantum adniterentur ne ex sua parte tantæ curæ deessent, viderentque quomodo postmodum optime gubernata Resp. benemeritos prosequeretur. Sed hæc omnis ex composito conficta simulatio fuit. Iam enim pro comperto habebat, multitudinem, quæ tot cædes eo authore ediderat, non aliũ nisi Agathoclem in Regem appetere. Proinde cum finẽ dicendi fecisset, tota confestim concio eum precibus vrget, oratq; ne vrbem labãtem deserat, sed imperium ipse, qui ciuis, qui dux strenuus, & qui vrbis pater hactenus fuerat, pari animo susciperet. Qui cum ad hæc nihil respõderet, sed meditantem se taciturnitate fingeret: multitudo repente elatis clamoribus Regem eũ conclamat, salutat, adorat. At ille cum se iterum Imperio ineptum, Remp. liberã fore, & non vni duntaxat illius administrationem conuenire responderet: populus eo magis, vehemẽtiusq; repetitis suffragiis, ei velut inuito regnum detulit. Demum ille multitudinis voto succumbere ea lege visus est, si tantum sibi soli imperium decernatur. vereri enim cum collegis imperare addidit, ne illis errantibus sibi error imputaretur. Cui annuente populo, Agathocles solus Rex efficitur. Initio quidem principatus non tam armis quam comitati studuit: pauperes benignitate prosecutus, muneribus pluribus affecit: in peruicaces durus animaduersor. At quanquã authoritate Regia vteretur, diadema tamen suscipere noluit, vel satellites regio more, vt cæteri Tyranni, ad sui custodiam habere: sed facilis ad eum vnicuiq; accessus aditusq;. Vasa præterea fictilia, nomine suo in ansis Græce sic impressa, AGATHOCLIS, (cuiusmodi apud Elorum anno salutis. 1555. mense Iulio, vnũ vidimus: quippe quod ipse figulus, & figulo patre genitus esset) inter aurea ponebat, nõ alias maiorum imagines, vel triumphos aut consulatus ostentans: quod glorioſius existimaret, regnum propria virtute quam hæreditate adipisci. Firmato cum ciuibus largitionum, beneuolentiæ, ac modestiæ nexibus dominatu, quo illud ampliaret, ad arma se conuertit. Erat in portu magno ingens classis, quam Syracusani antea sibi parauerãt. Qua aucta, conscriptoq; ad bellum milite instructa, finitimas vrbes repentino & inopinato insultu aggreditur & capit, sociasque etiã Carthaginensium ciuitates permittente Amilcare incursionibus, direptionibus, omnibusque iniuriis vexat. ita vt, quod iam antea priuatus inceperat, Rex quoque sine fide fuerit. Postea contra Messanam etiam mouet: cuius arcem paruo labore occupat. Pro cuius redemptione cum a ciuibus ex pacto argenti plura recepisset talenta, eam tamen ille reddere noluit: quin & reliquam vrbem per partẽ muri disiectam inuadere tentat. eoque equestri & pedestri milite misso, ipse cum classe noctu portum ingreditur. Sed Messanenses perfidiã hominis simul, & conatus præsentientes, reparato quã celerrime muro, ad custodiã vrbis militib. necessariis distributis, fortiter propugnantes, ab incepto hostẽ fœde repulerunt. Messanensi frustratus expeditione contra Mylas nauigat: oppidum obsidet, ac demũ in deditionem accipit. Quo præsidiis munito Syracusas rediit. Æstate sequenti rursus contra Messanã, sed & tum frustra bellum mouet. Syracusanorum nanq; exules, quorũ ingens manus erat ibi, & pro defensione vrbis, & in Tyranni odiũ acerrime illi obstiterunt. Interea Carthaginensium in Sicilia ciuitates, quæ ab Agathocle rupto fœdere direptæ fuerant, apud Senatum Carthaginensem Agathoclis iniurias & Amilcaris perfidiam proponentes, illum vt Tyrannum & Siciliæ vastatorem, hunc vero non modo vt Syracusarum, sed sociorum etiam proditorẽ accusant, & ni strenue succurrant, breui fœdũ Agathoclis incendiũ Amilcaris culpa conflatũ, & totam Siciliam simul cum ipsa Africa correpturum nuntiant. His querelis Carthaginenses ira perciti, legatos ad Agathoclem mittunt: qui eum de fœderis, quod cũ Amilcare inierat, violatione arguant. Illi Siciliã appulsi, pluribus vltro citroq; collatis, atq; ab Agathocle arce Messanensibus restituta, Libyam repetiere: Amilcarẽ vero secreto in vrnam coniectis suffragiis, quousq; Carthaginẽ rediret, capite dãnant. Sed ipse spontanea morte præreptus Carthaginensiũ iudicio

cio liberatus est. Agathocles post hæc Abacenam Siciliæ vrbem sociam profectus, supra quadraginta inuisos sibi ciues ibi interfecit. Interea Sosistratus & cæteri Syracusanorum exules, qui Agrigentum secesserant, Agrigentinos ad reprimendam Agathoclis tyrannidem priusquam in immensum aucta totam Siciliam inuaderet, magnopere hortati sunt, vt contra eum quam primum exercitus paretur: idque impetrarunt. Ad quod bellum Geloi & Messanenses socii conuenere. Ducem deinde tanti exercitus, cum metu Tyrannidis suos ciues haberent suspectos, maximum Cleomenis Regis filium, qui paratam in Lacedæmonia classem habebat, delegere. Is & Spartanorum inuidia, & rerum nouarum cupiditate ductus, libenter Præfecturam iniit. Lacedæmone itaque paucis nauibus soluens, Adriam Italiæ vrbem ad Apolloniorum regionem primum tenuit: quam tunc temporis a Glaucio Illyriorum Rege obsessam, pace inter Apolloniatas & Regem cõposita, liberauit. Subinde Tarentum nauigans, Tarentinos cum parata, quam habebant, classe, ad Agathoclis expugnationem socios adscripsit: cum quibus Agrigentum tandem applicuit. Eius aduentu Agrigentini magna primum affecti sunt lætitia: sed postea hominis vecordiam luxumque, ac rei militaris imperitiam, & quod dolo Sosistratum eum redarguentem ad necem depoposcerit, Syracusani, Agrigentini simul & Tarentini experti: spretum militiæ Præfectura priuarunt, lapidibusque etiam impetierunt. Cæterum ipse eorum impetu eluso, noctu cæteris ignorantibus, Agrigento sua classe soluens, Lacedæmona reuersus est. Tarentini cognito eius recessu, Tarentum & ipsi redierunt. Post hæc inter Agathoclem, & Agrigentinos, Geloos, cæterosque Siculos, suadente Amilcare pax iis legibus inita est: Vt ex Græcis Siciliæ ciuitatibus Heraclea, Selinis, & Himera Carthaginẽsium, sicut antea, ditionis essent: cæteræ vero vrbes ex seipsis regerentur: dummodo Syracusanos regiminis censores moderatoresque haberent. Pace firmata Agathocles audiens a Carthaginensibus Amilcarem ob fœdus cum eo a se initum damnatum, exercitum coegit, pedestres ad decem milia, equestres vero ad tria circiter milia: magnam quoque armorum ac sagittarum vim comparauit. Interea Sosistratus & cæteri Syracusanorum exules, qui erant Agrigenti, ob pacem nuper factam, Agrigento Messanam, quæ sola Agathocli aduersabatur, migrant. Quo rescito Agathocles Pasiphilum virum militia insignem cum classe instructa clam contra Messanam mittit. Pasiphilus inexpectatus Messanam appellens, vrbis agros populatur, ac magnam inde hominum rerumque prædam abstulit. Dehinc Messanenses ad fœdus cum Agathocle componendum hortatus, effecit vt expulsis vrbe Syracusanorum exulibus, pacem cum Agathocle fecerint: eumque magno cũ honore in vrbẽ susceperint. Agathocles Messanam ingressus humanissime primũ ciues est amplexus: postmodum vt eorum exules, qui sub eius militia meruerant, in vrbem reciperent, hortatus est. Deinde Messanenses omnes & Tauromenitanos, qui Tyrãnidi eius impedimentum allaturi videbantur, interfecit. Sed & plebs quo magis sibi eum astringerent, peregrinos omnes, quos ante ciuitate donauerant, & ei aduersabantur, eorum vrbe expellunt. Interea Carthaginenses numerosam classem in Siciliam contra Agathoclem mittunt. Cuius fama vbi ad eũ peruenit, continuo ciuitates omnes quæ Libycis parebant, inopinato bello adortus, plures vi, pleraque in deditionem obtinuit. Inter hæc Dinocrates Syracusanorum exulum (quorum ingens erat multitudo) dux, Carthaginensium aduentu, qui iam Agrigentum appulerant, fretus, Nymphodorum cum parte militum contra Centuripinos, qui nuper ad Agathoclem defecerant, emisit, facilem eius occupandæ spem in ciuibus libertatis studiosis, a quibus iam fidem acceperat, reponens. Ille itaque Centoripen noctu aggressus, omnes in oppugnando oppido vires expendit: cui ad id coniuratorum ciuium auxilia plurimum animi addiderant. Sed dum satis nimis adnititur, ab excubiarum militibus simul & sociis inter præliandũ interficitur. Agathocles his cognitis confestim Centoripen properat, ibique authores conspirationis gladio perimit. Sub hæc Carthaginensium classis Agrigento Syracusas venit: & portum magnum ingressa, a Syracusanis, qui omni opere muniti erant, bello lacessita, fœde inde abire compellitur. In portus egressũ nauem Athe-

uem Athenienſium vnam capiunt,& nautarum manus in fruſta ſecant. Inde diuulſi cum Meſſanam vela tenderent, non longe a Catana plurium nauium, ſubortarepente tempeſtate ſcopulis illiſarum,naufragium patiuntur:quæ omnes a militibus Agathoclis capiuntur. Sub id fere tempus Dinocrates Centoripe fruſtratus,cum tribus peditum,& duobus equitum milibus contra Galeriam vrbem mouit.eamque aliquandiu obſeſſam,per deditionem,pulſis ante Agathoclis militibus,qui ibi præſidio erant,accepit. Quo audito Agathocles Paſiphilum & Demophilum cum exercitu quinque milium militum ad eam recipiendam expediuit.Dinocrates & Philonides extra vrbem in aperto campo caſtrametati, ſuos in duas acies diuiſere. Vbi ab hoſtibus inuaſi fortiter ſeſe aliquantiſper,ac fere æquo Marte defenderunt.At tandem Philonide altero exulum duce cæſo, omnes eius milites fugam arripuerunt.Quo viſo Dinocrates, cum & numero & viribus inferior remanſiſſet,& ipſe fugiens ab inſequentibus hoſtibus magnam ſuorum cædē paſſus eſt.Illi vero,fugatis cæſisque hoſtibus,Galeriam nullo labore recipiunt,atque coniurationis principes trucidant. Poſt hæc Agathocles priori victoria elatus,Carthaginenſes,qui Ecnomum in agro Geloo occupauerant, toto niſu aggreſſus, turpiter inde fugauit: atque ita maxima rerum omnium præda onuſtus Syracuſas rediit, ſpoliisque Deorum templa ornauit. His rebus geſtis iam Agathocles & militum numero, & authoritate imperioq; maxime coaluerat.cuius æmulatione Carthaginenſes validam multarum triremium claſſem rurſus moliuntur. quam ex primoribus vrbis ad duo, ex Libycis ad decem milia , ex ſtipendiariis Tyrrhenis ad mille, & Balearibus funditoribus ad totidem inſtruunt : curribus præterea bellicis, ſagittis, telis, pecunia ad bellum neceſſaria, ac commeatu omni ad dimicandum opportuno roborarunt : eique Amilcarem alterum , Giſconis vtpote filium , militia peritum ducem præficiunt. Is tanto cum apparatu vix e conſpectu vrbis claſſem ſubmouerat:cum repente vis tempeſtatis exorta triremes plures, ac nauigia commeatu onerata diſiecit: reliquas vero naues ad Siculum littus impulit. quo naufragio plurimis Carthaginenſium & genere & militia claris,miſere obrutis, vrbs ipſa rumorem perlatum magno ac publico luctu,nigrisque ſaccis ſuo more induta excepit.Porro Amilcar ſedato mari ad Geloorum littus appulit. Vbi collectos milites, refectosque in concionem accitos,ad prælium cum hoſte totis viribus conſerendum hortatus eſt. Agathocles cognito hoſtium aduentu,oppida non pauca Phœnicū præſidio munit:Geloos tamen præcipue: ad quorum regionem ab Amilcare milites expoſitos audiuerat. Deinde claſſem,quam paratam habebat,in magnum Syracuſarum portum deduxit,quo Carthaginenſes peruenturos formidabat:ipſe vero cū exercitu terreſtre iter ingreſſus, in agro Geloo caſtrametatus eſt.nam in vrbem ſatis per ſe munitam ingredi ſuperuacaneum cenſuit. Verum cum paulo póſt Gelæ incolas ad ſeditionem deditionemque ſatis propenſos cognouiſſet, cum non contemnenda militum manu vrbem ingreſſus,quatuor ciuium milia interfecit: pecuniasque omnes,aurum & argentum,quod tota vrbe haberi potuit,ſub capitis mulcta ſibi tradi iuſſit.Quo facto,vrbem præſidio firmauit, exercitumque extra mœnia non longe ab hoſtium caſtris eduxit,ibiq; & ipſe ſtationes fixit. Carthaginenſes interea Ecnomum non magno ſpatio ab vrbe diſtans occupant. Agathocles e regione propugnaculum ſatis natura munitum & ipſe habebat, Phalarium appellatum.In medio vtriuſq; propugnaculi fluuius interfluebat, qui exercitibus veluti terminus quidam ac ſacer limes videbatur:eo magis quod fama per id tempus incolas per manus ducta tenebat,oraculo olim maximam hominum ſtragem ibi futuram prædictam. Quod cum nec barbaros nec Græcos lateret, etſi æquis viribus iam inuicem prope exercitus in aſpectu ſe concernerent, a traiectu tamen fluuii ſimul & prælio diu abſtinuerūt. Tandem cum Libyci milites Agathoclis exercitū incurſionibus prouocaſſent, Agathoclē in ſe incitarunt. qui ſuos ad prælium primum hortatus,atq; iuxta fluuium paratis inſidiis,in hoſtes irruit,ſuperatiſque hoſtibus maximam prædam curruum bellicorum aſportauit. Iacturæ dolore inflammati Carthaginenſes,Græcos,qui prædam abduxerant, cum ma-

gna legionis parte improuidi insequuntur, fluuioque traiecto in insidias incidunt, multisque amissis turpiter in fugam retrouertuntur: quos persecuti Græci omnes hostiliter trucidarunt. Agathocles hac victoria elatus, ne victoria abuti videretur, pugnandi opportunitate haud neglecta, omnem simul exercitum contra debilitatos hostes mouet. Quorum recenti magna cæde patrata, angulũ Ecnomi occupat. Barbari re inopinata perculsi, cum retrofugere nequirent, in aggredientes & ipsi conglobati, impetu facto, Græcos propellunt, atq; Ecnomũ iam pene captũ recuperant. Vbi cõsertis manibus, initio belli magnis animis vtrinq;, multoq; sanguine prælium est. Cæterum cum Græci ex priori impetu audẽtiores facti, magis magisq; Ecnomo appropinquarent, pedetentimq; progrederentur, in propugnaculi partẽ proreperunt. Amilcar funditores mille eis opponit. qui lapidũ artificioso proiectu tantã Agathoclis militibus cladem metumq; iniecere, vt illi Ecnomũ deserere coacti, & insequente etiam eos cum funditoribus Libyca manu castra deserere, & ingenti recepta strage, (ita vt locus qui inter vtrunq; interiacebat propugnaculũ, Græcorum cadaueribus repletus esset) ad Gelã vsque fluuium (qui mille & quingẽtis passibus a Phalario propugnaculo distabat) fugam capessere reliqui compellerentur. Vbi eos priori nihilo mitius oppressit malum. Erat nanq; in canicula æstas, & meridiei hora, cum fuga & temporis calore siti contracta, amentibus similes, abiectis armis, in amnem Gelam ad bibendum prolapsi, vitalibus aqua salsa combustis, plurimi fœdissimo mortis genere occubuerunt. ita vt iam nõ vtriusq; propugnaculi modo interuallum ex cæde, sed & tota iam fluuii ripa Græcorum cadaueribus completa cerneretur. Fuit autem cæsorum numerus, Carthaginensium quidem mille, Græcorum vero ad septem milia. Agathocles accepta miserabili clade, & afflictis planeq; perditis rebus, militum reliquiis collectis, & incenso Phalario propugnaculo, in Gelam vrbem se recepit. Fama deinde ab eo subdole simulata, dispersaq; ad hostes, relicta Gela ipsum Syracusas clam petiisse: Libyci equites Gelam venere, vt amicitiæ specie recepti vrbẽ occupare possent. Sed dum mœnibus appropinquant, a Gelois sagittis impetiti, in fœdam versi sunt fugam. Amilcar vbi frustra se circa Gelam moram trahere animaduertit, ea dimissa Siciliæ ciuitates circumpetiit, easque astuta liberalitate, vultu blando, grauitate accommodata, humanissimisque verbis in confœderationem allexit. in quam Camarinæi, Leontini, Catanẽses, Tauromenitæ, Messenii, Abacænini, pluresque aliæ vrbes quibus Agathocles erat inuisus, confestim venere. Agathocles, vbi res suas labi conspicit, relicto in Gela præsidio, prouide Syracusas petiit, ibique muros reficit, ad minorem portum turres maximas ex lapidibus exoticis constituit: denique militibus, instrumentisque bellicis, ac re frumentaria totam vrbem communit. Quo paulo post Amilcar tot ciuitatum fœdere, & viribus, & animo auctus, duram magni exercitus obsidionem perduxit. Verum Agathocles vbi ad continua prælia, longamque obsidionem imparem se videt, ingentis alioqui animi, ac feruidi audacisque ingenii vir, in Africam bellum transferre constituit, vt hostibus domestico bello pressis, citra conflictum Sicilia eriperetur. Mirum profecto, sed opportunum facinus: vt quibus in solo suo viribus erat inferior, eorum vrbi Romani Imperii æmulæ, victus bellum inferret. Animos illi faciebant, hinc suarum rerum desperatio, inde Carthaginensium ignauia, reique militaris imperitia, pacis & deliciarum amor, Libycorum contra eos odium, & immunita demum Pœnorum oppida. Huius, vt in eo consilii ingeniosum commentum, virilisque audacia, ita non minus admirabile fuit silentium. Nam nulli ciuium, militum, domesticorum demum nemini, facinus animo destinatum credidit, quousque in Libyam applicuit. Cæterum antequam Syracusis discederet, ciues suos omnes ad concionem vocatos, obsidionem ad breue tempus fortiter vt ferant, hortatur. tum inuenisse se victoriæ viam professus, tum si eorum cuiquam prementis fortunæ conditio displiceret, libere abeundi potestatem præconio pollicitus est. Sexcenti supra mille reperti sunt, qui vrbe relicta, ad alia Siciliæ oppida eo permissu transmigrarunt. Cæteros omnes commeatu & instrumentis ad obsidionem perferendam necessariis instructos, Antandro

germano

germano fratri viro militia præclaro, vna cum vrbis & belli (se absente) Præfectura, commendauit. Ante discessum quoque plerosque vrbis proceres Carthaginensium studiosos, coniurationis reos, & fortunis & vita spoliauit: cæteros vero ciues, quibus se inuisum esse pro comperto habebat, ne vrbem se absente prodere auderent, factionis cognationisque diuisione facta, alios in vrbis tutelam reliquit, alios secum in Libyam conuexit, vt seditio etiam desiderata mutuo periculi metu cohiberetur. Subinde cum ingenti pecuniæ summa ad viaticum tantumque bellum indigeret, pupillorum bona a curatoribus exegit: quæ iureiurando pubertatis tempore omnia restituturum se promiserat. A mercatoribus quoque sub fœnore quantum poterat auri argentique corrasit. Templa præterea omnia simul & principes matronas auro, armillis, mundoque muliebri exuit, duplum cum victor reuerteretur, singulis reddituris. Magno igitur talentorum numero ea arte congesto, milites quot potuit, conscripsit, vt seruos etiam ad bellum aptos libertate donatos in numerum phalangis retulerit. pedestres equestresque milites arma, equorum ephippia ac frena tantum, equos ex hoste recepturus, secum deferre iussit. Quibus rite paratis, septimo sui Imperii anno, Athenis imperante Hieromnemone, Romæ vero C. Iulio, & Qu. Æmilio Coss. Agathocles duobus adultis filiis Archagatho & Heraclide comitibus, ac magna militum manu secum assumpta, classem septuaginta nauium, quam in portu habebat, ascendit, ignaris adhuc omnibus quonam cursu iter intenderet. Quocirca varia inter Syracusanos militesque, quo veheretur, erat disceptatio: cum vulgus in Italiam, plerique ad ciuitates Siciliæ quæ ad Carthaginenses defecerant, expugnandas, eum proficisci opinarentur. omnes tamen temerariam eius vecordiam incusabant. Erat eo tempore ad fauces portus magni Carthaginensium classis, vrbem & portū obsidens: quæ per aliquot dies Agathoclis egressum remorata est. Demum cum naues quædam frumento onustæ Syracusis expectarentur, Carthaginenses cauti, vt eas priusquam commeatum in vrbem deferrēt, interciperent, cum tota classe contra soluerunt. Quibus e portu diuulsis, Agathocles concitato cursu libere egressus, in Libyam vela dirigit. classis Punica iam in conspectum onerariarū prouecta, eas paratis tormentis vexare instituerat. At vbi Agathoclis vela Carthaginenses in alto conspexere: rati quod ad suppetias onerariis ferendas festinaret, illis dimissis, retroflexis rostris, in Agathoclem vertuntur. Quem cum suo cursu allió tendere vident, incredibili celeritate veluti fugientem insequuntur. Interea frumentariæ naues periculo ereptæ Syracusas ingressæ magno omnium plausu sunt exceptæ. Hostes vero Agathoclem remigio insecuti, iam ad classem appropinquauerant, ipsamque probris & maledictis lacerabant. Sed nox superueniens, & ipsos a grauiori incepto, Agathoclemq; a captura liberauit. Sub tenebris nanq; nauigans ex hostium oculis euasit. Sequenti vero die dum recta in Libyam pergit, Sol eclipsim passus adeo cœlum tenebris inuoluit, vt noctis & diei nulla prope esset discretio. quod militum animos vehementer exterruit. sed Agathocles vt eos ad spem quam ad metum redderet procliuiores, satis arguta interpretatione ad hostium excidium (sicuti antea Timoleon) portentum pertraxit. Cum enim naturalis syderum defectus præsentium rerum mutationem portendere consueuerit, Carthaginensium autem res florerent, suæ vero id temporis iacerent, vtrarumque vicissitudinem affore per eclipsim dixit significari. Hac ostenti expositione suorum omnium mentibus excitatis, cum sex dies leni vento nauigassent, sub auroram diei septimi Carthaginensium classis eminus eos insequens apparuit. Qua Agathocles conspecta, ad prælium se parat. Carthaginenses itaque in postremas Agathoclis naues irruunt. Græci vero contra eos versi, sagittis se defendunt. Barbari deinde culcitris & tabulis suas puppes, quo sagittis obsisterent, fulcientes, ad arcus & fundas, in quibus eorum familiare erat studium, contra Græcos confugere. Maximis igitur conatibus, acrique contentione prælium committitur. At Græcorum classi, quæ & numero & viribus superior erat, plurimis Barbarorum cæsis, belli fortuna fauit. atque ita hostibus retrofugatis, Agathocles feliciter tandem Libyæ littus attigit, locoque La-

tomia (vbi lapidum erat excisio) appellato milites exposuit: vbi & naues in secessum vallo munitum subduxit. Ibi tum consilii sui detegendi tempus esse ratus, ad concilium militibus vocatis, in quo discrimine res Syracusanæ essent, in memoriam reuocauit. Pro quibus seruandis vnicum fuisse remedium, vt in hostes foris arma verterent, quæ ab iisdem ipsis domi infesta patiebantur. suas solum domi vires ipsis suffragari, foris vero etiam auxilia hostium accedere. Nam Carthaginenses diuturnitate Imperii, socios etiam suos habere æmulos: qui cum externas copias auxiliaque conspexerint, confestim contra Pœnos suas vires cum Græcis coniungent. Africæ præterea oppida nec muris cincta, nec in montibus, locis natura munitis, sed in planitie sita facilem victoriam polliceri: cum vel metu excidii contra Carthaginenses cum Græcis socia arma sument, vel properam deditionem facere compellentur. atque ita fore vt ipse iam viribus Pœnis impar, breui hinc inde ex tota Africa accedentibus confœderatis, superior fiat, præsertim in repentino inopinatoque, & nunquam alias tentato bello: ad quod Pœnos concussio & trepidatio etiam inutiles sint reddituræ. tandemque aut omnino cessuros victoribus, aut reuocato e Sicilia suorum exercitu, domi pressos Syracusarum obsidionem relicturos. Quibus multa alia id genus, quæ ad permouendos militum animos imprimis valere solent, adiunxit. His dictis accensis corroboratisque suorum animis, primum milites perspectæ fidei ad sui corporis custodiam circumposuit: mox veste purpurea indutus, ac Regio diademate redimitus, Cereri & Proserpinæ, quas olim Sicilia tutelares Deas sibi fecerat, more gentis cum omni exercitu sacra peregit. Deinde faces piceas accendi, easque sibi & singulis nauarchis deferri præcepit: atque ad victoriam, & patriæ fœlicem reditum, inuocatis Cerere & Proserpina, sine longiori deliberatione in signiferam triremem, qua ipse vehebatur, ignem iniecit, eamque combussit. quo suo exemplo, vt idem cæteri omnes nauarchi facerent, imperauit: vt scirent nullam in fuga, sed in sola victoria salutis spem fore constitutam. Quo dicto, mox igne iniecto triremes omnes sunt combustæ. Atque ita demum curatis corporibus exercitum in acies diuidit: ac contra vrbem quandam quæ magna ciuitas appellabatur, opibus & pecore ditissimam, plurimisque pagis ornatam, instar rapidi fluminis irreuocabili impetu fertur. Milites vero vrbis opulentia conspecta, per prædæ cupidinem metu propulsato, ad mœnia properant, vrbem acri oppugnatione, ne momento quidem intermissa, oppugnant. oppidani initio belli, tametsi rudes ad militiam, vt poterant, intus se defendebant. At Agathocles machinis admotis acrius mœnia quatit, & per muri partem quam discecerat, militibus immissis, non sine magna hostium cæde vrbem vi capit. quam, vt militibus fortitudinem adderet, diripiendam exercitui concessit. Prima hac victoria Syracusani animo elati, vrbem aliam non longe inde distantem petunt, eamque etiam paruo negotio capiunt. Eas vrbes, quo terrorem cæteris incuteret, Agathocles demoliri iussit. Quibus prostratis, sub dio cum suo exercitu castrametatus, ordines vigili custodia tuebatur. Interea Carthaginensium classis ab Agathocle ante superata, ad Latomias appulit. Vbi cum fragmenta Syracusanæ classis viderent, rati Græcos persequentium metu id feciſſe, non mediocriter gauisi sunt. Sed cum duas ciuitates ab eis captas ac dirutas, & Agathoclem victorem per Libyam nullo obsistente cum exercitu grassari e diuerso persensere, gaudium cum metu commutarunt. Iamque fama Agathoclis aduentus, duarumque vrbium excisarum, Carthaginem venit. Qua consternati, Amilcarem in Sicilia cum exercitu cecidisse, & Agathoclem parta ibi victoria victorem in Africam traiecisse existimarunt. Quocirca Carthaginenses, aduocata ciuium concione, quid facto opus esset, cum hostis non longe a mœnibus abesset, vrbsque milite simul & bellicis instrumentis destituere-tur, consilium capiunt. Plerisque legatos pro pace ad Agathoclem æquis conditionibus ferienda mittendos: aliis nullo pacto succumbendum, sed in quo statu res essent Syracusanorum, primo perscrutandum, ac tum demum deliberandum esse, visum est. Dum hoc modo in vrbe trepidaretur, nuntius a duce Carthaginensis classis e Syracusis missus affuit, fœlicem rerum in Sicilia gestarum progressum

sum nuntiat,& Agathoclis astutiam refert. Quibus cognitis, magna Carthaginẽsium in Amilcarem exarsit indignatio: eumque accusant, quod hostem victum in Libyam cum copiis traiicere permiserit. mox Hannonem & Bomilcarem, antiqua militaris peritiæ gloria claros, ea causa duces colligendo exercitui deligunt, quod cum priuato inter se odio flagrarent, in prodenda Agathocli Carthagine coniurare non possent. Hi itaque duces peditum quadraginta milia, equites mille, currum bellicorum duo milia comparant. cum quibus contra Agathoclem mouentes, non longe ab eius exercitu quendam montis verticem occupant: ibique exercitu in acies diuiso, Hannoni cornu dextrum, Bomilcari sinistrum est assignatũ. Cumque castrorum locus esset angustus, currus & equites ante aciem veluti iam iam pugnaturi posuerunt. Agathocles hostes ad prælium paratos videns, copias suas & ipse in acies diuidit. Dextrum cornu, & peditum duo milia, Archagatho dedit: sinistrum Syracusanis, qui supra tria milia erant. subinde stipendiarios Græcos ad tria milia, Sannites, Tyrrhenos, & Celtas ad tria quoque milia, suis etiam Ducibus & Præfectis distribuit. Ipse vero cum mille cataphractis in medio alarum Carthaginensibus se obiecit. Sagittarios præterea & funditores, qui circiter mille erant, in cornua quoque diuisit. tyrones vero, eosque qui exercitum sequebantur, virgis instruit, quæ pro armis emihus ab hostibus cõspicerentur. Quæ tamen omnia Syracusanos, conspecta Carthaginensium multitudine, quibus ipsi numero satis erant impares, a timore prohibere non potuerunt. Ideoque suorum nutationi Agathocles vt occurreret, prudens noctuas plures, quæ Græcis pro victoriæ portento (eo quod Mineruæ sacræ sunt) præsagioque habentur, clam in suum exercitum veluti cœlitus delapsas volantes immisit. Quarum aspectu Syracusani mirum in modum, & gaudio affecti, & abiecto metu animis erecti, tanquam victoriam in manu certam habentes, repente in hostes impetum faciunt. Carthaginenses lacessiti currus bellicos contra Grecos primum emittunt. Quibus Agathoclis sagittarii oppositi, sagittarum continua iaculatione adeo eos impetierunt, vt equites impetum non ferentes ad suas acies diffugerint. Quos Syracusani insecuti, plures currus cepere: in quibus manicarum viginti milia repererunt, quas Barbari pro ligandis Græcis, quos capere sperabant, parauerant. Hannonem præterea, qui fugatis equitibus peditum subsidia adduxerat, cum magna militum suorum parte confodere. Qua fortuna Carthaginenses viribus & animo lapsos, Syracusani e contrario victores, maiori nisu viribusq; Barbaros adorti, multis trucidatis cæteros in fugam compulere. Bomilcar, Carthaginensium dux alter, cognita Hannonis & suorum clade, tum quod ad Carthaginis tyrannidem aspiraret, tũ quod similem calamitatem in se suisque cohortibus pertimesceret, dimicare cum Agathocle amplius noluit: sed in verticem, vbi antea castrametatus fuerat, se recepit. Ceciderunt ea pugna Syracusanorum duo fere milia: Carthaginensium vero, cum Hannone eorum Duce, ad sex milia, vt Diodorus numerat: licet tria tantum milia Trogus tradiderit. Mirum erat, ac pene incredibile, hominem videre paulo ante in patria victum profligatumq;, iam cladis acceptæ penitus oblitum, paucis cum copiis in solo alieno contra ingentem multitudinem, veluti cœlesti numine correptum, cæso Ducum altero, cum victoria triumphare. Quod ipsum admirati Carthaginenses, cladem suam in Deorum iram referentes, ad eos placãdos se conuertunt. sacra omnibus, præsertim vero Herculi & Saturno, templis frequentatis, solito maiora parant. Herculi siquidem (quem Tyrium esse arbitrabantur) quotannis rerum omnium decimam Tyrum vsque mittere consueuerant. Quem tamen morem, cum diuitiis pollerent, successu temporis in parua quędam munera commutarant. Saturno vero prisco tempore filios pulchriores fortioresque sacrificare soliti erant: quibus tamẽ postea Gelonis lege impietatem perhorrescentis diu abstinuerunt. Quem morem licet post legislatoris mortem resumerent, non proprios, sed exteros pretio emptos, atq; ad id nutritos, mactabant. Carthaginenses igitur Herculis & Saturni iram spreta veteri religione prouocatam, hanc ipsis vindictam attulisse, atque expiandam esse culpam sacri liberalitate rati, Herculi simulacra plurima tota aurea ad Tyrum detulerunt: Saturno vero genere

& pulchritudine præcipuos quosque pueros palam immolarunt. Multi præterea ob priuata scelera damnati vltro se Saturno hostias obtulere. Erat Carthagine eius simulacrum æneum manibus extentis, palmisque apertis firmatum, ac subeo vorago ingens ignea: in quam pueri sacris addicti proiecti, flamma cessante in cinerem demum resoluebantur. His sacris sæuissimis peractis, Carthaginenses legatos ad Amilcarem in Siciliam cum combustæ Agathoclis classis reliquiis misere, ei, vt pereunti patriæ statim succurrat, imperantes. Amilcar, acceptis imperatis nil territus, ad fraudem & ipse primum se conuertit. Syracusas enim legatos cum combustæ Agathoclis classis vestigiis misit: qui ipsum cum suo exercitu in Libya periisse, eiusq; classem conflagrasse enarrent, ostensisq; incendii signis ciues ad deditionem hortentur. Ciuitas simulatam Agathoclis cladem certo credens, ob suorum occubitus tristitia trepidationeq; repleta est. Sed Antander Agathoclis frater, qui vrbi præerat, animi fortitudine præcellens, expulsis magno cum dedecore Amilcaris legatis, plebem in fide atque constantia continuit, ea omnia Punicę fraudis (sicuti erant) commenta esse prędicans. Deinde, ne seditionis fomites vltra procederent, consanguineos amicosque Syracusanorum exulum, qui octo ferme fuerunt millia, vrbe expulit. Amilcar, ad quem plerique exulum transfugerant, trepidatione Syracusanorum per eos cognita, cum omnibus copiis ad vrbem appropinquans, primum eos ad deditionem suasit: cumq; ciues in partes varias raperentur, plerisque deditionem faciendam, aliis certæ fidei nuntium auditæ cladis expectandum asserentibus, machinis aduectis vrbem expugnare statuit. Sed dum hæc in Sicilia geruntur, Agathocles eo rerum successu factus alacrior, duas triremes cum Nearcho Præfecto Syracusas expediuit, qui fortunatissimum victoriæ cursum ciuibus nuntiaret. Hic itaque quinto die e Libya cum militibus coronatis & pæana canentibus, noctu in Syracusanum portum applicuit. Amilcaris excubiæ, vt triremes inexpectatas vident, in eas protinus irruunt, atque simul pugnant. Fama duarum triremium aduentus tota vrbe sparsa, ciues lætos audentioresque ad portum euocauit. Syracusani vbi socios cum hostibus dimicantes cernunt, ad strenue pugnandum magnis editisq; vocibus suos hortantur. In ea pugna triremium altera parum abfuit quin a Carthaginensibus caperetur. Tandem fortiter triremes resistendo, periculo ereptæ, ad littus peruenerunt. Amilcar vero veteris astutiæ non oblitus, vt omnem prope ciuitatem in portum ad spectandum confluxisse vidit, ratus (vt verisimile erat) aliquam murorum vrbis partem a custodibus derelictam esse, obseruato prospectu, electos milites cum scalis ad muros desertos misit. Qui mœnia & partem propugnaculi (nemine aut vidente aut obsistente) facile occuparunt. Sed cum forte fortuna eadem hora commeatus vrbis portitores ea transeuntes rem vidissent, hostem muros ascendisse elatis clamoribus produnt. Syracusani ad eorum vocem magno statim impetu exciti, pugna ad mœnia summo animorum vigore conserta, hostium auxilia præuenientes, multos Carthaginensium interfecere, & plerosque etiame mœnibus telis & præcipiti impulsu deiecere. Amilcar hoc pacto reiectus, omissa potiundæ vrbis spe, e suo exercitu militum quinque milia Carthaginem subsidio misit. Dum hæc apud Syracusas fœliciter peraguntur, Agathocles non longe a Carthagine plura oppida vi, pleraque sese vltro per odium quo Carthaginenses prosequebantur, dedentia accepit. Subinde Tunetum oppidum (quod 15. p. m. a Carthagine distat) cepit. Vbi relicto militum præsidio ad maritimas ciuitates descendit. Quarum vnam quę Neapolis appellabatur, magna vi expugnauit. Sed humanitate erga ciues maxima vsus, eam illis munitam reddidit. Promontoriũ quoque Taphitis, & eius collem cui a forma Aspis nomen est, occupauit. Quem quod natura munitissimus esset, ad suam diutinam habitationem (lib. 17. teste Strabone) sibi delegit. Deinde Adrymetum vrbem obsedit. vbi dum in stationibus ageret, Lilymam Libycorum Regem in fœdus ac societatem secum asciuit. Carthaginenses Adrymeti obsidione cognita, cum copiis & bellicis instrumentis Carthagine egressi Tunetum pergunt, illudque magnis viribus oppugnant. Quo cognito, Agathocles ad Adrymetum parte exercitus relicta, cum reliqua cl-

uum

uum quendam inter Tunetum & Adrymetum, vnde ab Adrymetinis & Carthaginensibus Tunetum oppugnantibus videri facile posset, ascendit. Vbi per noctem plura lumina, ingentesque ignes accendit, acsi maximum secum ibidem exercitum haberet: quo sic & Carthaginenses & Adrymetinos terreret. Carthaginenses enim ignibus eminus conspectis, ingenti metu perculsi, dimissa Tuneti obsidione, & relictis etiam ibi tormentis bellicis, fœda fuga confestim inde discedentes, domum sunt regressi. Adrymetini etiam eo commento ludificati, eodem die deditionem fecerunt. Adrymeto capto, Agathocles Thapsum aggressus vrbem vi cepit. Thapsiorum deinde auxilio plures finitimas vrbes adeptus est. Hoc rerum ordine ad interiora Libyæ loca, maxima militum manu instructus contendit. Interea cum militum quinque milia, quæ Amilcar titubanti patriæ remiserat, Carthaginem venissent, cognito Agathoclis discessu, Carthaginenses iusto exercitu coaptato, rursus ad Tunetum obsidendum se parant: & receptis ante quibusdam oppidis, quę ad hostem defecerant, dura obsidione illud premunt. Agathocles de his omnibus per suos certior factus, magnis itineribus, nec noctẽ nec diem quieti dando reuersus, repentinus ac improuisus ad Tunetum in Carthaginenses absque ordine palantes irruit: eorumq; duobus fere milibus interfectis, magnam etiam multitudinem cepit. Post hæc Lilymam Regem, qui interea fœdus violauerat, magno exercitu adortus superat, ipsumque cum magno Libycorum numero trucidat. Dum hæc in Libya fœlici Marte ab Agathocle geruntur, Amilcar in Sicilia cum plura Syracusis finitima recepisset oppida, contractis quantum poterat militum copiis, & Dinocrate constituto equitum Præfecto, ad oppugnandam vrbem magno studio properabat, oraculi vaticinio, siue in somnis voce audita (vt lib. 1. de diuinatione refert Cicero) fretus, quæ eum postridie Syracusis cœnaturum prædixerat. Antander hostium aduentum prædoctus, speculatoribus fidei tessera data solenni, tria peditum milia, pluresque equites, noctu contra eos clam eduxit. Diuiserat Amilcar in duas exercitũ acies, in Barbaros & Græcos exules. Qui omnes vtrunque Ducem, sed absque ordine sequebantur. Cumq; nimia festinatione per angustas vias tumultuarie procederent, & alter alterum præirẽ satageret, insolitum strepitum edebant. quo Syracusani, qui in Euryelo præsidia tuebantur, exciti, in obuios irruunt: eosq; ex eminentiori latiorique loco quam facillime repellebant, & in locorum angustias repressos præcipites egerant. Carthaginenses iis periculis irretiti, in fugam vertuntur: quæ & ipsa miseris exitiosa fuit. Nam cum per tenebras se mutuo non agnoscerent, in hostes sese illapsos rati, cædendo angustias perrumpere conabantur, suisq; se ipsos gladiis mutuo perimebant. Amilcar vero, consiliorum inops, (vt in arduis fere fit) a suis, dum dimicationi potius quam fugæ fortiter studet, deseritur. Cumque vndique euadendi facultas ei adimeretur, a Syracusanis circunseptus capitur, & arctissime vinctus in vrbẽ ducitur, oraculo siue somnio a se perperam interpretato fidem daturus. Illucescente deinde per plateas ignominiose tractus, ab irruente plebe interficitur: eiusque abscissa ceruice, caput per compita viarum primum omnium ludibrio traducitur, mox in Libyam ad Agathoclem mittitur, veluti fœlicissimæ inopinæque victoriæ certum indicium. Carthaginenses accepta clade, & Duce amisso, cum Græcis dimicare amplius non sunt ausi. Sed ne capite destituti facile dissiparentur, eos cęso sufficiunt, qui secundam post Annibalem in exercitu dignitatem habebant. Syracusanorum vero exules Dinocratem in Præfectura confirmant. Interea Agrigentini cognita Carthaginensium calamitate, & imbecilli Syracusanorum potentia, quam commeatus inopia sustinere vltra vix poterant, principatum in Sicilia sibi vendicare pergunt. Ad id igitur exercitum ingentem comparant: cui Xenodicum ducem præficiunt, atque ad libertatem omnes Sicilię vrbes edicto publico vindicant: vt beneficio potius quam vi rerum Sicilienſium summam promeruisse, non coegisse sibi viderentur. Xenodicus primũ contra Gelam mouet: vrbem auxilio atque tractatu quorundam ciuium noctu ingreditur. vbi magna pecuniæ vi factus opulentior, ciuibus libertatem donat. qui ea gratia deuincti, cum Agrigentinis consociantur: atq; vna cum eis per circumuicinas vrbes

egressi, omnes liberas faciunt. Sed & cæteræ Siciliæ ciuitates, vulgata Agrigentinorum & potentia & officio, vltro eis pro libertate adipiscenda iunguntur. Ennæi deditionem cum fecissent, liberi quoque sunt facti. Inde Agrigentini Erbessum, oppidum natura & arte munitum, magnis viribus aggressi, multis barbarorũ cęsis, expugnatum libertati restituunt. Dum hæc Agrigentini tam fœlicissimo, quam etiam celerrimo fortunæ cursu gerunt, Agathoclis milites, qui Syracusis & in aliis erant oppidis, rerum omnium penuria, & annonæ præsertim caritate pressi, finitimos agros, ciuitatesque populabantur. Quorum rapinas Leontini & Camerinæi exosi, Agrigentinis confœderantur. quibus sociis Xenodicus instructus, cõfestim contra Agathoclis milites, ne pubescerent, mouet, atque pernicioſam eorũ rabiem latrocinandiq; licentiam magno exercitu depressit. Inde progressus Echetlam vrbem obsedit: quam magna vi expugnatam, constituta ibi Rep. a seruitute asseruit. Iamque Xenodicus pluribus ciuitatibus a Carthaginensium & Syracusanorum iugo ereptis, hostibus tantum incusserat metum, ut quocunque pergeret, oppida & munitissimas etiam vrbes sibi sine vllo fere negotio subigeret. Interea Syracusani rei frumentariæ pressura coacti, plures onerarias ad vrbes in latere meridionali sitas pro tritico miserunt: quibus viginti triremes præsidiarias adiunxere. Quo cognito Carthaginenses, qui & ipsi aliquot rostratas habebant, in triremes Syracusanas exeunt, atque eas vsq; ad Iunonis templum, quod iuxta littus vrbis erat, insecuti, iniectis ferreis manicis decem ex eis capiunt: reliquę vero militum subsidiis, qui ex vrbe prodierant, portum incolumes subiere. Dum hæc in Sicilia rerum esset agitatio, in Libya Agathocles, qui mira belli facinora patrauerat, subequitans Carthaginensibus insultabat, atque ad animi deiectionem contumeliis, ludibriisque plurimis ostenso eis Amilcaris capite, quod ad lanceæ cuspidem fixum ferebat, prouocabat. Qui viso Ducis capite, animis concidunt, luctu replent omnia, ac templa (veluti iamiam extremam passuri cladem) frequentant, & sacra offerunt. Græci contra Pæana canebant, ouantiumque more victoriam, quam in manu tenere se arbitrabantur, personabant. Sed dum satis nimis Agathocles se effert, fortunæ inconstantiã vindictamque est expertus. Erat inter exercitus duces Lyciscus quidã, vir animo præstans, & militia strenuus, multisque victoriis in hoc bello insignis. Is inter cœnandum vino obrutus (vt sunt quorundam ebriorum ingenia ad contumelias rixasque procliuia) maledictis conuitiisq; Agathoclem incessit. Quem cum ipse tempori se accommodans non modo patienter, sed & vt per iocum oblocutum tulisset, Archagathus eius filius (vt erat iuuenis, ac incontinentioris ferociorisque animi) parentis iniuriam non ferens, Lyciscum ingenue increpando, temeritatis accusando, conuitia denique retorquendo acriter repressit, ac demum maledictis & ipsum aggreditur. Ille per ebrietatem etiam Archagathi verbis factus insolẽtior, matris adulterium cum eo commissum, passimque notum exprobrat. Archagathus improperio in furorem actus, repente in temulentum irruens, actaque per latus lancea, eum lethaliter transfixit. Necato Lyciſco exercitus ferme omnis illius studiosissimus in arma prouolat, atque Archagathum ad meritam mortem deposcunt. Quem cum eis Agathocles dare recusaret, in seditionem versi milites stipendia ab eo non soluta exigunt. Quibus non receptis, ab eo desciscunt, atque extemplo vrbem Tunetum inuadentes sibi occupant, tumultuarioque præsidio muniunt. Carthaginenses seditione Græcorum audita, per legatos mox eos ad societatem maxima mercede inuitant. Iamque in procinctu erat vt ad hostes transmigrarent, cũ Agathocles veritus ne (quod proculdubio futurum erat) milites bello exercitatissimi ad hostes transirent, sibiq; ad extremum omni belli mole diuulsa exitium struerent, tum præuidens nihil in conatibus subitis conuenientius quam remedii celeritatem, vt truces militum animos leniret, seipsum in discrimen iniecit: satius sibi fore a suis, quam ab hoste perimi ratus, sagaci & callida opitulatione rebus labantibus consuluit. Proiecta nanque veste purpurea sordidam indutus, in medium militum agmen solus erupit. Vbi præ rei nouitate suspensis commilitonum animis, factaque ei dicendi copia, e saxeo suggesto fidentior (vt apparebat) solito, artificiosa oratione eos mira

(qua

qua vigebat)facundia primum ad pacationem inducere conatus, omnia se ad eorum votum facturum,& non modo Archagatho filio,sed sibi etiam ipsi diem dicturum pollicitus est. mox euaginato ense semet confodere velle simulauit. Milites porro hoc horrendo spectaculo perculsi, perfidia deposita, tum ad Agathoclem a nece præseruandum,clamores etiam dehortantes præmittendo, certatim accurrunt,leuitatis ipsum insimulant, ac demũ Lyciſci mortem Archagatho cõdonant: Regiam vt ipse vestem resumat, ac bellum contra hostes lætis animis prosequatur,hortati. humana esse hæc omnia, & frequenter in bello accidere edicunt. Sedata hac arte militum seditione, Agathocles dimicandi occasionem ex eo tumultu oblatam non omisit. Nam cum sciret Carthaginenses ob fœdus initum, Græcorum militum expectatione improuisos esse, (quippe qui hostem nullum iam amplius haberent) omnem exercitum contra eos mouet. Barbari spe decepti, vix armis sumptis, acies & ipsi diuidunt. Quos Agathocles adortus, magno facto impetu, plurimis cæsis fudit fugauitque. Parta victoria seditionis authores, quibus Clinon Dux præerat, veriti ne Agathocles vltimo in eos supplicio animaduerteret,ad Carthaginenses transfugerunt. Quo cognito Agathocles, assumptis peditum octo, equitum vero viginti milibus, & curribus bellicis tredecim, relicto ad Tunetum Archagatho filio, ingenti cum exercitu hostium terga secutus est. Illi vero numero superiores primum ad Zuphonæ agros castrametati sunt: mox ad propinquum montis verticem, profundis specubus, difficili ascensu, & aquarum commoditate probe a natura munitum, ascenderunt. Qui cum Agathoclis exercitum fluuium quendam traiecisse vidissent, armati contra eos impetu feruntur,ac ex eis multos perimunt. Sed Agathoclis milites, qui corporis & animi viribus præstabant, acerrime obsistentes,tandem illos præcipiti fuga ad montis propugnaculum conuertunt,solum transfugis cum Clinone eorum Duce se strenue defendentibus. Tandem Agathocles plurimis illorum interfectis,reliquos(qui mille ferme erant, quorum plerique Syracusani erant) viuos cepit. Deinde contra Pœnos, qui ad verticem profugerant, mouit. Sed cum locus ille natura insuperabilis esset, parum abfuit quin ab hostibus Agathocles caperetur: fortiter tamen dimicando periculum euasit. Erant in vtroque exercitu Nomades multi Libyæ populi, qui ex gregibus veluti pastores viuunt. Hi cum belli discrimina moleste ferrent,militia relicta, in insidiis ad prædam se posuerunt. vnde cum Agathoclem longe esse a suo exercitu animaduertissent, in Græcos egressi,pluribus illorum cęsis, spolia etiam multa & ampla tulere. Agathocles hoc cognito, exercitum suum reducit,atque multitudine equitatus sui in hostes discissa, prædantium terga inuadit,& multa spolia recuperat, quæ postea inter milites distributa sunt. nocte tamen superueniente Nomadum plures cum cætera præda tuto abierunt. Post hæc Græcos mille transfugas, quos viuos eum cepisse retulimus, in arce posuit,supplicium de illis suo tempore sumpturus: sed illi noctu custodibus cæsis, arcem sibi occupant. Sed Agathocles ad artem conuersus, blando sermone ita eos pellexit,vt arcem ac se ipsos sibi iuramento dederint: quos tamen postmodum violata fide omnes peremit. Interea cum res Carthaginensium domi forisque in præceps laberentur, non solum tributarii,sed & Reges etiam eorum socii, fœderis iura non fide sed rerum successu metientes, a Pœnis ad Agathoclem deficiebant. Erat eo tempore inter Libyæ Reges Ophellas Cyrenaicæ regionis Rex,qui antea cum Alexandro magno fœdus inierat, totaque Cyrenaica prouincia magna potentia potiebatur. Est etenim Africa tertia pars orbis, in 14. regiones hoc ordine ab occasu diuisa: nimirum in Mauritaniam Tingitanicam,Mauritaniam Cæsariensem,Numidiam,Aphricam,Cyrenaicam,Marmaricam,Libyam,Ægyptum inferiorem,Gętuliam,Libyam Africæ,Ægyptum Thebaidem, Libyam interiorem, Æthiopiam Ægyptiacam, & Æthiopiam extremam. Agathocles igitur Ophellam Cyrenaicæ regionis Regem per Orthonem Syracusanum ad belli societatem contra Carthaginenses inuitat, pactus, vt Sicilia

sibi, Africa illi tota victis Carthaginensibus cedat. Non enim spe Africæ possidendæ (cum tam lato & immenso pelago a Sicilia dissideat) se bellum cum Pœnis gerere, sed inuitum detrectantemque affirmabat, & vt tuto Sicilia potiri posset, & Italia vicinior esset, quam facile, si ampliandi imperii cupidine teneretur, subiicere posset. Atque his Ophellam, improba imperii Africani auiditate iam multo ante æstuantem, ad confœderationem impulit. Ophellas icto quam primum cum Agathocle fœdere, Athenienses etiam causa Euthydicæ vxoris (quam ei Miltiades Athenienſis pater desponderat) cognatos & iure coniugii affines, per legatos pro auxiliis ad expeditionem contra Pœnos solicitat. Quæ Athenienses & Libyci regni (quod iure hereditario sibi deberi asserebant) & prædæ ingentis ex Carthagine asportandæ spe, non recusarunt. Ophellas itaque contractis poditatus supra decem, equitatus viginti, curruum tredecim, aurigarum vndeuiginti milibus, (quos omnes liberi & vxores sequebantur) cum ingenti exercitu ad Agathoclem se conferebat. Cumque decem & octo dierum spatio trecenta septuaginta fere passuum milia confecisset, ad Automolas castrametatus est iuxta montem excelsum & vndique præruptum: in cuius vertice vorago est immensa, qua quædam rupes acuta exurgit, sub cuius radice antrum erat ingens hedera & similagine tectum, vbi prisci Lamiam fabulantur fuisse. Inde progressus, duorum mensium itinere demum ad exercitum Græcorum appropinquauit. Quod vbi Agathocles cognouit, summo cum honore illi occurrit, commeatum & cætera necessaria submini strans. Qui viso tanti exercitus apparatu, rapaci eius sibi vendicandi libidine statim rapitur. Itaque ad patrandum facinus blando prius alloquio Ophellam sibi conciliauit, deinde ad adoptandum Archagathũ filium, eum inducere studet. Post hæc dum maior Ophellæ exercitus pars in Carthaginensis agri pro commeatu contrahendo excursionibus esset occupata, incautum improuisumque Ophellam proditionis insimulat, atque cum toto suo exercitu ex inopinato impetit. Ophellas inspectato casu ab amico proditorie perculsus, animo ob atrocitatem rei deiicitur: & licet resumptis animis, parua militum manu (quam secum retinuerat) primis insultibus obstitisset, quia tamen viribus & militum numero satis erat inferior, strenue pugnans inter dimicandum occisus est. Ophella cæso, eius exercitus quam maxime contra Agathoclem turbatus est. Quos ipse, exaggerata proditione, quam in se Ophellas tentauerat, non multo negotio primum placatos, mox muneribus & pollicitationibus ad se pertraxit, & cum suis copiis iunxit. Interea Bomilcar veteris de Carthagine occupanda cupidinis flamma accensus, tempus exequendi facinoris idoneum ratus, veritusque ne primores vrbis ac milites in suam perniciem concitaret, proceres ad compescendos Nomadum ausus, (qui omnia longe lateque populabantur) milites vero Neapoli vrbi (quæ non longe a veteri Carthagine aberat) præsidium misit. Deinde cum mille stipendiariis militibus, in quibus imperii occupandi certam sibi fidem firmauerat, vrbem imparatam nullamque proditionem metuentem inuadit, omnesque ciues quotquot per vicos obuiam habuit, trucidat. Carthaginenses fraudis ignari, primo Syracusanos vrbem ingressos sunt arbitrati: sed cum dolum deprehenderunt, agminatim ad forum confluxere. Ibi coniunctis viribus Bomilcarem cæterosque seditiosos adorti, eorum plures occidunt, reliquos vero ad vrbis angusta munitaque natura loca reductos, dura obsidione premunt. Vbi venia promissa factiosos ad deditionem capiunt: Bomilcarem vero verberibus percussum vltimo supplicio afficiunt: atque ita a motibus cœptis & tyrannide patriam fortiter liberant. Dum hæc in vrbe geruntur, Agathocles horum ignarus, spoliis quæ ceperat, & Cyrenaicis militibus, qui ad bellum minus apti sibi videbantur, naues quasdam instructas Syracusas mittit: quarum quædam tempestate suborta, iuxta Pithecusam insulam (quæ Iscla est hodie) naufragio perierunt, cæteræ Syracusas applicuerunt. Ipse vero dum prospero in Africa successu, iam satis imperii, opum simul, & virium esset adeptus, regio Africæ diademate a militibus insigniri se fecit,

atque

atque ita Rex Africæ est salutatus. Post hæc inter Carthaginem & Vticam medio ferme tractu ad belli vsum Hippargetem arcem, quam mare alluebat, mœnibus & portu nobilem construxit. Subinde contra Itycæos, qui ab eo desciuerant, contendit. Itycenses exercitu in acies diuiso, extra mœnia magno animo illum expectarunt. Sed conserto bello cum inferiores essent numero, inferiores quoque in pugna fiunt, superatique deditionem promissa vrbe faciunt. Verum qui in vrbe remanserant, deditionem temere a periclitantibus pactam recusantes, assidue tormentis bellicis se tuebantur. quorum pertinaciæ Agathocles despectu, aggere ante mœnia structo, Itycæos quotquot paulo ante ceperat, in obiectum vrbis posuit: ratus quod ciues, qui intra mœnia se defendebant, ne suos interficere cogerentur, a pilarum eiectione abstinerent, & ad gratiam potius quam ad vim confugerent. Itycæi e contra, minus paucos e suis quam totam vrbem perimi existimantes, non impigrius postea quam antea e mœnibus hostem repellebant: ita vt ne suis quidem patribus, filiis & agnatis in lapidum missiliumque iactibus parcerent. Frustratus hoc commento Agathocles, in extructo propugnaculo plures ex funditoribus & sagittariis selectos ordinauit, vrbemque inde quatere, & ciues lacessere iussit. ipse vero cum toto exercitu mœnibus vicinior factus, vrbem adoritur, eamque magna vi (disiectis muris) cepit. Vrbe potitus ciues omnes quotquot vel in domibus, vel in templis reppererit, spreta religione interfecit. Munitaque præsidio Ityce, ad Hippocram vrbem palude circunseptam exercitum duxit. eamque e terra & stagno aliquandiu laceßitam tandem expugnauit: ac deinde plures alias fœlici marte vrbes tum maritimas tum mediterraneas cepit. Et cum Libyam eo tempore quatuor discretæ nationes incolerent, vtpote Phœnices, qui Carthaginem circumhabitant, Libophœnices, qui littora tenent, Libes vetustißimi & olim potentißimi, ac Nomades, qui Libyæ deserta incolunt: omnes Agathocles præter Nomades sibi subiecit. Hi enim cum proprias vrbes nõ haberent, inconstanti sede libere semper passim vagabantur. Profligatis Carthaginensium rebus, nihil actum in Africa Agathocles existimans, si Syracusæ vlterius obsiderentur, tradito Archagatho filio in Libya exercitu, cum classe, quam tumultuarie instruxerat, Syracusas nauigauit. Cuius aduentu cognito, Xenodicus Agrigentinorum Dux cum decem peditum milibus, & equitibus mille contra eum mouit. Erant in Agathoclis exercitu pedites ducenti supra octo milia, equites vero mille & ducenti. Non longe igitur ab Agrigento dubio marte aliquandiu pugnatum est. Tandem Syracusani audentiores facti, Xenodicum profligant, atque Agrigentum vsque insequuntur. Ceciderunt in eo conflictu Xenodicei pedites mille, Syracusanorum autem nullus. Agathocles victor ex Agrigentinis agris Selinunta mouens, Heracleam vrbem (quam Xenodicus libertate donauerat) recepit. Sub inde ad latus Siciliæ aquilonare progressus, Himerenses a Carthaginensium imperio socios sibi asciuit. mox Cephalœdim oppugnans, amisso in oppugnatione Leptine militum duce, vi tandem oppidum cepit. Tum mediterranea ingressus, nactu Centoripen venit: quam statim sibi a pleriſque sui studiosis patefactis portis, ingressus est. Sed qui in duabus arcibus præsidio erant selecti milites, in vrbis captæ auxilium erumpentes, ex omni parte in Agathoclem facto impetu, mille ex eius militibus cæsis ipsum fœde ab vrbe fugere coegere. Centoripe fugatus, ab Apolloniatis quibusdam accitus, Apolloniam vrbem (quæ non longe aberat) contendit. Sed proditione patefacta, proditores capti morte mulctati sunt. At Agathocles excandescens, vrbem obsidione primum, mox machinis bellicis aggressus, tandem non paucis suorum interemptis expugnat. Vbi Apolloniatas omnes qui sibi infensi fuerant, trucidauit, eorumque opes ærario adscripsit. Sub hæc Dinocrates Agrigentinos ac plures alios ad rerum nouarum studium solicitabat. Quocirca concurrentibus ad eum Agrigentinis, ac complurib⁹ ex aliis vrbibus, peditum viginti milia, equitum vero mille & ducentos comparat. cum quibus contra Agathoclem in aciem prodit. Verum Agatho-

cles, etsi viribus esset inferior, callide tamẽ dimicationem pugnando dissimulauit. Dum hæc in Sicilia geruntur, in Africa Archagathus Agathoclis filius exercitum cum Eumacho Duce ad Toccam (amplissimam superioris Libyæ vrbem) misit. Qua sine vllo fere discrime capta, Nomades etiam finitimos expugnauit. Inde Eumachus mouens Phellinen & Meschelam maximas ciuitates, & populos Asphodelodes qui eam regionem incolebant, cepit. Acranhippu postea vrbem, quæ & Acrida dicebatur, aliquandiu sibi obsistentem tandem obtinuit, & in prædam militibus dedit. Meltinen deinde vrbẽ adortus, multis suorũ trucidatis, a Barbaris fœde repulsus est. Excelso Cercopithecorũ monte deinde emenso, ad eam regionẽ venit vbi tres erant vrbes, quę a simiis (quas vesano errore ducti incolę pro deabus, velut Ægyptii canes, adorabant) Pithecusæ nominabantur. Horum vna solũ capta populataque, cæteras duas natura & arte supra modum munitas expugnare cum nequisset, ad littoralem oram descendit. Interea Carthaginenses, cum obsidione & inopia commeatus premerentur, vt præsenti periculo leuarentur, exercitum Duce Hannone in tres partes diuisum ad littoralia, mediterranea, & ad superiora Libyæ loca emittũt. Archagathus his acceptis, exercitum suum in tres & ipse discriminauit acies. Æschrionem enim ducem cum selectissimis militibus ad Tunetum præsidio reliquit: partem aliam ad maritima loca educi iussit: tertiam secum, tribus ferme passuum milibus ab illis distans, retinuit. Hanno igitur paratis prius insidiis Æschrionem est aggressus. Cuius peditum quatuor milibus, equitibus vero mille occisis, victor euasit. Himilco alter Carthaginensium Dux, qui vrbem tutabatur, Hannonis victoria audacior factus, præstructis insidiis cum reliqua copiarum parte extra vrbem egressus est. Quod cum Eumachus, qui cum octo peditum milibus, & equitibus mille pro mœnibus erat, intellexisset, statim in eum se conuertit. Quem Himilco dissimulata fuga vsque ad locum insidiarum deduxit. Vbi repente per dissilientes ex insidiis milites a tergo, ab Himilcone vero retrouerso a fronte, inuasus circunseptusq;, vix ad collem propinquum asperrimum & aquis indigum profugere potuit. Vbi dura obsidione a Carthaginensibus cinctus, tandem cum toto suo exercitu (præter equites quadraginta, & pedites triginta, qui in pugna occubuerant) ab hostibus captus est. Cuius res gesta vbi Libyam peruasit, sociæ Græcorum vrbes continuo fœderis obliti, ad Carthaginenses etiam fortuna defecerunt. Archagathus vero hac clade perculsus Tunetũ rediit, & per nuntiũ quamprimũ Agathocli rerum mutatam vicissitudinem, & vt suppetias sibi transmitteret, significauit. Himilco victorię nouitate elatus, & Atharbus vnus ex Carthaginẽsibus Dux: cum intellexisset Archagathum viribus fractum, ad Tunetum salutem sibi quęsisse, collecto cõfestim exercitu contra eum mouent, atq; nõ longe a Tuneto eũ adoriuntur. Verũ locorum angustia Græcos defendente, barbari, quos expugnare non poterant, obsidione cinxerunt. Quo euenit vt Græci commeatus penuriam paterẽtur, Carthaginensibus littoralia omnia tenentibus. Interea Agathocles nuntio ab Archagatho accepto, cum res eius quoq; in Sicilia in deterius tenderent, Dinocrate exulum Duce omnes ciuitates ad libertatem prouocante, commendato militibus qui cum Leptine Duce erant Siculo bello, cum decem & septem triremibus, ac decem & octo auxiliaribus nauibus (quas a Tyrrhenis impetrauerat) delectaq; militum manu, in Libyam reuerti statuit. Carthaginenses præcognito Agathoclis reditu, viginti quinque triremes armis & militibus probe refertas contra eius apparatum in Siculum fretum legant. Quibus in alto prospectis, Agathocles classe sua in duas partes diuisa contra Carthaginensium naues procedit, easq; in medio ponit. Illi viso velorum numero ingenti timore percelluntur, fugamque accelerant. Sed ipse fugientium terga remis assecutus quinq; ex eis cepit. Carthaginensis Præfectus, qui in Prætoria erat, veritus ne in Agathoclis manus veniret, eiusque sæuitiam experiretur, manus in semet iniiciens, gladio se transfixit. Prætoria vero ipsa nauis cum reliquis celerrimo cursu Carthaginem

thaginem incolumis rediit. Parta bello nauali victoria, & mari tuto ab hostibus reddito, Agathocles magnam frumenti copiam Syracusas asportari fecit, Leptinemque misit vt summis conatibus contra Agrigentum & cæteras inimicas vrbes egressus, eorum agros hostiliter popularetur. Xenodochus Agrigentinorum Dux ob cladem acceptam cum apud suos in despectu esset, clam Leptinem & ipse ad Agrigenti populationem inuitat. cui ad id auxilium suum pollicetur. Igitur Leptines Agrigentum petit, omnia vastat, Xenodocho nullas neq; ei neque suis suppetias ferente. Verum cum a suis tandem contumeliis ob id impeteretur, (siue pudore suffusus, siue victoriæ cupidine accensus incertum) repente contra fidem datã cum suis militibus Leptinem adoritur. Cuius conatus Leptines paruo negotio repressit, superatumque ad Gelam vsque fugauit. Ita Agathocles terra & mari in Sicilia superatis hostibus, in Libyam concepto itinere redire statuit. Sed ante cum quosdam Syracusis sibi haberet inuisos, veritus ne se absente aliquid proditionis in vrbe molirentur: quingentos ex eis occidit, atque ita in Libyam cum magna, quam parauerat, classe reuertitur. Vbi statim seditione militum, quibus stipendiorum solutio in patris aduentum ab Archagatho fuerat reiecta, excipitur. Porro milites ipse ad concionem vocatos blandis verbis permulsit, stipendia illis nõ a se efflagitanda, sed ab hoste quærenda esse: communem victoriam, communem prædam futuram, modo dum belli reliquiæ peragũtur, paululum anniterentur, præsertim cum sciant captam Carthaginem spem omnium expleturã. Hac expectatione sedato militari tumultu, ex Græcis sex milia, ex Celtis, Sannitibus & Tyrrhenis totidem, ex Libycis ad decem milia pedites, equites supra mille quingentos coegit: currus vero Libycos supra sex milia instruxit. Subinde contra Carthaginenses, qui in locis natura munitis, & commeatu refertis castrametati erant, exercitum educit. Sed cum ob locorum angustiam Agathocles omnino pugnare cogeretur, Barbaros aggreditur, & initio quidem pugnæ strenue dimicauit: processu vero, cum Carthaginenses militum numero præstarent, & situ ipso defenderentur, fortissime resistendo Græcos primum retro pedem ferre compellunt: mox (quinq; Libycorum milibus Agathoclem deserentibus) tria hostium milia cędũt: reliquos vero cum ipso Agathocle fugant. Cæterum cum parta victoria captiuorum corpora, & quidem speciosissima, suo more Saturno sacrificaturi focis ignẽ subiecissent, flamma quidem hostes primum absumpsit: sed vento deinde elata omnia Carthaginensium tentoria & ipsam quoq; aram, ac plurimos Barbarorum exussit. Ita nefarium ac sæuum sacrificium offerentibus extitit sæuissimum. Libyci præterea milites, qui fœdus Agathocli violauerant, cum noctu Carthaginẽ tenderent, a Pœnis pro hostibus existimati, inimico impetu inuaduntur. Inita pugna ex sociis vtrinque ad quinque milia ceciderunt. Errore tandem cognito, qui ex Libycis superfuerunt, vrbem sunt ingressi. Eadem nocte ignis Agathoclis tabernacula inuasit, omniaque passim exussit. Carthaginenses visis Græcorum incendiis fugam capiunt. Sed Agathocles eorum tumultu audito, ratus se ab insequentibus peti, in fugam & ipse cum suis conuertitur, ac demum in Libycos milites incidit: vbi tumultuarie pugna nocturna incepta, Græcorum supra quatuor milia occubuere. atque ita vna eademq; nox vtrique exercitui exitium ac cladem ingentem attulit. Agathocles maiore iam exercitus parte amissa, nec viribus cũ hoste par, consilii inops, dum anxie secum suas miserias pendit, ad tutius consilium se parat. Pugnare vlterius periculosum, Libya vero cedere, & Syracusas redire fœdissimũ: tot præterea milites tanti belli socios, quos classe secum vehere nõ poterat, in manibus hostium relinquere, impium ducebat. Tandem necessitate viam monstrante, noctu Heraclidem iuniorem filium nauem clam ascendere iussit. Archagathũ vero, tum quod cum nouerca rem habuerat, tum quod natura ad quiduis audendum pronus videbatur, veritus ne Syracusis insidias sibi moliretur, in Libya relinquere decreuerat. Sed nõ latuit Archagathum patris animus: nephariumque ratus inter hostes deseri, contra quos tot fœlicia non sine maximo suo periculo præclia iniisset, correptis armis, & patris & Ducum (qui ei ad id consenserant) sæuitiam vlcisci statuit. Sed prius exploratores fidissimos deligit: per quos quid pater ageret,

denuntiari sibi imperat. Quem vbi iam in portu discessum struere certo per eos co
gnouit, instructis militibus, vt se sequãtur, hortatus, ad littus progreditur. vbi in A-
gathoclis Duces ad discessum paratos irruens omnes perimit: mox Agathoclem
in carcerem coniicit. Adueſperascente, cum falsus rumor subortus esset, confer-
tissimum exercitum Carthaginensium ad capiendum Agathoclem citato cursu
adueniſſe: qui eum in vinculis tenebant, ne in manus hostium veniret, liberum di-
miserunt. Qui tanto periculo ereptus, quo suæ saluti consuleret, relictis filiis & ex-
ercitu, paucis cum militibus naues, cum quibus e Sicilia aduenerat, inscendens, e
Libya raptim, licet hyems ad occasum pleiadum esset, (qui quietem potius a na-
uigatione suadere videretur) soluit: & secundante vento paucis diebus Syracusas
delatus est. Exemplum flagitii sane singulariſsimum Rex exercitus sui desertor,
pater filiorum proditor. Cuius fugam vt eius in Libya exercitus cognouit, non
secus ac si ab hostibus capti essent, animis corruere: querebanturque quod secun-
do iam ab Agathocle in mediis hostibus relictis salutis nullus vltra locus, ac ne se-
pulturæ quidem spes superesset. In desperationem igitur acti, Archagathum &
Heraclidem Agathoclis filios capiunt ac trucidant. Dum Archagathus ab Arceſi-
lao ante patris amico occidendus teneretur, eum interrogauit quid suis liberis A-
gathoclem facturum arbitraretur. Respondisse fertur, satis se habere quod super-
stites Agathoclis liberis sint. Punita itaque patris filiorum sanguine iniuria, mi-
lites pactione cum Carthaginensibus facta, & se & oppida a se ante capta, receptis
prius vnodeuiginti talentis, tradidere. Carthaginenses vero deinde Præfectos A-
gathoclis, quos in recuperatis vrbibus præsidiarios ceperant, cruci affigunt: Græ-
cos vero, qui eorum fata vastauerant, ad ea propriis laboribus restituenda conde-
mnant. Ita anno post Agathoclis in Libyam accessum quarto, Carthaginenſes
cladibus liberati, omnia infœlici bello amissa recuperant. Erant adhuc in Libya
milites Græci plerique, qui Carthaginensibus non adhæserant. Hi clam sumpto
nauigio in Siciliam ad profugum Regem peruecti, Soloentum vrbem incolen-
dam obtinuere. Carthaginenses post hęc in Libya pulso foras hoste ad persequẽ-
das Siculi belli reliquias duces in Siciliam mittunt. Sed Agathocles non multo post
pace cum illis æquis conditionibus sancita, belli difficultates præuenit: ac deinde
cum victus inopia premeretur, assumptis militibus, quos superstites in Sicilia habe
bat, AEgestam vrbem populo frequentem, quæ secũ fœdere antea iuncta conue-
nerat, petiit. quo ingressus AEgestanos omnes proditionis insimulat, maximamq;
pecuniæ summã ab eis pendendam coegit. e quib. postmodum quotquot sibi in-
fensos cognouit, extra ciuitatem ad Scamandrum fluuium interfici iussit. Diuites,
qui pecunias soluere recusabant, sagittis transfodiebat. Pleroſque diuitiarum dis-
simulatores astragalo (quod torturæ taxillariæ genus est) torquebat. Stratum
præterea æneum ad humani corporis mensuram fabricauit: in quo reos mem-
bris omnibus impositos subiecto igne comburebat. Mulierum etiam diuitum ad
aurum proferendum vel talos clauis ferreis perforabat, vel mammas dissecabat.
Prægnantium capita, ventrem, ac fœtum graui lapidum pondere premebat. vir-
gines denique ac pueros in Italiam ductos Brutiis vendidit. Hac igitur sæuitia A-
gathocles pecuniam ab AEgestanis extorquebat. Cuius tyrannide plerique in de-
sperationem adducti, vel necem ferro sibi consciscebant, vel vltro in ignem sese præ-
cipitabant. Hac immanitate cum AEgestã vrbem penitus exinaniſset, priori eius
abolito nomine, Dicæopolim deinceps (hoc est iustam ciuitatem) appellari vo-
luit, & fugitiuis aduenis eam ad habitandum diuisit. Quibus confectis cum post-
modum Archagathi & Heraclidis filiorum cædem per famam didiciſſet, militib.
necis authoribus primum proscriptis, eorum consanguineos qui Syracusis erant,
Antandro fratri trucidandos commisit. Qui adeo crudeliter mandato perfunctus
est, vt non solum parentes, & cæteros omnes idoneæ ætatis, qui aliquo affinitatis
gradu eos attingebant, sed & infantes etiam ipsos innoxios interfecerit. Quo-
rum omnium deinde corpora ad mare in omnium conspectu proiici voluit, ca-
uitque sub capitis mulcta, ne quis vel luctu, vel aliquo pietatis officio peremptos
prosequeretur. Post hæc veritus ne Siculi ad libertatem vindicandam insurge-
rent,

rent, vrbes singulas opere & militibus muniens, ciues omnes proscriptis bonis in pauperiem adegit. Quem ea occasione cum plerique Syracusanorum proceres interrogarent, cur adeo insolenter & sublimiter Principatum gereret, cũ nec patritius, nec nobilis, nec princeps, neq; principũ natalib. esset ortus: respondisse fertur: Licet neq; patritius, neq; nobilis, neq; princeps fuerim: is tamen sum qui volo, possum, debeo, & scio patritiis, nobilibus, atq; principibus imperitare. Interea Pasiphilus Dux, rumore cladium quas in Libya Agathocles acceperat, resumptis contra eum animis, cum Dinocrate societatem iniit. Quo audito Agathocles ad fraudem se conuertit. Legatos itaq; ad Dinocratem mittit: per quos se Tyrannidem depositurum, & Syracusanis libertatẽ restituturum, ac ipsum & cæteros exules ab exilio reuocaturum, Himeramq; & Cephalœdim pro habitatione se delecturum pollicetur. At Dinocrates monarchiæ ambitione incensus, cum pedites supra viginti milia, equitum vero ad tria milia haberet, & ad facinus patrandũ idoneum tẽpus esse iudicaret: nec Himerã & Cephalœdim roganti concedere, neq; minus pacẽ cũ eo facere voluit. Quocirca Agathocles per legatos primum cæteris exulib. Dinocratem accusat, quod ille impedimentũ præstiterit quominus ipsi in patriam remitterentur. Carthaginensib. quoq; per nuntios vrbes Phœnicum oẽs, quotquot ceperat, restituit. Qui pro beneficii remuneratione, pace cum eo facta, quadringenta auri & argenti talenta, frumenti vero medimnos centũ Agathocli obtulere. Quibus munitior factus, tametsi quinq; duntaxat milia peditum, equites vero tantũ mille haberet, cõtra Dinocratẽ, qui tum ingentem habebat exercitum, mouet, atq; non longe ab hostib. ad locũ qui Gorgius eo tempore dicebatur, castrametatus est. Dato igitur signo pugnam iniit. in cuius initio fortuna versabilis arridere illi visa est. Duo nanque milia ex Dinocratis copiis ad eum transfugerunt. Quo viso exules, qui cum Dinocrate erant, territi in fugam nullo cogente vertuntur. Quos vsq; ad quoddã biuium insecutus, per nuntios veterem eis amicitiam cõmemorat, beneficia olim ab eo ipsis præstita maxima exponit: ac demum reditum ad patriam spondet. Eius verbis exules allecti, ad Ambicas locum venerunt: ibiq; pacem cum Agathocle fecerunt. Erant porro numero septem milia, vt Timæus tradit: licet quatuor tantum milia alii connumerent. Quos omnes Agathocles, vbi illuxit, cum ducibus tribunisque suis, rupto fœdere armis spoliat, sagittisq; cõfigit. Genuinum nanque ei fuit incerta semper fide viuere, & iuramenti violatorẽ esse. Post hæc cum Dinocrate & sociis eius pacem fecit: quem exercitus ducem Agathocles instituit, cui illibatæ amicitiæ ius semper ille seruauit. Dein Dinocrates Gelam petens, Pasiphilum & cæteros confœderatos socios, qui ibi erant, prodidit: omnibusque interfectis, Gelam ipsam, cæteraque vrbes quæ sibi parebant, vnius anni spatio in manus Agathoclis dedit. Quibus receptis, Syracusis prope Insulam domum insignem, quam Lectorum sexaginta cognomento dixerunt, omnia Siciliæ ędificia, ac sacras quoque ædes amplitudine, structura & eminentia superantem (Diodoro in Philippo referente) construxit. Post hæc Agathocles parta prope tota Sicilia, quasi angustæ insulæ terminis clauderetur, in Italos vires suas experiri decreuit, Dionysium imitatus, qui multas Italiæ ciuitates sibi subegerat. Exercitum itaque in Brutios traiecit: qui principio eius aduentus metu concussi, ei se subiiciunt. Brutiorum suscepto imperio, in Hippone eorum vrbe (quam Vibonam & Valentiam postea appellauerunt, Strabone teste) nobile condidit emporium. Subinde contra Liparenses nauigat. Sed acceptis ab eis auri talentis centum, pacem cum eis quoque fecit. Cæterum cum ea homini auido ad explendam sitim non sufficerent, illique nihil auri aliud se habere, nisi quo AEoli & Vulcani templa ditauerant, respondissent: ipse per templa Deorum grassatus, magna vi quicquid auri ibi reperit, abstulit. Lipara deinde cum vndecim nauibus auro onustis discessit. Dum autem in medio cursus esset, subortta tempestate naues omnes quæ aurum deferebant, cum ipso auro submersæ sunt, Agathocle solum cum vna triremi incolumi Syracusas applicante. Vbi ratus ira Vulcani naufragium sibi obueniisse, quo eum placaret, sponte in ignem præcipitatus, viuus (vt Diodorus scribit) combustus est. Trogus vero diuersum mortis eius genus recensет. Refert

enim quod cum a Brutiis in Siciliam reuersus esset, paucis post diebus repente in morbum per omnes neruos venasque humore tabido grassantem, incidit. Quo ingraueſcente, inter eius filium natu minimum, & nepotem Archagatho genitum, contentione de Regno exorta, cum alter alteri insidiaretur, occiso filio nepos regnum omne sibi occupauit. Erat tum Agathocli Theogenia AEgyptia coniux, & paruuli liberi, quos ex illa susceperat, duo. Quos ipse vbi nullam sibi vincendi morbi spem superesse, & illis post eius interitum, aut carceres aut seruitutem instare, videret, prouidus cum omni gaza, omnique apparatu regio, quo nemo ea ætate fuit splendidior, naui impositos cum summo & suo, & vxoris, & filiorum luctu in AEgyptum transmisit. Quibus absentibus ipse miser, orbus, desertus, anxiusque, annos iam quinque & nonaginta ætatis egressus, (vt Demochares & Timæus prodiderunt) fato functus est. humilior ne vitæ eius introitus, an exitus fuerit, incertum.

DE MAMERTINIS MESSANAM occupantibus, & Pyrrho Siciliæ Rege.

CAPVT II.

DEFVNCTO Agathocle, Mamertini Barbarum genus hominum, siue a Marte, siue a Mamertio oppido ita nuncupati, qui diu sub Agathocle militauerant, cum a militia armorumque exercitio vacui, stipendia nulla mererent, per vniuersam insulam otiosi, passimque omnia deprædantes vagabantur. Messanam autem cum venissent, demortui Agathoclis amicitia intra mœnia recepti sunt. Verum cum vrbis splendorem ac opulentiam mirarentur, cupidine eius potiundæ capti, consilium per coniurationem occupandi in ea incolatus perpetui clam ineunt. nec quicquam eorum animis (præter temporis opportunitatem) deerat. Vbi vero patrandi sceleris occasio sese obtulit, vrbem amicam, & fidei eorum creditam, nihilque tale promeritã, violato fœdere ex composito strictis ensibus, sublatisque in cœlum clamoribus inuadunt. Messanenses quid eis accideret ignari, alii aliud opinati, inermes profiliũt. in quos fœdifragi hospites irruentes, subita cæde trucidant. vxores, liberos, fortunas, agrosque eorum, prout cuiq; medio conflictu sors obtulit, inter sese partiuntur. Ciues alii re comperta, desertis penatibus & liberis, qua euadere poterant, vrbe transfugiunt, tutius rati in belli repentino tumultu secedere. Prædones itaq; hi pulcherrimæ opulentissimæque vrbis compotes facti, nec virginibus nec matronis abstinuere: sed promiscuas quasuis in libidinem suam & necem pertrahentes, multo immitius inhonestiusq; se habebant, quam si e media Barbarie aduenæ hostes in eas, ac iure & merito captam vrbem, sæuirent. Quo facto non Messanenses, sed Mamertini nuncupari cœperunt: vrbemque non solum fortiter tutabantur, sed & eo audaciæ processerant, vt in pleraſque Græcorum ciuitates infestis incursionibus vexarent. Interea Rhegini ob Pyrrhi Epirotarum Regis in Italiam cõtra Romanos aduentum terrore perculsi, auxilium a Romanis postularunt. quibus Romani vnam Romanorum (si Polybio) vel Campanorum (si Liuio credimus) legionem in præsidium misere: qua tuta diu ciuitas mansit. Sed cum diuturniori aliquanto ibi mora traheretur, Romani milites turpe Mamertinorum exemplum imitati, violato fœdere ex præsidiariis hostes deuenere: vrbemq; repente inuadentes, incolas partim cædunt, quosdam pellunt, eorumque inter se fortunas diuidũt: & deniq; cum Mamertinis & freto & scelere iuncti, fœdus etiam copularunt. Cum Romam hæc celeri nuntio delata sunt, licet Rheginorum ærumnosam conditionem populus Romanus grauiter ferret, vltionem tamen vsque ad finem belli quod cum Pyrrho gerebat, prudenter dissimulauit. Quo postmodum confecto, partaque contra Pyrrhum victoria, Romani militum suorum facinus punire meminerunt. Instructum igitur exercitum contra Rhegium mittunt, vrbem obsident ac expu-

expugnant: cæsisq; facinorosis auxiliaribus, vrbem Rheginis restituunt. Eodem ferme tempore Carthaginenses cognita Agathoclis morte, & nonnullis aliis Siciliæ motibus, occasionem totius insulæ occupãdæ sibi præstitam existimantes, magnis copiis in Siciliam traiiciunt: ibique plures vrbes, quas Agathocle regnante amiserant, magna vi vel subigunt, vel ad deditionem compellunt. Siculi itaque Pœnorum viribus circumuenti, ad Pyrrhum (qui Agathoclis eorum Regis gener erat, ex cuius filia Helenum & Alexandrum filios susceperat: quique tum in Italiam a Tarentinis iterata legatione reuocatus, contra Romanos redierat) legatos mittunt, eũque ad pellendum e Sicilia Carthaginenses, liberandamque a Tyrannis insulam solicitant: aliis Agrigentum, multis Syracusas, plerisque Leontinum ei offerentibus. Sub idem tempus ad eundem ex Græcia legati venere, qui nuntiata Ptolemæi Cerauni a Galatis cum exercitu peremptione, pro Macedonibus auxilia ab eo magnis precibus implorabant. Quem duabus iis legationibus auditis cõstitisse, atque de fortuna conquestum fuisse Plutarchus refert, quod plurimarum rerum gerendarum occasiones in vnum idemque tempus sibi congessisset. Tandem cum duobus simul officiis integre fungi nequiret, consulto ad Siciliam pertendam, veluti instrumentum belli in Libyam transferendi, animum adiecit. Præmisit autem eo paulo antequam perueniret, Cineam Thessalum, qui ciuitatũ studia sibi conciliaret. Erat nanque is magni ingenii vir, & qui Demosthene diu audito ad imitationem eius maximam vim dicendi assecutus fuerat. Qui dum Pyrrhi conuictu frueretur, sæpe ab eo ad vrbium conciones legationesque missus, vtilem ei sæpe ante operam præstiterat, pluresque ciuitates Pyrrho facundia, quam ipse sibi bello acquisiuerat. Cineas itaque in Siciliam appulsus, more suo præfatus, ciuitates ad fidem Pyrrho præstandam induxit, quem subinde Pyrrhus (præsidio apud Tarentum relicto) eodem secutus est. Cuius in Siciliam aduentu non parum Carthaginensium audacia compressa est: quippe quoniam coniunctis eius cũ Siculorũ copiis, magno animo obuiam hostibus itum est: maior ciuitatum pars recuperata, excursiones prohibitæ, eorum qui cum Pœnis conflictabantur, spes aucta: illis qui exterriti erant, metus fugatus. Vbi vero Pyrrhus Syracusas (totius tunc insulæ caput) ingressus est, Theonis & Sostrati Syracusanorum Principum suffragiis Rex Siciliæ, sicut Epiri, appellatus est. Ciuitates quæ fidem præstiterant, illi se statim dedunt. Cæteræ vel vi, vel vltro in deditionem quoq; sunt receptæ. Deinde cum peditum triginta milibus, equitibus vero quingentis supra duo milia, & viginti nauibus, Carthaginenses, qui Siciliam ante incursionibus perterruerant, adortus, eorum potentiam ac opes breui tota insula afflixit. Erycem postea & natura & magnis Pœnorum præsidiis firmatam vrbem cum ingenti exercitu subita oppugnatione aggressus, ludos Herculi, si ea potiretur, vouit. Inde scalis ad mœnia admotis, omniũ primus muros conscendit. Plures ex resistentibus in præceps deiecit, pleroſque gladio transfixit. ipse illæsus terribili ac truci aspectu hostem præformidine ab armis cessare cogens, vrbem expugnat. Quam adeptus, Herculi votum, spectaculumque omnis generis ludicris insigne celebrauit. Eryce debellata, Mamertinis, qui totam insulam infestando nonnullas iam passim ciuitates sibi tributarias fecerant, bellum intulit. Quibus strenue superatis, multaque clade affectis, eorum præsidia multis in locis confregit. Hieroni, qui post eum Syracusanorum rex fuit, multa ob ingentia eius in his bellis gesta facinora præmia contulit. Carthaginensibus deinde ab eo pacem petentibus, hac sola conditione pacem se facturum, si tota Sicilia cederent, atque vltra Libycum pelagus fines Imperii sui terminarent, respondit. Rerum successu simul & imperii magnitudine elatus, Heleno filio (Agathoclis nepoti) Siciliæ veluti auito, Alexandro vero Italiæ Regno destinato, ad id cuius impulsu præcipue in Siciliam ab initio venerat, se conuertit. Classem igitur ingentem contra Libyam instruit: mox non vt ab initio comis, mitis, ac benignus, sed mutatis moribus superbe ac Tyrannice Siciliæ imperio vti cœpit. Quinimo & Theonem virum Principem, per quem non modo Syracusarum vrbem, sed plures etiam alias ciuitates adeptus fuerat, interfici iussit: idem de Sostrato proculdubio facturus, nisi fuga salutem sibi ille redemisset.

Porro hac nouitate repente ab eo alienatis animis, Siculorum odia exarserunt, ac plures vrbes Carthaginensibus, permultæ Mamertinis se iunxerunt. Ipse vero iis seditionibus perculsus, cum Siciliam, veluti nauem vi ventorum agitatam tenere nequiret, & non sine ignominia eam relinquere cogeretur, peropportune ad decus eius celandum a Tarentinis & Sannitibus literas accepit, quibus se illi, cum Romanorum viribus resistere amplius nō possent, deditionem facturos significabant, ni cito periclitantibus ipse succurreret. Occasionem igitur hinc Siciliæ deserendæ accipiens, subsidii sociis suis ferēdi prætextu, insula protinus abscessit. Trogus vero etsi in causa digressus cum aliis sentiat, non tamen in seditione Siculorum cum aliis conuenit: sed iam conserto cum Carthaginensibus prælio ipsum superiorem factum: quia tamen festinus discessit, pro victo fugere visum esse scribit. Soluens autem Sicilia Pyrrhus cum classe, quam contra Libyam parauerat, conuersus ad amicos: Cuiusmodi (inquit) palæstram Carthaginensibus & Romanis relinquimus. Quod vt coniectauit, ita & euenit, vt in contextu cōmemorabimus. Vulgato eius discessu, Carthaginenses educta classe, impetuque facto, aliquot eius naues ceperunt. Mamertini etiam e vestigio terrestri itinere per Calabriam eum insecuti, extremum eius agmen in locorum angustias coniecerunt, atque a tergo & a lateribus adorti, duobus eius elephantis prostratis, plures circum eos milites occiderunt. Quo viso Pyrrhus a prima acie in prælium maximo impetu ruens, a Mamertinis vulnus graue accepit. Quo compulsus paululum ex acie dum plaga obligaretur excessit. quo facto, ab hostibus pro cæso habitus est. Erat tunc forte ex Mamertinis vir quidam magna corporis statura, qui palam Pyrrhum in singulare certamen prouocauit. Pyrrhus vt cruore adhuc respersus erat, dolore simul & ira percitus, truci & terribili aspectu in aciem rediit: gigantemque repente adortus, adeo vehementi ictu eius caput percussit, vt vsque ad intimas partes ferro redacto, frusta fissi corporis hinc inde ad terram defluxerint. Mamertini & Pyrrhi robur admirati, & fœda proceri viri nece perculsi, ab vlterius eum insectando destiterūt. Proinde Pyrrhus Tarentum veniens, tertio Tarentinis in agris aduersus Curium & Fabricium Ro. Coss. certamen arripuit. In quo victus atque fugatus, cum audisset ob suam profectionem fugæ similem, ad Carthaginenses omnem fere Siciliam defeciſſe, spe omni eam recipiendi sibi sublata, ac animo prorsus fractus, in Epirum se recepit. Et ita non solum Italiam, sed Siciliæ quoque Imperium, tam cito amisit quam facile quæsierat.

DE HIERONE IVNIORI, ET BELLO inter Romanos & Carthaginenses in Sicilia & propter Siciliam gesto, quod primum bellum Punicum appellant:

CAPVT III.

PYRRHO Sicilia discedente, magnæ in ciuitatibus seditiones sunt subortæ, magnaq; ob insulæ Imperium inter Carthaginenses & Syracusanos successerunt prælia. Quamobrem necessitate vrgēte, Hiero a Syracusanis vrbis Præfectus creatur. Cuius tanta fuit prudentia simul & authoritas, vt non diu post ciuitatum omniū consensu aduersus Carthaginenses Dux primum, ac mox totius Siciliæ Rex salutaretur. Huius futuram maiestatem plura significauerunt præsagia. Fuit is patre Hieroclito, qui illustrē generis seriem a Gelone antiquo Siciliæ Tyranno traxerat, matre vero ancilla natus. Qui iamiam editus, ne genus seruile dehonestamentū nobilis prosapiæ foret, priscorum more in syluis a patre expositus est. vbi (mirum visu) infantem ipsum apes congesto in eius os melle aliquandiu solicite aluerunt. Aruspices, qui id genus euentus ex professo interpretabantur, regnum infanti eo casu portendi vaticinati, Hieroclitum admonuerūt, vt filium recollectum educatumq; omni studio ad spē maiestatis

maiestatis futuræ instituerat. Adolescenti quoque prima vice dimicanti aquila in clipeo, noctua in hasta consedit. Quæ omnia, & manu promptum, & consilio prouidum, & Regnum illi polliceri, vates præcinerunt. Erat Hiero pulchritudine insignis. quæ cum ætate etiam succresceret, a pueritia admirabilis, in alloquio blandus, in consuetudine iustus, in militia strenuus, ac tantis simul naturæ dotibus ornatus, vt nihil regium in eo deesset præter regnum. Quibus moribus a Pyrrho rege, dum Sicilia potiretur, plurimum dilectus, multis militaribus præmiis donatus fuit. Tantum deniq; & industria & virtute valuit, vt ob multa ac præclara rei militaris facinora, per gradus ad regnum euectus sit. Primũ namque cũ post Pyrrhi discessum milites gregarii & conductitii Remp. Syracusanam frequenter seditionibus vexarent, solus Hiero ob rei bellicæ præstantiam in ipso adhuc adolescẽtiæ cursu, anno suæ ætatis vigesimo, a Syracusanis ad tãtarum factionum rumores sedandos in Ducem deligi meruit. Qui magistratu suscepto diuersas militum seditiones extinxit. Victor, adeo clementer moderateq; se gessit, vt vno omniũ & consentienti animo iterum Dux crearetur. Tum vero cum videret ciues, quotiescũq; copias ducesq; extra vrbem mitterent, ad res nouas inter se domi moliendas procliuiores esse, Leptinis in populo nobilitatis & opum nomine facile principis filiã vxorem duxit, vt haberet quẽ pro se vrbi tutorem relinqueret, cũ ad res pro Rep. gerendas ipsum abesse oporteret. Deinde cum animaduerteret veteranas Syracusanorum copias, quæ ex gregario & stipendiario milite constabant, instabiles, factionumq; vt plurimũ auidas esse, delere illas constituit. Igitur dedita opera, ac callido consilio, contra Mamertinos, qui vltra Catanam excurrerant, exercitum mouet, castrisque iuxta Centoripen vrbem positis, ac strictis circa Cyamosorum fluuium veteranorum cohortibus, & in fronte locatis, vt primo hostium impetu oppressi facile dissiparentur: ipse cum Syracusanis signis, quasi alia via hostes aggressurus, aliquantulum remoratus est. Missilibus primum res gesta est: mox prælio excandescente, ad gladios ventum. Mamertini in primam aciem, prout primo ardore offerebatur, irruunt, veteranos circundant, crebrisq; ictibus ac vulneribus cruẽtatos profligãt cædũtq;. Hiero, vt ex sententia cuncta successisse vidit, confestim cũ suis ipse militibus intactis Syracusas secedit: ac subinde nouis copiis, magisque fido milite exercitum instaurans, contra Mamertinos hac victoria elatos regreditur. Ad Mylæum igitur agrum cum peruenisset, non simulata expeditione, vt antea, sed iuxta Longani fluuii ripas serio insultu mouens, cum eis conseruit. Et cum aliquandiu ancipiti marte pugnatum esset, ingenti tandem conflictu Mamertini fugantur, belliq; eorum Duces ac optimates præter paucos (qui viui in potestatem Hieronis deuenerunt) occubuere. Parta hac victoria cum triumpho Syracusas reuersus Hiero, Rex ab omnibus acclamatur, & corona Regia redimitur. Quitametsi titulum haberet regiæ in Sicilia dignitatis, vt & alii ante ipsum pleriq;, non omnes tamẽ ciuitates suo parentes Imperio habebat. Plurimæ quippe cum essent liberæ, suis viuebant legibus, & annuis constitutis magistratibus a populo regebãtur. plures quoque Carthaginensium erant ditionis: reliquæ vero, quæ Syracusanorum imperio subibant, simul cum vrbe Regia, a Rege moderabantur. Hiero itaque & regio diademate, & proxima victoria nonnihil animo erectior factus, copiosiorem exercitum contra hostes coegit. At Mamertini prælio fracti, Hieroni solis suis se viribus posse resistere diffisi, a Carthaginensibus, qui per id tempus plura Siciliæ oppida tenebant, auxilium petunt. Carthaginenses, oblata noua Siciliæ potiundæ occasione, & quam similem nunquam antea habuerant, suppetias mittunt, statimq; a Mamertinis vrbis Messanæ arcem accipiunt. Mamertini vero paulo post, vel quia non satis Pœnorum viribus ob infirmitatem fidebant, vel quia interse diuisi erant, missis legatis a Romanis etiam præsidia exquirunt, vrbemque eis offerunt. Clarum iam per ea tempora pop. Romani erat nomen. quippe qui quingentesimo fere conditæ vrbis anno totã ad Rhegiũ vsq; perdomuerant Italiã. Romani, cũ opulentissimã sibi proximã prædam offerri conspicerent, Italiæ limites egrediẽdi, & Siciliæ potiundæ desiderio incensi (quã capta Messana facile suo Imperio subiicere sperabãt) huic rei animũ intendunt. Res itaq; hæc maturo & prudẽti

consilio in Senatu agitata est. At primum, si Mamertinis violati fœderis authoribus opitularentur, infamiæ labem ob iniustitiã incurrere verebantur, cum de suis ipsi militibus pari culpa in oppido Rhegio laborantibus supplicium paulo ante sumpsissent. E contra vero Carthaginensium vicinitatem magnopere formidandam esse cognoscebant: qui cum non modo Africam, sed & pleraq; Hispaniæ loca, insulas præterea Sardoi atque Tyrrheni maris possiderent, capta Messana non multo negotio & Syracusas & reliquum Siciliæ adipisci, & subinde Italiam, ac vrbem ipsam Romam aggredi quam facillime potuissent. Hinc ad suppetias Mamertinis ferendas inclinare visa est sententia. Quæ cum adhuc anceps in Senatu protraheretur, ibi quidẽ diu hæsit, & pene relicta pependit. Populi tandem multitudo ampliandi imperii cupidine vtile honesto præferens, Mamertinis auxilia ferre decreuit. Igitur ex cõmuni decreto Appio Claudio cognomento Caudici ex Cõsulibus alteri, Mamertini subsidii prouincia committitur. Mamertini de Consulis aduentu certiores facti, Carthaginensium Præfectum, cui arcem ante dediderant, simul & præsidium a Messana propellunt. Carthaginenses, graui nuntio accepto, primũ exactum Præfectũ, cuius ignauia circunseptã Messanæ arcẽ amiserant, crucifigunt: mox contractis copiis terrestri circa vrbẽ, qua meridiem spectat, ad Pelorũ vero nauali exercitu dispositio, Messanã obsident. Hieron, vt accensos in Mamertinũ exitiũ Carthaginenses cõspexit, tẽpus ad eosdẽ delendos accommodatũ esse ratus, percusso cum Carthaginensib. fœdere, copioso cũ exercitu & ipse Syracusis mouens, Messanã profectus est. Vbi ad aliam vrbis partẽ prope montẽ Chalcidicũ, (quẽ Sanctũ Ritium hodie appellant) 2. p. m. ab vrbe castra metatus, obsessis Mamertinis egressum ab vrbe interdicit. Interea Ap. Claudius Ro. Consul ex omnibus Neapolitanæ oræ maritimis oppidis militibus exquisitis classem instruit. Qua parata, freto monstris fabulosis infami, æstuq; violento, nullo pacto exterritus, sed ipsam illam ruentis æstus violentiam veluti pro munere amplexus, traiecit, clamq; Carthaginensiũ triremes præteruectus, Messanã applicat. quẽ Mamertini non sine publico gaudio in vrbẽ excipiunt, illiq; protinus ciuitatẽ tradunt. Cõsul, cum terra mariq; vrbem acriter obsessam, commeatus inopia laborare, hostesque Mamertinis copiis superiores offendisset, periculosissimũ bello dimicare censens, legatis ad hostes pro pace missis, Messanam, si æquæ conditiones reciperentur, periculo liberare tentat. Cæterũ cum Hieron & Carthaginenses legationẽ aspernarentur, Consul periculum subire cogitur. Instructos itaq; milites luculenta oratione ad bellum victoriãq; primũ hortatus, cũ Hierone bello dimicare statuit. parũq; moratus, copias aduersus Syracusanos educit, acies struit, & in hostes irruit. Cui cũ Hieron statim obuiam sese offerret, prælio cõmisso, diu ancipiti marte pugnatum est. Tandẽ Romani victores Hieronẽ in fugã vertunt, atq; vsq; in castra secuti, magnam Syracusanorũ cædem edidere. Hieron, vt suos fusos vidit, metuens ne Syracusæ vrbs audita hac strage in seditionem abiret, relictis castris noctu Syracusas concessit. Ita Consul Romanus adeo exiguo negotio, tantaque celeritate Hieronẽ Syracusarum Regem vicit, vt ipse ille se prius victum, quam hostem vidisse fateretur. Carthaginenses, vt victoriã penes Romanos mansisse acceperunt, metu perculsi, extemplo obsidione soluta, in Siciliæ vrbes sibi subiectas sese recipiunt. Cõsul, audita & Hieronis fuga, & Carthaginensium recessu, cum circa vrbem pacata essent omnia, auctus animis, persequi Syracusanorum exercitum decreuit. Postridie igitur sub auroram hostes assecutus, prælio cum eis inito plures eorum cædit, reliquos in proxima fugat oppida. Inde elatior factus, per Syracusanorum sociorumq; agros nemine impediente incursiones intrepidas facit, omnia populatur: tandemque Syracusas delatus, ipsum Siciliæ caput obsidet, fœlicemque victoriam per nuntios Romam renuntiat. Qua cognita, maiori nisu incepto bello incumbendum esse Senatus Populusque Romanus constituit. Igitur. M. Valerium, &. C. Octacilium Coss. conduplicato cum exercitu in Siciliam mittunt. Eorum aduentu pleræque ciuitates, quæ Carthaginensibus vel subiectæ, vel fœderatæ erant, ad Romanos vltro defecerunt. Hieron, cum hinc Romanos numero & virib. superiores, inde vero Siculos animis lapsos cerneret, iamque de seipso solicitus esse inciperet,

ciperet, tutius sibi futurum cum Romanis quam cum Carthaginensibus pacẽ habere, Legatos ad Consules pro conditionibus mittit. Illi commodissimam bello gerendo Hieronis amicitiam arbitrati, pacem cum eo his legibus firmant, vt ipse captiuos Romanos restituat: argenti talenta centũ (licet ducenta plerique scribãt) pendat: atque ita deinceps Syracusani societatem fidam populo Romano iurent. Quę omnia Hieron vt accepit, per quinquaginta annos certa inuiolataque fide ad mortem vsque seruauit. Carthaginenses, Hieronis confœderatione destituti, ad Agrigentum eorum caput & arcem se conferunt, vrbem omnibus copiis ac vi frumenti muniunt. M. Valerius, &. C. Octacilius, fœdere cum Hierone percusso, Romam reuertuntur, suffectique sunt post eos a Senatu Coss. L. Posthumius, & Qu. AEmilius, & in Siciliam missi. Hinc primum bellum Punicum oritur. de quo inter Gręcos Polybius & Philinus, inter Latinos vero. T. Liuius late scripserũt. Cõsules igitur cum primũ Siciliã tenuere, suscepto a præcessoribus exercitu, de bello gerendo consilium contulerunt: in quo de Agrigento inuadendo inter eos cõuenit, vt si hostis pugnam recusaret, intra mœnia cõclusus obsideretur. Quocirca ingenti cum exercitu in expeditionem profecti, castra non longe ab Agrigento nisi p. m. metantur. Carthaginenses supra quinquaginta hominum milia sub Annibale duce, intra mœnia habebant. Cæterum quia longam fore obsidionem Romani arbitrabantur, atque iam messis tempus, & maturæ in agris segetes erant, milites relictis castris ad frumenti rapinam sine ordine, sine Duce, passim audacius quã aut tempus aut militiæ ratio postulabat, euagari cœperunt. Annibal, rei bene gerendæ occasionem nactus, repente vrbe egressus, in Romanorum stationes instructam aciem defert, partẽ vero militum in vagos Romanos emittit. Clamore sublato, fossas implere, vallumque rescindere iubet. Romani subito casu perculsi, quoniam sub multa castra, signa, præsidiaq; deserere eis cautũ erat, loco immobiles adeo strenue obstiterũt, vt quanquã Carthaginenses numero longe superiores prouerent, ipsi tamen castra nõ modo tutati, sed & hostes multa cũ cæde in vrbẽ præcipites reiecerint. Verũ tãta strages ea die vtrinq; cõfecta est, vt vterq; & victus & victor videretur: tantusq; vtrunq; exercitum metus ex huius diei periculo inuasit, vt neq; Pœni ausi sint amplius castra Romanorum inuadere, neq; Romani latius euagari. Porro æquato vtrinque metu aliquandiu quieuerũt. Interea Carthaginẽses, etsi in Romanos erũpere pertimescerent, sagittis tamen eminus eos impetere non cessabant. Consules vero, vbi milites a repentino incursu aliquantisper refectos videre, exercitũ in duas partes diuiserũt: alterã ad AEsculapii templũ, alterã diuersa regione vrbis, ex ea parte quæ Heracleã spectat, posuere, atq; ita duplici vallo & fossa vrbem cingunt: vna, ad hostium eruptionem interius inhibẽdam: altera, ne exterius obsessis auxilia ferrentur: præsidiisq; ac crebris castellis suorum interualla munierunt. Non procul a Romanis castris Erbessus oppidũ erat. (quod Gruttæ oppidulũ, nominis etymologia fuisse coniicio) in id socii omnes commeatum, cæteraq; exercitui necessaria summo studio congerebant: vnde cum res exigeret, a Romanis commodissime in castra transportari possent. Dum quinque ferme in hunc modum menses ancipiti euentu vtriusque gentis res perstitissent, fames ob ingentem multitudinem, quæ in vrbe obsidebatur, Carthaginenses premere cœpit. Quo conspecto, Annibal ob suorum pericula rebus iam pene diffidens, crebros nuntios Carthaginem misit, qui in quo statu res Punicæ in Sicilia essent, senatui nuntiarent. Quibus Carthaginenses commoti, nouum in Siciliam exercitum cum magno elephantorum numero, nauesque plurimas ad bellum instructas, cum Hanone altero Duce transmittunt. Is cum omni bellico apparatu Heracleam profectus, Erbessum oppidum Romanorum horreum proditione occupat. Quo recepto, continuo in Romanis castris rei frumentariæ inopia successit: eoque factum est, vt Romani non minus obsiderentur quam obsiderent. Iamque eo annonæ caritate deuenerant, vt obsidione soluta inde abituri essent, nisi Hieron repente necessitati eorum, euecto vt summo studio, ita non magno cum discrimine ex Syracusis commeatu, rebusq; aliis ad exercitum subleuandum idoneis, succurrisset. Post hæc Hanno, cum suos, qui intra mœnia erant, paratos ad bellum per certum

nuntium

nuntium intellexisset, coactis quinquaginta elephantis, paratisq; omnibus copiis, exercitum omnem ex Heraclea Erbessoq; educit. Sed antequam in conspectum hostium venisset, Numidas equites ad eos lacessendos irritandosq; præmisit: ipse vero cum elephantis ac reliquo comitatu sequebatur. Illi ad Romanorum castra venientes, cum hostium equitatum in se concitassent, simulata fuga, vt præceptū fuerat, terga vertunt. Quos dum Romani audacius insequerentur, in subsequentem Hannonem præcipites ac pertumultuarie incidunt, trahunturq;. Tum repente veluti ex insidiis prosilientia Pœnorum agmina, in Romanos equites circūfunduntur: atque ex illis multos interficiunt, reliquos vsq; ad castra fœde fugant. His gestis Hanno in collem, cui Toro nomen erat, exercitum reuocat: atque ibi non longius quam mille & ducentis passibus a castris Romanorum castra locat. Verū cum per loca palustria, quibus Romani signa fixerant, ex diuturniori excubatione exorta sæua eos pestilentia inuasisset, in diesq; magis inualescceret, Consules obsidionē soluere meditabātur. Sed cum nō minor annonæ pressura obsessos Carthaginēses premeret, Annibal multis noctu e specula erectis ignibus, crebrisque etiā nuntiis, Hannoni rerum angustias, multitudinisque in vrbe intolerabilem famem, cum iam plures impatientia ad hostes transfugerant, significauit. Hanno his cognitis, ratus Romanos morbo pressos quam facillime posse vinci, in aciem ad pugnandum copias educit. Consules nihilo pigriores, & ipsi ad prælium (parte copiarum ad reprimendum obsessos, ne perrumperēt, relicta) reliquū exercitus aduersus Hannonem emittunt. Signo dato prælium incipit: cruentumq; aliquandiu ex vtraq; acie certamen fuit. Demū Romani maiori conatu adnixi, primā Carthaginensium aciem in fugam compellunt. Vbi qui fugerant, in elephantos præcipitati, pecudes cōterritas in suos excitāt. Quæ ruentes in agmina, ordines non mediocriter, belliq; euentum turbarunt. Romani centuriones per eorum stragem perruētes, signa acrius inferunt, ad extremū Pœnos omnes terga vertere cogunt, profligatos insequuntur, ac magnam eorum partem trucidant. Hanno cum reliquis celeri fuga ad Heracleam se recipit. Romani elephantis fere omnibus, qui prælio interfuerunt, captis, castrisque hostium expugnatis, commeatu præterea & belli impedimentis direptis, plena victoria potiti in castra copias reduxerunt. Subsecuta nocte, cum ob victoriæ lætitiam simul & prælii laborem segnius a Romanis vigiliæ haberentur: Annibal, qui in vrbe & hostibus & fame obsidebatur, post perceptam Hannonis cladem, desperatis rebus, tempus ad suam suorumq; salutem maxime idoneum nactus, per tenebras cum omnibus copiis quas Agrigenti habebat, vrbe egressus, vtranq;, quam Romani fecerant, fossam palearum manipulis adæquat, atq; inde per medias hostium stationes, Romanorum nemine sentiente, incolumis euasit. Illucescente, Romani deprehensa Carthaginensium fuga, illorum vestigia insequuntur, ac plurimos postremi agminis tardius procedentes cædunt. Mox reuersi, ad vrbem capiēdā se dirigunt. Vbi in portas ciuitatis impetu facto, exercitum omnem intra mœnia nullo iā repugnante inducunt, vrbē locupletem & omni præda refertā diripiunt. Septimo itaq; mense postquā Agrigentū obsideri cœptū est, in potestatē pop. Romani peruenit, tanto sudore militum, ac Ducū tolerantia, vt ea obsidio inter raras, quæ vnquā fuerint, laboriosissima a scriptoribus referatur. Capto Agrigento, pleraq; Siciliæ mediterranea oppida sponte Romano Imperio se subiecere. Cum Romæ Agrigenti expugnatio nuntiatur, Senatus populusq; erectis animis Carthaginensium potētiam e Sicilia omnino exterminare, solisq; insula potiri tota mente decernunt. Quocirca. L. Valerium, &. T. Octaciliū sequentis huius belli anni Consules nouo maioriq; militum delectu habito in Siciliam legant. Carthaginenses, cognita Romanorum mente, nō amplius terrestri, sed nauali bello, quo plurimum pollebant, deinceps congredi deliberant. Proinde ingentem classem instruunt, eamq; re bellica, ac magno militum numero refertam in Siciliam mittunt. Cuius aduentu plures maritimæ vrbes metu adductæ ad eos transierunt. Quibus mari prædominantibus, terra vero Romanis, quasi æquatum erat bellum. Porro Romani, cum cognoscerent non aliter finem habiturum bellum, nisi mari quoque se hostibus opponerent, necessitate adducti potius

tius quam libidine, parandã sibi classem statuere. Itaq; centum & viginti (siue sexaginta, vt pleriq; scribunt) naues intra sexagesimum diem, quam cæsa fuerat sylua, perficiunt. quarum centum quinqueremes fuerunt, reliquæ triremes. In hoc nauali apparatu quinqueremium ædificatio perdifficilis fuit: quippe quod illarũ tunc temporis nullus adhuc in Italia esset vsus. cæterum vna semilacera Carthaginensium quinqueremis (quæ dudum apud Messanam, dum longius a classe vagaretur, a Claudio Cos. capta fuerat) exemplar eius generis faciendi præbuit. Interea vero rudis multitudo ingẽs ad remigium exercebatur, subselliis in arena dispositis, Ducis sibilo brachia ad remos reducere, ac remos per arenam mouere docebantur. Iamque confectis nauibus. C. Cornelius, &. C. Duellius Consulatum inierunt. Classi Cornelius, terrestribus copiis Duellius præficitur. Duellius in Siciliam profectus, exercitu a superioribus Imperatoribus accepto, quæ ad bellum pertinebant, ministrabat. Cornelius classe ad fretum deducta, cum nautas aliquãdiu in aqua exercuisset, ipse cum sexdecim nauibus Messanam contendit, reliquã vero classem iuxta Italiæ oram subsequi iussit. Messanam cum venit, quæcunque ad classis vsum iudicabat necessaria, coemit: & subinde cum eisdem sexdecim nauibus, quando id res poscebat, Liparã traiecit. • Per id tẽpus Annibal Carthaginensiũ Dux Panormi cũ classe erat. Is cognito Cõsulis ad Liparam appulsu, Boodem Carthaginensem nobilitate & militia præstantem virum, viginti cum nauibus ad eum opperiendum exire iubet. Intempesta nocte Boodes Liparam delatus naues Romanas sua cum classe in portu deprehensas inclusit. Cornelius subito malo perculsus, inops consilii, nec quo se verteret satis certus, ad colloquium a Boode euocatus, fraude Punica intercipitur. Cathenis subito oppressus, pro captiuo habitus est. Ita sexdecim Romanorum naues vna cum Consule, Boodes victoria fraudulenta insolens, ad Annibalem Panormum reduxit. Arrisisse hoc belli initio fortuna Carthaginensibus videbatur, sed paucis post diebus quasi in alterutros ludens non dissimili clade miseros afflixit. Annibal enim captiuitate Consulis elatior, sed non cautior factus, cum audisset Romanam classem secus Italiæ littus peruagantem, & non procul a Sicilia abesse, eius structuram multitudinemq; exploraturus, quinquaginta cum nauibus ex sua classe delectis Italiam petiit. Ibi cum contrario quam Romana classis cursu ferretur, in eam ex improuiso incidit. quem Romani mox adorti, subita vi nauibus ferme omnibus spoliarunt. Ipse vero interceptus plane, ac iam pro captiuo quasi habitus, præter spem inter hostium manus dilapsus, cum suorum paucis euasit. Romani per captiuos, quos hoc bello ceperant, cognito Cornelii Cos. aduerso casu, eum continuo redemerunt: compensataque vtrinque clade mœrore lętitiam permiscentes, citato cursu in Siciliam properant, ne forte desperatione ductæ ciuitates ad Carthaginenses deficerent. Agebat tum forte Duellius Consulum alter circa littus copias. hic de Cornelii collegæ casu, & hostium classem non longe abesse certior factus, relicto Tribunis exercitu, statim ad mare, quo Romana classis appulerat, descendit, omnesque ad prælium parari iubet. Verum cum Romanorum naues tardiores essent, ne Punicorũ agilitate medio certamine eluderẽtur, lignea instrumẽta, quæ coruos postea nautæ vocauerunt, ad hostium naues innectendas singulis quinqueremib. imponit: atq; ita ipse, exploratorũ indicio edoctus Carthaginensiũ classem ad Mylas cõsistere, eo ad pugnandũ properat. Carthaginenses visa Romanorũ classe, cũ ad prędã potius quã ad pugnam proficisci se putarent, centum triginta instructi nauibus, magna etiã lætitia in altũ hostib. se offerunt. Sed vt e mutuo classiũ conspectu coruos apud Romanos Carthaginẽses vident, rei nouitate primũ quidẽ percelluntur, mox tamẽ, quicquid id foret spernentes, prœliũ ineunt, cõtrariisque proris magno impetu in classem Romanã feruntur. Romani, vt fuerant instructi, iectis manibus ferreis, aliisq; machinis in Carthaginensium naues, eas tenaciter innexas serio inuadunt: comminusque gladiis rem gerunt. Quo bello Carthaginensium naues, quæ primæ in Romanos irruerant, breui in potestatem hostium venere, & in his Prætoria septiremis, quæ Pyrrhi Epirotarum Regis fuerat. In ea cum esset Annibal, vbi victoriam penes Romanos esse, suamq; rem perditam vidit, in scapham desiliens,

desiliens, ad suos euasit. Reliquæ Carthaginensium triremes, quæ nonnullo interuallo sequebantur, vt primas suorum naues ab hostibus captas conspexerunt, ad ludificandos eos conuersæ, non a fronte, sed ex latere in Romanos feruntur. Eo etenim modo coruorum artem declinare posse censebant. Verum cum instrumẽta hæc ita essent instituta, vt ex omni parte hostes alligarent, sexaginta aliæ Carthaginensium naues, eodem nexu deceptæ, sunt captæ: cæteræ in fugam versæ, præter quatuordecim, quas ipsũ mare absorpsit. Capta sunt eo prælio a Romanis Carthaginensium septem milia, & tria milia cæsa. Annibal vero cum paucis velis, quæ bello superfuerant, Carthaginem rediit. Qui cum a Senatu in Sardiniam cũ classe missus, iterum infœliciter rem gessisset, Carthaginem reuersus cruci affixus est. Post hæc cum Segesta vrbs, vel ob id quod in amicitiam pop. Romani nuper venisset, a Pœnis obsideretur, Romani, qui præter spem mari imperare, & superiores esse cœpere, victoriæ cursum secuti, e Mylis in Segestanam oram nauigant. Quo delati, Carthaginensibus fugatis, obsidione vrbem sociam liberant. Mox progressi Macellam vrbem, quæ paruo inde spatio in eadem Aquilonari plaga Carthaginẽsibus parebat, expugnant. His rebus fœliciter gestis Duellius Romam reuersus, primus omnium nauale triumphum egit. Post Duellium. C. Sulpicius, & A. Rutilius Coss. (teste Polybio quem sequimur) creantur. Qui in Siciliam profecti Panormum, vbi Carthaginenses tũ suas copias habebant, confestim contendunt, fixaque ante vrbem acie, ad prælium hostes irritabant. Sed cum illi pugnam detrectarent, Panormo relicta, ad Hippanam oppidum, quod Pœnis suberat, se referunt: quam & breui capiunt. Myfistratum deinde (Amestratum a Cic. & cæteris appellatum) situ loci munitissimum oppidum milite cingũt. Quod cum loci opportunitate diutius obsidionem toleraſſet, non nisi magna molestia, & interiecto tempore expugnari potuit. Post hæc Camerinam petunt, quæ paulo ante a Romanis defeciuerat. Ea quoq; ducto exercitu, machinisq; adhibitis, a Consulibus recepta est. Capta est etiã ab eisdem Enna, ac alia pleraq; Carthaginensium oppida, & Lipara obsessa. Subactis tot hostium oppidis, Rutilius Consulum alter, qui classi præerat, apud Tyndarium vrbem stationem habebat. Is Carthaginensium classem nõ procul a littore conspicatus, suos, vt se quam celerrime sequerentur, est hortatus. Ipse decem cum nauibus temere in altum euehitur. Carthaginenses vbi eas tam paruo numero longe a cætera classe abesse vident, rati sero eis auxilium a reliquis affuturum, in eas incredibili celeritate irruũt, circunsistunt, pleraſq; demergunt: parũq; abfuit quin Prætoria caperetur. Quod reliqua Romanorum classis eminus vidẽs, hostium naues adoritur: quarum decem onustas capit, octo mari submergit, reliquas Liparam fugat. Hac pugna vterque hostis victoriam sibi adscripsit. Romani iis accensi studiis, omnem belli molem in Africam transferre eo animo decernũt, vt Pœni Sicilia deinceps prorsus abstinerent. Eoq; consilio classem quinqueremiũ trecentarum & triginta parant, quarum singulis trecentos remiges, & legionarios milites centum viginti imponunt. Naues quoque quibus equi traiicerentur, & duas sexremes, quibus. M. Attilius Regulus, &. L. Manlius Consules creati, veherentur, ædificant. Paratis igitur omnibus ad profectionem necessariis, in Messanæ portu, vbi tota classis conuenerat, naues conscendunt. atque inde soluentes superato Pachyno promontorio, Ecnomũ venerunt: vbi pedestres copiæ classem prę-stolabantur. eoque loco totam classem, quæ hominum milia supra quadraginta continebat, quadripartito Consules diuidunt. Carthaginenses de suo periculo anxii, trecentarum & quinquaginta nauium & ipsi classem instruunt: in qua ex selectis tantummodo ad nauale prælium militibus supra centum hominum milia imponunt. Quorum imperio Hannonem & Amilcarem pręficiunt. Hi cum scirent quam periculosum eis esset bellum in Africam transferri, totis viribus Romanorum eo traiectum impedire conabantur. Itaque vt aduentum Romanorum præuenirent, Carthagine soluentes, Lilybæum nauigant: vbi cum vniuersa classe primum consederunt, postea Heracleam petunt. vnde conspicati Romanam classem, in quatuor etiam acies & ipsi copias diuisere. Cumque iam in propinquo essent, magno ac terribili clamore sublato Romanos inuadunt. Reclamatur a Romanis

manis altissime, nec minus infeste illis occurritur. Consules medium primæ aciei Pœnorum agmen magno impetu perrumpunt. Carthaginenses ab Amilcare edocti, vt Romanam disiungerent classem, ex composito cedunt. Quo facto prima & secunda Romanorum acies auidius insecutæ, longe a reliquis separantur: reliquis duabus segnius a tergo sequentibus. Amilcar, vbi Romanorum classes disiunctas videt, signum e naui suis dat. quo exciti Carthaginenses, repente totis viribus in Romanos versi, primam & secundam classem, in quibus Coss. erant, circunsistunt. Cum quibus atrocissimo prælio dubie aliquandiu pugnatũ est. Hanno, qui dextrũ Carthaginensium cornu ducebat, vbi implicitam pugnam videt, a pelago cum suis nauibus triarios, qui extremum Romanorum claudebant agmẽ, inuasit. vbi nouo rursum certamine atrox pugna successit: atq; ibi dum triarii cum Hannone conferuntur, tertium Romanorum agmen, cui rates equitum tributæ erant, aliquanto processerat. quod quarta Carthaginensium acies a littore statim adorta est: ita vt tres nauales pugnæ vno tempore diuersis locis commissæ sint. Et quoniam numerus nauium in singulis conflictibus erat pene par, certamen quoque non dispar fuit. Vtrinque fortissime, & quam simillima strenuitate dimicabatur. Porro Coss. qui initio ægre obstiterant, postmodum animis erecti Carthaginensium naues inuadunt: quarum quasdam capiunt, plures submergunt, reliquas fugant. M. Attilius Regulus, vbi prima classe profligatos hostes fugatosque conspexit, L. Manlio ad eorum reliquias persequendas relicto, ipse triariis, qui ab Hannone circunsepti summo in discrimine versabantur, cum integris secundæ aciei nauibus succurrit. Triarii, vbi suppetias sibi adesse conspiciunt, audentiores facti, maiorem in modum resistunt. Attilius interea in classem Hannonis irruens, incredibili animo & corporis robore naues multas expugnat: nonnullas fractas armamentisque nudatas submergit. Vbi Hanno præsenti malo vndique circunuentus, fugam arripuit, ac celeritate nauis fretus in altum euolat. Superat interea tertia Romanorum acies, quæ circa Heracleæ littus a Carthaginensibus adeo lacessebatur, vt vix vlla amplius salutis spes relicta videretur: cum vno in tempore M. Attilius Regulus a triariis, & Manlius a primo congressu victores, diuerso itinere labanti succurrunt: Carthaginenses in medio positos aggrediuntur, atque eorum naues quatuor & sexaginta capiunt, cæteras fugant. Triplici itaque nauali prælio vno fere temporis momento Romani a Pœnis insignem victoriam consequuntur: quibus in ea pugna naues quatuor & viginti, Carthaginensibus vero supra triginta fractæ periere. Tanta vero hominum milia occubuere, vt passim cadaueribus caua littora complerentur, dumosique Heracleæ scopuli colluctantibus fluctibus, occisorum sanguine, dissutisque naufragorum artubus redundarent. Amilcar conclamatis rebus, cum paucis militum classisque reliquiis Heracleam se recepit. Consules vero reparato exercitu, suisque simul & Punicis, quas in pugna ceperant, nauibus ad tempus instructis, priorique numero adiectis, in Libyam pergunt: atque ad Mercurii promontorium primo appelluntur. Inde Clypeam insignem tunc ciuitatem, quæ prima a Punico littore quasi arx & specula prominebat, aggressi, eamque non multo post adepti, Carthaginem properant, agros eius populantur, suburbana ædificia incendunt, captiuorum supra triginta milia ad naues cogunt. Subinde, ad Adim vrbem cum Carthaginensibus conserto prælio, duodeviginti eorum milia trucidant, quinque milia hominum simul & elephantos decem & octo capiunt. Acceptæ in fidem septuaginta quatuor ciuitates. Serpentem tum ibi ad Bagradam flumen centum viginti pedum longitudinis balistis & catapultis expugnant. Tunetum oppidum vi capiunt. Pace deinde apud Romanos frustra tentata, Carthaginenses ad Lacedæmonios confugiunt, Xanthippoq; Duce auxilia impetrant: cum quo conserto prælio, Romanus exercitus Attilio duce vltima pernicie vincitur: cum duo tantum ex ipsis profugerint, quingenti cum Regulo capti, triginta milia cęsa. Nec multo post cũ recenti trecentarum nauium classe M. Æmilium, & Seruium Fuluium Coss. in Africam Senatus Populusque Romanus misit. cui prædæ victoriæque studio Carthaginenses obuii facti, commis-

sa pugna, centum & quatuor naues ab Æmilio Consule demersas, triginta cum pugnatoribus captas, quindecim hominum milia cæsa perdidere. Romani vero famis necessitate inde discedere compulsi, latus Siciliæ meridionale circa Camerinam tenuerunt. Vbi aduersa maris tempestate subito coorta, ex quatuor & sexaginta supra quadringentas nauibus, trecentas octuaginta quatuor naufragio amiserunt. Incidit ea clades in decimum annum primi belli Punici, qui quingentesimus fuit ab vrbe condita. Carthaginenses, cognita Romanorum calamitate, Asdrubalem cum omni veterano exercitu, nouoque insuper delectu habito, & centum quadraginta elephantis, in Siciliam miserunt: ac ex veteribus nouisque rostratis ducentarum nauium classem instruxere. Asdrubal emenso pelago, copiisque omnibus & elephantis ad Lilybæum expositis, Romanorum socias vrbes infestabat. Romani, ne cõcedere hostibus viderentur, infra nonagesimũ diem post cæsam in syluis materiam, classem centũ & viginti nauium in mare deducunt. Cum qua A. Aquilium, & C. Cornelium Coss. creatos Messanam mittunt. Ibi cum eis, & iis quæ incolumes ex naufragio superfuerunt, & refectæ ex illisione scopulorum fuerunt, nauibus, trecentarum quinqueremium tota classis fuit. Hinc Panormum profecti, (quæ præcipua tunc Pœnorum ciuitas, omnisque eorum belli præsidium erat) magna vi vrbem aggrediuntur: duobusque e lateribus castrametati, machinis ac tormentis adhibitis fortiter oppugnando paucis diebus arcem demoliuntur: per quam milites ingressi, eam vrbis regionem quæ Neapolis dicebatur, quæque meridiem respicit, capiunt. Quo facto reliqua pars, (quam Latini vrbem veterem, Palæopolim Græci, Alcassarum postmodum Sarraceni cognominarunt) metu exanimatis ciuibus, deditionem fecit. Capto Panormo, firmatoque Romanorum præsidio, Consules, qui nihil fere aliud eo gesserant anno, e Sicilia discesserunt. Proximus dehinc annus Coss. habuit. C. Seruilium, &. C. Sempronium. Hi suscepta classe primum in Siciliam, postea in Africam traiiciunt: vbi cum ad Lotophagorum insulam (Gerborum hodie nominatam) peruenissent, magnam iacturam ex inopinato acceperunt. Nam cum inscitia locorum in aridas & arctas quasdam terræ laminas incidissent, nonnisi iactu rerum euadere potuerunt. Inde in Siciliam relati, nonnihil Panormi constiterunt. Vnde discedentes cum Italiam Romamque repeterent, subita & atroci maris ventorumque tempestate suborta, supra centum & quadraginta naues amiserunt. Hac clade pop. Romanus affectus, a mari abstinendum, & septuaginta solum nauibus ad onera deuehenda deinceps vti decreuit. Anno proximo Coss. creati sunt. L. Cecilius Metellus, &. C. Furius: quibus a Senatu terra tantum bellum gerere iniunctum est. Quo contigit Carthaginenses iterum fieri superiores, cum & mari ingentem haberent classem, & terrestribus quoque copiis non minus quam Romani pollerent. Elephantorum etiam numerum non spernendum possidebant: quorum metu Romani cum Pœnis biennio æquo marte in Sicilia congredi non sunt ausi. Quocirca tandem necessitate ad parandam rursus classem coacti sunt. Interea. C. Furio Consulum altero cum exercitus parte Romam reuocato, L. Cecilio Metello collegæ, qui cum copiarum dimidio Panormi relictus erat, præter omnium spem fortuna rerumque gerendarum successus arrisit. Asdrubal enim Pœnorum Dux, cognito ex profugis, Consulis & exercitus discessu, solumq; Metellum cum exigua militum manu Panormi quietem agere, e Lilybæo profectus, confertissimum selectissimæ iuuentutis agmen cum centum & quadraginta elephantis in Panormitanum agrum induxit. Metellus de Carthaginensium aduentu copiisque sigillatim per amicos præmonitus, tum Asdrubalem summa pugnandi cupiditate flagrare cognoscens, simulato metu intra mœnia exercitum continebat, & fossam interea ingentis magnitudinis ante vrbem circumquaque molitus est. Quo maiori fiducia Asdrubal confirmatus, deuastato vndique atque incenso circum agro, exercitum tandem ad vrbem admouit. Continuit se intra mœnia Metellus, quousque Asdrubal cum exercitu Orethum fluuium, qui vrbem ad meridiem præterlabitur, traiecit: tum velocissimos ac maxime expeditos milites exire, atque hostes lacessere iubet: aliosque etiam

etiam leues & ſtrenuos milites ante muros ſupra vallum (vbi ingentem telorum vim collocauerat)conſtituit,qui contra elephantos telis hac arte pugnarent, vt,ſi iratæ belluæ cõtra ipſos cum impetu ferrentur,in foſſas, earum iram declinantes, ſe demitterent, vnde rurſum eoſdem ex occulto ictibus peterent. Ipſe vero ſignis militaribus ſtipatus ex diuerſa vrbis parte,quæ læuum hoſtium cornu ſpectabat,in omnem euentum intendens conſtitit. His itaque paratis, vt pugnari cœptum eſt,elephantorum Duces gloriæ cupidi,& qui victoriam ſibi attribui deſiderabant,non expectato Aſdrubalis imperio , elephantos in Romanos pedites concitant. Illi , vt a Metello edocti fuerant , ſtatim fugam capeſſunt,infeſtiusque inſequentibus belluis in foſſas ſe præcipites demittunt. Elephanti,cum primum ad extremum foſſarum tumulum peruenerunt,vno tempore & a militibus ex foſſis verubus telisque,& ab vrbana multitudine ex mœnibus ſagittis multifariam feriuntur. Quocirca ex vulneribus & ira & ſæuitia efferi , cum vltra aggerem progredi non poſſent,neceſſario terga vertunt,atque in ſuos furibundo impetu perciti agmina perturbant,magnamque ſuorum ſtragem edunt. Metellus, vt primũ ſibi conſilium ex ſententia ſucceſſiſſe videt,ne oblatam occaſionem contemneret,ex ea vrbis parte vnde paratus euentum expectauerat,eductis repente copiis, in hoſtes ferarum indomito diſcurſu perculſos irruit. Illi iam pridem ab elephantis diſſipati, accedente inopinata Metelli inuaſione facile profligantur, cum pars eorum cæditur,multi capti, plures circa fluuium periere,multi fuga ſibi ſalutem quærunt. Fuit cæſorum captorumque numerus viginti milia. Aſdrubal cum parua exercitus parte ad Lilybæum fugiens euaſit.qui abſens ob hanc in Sicilia male rem geſtam a Pœnis capite damnatur. Elephanti omnes viui in poteſtatem Metelli,ſed decem cum ſuis magiſtris Indis,cæteri ſeſſoribus excuſſis circa fluuium capti,peruenerunt. Recens hæc victoria,Romanorum animos adeo erexit, vt contra Carthaginenſes in Sicilia bellum nulla clade,nulliſque expenſis deſerẽdum deinceps adducerentur. Metellus Romam regreſſus, egregium de Pœnis triumphum cum elephantis præeuntibus egit. Erat tum huius belli annus decimus quartus,& ab vrbe condita quingenteſimus & quartus. Poſt hanc victoriam. C. Attilius,& L. Manlius noui Conſules in Siciliam maiori cum conatu,mari quidem ducentarum roſtratarum nauium claſſe , terra vero exercitu victore conuenerunt. Qui ſtatim hoſtes ob recentem hanc cladem attritos in Lilybæum compulerunt: quam duplici obſidione circundedere,atque curribus omnique bellico opere proinde ad id comportato oppugnarunt. Erant Lilybæi ad decem propugnatorum milia præter vrbanam multitudinem , quorum Himilco dux erat, homo impiger,& militari arte inſignis. Qui cum Siciliæ ciuitates omnes (præter Lilybæum, Drepanum, Erycem,& alia admodum exigua,quæ Pœnorum adhuc ditionem imperiumque agnoſcebant) Romanis parere videret, totis animis viribusque eam Carthaginenſibus vrbem tuebatur, veritus ne ea amiſſa , bellum in Africam iterum a Romanis transferretur. Conſules igitur ſedulo omnia pro victoria agunt,binis caſtris vtrinque vrbem cingunt: foſſam & aggerem,& crebra caſtella in medio caſtrorum excitant, machinas ſtruunt: ſtagna, per quæ ingreſſus eſt ad portum , ſtationibus comprehendunt: & ne quis ingredi egrediue poſſit , curioſiſſime obſeruant: machinis deinde & arietibus longo labore mœnibus ipſis admotis, ſex turres ab ea ipſa parte quæ mare contuetur,euertunt. Quaſſata murorum parte , terribilis erat obſidio, & intra vrbem ſumma trepidatio excitata : quam exanimatis metu vrbana multitudine, & conductis militibus , ſolus vnus Himilco magnitudine animi & conſilio ſuſtinebat. Nam quacunque parte hoſtes muros diſiiciebant,alia ipſe intra vrbem mœnia munimentaque ſufficiebat. Sicubi illi cuniculos faciebant , aliis ipſe factis obuiam ibat. Eruptionibus etiam crebris tam interdiu quam noctu Romanas ſtationes turbabat , machinas incendebat , opera demoliebatur, longumque ita obſidentium laborem fruſtrabatur. Interea Galli quidam conductitii Carthaginenſium milites , qui ordinem in præſidio tenebant,prodere Romanis vrbem ſtatuunt. Qui per tenebras muris dilapſi, in caſtra Romanorum transfu-

gere,ibiq; cum Consulibus composuere.Erat in Carthaginensium præsidio Alexon Achæus genere, veteranus miles probatæ fidei , qui superioribus temporibus Syracusanis vrbem tenentibus Agrigentum a proditione liberauerat.Is cum ea quæ de proditione tractabantur , a commilitonibus forte didicisset : statim Himilconi rem omnem aperit. Ille per Alexonem & Annibalem internuntios, Gallorum transfugas precibus & præmiis vsque adeo conuertit, vt aduentantibus mox a Romanorum castris ad constitutum facinus coniurationis principibus,non modo ad patrandam proditionem, vt simul coniurauerant, non consenserint,verum etiam telis ac lapidibus proditores insectati procul inde fugauerint. At quanquam ita ex manifesto periculo Lilybæum seruatum videretur, obsidio tamen dura in dies magis ac magis obsessos conterebat. Inter hæc Carthaginenses de suo discrimine soliciti,Regulum,quem captiuum habebant, fide ab eo accepta, vt Carthaginem rediret, Romam mittunt,vt cum Senatu vel de pace, vel de captiuis saltem commutandis ageret. Ille vbi Romam venit,Senatui persuasit,vt neque ad fœdus, neque ad commutationem vllam consentirent.illud,quia breui futurum esset vt inuiti Carthaginenses tot cladibus fractiu-gum acciperent:hoc, quoniam ipsum iam senem, ac pene decrepitum,& obid bellis gerendis ineptum,cum Carthaginensibus captiuis commutari, qui viri erãt fortes ac strenui,& rei militaris sciẽtissimi,Reip. pernicioſum foret.Regulus postquam patriæ bene consuluit,vtroque infecto negotio Carthaginem (vt pollicitus fuerat)rediit.Quo cognito,Pœni variis tormentis ipsum,& ob id,& ad animos suorum prodendos,vexatum crucis supplicio tandem adegerunt. Post hæc Carthaginenses,quo Lilybitanæ obsidioni succurrerent, ex Africa Annibalem Amilcaris filium incredibili audacia adolescentem,cum quinquaginta nauibus,& decem milibus peditum,Lilybæum mittunt.Is Carthagine soluens, ad Ægusam insulam(quæ Fauognana est hodie)primum delatus,inde secundante vento,ne Romanis quidem,qui ab vtraque parte fauces portus obsidebãt,obiicere se ausis,magno suorum clamore & alacritate Lilybæium portum est ingressus.His copiis Himilco fretus, fiduciaq; rerum erectus, repente vltra viginti milia armatorum ex vrbe educit. quibus Consules numero superiores, qui eo intentiori solicitudine castra communierant,fortiter se opposuere.Hinc certamen multis simul locis cõseritur.Pœni machinas hostium incendere, Romani eas propellere satagebant. Illi magno impetu non solum armis , sed etiam facibus Romanos loco pellere adnitebantur : isti pertinacissime contra omnes conatus perstabant, cunctaque igne,ferro,& cæde miscebant.Porro prior Himilco post varias ex omni parte stages cum nihil proficeret,receptui cecinit.Annibal, vt a pugna cessatum est , cum suis nauibus noctu Lilybæo soluens, Drepanum ad Adherbalem nauigauit.Quo discedente,arctior obsidio vrbem a Romanis subsecuta est. Tenebat interea Carthaginensium Senatum maxima rerum Lilybitarum cognoscendarum cupido.quam cum nulla præsenti via explere possent,vir quidam , cui nomen Annibal,Rhodius genere, sed animo præstantior,deducta insigni celeritate in mare triremi,periculum subiit : soluensq; Carthagine Ægusam insulam primo vento applicat.Nactus postridie multo prosperiorem auram,tanta velocitate Lilybęum proficiscitur,vt spectante Romana classe (quæ fauces portus obseruabat,nec impedire transitum ausa)portum ingressus per otium etiã in quo statu suorum res ibi essent,speculatus sit.Consules tantam viri audaciam admirati,decem triremes ex tota classe delectas in ipsis portus faucibus,quæ redeuntem interciperent, ex industria collocant:sed & naues cæteræ,quæ ibi excubabant, ad vtranque proximæ paludis partem extensis remis reditum Rhodiæ triremis præstolabantur.At ille captata recessus hora , non noctu , neque clam, sed pleno die, & palam, apertoque itinere per medias Romanorum triremes nauigans,incredibili velocitate elapsus est.Nec euasisse contentus, vbi paululum hostes præteriit,conuersa prora ignauiam eis obiiciebat simul , & ad pugnam singulos prouocabat. Nec Romanæ triremes ob miram huius pernicitatem contra exire sunt ausæ.Ille igitur quasi de hostibus triumphans, Carthaginem reuersus, cuncta,vt

oculis

oculis viderat, Senatui retulit. Eius exemplo cæteri postea idem facere non sunt veriti. Quo eueniebat, vt nihil eorum quæ Lilybæi agebantur, Pœnos lateret. Ea ludificatio ad ingenium etiam Romanos prouocauit, compulitque militari opere portus ingressum obstruere: eoque onerarias aliquot naues sabulo onustas maris fundo graui pondere superiecto depressere. Quæ omnia cũ sæpe tentata, hinc ipsa vadi altitudo absorbendo, hinc vndarum fluxus ac refluxus diffundendo illusisset: tandem ex vna faucium parte agger constitit: in quo Romani excubantes, paulo post quadriremem Carthaginensium nihilo segniorem priori, quæ magno impetu ex Æguſa proruperat, interceperunt. Qua subinde vsi, aduentum Rhodiæ obseruabant. Illa intempesta (vti solebat) nocte aduenies, & innata sagacitate præterueĉta, portum ingressa est. Quam cum postea redeuntem e vestigio quadriremis capta secuta esset, Rhodius desperata fuga ab ingenio ad prælium venire compellitur. Sed cum Romani numero & virtute præstantiores essent, paruo negotio cum sua naui in manus hostium deuenit. Duabus his triremibus freti ex eo tempore Romani, & portus aditum Carthaginensibus penitus prohibuerunt, & vndique Pœnis præsidii spem ademerunt. Sed ex insperato illis patrandæ rei occasio successit. Nam cum vehementior ventus, & veluti procella repente orta, bellica Romanorum opera vehementissime concutere cœpisset: Pœni consiliũ Græci cuiusdam militis ex his qui intus erant, secuti, extra vrbem tribus in locis ignem ex aduerso iniiciunt. Flamma aridæ materiæ vi ventorum impulsa, Romanorum machinas diu iam ad Solem vstas facillime absumebat. Tantaque fuit ignis vis, vt dominante Borea nulla humana arte extingui potuerit, & bases quibus stabilitæ turres erant, cremarentur, & arietum capita liquescerent, & machinæ ferme omnes consumerentur. Quo casu Romani desperata operum bellicorum refectione, obsidione tantum Carthaginenses premere, nec prius inde discedere decreuerunt quam vrbe potirentur. Hæc cum Romæ nuntiata essent, Senatus decem milia hominum in supplementum eorum qui in ipsa obsidione interierant, misit. Hi Messanam primo aduecti, pedestri deinde itinere in castra ad Lilybæum venerunt. Interea prioribus Consulibus Romam reuersis, Appius Claudius Pulcher Consulatum inierat, & iam apud Lilybæum obsidioni bellique summæ præerat. Is ad recentem militum aduentum consilia instituens, ex veteribus nouisque copiis inuictissimos quosque viros delegit, quibus naues suas compleuit. Cum his deinde Drepanum per noctem, nihil sentientibus hostibus nauigat, ex improuiso Adherbalem aggressurus. Illucescẽte, cum Romanam classem iam in limine, Drepani exitio instare Adherbal conspexisset, etsi primum inopinato hostium accessu commoueretur, confestim tamen ad se reuersus, fortunam prælii omnino tentare, ac nihil non pro salute experiri statuit. Itaque protinus remiges ad littus cogit, mercenarios ære conuocat, eosque pro temporis angustia ad præsentes miserias propulsandas hortatur: nauesque conscendere, atque eo proras dirigere iubet, quo ducem tendere vidissent. Tum primus portu ipse egreditur, & in Romanos, qui diuersa portus regione appropinquabant, cursum deflectit, atq; in altum progressus pelago se firmat. Consul hostes ad prælium paratos conspicatus, naues suas referre gradum iussit: ibique structis paratisq; omnibus, ut in propinquo fuere classes, signis vtrinque sublatis pugna committitur, atq; diu acriter certatur. Producta vero diutius conflictatione, Carthaginenses & agilitate nauium, & nautarũ peritia, tum eo maxime quod Romani arctum littus, ipsi vero pelagus tenebant, quo longe lateque discurrere poterant, superiores erant. Denique cum rem suam Consul in deterius labi videret, nauibus aliquot in littore confractis, nonnullis etiam submersis, desperata ad extremum victoria, omnium primus fugam arripuit. Quem triginta naues, quæ ei proximæ erant, sunt secutæ: reliquæ omnes, res & nonaginta cum copiis omnibus in hostium manus captæ peruenere. Adherbal ingenti hac victoria potitus, maximum, vt par erat, nomen est adeptus. Hæc vbi Romæ renuntiata sunt, Claudio reuocato, atque a Senatu iniuriis affecto, Consulatuq; abdicato, confestim reparata classe, nouisq; coactis copiis, L. Iunium Consulem in Siciliam mittunt. Is cum septuaginta rostratis nauibus Messanam venit.

qui ſtatim tota Sicilia contractis ad ſe cæteris Romanis triremibus, centum viginti roſtratarũ claſſem effecit, præter octuaginta onerarias, quas Quæſtori ad commeatum in caſtra ferendum dedit. Interea Adherbal gloriæ ambitione, & nouitate victoriæ ductus, primum captiuos Romanorũ, & naues prælio acceptas Carthaginem miſit. Subinde Carthalonem Carthaginenſem virum impigrum, & militia ſtrenuum, cum triginta nauibus ex Drepano ad omnia circum Siciliæ littora perluſtranda cũ poteſtate mittit, vt quaſcunq; Romanorum naues offendat, capiat atq; incendat. Carthalo nihilo gloriæ minus cupidus quã Dux, noctu ex improuiſo in claſſem Romanorum, quæ ad Lilybæum ſtabat, incidit, ac in eam impetum facit. cui ſtatim ab his qui circa claſſem excubabãt, occurritur. Rumore exciti qui ſuperioribus erant caſtris, citiſſime concurrunt: atque ita certamen ingens circa uaues conflatum eſt. Inter hæc Himilco ex clamore hoſtium, nouoq; ſtrepitu, cũ ſuos adeſſe cognouiſſet, impigre vrbem egreſſus, caſtra Romana inuadit. Ita ab vrbe ſimul & portu atrox prælium excitatur: tumultuque & trepidatione omnia per tenebras complentur. Ea dimicatio bellandique ardor a tertia ferme vigilia ad auroram vſque proceſſit. Sub lucem vero Carthalo ſuos ab incepto reuocat, paucis captis Romanorum nauibus, quas primo impetu expugnauerat: atque ita Lilybæo profectus, Heracleam petiit, vt commeatus, qui ex ea parte in caſtra Romanorum comportabantur, vel interciperet, vel impediret. Huic iter agenti ſpeculatoriæ eius naues ingentem Romanarum nauium numerum aduentare nuntiant. Ille fiducia rei nuper geſtę nihil cunctatus, cõtra eas pergit. Romanus Quęſtor, qui cum illis nauibus venerat, poſtquã hoſtium claſſem adeſſe & ipſe ſubidẽ fere tempus audiuiſſet, quia longe imparem ſe hoſti cenſebat, in proximum littus naues ſubduxit. Erant in iis locis receſſus quidam atq; anfractus, rupesq; deſuper imminentes: e quibus Romani ſagittis ac fundarum iactu Punicorũ naues arcebant. Carthalo cum propter naturam loci fruſtra adniteretur, paucis hoſtium nauibus, quas primo impetu oppreſſerat, ſecum abductis, ad proximũ fluminis oſtiũ conſedit, & ne qua hoſtes euaderent, obſeruabat. Inter hęc Conſul peractis omnibus iis quorum gratia Meſſanæ remanſerat, cum reliqua claſſe ſuperato Pachyno Lilybęum, ignarus cladis quę ſuis acciderat, contendit. Carthalo Conſulis aduentu per ſpeculatorias percepto, ſtatim aduerſus eum properat, ſtatuens procul a cæteris Romanorum nauibus illum adoriri. At Conſul cum eminus aduentum hoſtis conſiliumq; præuidiſſet, & multitudinem & audacia hominis ſupra centum roſtratas naues ſecum habentis perterritus, nec pugnare nec retrofugere ob hoſtium vicinitatẽ auſus eſt. Quocirca ad loca difficilia ac periculoſa conuerſus, in proximo littore ſtationem fecit. Id conſpicatus hoſtis difficultatem locorum exhorrens, ab inſtituto Romanorum inſultu deſtitit: ſed medium quendam inter vtranque Romanorum claſſem ſinum nactus, conſedit: ratus eo modo nec Prætori nec Conſuli aliquo abeundi facultatem fore. Cumq; in hac obſeruatione per aliquot dies vtrinq; ſtetiſſent, ingens procella inſurgere cœpit. quam Carthaginenſes nautæ regionis & æquoris gnari præuidentes, Carthaloni ſuaſerunt, vt ſuperato quam primum Pachyno naufragium euitaret. Quibus ille obſecutus, cum ſuis omnibus fœdę tempeſtatis periculum euaſit. At Romanorum claſſis vi fluctuum inundantium in locis importuoſis agitata, ita ad extremum ſalo ſuccubuit, vt ſcopulis illiſa fractaque, nihil ex tot nauibus, quod deinceps eis vtile eſſe poſſet, ſibi reliqui ſeruauerit. Per hunc modum Romani onerarias naues ad octuaginta, roſtratas vero ad centum viginti vno ſimul tempore amiſerunt. His maritimis cladibus aliis ſuper alias acceptis, fractus populus Romanus, mari iterũ proruſus exceſſit, in terra duntaxat ſpem retinens. Contra vero Carthaginenſes & mari dominabantur, & in terra quoque non ſine ſpe erant. Nec tamen tot clades Romanos inducere potuerunt, vt obſidione Lilybæi abſtinerent. Quare & quotquot erant neceſſaria ſuppeditabant, & in obſidione perſeuerabant. Conſul poſtamiſſam apud Heracleam tanto naufragio claſſem terreſtri itinere in caſtra ad Lilybæum, curę & ſolicitudinis plenus peruenit: qui iam vitam etiam ſibi acerbam putabat, dum occaſione alicuius rei bene gerendæ acceptam ex mari ignominiam

amaboleret. Nec ita multi dies interceſſerunt, quibus ille Erycem per proditionem occupauit. Vbi & Erycinæ Veneris templo & oppido potitus, vno præſidio in vertice, altero ad radicem montis, qua aditus a Drepano eſt, collocato, cuſtodire vtrunque locum properat. Carthaginenſes amiſſo Eryce, Amilcarem cognomento Barcham Annibalis (qui poſtmodum ſexdecim annis in Italia cum Romanis bellum geſſit) patrem, ingentis ſpiritus, & ſingulari rei militaris ſcientia virum, cum noua claſſe nouoq; delectu in Siciliam expediunt. Is claſſe in Italiam delatus, maritimam oram populatus eſt. Erat tum primi huius belli Punici annus decimus octauus. Ex Italia Amilcar vaſtatis Locrorum & Brutiorum agris Siciliam petẽs, cum omni claſſe in Panormitanum agrum deſcendit: locumq; ibi nactus bello gerendo aptiſſimum, in eo conſedit. Nam alte mari ſupereminet, & natura munitus eſt, & ad tenendum exercitum tutiſſimus, portumq; habet nauium plurimarum capaciſſimum. Eſt is locus (ni fallor) Mons quem hodie Peregrinum vocant, duobus fere paſſuum milibus a Panormo diſtans. Ibi Amilcar caſtris poſitis mediis ſeſe indies hoſtibus obiiciens, laceſſere eos nunquam deſiſtebat. Vnde & mari ſæpe in maritimam Italiæ oram excurrens, omnia vſque ad Cumas populabatur. Poſtea pedeſtri itinere ducto exercitu, caſtra ante Panormum non longius a Romanis copiis quam octingentis paſſibus diſpoſuit. Ibiq; tres circiter annos commoratus, multa & præclara facinora geſſit. Ad extremum vrbem Erycem per proditionem recepit. Quo facto vtrunq; Romanorum præſidium, inter quæ media ſtabat ipſa ciuitas, duriſſime a Carthaginenſibus opprimebantur. nam qui infra vrbem erant, inter Drepanum & Erycem arctiſſime claudebantur. Sed non minus Carthaginenſes ipſi in Erycina vrbe a duobus hoſtium præſidiis, altero ſupra ad verticem, altero infra ad radices montis, obſidebantur. Ita inuicem & obſeſſi & obſidẽtes ſumma animorum obſtinatione perdurabant, nec aut virtute aut militia alter alteri cedere quicquã videbatur. Cum itaq; hoc pacto fortitudinis contentione in longum bellum protraheretur, nec interim Amilcar frequentibus per mare excurſionibus Italiam infeſtare ceſſaret: Romani, qui iam annos fere quinque mari abſtinuerant, ſimul Amilcaris iniurias vlciſci, & bellum ad finẽ perducere cupiẽtes, iterum ad naualem fortunam redeundum eſſe iudicarunt. Idcirco ducentarũ quinqueremium, inſtar eius Rhodiæ quam circa Lilybæum ceperant, claſſem parauerunt: cui C. Luctatium Conſulem præfecerunt. Is ſub initium veris cum omni expeditione improuiſus in Siciliam delatus, primo acceſſu Drepanitarũ portum, & alios circa Lilybæum circumiectos ſinus occupat. Deinde Drepanum adhibitis machinis aliiſq; bellicis operibus adoritur: & quoniam non procul claſſis Carthaginenſium inde aberat, nõ ſegniter, ſed aſſidue oppugnationem perſequebatur. Pœni audito nouæ claſſis aduentu, ſtatim & ipſi ſumma ope triremes comparant, ac frumento aliiſq; neceſſariis inſtruunt, ne quid iis qui apud Erycem obſidebantur, deeſſet: Præfectumque claſſi Hannonem conſtituunt. Conſul, Carthaginenſis claſſis factus certior, ad Æguſam inſulam præliandi conſilio venit. Hanno Carthagine ſoluens, vbi triduum apud Hieroneſum inſulam (Sacram a Ptolemæo, ſed Maretimum hodie dictam) conſediſſet, flante vehementi aura inde ad caſtra Amilcaris, naues exoneraturus, ac commeatum expoſiturus, properabat. Illuceſcente itaque, cum primũ Pœnorum vela apparuere, quamuis procelloſum & aduerſum eſſet mare, Conſul congredi cum Hannone ſolo conſultius fore ſtatuit, quam ſedato mari cum eo ſimul & expedita claſſe, ac optimis militibus, & Amilcare, cuius eo tempore audacia nihil erat antiquius, in certamen deſcendere. Hanno vbi intercluſum per Romanas quinqueremes curſum ſibi videt, ad certamen inſtructas iam naues dirigit, atque ibi vtrinque confligitur. Romani primo ſtatim congreſſu, quod celeres ac bello exercitas naues copiasque haberent, Pœnos, quibus onuſtæ & ineptæ ad bellum puppes, tum remiges rudes, & militum turba collectitia & inexercita erant, fortiter & facile ſuperarunt. Naues eorum quinquaginta vel fractæ vel ſubmerſæ, ſeptuaginta captæ, reliquæ ad Hieroneſum inſulam, vnde ſoluerant, ſe ex fuga receperunt. ex militibus eorum viuis, præter eos qui inter præliandum perierant, ſupra hominum

decẽ milia captiuitatem subiere. Ex Romanis duodecim naues in pugna sunt depressæ. Consul adepta victoria cum classe Lilybæum reuersus prędam & captiuos inter suos diuidit. Porro Carthaginenses noua & inusitata clade consternati simul & attriti, cum vlterius belli expensas sufferre nequirent, de pace agere cœperunt: atq; ita Amilcari tractandæ pacis negotium commissum est. Is animaduertẽs optimi Ducis officium esse, non modo vincendi, sed & cedendi tempora perspicere, legatos ad Consulem pro fœdere misit. Consul difficultatum conscius, quæ ex belli diuturnitate vrbem Romam premebant: pacem vltro oblatam non est aspernatus. Igitur iis conditionibus, si populo Ro. visum fuerit, pacem componunt: Vt tota Sicilia Carthaginenses prorsus excedant: Ne posthac Hieroni Syracusanorum Regi, aut eius sociis bellum inferant: Captiuos omnes sine pretio dimittãt: Transfugas reddant: Talenta argenti Euboica duo milia & ducenta annos viginti Romanis pendant. His pacis conditionibus populus Romanus per decem legatos, quos in Siciliam cum authoritate ad id misit, hæc addidit: Vt omnibus etiam insulis, quæ inter Siciliam & Italiam interiacent, Pœni abstinerent: tempusq; pendendi argenti mille talentis additis coarctarunt. Amilcar acceptis legibus, impetrata pace, ab Eryce copias eduxit, ac pedestri itinere Lilybæum contendit. Subinde Eryce, & Lilybæo, ac omni Sicilia Romano Consuli relicta, cum omni exercitu in Africam reuersus est. In hunc modum primo bello Punico a Romanis in Sicilia, & propter Siciliam cœpto, quarto & vigesimo anno finis est impositus. cœpitque deinceps omnis Sicilia Romano parere imperio: vt pote Messana, Tauromenium, Catana, Agrigentum, Lilybæum, Drepanum, Eryx, Segesta, Panormus, & plura alia oppida, præter Syracusas vrbem, eiusdemque ditionis nonnullas ciuitates, quę Hieronem adhuc Regem agnoscebant. cui fœdus cum Romanis semel ictum, vtrinq; cultum semper inuiolatumq; stetit. Facta igitur Sicilia omnium prima Romanorum prouincia, Senatus Æmilium Prætorem in ea constituit, atq; per Prætores deinde per multa tempora gubernata est. Cæterum etsi Carthaginenses desperatarum rerum tempore compulsi graues pacis conditiones accepissent, puduit tamen postea nobilem populum tributa soluere, quę iubere ipse consueuerat: præclusum præterea mare, cuius Imperium tot annos antea tenuerat: ereptamque sibi Siciliam atq; Sardiniam æquo satis animo ferre non potuit. Hinc bellum alterum post quatuor annorum quietem exortum est, minus quidem spatio (nõ enim amplius quam duodeuiginti annos habuit) sed adeo cladium atrocitate terribilius, vt si quis conferat vtriusque populi damna, similior victo victor extiterit. Fuerat apud Carthaginenses puer Annibal, qui nouem natus annos Amilcari patri ad aras iurauerat se, quum primum posset, dum ætas ferret, Populo Ro. crudelissimũ hostem fore, contraque eum atrocissimis bellis sæuiturum. Is cum primum ad ætatis annum vigesimum peruenit, videreturq; ea esse indole, eaq; animi constantia, vt adimplere iusiurandum, ad quod pater eum adegerat, & posset & vellet, Dux belli cum imperio a Senatu Carthaginensi decernitur. Annibal igitur eo consilio, tum Senatus precibus, tum patris pietate seipso validior, primũ in Hispaniam traiecit: siue (vt quidam scribunt) in Hispania iam erat, quam antea totam pene subegerat. Ad huius Ducis simul, & Italiæ diuitis inuadendæ famam, tum qui sub Amilcare eius patre meruerãt, tum alii ex diuersarum gentium hominibus pene innumeri ad eius castra conuenere. Sed delectis ex tot milibus illis duntaxat, qui ad rem gerendam idonei sunt visi, coegit tandem exercitum virorum ad centũ quinquaginta milia. Tum deinde violandæ pacis, bellique inchoandi causam meditatus, Saguntum antiquam Hispaniæ vrbem, & opulentam, quæ populi Ro. socia erat, delere ante omnia visum est. Itaq; ab eius obsidione atq; oppugnatione cœptũ est. quam cum iam nouem mensibus dure obsedisset, Saguntini fessi ob famem extremam in rabiem versi, immanem in medio foro excitant rogum: quo omnes cum fortunis conglobati, & se & suos desuper præcipites cum omnibus opibus, machinis, ferro, & igne consumunt. Romæ vt Sagunti excidium nuntiatum est, primum per legatos apud Carthaginenses de iis iniuriis Romani queruntur. Cũq; nec resarcire damna, nec tributa soluere deinceps vellent, bellũ eis indicunt. Annibal

nibal interea ſuperatis Pyrenæis montibus, laborioſa per alpes profectione in Italiam deſcendit, & ad Ticinum amnem Romanos equeſtri prælio fudit. rurſusq; eoſdem ad Trebiam flumen vicit. Interea circa Siciliam, inſulasq; finitimas, viginti quinqueremes cum mille armatis ad populandam oram Italiæ, & Æolias inſulas, ac fretum Siculum, a Carthaginenſibus ſunt miſſæ. Hiero cum id temporis forte Meſſanæ ageret, Sempronium Romanum Coſ. opperiens, cum eminus claſſem conſpexiſſet, contra e Meſſanenſi portu duodecim naues emiſit. Quæ nullo repugnante tres naues Pœnis ablatas Meſſanam deduxerunt. Ex captiuis quoq; cognitum eſt, eoſdem quinque & triginta quinqueremes ad veteres ſocios, Lilybæi occupandi gratia ſolicitandos, in Siciliam miſiſſe: quas ventorum vi ad Ægueſam inſulam deiectas cenſebant. Hæc Hiero Rex ſicut Meſſanæ audierat, Æmilio Prætori perſcripſit, vt Lilybæum firmo muniret præſidio, omniaq; bello neceſſaria pararet: claſſem Punicam propediem affuturam. Prætor ſtatim per omnem Siciliæ oram in ſpeculis vigiles ſolertiſſimos collocat, & ante omnia Lilybæum ad apparatum belli munit. Edixit præterea, vt ſocii claſſis, quæ decem dierum cõmeatui ſufficerent, cocta cibaria ad naues deferrent, & vt qui in ſpeculis erant, vigilãtes excubias facerent. Interea Carthaginenſes ex induſtria curſum remorabantur, vt ante lucem Lilybæum inuaderent. Cæterum quia & luna pernox erat, & ſublatis armamentis veniebant, præſenſi ſunt: ac tum e ſpeculis confeſtim ſigno dato Lilybæo ad arma conclamatum eſt, atque in naues concurſum. Pars militũ in muris portarumq; ſtationibus, pars vero in nauibus erant. Pœni autem, vt vrbẽ non niſi bellum expectare vident, vſq; ad lucem portu abſtinuerunt, dum armamenta & claſſem ad pugnam aptaſſent. Vbi illuxit, in altum euecti ſunt, & vt pugnæ ſpatium eſſet, & nauibus Romanis exitum a portu liberum darẽt. Romani, & memoria rerum circa ea loca fœliciter geſtarum, & militum multitudine ac viribus freti, prælium non modo non detrectauerunt, ſed foras euecti cominus etiam conferre manus decreuerunt. Carthaginenſes contra, etſi ſociis naualibus claſſem ſatis inſtructam haberent, quia tamen militibus carebant, eludere, atque arte, non vi, rem gerere, nauiumq; potius quam virorum aut armorum certamen inire cupiebant. Quod vbi Romani aduerterunt, mora omni relicta, eludentes, re ipſa eluſere. Nam multitudine militum nauibus impoſita certamen nauale ineunt: quo adeo ſtrenue pugnarunt, vt ſeptem Pœnorum nauibus captis, cæteras in fugã coegerint. Ex quibus mille & ſeptingenti intercepti ſunt milites & nautæ, & in his tres Carthaginenſium viri proceres: claſſis vero Romana incolumis, vna tantum naui perforata, quæ & ipſa cum reliquis in portum rediit. Sempronius Conſul a Senatu miſſus, Meſſanam (hac victoria ibi nondum cognita) venit: quem magnifice vitata in naui Hiero Rex factus obuiam ſuſcepit. Subinde inſulę ſtatum, & Carthaginenſium vires illi expoſuit: pollicitusq; eſt, quo animo prioribus bellis populum Romanum iuuenis adiuuiſſet, eo ſenem adiuturum, frumenta veſtimẽtaq; ſe exercitui Conſulis, ſociisq; naualibus gratis præbiturum: & deniq; Lilybæi periculũ ei narrauit. Conſul ſuper his nihil cunctatus, vna cum Hierone regiaq; claſſe Lilybæum proficiſcuntur, ibiq; cognita victoria, Prætore pro concione laudato, fuſas ac captas hoſtium naues receperunt. Deinde Sempronius relicto Hierone regiaq; claſſe, ac decreto ad maritimam Siciliæ oram tutandam Prætore, Melitam inſulam, quæ a Carthaginenſibus tenebatur, contendit. Aduenienti Amilcar Giſconis filius præſidii Præfectus, cum duobus circiter milibus militum oppidum cum inſula tradit. Inde poſt paucos dies Lilybæum rediit: ibiq; captiuos, præter eos qui nobilitate erant inſignes, ſub corona vendidit. Paucis poſt diebus cum Hiero Rex C. Flaminii, exercitusq; eius apud Traſimenum lacum non longe a Perufio per inſidias ab Annibale acceptam cladem cognouiſſet, adeo affectus eſt, vt legatos cum omni apparatu regio, nauibusq; quibus trecenta milia modiorum tritici, & ducenta hordei impoſuerat, Romam miſerit: quibus & victoriam auream trecentarum viginti librarum dono, ac pro ſui erga Senatum populumq; Romanum animi teſtimonio dandam commiſit. Illi in Senatum introducti, & luctum fidemq; Hieronis, & munera, animumq;, vt antea ſemper, ita etiã in omni fortuna paratiſ-

simum publice exposuerunt, benigneq; auditi responsum acceperunt: Virum bonum, egregiumq; socium Hieronem esse: fidemq; eius collaudatam, & munera, & victoriam, omenq; accipere, sedemq; ei in templo Iouis ad Capitolium sibi dare, ac illi eam dicare constituunt, vt perpetuæ ac stabilis victoriæ, & propitiæ fortunæ populo Romano deinceps sit præsagium. Deinde post cladem quam Romani apud Cannas (ignobilem Appuliæ vicum, sed qui ob gestæ ibi rei magnitudinem emersit) ab Annibale acceperunt, non solum multæ ciuitates Italiæ, quæ Romanis semper antea paruerant, se Annibali dediderunt: sed in Siciliam quoque eadem inclinatio animorum peruenit. Gelo nanq; Hieronis filius, contempta patris senectute, ad Carthaginenses pene defecerat, & iam res nouas in Sicilia moturus videbatur: cum medio armorum eius apparatu, peropportuna eius mors, relicto Hieronymo filio, consilium hominis interrupit. Sunt qui scribant patris cõsilio eum sublatum, ne pop. Romano aliquando hostis fieret. verissimus nanque amator rerum Romanarum Hiero, & in fœderis religione tenacissimus erat, qui Octacilio Prætori præsidium, quod Romanus populus ei ob inopiam mittere nequiuerat, solus in tanta vndique rerum egestate, velut vnicum refugium lubens præstitit, atque ad soluenda stipendia quantum argenti vsus postulabat, & sex mẽsium frumentum elargitus est. Verum non longo post tempore pecunia omnis, quæ ad bellum Macedonicum decreta, ac Appio Claudio in Siciliam missa erat, Hieroni a pop. Rom. fideliter est reddita. Hiero Syracusis plures publicas ædes condidit, tum sacras tum prophanas. Nam (Diodoro teste) non procul a foro, Olympium excitauit, & iuxta theatrum sacram ædem, quæ in longum stadii spatio extendebatur, lata atq; edita pro longitudinis ratione. & palatiũ ingens ad isthmũ Insulæ supet ruinis arcis Dionysii edidit: quo postea (Cicerone authore) Romani Prætores vti solebant. Refert Xenophon, cum Simonides Hieroni aliquando edixisset, potiorem esse Regum quam priuatam vitam, vtpote qui singulis sese explerent voluptatibus, respondisse eum in contrariam sententiam: quippe quod Veneris, cuius in priuata vita spontaneus vsus mutuum amorem, & non coactum parit, vt Tyrannis, qui coacto aut empto potiuntur amore, delectatio potior sit. in cibis vero Regibus nullum vnquam famis condimentum epulas commendet, præ patinarum multitudine: & iccirco semper acidis vescuntur. in vita vero priuata semper adest fames, & ob id maior ciborum delectatio. Addidit præterea multa incõmoda, regni appetentiam, aliorum inuidiam, suspicionem, metum, angorem, & iis similia, quibus Tyranni fere semper hinc inde afflictantur. Vxorem habuit cõtinentissimam. quam cum obiurgaret quod cum sibi os fœteret, ipsa nunquam eum admonuisset: Existimabam (inquit) omnes ita olere. Ex ea Gelonẽ filium, (qui postea ei præmortuus est) & Heraclíam ac Demaratam filias suscepit. Ex Nereis vero nuru gente regia exorta, Hieronymum nepotem, & Harmoniam neptem, Gelonis filios habuit. Post hæc Hiero in morbum lethalem incidit. cumq; liberis careret, liberas voluit Syracusas relinquere, ne sub Hieronymi nepotis (quindecim vix annos nati) immaturo Imperio regnum Syracusanum bonis ab eo artibus partum ac stabilitum labefactaretur. A qua sententia filiabus eum summa ope reuocantibus assensit. Hieronymum igitur ex filio nepotem, quindecim ei adhibitis tutoribus, successorem in Regno & hæredem instituit: admonuitq; eum ac tutores, vt fœdus cum populo Romano quinquaginta annos ab eo cultum, & ipsi illæsum seruarent. Atq; ita testatus, morbo inualescente, annum agens nonagesimum, si Liuio: siue nonagesimum secundum, si Demetrio Callistiano (Luciano referente) credimus, septuaginta cum regnasset annos, diem obiit. Syracusani veluti patre amisso, in orbata ciuitate regium funus magis amore ciuium quam suorum cura celebrarunt.

F. THO-

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER V.

DE HIERONYMO SYRACVSANORVM VLTIMO REGE, ET EIVSDEM VRBIS A M. MARcello expugnatione.

CAPVT I.

HIERONYMVS Hieronis ex præmortuo Gelone filio nepos, prolato aui testamento, in regnum Syracusarum sufficitur, ac in Senatum productus vltroneo populi consensu Rex salutatur. Erant inter quindecim tutores, quos Hiero ei adhibuerat, Andronodorus & Zoilus eius generi, viri principes. Quorum alter Andronodorus cæteros tutores statim summouet, tutelæque administratione abdicat, (quippe quod ad Regni Imperium satis grandem Hieronymum esse diceret) & in se vnum omnium tutorum vires conuertit. Hieronymus imperii primo statim initio omnia ab auo diuersa ostendit, purpuram ac diadema, & satellites armatos, quadrigasq; albis equis vectas more Dionysii Tyranni habere cœpit: cum per tot annos Hieronem, filiumq; eius Gelonem, nec vestis habitu, nec alio vllo insigni a ciuibus differentes Syracusani vnquam vidissent. Cæterum & insolens ille, & in omne facinus præceps, contemptor hominum, contumelioſus, ab omni comitate alienus, promiscua libidine insignis, & immanis, Pythonem e lupanari acceptam vxorem duxit. Quibus moribus, superbo apparatu, inhumanitate, crudelique Tyrannide tantus terror Syracusanos inuasit, vt plerique sibi ipsis mortem consciuerint, plurimi vero supplicia fuga præuerterint. Porro Andronodorus & Zoilus, vt Carthaginensibus confœderaretur, omni ipsum studio impellebant. Obsistebat his Thraso, & ad renouandum cum Romanis fœdus, vt auus præceperat, iam pene labantem animum eius conuertere nitebatur. Interea ob enormia eius vitia, sæuitiamque intolerabilem, a plerisque in caput eius coniuratur. Quorum propositum, etsi clandestinum, per Calonem tamen Hieronymi a puero familiarem ei proditur: Theodorusq; vnus ex coniuratis nominatur. Is comprehensus Andronodoro traditur ad torturam. Qui etsi seipsum statim aperta confessione manifestasset, consscios tamen celauit. tandemq; cum inter quærendũ intolerandis laceraretur cruciatibus, victus pœnæ impatientia, a consciis ad insontes diuertens, Thrasonẽ ipsum ex tutoribus fidelissimum coniurationis authorem, pleroſque vero alios Hieronymi domesticos, prout inter dolores gemitusque occurrebant, reos mentitus est. Rex vbi Thrasonem (qui & populi Romani studiosissimus erat, & Carthaginensibus, quibus ipse iam animo propensus erat, aduersabatur) consilii au-

thorem cognouit, confestim ipsum cum cæteris, qui nominati sunt, ad supplicium pertraxit. At coniurati, quos Theodorus silentio præterierat, dum ille torqueretur, fuga salutem sibi quæsierunt. Necato Thrasone, qui Regi cum Romanis vnicum erat vinculum, primoribus aliis ad defectionem instantibus, non multo negotio Hieronymus ad Pœnos deflexus est. iisdēq; authoribus Hippocrates & Epicydes germani fratres Carthagine quidem nati, sed Syracusis oriundi, & Pœni materno genere, legati ad Annibalem missi & remissi sunt. Per quos inter se mutuo iuncta est societas. Erat eo tempore Appius Claudius in Sicilia Romanorum Prætor. Hic vbi defectionis consilium ab Hieronymo resciuit, statim de reparanda cum eo societate, quæ cum Hierone auo fuerat, legatos misit. Legati per contemptum sunt auditi, & cum ludibrio dimissi, interrogante per iocum Hieronymo, quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas fuisset. Post hæc Hieronymus per legatos fœdus quod cum Annibale inierat, cum Senatu Carthaginensi firmauit, his cōditionibus: Vt Romanis Sicilia pulsis, Himera amnis Syracusani & Carthaginensis Imperii esset finis: Vt classem Pœni militibus abunde instructam contra pop. Romanum in Siciliam emitterent. Sed cum assentatores ei in aurem suggererent, vtriusq; aui iure Siciliæ totius regnum sibi deberi: omnem Siciliam per legatos a Pœnis depoposcit. Cui Carthaginenses nihil pensi habentes, modo ipsum a Romanis auerterent, facile assenserunt. Paucis post diebus, quibus hæc vltro citroque iactata sunt, Hippocratem & Epicydem cum duobus armatorum milibus ad tentandas vrbes quæ Romanorum præsidiis tenebantur, expediuit: ipse vero cum quindecim peditum equitumque milibus in Leontinos profectus est. Coniuratores Leontini iampridem conuenerant, & liberas ædes viæ angustæ, qua ab arce Rex in forum descendere solebat, imminentes, forte habitabant. Ibi itaque armis instructi Regis transitum præstolabantur. Erat inter coniuratos vnus, Regis corporis custos, Indigeminus nomine: cui cæteri partes dederant, vt cum Rex palatii portis appropinquaret, in angustiis viæ, sequens agmen (simulata causa aliqua) ne Regem sequerentur, a tergo prohiberet. Igitur cum Rex ab arce de more in forum descenderet, & ad angustias peruenisset, Indigeminus partes suas peregit. simulans enim elatum pedem ab astricto nodo laxare velle, Regis terga sequentem satellitum turbam est moratus. Quo tum repente coniurati in prætereuntem sine armatis Hieronymum irruunt, multisque vulneribus priusquam succurri posset, lethaliter confodiunt. Cæso Rege, & clamore tumultuque hinc inde audito, in Indigeminum seseacriter defendentem a militibus tela coniiciuntur: qui demum duobus acceptis vulneribus, per mediam militum turbam dilapsus euasit. Satellites vt iacentem videre Regem, fugam & ipsi arripiunt. Percussores in forum procurrunt, & populum ad libertatem vocant. Regis vero milites eo ferocius vociferant parentandum esse Regi coniuratorum sanguine. Cæterum facta eis a coniuratis regiæ pecuniæ in capita distribuendæ, ac libertatis restitutæ spe, exaggeratisque fœdis Tyranni sceleribus, adeo repente vniuersus exercitus a vindicta est immutatus, vt Theodorum e carcere liberari, & Regis cadauer insepultum etiam iacere passus sit. Tum Theodorus & Sosis, qui in coniuratorum ordine primarii fuerant, regiis equis celerrimo cursu Syracusas contendunt, ad Andronodori, aliorumque regiorum, quos rei gestæ adhuc ignaros credebant, consilia præoccupanda. Verum cum non fama modo, (qua nihil in talibus est celerius) sed nuntius etiam ex Regiis seruis eos præuenisset: ille Insulam, arcem & alia quæq; opportuna vrbis loca præsidiis firmauerat. Ipsi vero post Solis occasum obscura nocte per Hexapylon ingressi, cruentas cæsi Regis exuuias, capitisque insigne populo Syracusano ostentarunt. Transuecti per Tycham, ad libertatem simul & ad arma populum vocant, & in Acradinam conuenire iubent. Syracusanorum itaque alii procurrunt in vias, alii in ædium vestibulis stant, pleriq; ex tectis fenestrisque prospectum affectant, & quid rei sit rogitant. Omnia luminibus collucent, strepituq; vario complentur. armati locis patentibus congregantur: inermes ex Olympii Iouis templo spolia Gallorum Illyricorumque dono data Hieroni a populo Ro. fi-

xaq;

xaque ab eo detrahunt, precantes Iouem vt propitius præbeat sacra arma, pro patria, pro delubris, pro libertate sese armantibus. Principes regionum vrbis, militum stationes per loca disponunt. Firmauerat præsidiis Andronodorus horrea publica in Insula, loco saxis quadratis septo, atque in modum arcis emunito. Milites, qui ei loco ab ipso Andronodoro in custodia constiterant, locum capiunt, statimque Theodoro & Sosi in Acradinam per nuntios, horrea frumentaque omnia in Senatus potestate esse significant. Illucescente, populus omnis in Acradinam ad curiã conuenit, ibiq; ante Concordiæ arã Polyneus ex principibus vnus ingenii & facundiæ præstantia insignis, plena oratione ad libertatis studium eos hortatur, & vt ad Andronodorum oratores mittantur, quo Senatui & populo sese & Insulam & arcem subiiciat. Missis legatis confestim Andronodorus, populi timore potius quam voluntate, iam petita concessisset, nisi Damarata eius vxor Hieronis filia gerens regios adhuc spiritus præpedisset, Dionysii vocem vsurpans: Oportere Tyrannum pedibus tractum, non equo sedentem Tyrannidem relinquere. Porro id mulieris consilium tametsi illo die ab instituto eum auerterit, postridie tamen sub lucem patefactis Insulæ portis in forum Acradinæ venit. vbi cum in aram Cõcordiæ ascendisset, sua primum mora ingenue excusata, probataque multis rationibus Hieronymi cæde, claues arcis Regiæque pecuniæ Syracusanorum manibus commisit. Lætior hic dies quam vllus antea Syracusanis illuxit, qui & magna virorum fœminarumque pompa, publicisque supplicationibus celebratus est. Nec defuit sua Andronodoro gratia: qui postridie cum Sosipatro & Diomene, ac plerisque aliis Tyranni interfectoribus Prætor a populo creatus est. Pecunia omnis Regia, & quæ in Leontinis, & quæ in Insula & Acradina erat, Reip. tradita est. Pars muri quæ Insulam a cætera vrbe firmo munimento interspiebat, consensu omnium deiecta, ac cætera omnia ad libertatem peropportuna sunt subsecuta. Erat iã Syracusana res in tuto: nisi Hippocrates & Epicydes audita Hieronymi morte Syracusas reuersi, simulantes, quod paulo post in Italiam ad Annibalem redituri essent, ciuitatis statum in discrimen iterum adduxissent. Hi nanque cum in vrbe passim hospitalitatis specie aliquandiu fuissent, nunc apud milites, nunc apud transfugas, nunc apud infimæ plebis homines, falsos rumores criminaque in Senatum optimatesque disserebant: a quibus pacta dominatus participatione Syracusas sub societatis reconciliandæ prætextu per speciem libertatis populo Romano clam tradendam esse mentiebantur. Quibus fabulis commota plebs, qua nihil instabilius, non solum ad Hippocratem & Epicydem confluxere, sed Andronodoro etiam spem nouandarũ rerum peperetunt. Is nanque fessus etiam vxoris vocibus noctu diuque eum monere non desinentis, nunc occupandæ Reip. tempus esse, quando & omnia essent turbata, & Hippocrates & Epicydes militibus assueti, ei auxilio esse possent: cum Themistio (cui Harmonia Gelonis filia nupta erat) ad rẽ patrandam societatem iniit, ac facinus Aristoni tragœdiarum authori (cui & alia committere consueuerat) incaute credidit. Conuenerant autem, vt Prætores vrbis omnes, ac alii cædantur, eorumque bona exponantur: Insula in primis occupetur, ipse vero solus Syracusis præsit. Ariston consilium contra patriam occultare nefarium ducens, statim indicium ad Prætores defert. Senatus homini simplici data fide, Themistium atque Andronodorum in curiam ingressos per insidias ad fores collocatas strictis pugionibus occidunt. Cum tumultus ob eam causam ortus esset, Ariston rem omnem ordine pandit, & Sosipater a Senatu iussus vt de hac coniuratione apud populum verba faceret, interfectos tanquam reos egit, ab anteacta vita quæcunque post Hieronis mortẽ sceleste atque impie facta essent, cõtra Andronodorum ac Themistium argumentis probat. Nam cum Hieronymus puer, ac vix pubes esset, quid suo iudicio fecisse poterat? Tutores eos fuisse, qui puerum ad omne nefas impellebant, qui aut ante illum, aut cum illo interfici debuerunt: & cum debiti essent morti, post mortem Hieronymi, noua scelera, & Tyrannidis inuasionem persuasos ab vxoribus (quarum altera Hieronis, altera Gelonis erant filiæ) molitos esse. Vix Sosipater finem dicendi fecerat, cum plebs vt illæ interficiantur, & omnis regia stirps extinguatur, conclamat. Ad quorum

voces a Prætoribus percussores sunt missi, qui Damaratam & Harmoniam interficerent. Cæsa Demarata, cum ad Harmoniam interimendam certatim impetus fieret: nutrix eius similem illi puellam humili loco natam, sed regio cultu ornatam, populo obiecit: quæ mentita Harmoniam, nec inter trucidantium cultros quidē aut se aut dominam prodidit. Cuius Harmonia admirata & animum & fidem, superesse non sustinuit: sed ad se percussores reuocauit, & mendacium professa vltro illorum gladiis succubuit. Erat & Heraclea altera Gelonis filia, Sosippo (qui Hieronymi Tyranni idem fugiens, voluntarium sibi exilium conscierat) nupta. Hæc vbi percussores adesse cognouit, cum duabus filiabus virginibus crinibus solutis, & quam poterat habitu ad lanienam & commiserationem aptissimo amicta, in sacrarium ad penates confugit. Ibi multum atque diu per patris Hieronis, ac Gelonis fratris manes precata, ne se cum Hieronymo (ex cuius Imperio nihil præter viri exilium haberet) interimerent: cumque pro se nec preces, nec lachrymas valere cognosceret, vt saltem puellis parceretur, orans, ab aris a percussoribus distrahitur, iuguloque crudeliter arrepta suffocatur. In virgines deinde matris cruore respersas ab eisdem conuersum est: quæ alienata mente, ac luctu metuque simul veluti furore captæ, per densos gladios cum impetu & clamore dilapsæ, vago totis sacratis ædibus discursu se proripuerunt, tandemque multis vulneribus confectæ cum omnia replessent sanguine, exanimes corruerunt. Earum cædes adeo multitudini immanis ac sæua apparuit, vt plebs sublato odio percita, confestim Epicydem & Hippocratem in locum Themistii & Andronodori Prætores plebeiis suffragiis creatint. Dum hæc Syracusis gererentur, Appius Claudius Romanus Consul centum cum nauibus ad Murgantiam vrbem erat, opperiens quo tenderent post Hieronymi cædem Syracusani motus. Ad hunc iam legati a Syracusanis missi fuerant, qui de fœdere antiquo cum Romanis renouando cum eo agerent. Appius legatos Syracusanos ad. M. Marcellum, qui ex Italia a Senatu populoque Ro. missus in Siciliā traiecturus in horas fere expectabatur, misit. Qui audita cōditionū non adeo iniqua propositione, ratus quā facillime rem cōuenire posse, nūtios & ipse Syracusas ablegauit, qui coram cū Prætoribus fœdus renouarent. Sed cum interea Punica classis Pachynum peruenisset, & Romana cum Appio Consule in Syracusanum portum esset appulsa, Epicydes & Hippocrates ad mercenarios simul & transfugas conuersi, legatorum Marcelli Syracusas accessionem criminantur, fœdus cum Romanis detestantur, cuius prætextu Syracusas occupare prætenderent. Quæ cum omnia aperto Romanæ classis in portum appulsu astruēdo facile imperitæ multitudini persuaderent: populus satis tumultuose primū ad prohibendos Romanos, ne classe egrederentur, decurrit. Dehinc sedatis animis ad concionem festinat. Vbi Apollonides vrbis principum vnus orationem pro tēpore salutarem habuit. Qua ad pacem cum Romanis firmandam, cum nulla belli gerendi ratio cum eis esset, populum induxit: qui per legatos ad Marcellum missos publice cum eo fœdus renouauit. Interea legati a Leontinis ad Syracusas venerunt, petentes suis finibus præsidium. Quibus Hippocrates Prætor cum quatuor transfugarum & mercenariorum milibus est missus. Hæc expeditio & mittentibus, & missis læta fuit. transfugis quidem, quod quam iamdiu exoptauerant, nouandi res occasionē haberent: Syracusanis vero, quod sentinam & fecem quandā vrbis exhausissent, æque gratum fuit. At ciues quanquam in præsentia veluti ægro membro corpus leuauerant, in grauiorem tamen morbum ipsa sectione mox inciderunt. Hippocrates etenim ipse nouitatis nihilo suis militibus continentior, vix Leontinos ingressus, Romanæ prouinciæ fines furtiuis primum incursionibus vastat: deinde præsidium quod ad tuendos sociorum agros Appius miserat, adortus, magnam inter innocuos cædem fecit. Marcellus vbi hæc accepit, legatos extemplo Syracusas misit, qui pacis fidem violatam esse quererentur, nec belli causam vnquam defuturam nuntiarent, donec Hippocrates & Epicydes non solū Syracusis, sed tota procul Sicilia ablegarentur. Epicydes legatione in se collegamque suum graui percepta, profectus in Leontinos, (quos aduersus Syracusanos satis concitatos sciebat, vel ob id quod in fœdere cum Romanis icto ipsi

Syra-

Syracusanæ ditionis, quod eorum libertati minime expediebat, pronuntiati fuerunt) cum Hippocrate egit, vt Leontini palam a Syracusanis deficerent. Syracusani per legatos, nec Hippocratem & Epicydem, nec Leontinos, ad quos secesserant, in suaamplius potestate teneri, sed iam desciuisse, Marcello nuntiant, ac ad bellū contra eos gerendum se offerūt: dummodo capta ea vrbs in ditionem eorū transeat. Eo responso Marcellus confestim cum omnibus copiis in Leontinos proficiscitur. Appium quoq; Claudium acciuit, vt ex altera parte ipse quoque Leontinum aggrederetur. Proinde cæsi præsidis iniuria, tantum ardorem militibus & vtrique Romano exercitui dedit, vt primo impetu vrbem ceperint. Vbi oppidanorum nemo violatus est: sed transfugæ, quicunque in potestatem sunt redacti, virgis cæsi, & vltimo supplicio sunt affecti. Hippocrates & Epicydes vbi muros capi, portasq; refringi viderunt, in arcem sese cum paucis recepere. Inde clam noctu Herbessum oppidum (quod Pantalica iacens est hodie) non longe distans, profugiunt. Interea Syracusani octo armatorum milia ad Marcellum, vt pacti fuerant, mittunt. His cū ad Milliam flumen (quem S. Iuliani mea ætate appellant) essent, nuntius ab Hippocrate subornatus occurrit, qui cum capta vrbe, hæc etiam falsa subintulit, cædem promiscuam militum atque oppidanorum patratam, puberes impuberesq; omnes a Marcello trucidatos: direptam præterea ciuitatem, & bona locupletum militibus in prædam donata. Ad nuntium tantæ cladis, Syracusanorum militum, quibus Sosis & Dionysius duces præerant, agmen constitit, perturbatisque animis quid agendum foret, consultabant. Denique consternati, ac pene ob sæuitiam Marcelli (quam veram esse fiducia incogniti delatoris effecerat) a Romanis alienati, ad Megaram vrbem, quæ prope Milliam amnem sita erat, deflexerunt, ac subinde ad Herbessum expugnandam contra Hippocratem & Epicydem contendūt. Illi spe omni salutis amissa, ad vnicum euadendi consilium conuertuntur, milites longo vsu sibi magna ex parte assuetos, olearum cum ramis, aliisq; supplicibus indiciis obuii orant, vt inter numerum eorum se receptos tutentur, nec Syracusanis prodant. Quibus milites bono animo vt sint, atq; omnem sibi cum illis communē fortunam futuram sunt polliciti. Interim militum signa constiterant, atque agmen pedes firmauerat. Sosis & Dionysius quæ moræ causa esset ignari, castra ad procedendum vrgent. Cæterum vbi Hippocratem & Epicydem adesse, & in agmen ascitos resciunt: ad prima signa citatis equis pergunt, eosque quod cum hostibus locuti, ducumque iniussu, suo agmini illos immiscuissent, acriter reprehendunt: denique cōprehendi & vinciri Hippocratē & Epicydē iubent. Ad quorum vocē tantus extemplo a Cretensibus militibus contra duces clamor sublatus, & deinde ab aliis exceptus est, vt si paululum reprehensionibus institissent, actum de eis proculdubio fuisset. Iccirco salutis cupidi, incertiq; quo militū tumultus tenderet: Megaram, vnde profecti sunt, referri signa mandant, ac nuntios de præsenti rerum statu Syracusas mittunt. Non multo post Hippocrates, vt callido erat ingenio, fraudem his motibus addidit: literasque Sosis & Dionysii exercitus ducum nomine ad Marcellum confingit, easque velut a militibus interceptas in concione in hanc sententiam recitat: Prætores Syracusani Marcello Sal. Recte feciſti quod in Leontinis captis nulli peperceris. quin quoniam mercenarii milites seditionis plerunque in vrbe & in castris causam præbent, nec Syracusanis rebus quies vlla speranda sit, priusquam externorum agmen prorsus deleatur: nobis populoque Syracusano gratum feceris, si eos, qui cum nostris collegis circa Megaram sunt, milites in tuam potestatem rediges, eorumque supplicio Rempublicam nostram liberabis. Vale. His literis palam lectis, vt sunt ad suspicionem quam ad sinceritatem animi omnium inclinatiores, tantus furor militum animos incessit, vt ducibus inter tumultum metu dilapsis, in Syracusanos qui in castris erant, irruerent. nec ab vllo temperatum foret, nisi Hippocrates & Epicydes ipsi commotæ a se rabiei obuiam issent: quos non misericordia, sed ne sibi in vrbem reditum præciderent, in furoris temperantiam coegit: qua & Syracusanos milites a cæde seruarunt, & eos maximo pignore sibi deuinxerunt. Post hæc militem vnum ex eorum numero nacti, qui in Leontinis circumsessi fuerant, subornant, eumque

Syracusas mittunt, qui multa de crudelitate atque auaritia Marcelli, cæterorumque Romanorum Ducum in Leontinos exercita, Syracusanis veluti a se coram spectata enarret, iraſque eorum concitet: ratus Romanos hac via in Syracusanorũ odium venturos. Ille Syracusas ingressus falsa pro veris disseminat, authorem nuntiumque conuenientem se populo exhibet, vt pote qui visa, non audita affirmaret. Huic non modo apud plebem fides fuit: sed in curiam quoque introductus Senatum mouit. His rumoribus moti Syracusani, veriti ne si Romani Syracusas ingrederentur, eadem quæ in Leontinos patrata memorabantur, & fœdiora committerent, vrbis portas Romanis clauserunt, easq; custodire cœperunt. Sub idem tempus Hippocrates & Epicydes velut ex composito cum seditioso militum agmine affuerunt, & per necessarios eorum quos secum ducebant, in Hexapylum sunt recepti: Prætoribus non modo inuitis, sed & frustra ingeminantibus, obtestantibusque patriam Tyrannorum satellitibus proditam iri. Nam surdæ plebis animi adeo concitati erant, vt cum non minori intus vi quam foris Hexapyli portæ effringerentur, illis effractis milites quoque omnes eodem irruperint. Iamque hostibus tradito Hexapylo, Acradina mox, quo Prætores ciuesque confugerant, ab Hippocrate & Epicyde primo agminis impetu capitur. Deinde vrbis Prætores, præter eos qui inter tumultum fuga salutem sibi redemerant, omnes trucidantur. Et nisi nox finem fecisset, ad ciues etiam cruenta cædes strageſque peruasisset. Illucescente, serui ad pileum sunt vocati, & carcere vi effracto omnes sunt emissi: atq; ita per confusam multitudinem Hippocrate & Epicyde in Præturam suffectis, Syracusæ vrbs, cui iam tumultuarie libertas affulserat, in antiquam seruitutem recidit. Cũ hæc Marcello, qui in Leontinis agebat, nuntiarentur: continuo cum copiis Syracusas profectus, ad Iouis Olympii templum castrametatus est. Inde per legatos in vrbem Syracusanis nuntiat, se cum exercitu auxilium oppressæ ciuitati laturum adesse. Quibus Hippocrates & Epicydes, qui iam vrbe potiebantur, extra portam obuiam facti, ne vrbi appropinquarent, prohibuerunt. Cum legati contra non bellum Syracusanis, sed opem salutemque a Marcello meditari respondissent, cædẽque nefandam sociorum nunquam Romanos inultam passuros: sed si eis qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus pateret, & cædis authores dedantur, ac libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse: si ea non fierent, quicunque fuerint in mora, bello delendos: ad ea Epicydes insolenter respondit, cum in manu Hippocratis & sua res Syracusanæ essent, si mandata ad se perferrẽt, responsum habituros. quod si Marcellus vrbem bello accesserit, experietur quantum interſit Syracusas & Leontinos oppugnare. Hoc reposno legatis relictis portas vrbis clausit. Marcellus accepto legatorum responso offensus, vt par erat, statim terra & mari obsidere Syracusas, ac bello lacessere cœpit: terra ab Hexapylo, mari ab Acradina, qua orientem ac meridiem respicit. Appius quidem terrestres copias Hexapylo admouit: Marcellus classem sexaginta quinqueremium omnifariam telorum armorumque genere instructissimam Acradinæ littori. Hoc itaq; belli apparatu Syracusas, sicut Leontinos, proculdubio primo impetu expugnassent, nisi Archimedes omnia Romanorum consilia leui momento confregisset. Is enim non solum quicquid machinarum ac armorum Marcellus vel a terra vel a mari ad oppugnandam vrbem parabat, frustrabatur: sed & multa etiam monstra, ac mirabilia quædam opera ad terrendos hostes faciebat: quibus Marcellus ab vrbis oppugnatione, atque ab omni armorum vsu abstinere compulsus est. Siquidem in terrestres copias extruxit a summo vrbis vsque ad imum, murum per inæquales ductum colles, quẽ omni tormentorum genere instruxit: inter quæ quoddam eo seculo atq; ante incognitũ machinarum genus dispositerat, quo in hostilia castra varia genera missilium, & immensæ magnitudinis saxa incredibili fragore ac celeritate immittebat, contra quæ nullus omnino se tueri poterat. Quod si forte hostes ex vna vrbis parte ad aliam se diuertissent, contorquendo paulatim conferta agmina dissipabat. Aduersus nauales apparatus in eas quæ procul stabant naues, e multis muri partibus grauissimo globorum vibrato pondere, nonnullas in profundũ diffractas cogebat: quæ vero propius stabant, ferreis manibus,

quas

quas cathena muro alligauerat, iniectis, velut forcipibus quibusdam per proram in sublime raptas in mare immergebat. Alias interioribus rotatas machinis cum magna nautarũ strage scopulis illidebat: vbi celsius interdum e mari suspensa nauis, nunc huc nunc illuc agitata, horrendum præbebat spectaculum, quoad erectis prouolutisque euacuata viris, remissaque cathena, quæ fuerat suspensa, muris impegerat. Cum vero Marcellus super octo nauibus inter se iunctis ingentem parauisset machinam, quam ob musici instrumenti similitudinem sambucam appellabat, eamq; muro Acradinæ admouere parasset, Archimedes primum, deinde alterum, mox tertium in eam decem talentorum ponderis saxum contorsit: quæ magnis fragoribus & quodam tempestatis impetu irrumpentia, disiectis clauis, ipsius machinæ basim dissipauerunt. Quo præterea Syracusani vulnere intacti tela in hostes ex tuto ingererent, murum a summo ad imum crebris cubitalibus ferme rimulis aperuit: ex quibus sagittis, scorpionibusque modicis, occulti Romanos incessebant. quod inuentum ad nostram ætatem emanauit. His Archimedis artibus elusus Marcellus, nauibus & terrestribus copiis, vt abscederent e vestigio imperat: sed artem arte elusurus, noctu muros inuadere statuit: ratus Archimedis tormenta eminus tantummodo tela emittere posse: comminus vero, cum ictus eorũ interuallo careant, inefficacia fore. Archimedes, tanquam hæc animo præuidisset, longe antea Hieronis impensis curaque per multos annos omni tormentorum apparatu Syracusas instruxerat: quorum impetus pro spatii magnitudine & euagari longius, & propius offendere poterat. Quocirca cum Romani clanculum muro successissent, missilibus lapidibusque vndique e muro perinde atque ad perpẽdiculum collabentibus, capite saucii obruebantur. Retrocedentes vero Romanos pro spatio locata iacula in vastum emissa maximo impetu interficiebãt. Quocirca ex occulto grauissime petiti Romani, non iam cum hominibus, sed cum Diis sibi pugnare videbantur. Natura quoque situsque vrbis magnopere obsessos adiuuabat. Nã moles super qua extructa est vrbs, ita magna ex parte edita ac procliuis est, vt non solum immissa, sed quæ etiam suo pondere tormenta prouoluebantur, graiter in hostes cum clade inciderent. Id quoq; ad subeundum, difficilem arduumque aditum, instabilemq; hostibus ingressum præbebat. Proinde Marcellus cũ omnes suos conatus irritos esse videret, non esse vlterius cum Archimede pugnãdum sæpius inclamitans, ab oppugnatione destitit, atque obsidione solum vrbem arcere decreuit. Inde igitur cum tertia exercitus parte digressus, ad propinqua recipienda oppida, quæ in tanto rerum motu Carthaginensibus adhæserant, proficiscitur. Elorum maritimum oppidum, ac Herbessum per deditionem recipit. Dehinc Megaram vi cum cepisset, captam ad Syracusanorum terrorem, funditus diruit. Dum hæc circa Syracusas fiunt, Himilco Carthaginensium Dux, qui ad Pachynum cum classe consederat, legatos ab Hippocrate recepit, vt quam celerrime Carthaginem peteret, maioresque equitum ac peditum copias inde comparatas in Siciliam adueheret, si ea potiri cuperet. Ille recuperandæ Siciliæ cupidine accensus, Carthaginem rediit. Vbi viginti peditum, equitum vero tribus milibus, ac duodecim elephantis coactis, mox Siciliam repetens, ad Heracleam apparatum omnem exposuit: quam intra paucos dies simul & Agrigentũ recepit. Quo audito, & cæteræ vrbes quæ Carthaginensium studia nondum penitus intermiserant, ad pellendos e Sicilia Romanos exardescunt. Sed & Syracusani, qui dure obsidebantur, audito nouæ classis Punicæ aduentu, eodem desiderio flagrantes, ita inter se belli munera sunt partiti, vt Epicydem ad vrbis tutelam relinquerent, Hippocratem vero Himilconi iunctum aduersus Marcellum mitterent. Igitur Hippocrates cum decem milibus peditum, & quingentis equitibus, Syracusis noctu egressus, per vacua Romanorum custodiis loca transiens, ad Accillas vrbem, vt Himilconi se iungeret, venit. Festinauerat ante Marcellus cum suis copiis Agrigẽtum, vt ibi Himilconem, cuius iam reditum per internuntios acceperat, præueniret. Sed cum Agrigentum occupatum ab illo cognouit, ob copiarum paucitatem cum Himilcone concertare non est ausus, sed composito agmine in castra rediit, atque Hippocrati sese circa Accillas munienti superuenit. Ille Marcelli inopinato

acceſſu perculſus, ac metu diſiectus, cum ſuo equitatu Acras vrbem confugit. At Marcellus repente in peditatum eius Duce deſertum irruens, omnem exercitum fregit, occiditque ex eis hominum ſupra octo milia. Subinde eius victoriæ omine elatus, totam ferme Siciliam percurrit, ciuitateſque a Carthaginenſibus in Romanorum fidem redire fecit, Siculis qui ſecum decertare ſunt auſi, profligatis. Quibus ſtrenue geſtis Marcellus Syracuſas rediit. Himilco vero cum Hippocrate iunctus, Syracuſas & ipſe properans, ad Anapim fluuium caſtra poſuit. Quo etiam tempore Bomilcar Carthaginenſium Dux cum quinquaginta quinque triremib. a Senatu in Siciliam miſſus, Syracuſarum portum tenuit. Per idem ferme tempus triginta Romanorum naues in Siciliam traiicientes, legionem vnã militum Panormi prius, ſubinde ad Pachynum, expoſuerunt: vbi Appius Marcelli collega cum parte copiarum erat. Qui legione noua accepta, Syracuſas ſtatim nauigat. Himilco & ipſe, ne fruſtra aſſidens tempus tereret, quo Carthaginenſium partes tuentibus adderet animos, caſtra ab Anapi fl. mouens, Murgantiam petiit. Quam prodito a Murgantinis interfectoque Romano præſidio, recepit. Vbi magnam frumenti vim, ac omnis generis commeatum a Romanis conuectum reperit. Ad Murgãtiæ defectionem erecti ſunt & aliarum ciuitatum inconſtantes animi: ita vt paſſim Romanorum præſidia aut arcibus excuterentur, aut a ciuibus prodita opprimerẽtur. Erat eo tempore in Enna vrbe L. Pinarius vir acer, Romani præſidii Præfectus. Is cum tot proditionibus defectionibuſque ciuitatum, ac cladibus Romanorum præſidiorum admonitus, Ennenſes etiam ad inconſtantiam inclinatos cerneret, plus in ſe quam in ciuium fide reponens, ne qua deciperetur, inſtructa cuſtodiis & vigiliis, ac parata omnia habebat, nec ab armis aut loco ſuo milites abire permittebat. Cæterum cum Ennenſes Principes viri cum Himilcone clam de proditione pepigiſſent, viderentque nullum ſibi locum ad præſtanda pacta relictum, omnemque ad fraudem viam præcluſam, aperte ac palam rem aggredi ſtatuunt. Itaque ſibi portarum vrbis claues reſtitui depoſcunt: quando vt liberi in ſocietatem Romanis, non vt ſerui in cuſtodiam traditi eſſent: alioquin libertatem vi ſe repetituros. Pinarius ad ea prudenter reſpondit: ſe præſidii præfecturam, claueſque portarum, & arcis cuſtodiam a Marcello Conſule accepiſſe: eaſque nec ſuo nec Ennenſium arbitrio habere, ſed eius qui commiſiſſet. Ad Marcellum, qui non procul inde erat, legatos mitterent, penes quem omne ius ac arbitrium erat: ſibi vero cæteriſque Romanis capitale eſſe præſidio decedere. Cumque Ennenſes ad Marcellum miſſuros ſe negarent, & Pinarius cum lenitate boniſque verbis nihil agere cerneret, ad vim fraudemque illis intendendam ſe conuertit. Quocirca vt ſpacium ad rẽpatrandam haberet, reſponſum in ſequentem diem ad frequens populi concilĩ remiſit: quo intelligeret, publicum ne an paucorum id votum eſſet. Quod cum ei Ennenſes non detrectaſſent, ipſe cum ſuis militibus in arcem ſe recepit, eoſque in quo vitæ diſcrimine conſtituti eſſent, edocet. Futurum illuceſcente, ni ipſi ciuium conſilia ferro ac vi præuerterent, vt a Siculis non aliter quam cætera Romanorum præſidia vna ſecum occupentur. Proinde ad arma parati, ſignum ad egregium arduumque facinus pro ſe ſuique Ducis ſalute patrandum expectarent. Milites & Pinarii verbis, & ſuo periculo accenſi, ad depulſandam a ſe ſeditioſorũ rabiem accinguntur. Sub lucem ad obſidenda itinera, claudendoſque Ennenſibus exitus, ſuperque caque theatrum turmatim conſiſtunt. Congregata deinde Ennenſium ad concionem multitudine, Pinarius ad theatrum conſcendit: vbi quæ pridie reſpõderunt, in publico repetit. Plebs paulatim primo, mox apertis vocibus ac ferocitet claues ſibi reddi expoſcit. quod ſi differatur, ad vim ſe conuerſuros minantur. Pinarius, vbi ne ab ipſo quidem minarum euentu rem procul abeſſe videt, dato (vt conuenerat) ſigno, ſuos ſtrictis armis ad illorum cædem immiſit. Tum milites clamoribus repente ſublatis, alii ſuperne in aduerſam concionem, alii ad exitus theatri conferti obſiſtunt: inde denſis gladiis ad ciuium occiſionem proruunt. atque ita Ennenſes vndique incluſi, alii ſuper alios procumbũt, ſauciis integri, viui mortuis accumulantur, truncique cadaueribus aceruos exaggerant: ſi qui vero dilapſi ſunt, paſſim per vrbem exangues occubuerunt. eoque modo tota vrbs cædibus ac

ſanguine

sanguine referta, Ennensium cruore, Pinariiq; strenuo opere in Romanorum fide seruata est. Marcellus vbi rem audiuit, factum probauit, prædamq; militibus concessit. Ea clades ipso prope die totam Siciliam peruasit. Quã cædem nefandam Siculi qui ante dubii in fide fuerant, vti non hominum tantum, sed Deorum Cereris & Proserpinæ sedem, fœdusq; violatũ execrati, præsumpta contra Romanos indignatione, ad Pœnos defecerunt. Hippocrates & Himilco, qui ab Ennensibus ad Romani præsidii delendum consilium acciti fuerant, audito miserorum interitu, ille Murgantiam, hic Agrigentum sese recepit. Marcellus vero retro in Leontinos rediit: frumentaq; & commeatus alios in castra conuexit. Subinde Appio collega Romam ad Consulatum petendum misso, Quintum Crispinum in eius locũ classi castrisque præfecit. Hyeme vero imminente ad Leontiam (locum quinque. p. m. ab Hexapylo dissitum) hybernacula ædificauit communiuitque. Post hæc initio veris, cum Syracusas nec viribus ob situm, nec fame (quam liberi propea Carthagine cõmeatus alebant) domandam iri cerneret, ne quid inexpertũ relinqueret, per transfugas Syracusanos nobilitate prȩcipuos, quos in castris habebat, vrbis defectionem tentat. Proinde per hos colloquiis ciuium animos probare, fidemque dare, si tradita foret vrbs, liberos Syracusanos omnes, ac suis legib. vsuros promittit. Cæterum cum aperta loquendi facultas deesset, quia multorum animi suspecti curam in omnium actiones oculosque, ne quid proditionis admitteretur, conuerterant: tandem exulum seruus vnus pro transfuga in vrbem intromissus, paucos tentat. Illi huius instinctu flexi, in piscatoria quadam naui sub retibus ad castra conuecti, cum transfugis colloquuntur. Eodem pacto alii & alii admissi: octoginta consilii participes fiunt, omniaque ad vrbis proditionem necessaria componũt. Erat Artalis Syracusanus homo prædiues. Is cum forte fortuna Syracusanorum clandestinum tractatum cognouisset, indignatus rem sibi creditam non fuisse, eam ad Epicydem defert, coniuratoresque indicat. Epicydes proditores captos diuersis prius cruciatibus confectos ad lanienam tradidit. Marcellus hac via elusus aliam nanciscitur. Agebatur forte inter Marcellum & Epicydem de Damasippo Spartano redimendo, qui ad Philippum Macedoniæ Regem ex Syracusis legatus pro auxiliis implorandis naui missus, in Marcelli classem inciderat, captusque in eius potestatem venerat. Quem cum Epicydes cuperet redimere, & Marcellus ei annueret (quod tum AEtolorum, quorum socii Spartani erant, Romani amicitiam affectabant) eius rei gratia inter Romanos & Syracusanos frequẽtiora colloquia fieri fuit necesse. Ad quæ medius opportunusque vtrisque locus portus Trogilorum propter turrim Galeagram delectus est. Eo cũ sæpius Romani cum Syracusanis tractaturi accessissent, vnus eorum iuxta turrim murum contemplatus, eius altitudinem coniectura permensus est: qui vel mediocribus scalis superabilis, atque ascensu peraccommodus videbatur: quod statim Marcello indicat. Sed cum locus, vel ob id quod accuratius custodiebatur, temere adiri non posset: occasionem quæri placuit. Erat adhuc Syracusis seruus ille transfuga coniurationis prioris internuntius. Is Dianæ festum per triduum in vrbe multa ciuium atque ipsius Epicydis licentia, vino in plebem per capita distributo, celebrari significauerat. Is vbi sacrum id adesse accepit, opportunitatem sibi oblatam nequaquam omisit. Ipso itaque Dianæ die, epulatis vinoque satiatis oppidanis, primo noctis tempore (quo durior defatigatos ebriosque fere somnus occupat) scalas, quas ad id in occulto parari fecerat, proferri iussit, & mille ferme milites armatos per silentium in muros deduxit. Qui intrepide custodes primum in turribus vino somnoque sopitos, cõplures in cubilibus interfecerunt, atque ita ad Hexapylon peruenerunt: vbi ex composito tuba signum datur, quo Marcellus statim cum maiori militum agmine secutus affuit. Prope Hexapylon posticus erat. eo subita vi refracto, vndique non iam furtim, sed aperte milites Romani ingressi, ad Epipolas frequẽtem custodiis locum perrexere. Syracusani custodes, vbi Romanorum ad Epipolas ascensum conspexere, & tubarum cantum clamoremque tenentium muros audiuere, metu dilapsi alii alio diffugiunt. Inter hæc multitudo pauere cœpit: cuius magna pars & metu & mero grauata, quid in vastæ magnitudinis vrbe

mali esset, ignorabat. Illucescente Marcellus cum omnibus copiis vrbem ingressus ciues excitat, atq; ad arma capienda, opēq;, si quam possent, iam captæ prope vrbi ferendam prouocat. Epicydes statim ab Insula citato agmine affuit, ratus primum paucos Romanorum custodum ignauia in vrbem paulatim excurrisse: sed vbi Epipolas & cætera circum loca hostilibus armis teneri vidit, hostibus nonnihil missilium iactu lacessitis, retro in Acradinam abiit, veritus ne inter tumultū intestina aliqua fraude a tutioribus locis excluſus, Acradinę atq; Insulæ clausas inueniret portas. Marcellus deinde mœnia ingressus, vbi ex superioribus illis locis, Hexapylo nimirum & Epipolis (quibus vrbs ipsa omnis Tycha, Acradina, Neapolis, & Nasos pulcherrimo ac patentissimo prospectu subiicitur) vrbem omnium fere illa tempestate magnificentissimam ac opulētissimam captam, sibique subiectam, ac mox ruituram vidit, casum eius lugubrem miseratus, fletum cohibere non potuit, tum tantæ victoriæ gaudio, tum eiusce vrbis veteri fama, ac potentia, qua Athenienſibus terra marique deuictis, Atticas classes, duosque eorum clarissimos Duces numeroso cum exercitu deleuerat, quæque bella cum Carthaginensibus ingenti cū victoria gesserat. Offerebant sese etiam ei tot Reges, Gelo, Thrasybulus, duo Dionysii, Agathocles, Pyrrhus, eorumque potentia, atque recentissima Hieronis Regis, totque eius erga populum Romanum beneficiorum memoria. Quæ omnia vti commiserationem victori ingerebant, ita priusquam belli signa Acradinæ admoueret, effecere vt Syracusanos qui inter Romanorum præsidia erant, præmiserit, qui alloquio leni pellicerent ciues ad dedendam sibi vrbem. Sed cum per transfugas Romanorum, qui Acradinæ portas murosque custodiebant, quibus nulla per conditiones veniæ spes erat, qui a Marcello fuerant missi, nec ad muros nec ad alloquium aditum reperirent: Marcellus vbi irritum vidit inceptum, ad arcem Euryalum (qui tumulus est in extrema vrbis parte, imminens viæ qua in agros itur, ac percommodus ad excipiendos commeatus ex mediterraneis Siciliæ locis) signa referri iussit. Præerat Euryalo Philodemus Argiuus ab Epicyde præfectus: ad quem Sosim (vnum ex interfectoribus Hieronymi) ad deditionem hortandum Marcellus misit. Philodemus, vafri vir ingenii, ad deliberandum tempus a Sosi sumpsit, eo animo vt Romanus exercitus ab Hippocrate & Himilcone, qui cum castris ad Euryalum propediem expectabantur, his induciis concluderetur. Marcellus, eius quæ re vera erat, vafriciei suspicione motus, inter Neapolim & Tycham pro mœnibus castra metatus est. Ad quem mox legati ab alias vrbis partibus cum infulis & velamentis venerunt, precantes vt ab incendiis & cæde abstineretur: quod & impetrarunt: nisi quod inuitus pene ac coactus, bona tātum ac prædam militib. concessit: ingenua vero aut libera corpora constuprari, aut occidi, aut denique attingi vetuit, nec Syracusanorum quempiam in seruitutem redigi omnium ex sententia edicto publico statuit. Atq; ita castris præsidio munitis, milites in Tycham & Neapolim irruunt: refractisq; foribus vrbem omni terrore ac tumultu perstrepentem ingressi, a cæde quidem abstinuere, sed quicquid bonorū diuturna atque antiqua fœlicitate congestum fuerat, momento temporis diripuere. Inter hæc & Philodemus omni auxilii spe frustratus, fide accepta vt incolumis ad Epicydem rediret, arcem Romanis tradidit. Bomilcar etiam Punicæ classis Dux, qui in portu Syracusano cum classe diu stationes tenuerat, relictis sociis ac quinquaginta quinq; nauibus, noctu cum triginta quinque triremibus in fugæ modum, magna tempestatis vi superata, Carthaginem profectus est, Senatumque in quo statu res esset Syracusana edocuit. quem ipsum (accepto nuntio) Carthaginenses continuo centum cū nauibus Syracusas remisere: quem multis donis Epicydes ex Hieronis gaza prosecutus est. Marcellus interea Tycha, Neapoli & Euryalo firmissimo præsidio munitis, Acradinam ternis castris per idonea loca dispositis circunsedit: ratus ad inopiam rerum omnium ciues reducturum. Cumque aliquot diebus vtrinque stationes quieuissent, Hippocrates & Epicydes vno simul tempore pluribus viis hostes sunt aggressi. Hippocrates castris ad magnum portum communitis, signoque iis dato qui Acradinam tuebantur, castra Romanorum vetera, quibus Crispinus præerat, adortus est. Epicydes eruptionem in Marcelli stationes fecit. Bomilcar etiam

etiam cum Punica classe littori, quod inter vrbem & Romana castra erat, applicata, ne Crispino quid præsidii a Marcello summitti posset, impediit. Vtrobique prospere est a Romanis dimicatum. Nam Crispinus Hippocratem non solum repulit, sed & trepide fugientem insecutus est. Marcellus vero Epicydem primo in vrbem compulit. Deinde nequid in posterum a repentinis Syracusanorum incursionibus Romani offendi possent, satis prouide munitiones extruxit. Dum eo statu esset bellum, autumni tempore, pestis sæua tam extra quam intra vrbē subsecuta est. Quę paulatim per vtraq; castra rependo, deinde in tantam pernicię perualsit, vt cũ multis diu fletibus deplorata vtrobiq; quotidiana fierẽt funera. Postremo consuetudine mali tanta feritas animos subintrauit, vt nõ modo nullis lachrymis iustisq; mortuos prosequerentur, sed ne efferrentur aut sepelirentur quidem. Quo euenit vt mortui ægros, ægri incolumes & metu & tabe, ac demum pestifero odore lethaliter conficerent. Pleriq; morbi horrore sine societate hostium stationes ingressi, ferro mortẽ quęrere, quám luis contagione fœtide interire maluerunt. Fuit tamẽ ea intemperies Pœnis pernicioſior, quod illi sub diuo excubabant: qui ad vnum pene oẽs contacti cum ipsis Ducibus occubuere. Ex Carthaginensiũ vero exercitu Siculi, vt primum ex infecto cœlo morbos prouiderunt, in suas quisque vrbes in propinquum pro salute transmigrarũt. Quo Marcellus veritus ne sui aut deficerent, aut perirent omnes: castra in vrbem transtulit. vbi & vmbra & tecto refoti, leniorem sensere valetudinẽ. Interea Bomilcar iterum cum classe Carthaginem profectus, sociorum fortunam Senatui exposuit: Romanos Syracusis inclusos facile capi posse, si Carthaginenses paululum adniterentur. Qua spe motus populus, eundem denuo cum centum & triginta triremibus instructissimis, & septuaginta onerariis cum commeatu cæteroque belli apparatu, in Siciliam remisit. Sed cum Euro ab ortu sæuiente Pachynum superare nequiret, moramq; ob id ibi trahere cogeretur: fama eius aduentus ad Romanos Syracusanosque delata, Romanis quidem metum incussit, Syracusanis vero gaudium attulit. Epicydes, veritus ne Bomilcar Africam vento impellente repeteret, Polycleto, Philistione, ac Epicyde, (cui Sydori cognomentum erat) mercenariorum Ducibus in Acradina & Insula relictis, ipse ad Bomilcarem nauigat: eumq; extemplo vt fortunam nauali prælii experiri vellet, perpulit, a qua non quod esset aut viribus aut numero nauium inferior, sed quod venti prosperiores Romanæ quam suæ classi afflarent, abhorrebat. Marcellus porro nihil cunctatus, classem suam quamquam numero nauium imparem contra Punicam ad Pachynum mittit. Bomilcar cadente Euro, quo facilius Pachynum superaret, vehementioriq; impetu in Romanam classem ferretur, in altũ mouit. Quo viso Romani ex sua etiam statione soluentes aduersus eum cursum dirigunt. At ille tanta animorum promptitudine conterritus fugã arripuit, Siciliamq; præteruectus Tarentum petiit, onerariis in Africam remissis. Tũ Epicydes, vt Carthaginensium classem aufugisse vidit, omni spe destitutus, Syracusas iam ex magna parte captas redire noluit, sed Agrigentum nauigat: vbi præstolari magis rerum euentum, quam aliquid moliri statuit. His per internuntios cognitis, Siculi qui Acradinam & Insulam sub Præfectis ab Epicyde relictis tutabantur, explorata prius Syracusanorum qui obsidebãtur, voluntate, legatos de cõditionibus dedendę vrbis ad Marcellum mittunt. Quibus cum responsum fuisset, si vrbem saluam esse cuperent, tres Epicydis præfectos interficerent: statim Syracusani vna cum Siculis impetu facto, Polycleto, Philistione, & Epicyde trucidatis, Prætores nouos creant, ex quibus legatos pro pace ad Marcellum mittunt. Hi coram illo Hieronis in populum Romanum studium & beneuolentiam primum testati, excusataq; Hieronymi stultitia, Hippocratis & Epicydis fraudem, per quam a Romana societate per vim potius abstracti, quam animo alienati fuissent, ordine exponunt. Denique satis superque eum habiturum, si, quicquid gloriæ Syracusani terra marique adepti essent, sui triumphi titulo ascriberet, proponentes, orabant supplices, vt miseræ deinceps ciuitati parceret, quæ ab eo seruata, & in familiæ clientelam recepta, multo maiori laudi sibi futura esset quam si excideretur. Benigne proculdubio a Marcello audita fuisset legatio, nisi in vrbe seditio

recens

recens exorta impedimentum præbuisset. Transfugæ nanque Romani qui in vrbe erant, veriti ne a Syracusanis Marcello proderentur, mercenarios primum milites ad suum metum coniunxere, factaque conspiratione iunctis viribus, quas mortis pauor terribiliores fecerat, in ciuitatem proruentes, Prætores primũ, mox Syracusanos quoscunque fors obtulit, cædunt, eorumque bona populantur. Quibus interfectis, & direpta vrbe, ne sine ducibus imbecilliores essent, sex Præfectos instituunt: tres, qui Acradinæ, totidemque, qui Insulæ præsint. Erat ex tribus Acradinæ præfectis Mericus Hispanus genere vnus. Is contribulis cuiusdam Romanorum militis ad eum dedita opera missi pollicitationibus pellectus, Acradinam Marcello traditurum per germanum suum spondet: & vt a proditionis suspicione commilitonum animos auerteret, prohibuit de cætero vltro citroq; legatos commeare, ac custodias attentius seruari iussit, & præfectis (collegarum assensu) opportuna in Acradina & Insula loca diuisit. Cumque sibi ab Arethusa fonte ad ostiũ vsque magni portus vrbs tuenda contigisset, confestim vt id Marcellus sciret operam dedit. Illenocte intempesta nauim onerariam vnam cum quadriremibus armatis remulco ad Insulam trahi, atque in regionem portæ Arethusæ proximam milites exponi iubet, ac publico edicto cauit vt Archimedes inter capiendam vrbem seruaretur. His paratis, illucescente Marcellus cum omnibus copiis mœnia Acradinę tanta vi aggreditur, vt non solum eos qui Acradinam tenebant, contra se conuerteret, sed ab Insula quoque armatorum agmina ad obsistendum cõcurrerent, relictis stationib. suis, ad vim Romanorum arcendam. In hoc rerum tumultu Romanæ iam instructæ naues ad Arethusam armatos exponunt. Hi ex improuiso semiplenas Insulæ stationes per apertam eis a Merico portam ingressi insultant, nec nimio labore Insulam trepidatione ac fuga custodum desertam, capiunt. Mericus initio certaminis Romanis se miscuit, ac residuum Insulæ illis tradidit. Marcellus, vt captam Insulam, nec aliud quam Acradinam sibi vincendam superesse cognouit, receptui cecinit: ne gaza regia, cuius maior fama quam res erat, diriperetur. Porro suppresso eo pacto militum impetu, Syracusani qui Acradinam habebant, liberi metu, portis apertis legatos ad Marcellum mittunt, qui salutem sibi libertisq; solum deposcerent. Acradina capta, Marcellus Quæstorem cum præsidio in Insulam ad regias opes recipiendas emittit, quæ acceptæ in ærarium transiere: actum vrbem, qua parte intacta adhuc erat, militibus diripiendam concessit. Ita Syracusæ tertio prope anno quam obsideri cœperant, captæ direptæque sunt. In quib, tantum prædæ, quantum vix capta postmodum Carthagine, repertum memoratur. Præcipue autem in tanta hominum clade Marcellum Archimedis casus affecit. Is enim intentus formis lineamentisque, (quas in tanto captæ vrbis ac diripiẽtium militum discursu tumultuque in puluere descripserat) non palantes Romanos, non captam vrbem animaduertens, dum a milite captus, vt ad Marcellum se sequeretur, mandata recusaret, donec rem inceptã adhibita demonstratione perfeciisset, ab ignaro milite in iram conuerso confossus cecidit. Plerique eum tradũt, cum Romanum militem suspenso in suam necem gladio conspiceret, oraſſe ne se interficeret priusquam rem inuestigatam absoluisset. Sunt præterea qui scribũt ei ad Marcellum ferenti sphæras anguloſque, atque alia quædam mathematica instrumenta, quibus solis magnitudinem ad aspectum accommodare solebat, Romanos milites occurisse: qui aurum vase eum portare arbitrati, statim ipsum ibidẽ necauere. Id non ægerrime modo Marcellum tulisse veteres prodiderunt, sed etiam interfectorem perinde fuisse execratum, ac si in Deorum aliquem sacrilegas manus intulisset: cæsique sepulturæ curam habuisse, illiusque propinquos ac necessarios honoribus cumulasse, sphæra cylindro ambita eius sepulchro (vti suis vltima voluntate præceperat) cum quæstione imposita: Ex continenti firmamento ad contentum quænam esset excessus proportio. Captis Syracusis legationes omnium fere ciuitatum ad Marcellum conuenere, quæ omnes leges a Romanis acceperunt. ac tum demum Romani, qui nullum clementiæ aut vrbanitatis prorsus exemplum in eum vsque diem de se Siculis exterisque gentibus præbuerant, Græcis declararunt quantum iustitia & æquitate vigerent. Marcellus enim tota Sicilia potitus,

potitus, ciuitates fere singulas plurib. donariis ac beneficiis decorauit. quib. deuincti Siculi, in omni ferme vrbe equestrē benemerenti principi in foro statuam erexerunt. In ea Syracusarum parte quæ Insula est, quæque ętate mea sola incolitur, Marcellus deinceps neminem Syracusanum habitare voluit: tum quod eius loci talis situs sit, vt vel pauci eum defendere possint, (vnde Romanos exercitus ępe ante excluserant, deuicerantq;) tum quod commodissimus ibi nauibus ex alto mari aditus sit. Remanserant Marcello non paruæ reliquiæ belli. Siquidem Epicydes & Hanno Carthaginensium Duces, & Mutines genere Afer in locum Hippocratis demortui suffectus, vir impiger, & qui sub Annibale militarem artem didicerat, circa Agrigentum cum copiis erant. Hi audita Syracusarum expugnatione, communi consilio Mutini collegæ, milites Numidæ auxiliares vt darentur, quibus contra Romanos egrederetur, decreuerunt. Is copiis assumptis Romanorum agros adeo excursionibus populationibusque vexauit, vt Carthaginensium socios vel hoc vno modo in fide retinuerit: ita vt non in alio illorū spes quā in hoc vno consisteret. Post hæc coniunctis viribus tres Duces Agrigento egressi, ad Gelam amnem castra posuerunt. Quod vbi Marcellus percepit, in eos iusto exercitu stipatus proficiscitur, ac quatuor. p. m. longe ab eis consedit, præstolaturus ibi quid hostes vel agerent vel pararent. Mutines de Marcelli aduentu certior factus, continuo traiecto. flu. stationibus ingenti cum terrore ac tumultu inuectus, postridie prælio prope iusto intra munimenta Romanos compulit. Interea trecenti Numidæ exorta seditione e castris Heracleam diuerterunt. Mutines ea nouitate repressus, ad mitigandos reuocandosque suos Heracleam contendit, monens interim Epicydem & Hannonem ne se absente cum Romanis dimicarent. Verū Hanno & Epicydes Mutinis consilium aspernati, ad gloriam quam ad obedientiā paratiores, cum copiis Gelam transgressi, in aciem contra Marcellum exierūt. Marcellus indignum arbitratus terra marique actis Carthaginensibus cedere, arma extemplo parari, & signa efferri iubet. Dum Romani ad bellum se instruunt, decē Numidarum equites ex Pœnorum agmine tumultuario cursu clam ad Marcellū conuolant: seditionem trecentorum commilitonum, eorumque ad Heracleam, simul & Mutinis ad eos reuocandos accessum annuntiant, atque Numidas oēs, & duos copiarum duces gloriæ Mutinis obtrectantes in bello futuro quieturos Marcello promiserunt, ac subinde ad exercitum secreto redeunt: gens fallax, & quæ fidem alias ante seruare nesciit, eam iam in sui perniciem præstitit. Marcellus eo nuntio accepto, sine cunctatione hostes parato cum milite adortus, paruo labore superat. Nam ad primum certaminis clamorem impetumque, Numidæ, qui in cornibus erant, in concursu (vt Marcello promiserant) a cædendis hostibus abstinuerunt. Quo viso Carthaginenses in terga compelluntur. Numidæ & ipsi, vt proditionem velarent, fugę parumper comites, tandem, cum milites omnes Agrigentum trepidi petiissent, ipsi sceleris conscii, metu quoque futuræ obsidionis adducti, in proximas ciuitates passim dilabuntur. In hac vltima Marcelli in Sicilia pugna, multa Carthaginēsium milia sunt cæsa, pleraque capta: capti quoque & octo elephanti, cum quibus deinde Marcellus victor Syracusas regressus est. Post hęc cum Engion vrbs totis adhuc animis ad Carthaginenses inclinaretur, Nicias in ciuitate vir princeps, & Romanorum studiosus, vt ciues suos ab instituto deflecteret, palam pro suggesto intrepida voce Pœnorum vecordiam increpabat. Quo commoti Engiates, cum authoritas hominis simul & potentia eum a cæde defenderet, vinctum saltem Carthaginensibus tradere decreuerant. Ille cognita coniuratione, cum clausos sibi omnes vrbis exitus, nec euadendi viam videret, clandestinam circa se primum custodiam disposuit: mox palam in Materas Deas veluti importunus ac mente captus obloqui, & pleraque aduersus earum fœdo errore creditam diuinitatem, efferre cœpit. Cumque ad eum comprehendendum aduersarii se parassent, corpus repente lymphato similis ad terram demisit. vbi paulum immoratus, magno omnium stupore, caput postea attollens, voce subtremula grauique circumagitans, acutum paulatim sonum protendit, quo horrorem toti etiam circum populo incussit. Deinde abiecto amictu, & tunica interula

consciſſa,

conſciſſa, ſeminudus ad theatri fores furibundus exiens, Materonque numine correptum ſe inclamitans, curſu feſtinabat. Engiates Dearum ira id fieri arbitrati, religionis ergo ipſum neque attingere, neque remorari audebant. Ita Nicias lymphatum mentitus, liberque extra vrbis portas euaſit: vbi nullo deinceps furoris clamore, vel inſanientis impetu eſt vſus. Coniux Niciæ artis conſcia, aſſumptis filiis primum in Dearum templum ſupplex, ſubinde virum errantem quæſitum exire ſimulans, nemine obſtante tuto & ipſa ex vrbe diſceſſit. Denique loco qui inter eos conuenerat, a viro expectata, vna Syracuſas ad Marcellum ſunt profectæ: quo magnis honoribus excepti, agri quoque plurimum accepere. Marcellus poſtea capto Engio cum ciues omnes prius vinciri, deinde ad vltimum ſupplicium deduci iuſſiſſet, Nicias patriam miſeratus, ſuis ipſe lachrymis a Marcello ciuibus, & in primis aduerſariis veniam impetrauit. Marcellus tanta victoria fœlix ciuitates pene omnes maximis beneficiis extulit, illiſque leges dedit, & Catanæ gymnaſiũ artium liberalium celebertimum condidit. Porro confecto magna ex parte Siculo bello, totaque iam inſula ſubacta, Sicilia exceſſurus, plurima, eaque pulcherrima ex Syracuſis ſigna detraxit, quæ ad ſui triumphi ſpectaculum, & ad Romanę vrbis ornamentum, quæ nihil antea aut laſciuum aut luxurioſum vel habuerat, vel nouerat, ſecum Romam comportauit. Quo effectum eſt, vt inde primum Romani mirari Græcarum artium opera cœperint. Quibus, ad portam Capenam dedicata a. M. Marcello templa, excellentiſſime decorata poſtea viſebantur, & ad Pantheon hucuſque capita columnarum Syracuſis euecta cernuntur. Statuas præterea ac tabulas complures ex iſtorum numero in Samothraciam ad Deos quos Cabiros appellabant, delatas, ex Marcelli ſtatua ibi in æde Palladis erecta per apertam inſcriptionem conſtabat. Quamobrem non defuerunt qui in Marcello religionem deſiderarent: eo maxime, quod non homines tantum, ſed Deos etiam perinde ac captiuos ſpoliaſſet, & in triumphum egiſſet. Cui acceſſit & alia culpa, quod aſſuetum bello rebuſque ruſticis populum Ro. minime lautum, luxu magis ac otio referſiſſet. Parum abfuit quin aduerſantibus inimicis triumphus ei negaretur, tum ob eas quas diximus cauſas, tum quia nonnulla adhuc in Sicilia populo Ro. acquirenda reſtabant. In Albano tamen monte triumphum eo quo decuit ordine ac celebritate obtinuit. Vnde poſtridie ouans vrbem ingreſſus eſt, multamq; præ ſe prædam in vrbem conuexit. Præcedebant cum ſimulacro captarum Syracuſarum catapultæ baliſtæque, & omnia alia inſtrumenta belli, & pacis diuturnæ, regiæque opulentiæ inſignia, argenti æriſque affabre cælata vaſa, & pretioſæ veſtes ac multa nobilia ſigna, quibus inter primas Græciæ vrbes Syracuſæ ornatæ fuerant. Punicæ quoque victoriæ ſignũ octo ducti elephanti. Ad quæ non indigniori acceſſere ſpectaculo cum coronis aureis præeũtes Soſis Syracuſanus, & Mericus Hiſpanus, bene in ea victoria de populo Rom. meriti. His duobus ciuitas data, & quingenta iugera agri ſolidi in agro Syracuſano, vel Regio, vel hoſtium populi Romani, & ædes eis Syracuſis cuius vellent eorum in quos belli iure animaduerſum eſſet, deligere conceſſum eſt: Merico vero, Hiſpaniſque qui cum eo tranſierant, vrbem agroſque in Sicilia ex his qui a populo Romano defeciſſent, vbi eis viſum eſt, largiti ſunt. Indigemino, per quem ad tranſitionem Mericus eſt illectus, in eiſdem finibus quadringenta iugera agri decreta. Marcellus autem cum quarto a Senatu Conſul creatus eſſet, & Sicilia prouincia, & claſſis adminiſtratio rurſus ei obueniſſet: ex Syracuſanis quidam, qui ab eius aduerſariis perſuaſi Romam ierãt, de eo querebantur, quod vrbem, templa, & priuatos contra fœdera ac ſocietatis iura depilaſſet: proinde ſi eo iterum cum imperio rediiſſet, ſe non modo ſuam quẽque patriam, ſed Siciliam totam relicturos affirmabant: quippe quod aut obrui AEtnæ ignibus, aut freto mergi ſatius Siciliæ foret, quam ſacrilego rurſus Marcello dedi. Auditis & illorum querelis, & Marcelli defenſione: tametſi Marcello ſententia adiudicaretur, actoreſque merito condemnarentur: permutationem tamẽ prouinciarum fieri placuit: & Marcello Italia, Sicilia Leuino eſt demandata. Cum deinde Marcellus ex Syracuſanorum manubiis Gloriæ atque Virtutis templum Romæ dedicare vellet, a Pontificibus eſt inhibitus, negantibus duos Deos vnam

ædem habere posse. quare alteram tantum sub virtutis nomine priori coniunctã, qua illi patebat aditus, condidit. Statutum quoque perpetuo Syracusis est, vt quoties aut ipse, aut quispiam ex eius posteris in Siciliam traiiceret, obuiam ciues coronati procederent, ac sacrum diem illum celebrarent. Clarissima eius progenies ad Marcellum vsque Cęsaris Augusti nepotem propagata est: quem Octauia Cęsaris soror ex C. Marcello suscepit. Post decessum Marcelli ex Sicilia, Punica classis cum octo peditum, & tribus equitum Numidarum milibus vicinas Syracusis vrbes adorta, ad se Murgentiam, Hyblam, Magellam, & ignobiliores quasdam alias vrbes, pertraxit. Postmodum vero Præfecto Mutine Pœni vagi per totam Siciliam sociorum populi Romani agros vrebant. Romanorum exercitus, tum quod cum victore, cui militiæ malorumq; participes fuerant, ad triumphi etiam partem vocati non fuissent, tum quod in oppidis hybernare interdicto prohiberẽtur, adeo exacerbati erant, vt non solum ad hostes reprimendos segniores essent, sed magis eis etiam author quam animus ad seditionem deesset. Hos tamẽ motus aliquandiu M. Cornelius Prætor, militum animos nunc consolando, nunc castigando compescuit, ciuitatesq; omnes quæ defecerant, ad deditionem redegit: atque ex his Murgantiam Hispanis, quibus vrbs ageretq; ex Senatusconsulto debebatur, attribuit. Post hæc Leuinus Consul, cui Sicilia prouincia a Senatu delegata successit, iam magna parte anni circumacta, in Siciliam a veteribus nouisque sociis satis expectatus venit: atque res Syracusanorum inconditas composuit. Sed cum Agrigentini omnem in Mutine cum Numidis spem repositã haberent, quod per totam Siciliam solus fere ex sociis Romanorum ingentiores ageret prædas, & ab hostibus nullo pacto prohiberi posset: Hanno præclaras eius res gestas inuidens, adeo in eum exarsit odio, vt Præfecturam Mutini ereptam, filio suo contulerit: ratus cum ea, authoritatem Mutinis inter Numidas filium excessurum. Sed longe illi aliter euenit. Siquidem muneris priuatio veterem erga Mutinem beneuolentiam maiorem in modum auxit. qua confisus Mutines, repulsam iniquiori ferens animo, adeo a re Punica alienatus est, vt confestim occultos ad Leuinum de tradendo ei Agrigento nuntios miserit. Per hos itaque data fide, compositoq; rei gerendæ modo, portam vrbis quæ ducit ad mare, pulsis inde cæsisque custodibus, a Numidis occupari facit: per quã Leuinum Consulem cum toto Romanorũ exercitu in vrbem introduxit. Cumq; in mediũ forum ingresso Romanorũ agmine, magnus Agrigentinorum tumultus emanasset, Hanno nihil minus quam de proditione suspicatus, ad comprimẽdam castrensem, quã arbitrabatur, seditionẽ processit. Sed vbi multitudo ei maior quã Numidarum, eminus est visa, & Romanorũ clamor satis sibi ex consuetudine percognitus ad aures peruenisset, antequã ad teli ictum veniret, fugam capessit: atq; per oppositam vrbis portam cum Epicyde & paucis emissus, ad mare peruenit. vbi nactus peropportune paruum nauigium, relicta Romanis Sicilia, de qua per tot annos acerrime certatum erat, in Africã trauiecit. (Authores tamen habeo, qui de Hannone capto simul, & cæteris tum Siculis tum Pœnis viris nobilitate clarissimis, Leuinum Romã reuersum triumphasse scribunt) Cæteri vero Pœnorũ Siculorumq; milites, quorum ingens erat turba, metu perculsi, intentatoq; certamine cum cæsi in fugam intra vrbem ruerent, clausisq; meatibus exire prohiberentur, circa vrbis portas oẽs sunt cæsi. Vrbe recepta, Leuinus Consul eos qui capita rerum Agrigenti erant, virgis primum cædi, mox securi percuti iussit. Reliquos vero prædamq; omnem vendidit, pecuniamque inde collectam Romam in ærarium misit. Agrigentinæ cladis fama cum Siciliam inuasisset, omnia repente ad Romanos inclinauerunt. Prodita breui tempore viginti oppida, sex vi capta, quadraginta deditione voluntaria in fidem Romanorum venerunt. Quarum vrbium Principibus Consul pro cuiusq; merito præmia pœnasue exoluit. Siculos deinde positis armis ad agros colendos coegit, vt Sicilia non incolis modo suæ fertilitatis fructum penderet, sed Romæ quoq; ac Italiæ annonã præberet, prout sæpe præstiterat. Supererant adhuc in Sicilia quatuor hominum milia ex omni colluuione mixti, exules, obærati. qui cum in ciuitatibus quibus erant adstricti, suis legibus vixissent, postquam eos ex variis causis aut morum aut

fortunæ ſimilitudo coniunxerat, in Agathyria vrbe per latrocinia ac pleraque alia facinora vitam ducebant. Hos Leuinus nequaquam in Sicilia relinquere ſtatuit, ne nouandis rebus & rapto viuere aſſueti, inſulam iam pacatam aliquando ad ſeditiones renouarent. Eos igitur Rheginis noua pace coaleſcente ad populandum Brutium agrum tranſmiſit. Ita Sicilia, omni parte ſuperatis hoſtibus, in ditionem populi Rom. deuenit. erat tum annus a condito mundo. 4990. & ab vrbe condita circiter. 550.

DE BELLO SERVILI, ET ALIIS MOTIBVS qui in Sicilia imperante populo Romano ſunt exorti:

CAPVT II.

SVBACTA Sicilia, prima Romani imperii prouinciarum facta eſt, quã vel eo nomine Reſp. Romana ab initio ſemper magnifecit: eamque principio per Prætores regi, poſtea committi Præſidibus, demũ a Cõſularibus adminiſtrari voluit. Meſſana & Taurominium fœderatæ erant cum Romanis ciuitates: liberæ vero atque immunes Centuripe, Aleſa, Segeſta, Aletienſis, & Panormus. inter quas Centuripini & Segeſtani Latinitatis etiam iura obtinebant. Erat enim ciuile Romanorum inſtitutum, vt qui ius Latii haberent, alios ſumere magiſtratus aut præſides non tenerentur, niſi Romanos ciues. Colonias plures. S.P.Q.R. in Siciliam miſit: Panormum, Syracuſas, Taurominium. Aliquot poſt annis cum tertio bello Punico Scipio Carthaginem funditus deleuiſſet, ſpolia ac ornamenta, quæ de Siciliæ ciuitatum excidiis Carthago collegerat, conuocatis Siculis iubet omnia conquiri, & quæ cuiuſque vrbis propria fuerant, benigne reſtituit. Sub id ferme tempus maxima, eaq; barbara & effera ſeruorum in Sicilia ex diuerſis nationibus multitudo, tum primum conditionis ſuæ ſeruitutis pertæſa, libertatem dominorum cæde per occaſionem ſibi vendicare ſtatuit. Igitur cum ſalubri nullo regerentur conſilio, ſumptis armis inſoleſcere apud heros, ac iactare cœperunt, veniſſe iam tempus, quo ſerui cum dominis vitæ conditionem, vt naturæ ordo poſcebat, æquarent: quippe quod natura, quæ vitæ hominum non nouerca, ſed genitrix eſt, liberos eos omnes, pareſque, non ſeruos ediderit. deinde ſumma etiam procacitate libertatem, alimenta, & corporis amictum non modò poſcere, ſed rapto quoque accipere, ac mox nobilibus dominiſque excidium comminari, niſi facultates communes facerent, cœperunt. Nouitas primum hæc in Triocala vrbe ſub Calatabellota oppido olim ſita exordium ſumpſit: mox ad reliqua quoque Siciliæ oppida repẽtino curſu exemplo huiuſcemodi promanauit. Demophilus in Sicilia eo tempore vir erat opibus & nobilitate inſignis, ſed veneris impatiens. Is cum princeps eſſet, ſuperbia elatus, quadrigis albis per vrbes vehebatur, pluribus ſeruis & robore & pulchritudine præſtantibus, magna quoq; militum manu circunſeptus. Verum cum inſolentius plerunq; ac ſæpe de more in ſeruos debaccharetur: illi conuerſa tandem in furorem patiẽtia, obloquendo primum, mox contumeliis, ac denique telis dominum aggreſſi, eum vna cum liberis, vxore, cæteriſque domeſticis interficiunt. Horum exemplo reliqui Siciliæ ſerui in æmulationem facinoris animo erecti, ad arma conuenere. Quorum Dux Eunus ſeruus Syrus genere fuit. Is etenim fanatico furore ſimulato, dum Syriæ Deæ ſacra celebrat, ad libertatem vi armata vendicandam conſeruos quaſi numine hortatus, vocat. Quod vt diuino imperio crederetur ab eo fieri, in ore abdita nuce ſulphure & igne plena leniter inſpirans, inter verba flammam effundebat. Quo veluti miraculo duo primum ſeruorum milia ex obuiis ad ſe allexit. Mox ei acceſſit & Cleon eadem fortuna in Sicilia ſeruus. Hi vi armorum ſuſcepta, & quaſi iure belli fractis ergaſtulis, ad ſeptuaginta ſuæ ſortis milia contraxerunt. Conglobato itaque agmine nihil ſupplicii metuentes, vicos, oppida, & vrbes inuadentes, per omne cruciatuum genus dominos, nobiles, & plebeios quotquot obuios habebant, ſine commiſeratione cædebant. Cui incepto vt ſucceſſus

ceſſus accederet ferocior, & ne ſine auſpiciis eſſet exercitus, Regem ſibi Eunum deligunt, virum fortem, intrepidum, & ad quoduis ſcelus paratiſſimum, nec militiæ ignarum, & ſuper hæc dominorum hoſtem acerrimum. Is quo latius terrorem ſpargeret, & quã effuſiſſime graſſaretur, nobiles quos capiebat, crudeliſſimo ſupplicio enecabat: matronas ingenuas ac virgines vniuerſo ſeruili exercitui proſtituebat, atque cuncta in prædam ſociis exhibebat. Siculi vbi ita ſeſe opprimi vident, equitatum omnem peditatumque contra emittunt. Quibus illi quam ocyſſime ſuperatis, in Romani quoq; populi dedecus, Prætorum Manlii, Lentuli, & Piſonis Hypſæi caſtra vi capiunt, atq; ipſos Prætores bello profugos inſectantur: magnaq; iam præliando in Romanorum Siculorumq; exercitũ facta ſtrage, captos probris ac contumeliis primo afficiunt, mox cruentiſſimis affixos palis neccant. adeoq; ſerui ſuperiores fuerũt, vt nulla fuerit in Sicilia vrbs, quæ ſeruorum in ſe crudelitatem non & ſenſerit & perhorruerit, Meſſana vrbe excepta, quæ ſeruos liberaliter habuit, atq; in pace fideq; continuit. His cladibus acceptis, Romani Piſonem Conſulem mittunt. Is aciem ingentem contra ſeruos inſtruxit: ſed non prius ſolerti vir ingenio pugnandum ſibi cum efferata inſolentium hominum colluuie iudicauit, quam eorum animos pertentaret, experireturq; an perſuaſionibus, poſita quoq; eis venia, a furore flecti poſſent. Quos vbi ad peiora indies dilabi, ac iam AEtnam, Tauromenium, & pleraq; alia ſitu etiam munitiora oppida occupata pertinaciſſime præſidiis tueri conſpicit, contra Mamertium oppidum, quod ab ipſis tenebatur, caſtris motis, magna vi illud expugnat: vbi octo ſeruorum milia inter pugnandũ interfecit: quos autem viuos habere potuit, patibulo ſuffixit. Rutilius (ſiue, vt alii ſcribunt, Attilius) qui Piſoni ſucceſſerat, Tauromenium & AEtnam firmiſſima ſeruorum præſidia recepit: atq; ibi ſupra viginti ſeruorum milia interfecta ſunt. Tandem. M. Perpenna Imperator apud Ennam eos profligatos in vrbem incluſit, & adeo dura ac longa obſidione preſſit, vt cum ne ab humanis quidem carnibus vorandis abſtinuiſſent, fame demum plurimi conſumpti ſint. Quos aũt viuos cepit, compedibus religatos ad cruces adegit. Fuit Perpenna de hac victoria ouatione contentus, ne triumphi dignitatem ſeruili inſcriptione fœdaret. Vix ſeruilis hic motus ita finem habuit, cum aliud non minus atrox agreſtium in Sicilia ſubortum eſt bellum. Erat etenim ibi Athenius paſtor, Drepani ortus, ſiue (vt alii ſcribunt) incola, genere vero Cilix, vir ad omne facinus promptus. Is cũ variis de cauſis dominum interfeciſſet, excitato tumultu, capita factionum, quæ affatim eo tempore tota inſula, veluti in cæteris Græcorum oppidis flagrabant, ſibi confœderauit. quorum ductu famulos ex ergaſtulis ad libertatem inuitatos, vagos præterea multos, quos ad ſeditionem paratos repperit, ſub ſignis ordinat. Deinde Regis ſibi vendicat nomen, veſtem purpureã, & argenteum baculum, Regium q; diadema ſibi aſſumit, atq; non minorem quã ante Eunus conflat exercitũ, acriuſq; multo, tanquam illius vindex, vicis, caſtellis, & oppidis direptis in dominos, ac ſeruos etiam qui eum ſequi noluerant, infeſtius quam in transfugas ſæuiebat. Ad hæc Prætoris ab eo exercitus cæſi ſunt, capta Seruilii caſtra, capta & Luculli. Sed Aquilius Perpennæ vſus exemplo, intercluſos agreſtes commeatibus ad extrema compulit, communitaſque armis eorum copias fame facile deleuit. Nam cum incluſi, omni fugæ via erepta, ſuppliciorum metu deditionem facere noluiſſent, ne famis neceſſitate in manus Romanorum peruenirent, propriis ſibi manibus exitium conſciuere. Athenius vero eorum Dux captus a Romanis, inter rixantium manus diſcerptus eſt, atque ita vtrunque ſeruorum bellum finem habuit. Anno deinde ab vrbe condita. 662. dum Romæ primum ciuile bellum inter Marium & Syllam inceptum, poſtmodum per factiones diffuſum eſſet: Perpenna, qui Marii partes ſectabatur, Siciliam occupauit, eamque in Marii fidem armis & militibus contra Syllanam factionem muniuit. Carbo præterea triplici Conſulatu vir inſignis, ingenti cum claſſe illuc identidem cum pleriſque fugitiuis, præclariſque viris, qui Syllanam proſcriptionem præuenerant, profectus eſt. Ad hos igitur motus in Sicilia comprimendos cum magno belli apparatu Cn. Pompeius miſſus eſt. Perpenna vbi Pompeii aduentum reſciuit, quam primum Sicilia ceſſit. Pompeius ve-

ro ciuitates afflictas ad se recepit: eisq; omnibus pepercit. Cumq; in Messanenses, velut hostium hospites, sæuire decreuisset, atq; illi iure dicendi a Senatu eis concesso proposito audiri velle postulassent: Non definitis (inquit Pompeius) institutа recensere succincti gladiis? Carbonem Marii præfectum ibi cum cepisset, vinctũ in medium forum palam produxit, eumque coram stantem ipse Tribunitio subsellio sublimis damnauit, deinde procul abductum interfici iussit. Q. quoq; Valerium virum philosophum, inprimisque eruditum, coram se adductum, dicta causa mox ibidem satellitibus ad capitis mulctam tradidit. Quosdam præterea Agrigentinos in Sicilia Syllanæ factionis hostes, viros gloria & nobilitate claros, comprehendit, infestosque capitis supplicio affecit. Plures, quos licuit, latere passus omisit. Nonnullos etiam non sine præsidio suo abire voluit. Thermas Himeras vrbem, quæ cum Mario senserat, cum punire statuisset, Sthenius eius ciuitatis vir princeps, in iudicium pro ciuibus progressus, noluit vt noxio dimisso innocuos Pompeius plecteret: rogatusq; quos noxæ accusaret: Ego (inquit Sthenius) is sum qui facinus commisi, Himeræosque omnes ad sequendas Marii partes coegi. de me supplicium sumito. Porro Pompeius insignem viri fortitudinem admiratus, ei simul & Himerensibus veniam præbuit. His peractis cum suos milites insolenter per Siciliã excurrere cognouisset, gladium eis obsignatum tradidit. quem qui illæsum conseruarunt, præmiis est prosecutus: facinorosos vero pœnis attriuit. Post hæc cũ Pompeius prouincia cessisset, Mummium Siciliæ præfecit. & non ita multo post, anno circiter ab vrbe condita. 679. Sicilia immani C. Verris Prætura, eiusq; furtis vexata fuit. Subinde anno ab eadem vrbe condita. 681. P. Cornelio solo Consule, cum Metellus insulæ Prætor creatus, fœdissime Siciliã a Pergamenone archipirata nefariis prædis & cædibus eam dilacerante, atq; pulsa Romana classe Syracusanum portum obtinente, inuenisset, afflictum repente cum nauali terrestriq; prælio, ac comminutum Sicilia eum decedere compulit. Anno postmodum ab vrbe condita ferme. 700. post mortem Iulii Cæsaris, eiusq; percussorum Bruti & Cassii, in Sicilia bellum successit, quod Romani scriptores Siculum appellant. Enimuero cũ Remp. diuiso imperio Ro. Octauius Cęsar, M. Antonius, & Lepidus ita inter se distraxissent, vt Cæsar Hispanias, Gallias, Italiamq;: Antonius Asiam, Pontum & Orientem: Lepidus Africam teneret: Sextus Pompeius inter Cn. Pompeii filios ætate minimus, cum in proscriptorum numerum se relatum conspiceret: ex Epiro proscriptis, fugitiuis, & iis qui superfuerant ex factione Bruti & Cassii, ad eũ concurrentibus, ingentem & formidabilẽ coegit exercitum: cum quo Sardiniam præripiens, Siciliam occupauit. vbi Messanam primum, mox reliquas ciuitates adortus, postremo & Syracusas ipsas vastauit. vnde conuersus in latrocinia, omnem oră Italiæ superi inferiq; maris cædibus & rapinis ita affecit, vt cõmeatibus impeditis Romam fame crudelissima afflixerit. Cui tandẽ ab Octauio & Antonio obuiam itum est: inter quos cum eo pax hac lege cõuenit, vt Siciliam Sex. Pompeius haberet. Quam adeptus, cũ fœderis conditiones quas acceperat, non præstaret, sed fugitiuis in Sicilia receptis, rursus mare prædationibus infestum reddidisset: Octauius necessario bello contra eum suscepto, Statilium Taurum cum Mena Sex. Pompeii liberto, qui ad ipsum Octauium nuper cum septuaginta nauium classe defecerat, misit, vt Menecratem Pompeianæ classis præfectum, omnia in mari Siculo infesta facientem, tantisper cõprimeret dũ ipse cætera belli vsui necessaria in vrbe pararet, moxq; cũ maxima & ipse classe in Siciliã traiiceret. Ita præmissus Taurus paruit quidem fideliter cũ Mena liberto Octauii imperio: sed nisi Octauius intẽpore affuisset, durum ipsis populoq; Romano exitium cessisset. Nã cũ Sex. Pompeius classem eorum adortus, magna ex parte oppressisset, statim cum numerosissimo apparatu superueniens Octauius in Pompeium irruit. Commisso igitur atrociissimo ac cruentissimo nauali prælio non longe a freto Siculo, licet initio vtrinque acerrime & dubio Marte pugnatum esset: victoria tandem penes Octauium fuit: qui victum Sex. Pompeium ad vrbem Messanam fœde fugauit. Ille porro a Messanensibus & cæteris propinquis ciuitatibus impetratis auxiliis instaurata classe, Octauium, qui Tauromenium victor traiecerat, aggredi audet: commissaq; rursus nauali

nauali pugna adeo eum afflixit, vt ad Italiam victus aufugeret. Vbi cum amplioremsine mora classem, nec priore minorem recollegisset exercitum, rediit in Siciliam: atque inde M. Agrippam in Pompeium eiusque naues emisit. Dubio certamine inter Mylas & Liparam aliquandiu vtrinq; dimicatum est: sed ad extremũ Sex. Pompeius victus cum paucis fugit, extincto prætoriæ nauis lumine, annulisq; in mare deiectis, veritus ne per ea signa hostis insequeretur, cum paucis clam in Asiam profugit. Vbi in fidem M. Antonii receptus, cum violato fœdere bellum contra eum moliretur, a Titio & Phormo Antonianis Ducibus iterum victus captusque est, ac post paululum Mileti a Titio occisus. Sub idem tempus Lepidus reuersus ex Africa, auxilium Octauio cõtra Pompeium laturus in Siciliam venit. Qui Pompeii clade cognita, cum viginti haberet legiones, factus insolẽtior, Octauio inuito occupare sibi Siciliam pergit. Messanam itaq; opulentam tunc vrbem inuadit, eamq; militibus in prædam concedit: in qua lucrum mirabile deprehenderunt. Quo Octauius intellecto, Messanam confestim petit, vt amice Lepidum increparet, afflictæque ciuitati consuleret. Sed ille venientem ad se Octauium semel atque iterum contempsit, telisq; appeti iussit. Quæ Octauius collecta in læuũ brachium lacerna, repellendo vitauit: mox ad suos, qui in agro Tauromenitano castra habebant, regressus, instructo exercitu aduersus Lepidum Messanam rediit, & pugna commissa pleraſq; hostis legiones (paucis interfectis) ad se deficere compulit. Quocirca Lepidus tandem deposito paludamento, assumptaque atrata, supplex Octauio factus, vita & bonis impetratis, perpetui exilii mulctam subiit. Atq; ira Octauius misso Tauro totam Siciliam armis vatie afflictam, ac pene consternatam, in fidem recepit. Quatuor & quinquaginta tunc militum legiones ei in Sicilia erant. Quarum aliquot in præsidium prouinciæ relictis, ipse cum cæteris Romam deductus, ouans vrbem ingressus est. Cui ob meritum Senatus decreuit, vt Tribunitia potestate imperpetuum frueretur. Cumque postea Octauius mutata Reip. fortuna, totius orbis susceptο Imperio, Augustus esset cognominatus, Cẽtoripem & Catanam, quæ ad Sex. Pompeii destructionem plurimum contulerant, solicite refecit. Missa deinde Romana colonia Syracusas a Pompeio vastatas restituit: non omnem, sed eam duntaxat partem, quæ Insula nominatur, quæque hodie sola colitur. Nam reliquas vrbis partes restaurare, sicut præ sui magnitudine non oportuit, ita quoque & maxime arduum fuisset. Cæterum dum externa pace sub Augusto Sicilia fruitur, Seleurus Siculus, qui se AEtnæ filium prædicabat, quamplurimis ex montis accolis in seditionis partem accitis, iustum prope exercitum instruxit. quo cum tota Sicilia, sed diutius circa Catanam & montem AEtnam prædator discursasset, vicos, oppida, ac vrbes etiam vastans: Prætor magno comparato exercitu contra eum mouit. quem tandem prælio victum cepit, atque Romam misit, vbi in gladiatorum foro publico certamine bestiarum morsibus laniatus est. Post quem sæpenumero Sicilia a bubulcis & agrestibus his viris in vnum consociatis huiusmodi maxima rerum discrimina ætate etiam nostra est passa.

DE GOTHIS SICILIAM occupantibus, & postmodum expulsis.

CAPVT III.

ROMANVM Imperium, per arma omnium in orbe maximum, dum ingenti cõsensu virtuteque summum attigisset culmen: subinde ceu senio per discordiam ignauiamque confectum declinauit. Porro capto a Persis maximo cũ totius Imperii dedecore Valeriano, vniuersa septentrionis barbaries in Romani Imperii suppressionem conspirauit. Quæ licet magna vi aliquoties retusa fuerit, euicit tamen vt dum Romani Principes vel inertia torperent, vel Principatus ambitione confligerent: Persæ

Asiam, Gothi & Hunni Thraciam atq; Pannoniam, Vesegothi Hispaniam, & Sue-
ui Gallias, & Gothi tandem Italiam & Siciliam sibi occuparint. Sed libet huius rei
seriem paulo altius repetere. Anno Arcadii Orientalis, & Honorii Occidentalis
Imperatorum tertio, cum Hunni Pannoniæ Regem Attilam Honorii Imperatoris
generum creassent: eo duce toto septentrione potiti, orbis imperio etiã inhiabant.
Imperante subinde Theodosio iuniore, Gensericus Vandalorum Rex Carthagi-
ne occupata, Siciliã etiam atque vrbem Romam inuasit afflixitq;. Nec multo post
Attilas cum Hũnorum immenso exercitu Europam excursionibus, Italiamq; ve-
xandam suscipit. Quo tempore (qui annus salutis tum erat circiter. 450.) Venetiæ
vrbs necessitate vrgẽte mediis in aquis habitari cœpta est. Valentinianus vero ter-
tius, qui Theodosio successit in Imperio, cum permagnas externarum gentium
copias aduersus Attilæ terrorẽ comparasset, Aetii ductu rem fœliciter gessit. Sed
cum Aetium interemisset, ipse a suis in homicidii vindictam confossus periit, anno
imperii & ætatis 30. Cæso Valentiniano, & post ignobiles aliquot Imperatores,
Augustulo Orestis filio Occidenti, & Zenone Isaurico Orienti imperantibus, O-
doacer inter Italos Orestis armiger, Gothorum aliorumque barbarorum, quos
Valentinianus in Italiam adduxerat, auxilio, Italiæ Principatum & Tyrannidem
annos. 14. abrogato Augustulo sibi vendicauerat. Per id quoque tempus Gothi,
qui sub Theodorico Veronensi Duce Thraciam Zenonis permissu incolebant,
aduersus Romanos arma susceperant. Erant Gothi non vnius populi appellatione
coacti, sed Teutones ex Godlandia insula, qui Liuoniæ & Lituaniæ partem oc-
cuparunt. quæ cum Godlandis ex aduerso per mare sitæ sint, nõ absurde inde Go-
thos, Cimmerios & Getas aliqui appellant. Zeno igitur vtriusq; motibus prudenter
consulens, Theodorico suasit, vt in Italiam transiens, ab Odoacro occupatore sibi
Gothisque eam assereret. His munitus Theodoricus, Italiam ingressus, primum
non procul ab Aquilegia Odoacri duces fœde profligauit: mox apud Rauennam
ipsum pluries victum triennio obsedit. Odoacer dura obsidione pressus, desperatis
tisq; rebus, Theodoricum tandem dominii consortem sibi asciuit: a quo ille non
multo post ad cœnam inuitatus, inter epulandum occubuit. Ita Theodoricus O-
doacro interfecto, consultori etiam Zenoni rebellis, Italiam adipiscitur. Quam cũ
seueriori dominio annis pluribus tenuisset, quo regni Italici fines ampliaret, Sici-
liam magna classe adortus, eam tandem cum circumiacentibus insulis suo adiecit
imperio. Qui postmodũ cũ, insula præsidiis munita, Panormũ arcem sibi consti-
tuisset, anno regni sui. 37. apud Rauennam absque legitima virili prole decessit.
Cui Athalaricus, ex filia Amalasuenta nepos, puer cum matre in regnum succes sit.
Interea mortuo Zenone, Anastasius primum, mox Iustinus, & post hunc Iustinia-
nus imperium sunt adepti. Hic imperii initio per Bellisarium genere Græcum, vi-
rum strenuum & impigrum, Orientem Persarum Regibus lacessitum, & ab Hun-
nis & Sarracenis turbatum (hostibus deuictis) pacatum reddidit. Quod vbi Ama-
lasuenta cognouit, puero Athalarico metuens, Iustiniani amicitiam sibi concilia-
uit. Post hæc Bellisarius Imperatoris iussu Vãdalos, qui Africam nonagintaquin-
que annos proscriptione tenuerant, eiecturus, a Methone cum classe soluens Za-
cynthum venit. Subinde leni vento diebus sexdecim in Siciliam delatus, littoralia
Ætnæ montis attigit. Vnde Procopium, quem apud se tum velut oneris Imperato-
rii adiutorem habebat, clam scisitatum mittit, an hostes insidias contra eius clas-
sem vel in Sicilia, vel in Africa parassent. Ipse vero interea cũ classe Caucanæ por-
tum Pachyno succedentem nauigat. Procopius cum Syracusas aduenisset, amice
a Gothis, qui tunc Sicilia potiebantur, receptus est, & ab Amalasuenta, omnibus
ferme Iustiniani rebus ob fœdus cum eo initum fauente, commeatum quantum
classi suæ sufficeret, pretio redimendum obtinuit. ibiq; præter spem Syracusanum
quendam offendit amicum, eorum quæ maritimæ expeditioni necessaria erant,
præfectum: a quo nullas Vandalorum neq; in Sicilia, neq; in Africa paratas esse in-
sidias edocetur. De Africa vero se per seruum suum, qui tertia iam ante die Car-
thagine redierat, instructum dixit, Gilimarem Vandalorum tunc Regem nihil
hostile metuere: sed relicta Carthagine, locisq; maritimis, apud Hermionen (me-
diterra-

diterraneam vrbẽ, a littore quatuor dierũ itinere distantem) abesse. His Procopius acceptis amici seruũ dextera apprehẽdens, per Arethusæ littus deãbulabat. a quo cum omnia accuratissime scisciteando explorandoq; cognouisset, & ad locum portus magni, vbi nauim reliquerat, cum eo peruenisset, paratam statim nauim secũ vt ascenderet, induxit, ac velis datis Caucanam appulit. Bellisarius viso seruo, ab eo coram singula cognoscere studet, & inde soluens Gaulon & Melitam insulas nauigat, ac demũ Africam: vbi paruo labore expugnata Carthagine, & Gilimere Vandalorum Rege capto, eius gentem deleuit. Parta victoria, milites quosdam in Siciliam misit, qui Lilybæum, quod Vandalorũ adhuc erat præsidium, caperent. At cũ Gothi cognita Gilimeris captura illud præoccupassent, Romani Lilybæo sunt frustrati. Verum non multo post Athalaricus cum decem annos rerum potitus esset, decimo octauo ætatis anno fato functus est. Tum Amalasuenta Theodatum cõsobrinum cõnubio sibi iunxit, & in Regni consortium adsciuit. At ille non diu post beneficii immemor & perfidus, quo solus regnaret, in Vulsini lacus insulam vxorem in exilium egit. Vbi eã per emissarios ad internecionem etiam coegit. Theodati hæc in Reginam perfidia, adeo Gothorum pleroſq; duces turbauit, vt vix se a seditione continerent. Quæ cum Iustinianus cognouisset, tempus idoneum ratus Italiæ simul & Siciliæ liberandæ, mentem animumq; ad has partes conuertit. Inuitabat insuper eum prosperitas imperii: quod paulo ante & de Persis Duce Belisario iã bello victis triumphum egerat, & a Vandalis subactis Africã abstulerat. Nec ferendum amplius sibi existimabat, vt contra decus Imperii, Italiam & Siciliam a Barbaris occupari pateretur. His itaq; de causis per legatos a Theodato restitui sibi Italiam & Siciliam postulat: offerens in eorum compensationem dignitates alias, quæ ad æquitatem sufficerent: quod si non annueret, bello se eas repetiturum minatus est. At cum Theodatus legatis auditis postulata recusasset, non vltra cunctandum ratus, Bellisarium in Siciliam cum exercitu mittere decreuit. Inter hæc Gothi crescente in Regem suum seditione militari, Vitigim sibi Regem creant, & cum eo Theodatum occidunt. Ita turbatis Gothorum rebus, Bellisarius cum classe (in cuius tamen apparatu non in Siciliam, sed in Africam profectio simulabatur) in Siciliam nauigauit. Habebat autem peditum delectorum copias satis magnas: quibus præerant Constantinus, Bessas, & Herodianus: equitibus vero etiam numero satis validis Valentinus, Innocentius, & Magnus: quibus omnibus ipse facienda in bello imperabat. Proinde secutus Iustiniani imperium, cũ se Carthaginem petere cõfingeret, Siciliam in transitu applicuit, neq; ibi quicquam hostile ab initio molitus est: sed quasi reficiendorum militum causa in eis locis, alia atq; alia dissimulans, tanquam inde exercitum in Africam traiecturus, tempus terebat. Subinde opportunitatem nactus, Catanam vrbem ex inopinato adortus, superatis Gothis qui ibi præsidio erant, occupat. Mox copias ostentans, non alienã personam gerebat: sed aperte ad Siciliam se a Gothorum seruitute liberandam venisse fatebatur. Deinde non multos post dies Syracusas petiit: quas paruo labore dedentibus se ciuibus cepit. quas secutæ plurimæ ciuitates, certatim quodammodo in eius potestatem venere. Accedebat ad hæc, quod Gothi, cum nullos per Siciliam belli apparatus fecissent, subita Bellisarii inuasione, ac ciuitatum deditiõe attoniti, fuga potius quam defensione salutem metiebantur. Panormus vrbs sola, cui Sindericus Gothorum Dux cum validissima militum manu præsidio præerat, obsidionem non solum expectauit: sed & hostes velut contemnens, per ludibrium missis nuntiis, decessum imperabat. Bellisarius vero & suis & fortunæ viribus confisus, mari eam adoriri statuit. Cumque portus tunc temporis vsque ad mœnia veteris vrbis pateret, & quibusdam in locis mœnia adeo depressa essent, vt a nauium malis superarentur: classem intra portum confestim deferri iussit. Vbi iactis ancoris, & nauibus in tuto firmatis, nauiculas quasdam sagittariis implet: sublatasque vsque ad mali fastigia suspendit: vnde ex eminenti Gothi sagittis vndique icti, & instanti periculo in segnem imbellemque formidinem acti, sine mora Bellisario vrbem dediderunt, anno. 18. postquã Siciliam sibi occupauerant. Recepta Panormo Bellisarius Syracusas (quę Sicilię adhuc metropolis erat) reuersus, ludos

magnificos edidit,atq; numiſmata in multitudinem diſperſit. Sed cum a Iuſtiniano(ad quem præceps huius victoriæ fama peruenerat)vt in Italiã tranſiret,& Neapolim & vrbem Romam imperio reſtitueret, vocatus eſſet, dimiſſo Syracuſis & Panormi militum præſidio,cum reliquis copiis Meſſanam venit: traiectoque freto Rhegium petiit. Inde per Brutios & Lucanos pedeſtri itinere Neapolim vſque exercitum duxit:claſſem vero per littus nauigare fecit. Cumque non longe ab vrbe conſiſteret,eam vallo cinxit, pauciſque diebus in obſidione tritis,per aquæductum noctu vrbem inuaſit. vbi tam Gothis qui aderant, quam Romanis bellantibus trucidatis,Neapolim pleno iure recepit. Atq; inde paulo poſt vrbem Romam magnis copiis aggreſſus,ea facile potitus eſt.ita vt intra pauci temporis ſpatium Iuſtinianus duce Belliſario Perſiam,Africam,Siciliam, Neapolim, & Romam receperit. Poſt hæc Gothi,interfectis intra biennium duobus Regibus,Totilam regali ſanguine clarum (quippe cuius pater Ildouadi regis frater germanus fuerat)in imperium elegerunt.Hic exercitu comparato Romam venit:eaq; vi capta,Romanos proceres aliquot,quod ad Græcos defeciſſent,atrociſſime obiurgatos interfecit, vrbem ipſam,eiuſq; palatia ac mœnia partim diruit,partim incendit: atq; inde ſelecto cum exercitu Siciliam petiit.ſed vbi ad fretum peruenit,antequam in Siciliam traiiceret,Rhegii præſidium pertentat, cui tum præerant Teremundus & Imeræus,a Belliſario ibi conſtituti:qui Gothis depulſis partes ſuas fortiter defenderunt.Sed Totilas cum neceſſaria cognouiſſet obſeſſis deeſſe, dimiſſa ibi ad cuſtodiam exercitus parte,ipſe tranſmiſſis in Siciliam copiis,Meſſanam adortus eſt. Cui mox Domẽtiolus (qui eius vrbis & Romanorum militũ Præfectum agebat) extra muros occurrens, certamine inito, hoſte nihilo apparuit inferior. Sed cum intra vrbem deinde ſeſe recepiſſet,ibiq; intentus cuſtodię quieſceret:Gothi nemine extra vrbem deinceps obuiam prodeunte,Siciliam fere omnem populantur.Cũque minora quædam oppida vi, quædam pactione in poteſtatem redegiſſent:tandem Totilas magno cum exercitu Syracuſas petit, eamq; terra & mari obſidet. Interhæc cum Teremundus & Imeræus, & cæteri Romani in Rhegio circumſeſſi,rerũ intolerabili inopia premerentur,hoſti ſe ſimul & oppidum tradiderunt. Quæomnia cum Iuſtinianus accepiſſet,contractis mox claſſe & exercitu nõ contemnẽdis,Liberium Ducem vniuerſis præfecit, & quam celerrime iuſſit vt in Siciliam nauigaret,eamque iam periclitantem obnixe ſeruaret. Verum paulo poſt Liberio (vt effœtæ ætatis viro,reiq; bellicæ imperito) reuocato,Artabanem & claſſi & cohortibus a Liberio recipiendis ſuffectum in Siciliam tranſmiſit. Liberius interea de reuocatione nondum certior factus,Syracuſas applicuit a Gothis tum forte obſeſſas: impetuque in Barbaros facto,Gothis,qui in portu ſtationem habebant,ingreſſum prohibere nequaquam valentibus, in portum deſcendit: vnde cum vniuerſo exercitu quam primum vrbem eſt ingreſſus.Artabanes interea paucis cum copiis Siciliam verſus nauigabat.Verum vbi Calabriæ appropinquauit, ſubita tẽpeſtate plures ex eius nauibus in littus impegere, pleræq; in hoſtium manus venere: reliquæ remenſo curſu,Peloponneſum,vnde profectæ fuerant, redierunt: ea vero qua ipſe vehebatur,malo ex tempeſtate diffracto, fluctibus lata Miletum applicuit:atque hoc pacto ex inſperato incolumis euaſit. Liberius interim qui Syracuſas ingreſſus fuerat,cum neque in Gothos obſidentes, quibus impar ad decertandum videbatur,irrueret,neque commeatum haberet, veritus rerum neceſſariarum defectum,(quem exercitus ingens in vrbe obſeſſa breui minabatur) e Syracuſis cum iis quos ductabat, abire conſtituit: ſubitoq; receſſu hoſtem fruſtratus paucis diebus cum ſua claſſe Panormum ſe contulit. Totilas vero Gothiq;, plurib. Siciliæ locis depopulatis,atque equorum, pecorum, armentorumque omnis generis ingenti numero abacto, & frumento ex inſula tranſuecto, & maioris pretii rebus in naues impoſitis,Sicilia deſtituta,celeri Italiam nauigatione,nouo Romanorum ibidem apparatu perurgẽte,repetunt,quatuor ex Ducibus ſuis Præfectis, & quibuſdam Gothis militibus in inſulæ præſidiis relictis. Poſt hæc Liberius per Imperatorem reuocatus, Byzantium rediit. Artabanes vero e Melita in Siciliam properans, vbi Romanas copias claſſemque ab eo ſuſcepit, principio ſuæ prouinciæ po-

ciæ potẽtior per Siciliam factus, Syracusas pulsis Gothis ab obsidione liberat, Gothosq; qui in pręsidiis Siciliæ se tuebantur, statim obsidet: quorum plures, qui extra oppida ad dimicandum exierant, superat, cæterosque omnes ad deditionem compellit: atq; ita propere insulam Gothorum faucibus eripit, & Iustiniano restituit.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER VI.

DE SICILIÆ A SARRAcenis inuasione & occupatione.

CAPVT I.

CONSTANTIO imperante, & Vitelliano huius nominis primo Romanæ sedis antistite sedente, anno salutis fere. 650. Sarraceni quinquagesimo regni sui anno ab Alexandria soluentes, Rhodum Romani tum imperii insulam venerunt: eaque capta colossum fama celeberrimum demoliti, nongentos ære camelos onerarunt: & per AEgæum mare delati, pari clade Cycladas affligunt. Profecti inde in Siciliam, primo littoralem oram populantur: peruagati deinde in mediterranea, ferro & igni omnia fœdarunt. Sed quoniam de Sarracenis eorũq; oppidis pluries deinceps verba sum facturus, non alienum ab instituto, sed iucundissimum fore sum arbitratus, si eorum initiis atque progressu recensitis, quo pacto eorum Africæ regna quæ contra Siciliam sunt sita, coaluerint, descripsero. Sunt Sarraceni iidem qui Hismaelitæ, diuersa tamen ratione appellati: Sarraceni a Sarra vxore Abrahæ, Hismaelitæ vero ab Hismaele filio eiusdem viri ex Agar ancilla suscepto, a qua & Agarenorum eis cognomentum etiam accessit. Quæ nomina perdiu vniuscuiusque authoris posteri retinuere, donec paulatim ampliatis finibus in ampliorem appellationem omnes consentientes, sine confusione Sarraceni nuncupari voluere: tametsi opinio hæc nobilitatis falsa esse videatur: quippe quod ex Sarra natus est Isaac, a quo Iacob, atque ex hoc Iudas: vnde Iudæorum, & non Sarracenorum deductum est nomẽ. Sed quemadmodum aliis in multis, ita & hac in re Sarracenos errare non iniquo animo patiamur. Eius gentis nomen vix notum reperitur vetustis vel Græcis vel Latinis rerũ scriptoribus, sed per ecclesiastica monumenta ad nostras manus peruenit. Tenuerant Sarraceni primum (teste Ptolemæo) tres regiones: vnã in Arabiæ fœlicis locis mediterraneis, non procul a regione Sabæa: alteram ad AEgypti partes, quæ ab arcto quidem Idumæa, ab ortu véro Petræa Arabiæ dirimitur: tertiam in orientali Syriæ plaga sub Alsadamo monte non procul a Trachonitidis Arabibus, & a regione Batanæorum. Fines deinde suos paulatim egressi, cum Arabibus atq; aliis circum finitimis populis cõfusi, mire concreuere, suumque nomen multis postea gentib. indiderunt. Ex rapto semper id hominum genus vixit: quippe qui ex propriis excesserant sedibus, quo inuaderent sibique occuparent alienas. Verum anno salut. circiter. 600. sub Heraclio Romanorum Principe, simulatque Maomethus in Arabia fœlice ex eorum gente exortus est: Sarraceni eius superstitionibus

ſtitionibus illecti, eum ſequi cœperunt. At ille etſi Regio titulo non ſit vſus, rerum tamen proſperitate elatus, vt legislator, & author ſalutis, ac vates & propheta ſupremus haberi voluit, Duceſque ſuos magna cum militum manu frequenter ad Chriſtianorum vrbes vicinas inuadendas miſit: atque ita ventum eſt ad arma, quibus eius ſuperſtitioſa religio, & violentum imperium maxime coaluere. Eo nanq; impulſore inuaſerunt, & in ſuam poteſtatem redegerunt vicinos Chriſtianos Perſas, Syros, Aſſyrios, & AEgyptios. Ex Perſide in Mediam & Parthiam & Carmaniam: ex hac in Gedroſiam: & ex ea in Indiam: ex Syria in Ciliciam, & ad cæteras minoris Aſiæ Prouincias, indeque in Sarmatiam, atque ad alias multas ad Aquilonem ſitas regiones. Ex AEgypto non ſolum meridiem verſus ad multas AEthiopum terras, ſed verſus occidentem etiam ductantes exercitus, per Africam, (quæ vna eſt trium orbis terræ partium) quantum patet in longitudine, Chriſti nomine abolito, huiuſmodi ordine imperium propagauerunt. Nam & viuente Maometho, eoque apud Meccam felicis Arabiæ vrbem defuncto, & ſuccedente Calipha, inuaſis vaſtatiſque ac ſuæ ditioni ſubactis compluribus Aſiæ vſque ad Nilum regionibus, ex variis victoriis ſuperbiores audacioreſque, & ad rapinas violentiáque quam ad æquitatem promptiores facti, ipſum quoque Nilum tranſmiſerunt. Mox totam perdomuerunt AEgyptum, AEgyptiamq; Alexandriam, & quicquid eſt Libyæ vſq; Cyrenen. Vbi conſtituta apud Damaſcum Regni ſede, quinque annis eorum Duces quieuerunt, diſtributis locis vbi copiæ interim commorarentur. Ordinatis intra id tempus Arabiæ, AEgypti, ac Libyæ Cyrenarumq; rebus, iuncto cum eis AEgyptiorum exercitu, ex Arabia deſerta regnante Hutmenolio Hafel tertio Pontifice, vlterius progreſſi occidentem verſus, miſſis cum Duce Hucobo Hibnu Nafic viro ſtrenuo octuaginta Arabum milibus, in Africam tranſeunt, ferro atq; igne obuia quæq; vaſtantes. At cum ad nemus quoddam (36. p.m. a mari mediterraneo, & a Carthagine. 120. diſtãs) Hucobus veniſſet, præda onuſtus, ibi caſtrametatus eſt, atq; vrbem condidit, quam a re ipſa Caruenum appellauit, quod Latine exercitus propugnaculum ſonat, eamque muris lateritiis cinxit. Vnde Sarraceni fœliciſſimo victoriæ curſu progreſſi, multas ſuſtulerũt vrbes. Et poſtmodum Carthaginem adorti, eam paruo negotio ceperunt, ac funditus diruerũt. Nam etſi tertio Punico bello Carthago a Scipione iuniori deleta fuerit, ſecundo tamen ſupra centeſimum poſtea anno (Suetonio referente) ab Auguſto, aliquanto tamẽ quam fuerat demiſſior, refecta eſt. Quæ cum deinde perſeueraſſet annos ferme octoginta ſupra ſexcentos, a Sarracenis eo tempore exciſa eſt. Cuius ingentes hoc tempore aquæductus, ac plura alia monumenta cernuntur. Quam eo ſtare vlterius non ſunt paſſi, quod in fatis eſſe vates eorum vaticinarentur, vt ex ea vrbe olim conſurgerent, qui Maomethanum euerterent imperium. Deleta Carthagine, Hucobus cum exercitu, paucis eius militibus Tunetum (exile ſane, etſi veruſtiſſimum oppidum. 15. p.m. a Carthagine diffugiens, & lacui maritimo imminẽs) incolentibus, Caruenum eſt reuerſus. Is mortuo Hutmeno Pontifice, a Muchauia illius ſucceſſore, Caruenī Gubernator, ac exercitus Dux confirmatus fuit. At poſtmodum Qualidas, qui ſucceſſit in Pontificatu, propagandi imperii cupidine ductus, Muſeum virum militia præſtantem, magnis cum copiis Caruenum miſit. Qui occidentem verſus mouens, vſque ad Atlanticum Oceanum victricibus armis cuncta populando excucurrit: & mox retroflexus, ſubacta Mauritania, adiũctoq; ſecum Taurico, viro ſtrenuo, traiecto freto Herculeo Bæticam (quam Granatam hodie appellant) ſubiecit, vbi Rodoricum Gothorum Regem ſibi cũ exercitu ſatis iuſto occurrentem acie vicit: profligatiſq; Gothis, Caſtellæ Regnum ingreſſus, Toletum expugnauit: & relicta ibi exercitus parte, immenſa præda ditatus, Caruenum eſt reuerſus. Quo cognito Qualidas, auri cupidus, Muſeum ad ſe cum præda euocat. Cui Heſcianus Pontificis germanus frater, qui ad Pontificatum inhiabat, auri fratre appetentior, occurrens, illud ne Qualidæ iamiam moriturо deferret, fruſtra hortatus eſt. Pontifex theſauro accepto vix triduum vixit. Cui cum Heſcianus ſucceſſiſſet, ſtatim abrogato Muſeo, Ieſulem Caruenī & copiarum Ducem inſtituit. Huic filius, & illi nepos & pronepos ſibi per manus in

Caruenī

Carueni principatu, quousque Qualidæ propago est extincta, successerũt. Tum Laglebus Damasci Pontificatu & Carueno cum sua stirpe per annos.170. potitus est. Quo tempore Mahdi, pulso vltimo Laglebi successore, & occupato sibi Sarracenorum pontificatu, & Carueno, vrbem ad eius oram, ad peninsulam curui littoris in sui munimen Mahdiam a se dictam, (quam Africam hodie appellant) cõdidit, eamq; crassis ac munitissimis mœnibus, quæ ad ætatem vsque meam visebãtur, cinxit. Sed ad Sarracenos principes redeo. Qui elati maiorib. ob tãtos successus animis, post Qualidæ mortem classibus in cæteras Hispanias traiicientes, omniaque armis & multitudine infesta facientes, ad extremum tam nobiles & amplissimas regiones cum adiacentibus insulis suo adiecere imperio. Superatis præterea Pyrenæis montibus, quasdam Galliarum partes in potestatem redegerunt. Interiecto deinde tempore traiecerunt etiam in Italiam, primumq; oram Ligusticam excurrentes Genuam petierunt, subitaq; vi vrbem adorti, ea direpta, atq; ingenti onusti præda, inde discessere. Nec multo post inuaserunt Romanum agrum, & omnia igne & ferro vastauerunt. Aliquot post annis tam claris elati victoriis, ipsam vrbem Romam adoriuntur: factoq; agmine ingressi, eam totam intra biduũ diripuere. Per idem ferme tempus Sardiniam quoque & Siciliam (vt paulo infra memorabimus) eorum domino subiecerunt. Oram deinde fere totam superi atq; inferi maris plurimum perdiuq; infestauerunt. Diu quoque possederunt Lucaniã, & quicquid vrbium atq; oppidorum situm est ad mare, a Lucania ipsa vsq; ad Gargani mõtis loca, quæ mari Adriatico imminẽt. Nec prætermiserunt oram Dalmatiæ, Illyrici, Epiri, Peloponesi. Ingressi sunt etiam Hellesponti fauces, & quicquid est in ora tum Europæ tum Asiæ, ad Thracium vsque Bosporum, infestum fecerunt. Cycladas quoque, Cyprum, & Cretam insulas magna vi inuaserunt. Tam formidabile enim erat per ea tẽpora Arabum & Sarracenorum nomen, vt vel ingenti multitudini, vel armis, vel perditæ audaciæ, & animis huiuscemodi nationis, neq; Itali, neq; Græci, neque Hispani, neque Afri, neque alia quæuis natio obsistere auderet, sed desperata prorsus victoria statim eis cederent. Imperii sedem mortuo Maometho Sarraceni Damascũ vrbem delegerunt. Successit Maometho Caliphas. cui Accalis, & huic Alis. Qui cum vltra modum superstitiosus videretur, nouum ei Ducem Calipham nomine subrogarunt: a quo Caliphatum principatum appellauerunt. Quo defuncto, Maomethus alter, qui imperauit annos octo, suffectus est. post quem Alis alter. cui Abraamus. Et ne sim longior in texenda Principum serie: qui Sarracenis in AEgypto (Sultani Chaldæo postea nomine, quod Regem siue Ducem nobis significat) imperauerunt, proditum est eorum literis, ab hoc Abraamo, qui octauus a Maometho dominatus est, vsque ad Gazelem vltimum Sultanorum ducem, (qui apud Damascum a Solymano decimo Turcarum Rege, anno salutis. 1520. Syria atque omni imperio subactus, acieque victus interfectus est) fuisse centum & triginta tres principes, qui per octingentos ferme & quadraginta annos, ordine succedentes regnauerunt: & a Maomethi ortu vsque ad annum salut. 1557. annos fluxisse. 965. Sed ad Africam redeo, ob cuius Mediterranei maris oram Siciliæ oppositam (vnde & nobis tot clades aduenerunt, & vtinam finem habuerint) describendam, hunc laborem assumpsi. Sarraceni processu æui Africam (quæ Barbaria hodie dicitur) in quatuor Regna diuiserunt. Quorũ primũ, Regnũ Marocci, vltra fretũ Herculeũ situm, est: alterũ Fessæ: tertium Telesinũ: quartum vero Tunetensium est. Primum Regnum in septẽ regiones est diuisum amplissimas, quæ sunt Hea, Sus, Guzula, Marocci regio, Duccala, Hazcora, & Tedle. Nomen habet a Marocco maxima vrbe, ab Atlante mõte. 14. p. m. distante. Sarracenorum etenim moris est, vt Reges & Regna denominentur ab vrbe quæ est Regni Metropolis. Hanc vrbem Ioseph filius Tesfin Regis Lontunæ condidit, qui primus omniũ in ea factus est rex. Cui Hali filius successit. Huic Abraamus eius filius. Quo Regno pulso, Elmael regnauit. Et hoc decedente, Abdul Mumen. Cui Ioseph filius. Post quẽ Iacob Almansor, qui a Messa vrbe (quæ in regione Sus sita est) vsq; ad Tripolim in longitudinẽ nonaginta dierum itineris, in latitudinem vero ad meridiem quindecim, eius filius dominatus est. Potitus quoque

quoque in Hiſpaniis eſt Bæticæ, Portugalliæ & Valentiæ regnis. Quo defuncto Maomethus Enaſir eius filius ſucceſſit: qui a Chriſtianis victus, Valentiam & Murſiam amiſit. Decedens liberos decem reliquit: qui cupiditate regnandi, ſeſe mutuo interfecerũt. Extincta hac familia, Regno potita eſt Marin propago, quæ multos regnauit annos. Muſmudi populi iuxta Atlantem ad partem eius occidentalem & meridionalem, ac etiam Mauritaniæ montes, & cæteras huius regni regiones habitant. Alterum regnum eſt Feſſæ: quod ipſum quoque ſeptem habet regiones, nempe Temezenem, Feſſæ regionem, Azagarum, Elabathum, Serrifi, (quę & hac ætate Regni titulum habet) & Garethum, & Elcanzam. Hoc regnum incipit a flumine Omirabili, qua in occidentem vergit, terminaturq; ad. fl. Muluiã orientem verſus. Nomen habet a Feſſa vrbe metropoli ab amne præterlabente nomen adepta, quæ poſt Maomethi ortum anno octuageſimo quinto ſupra centeſimum, a quodam ſeditioſo, regnante Aaron eorum Pontifice, condita eſt. Tertium Teleſinum regiones habet tres, Montes, Tenez, & Elgezer, incipitque ab occaſu ad fluuium Muluiam, & terminatur ad ortum ad fluuium Maiorem, & Za: & ad meridiem ad deſertum Numidiæ, ad Aquilonem vero ad mare mediterraneum. Hoc regnum Latinis Cæſarea eſt, Romanorum olim prouincia. Nomen habet a Teleſina vrbe metropoli: cuius originem annales Maomethani non referunt. Habet ad oram mediterranei maris vrbes Oranum, & Gezeir, quam Hiſpani Alger, veteres vero Mezganam appellant: opponitur autem Balearibus inſulis, quibus eſt vicina. vnde & nomen Sarracenicum ei prouenit. Gezeir etenim Sarracenice, inſulas Latinis ſonat. Quartum regnum Tunetenſe eſt, quod quatuor habuit regiones, nimirum Bugiam, Conſtantinam, Tripolim, & magnam Numidiæ partem, quam Sarraceni Ezzab vocant. Nomen habet a Tuneto vrbe: quæ hoc ordine coaluit. Deleta Carthagine Arabum pleriq;, qui ſub Hucobo meruerant, labore feſſi, ad Tunetum (eo tempore paruum oppidulũ) erectis tuguriis incolendum cum ſe contuliſſent, a Duce poſtea hortati Tuneto relicto, cum eo Caruenum ſunt reuerſi. At vero cum Caruenum poſt trecẽtos quinquaginta annos ab Arabum exercitu oppugnaretur: principes eius ciuitatis viri ad Bugiam vrbem ſalutem ſibi quæſierunt: plures verò ex eis Tunetum habitarunt: in quo veluti principes dominati ſunt. At cum poſtmodum Abdul Mumen Rex Marocci cum magno Muſmudorũ numero Mahdiam, (quæ & Africa eſt vrbs) a Rogerio Siciliæ Rege prius occupatam, Guilelmi primi Siciliæ Regis tempore per deditionem recepiſſet, in regreſſu Tunetum veniẽs, pulſis principibus, nullo labore oppidum recepit: quod deinceps ſub imperio ipſius Abdul Mumen Regis Marocci fuit, & eo mortuo ſub Ioſeph eius filio, ac deinde ſub Iacob Almanſore Marocci etiam Rege, qui Gubernatores (quos Xecos Sarraceni appellant) Tunetum mittebant. Interea Arabes, qui ante ab Abdul Mumen pulſi fuerant, reuerſi Tunetum obſident. Quo Iacob Almanſor cognito, claſſem viginti onerariarum militibus inſtructam cum Habdul Vahidi duce ſtrenuo eo miſit. Habdul vbi Tunetum cum claſſe appulit, Arabes eiecit: atque vrbem ab eiſdem ferme populatam reſtituit, atq; ab vniuerſa regione tributa compoſitis rebus exegit. Huic ſucceſſit Zecherias filius: qui patre ingenio & facundia ſuperior, arcem & templum erexit, & Tripolim vſque, atq; eo longius, meridiem verſus tributa exigendo excurrit. Interea mortuo Iacob Almanſore, cũ ei Maomethus filius ſucceſſiſſet, & huic Ioſeph germanus frater, qui poſtea a militibus Regis Teleſini cæſus fuit: ob eamq; cauſam Marocci Regnum diminutum eſſet: Abrahamus Zecheriæ filius, qui patri defuncto in Tunetenſi Principatu ſucceſſit, Regi Marocci ſubiici amplius noluit: quinimo audẽtior factus, magno exercitu cõparato, Teleſini vrbem Regiam aggreſſus expugnauit, ac ſibi tributariam fecit: & cũ Marin, qui Maroccũ vrbẽ tum obſidebat, fœdus pepigit: Tunetumq; reuerſus, totius Africæ Rex ab omnibus ſalutatus, Regio diademate eſt inſignitus, ac Mulei nomine (quod Regem Latine ſonat) appellatus. Quo regnante vrbs ipſa maxima ſuſcepit incrementa. Huic ſucceſſit Mulei Belabes. cui Mulei Bufares. Poſt quem Manſtaſar regnauit: poſtq; hunc Ottomenus, cui Ieſaies. Quo defuncto Abedel Mumẽ, & deinde Zecherias ſecundus, ac poſt eum Maomethus ſecun-

secundus: cui Mulei Assen in regno successit. Is cum regno ab Ariadeno Barbarussa (Othomanicæ classis Præfecto, ac Alger Principe) pulsus esset, in sedem rursus a CAROLO QVINTO CÆSARE anno salutis 1535. est restitutus. Sed paulo post, cum annos regnasset decem & octo, ab Ameth filio oculis & regno orbatus est. Quo casu Mulei Abdimelech eius germanus frater mense vno rerum potitus est. Quo mortuo Maomethus Abdimelech filius menses quatuor præfuit. Sed hoc a patruo regno pulso, Ameth ipse (qui patrem visu priuauerat) regnum adipiscitur, quod adhuc tenet. Post horum autem quatuor regnorum inclinationem, plura in Barbaria, & alia minora Regna a Tyrannis nomen ex vrbibus sortita, vt Hipponę, Fecis, Bugiæ, Tripolis, Bisertæ, Constantinæ, & pleraque alia, ad oram Siciliæ oppositam suo ordine sita, euecta sunt: vnde & nobis maximæ clades prouenere. Sed his satis superq; memoratis, tribusq; aliis Africæ partibus, nempe Numidia, Libya, ac Terra Nigrorum merito omissis, ad institutum meum, vnde nimis excessi, redeo. Sarraceni igitur, Constantio imperante, Siciliæ non modo littoralia, sed mediterranea etiam occupantes, cuncta fœdo vastarunt incendio. Qua clade Constantius cognita, Olympium Ducem (qui eo tempore in Italia eius erat Exarchus) contra eos misit. Olympius nauali prælio cum Sarracenis congressus, adeo cruentam est victoriam adeptus, vt propior victo quam victori hostibus abactis, insulam sit ingressus, atque mox laboriosa pugna defatigatus, paucis diebus postquam ægrotare cœpit, defunctus sit. Pulsis Sicilia Sarracenis, ac Olympio mortuo, Constantius exercitum comparauit, quo Italiam a Longobardorum seruitute vindicare posset. Proinde antequam Byzantio discederet, Constantino filio in imperii societatem ascito, secundo vento in Italiam delatus, plurima Appuliæ oppida diripuit, direptaque ferro & igne vastauit ac diruit. Postea Neapolim, ac deinde Romam petiit. Cui venienti via Appia ad sextum lapidem Vitellianus Rom. Pontifex cum clero & magna parte populi obuiam prodiit. At Constantius vrbem ingressus, quinque diebus augustissima vrbis templa accuratissime inuisendo, ac omnem eorum apparatum tacitis luminibus lustrando consumptis, ad eam spoliandam conuertitur: vbi quicquid antiqui operis ex ære & marmore fuit, & quicquid oculos delectare potuit, sublatum aut vi reuulsum ad naues deferri iussit: vt plus ornamentorum vnus septem dierum spatio vrbi detraxerit, quam per ducentos & quinquaginta octo annos Barbari diripuerint. Vrbe deinde hoc pacto deformata, Panthei verticem argento (quo templum erat coopertum) sublato, plumbo vestiuit: ac duodecimo die post quam Romam venerat, illinc digressus, Neapolim primum, deinde Siciliam transiit, substitit; atque ea omnia Romana ornamenta simul & ingentem Siculorum prædam illuc asportaret. Syracusis eo animo vt Constantinopolim inde traiiceret, atque ea omnia Romana ornamenta simul & ingentem Siculorum prædam illuc asportaret. Syracusis cum sextum annum ageret, & auare, nec maiorum more, aut iuris forma, sed Tyrannice ex Siciliæ vrbibus tributa exigeret, multi non solum fortunis, sed etiam vxoribus & liberis sunt spoliati: qui obærati a parentum complexibus diuellebantur. Vnde in odium ciuium merito traductus, dum molliter & libidinosè in balneis Daphnes lauaretur, saponeque Gallico deliniretur, ab Andrea Troili filio, cæterisq; suis domesticis feruenti situla in verticem eius iniecta excerebratus occubuit, anno salutis fere 670. Eo interfecto, & sepulturæ ibidem tradito, exercitus Mezentium genere Armenium, qui diu sub Constantio militauerat, & mortis quoque eius author fuerat, suffecit, Imperatoremque salutauit. At Constantinus, filiorum Constantii natu maximus, qui Byzantii eo absente Imperium administrabat, morte patris audita, confestim ad opprimendum Mezentium in Siciliam magna classe venit. Vbi non diu moratus, sua humanitate non tantum copiarum, quæ illic tunc erant, verum etiam omnium ciuitatum animos in sui amorem conuertit. Deinde sexto vix ab occupato Imperio mense, Mezentium, qui ad conciliandos sibi militum animos impigrior fuerat, cum superuenientibus ex Africa & Italia copiis adortus interficit. Occiso Mezentio, & omnibus paternæ cædis conscriis, Augusti nomen apud omnes promeruit. Postmodum compositis Sicilię & Italiæ ciuitatum rebus, Constantinopolim cum Ro-

manis ornamentis rediit. vbi, quia imberbis in Siciliam profectus, barbatus rediisset, Pogonatus est appellatus. Interea Sarraceni, qui Ægyptum incolebant, cognita Constantii morte, classem occulte comparant, Thraciam & Græciam inuasuri. Sed cum ibi omnia pacata comperissent, consulto in Siciliam Constantii & Mezentii adhuc motibus agitatam nauigant. Syracusas igitur perpetuo cursu delati, subita vi, nulloque præsidio munitam vrbem capiunt, cædem maximam edunt, Syracusanam, omnemque etiam Constantii gazam in naues imponunt: atque ita opima præda onusti, Alexandriam, vnde discesserant, repetunt. Nam in Sicilia tuto esse ob Italiæ propinquitatem, & Ægypti distantiam, non confidebant. Subinde imperante Leone Isauro, Sicilia Sergii Præfecti opera a Leone defciuit, quam non multo negotio ipse ad officium retraxit. Verum non magno post interiecto tempore, Carolus magnus Leonem tertium Pontificem Romanum (a populo & Principibus Romæ pulsum) cum in vrbem restituisset, & a Pontifice ipso Imperii diademate cum assensu atque applausu populi Ro. donatus esset, atq; ita occidenti summi imperii dignitas (quæ trecentis & triginta ante annis fuerat amissa, & iam nimia vetustate obliterata) velut postliminio restitueretur: pacem ab Irene Imperatrice Constantinopolitana ante præscriptam, cum Nicephoro cognomento Thoxia Constantinopolitano Imperatore renouat. Cui, diuiso in duas partes imperio, Sicilia omnis cum Calabria & Appulia: reliqua vero Italia Carolo cessit, ad annum salutis vsque circiter octingentesimum. Quo fere tempore Sarraceni quatuor tum primum Principes (quos Admiratos vocabant) habere cœperunt. quorum vnus Ægyptum & Africam occupauit: duo Hispanias inter se partiti sunt: quarto Palęstinæ ac Syriæ loca obuenere. Post mortem Nicephori Sicilia Stauratio, & eo decedente Michaeli Curopalato, ac deinde Leoni Armenio Constantinopolitanis Principibus paruit. Quibus Michael (cui ob linguæ vitium Balbi cognomen obtigit) successit anno sal. ferme 812. Hoc imperante Sarraceni, qui Africam tenebant, nouarum rerum auidi, cõfertissima classe contra Siciliam mouent: primumque littoralia omnia vastant atq; incendunt. Panormum vrbem occupant: atq; inde mediterranea etiam complura oppida populationibus quotidie agitabant. Qua de re dum ab incolis vltro citroq; missis Legatis, Principes Christiani inter se de suppetiis consultant: Bonifacius Corsicæ Comes, ingentis vir ingenii, Siculorum damnis obuiaturus, cum fratre Bertario, & auxiliis quorũdam Ethruriæ Comitum, vltro educta classe in Africam traiecit: eo animo quo olim Agathocles & Scipio Libyam peruasere, vt videlicet dum ipse hostes domi lacesseret, illi relicta insula, labanti patriæ succurrere cogerentur, ne, dum alienis inhiant, sua deseruisse viderentur. In Africam itaque delatus, Vticæ ac Carthaginis agros primum rapinis & incendiis percurrit. Ad cuius facti nuntium cum Sarracenos innumeros ad obsistendum obuios haberet, eos impetu ferocissimo fudit fugauitq;. Cumque illi quater bellum reparasserit, quater inter Carthaginem & Vticam cum eis congressus, tãtam hostium edidit stragem, vt eorum Rex suos, qui Siciliam occupauerant, ad ferendam Africæ laboranti opem reuocare compulsus sit. Eoq; modo Sarraceni, Panormo & tota fere insula deserta, domum rediere: Bonifacius vero cũ classe victrici, & ingenti præda onustus, consilii sui eũtu lætus, victor in Corsicam rediit. Michael Imperator recepta Panormo, & Sarracenis passim omnibus insula pulsis, Siciliam magno militum, quibus Euphemiũ genere Græcum, virũ & militia & nobilitate insignem, præfecit, præsidio munuit. Rerum vero administrationi alium quendã prudentia, iustitia, alijsque egregijs virtutibus decoratum, cuius nomen scriptores Græci non exprimunt, Exarchum constituit. Anno vero proximè sequenti, sedatis domi motibus, & quiete subito ab armis parta, Sarraceni rursus cum numerosa classe Ducem Sabbam cõtra Siciliam expediunt, eamq; multa circum obsidione cingunt. Michael nuntio noui tumultus audito, cõfestim & ipse classem contra parat: cui Theodosiũ Præfectum dedit. Hic copiis, quas e Græcia adduxerat, non adeo confisus, ad Venetos se contulit: a quibus sexaginta alias triremes impetrauit. Quibus auctus, erectiori etiam ob copiarum fiduciam animo in Siciliam nauigat. Sabba cum primum

Theodosii

Theodosii classem Adriatico mari emenso in sinum Tarentinum flectere cognouit, siue metu ductus, siue quia rebus suis conducibilius id iudicauit, a Sicilia soluens, ad Crotoniatarum littora celeri cursu classem duxit: ibique ad certamen tandem vel inuiti duces concurrere. Vbi fractæ sunt eo prælio & fugatæ Christianorum copiæ, Venetorum vero naues fere omnes vel mersæ, vel captæ. Theodosius, suis etiam, quas e Constantinopoli adduxerat, triremibus amissis, vix salutem fuga sibi soli repperit. Sabba tam celebri elatus victoria, in Dalmatiam propinquam exercitum duxit. Austense oppidum vi captum diripit: naues Venetorum plures mercibus onustas e Syria reduces forte fortuna ibi inuentas intercipit, hominesque omnes in eis repertos ad vnum trucidat. Posthæc Anconam vi expugnat, spoliat & incendit. Atque inde tot victoriis clarus, prædisque ditatus, neglecta Sicilia in Africam reuersus est. Sed non hic ideo Sicularum calamitatum finis fuit. Eodem nanque Michaele imperante, eadem illa Sarracenorum colluuies grauiori longe ac deliberatiori vi Siciliam aggressi, eam totam sibi armorum sæuitia subiugarunt. quam postea triginta ferme supra ducentos annos, cum magno nostrorum dedecore tenuerunt. Quæ quibus initiis, quoue ordine gesta sint, hortatur locus vt explosо prius falso tantæ rei gestæ rumore recensеamus. Fabulosa plane ac ridicula quædam opinio multis ante seculis continuata Siculos habuit, Georgium Maniacem Constantinopolitani Cæsaris in Sicilia Præfectum, per proditionem a fide abductum, insulam sibi occupasse, & in ea omnium primum Barones ac Comites creasse: cuius vt perfidiam Cæsar vlciscereturse mortuum mentitus, vxorem, vt ad nouas nuptias Maniacem inuitaret, effinxerit: vnde Maniaces Imperii potius quam vxoris cupidine allectus, Constantinopolim concesserit, filium interim in Sicilia Præsidem hac instructum cautela relinquēs, vt si fraus subesset, Sarracenis qui sunt in Africa, insulam statim dederet. atque ita Maniacem apud Constantinopolim captum proditionis pœnas luisse: filium vero, vt imperatum sibi fuerat, confestim ascitis magno numero ex Africa Sarracenis, Siciliæ imperium eis tradidisse. Hæc opinio adeo vulgata apud Siculos, in omnium animis ita alte radices egit, vt si quis eam conuellere conetur, Æthiopem prius dealbaturus sit quam eos a sententia abducat: præsertim quod eam antiquissimis annalium monumentis & capitulorum Regni authoritate confirmatam habeant: quæ non imperitos tantum, sed & me ipsum diu hoc errore suspensum tenuere, donec veritatis perueстigatione intentior, apud Egnatium primo inueni, Sarracenos Michaele Balbo imperante Siciliam inuasisse: Georgium vero Maniacem post multos a Michaele annos sub Constantino Monomacho, floruisse, atq; Sarracenos e Sicilia pepulisse, primum inueni. Cuius sententiæ cum diligentius inhærerem, quod solus hic contra Siculorum opinionem dissentire videretur, auxit meam dubitationem plurimum, quod scriptorum tam Græcorum quam Latinorum, qui Cæsarum vitas memoriæ prodiderunt, nullus reppetiretur qui hanc de Maniace, Imperatore, & Imperatrice a Siculis relatam historiam referret. In ea igitur hæsitatione diu versatus, cum anno salutis 1552. apud Neetum essem, eam Ioanni Deodato Frigentini Domino totius antiquitatis studioso aperui. Is non modo mihi adhæsit, sed adiecit, Antonium Minturnum, Græcæ & Latinæ eruditionis præstantia insignem, Messanæ sibi librum Græce ex Saluatoris cœnobio transcriptum ostendisse, cuius author de gestis Maniacis vberrime differebat. Hæc vbi accepi, incredibili affectus sum lætitia, quod haberem vnde veritatem inuestigare possem. Messanam itaque petii, & cum frustra in bibliotheca Saluatoris librum inuestigassem, Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis, aliorumque procerum epistolis, a Minturno, qui tum Neapoli cum Duce Montis Leonis agebat, libri exemplum incassum etiam poposci. Demum cum diutius ingens illud desiderium meum sufferre non possem, ad industriam me conuerti: qua tandem Minturnus quicquid ille author de occupata a Sarracenis Sicilia, & Maniacis rebus gestis in eo volumine congesserat, e Græco in linguam Italicam mihi vertit, transmisitque. Quod ad manus meas cum delatum est, statim vidi & legi, & quidem simul omnia adeo cupide, vt prius ad calcem vsque illud per-

legerim quam repoſuerim. Vbi & quæ Egnatius paucis de Maniace attigit, & Siciliam non duce Maniacis filio a Sarracenis occupatam fuiſſe, author ille (cui Ioannes Curopalatus eſt nomen) pluribus memorat. At cum de ipſo fonte hiſtoriam cuperem, rurſus Minturnum rogo, vt totum volumen Græce mihi tranſcribatur. ſed votis meis cum ille non reſpondiſſet, mira tum anxietas animo meo inſedit. Interea anno ſalutis 1551. cum ad propugnacula vrbis Meſſanæ exſtruenda Saluatoris Cœnobium deletum eſſet, & ſacerdotes illius intra mœnia cum ſacra ſupellectili ad ædem Miſericordiæ ſe recepiſſent, Fratri Bartolo Myli Priori Dominicano ſcripſi, vt diligenter inſpecta Saluatoris bibliotheca, ſi Græcum codicem aliquid de Sicilia tractantem, reperiret, me certiorem redderet. At ille inter vaſa ipſa ſacra ingens volumen Græce ſcriptum, ac formis rerum geſtarum auroque ornatum, quadringentorum aureorum pretii, in quo plura de Sicilia memorabantur, reperit. Quod cum ego accepiſſem, etſi neque libri authorem, neque res geſtas, quæ in eo ferrentur, pro comperto haberem, quaſi diuinarem, reſcripſi vt reperto Græco librario, totum mihi volumen (quodcunque illud eſſet) exſcriberetur. Quo ſex menſium ſpatio exarato, & ſcriptori pretio perſoluto, ac demum ad me delato, perſpectoque huiuſcemodi illius titulo: COMPENDIVM hiſtoriarum a morte Nicephori Imperatoris, vſque ad imperium Iſacii Commenii, conſcriptum a Ioanne Curopalato, filio magni Drungarii villæ Ciliciæ: ſtatim cognoui eum ipſum eſſe librum quem deſiderabam, vnde & Minturnus opuſculum quod mihi tranſmiſerat, & Egnatius ſuam epitomen excerpſerat. Quod adeo meum impleuit animum, vt in eius lectione multorum dierum operam collocarim: vbi & Siciliæ a Sarracenis occupationem, & Maniacis veras res geſtas, ac Siculorum fabuloſam de illo opinionem liquido cognoui. Fuit autem Ioannes Curopalatus Drungarius Villæ Ciliciæ: quæ dignitas eſt. Floruit autem ætate Pſelli Philoſophi, & Iſacii Commenii. Habet igitur Sicilia ſuæ occupationis a Sarracenis, & Maniacis veram ſuo ordine hiſtoriam, Græcis iam pridem commendatam literis, noſtrisque hominibus hucuſque incognitam, ſed poſtliminio mea induſtria ac labore reſtitutam: quæ eſt huiuſmodi. Euphemius (quem Michael in Siciliam poſt pulſos inde Sarracenos cum magna militum manu, vt præmeminimus, Præfectum miſerat) rerum ſucceſſu (quæ plerunq; mortaliũ mentes ab honeſto veroq; diuertunt) ad libidinem procliuior, virginem quandam non ignobilis proſapiæ ſacris dicatam efflictim deperibat. Quam cum ad libitum habere nequiret, e periſtylio rapere decreuit. Animos illi ad ſacrilegum facinus Michaelis exemplum faciebat: qui Veſtalem & ipſe virginem Byzantii ex æde ſacra raptam ad ſtuprum ſibi pertraxerat. Quocirca carere ſe culpa exiſtimabat, quod Imperatoris æmulatione cõmiſiſſet. Itaq; aſſumpto proteruo audaciq; ſuorũ militũ ſatellitio, ſacrũ inuadit, ac contẽptis legibus puellã reluctantẽ ad obſcœnos voluptatũ ſuarum ignes explendos extraxit. Erãt huic virgini germani fratres duo. Hi viſa ante oculos tã deteſtanda ſuę ſtirpi illata iniuria, nõ tacitis gemitibus, ſed editis vocibus, bacchãtibus ſimiles, in fori cõſpectu, Hexarchi fidẽ ac ius, populiq; auxilia implorant, vt violatã pudicitiã, publicam iniuriã, ac Dei opt. Max. contemptum vlciſcantur. Quorũ querelæ tametſi Hexarchi ac plebis animos ex ſe ad vindictam ſatis procliues iuſtitiæ acceſſione, quæ quæſtionẽ manifeſtã condemnabat, magis accenderẽt: tanta tamẽ erat Euphemii potẽtia, vt neq; Hexarchus ius dicere, neq; populus irruere in eũ auderet. Germani ea impunitate deſperati, Conſtantinopolim aduolant, Michaeli ſceleris immanitatẽ proponunt, legum conculcatarũ pœnas a nocente depoſcunt. Michael, etſi pari impietate fœdatus eſſet, ad ſeueritatem tamen fœdæq; æmulationis vltionẽ propenſior, acerrimo funeſtoq; ſupplicio ſtuprum vindicandum Siciliæ Hexarcho committit: nimirum vt Euphemius in vinculo coactus, primum naribus præciſis tota vrbe traducatur, mox ſic cõpoſitus ac deformis fœda etiam morte plectatur. Reus vbi pro facilis veniæ ſpe excãdeſcentem Michaelis in ſe animum, exitiumq; decretum, nec vllam euadendi ſupplicii viam, niſi in ſolis armis ſibi repoſitam per amicorum literas cognouit, contra

Cæſarem

Cæsarem iniqua proditionis cornua erigere,& Siciliam sibi occupare, hostemq; tollere quam vltorem experiri maluit. Itaque militibus quorum animos beneuolentia sibi multo ante deuinxerat,ad concionem vocatis,Michaelis Cæsaris, Præsidisq; contra eos insidias confingit.quibus in odium pertractis,Tyrannum vt occupent,ac publicam libertatem communibus armis vendicent,hortatur.Nec vero difficiles se ad seditionem milites præbuere,sed repentino in Hexarchum impetu feruntur. At ille vbi se ab exercitu concluſum vidit,periculo sese, quod vitare non poterat,per medios hostium globos ferro secessum molitus,erumpens aufugit,salutemq; extra Siciliam quæsiuit.Fugato Hexarcho, Euphemius protinus ab exercitu Imperator salutatur:Siciliamque paucis tantum vrbibus contradicẽtibus sibi occupat. Cæterum cum vires ad bellum,quod sibi a Michaele (vt parerat credere)parabatur,sustinendum non sufficerent,Scythamarcharum consilio a Sarracenis,qui Siciliæ proximi Caruenum vrbem eo tempore præpotentem incolebant,quando Tunes tunc paruum oppidum nondum Regni titulum habebat,auxilia petere statuit.Regnabat eo tempore in Carueno vrbe Abraamus Halbi,cuius origo(vt Annales Sarracenorum produnt)ad Elagleb per 170. quibus eius propago in Carueno regnauerat,annos, refertur. Ad hunc igitur Euphemius nuntios ad petenda belli subsidia hac lege misit,vt ipse Græcorum (qui Romæi eo tempore nuncupabantur) Imperator, Sarracenus vero totius insulæ Rex esset: Placuit Abraamo Euphemii legatio.Quocirca nihil cunctatus,classem ingentem quadraginta Sarracenorũ milibus instructam,cum Halcamo Sarraceno viro militia strenuo,in Siciliam misit.Is e Susa maritimo Caruenі emporio soluens, prospero vento Siciliam non longe a Mazara post triduum applicuit. Vbi cũ sine hostium obstaculo armatos ad littus exposuisset,classem cõbussit, vt Sarraceni sublata spe in Africam redeundi,strenue fortiterque pro se suisq; contra Siculos pugnarent. Selinuntem igitur, quam Sarracenice Biled el Bargoth,quod terram pulicorum Latine sonat,(sed qua causa incertum)appellarunt, primum omnium adorti,non multo labore expugnarunt,ac oppidanos captos, quo metum cæteris Siculis incuterent,ęneis vasibus igni suppositis coxerunt.Cuius immanitatis fama adeo Siculi sunt deterriti,vt ad deditionem faciẽdam vbi plures ciuitates, mortis metu præuenire hostem festinantes,confluxerint. Subinde Halcamus iis initiis fœliciter gestis,vt haberet quo se a Siculis aliquando tueri posset, locum natura munitissimum ad sui munimentum deligens,in monte excelso ac vndiq; præciso(cui Bonifato nomen est)oppidum & arcem(vt Annales Maomethani, & Ioannes Leonis in sua Africa testantur)condidit,suo illi indito nomine,quod adhuc Alcamus appellatum extat. Verum cum paulo post Siculi resumptis viribus Alcamum ducem & oppidum dure obsiderent,Abraamus Caruenі Rex ingentem Sarracenorum exercitum coegit:cui Ased Benforat,virum strenuum, ducẽ præfecit,atque in Siciliam ad suis auxiliandum misit.Qui Siciliam traiiciens,Alcamũ petiit:quod non solum ab obsidione liberauit, sed cæteras insulæ vrbes fœlici victoriæ cursu adeptus est. Euphemius interea Græcorum Imperator ab omnibus(præter paucas)vrbibus salutatur.Porro affuit illi non multo post grauis vltio. Nam cum Imperatoria insignitus infula, terrestri itinere magnam Siciliæ partem transcurreret,Syracusas (quæ vrbs cum aliquot paucis in fide adhuc Michaelis se continebat)venit.Vbi exercitu non procul simul & milite,quo ad tutelam sui corporis vtebatur,dimissis,cum ciuibus summa adeo familiaritate colloquium affectauit,ac si nihil vnquam Siciliæ aut Siculis nocuisse videretur:insidiarumque ac fraudulenti consilii metu prorsus solutus,vrbis ingressum,ac Imperialis tituli confirmationem tantummodo expetiit.Erant eo tempore Syracusis germani fratres duo, militia & nobilitate insignes, cum quibus antea etiam necessitudinęm habuerat.Hi occasionem velut cœlitus datam amplexi, sacrilegium, seditionem,ac Christianæ religionis Michaelisq; iniurias,tanquam commune probrum vlcisci, ipsumq; flagitiosissimum hominem de medio tollere constituunt. Firmato itaq; inter se mutuo consilio,cum ab eo postridie & ipsi cum aliis familiarius ad colloquium exciti,hominis cupiditatem, precesq; sceleribus indignas,atque perfidas

pollicitationes dissimulantius excepissent, petentisque studium collaudassent: Euphemium, qui eorum promissis ac fictis acclamationibus plus satis confidens in eorum complexus corruerat, inter ipsa blandientis verba, eius cæsarie apprehensa, stricto ferro confoderunt, ac subinde exanimem cruoremque manantem obtruncant, caputque in vrbem propere regressi palo fixum per vicos traducunt: corporis reliquiis inter equorum calcantium pedes desertis. Ita Syracusana virtus de sacrilego tandem pœnas sumpsit: cuius ceruicem postea Constantinopolim ad Michaelem Balbum in patratæ vltionis signum transmisere. Interfecto Euphemio Sarraceni coactis viribus Siciliam omnem (præter Syracusas & Taurominium, quæ nec ad deditionem induci, nec vi ita facile expugnari poterant) sibi facile subiecere. Sergius Romanus Pontifex famam tantæ cladis miseratus, Ludouicum secundum occidentis Imperatorem ad Sarracenis in Sicilia occurrendum hortatur. Ille vel quod gentis efferę vires expauesceret, vel quod parum orienti faueret, in Michaelem, cuius Sicilia erat ditionis, omne expeditionis onus reiecit. Michael interea a Venetis amicis auxiliares copias ad Siciliam repetendam petiit. Iustinianus Venetorum Dux, Michaeli gratificaturus, cum Senatu egit vt classis valida prę eius suppetiis strueretur. quæ postquã cum Theophilo Balbi filio in Siciliam appulisset, Sarracenis in Sicilia mirum in modum prævalentibus, Veneti temere congredi recusauere: atque ita re infecta, imo intentata, Venetias vna rediere. Defuncto post octauum sui Imperii annum Michaele, Theophilus filius in Imperium suffectus, cum annos duodecim rebus prę-fuisset, bisque cum Sarracenis Asiæ prouincias vastantibus congressus, bis ab eis in prælio victus castrisque exutus fuisset, Siciliam vlterius repetere nequiit: sed paulo post & ipse viuere desiit. Quin & Michaele eius filio infante, quem Michelottum appellabant, sub tutela Theodoræ matris & Principum virorum relicto, Imperio succedente, tutores animum ad Sarracenos Græcia & Sicilia expellendos frustra applicuerunt. Michelottus cum 14. annos regnasset (quorum tres cum Theodora matre, quam monasterio postea inclusit, absoluerat) Basilium Macedonem consortem Imperii asciuit: a quo mox occisus est. Basilius vero cæsi Michaelotti in Imperio successor, quo Sarracenos Sicilia & Græcia abigeret, fœdus cum Rege Francorum, & Romanorum Pontifice iniit, classem ingentem instruxit, cui Nicetam patritium cognomento Orisam, virum genere & militia præclarum, præfecit. Is cum pluries iam antea cum Sarracenis, qui ex Creta excurrentes, Peloponnesum vicinasque insulas populationibus vexabant, dimicando superior extitisset, eos etiam qui Barum Appuliæ vrbem tenebant, strenue superauit, atque vrbem ab eis recepit. Insuper & Sarracenorum Prefectum, quem Sultanum appellabant, ardentissimo cursu insecutus cepit, eumque cathenis vinctum Regi Francorum misit. Qui cum singulari prudentia esset præditus, a Rege benigne exceptus, inter acerbissimos rerum casus clementissimam eius humanitatem expertus est. Verum etsi tantis apud Regem honoribus esset exceptus, seruitutem abhorrens, fraude Punica præparatam fuga libertatem sibi quęsiuit. Basilius post hæc Nasarem bello clarum contra Sarracenos, qui Græciam populabantur, magna classe instructum destinauit. Is cum hostes victos fugatosque Peloponneso expulisset, in Italiam contra eosdem venit. Vbi cum Procopio Protobestiario, & Leone Apostypa terrestrium Basilii copiarum Ducibus, iunctis viribus, classem Sarracenorum, quæ tum ex Africa eo traiecerat, vicit fugauitque, & plura Calabriæ & Appuliæ oppida, multasque arces hostium præsidiis munitas recepit: partaq; victoria Constantinopolim repetiit. Quo discedente cum Procopius & Leo contra Sarracenos fortiter pugnarent, & Leo, qui dextro classis cornu præerat, victor euasisset, Procopio, qui sinistrum ductabat, succumbenti, ob veteris inuidiæ ac pristini odii memoriam, cum posset, non succurrit. Quocirca licet ille strenue se defenderet, tandem occubuit. At cum Leo sui sceleris immanitatem nouo aliquo egregio facinore apud Basilium abolere vellet, Tarentum vrbem a Sarracenis occupatam magna vi cepit diripuitque. Non tamen Basilius ea fortuna adduci potuit, quin tanti criminis debitas pœnas victori

victori irrogaret: eoque non solum eum Præfectura priuauit, sed & in exilium perpetuum misit. Post hæc Sarraceni, cum res Italiæ & Siciliæ Basilio subiectas, immunitas expugnatuque faciles cernerent, nec vllam Basilius classem paratam haberet, classem ipsi ingentem in Africa extructam militibusque completam contra Syracusas vrbem mittunt: ignominiosum sibi fore arbitrati, si ad reliquam iam fere Siciliam a se conquisitam Syracusas vrbem eo tempore Regiam non adiungerent. Itaq; eorum classis littori Syracusano appulsa, militem omnem in terram exponit: qui agros omnes incursando, populando, incendendoque, vix tutum in ipsa vrbe incolatum fecerat. Basilius per suum ibi Ducem de hostium classe certior factus, naues & ipse contra parat, omnique commeatu instructas Adriano viro patritio committit in Siciliam ad Syracusas tutandas, deuehendas. Sed Adrianus Constantinopoli soluens, Peloponnesum prospero vento ad Hieracis portum applicuit. Vbi cum quieto mari posset remis in Siciliam traiicere, auram secundam expectans, diutius moratus est. Interea Sarraceni terra & mari Syracusas primum obsident: deinde vrbem inuadentes, summa vi oppugnant. Syracusani contra acerrime pro se nitebantur, hostemque a mœnibus propulsabant. Sarraceni pro præda, pro Imperio: Syracusani pro vita, pro libertate, pro religione certabant. omnis ætas, omnis ordo, sacri profanique, fœminæ, pueri, senes tela ministrabant, lapides, ignes, sulphur, oleum incendiarium, picem liquefactam in Sarracenos mœnia subeuntes præcipitabant. Vbi Hocobus Sarracenorum Præfectus strenue pugnans cum multos Christianorum interemisset, tormento ipse traiectus occubuit. Cuius Sarraceni morte in furorem potius quam terrorem versi, nube telorum iniecta, Syracusanos paulatim loco submouent. Subinde in suprema muri euadentes, cum loco superiores essent, saxa ibi magno aggere aceruatim inuenta, in Syracusanos subeuntes proiiciebant. At illi vulnerum obliti, & ne mortis quidem memores, adeo in tela ruebant, vt cum neque muri neq; superstantes Sarraceni armati arcere eos valerent, gladiis comminus ad bellum deuenerint. Cumq; Sarraceni numero & viribus superiores essent, strictis pugionibus temerarie incurrentes transfodiunt, plures in subter patentia mœnia deiiciunt: totoque reuulso agmine, tandem vrbis portam infringunt, in vrbem irrumpunt, stragemque ingentem per domos & vicos non sine miserabili mulierum puerorumque incolarum vndique ploratu edunt. Ipsi vero spe prædæ & victoria alacres, cum immenso strepitu armorum, cantu, vlulatuque patrio, eo ferocius in obuiorum Christianorum corpora sæuiebant, quo ciuium fletus audiebant. Mox e classe portum ingressa, milites accedentes, quod reliquum erat vrbis, misere direptum populatumque, demum ferro & igni consumunt. Ita præclara atque insignis illa ciuitas multos per annos Barbaris dominata corruit, & in Sarracenorum Imperium Adriani ignauia cessit. Capta vrbe Sarraceni collectis suorum cadaueribus, Hocobo magnifice parentarunt: atque cenotaphio illi insigni dicato, vrbem sibi munierunt. Captæ vrbis eodem ferme die tantæ cladis ad Adrianum, dum satis nimis in Hieracis portu præter diligentis Ducis officium temerarie sibi indulgeret, miro hoc modo notitiam permanasse, Græcorum monumentis traditur. Est locus in Peloponneso Hieraci portui vicinus, Elos Græce, quod Palus est Latine, dictus: vbi & classis Adriani in statione stabat. Ibi eius regionis pastores nullo nuntio accepto, pridie Syracusas vrbem a Sarracenis captam ac dirutam palam prodiderant. Quos cum Adrianus vnde id resciisset, interrogasset, atque a Dæmonibus in ea palude habitantibus se cognouisse respondissent: cum pastoribus ipse ad paludem accessit: coramque quod relationi non crediderat, propriis auribus per pastores rursus percontatum ex Dæmonum responso accepit. Nec diu post Græcorum nonnulli, qui fuga eladem euaserant, nauigio Peloponnesum appulsi, rem omnem, diemq; cum prodito a Dæmonibus indicio confirmauerunt. Quo perculsus, statim inde vt venerat, Byzantium regressus, veritusque Basilii iram, ad templum maximum, veluti ad asylum profugit. Vnde extractum & flagellis cæsum, in exilium Basilius tandem

eum relegauit. Sarraceni captis incensisque Syracusis, iam tota Sicilia præter Tauromínium potiti, libere per insulam discursantes, quicquid vrbium, oppidorum, locorumq; in Sicilia repererunt, incendiis, præter Panormum, fœdarunt. Ea nanque vrbs, quod deliciis affluat, ab eis in Regiam est delecta. Ex quo tempore præclaris & intra & extra mœnia ædificiis (quorum quædam spectatu digna adhuc extant) regiisque opibus aucta, fuit deinceps tota Sicilia populi frequentia, & Regum præsentia, non solum maxima, sed princeps & regia. Inde postmodum Sarraceni & terra & mari excurrentes, non modo Siciliam omnem, sed & Calabriam Appuliamque ad Peloponnesum vsque deprædantes populabantur. Porro Basilius eorum insolentiam reprimere studens, magnam militum manum ex Macedonia & Thracia delectam, Duce Stephano Mazentio contra eos emisit. At Stephanus otio deditus & voluptati, traiectoq; in Venerem studio, cum nihil strenue eo bello peregisset, Præfectura priuatus est. Cuius loco Nicephorus Phocas, genere nobilis, & bello clarus, Nicephori Imperatoris auus, a Basilio suffectus, speciosissima sibi contra Sarracenos victoriarum monumenta ac titulos peperit. Nã cum primum eos superatos Italia depulisset, Manteam, Tropeam, Sanctam Seuerinam, ac plura alia oppida vi militari ab eis recepit. Et cum pluries foris eos bello profligasset ac domuisset, in Sicilia velut relegatos eos viuere, eiusque terminos sine discrimine non exire, compulit. Huic ab Appulis, quod non a Sarracenis modo, sed ab exteris etiam conductitiis militibus (qui in seditionem acti, multos in Appulia vi captos in seruitutem redegerant, secumque ad Isiridem euehere decreuerant) eos liberauerat, tantum magnificentiæ tributum est, vt ei templo extructo diuinos etiam honores persoluerint. Perseuerauit in Italia hæc eo authore cum Sarracenis quies, vsque ad Constantinum Leonis filium & Basilii nepotem, cognomento Porphyrogenetum. Defuncto Basilio, cum Leo eius filius in Imperium patri successisset: Sarraceni in Sicilia magna vi Tauromínium aggressi, dura aliquandiu obsidione cinctum, maxima demum ciuium strage ac calamitate, capiunt. Leone decedente, & Constantino eius filio septenni (quod per ætatẽ tantæ rerum moli non videretur idoneus) sub tutoribus cum Zoe matre imperante, Sarraceni ingenti classe soluentes, Italiam iterum nullo obsistente, igne & ferro fœdissime vastarunt. Quod vbi Constantinopoli nuntiatum est, cum iam tum in Bulgaros bellum renouatum esset, cognoscentes non posse se vno tempore orientalibus simul & occidentalibus Sarracenis obsistere, cum Sicilienſibus pacem inire statuerunt. Præerat eo tempore in Calabria Constantini nomine Eustathius ex aulicis Imperii vnus, vir impiger animo, & ad res componendas maxime idoneus. Huic negotium pacis cum Sarracenis committitur. Quam ille iurisiurandi firmitate, ac annuo vigintiduorum milium aureorum tributo Sarracenis a Constantino persoluendo facile impetrauit. Pace composita, Ioannem Mazalonem virum domi nobilem Constantini tutores Calabriæ præfecerunt. Qui cum auare ac crudeliter prouinciam susceptam administraret, a Calabris occisus est. Quo interempto, Calabri Landulfum Longobardorum ducem, & principem non armis modo, sed & liberalitate clementiaque conspicuum, qui tunc temporis Capuæ, Beneuento, & pluribus aliis Sannitibus ac Appulis vrbibus præerat, sibi dominum (spreto Constantini pueri Imperatoris imperio) elegere. Interea Lecapenus nomine & origine Romanus, licet sordido loco natus, Leonis olim classis Præfectus, vnus tutorum Constantini, data puero Helena filia in vxorem, & Zoe matre per arma dolumq; eiecta, imperii socius a Constantino per vim asciscitur. Igitur imperii initio contractis viribus, & frequenti copiarum robore terra & mari comparato, amissæ Calabriæ iniuriam non in Landulphum modo, verum in omnes Longobardos vlcisci statuit: prius tamen prudentia vsus, Cosmam Thessalonicum virum patritium, & titulis etiam apud Landulphum celebrem, ad eum mittit, qui ad Calabriæ restitutionem, & fœdus secum ineundum Principem hortetur, ni hostiles vires in suam perniciem experiri velit. Landulphus etsi primum nonnihil rem detrectare videretur, paulo post Cosmæ consiliis acquiescens, & Calabriam restituit, & pacem cum Constantino & Romano habuit. Post hæc Symeon Bulgarorum

rorum Princeps, qui pluries ex Constantinopolitanis victoriam retulerat, fœdus per nuntios cum Fatlo Sarracenorum Africæ Principe contra Imperium orientale tentat, vt classem Fatlus ingentem contra Constantinopolim instruat, dum ipse terrestri exercitu per Thraciam Græciam peruaderet: atq; ita terra & mari vrbem durissime obsiderent. qua capta, diuisisque inter se spoliis, imperium penes Sarracenum esset, & ipse ad propria victor remearet. His conditionibus illectus Fatlus assensum præbuit, fœdus cum Symeone iniit: quod vt firmaretur, plures ex nobilibus Sarracenis cum Bulgaris nuntiis domum redeuntibus, ad Symeonem mittit. Hi vero dum mare Siculum eo animo traiiciunt, a Græcis, qui littoralem Calabriæ oram custodiebant, intercepti, Constantinopolim ad Romanum Imperatorem mittuntur. Romanus, vt ætate, ita & prudentia & maturitate senex, veritus ne si fœdus inter Bulgaros & Sarracenos iniretur, ipse in maximas difficultates prolaberetur, beneficiis ac muneribus in pace Sarracenos secum continere decreuit. Quocirca in carcerē coniectis Bulgarorum legatis, Sarracenos regio more donatos ad Fatlum eorum Principem, & præclara quoque munera eidem per suos oratores ferenda remisit: imponēs vt suo nomine reuersi Principi dicerent: Imperatorum hunc esse morem, hostibus dona mittere: excusarent proinde Romanum ob non pensum hactenus tributum. cuius ratio non a voluntate, sed a rerum turbinibus, qui ipsum circundederant, prouenerat. Hæc omnia vbi Fatlus accepit, adeo erga Romanum grati fuit animi, vt & dimidium debiti tributi ei in perpetuum remitteret, & nihil in Constantinopolim deinceps acerbius tentauerit. Ita pacato Sarraceno, res inter Græcos & Sarracenos in Italia diu quieuerunt. Cumque postea in Calabria Crinitus Chaldus rebus ab Imperatore præfectus, Sarracenos in Sicilia & Africa per nimiam annonæ caritatem inedia affligeret: auaritiam hominis cupiditatemque abhorrens Romanus, & Præfectura & re quoque omni pecuniaria ipsum priuauit. Porro eo temporum vitio cum plurimi Carthaginenses Sarraceni fame superati vltro in seruitutem apud Græcos transissent: quos Africæ Principes, veriti ne Christiani ob importunitatem, vitæ necessaria eis denegarent, non modo non repetissent, sed neque tributi rationem exigerent: vbertate tandem terræ reddita, & vltroneos seruos, & tributa Sarraceni repetere cœperunt. Quæ cum petentibus non redderentur, primam id violandi fœderis occasionem præbuit. Quocirca Sarraceni e Sicilia quotidie mouentes, multam Calabriæ partem emensi, infestis armis depopulabantur: rursusque post editas late strages, vastatosque hostiliter agros, præda onusti domum recurrebant. Porro Constantinus, qui iam Romano ob impietatem in exilium pulso, ipse summam Imperii solus administrabat, soceri vestigia non imitatus, non tam de pace renouanda, quam de vindicta fuit solicitus. Eoque Malacenum patricium virum impigrum cum maximis copiis pedestribus, & cum classe Macrum Ioannem Præfectos in Calabriam misit: vt cum exercitu Pascalis Calabriæ Ducis iuncti, bellum Sarracenis Carthaginensibus & Siculis inferrēt. At enimuero hi ita iuncti, tot damnis suos affecerunt, quot hostes Sarraceni nūquam intulissent. Interea Fatlo defuncto, Bulchar Sarracenus Rex (quem Admiratum appellant) in Sicilia successit. Is vbi Græcorum apparatum cognouit, cōtractis suorum copiis ad bellum & victoriam adeo efficaciter eos est hortatus, vt conserto bello superiores Sarraceni, Græcis omnibus profligatis, eorumque ducibus in extremum vitæ discrimen adductis, Calabriam mox & Appuliam ingressi, omnem eam Italiæ oram a strictioribus Calabrorum & Hydruntinorum promontoriis, in ampliorem terram inter superum ac inferum maria semper se extendentem, vsque ad Garganum montem ceperint. Vnde Italiam multis postea temporibus miris calamitatibus afflixerunt. Quod vbi Constantinus animaduertit, ne vlterius ea rabies serperet, misso Ioanne Asicreto cognomento Pilato, pacem fœderaque a Sarracenorum Rege petiit. Cui ille libenter annuit, asserens Sarracenos victoriis non adeo extolli, quin victores pacem etiam cum victis amplecterentur. Initum igitur ad certum tempus firmatumque est fœdus. Quo elapso denuo nouis Sarraceni excursionibus Calabriam aggressi, cuncta im-

mitius solito deprædabantur. At Constantinus resumptis viribus, terra & mari contra eos in aciem mittit. Classis Præfectos Carbeã & Moroleonem, viros strenuos belloque expertos: exercitui vero Marianum Argum virum patritium præfecit. Hi cum Hydruntum applicuissent, paratis omnibus quæ ad bellum necessaria videbantur, in Siciliam nauigauerunt. Quod vbi Sarraceni, qui in Calabria erant, resciuerunt, tantę classis formidine perculsi, solutis ordinibus e Rhegio Messanam & ipsi traiecerunt. Vnde Panormum versus destinato cursu nauigantes, repentina maris procella abacti, omnes prope fluctibus sunt absorpti. Quo naufragio consternati, pacem cum Græcis instauratunt, quæ vsque ad Nicephorũ Phocam Imperatorem durauit. Mortuo Constantino Porphyrogeneto, imperium orientale tenuit Romanus eius filius. Qui non ita multo post viuere & ipse desiit, relictis Basilio & Constantino liberis. Quo defuncto, ob filiorum impubertatẽ Nicephorus Phocas, Phocæ Nicephori (cuius in Sicilia contra Sarracenos res egregie gestas supra memorauimus) nepos, imperio successit. Is principatu suscepto, cum dedecus esse maiestati imperatoriæ barbaris tributum & vectigal pendere, duceret, classem ingentem in Siciliam contra Sarracenos insulam occupantes instruxit: cui Manicellum patritium, Leonis fratris ex pellice nepotem, præfecit. Qui cum & ætatis & experientiæ defectu ad præfecturam esset ineptus, (præterquam quod pluribus vitiis obnoxius, ducum, qui sibi consultores dati fuerant, cõsilia non admitteret) adeo rem infœliciter gessit, vt a Sarracenis locis asperis & angustis conclusus, omnibus cum copiis victus & profligatus fuerit, capto in eo bello Niceta patritio classis Drungario & Eunucho, & in Africam in captiuitatẽ misso. Nicephoro Phoca post hæc interfecto, Basilius Romani primogenitus iam adultus imperare cœpit. Quo rerum potiente, Meles Barensis, vir primarius & Princeps, in Italia contra eum bellum mouit. Cuius conatus repressurus Imperator, ingentem exercitum sub Basilii Sanii, & Contoleonis Cephalonii ductu statim contra emisit. Sed eos Meles breui adeo pressit conclusitq; , vt edita maxima strage, hostium plurimos ceperit, cæteris fœde in fugã prolapsis. Nec multo post Basilius & alium vndique coactum exercitum (cui Orestem Protospatharium Eunuchorum suorum fidissimum præfecit) in Siciliam contra Sarracenos ire contẽdit. Sed morte præreptus, post septuagesimum & alterum vitæ annum belli huius exitum non vidit. Huic cum Constantinus frater in Imperium successisset, & Orestes cum classe Siciliam applicuisset, a Sarracenis, qui fama nouæ expeditionis satis se munierant, per inanes inducias delusus, cum magna suorum cęde, ob sui ignauiam, & militum ex alui doloribus imbecillitatem, superatus fuit. Nec hęc calamitas quicquam Constantini animo ademit, quin resumptis armis, accitoq; nouo ex Græcia & Macedonia exercitu, Italiam repeteret. Nihil tamen laude dignũ gestum est, quod Oresti obscurissimo & Barbaro homini rem totam tradidisset. Post hæc Zoe Constantini filia Argyropylo nupsit: qui decedenti post tertium Imperii sui annũ socero, in administrationem cum vxore successit. Qui principio Imperii Oreste veluti ad Præfecturam inepto abrogato, Nicephorum Carantenũ in Græcia suffecit. Is, cum sub idem tempus Sarraceni ex Africa & Sicilia cum classe decem Sarracenorum milibus instructa soluentes, insulas Cycladas ac littoralia Græcorum omnia vastarent, lætis auspiciis contra excursores belli periculũ subit, ac hostes superat. E quorum numero quingentis ex nobilioribus captis, & in vinculis ad Romanum Imperatorem remissis, cæteros in fugam vertit. Cumq; recepta ea clade Sarraceni nihil a feritate desisterent, rursus Græciam ingressi, cuncta rapinis & incendio fœdarunt. Nicephorus superioris animi non immemor, eos adortus, magna strage edita, sexcentos ex eis captos ad Imperatorem iterum misit. Romanus post hæc nouum exercitum terra marique comparatum in Italiam misit. Cuius copiis terrestribus Leonem Opum, maritimis vero Ioannem Basilii Imperatoris olim Camerarium contra Sarracenos præfecit. De quibus nihil memorabile proditum est. Romano deinde Zoes vxoris insidiis intra balneas aquis immerso, Michael Paphlago secundus Zoes vir, in Imperium successit. Quo imperante Sarraceni ex Africa & Sicilia solita inconstantia, prælioruмque veluti

veluti prurigine soluentes, in Græciam vsque nauigarunt. Vbi cum Cycladas insulas & Thraciæ littoralia prædando vastandoque turpiter percurrissent, tandem a Græcis, qui præsidio ibi erant, copias educentibus superati captique sunt: quorum sexcenti ad Michaelem missi, cæteri viui palis infixi periere. Porro Michael victoria vti nesciens, ad quietem quam ad res turbulentas pronior, Georgium priuatũ virum gerendis rebus satis idoneum in Siciliam ad Apolosarum Maomethum, Sarracenorum ibidem Admiratum, pro pace firmanda misit. Accepit benigne Sarracenus pacis conditiones: pro quibus filium suum cum Georgio Constantinopolim ad Imperatorem obsidem misit. a quo & ipse vnus ex palatii magistris est constitutus: quæ dignitas eo tempore post Cæsarem summus erat honor. Atq; ita inter Siculos Sarracenos & Græcos aliquandiu res quieuerunt.

DE GEORGIO MANIACE, ET EIVS IN SICILIA contra Sarracenos rebus egregie gestis.

CAPVT II.

APOLOSARVS Siciliæ Rex dũ externa pace fruitur, a domestica fraternaque seditione nihil tale metuens inuaditur. Erat enim illi germanus frater Apochaps nomine, inter Sarracenos & calliditate & sęuitia facile princeps. qui cum nimia ambitione æstuaret, fratri Imperium adimere per scelus adoritur. Ex improuiso igitur a germano bello petitus, & longa vndique pressura cinctus, tandem præter suam omniumque opinionem superatur. Apolosarus a fratre victus, confestim a Michaele Imperatore suppetias petit. Michael oblatam sibi Siciliæ imperio restituendæ occasionẽ non omittens, Georgium Maniacem ingenti cum exercitu in Italiam & Siciliam Ducem misit: classem quoque cum eo militibus instructissimam: cui Stephanum virum patritium, & eius sororium, præfectum deligit. Fuit Georgius Maniaces Gudelii Maniacis viri patritii filius, Constantinopolitanus genere, Protospatharius, & Imperatorii palatii magister, manu & consilio promptus, & militia strenuus. Is dum Italiam nauigat, in eaq; moram traheret, vt Sarracenorum in Sicilia res quo tenderent, videret: Apochaps magno cum exercitu contra Apolosarum mouit: quo prælio, strenue Rege pugnante, victus fugatusque est. Superatus Apochaps, ad Africæ Principem statim confugit, cum eo fœdus pepigit, auxilia petit: dimidium insulæ se illi cessurum, si Sicilia potiretur, spopondit. Accita igitur Sarracenorum numerosissima manu, Apocaps bellum initio varium & anceps, sed mox fœlicissimum contra Apolopharum gessit. Nam pulso fratre, victor Sicilia potitur. Cęterum Apolopharus per Leonem Opum, Imperatorii exercitus in Appulia Ducem, cum ingenti Græcorum & Italorum multitudine adiutus, assumpto etiam Sarracenorum qui sibi adhærebant, non spernendo numero, in Siciliam reuersus, fœlicibus auspiciis cum germano bellum redintegrauit: atque illo cum omnibus Africæ Sarracenis eiecto, regnum sibi recuperauit. Demum cum rursus Apocaps res nouas moliretur, amicorum interuentu reconciliatis animis, fratres in amicitiam pacemque concurrunt: iunctisque animis contra Græcos, quorum copiæ & classes in Appulia instructissimæ erant, quasque suspectas habebant, simul se parant. Maniaces his cognitis ad comprimendam fratrum Sarracenorũ potentiam se instruit, ac pluribus Italiæ Principibus, Landulpho præsertim (cuius supra meminimus) Capuæ & Longobardorum Principe, ac Guaimaro Salernitano, & Guilelmo Ferrabacho, & Roberto Guiscardo, & cæteris Normannis fratribus, qui per ea tempora in Italia bello erant clarissimi, in fœdus accitis, Sarracenos in Sicilia superare, atq; insulam Imperatori restituere pergit, vt in gestis Normannorum legimus. Sed quoniam in Normannorũ (quibus quod in solo patrio sumus, quod liberi viuimus, quod Christiani Siculi omnes hodie sunt, ingenue acceptum ferimus) mentionem incidimus, de eorum primordiis scitu quædam dignissima, ac ad reliquum historię contextum necessaria, præmittere duxi. Quo-

rum initia etsi a diuersis varie efferantur, illorum tamen hæc potior sententia est, quam ex priuilegiis ipsorum Ducum, quæ adhuc integra apud nos extant, acceptam, sequimur. Qui septentrionalem olim cardinem spectabant, in vniuersum ea tempestate Normanni vocabantur: quorum lingua *Nort* septentrio, *Man* vir est, quasi septentrionalis homo. Quicunque itaque ex vasti illius Oceani ora, ac incompertę magnitudinis insulis peninsulisque exoriebantur, Normanni appellabantur. Ex his, qui Neustriam Galliæ partem, citeriori Britanniæ (in qua Armoricæ ciuitates a Cæsare describuntur) cōterminam, postremi tenuerunt, vna quędam fuit natio, Danisque finitima & socia, idolorum cultrix. Scriptores qui Gothorum prosapiam vsque ad Noa referunt, licet Normannos Magogem Iapheti filium nulla veterum authoritate ducti parentem habuisse tradant, eos tamen nos ex Gothorum feritate ortos proculdubio accepimus. Hi igitur piraticam diu ex instituto exercuerunt. qua cum vires apud finitimos sibi peperissent, Chersonesum Cimbricam ad Oceanum Germanicum sitam, hodie peritis Daniam, vulgo Daciam appellatam, processu æui occuparunt. Cumque abundante multitudine arcto patriæ limite omnes tenerentur, morem seruarunt vt liberorum natu maximo domi remanente, cæteros puberes ad nouas sibi alieni cœli regiones, opesque arte & ingenio petendas extra mitterent. Hoc modo Lutrocus Danorum Rex nondum Christo renatus, Biergostam filium secundogenitum delecta cum militum manu, quibus Rollon præerat, anno salutis circiter 880. ad sedes extra suos fines acquirendas misit. Hi classe ex Dania per Oceani oram in Aquitaniam delati, per Sequanæ fluuii ostium Neustriam nullo militari præsidio munitam adepti sunt. Subinde nunc Ligerim, nunc Sequanam fluuios subeūtes, plures annos per Galliam ferro & igne vsq; ad sacra loca sæuientes, vniuersam prouinciam depopulabantur. Carolus cognomento Simplex, sextus & vigesimus Francorum tunc temporis Rex, cum plus ęquo eiusce gentis opes viresque inualuisse videret, fœdus cum Rollone eo pacto transegit, vt Gilla eius filia (quam plerique Ægidiam appellant) vxore ducta, Christi lauacro ablutus, Neustriam occupatam dotis nomine a Carolo acciperet. Atque ita Rollo, initiante quidem Francone Rhotomagensium Præsule, patre vero sacræ ablutionis Roberto Regis Odonis fratre, (a quo mutato priori nomine Robertus appellatus est) Christi legem professus, Gillam vxorem, ac Neustriam regionem, quam a suæ gentis nomine Nortmanniam dixit, dotalem recepit. Currebant tum annus salutis 912. Huius progenies longe deinde per numerosam sobolem manu firmissima propagata, loca & populos diuersarum regionum tenuit. Ex Gilla etenim Rollo Guillelmum filium genuit. ex quo deinde Richardus, multis contra Lotharium Francorū Regē pręliis sicuti æque, ita & fœliciter gestis illustris, procreatus est. Qui tandē Guilelmo & Riccardo filiis relictis, decessit. Porro Guilelmo proditorie ab Arnulfo Flandrensium Principe per Alsum satellitem interfecto: Richardus Normannia potitus, ex puella plebeia, quam perdite primum amatam postmodum in vxorem duxit, Richardum, Robertum & Guillelmum filios, totidemque filias suscepit. Quorum natu maximus Richardus patri defuncto suffectus est. Huic vero sine prole demortuo Robertus frater successit. Post hunc Robertus minimus fratrum: qui Angliam Haroldo Regi quem occiderat, ademit, eamq; sanctioribus legibus restituit: quibus Angli hucusq; vtuntur. Ex Roberto, qui quartus fuit a Rollone, Tancredus Normannus oppidi Altæ villæ ad plagam quā Constantiam indigenæ vocāt, Comes, exoritur. Is ex duabus vxoribus duodecim suscepit liberos. Ex prima, cui Moriella nomen erat, Sarnum, Gothfredum, Drogonem, Tancredum, Malogerium, Alberedum, Gothfredum secundum, & Frumentinum. Ex altera, quæ Fresenda dicebatur, Guillelmum, (cui ob corporis robur Ferabach cognomen fuit) Robertum (cui quod oberrando terrarum multum, ac imperium victor obiuerit, siue, vt plerique censent, quod astutissimus fuerit, Normannorum lingua Guiscardi cognomentum obuenit) Vmfredum, & Rogerium. Huic, quod statura corporis simul & ferocia militari præstabat, corporeum cognomen Bossus erat. Hanc Guillelmi Ferrabach, Roberti Guiscardi, & Rogerii genesim nobis con-

bis confirmant pleraque eorum temporum ab ipsis illis Principibus literis conte-
stata monumenta. Siquidem Rogerius Siciliæ Comes, in priuilegio quo monaste-
rium D. Michaelis Troynensis erexit & dotauit, Robertum Guiscardum fratrem
suum natu maiorem bis nominat: & in alio rursum ex Fresenda & Tancredo se
genitũ testatur. Postremo quoq; Rogerius Rex filius in diplomate anno sal. 1142.
& vterq; Guillelmus Reges in inscriptionibus Panormi adhuc incorruptis, iden-
tidem referunt. Vnde plerisque scriptoribus, qui Guiscardũ Francum, & non Tã-
credi filium, neque Rogerij germanum fratrem tradidere, non parum fidei dero-
gatur. Sed ad Tancredum eorum parentem redeo. Is cum tenues admodum cẽ-
sus in Nortmania possideret, sibi filiisque opimiorem fortunã, opesque ampliores
sub alieno cœlo quærere constituit. Proinde circa Ludouici Francorum Regis,
ac Sergii quarti Ro. Pont. tempora, in Italiam, quam tum Berengarius Hunniq;
vexatam tenebant, vna cum liberis venit. Vbi Cisalpinam Galliam ingressi, sub
stipendio nationũ quæ eo tempore eas regiones occupauerant, militarunt. Erant
nãque in his fratribus, totoque eorum comitatu, ea ferme maiestas, corporis pro-
ceritas, virium ac sapientię magnitudo, vt qui eos ignorabat, non ex vno parente,
sed ex toto terrarum orbe selectos, nec ad militandum, sed & ad regnandum ge-
nitos iudicaret. Gens audax, bellicosa, & in rebus gerendis sagax, & qua suo tem-
pore nulla alia in Europa vel militia fuit fœlicior. Nullus equidem vnquam fuit
hostis, quem ferociter bello non appetierint, aut lacessiti magna cum laude non re-
pulerint. Neque aliqua fuit regio armis ab eis impetita, qua non celeri victoriæ
cursu sint potiti. Gens demum non solum fortitudine, verum & pietate quoque
insignis. Nam cum hi tum septem Italiæ regiones, tum Siciliam in regna contraxe-
rint, Christianæ fidei columina, Christianorum tutores acerrimi fuerunt, funda-
tores templorum cœnobiorumque illustrium, quæ ad memoriam vsque nostram
mira visuntur. Horum itaque fama Pandulfus Longobardorum Dux, qui aduer-
sus Guaimarum Salerni dominum bellum moliebatur, pellectus, eos ingenti pro-
misso stipendio auxiliares accersiuit. Quorum cum vtilem sibi operam diu exper-
tus hebetioris vir ingenii ingratum se nimis erga eos præstitisset, militiæ tempore,
quo conuenerant, expleto, ad Guaimarum transierunt. Quorum virtute ac mul-
tis præclare gestis, pluribus victoriis celeber Guaimarus est redditus. Interea Lõ-
gobardi aliquot milites in eodem exercitu primores, Nortmanorum gestis non
sine admiratione conspectis, inuidia demum exarserunt: quoque odiosos eos
redderent, apud Guaimarum in captatam Salernitani Principatus suspicionem
innoxios adducunt. Cessantibus post hęc Italiæ motibus, & pace inter Capuanũ
& Salernitanum firmata: Tancredus Normannicæ sobolis parens decessit, Guil-
lelmumque Ferrabaccum testamento cæteris præfecit. Dum in hoc statu prin-
cipum & Italiæ res essent, Georgius Maniaces (quem Molochum Blondus appel-
lat) Guillelmum Ferrabach, cæteroſque Nortmannos fratres, necnon Capuanũ
& Salernitanum Principes, (vt Siculorum annales referunt, & Græcorum monu-
menta testantur) ad secum eiiciendos e Sicilia Sarracenos hac formula induxit, vt
communibus auspiciis quatuor exercitus compararent instruerentque, partaq;
victoria præda omnis communi etiam inter eos & æqua portione diuideretur. Pa-
ratis itaque omnibus quæ erant ad tantæ molis bellum necessaria, salutis anno cir-
citer. 1004. vnica expeditione contra Sarracenos in Siciliam pariter traiiciũt. Fre-
tum emensi Messanam intrepide inuadunt, eamque licet primum acriter se de-
fendentem, paruo mox negotio ad deditionem compellunt. Inde veloci victoriæ
successu, Sarracenis partim cæsis, partim fugatis, Syracusas proficiscuntur. Præerat
eo tempore in ea vrbe Archadius Sarracenus magni animi vir. Is quotidie leuiori-
bus præliis non longe ab vrbe in nostros irrumpens, sæpe victor, rursus se in vrbẽ
recipiebat. Quod cum crebrius fieret, neque quisquam ex nostris contra tende-
re auderet: Guillelmus Ferrabacchus in indignationem prouocatus, cum parte co-
piarum in eum progressus, ita demum sub vrbis mœnia hostem compressit, vt eo,
pluribusque aliis qui cum eo in aciem exierant, interfectis, cæteri ægre in vrbem
fugiendo proruerint. Hac clade & morte Ducis Sarraceni animo concisi, prudẽti

inter se habito consilio, deditionem faciunt. Maniaces captis Syracusiis, motis castris mirabili fœlicitate Siciliam victor obibat. Cui Apolosarus & Apocaps germani fratres cum quinquaginta auxiliarium Pœnorum milibus, pluribusque aliis Sicilien sibus cohortibus, cõtra occurrunt. Vbi conserto bello Sarraceni adeo magna cum strage superantur, vt amnis vicinus (scriptorum inertia nobis incognitus) humano sanguine exundauerit. Hac victoria Maniaces elatus, paucis diebus tredecim Siciliæ vrbes cepit. At enimuero Maniaces vti bellica re fortunatus, ita in victoriæ vsu, manubiarumq; distributione infœlix, dum auaritiæ nimis studet, in sociorum odium incurrit. Nam prosperum belli euentum sibi soli adscribens, prædam oẽm non ex æquo, (vt ex pacto quidem conuenerat) sed Græcis quidem large, Normannis vero ac cæteris sociis parce partitus est. Oppida vero quæ adeptus fuerat, Præfectis ab Imperatore cum nouo copiarũ ductu missis tradidit gubernanda. Hinc res Christianorũ, quæ fœliciter hucusq; & plane ex sententia successerant, labascere cœperunt. Orta nanque est pro hac iniusta rerum distributione inter Guillelmum, reliquosq; proceres, & Maniacem non vulgaris contentio. Quam cum Arduinus miles genere Italus (licet Francus a plerisq; referatur) sedare conatus aperte Maniacis factum improbaret, non iniuriis modo, sed & verberibus ab eo impetitur. Guilelmus & id & alia omnia ægerrimo (perinde vt debebat) ferens animo, in violati fœderis vltionem Appuliam inuadere, eamq; sibi & suis occupare decreuit. Sed ne (cognito eius animo) Græcorum, quorum ingens in Sicilia erat multitudo, ferro opprimeretur, dissimulare per tempus, & per opportunitatem hominis perfidiã vlturus, vultu verbisque animi lenitatem fingere constituit. Postquam vero turbati animi suspicio omnis abfuit, ad patrandum facinus huiusce modi consilium subinuenit. Hyems instabat, cum victorem exercitum hybernare necesse erat. Quod cum in Sicilia facere, quæ ob belli diuturnitatem & Sarracenorum incẽdia, rerum omnium vbertate exhausta prope erat, minime commodum videretur, quamfacillime a Maniace impetrauit vt in Appulia sibi cæterisq; sociis hybernare liceret. Hyeme itaq; aduentante proceres Calabriam traiicientes, Capuam vnus, Salernum alter suas copias traduxit. Guilelmus autem cum fratribus, & multis Nortmannorum milibus, qui eo tempore ab expeditione Hierosolymitana redierant, longum in Appuliam iter ingressus, cum eam non modo bellis domesticis laborantem, sed & armis quoq; & latrociniis Sarracenorum vexatam immunitamq; offendisset, plura fœlicibus auspiciis oppida expugnata Imperatori eripuit: ac tandem Melphim vrbem arduo & natura communito loco sitam circunsedit, eamq; mox ab improuisis Melphitanis per deditionem accepit, ac deinde opere & præsidio muniuit. Maniaces inopinati facti nuntio perculsus, e Sicilia cum copiis eo occurrens, castra ad Melphiæ vrbis portas metatus est. Vbi tum Guilelmus nihil cunctatus, quassatos ex itinere, & nulla militari coercitos disciplina Græcos, immunitis quoq; adhuc castris, ex improuiso adortus, prælio cõmisso ita afflixit, vt Maniaces fractis sui exercitus viribus, omnibus amissis in Siciliam retro perfugerit. Cæterum dum hæc a Nortmannis in Appulia geruntur, duobus post occupatam a Maniace Siciliam annis, Sarraceni, qui reliquum Siciliæ tenebant, resumptis viribus, ex Africa maximum exercitum comparauerunt; & castra non longe a Troyna, quam Draginam Curopalatus appellat, posuerunt: in cuius planicie decliuiori, nihil nisi occasionem cõtra Maniacem mouendi præstolabantur. His cognitis Maniaces copias recolligit, & paucis milites ad victoriã hortatus, curatis corporibus Sarracenos adoriri deliberat. Verum antequã pugnã aggrederetur, Stephano Imperatoris sororio classis Præfecto iubet vt littoralia attentius obseruaret, ne Sarracenorum Princeps forte victus, fugæ consilio in Africam remearet. Quibus paratis militem ad arma vocat, prælium pro re Christiana cum hostibus confert: atque in eos irruens, quinquaginta eorum milibus cęsis, fœliciſſimam victoriam nactus est. Inter quæ Sarracenorum Dux profligatus clam ad littus euasit, & paruo assumpto nauigio, a Stephani speculatoribus inobseruatus in Africam incolumis reuersus est. Quo percepto Maniaces adeo furore in Stephanum exarsit, vt ad iniurias, grauia etiam contumeliosaq; ei verbera

verbera impegerit. In memoriam vero ingentis victorię vrbem Maniaces ibi condidit: cui, & loco, sui nomen indidit, quod ad ætatem vsq; meam perseuerat. Stephanus vero iniuriæ indignitate permotus, Ioāni Imperatoris germano fratri, qui eo tempore rem oēm administrabat, per certum nuntium, Maniacem contra Imperatorem in Sicilia defectionem moliri, & insulam sibi occupare, falso perscripsit, effecitq; vt permotus Imperator confestim Maniacem e Sicilia reuocauerit. Qui insula discedens, Agathæ, Luciæ, aliorūq; Diuorum quorundam corpora secum Constantinopolim Imperatori dono detulit, vrbēq; sanctissimis reliquiis ornauit. Verum nihil hæc ei profuerunt, quominus perduellionis reus & officio deiiceretur, & tetro carceri ad multos menses inclusus nullum non calamitatis genus iniuste senserit. Maniace abdicato, Siciliæ magistratus penes Stephanum māsit, cui ab Imperatore Basilius cognomento Pediaditus Eunuchus collega ascitus est. Hi cum per ignauiam & auaritiam prouinciam acceptam administrarent, breui a Sarracenis superati, insulæ dominium perdiderunt. Maniaces etenim cum potitus est insula, Syracusis arcem munitissimam, sui nomine hucusque insignem, erexit, vrbesque etiam alias ac oppida arcibus & præsidiis muniuit. Quocirca Sarraceni Siciliēses, qui in insula remāserant, neq; cōtra se erigere, neque aliquid noui moliri audebāt. At Stephanus & Basilius Maniaci absimiles, per auaritiam & socordiā res administrantes, contemptui habebantur. Hinc Sarraceni audentiores facti, exercitu ex Africa accito, contra Græcos insurgunt, omnia vastant, vrbes capiunt, arces expugnant, diruunt: ac tota demum Sicilia, receptis omnib. vrbibus præter Messanam, potiuntur. Præerat nanq; Messanæ tum Catacalonus Protospatharius cognomento Cacaumenus, qui præter ciues ad quadringentos equites Armenos, & quingentos pedites disciplinæ militaris peritos, & cum gloriæ studio periculorum etiam contemptores, habebat. Hic cum a Sarracenis, subacta Sicilia ingentibus ad confirmandum Imperium copiis ex Africa adductis, dura obsidione premeretur, simulato ex industria metu, Messanæ vrbis portas clausit, neminemque egredi per tres dies permisit. Vnde Sarraceni in ducis contemptum per agros Messanenses vagi dispalatique, latrocinantes magis quam belligerantes, cuncta vastabant, ac vino & veneri & cantibus indulgentes, maiorem noctis partem comessationibus extrahebant, ac si postridie vrbem capturi essent. Interea Messanensis Dux alia atque alia fingens, die quarto, quo hostes Mesopentecosten celebrantes ad temulentiā quā ad bellū procliuiores iudicabat, cum suis militibus ad victoriā hortatis, & sacris Christi initiatis, ex vrbis portis erumpens, in vino sopitum Sarracenorum agmen prandii hora repente irruit, donec in castra Apolopharis Siciliæ Regis nihil tale metuentis peruadens, in statione ipsum ferro occidit, atque castris dissipatis supra triginta Sarracenorum milia interficit, cæteris Panormum eorum asylum profugientibus, vrbemque Messanam ab obsidione liberat. Verum etsi Messanenses ingenti hac victoria hostes profligauerint, insulæ tamen Imperium penes Sarracenos remansit. Sicilia rursus amissa Stephanus & Basilius in Appuliam, desperata Imperatoris venia, pro salute confugerunt. Interea mortuo Michaele Paphlagone Imperatore, Zoe vidua Michaelem alterum, cui a parentum qui apud Paphlagonas naues pice oblinebant, sordida conditione, Calaphates cognomentum accessit, in filium adoptauit, & hæredem regni esse voluit. Sed cū ille fascibus susceptis ingratus simul atque impius, matrem suæ maiestatis authorē in insulam relegasset, a conspirante ob facinoris indignitatem populo captus, oculorumque vsu priuatus, cum menses quatuor & totidem dies regnasset, perpetuo exilio, restituta ad Imperium Zoe, mulctatus est. Post hæc Zoe cum res Imperii administraret, & Nortmani eam Italiæ partem quæ non longe a Capua, Neapoli, & Beneuento abest, Imperio subiectam, crudeliter vexarent, suis finibus eos arcere cupiens, Maniacem, cuius iam inde virtutem exploratam habebat, e carcere eductum contra eos misit. Qui licet paruis copiis instructus, magnæ tamē industriæ, ac spiritus ingentis vir, hostes paruo negotio repressit, & quam facillime quietem toti illi prouinciæ restituit, Imperiique res composuit. Interea Zoe a domesticis persuasa, Constantinum Monomachum sibi tertium maritum, ac Im-

peratorem pronunciat. Erat huic Romanus Sclerus quam familiarissimus, & plurimum gratus, vel ob id quod eius sororem egregia alioqui forma adolescentulã effictim Imperator deperibat, & quasi loco vxoris habebat: Maniaci tamen infensissimus hostis ex eo tempore, quo ille olim in oriente Imperii rebus præsidebat. Qua simultate cum Romanus pluries Maniacem antea frustra occidere tentasset, oblata fauoris Imperialis occasio non modo eam non repressérat, sed & excitarat, adeo vt cum iam exercitui domestico ab Imperatore præfectus esset, palam probris ac damnis Maniacem absentem Romanus lacesseret, eiusque agros ac oppida vastaret, popularetur, diriperet, vt ne ab vxore quidẽ illius abstineret. Nec tantis vltionibus quietus, cognitis his quæ de eo egregie strenueque contra Nortmãnos in Italia gesta ferebantur, addita etiam ad odium inuidia, falsis in dies apud Constantinum in eum occasionibus tandem effecit vt præfectura priuatus, & in eius locum Pardo Protospathario Constantinopolitano Imperatoris domestico suffecto, Constantinopolim veluti reus publici criminis ab Imperatore accersitus sit. Sed Maniaces exinde reputans animo quæ ob Siciliam a Sarracenis captam nuper Constantinopoli perpessus fuerat, veritus ne in potestatem hostis redactus peiora iam pateretur, in indignationem desperationemque actus, obedire cõtempsit, exercitum cui præerat, beneuolentia sibi deuinxit, defectionem cum illis in Constantinum parat, in Pardum insurgit. quem cum toto suo exercitu superatum ad extremum interficit, ac a militibus Imperator acclamatur: fascibus & corona imperii decoratus, subinde cum classe ex Italia in Epirum & Bulgariam transit: vbi cunctis rebus commotis ab omnibus Imperator salutatur. Quibus cognitis Cõstantinus ab ira ad consilium mentemque reuersus, per certum nuntium ad officium ipsum retrahere conatur, rebellionis impunitate ei & militibus pacta, munera etiam, si reuertatur, pollicitus. At ille cum in promissis fidem non haberet, incredibili celeritate Epirum ad se pertraxit. Quocirca visa hominis contumacia Constantinus Stephanum Sebastaphorum virum militia strenuum, & victoria contra Damocraniam nuper habita insignem, iusto cum exercitu contra Maniacem misit. Is Constantinopoli mouens in Marmario ad Epirum loco, cui Ostrobo nomen erat, cum Maniace bellum conseruit: vbi vna pugna, sed ea infœlicissima, inter præliandum Maniaces in pectore letali vulnere ictus, ex equo statim prolapsus in suo sanguine occubuit. cuius caput Stephani milites accurrentes a corpore absciderunt. Quo cæso, eius milites confestim depositis armis ad Stephani pedes deuoluti, in deditionem venerunt. Stephanus parta victoria Constantinopolim petens, ante triumphum præeuntibus magno numero super asinis captis militibus, & hostis capite palo infixo, vrbem ingressus, per celebriores vias triumphantis more circumductus est. Et Maniacis quidem hic finis fuit. Iamque ad Normannos reuertor. Dum hæc ad Epirum geruntur, & Appulia plane immunita a Græcis ob Maniacis motus remansisset, Nortmanni fratres dominandi cupidi, reliquam quoque Appuliæ partem modico labore (Græcis omnibus exactis) adipiscuntur. Hoc pacto Appulia a Græcis ad Normannos translata, Guilelmus Ferrabachus fratrum omnium consensu Comitatus titulo in ea insignitus est. Eo vero paulo post sine liberis defuncto, & honorifice parentato, Drogo frater rerum potitus est. Hunc paulo post Mel ab Imperatore copiarum Ductor nouiter missus primo impetu pene expulit. At Drogo impigre instaurato exercitu, Græcis altero prælio victis, prouinciam mordicus recuperat. Qua recepta Vmfredum fratrem in parte Appuliæ ad continendos in fide Appulos, & Robertum Guiscardum fratrem alium in Calabria contra Consentinos præficit. Verum dum dominii ampliationi nimis studet, dum Appuliæ vrbes munit, Longobardorum & Appulorum infidiis, ad Montolium oppidum, circumuentus a Visone genere Appulo proditione occiditur. Quo tempore & Nortmanni plures per diuersa Appuliæ loca eadem proditione misere trucidati interiere. Drogone mortuo, Vmfredus frater in Appulia successit, qui statim principatus initio fratris necem vlturus in coniuratores mouit, eosque omnes vi captos in extremum tandem

dem ſupplicium pertraxit. Cumq; ſeptem annos rebus præfuiſſet, multis victoriis clarus deceſſit. Huic Gotfredus frater in Principatu, Leone Rom. Pont. huius nominis nono ſedente, ſuffectus eſt. Is Beneuentum vrbem Romano Pontifici ſubiectam inſana ampliandi Imperii cupidine motus, inuadere ac ſibi ſubiicere conſtituit. Cuius conſilii certior factus Henricus ſecundus Romanorum Imperator, Alemannos ſuos, quos apud Vercellas præſidio Italiæ reliquerat, Pontifici ad Nortmannos turbandos auxiliares adiunxit. Normanni hoſtium aduentu præuiſo, quam celerrime Beneuentum præoccupant capiuntque. Cumque Pont. ipſe ab Appulis contra Gotfredum accitus in Appuliam veniſſet, apud Ciuitam Appuliæ oppidum commiſſo cum hoſtibus prælio ſuperatur, captuſque cum pluribus Cardinalibus in victorum poteſtatem tranſit. Illi vero, vt Principes Chriſtianos decuit, maxima erga ſummum Romanæ ſedis antiſtitem vſi reuerentia, eum comiteſque eius omnes ad vrbem vſque Romam, vnde venerat, a clero Beneuentano deduci curauerunt. Quo beneficio deuinctus Pontifex, ſua authoritate Nortmannis, quæcunque in Italia tunc temporis obtinebant, libere poſſidere permiſit. Poſt hæc Gotfredus fato functus Bagelardum filium, (vti Blondo placet) ſiue ex Vmfredo fratre nepotem, (vt Siculorum annales referunt) in Principatu hæredem reliquit. Id Robertus Guiſcardus, quod a fraterno ordine imperium deſciuiſſet, iniquo ferens animo, Bagelardum principatu armis deiicit, ſibiq; Appuliæ & Calabriæ Comitatū vendicauit. Nec multo poſt tempore Troiam etiam Appuliæ vrbem, quæ Rom. Pont. adhuc ſuberat, inuaſit, ſuoq; dominio adiecit: quo facto diris Pontificiis execratur. Interea Guaimaro Salernitano Principe per ſeditionem a Melphitanis interfecto, Aberardaq; Roberti coniuge defuncta, ex qua Boemundum filium ſuſceperat, Sengregaitam, Giſulphi in Salernitanum Principatum ſuffecti ſororem, vxorem duxit, ex qua poſtea Rogerium filium ſuſcepit. Erat eo tẽpore Romanæ eccleſiæ Pont. Nicolaus huius nominis ſecundus. qui cum a pleriſque Romanis proceribus ſeditionibus premeretur, Robertum Guiſcardum fretiſq; eius, vt ſibi ſuppetias ferrent, ad Aquilam vrbem accerſiuit. Robertus confeſtim Aquilam petit, Pontificem adorat, pactoq; eo pacis fœdere, Beneuentum & Troiam, cæteraq; quæ Pontificii iuris erant, eccleſiæ reſtituit. Qui ab execratione & diris a Pontifice ſolutus, Appuliæ, oppidorumq; omnium quæ in Italia poſſidebat, Dux etiam confirmatur, atq; Romanæ Eccleſiæ præfectus, non modo ad Romanos proceres ſuperandos, ſed & ad Sarracenos Sicilia pellẽdos inſtituitur. His paratis Robertus ante S. Germanum oppidum magna vi proceres Romanos adortus, non multo labore omnes ſubactos in Romani fidem Pontificis iurare coegit. Quibus victoriis non modo Græcis, Appulis, & Sarracenis, ſed & Romanis quoque formidabilis eſt redditus. His geſtis Robertus ad ſuos reuertitur, & Gotfredū eius fratrem Appuliæ præficit: ipſe vero in Calabriam ducens exercitum, oppidū S. Marci præſidiis muniuit: & progreſſus caſtra ſecus fl. Mocatum ad aquas calidas metatus eſt. Biſſinianum oppidum, Petrumque virum ibi principem, quem ingẽti pecuniarum ſumma mulctauit: Coſſentiam præterea, Martiranum, ac vicina quędam alia oppida ſibi ſubegit. Poſtmodum Scylaceum petens, inſtructa claſſe per Ionii maris littora Rhegium venit. Quam cum fruſtra per triduum obſediſſet, inde caſtra mouens, dum in Appuliam reuertitur, inter eundum Leucaſtrum vrbẽ, Matiam, & Cannalem deditione recepit. Rogerium poſtea fratrū natu minimum, qui tunc vigeſimum primum ætatis annum compleuerat, in valle Salinarum agriſque adiacentibus caſtris præficit. Is etſi adoleſcentiam adhuc ageret, diſciplinæ tamen militaris ſcientiſſimus, totam eam regionem, Vibonam quoque, & circũadiacentia pleraque alia oppida auſpicatiſſimis militiæ primitiis ſubigens, Nortmanico imperio adiecit, & Nicephorum oppidum tutiſſimo præſidio communiuit. cuius initiis laudatis Robertus ad Rhegium vrbem obſidendam eum ſecum eduxit. Quam cum aliquandiu oppugnaſſent, per deditionem tandem accepere, duobus tantum viris in vrbe præcipuis, quod Imperatoris eſſent ſtudioſi, libere dimiſſis. Hi vero Rhegio pulſi, Scylaceum inuadentes ſibi occuparunt munieruntq;. Quo cognito Rogerius copiis inſtructus, Rhegio recedens, vndecim non longe

inde sine vi cepit oppida: ac mox Scylaceum aggressus cũ frustra illud oppugnasset, castrum tandem pro mœnibus ad obsidionis commoditatem erexit. Rhegini duo illi principes viri dura obsidione pressi, desperantes, noctu fugam capessunt, nauique Constantinopolim ad Imperatorem contendunt. Quibus abactis Scylacenses libertatem nacti, vocato Rogerio, sese vrbemque dedunt. Ita omni Calabria in Normannorum potestatem redacta, Robertus Guiscardus Rogerio fratri, cui dimidium totius Calabriæ dare spoponderat, Meliti & Scylacei Comitatum tradidit. Sed dum hæc in Calabria geruntur, in Sicilia Sarraceni resumptis viribus Messanam, quam solam sub Imperatoris ditione mansisse diximus, auxiliaribus copiis ex Africa Mauritaniaq; accersitis adorti, tandem captam, pluribus ciuibus palo affixis, igni & ferro misere fœdarunt. Ita rursus tota Sicilia in Sarracenorum potestatem redacta est.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER VII.

DE ROGERIO NORTMANno Siciliæ Comite, & Sarracenorum expulsione:

CAPVT I.

MESSANA a Sarracenis recepta, nõ multo post vrbis præfecti Christianos quosdam domi nobiles, quorum fides ad Nortmannos procliuior in suspicionem venerat, ne ipsi aut alii quicquam noui molirentur, furca suspenderũt. Quod indignissime ferentes Messanenses aliquot, (inter quos Ansaldum de Pactis, Nicolaum Camulium, & Iacobum Saccanum Messanenses ducta per manus fama recensent) accepto Roberti & Rogerii cæterorumq; Nortmannorum in Calabriam aduentu, heroica fortitudine moti, simulata Drepanũ nauigatione Rhegium traiiciunt: mox Melitum ad Robertum Guiscardum, & Rogerium Bossum fratrem peruenere, eosque propositis causæ honestate, officii ratione, & vecordibus inertissimisque hostium ingeniis, ad Messanam recipiendam hortantur, ac merito tandem exauditi sunt. Fide pacti sacramento compositа, manus ad cœlum tendunt, deumque vnanimes simul & pactionis præsidem, & perfidiæ vltorem efflagitant. His ita ex animo inceptis, Messanam heroici viri reuertuntur, ac cum pluribus proceribus rem secreto communicant. Interea in Sicilia inter Bettumenum Sarracenum, qui Catanæ tum dominus, Regis ibi Admiratus nominabatur, & Benmenelerum ex Sarracenis virum principem, intestinæ ex zelotypia oriuntur discordiæ. quibus in dies coalescentibus Benmenelerus a Bettumeno tandem oppressus occubuit. Patrocinabatur Benmeneleri causæ Belchanes, vt Siculorum annales referunt, (quem Bescauectum aliqui appellant) in Sicilia pro Sarracenorum Sultano Præses. Cuius iudicium simul,

simul, & Sultani iram Bettumenus veritus, cum audisset quæ in Appulia & Calabria Robertus & Rogerius Nortmanni egregia gesserant facinora, Siciliam illis prodere secum constituit, quo patratæ cædis supplicium euaderet. Rhegium igitur traiicit, occultusque Rogerium adit. quem vt coram conspexit, ad terram prosiliens, accliuis primum sese iampridem magna admiratione virtutis eius ac rerum gestarum captum præfatur: mox Siciliam Christianorum imperio deberi enarrat, expugnari paruo negotio posse ostendit, ciuitates & oppida immunita, Sarracenos nulla militari disciplina instructos, Siciliæ Præsidem virum inertem ac vecordem: Sultanum longa intercapedine absentem, atque omnia præter bellum metuere. maximam Christianorum multitudinem, quæ in Sicilia passim degebat, cum primum eorum signa apparuerint, nec sibi nec eorum comitibus defuturã. Demum suam suorumque opem ac operam offert, modo sua sibi iura illæsa seruentur. Post hæc cum hæsitantem Rogerium conspiceret, sumptis in manus Mahometicæ legis sacris, ac ipsa contingens, prout genti mos est, inauditis vltimisq; execrationibus ac diris adiurat obtestaturque sese ex animo locutum. Eius præterea vultus, oculi, ac ardens loquendi modus, non minorem fidem quam iusiurandum præseferebant. Postremo Regni situ, amœnitate, vbertate ac commoditate Rogerio, qui nunquam ante regionem viderat, propositis, effecit vt ad insulam inuadendam Rogerius impelleretur. At Robertus, qui Meliti per id tempus agebat, cum hæc a Rogerio per certum nuntium didicisset, reclamauit fraudem Punicam subesse, ac dolos instrui, nec Bettumeno facile credendum, sed in tempus aliud rem maturandam, ne Punicis insidiis circumuenti, simul omnes ad victimam ducerentur. Sub hoc ipsum ferme tempus Messanenses plures, qui iam inter sese cõiurauerant, cum eadem quæ Bettumenus ad germanos fratres sæpius Melitum detulissent, rogantes ne tam claro quam pio facinori deessent, facile illos flexerũt. Normanni itaque gloriæ atque auri satis cupidi, sublato metu, atque in spem adducti, ad facinus bellumque in Sicilia contra Sarracenos suscipiendum consentiunt: sed speculandam ante omnia Messanæ vrbis regionem censent. Rogerius itaque militibus equitibusq; Nortmannis, Longobardis, Italisq; ad iustum numerũ instructus, Bettumeno duce ad Messanensia littora agrosq; explorandos ex Rhegio prædatoriis cum nauibus transfretat, & ad locum inter Tyndaridem & Mylas, cui a Furno nomen est, militem omnem sine hostium obstaculo in terram exponit: atq; inde pedetentim progressus, Messanæ agros vrbemq; speculando peruasit. Præerat tum Messanæ Benmeneleri, quẽ Bettumenus interfecerat, germanus frater. Is Rogerii atque Bettumeni accepto traiectu, ratus & germani mortẽ vlciscendi simul, & egregii patrandi facinoris tempus adesse, cum delecta Sarracenorum manu se ad prælium parat: atque vrbe egressus, Nortmannis in agro Mylensi occurrit. Rogerius vt Sarracenos ad bellum ordinatos conspexit, conuocatis militibus, quorum numerus ad duo milia ascendebat, iubet vt curent corpora: deinde e castris exiens ad reprimendum hostium impetum accenditur. Vbi mox collatis viribus in hostilem aciem maiori conatu adnisus, loco statim mouet, motos turbat, turbatos dissipat, ac terga vertere compellit, profligatque. Quos insecutus, magnam Sarracenorum partem ducemque ipsum trucidat, cæteris in vrbem fugatis. Hoc vno leui primoque Normannorum prælio ita Sarracenorum res perculsæ sunt, vt & qui ex clade pauci euaserant, exangues in vrbem relaberentur, & ciuitas ipsa metu consternata, non solum ducem perdidisse, sed ipsi cum eo omnes occubuisse viderentur. Hac victoria Rogerius animo elatus, illucescente die nihil cunctatus, præeunte Bettumeno & Messanensib. Christianis, Ramettam (oppidum quod. 12. p.m. a Messana recedit) proficiscitur, agros circumquaque perlustrat, regionem populatur, villarum ędificia incendit: ac prędа omnis generis onustus, ad freti littus, cui Carollo erat nomen, reuertitur, eamque ad aquas dulces ratibus impositam Rhegium transmittit. Mirũ erat Nortmannos libere ac impune Messanensium agros excurrere ac populari. Adeo nanque Sarracenos eius gentis nomen simul, & ab illis in Appulia & Calabria rerum gestarum admiratio tenebat, vt sicut prius illorum aduentum plurimum verebanKk 4

tur,ita postmodum præsentia consternati, cum illis, maxime cæso priori dimicatione Duce,cõgredi perhorruerint. At cum Rogerius secundo Messanensiũ fines inuadẽs hostes ad bellum lacessere non desineret, illi irritati, equitum ac peditum coacta manu, erumpere in eos statuunt. Quo per transfugas intellecto, Rogerius Serlonem ex fratre nepotem,adolescentem viribus corporis & animi pariter magnitudine insignem, aliquibus cum militibus proximis latebris occultat.Ipse vero eminus cum cæteris copiis ad littus fugam simulat. Sarraceni vero eos metu perculsos, & fugam,non stratagema parare arbitrati, in fugientes quam tumultuarie mouent.Quos dum Rogerius retro versus non modo firmiter sustinet,sed & acriter propellit, Serlo ex insidiis confestim egressus, Sarracenos a tergo nil tale expectantes adoritur, ac belli ardore incensus in confertissimos hostes irruit.Sarraceni inter duas Nortmannorum acies ex improuiso circunsepti, qua se verterent, quib. primum obsisterent ignari,a tergo& a fronte perfringuntur,cæduntque fere omnes.Hæc vbi Messanæ nuntiata est clades, mœror & luctus ciuitatem impleuit, atque eo acrior quo sibi certam expugnationem parari præuidebant. His belli initiis fœliciter actis,Rogerius per nuntiũ Roberto fratri quæ ab eo in Sicilia gesta, quæ naturæ locorũ, q. Sarracenorũ animi,quæ vires significat:atq; vt militũ copias numero maiores ad oppugnãdam Messanam extẽplo instructas transmittat.nihil enim sibi hactenus fecisse videbatur,nisi vrbem ipsam debellasset:non ignarus tot ante se gentium, quæ Siciliam occupauerant, exemplis, si eum locum qui ex Italia venientibus in insulam veluti porta patet,recepisset,totam se Siciliam quam facilime subacturum. Robertus nuntio accepto de fortunæ principiis hilaris, confestim milites Nortmannos ac Longobardos,quoscunque secum habebat, Rogerio mittit.Is priori adhuc victoria elatus,ad curuum littus,quod Brachium.S. Rainerii hodie vocant,intrepide castrametatur,ac Messanam obsidet.Sed tanta erat Sarracenorum qui aduenerant,in vrbe multitudo,tantaque nostrorum paucitas, vt irriti omnes Nortmannorum conatus futuri præuiderentur. Quamobrem Rogerius veritus ne a Sarracenis ob paucitatem militum contemni inciperet, & existimatione lapsus totam contra se insulam incitaret, desperata pro tunc expugnatione, maturato consilio obsidionem soluit, & Rhegium reuertitur, vt comparato ibidẽ iusto exercitu Messanam æquis viribus aggrederetur. Belchanes, quem Bescauectum aliqui appellant, per id tempus Siciliæ præsidebat. Is cognito Nortmannorum belli apparatu,classem,quã instructam Panormi tenebat, Messanam mittit,atque hostium inde traiectum impedit. Ipse vero terrestri itinere cum equitatu Messanam venit,ac cuncta quæ ad obsidionem perferendam idonea censebantur,parat, saxa in muros conuehit,per propugnacula milites distribuit,& qui primi insultus hostium repellere gestiunt,decernit. Interea Rogerius contractis ex Longobardis & Italis magnis copiarum molibus, parte exercitus Roberto relicta, (quæ,si necessitas poscceret,statim ad suppetias succurreret) ipse cum omni veterano exercitu,nouoque insuper delectu habito,classem ascendit, noctu fretum prospere traiicit,Sarracenorum classem præteruehit, Messanæ littora contra Rhegiũ supra vrbem ad duo. p. m. a Chuppo hodie cognominata attigit, copias omnes, machinas, ac cæterum apparatum belli in terram exponit, vrbemque qua meridiem respicit, incredibili totius ciuitatis metu maximo animo obsidet. Facillimá nanque ac pene certam vrbis expugnationem ei promittebant, fiducia quam in Deo primum habebat,cuius iniurias vendicabat, armorum eius toties inuicta fœlicitas,& hostes ipsi bis ab eo paulo ante victi, quorum cum victore neq; animum, neque vires non modo superiores, sed ne pares quidem experimento didicerat. Porro Sarracenorum procerum simul & plebis tametsi grauiter clades ex duobus leuibus præliis acceptæ fregissent animos, Belchanis tamen & classis aduentu erectiores,magna celeritate ad designata vrbis mœnia procurrunt, obstinatisque ad mortem vsque animis obsidionem ferre statuunt. Igitur Rogerius pro tempore & loco ordinatis rebus, mœnia cum exercitu circuit, suis imperat quas quisque pro se partes curet:deinde dato signo oppugnare vrbem incipit.Normãni pro ingenio quisq;, pars eminus glande aut lapidibus pugnat,pars modo murũ suffodit, modo scalis

scalis ascensum tẽtat. contra Sarraceni in proximos saxa voluunt, sudes præterea, picem sulphure & tæda ardenti mixtam, emittunt: clamoribus quoque inauditis (quod familiare est Sarracenis) nostros terrere satagebant. Veruntamen neque hostium multitudo, neque telorum vis, neque clamor Nortmannos ab incepto arcebant: imo acrius missilibus, catapultis, aliisque ferreis machinis, hortante ac ad certam victoriam editis vocibus Rogerio suorum animos extollente, vim inferebant. Atque ita vtrinque aliquandiu pari virtute, parique ardore dimicatum est. Tandem cum Nortmanni nec noctu nec interdiu vim remitterent, sed mœnibus continuo quassandis nullum hostibus respirandi spatium darent, Sarraceni labore fessi imbecilliores fiunt, mœnia deserunt, ac desperatis rebus in vrbem sese recipiunt. Nortmanni vbi muros hoste destitutos vident, ardentius insistunt, turres ac propugnacula quatiunt, dissipant, tormentis disiiciunt, vrbem obstaculis auulsis aperiunt, ingrediuntur, capiunt. Per vicos subinde ac domos excurrunt: Sarracenos promiscue quotquot passim obuios habent, gladio perimunt, paucis exceptis, qui cum Belchane fuga ad suorum classem in portu stantem salutem sibi quæsiuerunt. At Rogerius vbi captam vidit vrbem, & in suorum potestatem redactam, aperta voce: Satis (inquit) o milites sæuitum est, a gladio deinceps abstinendum. Humanus nanque sanguis effunditur. Ac milites statim gladiis depositis, a sanguine ad prædam conuertuntur. Dum Messana diripitur, Sarracenus quidam genere nobilis, cum germana sorore fugam arripiens, cum illa tardius insequeretur, ne in manus Nortmannorum incideret, violata lege gladio eam transfodit. Messana expugnata, Sarracenica classis cum Belchane portu soluens, recto cursu Panormum, vnde venerat, regreditur. Ita Messana anno salutis. 1060. prima ante alias a Rogerio superatis Sarracenis expugnata, Christianis est restituta. Rogerius victoria vti lætè, ita moderate vsus, ædes primum Mahumeticæ superstitionis spoliauit subuertitque: arcem præterea, propugnacula, munimentaque erexit, atque præsidio muniuit. Posthæc, ne miles otio torpesceret, victoriam sequens, Messana egressus cum victore exercitu simul atque nouis copiis, quas illi ex Rhegio Robertus transmiserat, Duce Bettumeno Rametam contendit. Rametenses, qui Sarraceni erant, audita Messanæ expugnatione, metu potius quã studio, & Bettumeni suasu, confestim deditionem fecerunt. Rametta potiti cum vicina prouincia, quam planitiem Mylarum hodie appellant, oppida omnia sine impedimento aut repulsa in fidem accipiunt. Post hæc regionem nemorum, quam vallem nuncupant, fœlici successu adepti, Maniacium oppidum ad Ætnæ montis radices a Georgio Maniace (vt diximus) conditum, quod a Christianis adhuc habitabatur, deueniunt. Maniacenses audito Nortmannorum aduentu, læti venientibus occurrunt, & oppidum tradunt. Centoripen deinde aggressi magna vi atque nostrorum strage a Sarracenis repulsi, ad vallem Paternionis Centuripinis obsidendis peridoneam castrametati sunt. Post hæc. S. Felicem, vbi specus incolebant, profecti, magna Sarracenorũ cęde edita, capiũt. Subgentes Sarraceni inde Ennam petunt, & ad locum cui eo tempore Papardani erat nomen, stationes locant. Erant in exercitu Rogerii vltra Sicilienses equites & pedites, Nortmanni, Longobardi, & Itali non pauci. Belchanes Sarracenorum Præses animo agitans quibus maxime consiliis atque artibus acceptas clades vlciscereturac ne prorsus victum se ostenderet, totius Siciliæ ciuitates ei subiectas ad communes hostes cõmunibus viribus impetendos legationibus fatigat, & ad gerendum contra Nortmannos aperte bellum concitat. Hoc modo quindecim Sarracenorũ milium cõparato exercitu, ad hunc locum Christianos repressurus aduenit: castra in conspectu Normannorum posuit: suorum animos contempta paucorum Christianorum acie acuebat, victoriam certam & in manu sitam ostentabat. Qua animaduersione incensi Sarraceni, sine metu periculorum bellum desiderabant. Nec eius segnis opera in ordinãdis militibus fuit. in tres acies exercitum diuidit, omnia circuit, singulos veteris Sarracenorum gloriæ ac imperii memores vt sint, hortatur, cũ paucis etiam & aduenis congrediendum esse admonet. Robertus Guiscardus, qui iam Rhegio in Siciliam cum copiis traiecerat, & Rogerius frater, maiorem in Deo quã

in ar-

in armis fiduciam habentes, paucis verbis suos admonent, se cum eis pugnare quibus toties superiores fuerant. Quo facto milites in duas acies diuidunt: quarum alteri Robertus, alteri Rogerius præerat: ac deinde exercitum paulisper consistere iubent, vt ea mora oculis consuescant Sarracenorum turbam sustinere. Tum demum signo dato prælium ingentibus animis vtrinque conseritur, & principio quidem anceps: sed mox Sarraceni irruentibus in eos Normannis, terga vertunt. Quos illi insecuti, ingentem hostium stragem edũt. Cæsa nanque sunt ex Sarracenis ad decem prope milia, cæteri autem cum Belchane fusi, in Ennam vsque fugati sunt. Nostri deinde cum ingenti rerum omnium arrepta præda, ad castra reuertuntur, facili atq; incruenta potiti victoria, quæ fuit anno salutis. 1061. Verum nihil actum eo prælio existimantes, nisi Ennam quoque caperent, postridie vrbem obsident. Quæ cum in monte vndique præciso esset sita, & expugnatu difficilis, Robertus & Rogerius ad Calataxibettam (montem vrbi valle media ad. 2. vix. m. p. prominentem) tentoria figunt. Cunq; locus tanti exercitus minime esset capax, mutato consilio ad vallem aquarum fontibus irriguam descendentes, castra locauerunt. Sed dum Enna obsidetur, Rogerius otii impatiens, trecentis cum equitib. Agrigentum vsque regiones exploraturus excurrit. Agros incursionibus & deprędationibus longe lateq; populatus, demum ingenti præda onustus ad suos rediit. Cumq; Ennæ obsidio in longum protraheretur, in vertice Calatasibettæ montis, arcem obsidioni peraccommodam construxerunt. Sed cum Belchanes & Sarraceni naturali vrbis situ confisi, obsidentes contemnerent, & per vallem nemorum egressi captas ciuitates vexarent, iamq; etiam hyems ingrueret: veriti Nortmanni ne Messana vrbs ab hostibus impeteretur, soluta obsidione Robertus & Rogerius Messanam reuertuntur, copias reducunt, vrbemq; mœnibus & propugnaculis crassioribus ambiunt, munitioremq; reddunt. Quo peracto, de modo administrandi bellum inter se consultant. Placuit Bettumenũ Catanam mittere, qui militum selecta manu Sarracenos ea parte lacesseret, oppidisque expugnandis intenderet: ipsi vero interea ad Appuliam & Calabriam per hyberna tempora reuisendam secederent. Profecti igitur eo consiliõ in Italiam Nortmanni fratres, cũ Bettumenus in Catanensi regione Sarracenos intra mœnia crebris prælationibus cõtinuisset, mense Decembri Rogerius Comes selectis cum equitibus e Calabria reuersus, in Siciliam traiicit: vbi mediterranea ingressus, obuia quæque vexat, ac hostiliter agros circumquaque populatur. Cui Christiani Sicilienses qui Sarracenis suberant, læti occurrentes, & oppida & seipsos certatim quodammodo obtulerũt. Post hæc Troynam obsidere pergit. Sed Troynenses, qui Græci erant, vt Nortmannos conspexerunt, omni effusa ciuitate cum signis Christianis, cruce, thuribulis, atque accenso thure ante portam vrbis, intra mœnia eos introducunt, precati vt propitio Deo vrbem ingrediantur: atq; ita in arcẽ victorem Rogerium deduxerunt. 8. Cal. Ianuarias. isq; dies deinde (qui & partus virginis est) festus Troynensibus, solito celebrior, magisq; solennis est habitus. Hanc vrbem Rogerius muro & præsidio firmans, cum ad bellum & ad reliqua peragenda satis esset accommoda, constituta in ea sede Episcopali, Robertoq; consanguineo suo constituto ibidem Antistite, pro arce sibi delegit. Troyna capta Rogerius in Calabriam reuersus, Eremburgam Roberti Sanctæ Fimiæ Comitis germanam sororem vxorem duxit, & celebratis apud Melitum nuptiis in Siciliam rediit. Vbi statim assumpto secum Bettumeno Sarraceno, selectoq; militum comitatu, Petraliam natura munitum oppidum obsedit. Oppidani, qui mixtim Christiani cũ Sarracenis erant, firmato inter se communi consilio, deditionem fecerunt. Inde Rogerius munito arte oppido, Troynã regressus est. Vbi præsidio relicto, & Bettumeno Siciliæ Præfecto constituto, Melitum Calabriæ ad vxorem visendam petiit: ex qua Gothfredũ & Iordanum filios postea suscepit. Interea Bettumenus coacto exercitu plura Sarracenorum oppida expugnat, pleraq; per deditionem accipit. Subinde oppidum Cutelionem, quod sui iuris cum esset, ab eo desciuerat, dura obsidione cingit. Oppidani, qui Sarraceni erant, ad fraudem conuersi, Nichel Sarracenum vafri virũ ingenii mittunt, per quem subdolam deditionem pollicentur. Bettumenus dum

in patenti

in patenti castrorum loco ad colloquium a Nichele euocatur, vt mandata, quæ habebat, ei exponeret, sagitta ab arce emissa confossus interiit. Nortmanni, qui Troynæ & Petraliæ præsidio erant, accepta Bettumeni morte in metum adducti, desertis oppidis Messanam, quo tutiores essent, celeri cursu petunt. Dum hæc in Sicilia geruntur, magna inter Robertum Guiscardum & Rogerium fratrem ob imperium inique diuisum discordia in Calabria oritur. Nam cum Robertus Calabriæ dimidium, & omnem Siciliam Rogerio promisisset, Calabriam quidem ille parum iuste partitus est. Rogerius ea iniuria lacessitus, in Robertum exercitum parat, sed prius Robertum per legatos ad æquitatem flectere conatur. Robertum respondisse ferunt: nullum regnum posse sub duobus sociis regi. proinde contentus sit Melito & Squillacio, & aliud sibi polliceatur Imperium armis acquirendũ. Siciliam id esse, cuius iam partem adeptus erat. Cæterum Calabriam omnem & Appuliam sibi iure omni cedere, nec ei partem deberi. Ita in viscera sua germani fratres omissis Sarracenis arma conuertunt. Fiunt ex vno populo duo corpora, & in duos exercitus contrarios Nortmanni diuiduntur. Robertus suarum ciuitatum auxilia ad se contrahebat: Rogerius suis militibus, & rebus prospere in Sicilia gestis elatus, propriis viribus confidebat. hunc iniuria, illum rerum cupido, atque æmulatio regnorum ad cædem fraternam stimulabat. Primum itaque Robertus contra Melitum, vbi Rogerius se munierat, cum copiis mouet: oppidum oppugnat & obsidet: cumque difficilior esset obsidio, duas arces contra Melitum erigit. In hac oppugnatione Arnaldus Comitissæ germanus frater occubuit. Sed cum Rogerius subsidentium plurimos occidisset, nec expugnationis spem hosti vllam ostenderet, Robertus obsidionem fœde soluere cogitur. Rogerius vicissim selectis cum militibus Geracium Roberti oppidum petit, obsidet, oppugnat, ac paruo negotio in deditionem accipit. Robertus Geracio capto, eo cum exercitu properat: recipiendoque oppido & vi & arte incumbit. Erat in eo Basilius probatæ fidei Roberti domesticus. Ad quem Robertus rusticum mentitus clam ciuibus Geracium ingreditur, eumque, vt deditionem cum ciuibus pertractet, hortatur. Veniam oppidanis patratæ iam rebellionis spondet: bellum se cum Rogerio, nõ cum Geracensibus, quos vt filios semper habuisset, suscepisse præfatur. Dum hæc Robertus pertentat, eius in oppidũ ingressus continuo rescitur. Magna trepidatio ciues inuasit, publicam omnes ac priuatam fortunam deplorant, vrbem interitui proximam miserantur. Robertus cum se detectum cognouit, e Basilii laribus fuga dilapsus in ædiculam quandam se recipit. Interea Geracenses ad domum Basilii armati concurrunt, vitam eius quærunt. Sed Basilius, ne in ciuium manus deueniret, in seipsum manus iniecit: vxor vero eius a plebe capta palo affigitur. Mox Geracenses vicinas domos peruagati Robertum indagant: quem tandem toto corpore præ sudore madidum in ædicula repertum capiunt. Plebs in partes rapiebatur varias: plerique vt moreretur conclamabant, plerique libertate donandum asserebant: tandem plurimorum sententiis carceri addicitur. Interea Duces Rogerii exercitus, de Roberti captura per certum nuntium Rogerium certiorem faciunt. Qui pietate motus, odio deposito, quam celerrime Geracium peruenit, furentis populi iram compescuit, & fratrem vinculis exemit. Robertus tanto beneficio a Rogerio donatus, victum se fratri confessus, æquam Calabriæ partem (vt conuenerat) tradidit, ac diuisum cum eo Calabriæ imperium deinceps habuit. Ita compositis germanorum fratrum rebus, Rogerius munitis Calabriæ oppidis, ad reprimendos in Sicilia Sarracenorum ausus, qui ob Bettumeni mortem iam cornua erexerant, cum Ennemburga vxore ad Troynam regressum parat. Interea Nortmanni, & qui Troynæ præerant, & qui præsidio relicti fuerant, adeo superbe ac petulanter absente Rogerio imperabant, vt cum non in virgines modo, sed etiam in matronarum turbã passim dissolutissimæ libidinis flagitia porrexissent: Rogerius cum vxore Troynam appulsus non læta fronte, vt solebat, a Troynensibus exceptus sit. At ille lenitis Græcorum animis, ac facinorosis in crucem actis, tum vrbe etiam præsidio nouo munita, & vxore in arce relicta, ad inuadenda expugnandaque propinqua Sarracenorum oppida proficiscitur. Nicosiam igitur

Sarra-

Sarracenorum oppidum primum obsidet. cuius obsidio dum in longum protrahitur, Troynenses seditionem redintegrant, in Nortmannos milites vxorum suarum violatores irruũt, & arcem, quo illi sese receperant, adoriuntur. Sed Normanni furenti populo obsistunt: & licet numero pauci, virtute tamen superiores fiunt. Interea Sarraceni, qui vicina oppida adhuc tenebãt, auditis his motibus, in Troynensium auxilium milites ad quinque milia mittunt. Verum Rogerius rumore accepto, omissa Nicosiæ obsidione, quam celerrime Troynam ad sedandas res nouas petit. Atque ita Troyna in duas partes dirimitur: quarum alteram Rogerius cũ arce, alteram vero Græci cum Sarracenis tenebant. Sed Nortmanni intus obsessi annonæ commeatusque inopia inferiores, Græcis vini, frumenti, cæteratumque rerum abundantia, quæ omnia Sarraceni abunde illis suppeditabant, abundantibus, vltimam experiri fortunam, & paratis instructisq; militibus toto impetu Græcos adoriri statuunt. nec segnius Græci & Sarraceni ad bellum & ipsi se parant. Igitur durum vtrinque bellum conseritur. Sed tanta Græcorum Sarracenorumque animos ferocia, ex recenti vxorum violata pudicitia inuaserat, vt vix impetũ Normanni, tametsi tot victoriis elati, sustinerent. Rogerius ibi dum suis inter confertissimos hostes succurrit, vndique ab illis circũdatur. Qui vbi se obrui a circumfusa multitudine persensit, muri obice posteriora tutatus, hostes facilius eousque sustinuit, donec ad periculum eius clamoremque in ipsa congressione equus sibi ab hoste vulneratus & occisus in terram laberetur. Vbi subito casu dilapsus, a Græcis & Sarracenis circunseptus, cum iam pro captiuo haud dubie haberetur, inter ipsas captantium manus adeo eius animi magnitudo præfulsit, vt non modo elapsus euaserit, sed pluribus ex iis qui eum tentabant, occisis, superior extiterit, & ad arcẽ incolumis redierit. Cumque quatuor deinde menses hæc seditio duraret, coacta tandem militum selectorum manu Rogerius Græcorum aggeres & propugnacula perrupit, cæsisque hostium pluribus, & plerisque captis, cæteris vero in fugam versis, reliquam vrbis partem ad votum pertraxit. Inter hostes captus est Parẽnio factionis caput. in quẽ cum facinoris sociis continuo sæuissimo supplicio animaduersum est. Sedatis hoc modo secundis Troynensium motibus, & munita vrbe & arce, Rogerius in Calabriam se contulit. Vbi dum paulo diutius rebus domesticis inhæret, Sarraceni, qui in Enna erant, magna Arabum ex Libya accita manu, Normannos Sicilia pellere statuunt. Quo cognito Rogerius citato gradu Troynã rediit: vnde statim Serlonem triginta cum equitibus ad Sarracenorum res iuxta Ennam explorandas misit. Hostium aduentu præcognito Sarraceni ex insidiis, quas paratas habebant, egressi, emissarios omnes, præter Serlonem duobus cum sociis, qui fuga occupationẽ præuerterant, interfecere. Quocirca Rogerius iusto militum numero comitatus, in obseruatas insidias irruẽs, illorumque maxima cẽde facta, victor Troynam reuersus est. Vbi manubiis refertus, iterum Sarracenorũ agros populando vsque ad Calatagironum, Ennam, & Buteram excurrens, rerum ac animalium ingenti capta præda, ad vrbem reuersus est. Post hæc anno salutis. 1063. Sarraceni & Arabes equitum (vt plerique scribunt) cum triginta milibus, peditum vero præ multitudine incerto numero, atque omni belli apparatu, contra Normannos non longe a Cirami oppido egrediuntur. At Serlo Rogerii iussu triginta cum equitib. Ciramim venit: oppidum munit. Sarraceni vbi Christianos numero longe inferiores vident, audentiores facti, Ciramim aggrediuntur. At Serlo, cuius supra ætatem ac naturam virtus eo bello fuit admirabilis, cum paucis contra egreditur: atque in Sarracenos irruens, plures illorum occidit, ac tam parua manu tot hostium milia, mirabilius ne vicerit, an aggredi sit ausus, incertũ est. Rogerius Serlonis victoria audita, cũ numeroso suo equitatu e Troyna Ciramim & ipse venit. vbi a Vercello Baliolo Normanno equite hortatus, Sarracenos insequi deliberat. Quocirca curatis prius corporibus, exercituque in duas acies diuiso, quarum alteram Serlo, alteram vero ipse ductabat, Sarracenos adoritur: suosq; ad hostium cædem, certamque Deo authore victoriam magnis vocibus extimulans, primus omnium pugnam capessit, laborantibus succurrit, vbi maius erat periculum, vltro se offert, hos exhortans, illos monens, bonisque artibus ad pugnam singulos

singulos incendens. At Sarraceni vndiq; belli formidine circumstrepente, inter duas Normannorum acies cõclusi, Serlonis aciem prætereuntes, Rogerium multitudine militum, ac pompa belli, & industria impetebant. At Rogerius nihilo segnior hostibus obstitit, sed contra nititur, periculosissima quæq; aggreditur: & vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se ingerebat. Dum hæc geruntur, tum (mirum visu) inter equites ipsos Normannos Diuus quidam supra humanum modum speciosus fortisq; in equo albo, in albo amiculo insigne rubræ crucis insutum deferens, ac maximo lumine circumamictus apparuit: cuius præsentia totus exercitus roborabatur. In insigni præterea quod in hastæ Rogerii cuspide præferebatur, plumea crux insignita visa est. Rogerius visione disparente, aduenisse Diuum Georgium, Deumq; ipsum auspicem suis affirmabat. Proinde milites, vt tantũ antesignanum sequantur, socios se illi adiungant, victoriam e cœlo partam accipiant, magnis hortatibus admonebat. His vocibus incensi Normanni certatim in Sarracenos prosiliunt, præsentiam diuini numinis & ipsi statim sentiunt, ac hostes dissipant, cædunt, cæteros fugant. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit. Siquidem Christiani vagos passimque sine ordine fugientes veluti insectati, adeo sæue trucidabant, vt nemo ex tanto Barbarorum exercitu, qui paulo ante virium suarum fiducia Deum etiam contemnere non verebantur, vel ad memoriam tantæ cladis viuus superfuerit. Hæc tam pia quam vera coniectatio animum subit, Rogerium cœlesti magis quam humana ope victoriam adeptum: quippe quod Normanni numero longe inferiores non propria vi, sed diuina freti, tot Sarracenorum milibus bellum inferre non detrectauerunt. Authores habeo qui memoriæ prodiderunt, ab huius victoriæ die Rogerium in scuto & insignibus suis hanc inscriptionem deinceps gestasse, DEXTERA DOMINI FECIT VIRTVTEM: DEXTERA DOMINI EXALTAVIT ME. quæ verba in omnibus eius diplomatis in hunc vsque diem leguntur: quibus & successores eius Normanni Siciliæ Reges velut hæreditario iure sunt etiam vsi. Parta igitur tam insigni victoria, & immensa auri, argenti, vestium, animalium, & rerum omnium præda capta, Rogerius quatuor camelos Sarracenorum spoliis onustos Alexandro secundo huius nominis Romano Pontifici Romam in tantæ victoriæ indicium transmisit. His rebus fœliciter gestis Troynam reuersus triumphantis more a Christianis excipitur. Post hæc Pisani (quorum nomen cum omni Italię, tum Genuensibus præsertim, multisque quam remotissimis regionibus iam tum terrori fuerat: quippe qui amplissimũ in Ethruria Principatum tenentes, post Sardiniam Corsicamque subactam Sultano Ægypti bellum intulerunt, &, quod gloria dignissimum est, Hierusalem quoque ipsam vrbem sanctam, magnamque Palęstinæ ac Syrię partem pulsis Sarracenis armis prædomuerant) a Sarracenis Panormitanis in Ethruriæ littoribus infestati, septem triremes militibus instructas ad Rogerium, dum Troynæ ageret, mittunt, eum ad Panormum regiam Sarracenorum expugnandam, non quidem prædæ, sed iniuriarum vindicandarum studio inuitant. Rogerius, quia grauiora sibi bella imminebant, veritus ne dum Panormum oppugnaret, quę in Sicilia adeptus fuerat oppida, amitteret, in tempus commodius rem differendam respondit. Pisani hoc responso non contenti, ex Mylis, vbi tum reliquam classem in stationibus habebant, recto cursu Panormum applicant: vrbemque aggressi, ferream cathenam, qua portus fauces claudebantur, vi tormentorum perfringunt: portum ingrediuntur, stationemq; irrũpentes, quinq; naues mercibus onustas, quæ in ancoris ibi stabant, capiunt, atque secum Pisas asportant: ex cuius prædæ pretio maximum Pisarum templum erexerunt, vt ipsorum & Siculorum annales referunt. Erat tum annus salutis ferme 1063. Post hæc Rogerius Golisanum, Cephalœdim, ac Brucatum oppida petiit: eorumque agris vastatis, & ingenti rerum omnium capta pręda, Troynam reuersus, non multo inde post discedens Appuliam contendit. Vbi cum Roberto paucis diebus commoratus, non contemnenda militum manu inde abducta, in Siciliam rediit: ac Agrigentum profectus, vastata incensaque eius regione ingenti præda ditatus, Troynam repetit. Quo Sarraceni cognito Ceramensem cla-

dem vlturi, parata cum mille militum acie, Normannos præda onustos repente inuadunt: qui relicta præda leui fuga salutem redemerunt. Rogerius audita suorum fuga, redintegrata acie, Sarracenos adoritur, plures eorum cædit, multos capit: ac recuperata præda, Gualtherio Simulo, viro impigro ac bellica arte insigni, cum paucis aliis in ea pugna desideratis, victor ad suos rediit. Post hæc Robertus Guiscardus magna cum militum manu ex Appulia Siciliam Rogerio auxilio venit: fratriq; associatus, cum totam ferme Siciliam sine vllo hostium occursu peragrassent, Panormum incredibili trium mensium obsidione cinxere. Sed cum in longũ obsidio protraheretur, statione soluta, agros, in quibus opulenta Regum & Sarracenorum ciuium palatia ad delicias extructa visebantur, in circuitu excurrunt, populantur, incendunt. in quibus etiam oppidum Burganũ nomine magna vi expugnant, ac oppidanis omnibus in Calabriam per Agrigentum transmissis, funditus delent. Petraliam postea petentes, cuncta Sarracenorum oppida circũiacentia variis vexationibus infestant. Subinde Roberto ibi relicto, Panormum eodem itinere Rogerius cum copiis reuertitur. Cuius regressu præcognito Sarraceni, qui in vrbe erant, aut vincendum sibi, aut moriendum certo statuentes, maxima atq; ea fere innumera suorũ multitudine coacta, in agro qui hucusq; Sarracenice Bayharia dicitur, loco iuxta littus maris Misilimir etiam Sarracenorum lingua hodie appellato, sex ab vrbe ad orientem. p. m. recedenti, Normannis in occursum prodiere. Rogerius iam cum exercitu loco vicinus, vt hostium numerum a longe conspexit, primum quidem territus constitit, ac auxiliares Roberti milites expectare sibi videbatur. sed mox rupta mora, resumptisq; animis, ad Deum, a quo sibi tot victoriæ prouenerant, spem omnem dirigens, suos ad victoriam hortatur: ac dato militibus pugnæ signo, Sarracenos principio multitudine quidem superiores inuadit. Quos, quia inconcussa Normannorum virtus ac ferox audacia terrebat, signa confestim ac ordinem deserere incipientes, Normanni miserabiliter cædunt: tantamq; Barbarorum stragem faciunt, vt vix nuntius quidem e tot milibus euaserit. Erat tum salutis annus 1068. Tantæ cladis fama Panormum delata, tota vrbs in mœrorem vertitur, quippe quod de se nihil mitius deinceps expectaret. Verum cum interea Barus & Tranæ vrbes in Appulia adhuc ab Imperatore Constantinopolitano detentæ contra Nortmannos plura molirentur, dilata in tempus aliud Panormi obsidione, Robertus & Rogerius Appuliam coacti petunt, atque vtranque ciuitatem magnis viribus inuadunt, & ad extremum capiunt. Quo tempore cum etiam multæ Græcorum in Calabria seditiones orirentur, ad eas prorsus sedandas quinq; annos Robertus & Rogerius contriuere. Quibus exactis, compositisq; Appuliæ & Calabriæ rebus, cum magno equitatus peditatusque numero instructi in Siciliam ad Panormum expugnandam reuertuntur. Nihil enim sibi tota insula tutum iudicabant, si Panormo non potirentur. Classe igitur vrbem appulsi, vt obsidio eo esset durior, quo diuturnior, trans flumen Orethum, vbi hodie ædis est. D. Ioanni cognomento a Leprosis sacra, hospitiis extructis castra locant. Deinde tribus locis vrbem oppugnant: & Rogerius quidem a meridie, Robertus vero ab occasu, classis vero a portu eã aggreditur. At Sarraceni acriter obsistebant, telis lapidibusq; e mœnibus iactis obsidentes infestabant: quin & conuitiis eos compellebant, atq; in contemptum ludibriumq; portas vrbis apertas habere non verebantur. Cumq; Normanni milites hostium cum multitudine tum noua audacia non mediocriter terrerentur, Robertus & Rogerius eos ad prælium hortantur, ac meminisse iubent, cum eisdem eos nunc pugnare, quos pluries ipsi pauci superauerant, neq; superiores obsidione hostes factos, sed inferiores. His itaq; aliisq; verbis milites a Ducibus hortati, animis eriguntur, atq; magno impetu vrbem adoriuntur. Inter hæc Normannus quidam ignoti nominis eques, ingentis spiritus vir, magnum ac memoratu dignissimum facinus gessit. Cum etenim portam vrbis apertam in ignominiam nostrorum teneri videret, contemptum cõtemptu superare pergens, citato equi cursu vrbis portam magno ingreditur impetu, custodem lancea transfodit: & subinde, cum cæteri Sarraceni portam, vt eum interciperent, clausissent, calcaribus ipse admotis, toto Sarracenorum

norum agmine circumseptus, per mediam vrbem, per ignotas sibi vias, ac per medios hostes, ad apertã etiam portam ciuitatis alteram, ad suos illęsus euasit. Post hęc Rogerius magno nisu a meridie machinis adhibitis, & sub idem ferme tẽpus Robertus ad occidentem vrbem oppugnant: vbi e duobus locis quassatis murorum partibus, terribilis admodum cõtigit dimicatio in diuersa ruentibus militibus inclusis, & exanimata metu vrbana multitudine. Cæterum qui vrbi intus præerant, diu obsidionem magnitudine animi & consilio substinebãt tum intra mœnia ruinas aut reficiendo, aut noua munimenta sufficiendo, tum aduersus cuniculos aliis contra effossionibus Christianorum laborem frustrando. Huc accedebat, quod eruptionibus etiam crebris, & interdiu & noctu machinis intendebant, opera turbabant aut disiiciebant. quo factum est vt nihil aut vis aut industria Normannos videretur adiuuare, nisi ad artem res conuerterent. Erant in arce, quam Palatium hodie appellant, Christiani milites, qui cum fidem operam per multa tempora Sarracenis præstitissent, tandem religionis amore, vt a ceruicibus seruitutis iugũ excuterent, de prodenda Normannis vrbe consilium ineunt: traductisque in suam sententiam commilitonibus, principes ipsi clam in castra Normannorum profecti, cum Roberto Guiscardo paciscuntur: vt cum primum ad signum constitutũ portæ & mœnibus arci proximis milites Nortmanni duces admouissent, ipsi portas aperirent. His ordinatis ad arcem reuersi, carcerum interfectis custodibus captiuos Christianos, qui plurimi erant, educunt, iisq; arma ex publico capere iussis, opportuna simul arcis loca occupant, apertoq; clamore ad libertatem sua professione dignam prouocant. Quos cũ Sarraceni qui in arce præerant, magna vi arcere frustra adniterentur, tandẽ conterriti, incolumes abire permittunt: atq; Christiani milites recepta arce sese in sua iura vendicant, & Normannis ex alto signum (vt conuentum fuerat) exhibent. Normanni ex edito signo vt captã arcem cognoscunt, ad murũ propinquũ exercitum admouent. quibus statim arcis occupatores in auxilium exeuntes, portam vrbis ferream quæ occidentem spectat, refringunt. Normanni vrbẽ ea porta ingressi, loca multa ac vicos exteriores excurrunt. Quibus cum Sarraceni, qui contra Rogerium se tuebantur, relicta ea parte, turmatim armati occurrissent, atque Normannos vna cum Roberto fortiter propellerent, Rogerius audiens angustam quandam portam, quæ hucusque ab eo facto porta Victoriæ appellatur, confusa statione negligentius custodiri, eo totis viribus contendit. qua occupata, in vrbem irruit, suosque eo aditu intra mœnia deduxit. Vnde equites extemplo peditesque ingressi, in viarum angustiis Sarracenos omnes quotquot obuios habebant, misere trucidantes, Roberto laboranti opportunum auxilium præbuere. Vbi cum diu magnis animis, multisq; cladibus, ac variis fluctuationibus dimicatum esset, prælium nox superueniens diremit. Ea nocte vigiliæ vtrinque in armis actæ: Normannis in ea vrbis parte, vicisque quos ceperant: Sarracenis vero in vrbe veteri, quo se receperant. Porro Sarraceni, cum captam vrbis partem, & arcem, quæ præcipue ei ad præsidium ante erat, sine vlla auxiliorum spe conspicerent, certamque direptionem cædemq; ante oculos pręuiderent, prima luce concione habita deditionem facere statuunt. Proinde missis ad Robertum & Rogerium legatis de concordia tractant, ciuitatem totam, & in ea Sarracenos omnes, modo eos sub Mahometi cultu viuere permitterent, tributum annuum ob id soluturos, pollicentur. Normanni fratres probatis conditionibus, Sarracenis tanquam æqua pro se, nec indecora postulantibus, cuncta quæ ad salutem eorum omnium pertinerent, promiserunt: nec promissis fides defuit. Concepti fœderis mox factæ sunt tabulæ, per quas cunctis Sarracenis, qui aut in fidem Christianorum coire, aut in sua lege perseuerare vellent, libertas etiam per præcones & interpretes vulgata, concessa est. atque ita plaudente passim populo, Christumque viuere conclamante, vrbem Panormum Robertus & Rogerius triumphantes anno sal. 1071. mense Iulio ingrediuntur. Recepta vrbe, non modo diripiendas militibus ciuium diuitias non permisere, sed & libera ac inuiolata Sarracenorum corpora, sub Imperio suo tantummodo, intra vrbem esse iusserunt. In rei monumentum ac victoriæ signũ templum maximum Deiparę

virgini(cui id iam olim extructum, licet a Sarracenis postea profanatum, fuerat) solenni purgatione præmissa restituunt. Mox Archiepiscopum Panormitanum Græcum genere, cui Nicodemo erat nomen, (qui solo titulo egenus in ædiculam S. Cyriacæ, quæ sancta Dominica Latine dicitur hodie, non longe a Monte regali vrbe secesserat) in sua sede reponunt. Fuit res spectaculo digna, & contemplatione sortis humanæ, ac rerum varietate miranda. Igitur in pristinum Christianitatis statum cum summa celebritate omnia rediere. Templa, fana, ac ædes Christo & Diuis excitata, supplicationes Deo decretę, publice priuatimque gratulationes cũ effusa lætitia factæ. Quibus meritis quantum Roberto & Rogerio Panormus, & Sicilia ipsa tota debeat, nec literis explicari, nec vlla oratione exprimi potest. His rite patratis, vrbem Robertus & Rogerius firmis mœnibus ac præsidiis, dupliciarce, altera ad mare, (a quo adhuc cognomen habet) altera ad occidentem, ædeque sacra musiuo ac vermiculato opere ab Hierusalem cognominata erectis mirificce exornarunt. Robertus autem vrbis pulchritudine allectus, eam sibi sedem habitandam regendamque a fratre depoposcit: reliquam vero Siciliam omnem Rogerio liberaliter concessit, cuius & Comes effectus est. Dum hæc Panormi geruntur, Serlo, qui ad arcendos Sarracenorum in mediterraneis incursus in Ceramo oppido morabatur, Sarracenis qui Ennæ præerant, ob eximiam eius in re militari peritiam, satis erat inuisus. Idcirco Sarracenus quidam Brachinus nomine, vafræ indolis, ac dubiæ fidei vir, dissimulato cum Serlone fœdere, insidias illi vitæque discrimen parauit. Extra vrbem nanque, quo ille venatum exire solebat, plurimos Sarracenos clam suæ factionis insidiatores collocauit, ac subinde Serloni literas per fraudem dat, ne eo itinere incedat, vbi septem numero Sarraceni mortem illi moliebantur. Serlo his auditis, ratus amice sibi Sarracenum epistolam misisse, paucis hostibus contemptis, ex industria ad venandum egreditur. Vbi dum contra septem Sarracenos non procul conspectos se parat, ex insidiis equites septingenti cum duobus peditum milibus duce Brachino erumpentes, a tergo in Serlonem deceptum irruunt. qui dum fugam meditatur, cum paucis sociis inter confertissimos hostes a telis impetitus, occiso equo ad terram inter Nicosiam & Argyran dilapsus cecidit. Inde ad rupem magnæ asperitatis vicinam, (quæ in medio ferme est itineris) per petræ cautes rependo in cacumen cum suis euasit. Vnde cum obuolutis saxis, glebis, stipitibusque nunc hos, nunc illos Sarracenos ab ascendendo diu deterruisset, perditis desperatione sociis, cum nullam euadendi spem videret, in vltionem mortis fortiter pugnando tandem telis confossus occubuit. Sarraceni eius ac occisorum omnium capita ceruicibus abscisa in lanceis per agros primum, deinde per Ennæ vrbis vias in victoriæ signum, & nostrorum ludibrium traduxerunt. Casus rupi Serlonis nomen (quod adhuc retinet) dedit. Robertus & Rogerius vbi Serlonis mortem primum cognouerunt, mitigato post aliquod tempus dolore, ad eam vlciscendam se parant. Sed Robertus multis in Appulia & Calabria rebus arduis euocatus, relicto in Sicilia Rogerio ipse secessit. Rogerius dum Robertus Calabriam petit, arces duas erexit: ad cauam Paternionis vnam, ex qua Catanam vrbem, quæ post mortem Bettumeni ad Sarracenos defecerat, obsideret: alteram in Mazara vrbe, cuius commoditate adiacentem regionem infestaret. Interea Robertus Calabriam veniens, contra Gisulfum eius sororium Sygelaycæ vxoris germanum fratrem, & Salerni Principem, mouet: ac tandem cum Richardo aduersæ vrbis Principe, & cum Amalphitanis, Salernum dura adeo & terra & mari obsidione cingit, vt commeatu omni deficiente feles & sorices edere obsessos coegerit. Abegelardus & Hermanus Roberti & Rogerii ex fratre Vmfredo nepotes, qui ob Appuliam a Guiscardo sibi ereptam (vt præmeminimus) in auxilium Gisulphi aduenerant, Salernum ingrediuntur, ac strenue primum fortiterque vrbem aduersus Robertum tuentur: sed Robertus neutiquam Salerno discedens, durius premebat: demum septimo obsidionis mense in deditionem Salernum accepit, vrbem muniuit, & ecclesiam S. Matthæi ædificauit. Tandem Abegelardus & Hermanus germanus eius frater Constantinopolim ad Imperatorem Roberto relicta tota Appulia & Cala-

& Calabria contendunt: vbi paulo post dies suos clauserunt. Ita igitur Robertus Guiscardus multis in locis rem suam auxit: deinde in Siciliam reuersus, arcem quã in monte Caltaxibetto ad Ennam obsidendam cum Rogerio erexerat, omni cõmeatu ac militum præsidio, vt Serlonis mortem contra Brachinum cunctosque Ennenses vlciscereturmuniuit. Interea dum ea obsidetur, Sarraceni e Tuneto magna classe instructa soluentes, littoralibus Siciliæ locis infestatis, Calabriam inuasere. Vbi 28. die Iunii Nicotrum vrbem noctu ex improuiso inuasam capiunt, ac ingenti virorum, mulierum, & omnium rerum abducta præda incendunt, & Tunetum, vnde venerant, redeunt. Ea deinde direptione elati, anno salutis 1075. rursus e Tuneto mouentes, in Siciliam veniunt: ac Mazaram vrbem aggressi, paruo negotio eam capiunt, arce tamen, quam anno tertio Rogerius erexerat, ipsiq; octo tum diebus oppugnauerant, inexpugnata. Qui arci præerant, per nuntiũ Rogerium Ennæ obsidioni intentum significatis Mazaræ rebus, ad subsidium euocant. Is nuntio accepto confestim militibus instructus Mazaram aduolat, arcemque noctu per posticum ingreditur. Illucescẽte vero cum suis clam arce egressus, in Sarracenos tota vrbe sine vlla repentini casus suspicione irruit, cędit, capit, pauCis fusis & ad classem fugatis: atq; ita Mazaram vrbem strenue recipit, Sarracenisque fœde Tunetum, vnde venerant, infœliciter fugatis, munit. Post hæc Rogerius relicto in Sicilia Hugone Gozecta suo genero Præside, viro militia præclarissimo, genere Normanno, Calabriam petit. Huic, qui Catanæ agebat, in mandatis dedit, ne ea vrbe contra Sarracenos egrederetur, veritus ne, quod tandem euenit, accideret. Ille enim vix Rogerio discedente, Iordanum eius filium, quẽ Troynæ pater Præfectum reliquerat, ad se Catanam ad strenuum quoddam facinus peragendum pellexit. Quo cum ille iuisset, Benameth quidam, qui eo tempore Sarracenorum reliquiis in Sicilia præerat, Syracusis (vbi habitabat) coacta magna suorum manu, Catanam quoque contendit. vbi cum non procul ab vrbe insidias parasset, vt incautos opprimeret, subinde equites ferme triginta ad Catanenses irritandos vsque ad vrbis mœnia emisit. Quo viso Hugo & Iordanus cum militibus egressi, Sarracenis occurunt. cum hostes pro stratagematis consilio terga verterẽt, atque illi ad locum vsque insidiarum fugam simulatam insequerentur, Benameth cum reliqua suorum multitudine, ac Sarracenis cæteris, ex latebris erumpentes, in nostros nil tale opinantes exiliunt, fitque cruenta pugna: in qua Hugo ipse cum plurimis occubuit, cæteris ad arcem Paternionis fugatis, ac Iordano solo Catanam incolumi reuerso. vnde Benameth victor, spoliis onustus, Syracusas retro se retulit. Huius cladis Rogerius fama accepta, rebus Calabriæ quam celerrime expeditis, in Siciliam redit: iustoque exercitu comparato contra Benameth mouet, atque inter eundum Zoticam Sarracenorum oppidum, (quod Iudica hodie dicitur) qua transitus ei patebat, magna vi impetitum breui expugnat, Sarracenisq; omnibus præter mulieres (quas Calabriam venum misit) cæsis, funditus anno salutis 1076. delet. Inde Hugonis mortem adhuc vlturus, Neetum vsq; agros omnes ferro & igni depopulatur. Segetes etiam, quæ tum maturæ erant, absumebat. Interea Iordanus filius cum selecta militum manu Drepanum nauigauit. vbi cum paucis in locum insidiis idoneum ingressus, Sarracenos Drepano exituros pręstolabatur. Prima luce Sarraceni oppido tumultuarie ad pascua cum armentis ibant. Quos Iordanus eminus ab vrbe conspectos ex latibulis exiliens adortus, prędam ingentem capit. Quo Sarraceni qui in vrbe erant, cognito, exercitu coacto palantem insequuntur. Sed ille intrepide retrouersus Sarracenos aggreditur. Ingens igitur prælium conseritur. quo cum vtrinq; initio acerrime pugnatum esset, Sarracenos paulo post inferiores vsque ad vrbis portam multa eorum strage edita cõpulit. Inde præda recepta, nauiq; imposita, properato cursu vrbem obsidet, oppugnat, tandemq; ad deditionem cogit. Capto Drepano, Rogerius superuenit, vrbẽ ingreditur, atq; arce & propugnaculis collapsam munit. Post hæc per eam prouinciam duodecim Sarracenorum oppidula capit, subigit, prædam militibus distribuit, ac demum Biccarum oppidum secessit. Vbi paucis diebus commoratus, ad Castrum nouum Sarracenorum oppidum, a molitore quodam adiutus, atque

ab iis qui in tutela oppidum tenebant, inuitatus venit, illudq; oppugnat. Quo intellecto Bettunes oppidi dominus collecta supellectile veritus ne in manus Normannorum veniret, noctu dimissa sede fugam arripuit. Sarraceni quoq; domino destituti deditionē fecerunt. Atq; ita Rogerius Castro nouo potitus, arcē prēsidio muniuit. Per idem ferme tempus cum Rogerius ad maris littus non longe a Catana duas erexisset arces, quæ paruo a se inuicem dissidebant spatio, (vnde ex vna ad alterā via muro macerieq; clausa Rogerius, cū necessitas postulabat, incedere cōsueuerat) dum forte ex more ambularet, Sarraceni qui Scalluni appellabantur, re comperta, in myrteto, quod inter arces frequens erat, insidias ei parauerunt, e quibus egressi repentino impetu incautum confecissent, nisi Enischordus eques genere Brito occurrens sua morte Principem liberasset. At Rogerius assumpta militum manu insidiatores ab Ætna monte Troynam vsq; insecutus, omnes prope interfecit. Atque inde Acim oppidum anno salutis 1079. adortus, dedentibus se Sarracenis facile in potestatem suam redegit. Cæterum cum Robertus Guiscardus anno sal. 1081. mense Maio in Michaelis Constantinopolitani gratiam, qui ad eum venerat, in Græciam nauigasset: Rogerius ab eo Appuliæ & Calabriæ Præfecturā suscepit. Is e Sicilia discessurus Catanæ vrbi Bettumenum Sarracenum Præfectu m reliquit. Qui cum a Benauiro Sarraceno Syracusarum & Neeti Principe muneribus corruptus, commissam suæ fidei vrbem per proditionem tradidisset, Iordanus, cui absente patre Siciliæ onus impendebat, assumptis secum Roberto Suediuallo, & Helia Clotonensi Sarracenis in Christi fide iuratis, ad proditam ciuitatem repetendam profectus, Beneuirum ac Bettumenum cum magno equitum peditumq; exercitu obuios, post cruentū bellū, ingentemq; Sarracenorū strāgē superior factus, intra vrbis mœnia fugauit. Qui diu obsessi, veriti ne in manus Christianorum redacti proditionis pœnas darent, relicta Iordano Catana, perposteriores vrbis latebras egressi, Syracusas profecti sunt. Vbi Bettumenus impietatis supplicium a Benauiro ipso occisus luit. Rogerius post hæc in Siciliam reuersus, Messanam venit: quam nouis mœnibus & propugnaculis ad maris præsertim littus a fundamētis erectis ornauit. Arcem prēterea ad verticem curui littoris excitauit, ędemq; sacram Seruatori dicatam cum cœnobio ordinis S. Basilii illiad iuncto erexit: quod & Rogerius Rex postmodum ditauit. Subinde templū Diuo Nicolao in vrbe condidit, cleroq; ornatum ecclesiæ Troynensi subiecit, licet paulo post translata illuc sede Episcopali, Robertum Episcopum illi dicauerit. Dum hæc in Sicilia geruntur, Robertus Guiscardus a Dalmatis a Gregorio septimo Pont. contra Henricum tertium Imperatorem euocatus, cum Pōtificem ab Henrici primum, & postea a Romanorum vi liberasset, & Salernum, (vbi paulo post obiit) vt tutior esset, perduxisset: & Dyrrhachium deinde, Epirum, Acarnaniam, multasq; alias ciuitates insulasq; Græciæ subegisset, apud Cassiopam Epiri insulam febre correptus, morte anno ætatis suæ 62. salutis vero 1083. mense Iulio præreptus est, Boemundo in transmarinis, & Rogerio natu minori in Italia, filiis hæredibus relictis. Interea in Sicilia Iordanus Rogerii Comitis filius aulicorum assentationibus inductus rebellionem in patrem parat, regnum inuadit, & Mistretta & S. Marco oppidis captis, Troynam (vbi gaza patris erat) adortus, ab oppidanis strenue obsistentibus, fœde fugatus est. Quibus cognitis Rogerius confestim ex Appulia, vbi adhuc erat, Siciliam reuertitur. vbi dissimulato in filium, ne ad Sarracenos deficeret, aliquandiu odio, paterno affectu ipsum ad se conciliat. Subinde sedata seditione duodecim viros, qui ei desciscionem persuaserant, oculis priuauit: ipsumque ad locum supplicii adductum primorum tandem precibus in gratiam recepit. Sub hæc cum inter Boemundum & Rogerium Guiscardi filios ob Principatus ambitionem graue bellum esset exortum: Rogerius Comes ad nepotum discordiam dirimendam in Appuliam secessit: cumque Cosentium vrbs Calabriæ a Rogerio nepote desciuisset, Cosentinis debellatis, vrbem sibi ad deditionem coegit. in cuius beneficii gratiam Panormi dimidium Comes a nepote recepit. Dum hæc Comes gerit, Benauir Sarracenus ingenti classe Nicotrum Calabriæ oppidum statim capit, spoliatumque funditus delet. Subinde Rhegium

nauigat. vbi egressi classe Sarraceni, omnẽ littoralẽ oram populantes, ædes Diuis Nicolao & Gregorio sacras diruerunt: & Squillaciũ iter facientes, D. Marię sacrum non longe ab oppido situm solo æquarunt, ac virgines moniales omnes constupratas in captiuitatem Syracusas secum adduxerunt. Rogerius his cognitis classem & ipse parat, terrestrique exercitui Iordanum præficit. Philippumq; Georgii patritii filium Græcę & Sarracenicæ linguæ peritum cum speculatoria naui ad portum Syracusarum explorandum mittit. Quo explorato, a portu Messanensi ipse soluit, Tauromenium nauigat, atque inde Logninam, & Iesebalep portum, (qui Augustæ est hodie) vbi Iordanus filius patris aduentum præstolabatur. Ibi paratis ad bellum necessariis Iordanus terrestri, Comes vero maritimo cursu eadem hora contra Syracusas mouent. Classis vt portum attigit, continuo Benauirũ cum sua classe obuiam habuit. qui triremem Rogerii statim adoritur: sed inter præliandum Lupini Normanni equitis sagitta traiectus, Rogeriique etiam magno impetu consternatus, inter duas triremes cum in natatu solo salutem speraret, dilapsus in mare, submersus interiit. Morte Benauiri Sarracenorum classis cognita, tota fugam arripit: quam magna celeritate Rogerius assecutus, dissipat, ingentiq; strage miseram afficit: mox Iordano signum dat vt a terra vrbem aggrediatur. Sed vtranque hanc obsidionem oppugnationemque Sarraceni strenue propugnando, a mẽse Maio ad Octobrem vsque fortiter sustinuere. Cumque & laboribus fessi, & annonæ etiam inopia premerentur, Benauiri vxor cum filio & primoribus aliquot noctu Syracusis egressi, Neetum profugere. Reliqui, multis Christianis, quos captiuos habebant, per libertatem donatam sibi conciliatis, deditionem fecerunt. Captis Syracusis Rogerius contra Tamictum Sarracenum virum principem, qui Agrigento & Ennæ vrbibus imperitabat, vim belli experiri deliberat. Anno igitur salutis 1086. Cal. Aprilis magno cum exercitu Agrigentum obsidet, tandemque 6. Cal. August. per deditionem & vrbem, & vxorem Tamicti, eiusque filios accepit. Potitus Agrigento, arcem & vrbem præsidiis munit: vxorem vero Tamicti pudice tractauit, vt ea benignitate maritum eius ad se pelliceret. Subinde pluribus Sarracẽorum oppidulis arcibusque expugnatis, Platani, Missar, Suter, Rayhalbifar, Moclufe, Rayhalmut, Nar, Caltanixet, Licata, Reminisce, Sarracenorum oppidulis arcibusque expugnatis, Ennam vrbem (quo Tamictus se receperat) totis viribus dura oppugnatione cinxit. Tamictus obsidionem sufferre nequiens, cum domesticis fuga salutem sibi quærit: sed a Normannis cognitus, capitur. Ennenses cognito Tamicti discrimine, deditionem & ipsi fecerunt. Rogerius Enna capta, & arce militibus munita, Tamictum sacris Christianis initiauit, ac Melitum Calabriæ cum sua familia incolendum ei dedit: vbi vsque ad obitum probatæ semper fidei vixit. His fœliciter gestis, omni iam Sicilia (præter Neetum & Buterã) potitus, sacris aliquandiu templis, Episcopatibus atque Abbatiis in plerisque ciuitatibus deo dicandis operam dedit. Agrigenti quidem cathedrale templum ditissime locupletatum fundauit erexitque. Cui Gerlandum Allobrogensem genere, virum pium, primum Episcopum præfecit: in Catana Angerium, in Syracusis Stephanum, in Messana Robertum ex Troyna translatum, in Mazara Stephanum Rhotomagensem, atque alios alibi pro conditione locorum aut virorum, Abbates Episcoposque constituit. Anno deinde salutis 1089. ad Buteræ expugnationem se composuit. Vbi dum occupatur, Vrbanus Romanus Pont. huius nominis secundus, fama tot Rogerii gestorum excitus, Sicilia traiecta Troynam ad eum visendum venit. Cuius aduentu perceptо, Rogerius soluta confestim obsidione, ei obuiam occurrit: eumque adorat. cui, cum plura inter se de Græcorum cum Latinis vnione, & præsertim de Alexio Imperatore, qui ex professo Latini nominis hostem agebat, ad fœdus attrahendo tractassent, discedenti plurima obtulit munera, ac postmodum Buteram reuersus, breui Buterenses ad deditionem coegit. Quos omnes Rogerius, ne aliquid in posterum noui molirentur, in Calabriam relegauit. Sub idem ferme tempus Eremburga priori vxore defuncta, (ex qua Gothfredum & Iordanum filios susceperat) Adelasiam Bonifacii Marchionis filiam vxorem duxit: ex

qua Simonem, & Rogerium, qui postea Rex fuit, susceptit. Anno deinde 1090. dum Rogerius Mylatii ageret, Neetini viribus impares, cum æquare amplius resistendo Normannorum magnitudinem nequirent, per legatos sese ipsi in Rogerii fidem dediderunt. Sed Rogerius Neetum Iordano filio tradidit. qui statim patris iussu ad verticem vrbis arcem erexit, quæ adhuc munitissima supereſt. Rogerius totius iam Siciliæ monarcha, vlterioris imperii studio ad Melitam insulam, quæ Sarracenis adhuc parebat, diripiendam se parat. Proinde ingenti in portu Riscalambro ædificata classe, eaque militibus & omni commeatu probe referta, sub Iordano administratione Siciliæ imperioq; relicto, Melitam nauigauit, milites in terram ad portum paucis obsistentibus, quos continuo fugauit, exponit, ac postridie vrbem ipsam (quæ in medio sita est) adeptus, totam insulam a Gaito Sarraceno principe, restitutis ante Christianis, quos ille captiuos habebat, libertate & rerum & religionis impetrata, in fidem quoq; accepit. Capta Melita, & arce munita, Gozum insulam cum eadem classe adortus, vastatis prius agris, oppidum eriam per deditionem eisdem conditionibus in potestatem redegit: atque ita victor in Siciliam reuersus est. Interea Gothfredo Rogerii Comitis maximo filio iam præmortuo, Iordanus, qui Syracusas administrabat, morbo & ipse correptus, anno salutis 1093. mortem obiuit, ac in æde D. Nicolai tumulatus est. Quo Rogerius pater profectus, filio iusta persoluit. Erat non longe a Syracusis oppidum Pétargen appellatum, quod Iordano suberat. cuius incolæ audita Principis morte, libertate conclamata, a Comite desciscunt. Rogerius nihil cunctatus, Pentargiam cum exercitu confestim profectus, oppidum obsidet, ac magna vi impetitum tandem expugnat, descitionisq; authoribus furca suspensis, reliquisq; ciuibus in diuersa tormenta afflictis, totum delet. cuius adhuc super littus sparsis ruinis, turris recens Targiæ cognomine, vestigium retinet. Post hæc cum Rogerium Appuliæ Ducem, (qui ex Adala vxore Philippi Francorum regis nepte, Guillelmum filium susceperat) apud Melpham febre grauatum, tota Appulia & Calabria obiisse fama peruerebuisset, fraterq; eius Boemundus eo rumore oppida omnia, quę Dominum illum agnoscebãt, pro Guilelmo nepote iureiurãdo ad se pellexisset, Rogerius Siciliæ Comes, Siculorum & Sarracenorum exercitu comparato, omnia ab occupatore oppida recepta, Rogerio Duci nepoti, qui iam conualuerat, restituit. Aenõ ita multo post anno salutis 1095. Conrado Henrici Imperatoris Germani filio, Vrbani Ro. Pont. & Roberti Troynensis Episcopi suasu, filiam suam desponsatam, cum ipso Episcopo Roberto Troynensi, & proceribus aliis, Pisas misit. vbi nuptiæ cum Corrado marito celebratæ sunt. Anno deinde sequenti salutis 1096. cum Melpham Rogerio nepoti adolescẽti, a quo desciuerat, restituere studet, per Boemundi Hierosolymitanam expeditionem militibus destitutus, ad Siciliam reuersus est, atque Alamanno Vngarorum Regi aliam filiam vxorem tradidit. Eodem ferme tempore cum a Iordano Rogerii Comitis ex sorore nepote, Capuæ, Neapolis, & Auersæ Principe, Capua rebellasset, ipse magno cum exercitu contra Capuam venit, eamque obsedit. Verum non diu post Capuani dura nimis obsidione pressi, ipsius Rogerii Comitis consilio, se Iordano dediderunt. Recepta Capua Rogerius Comes Salernum se contulit. Vbi ei Adelasia vxor, ex qua iam antea Simonem filium susceperat, Rogerium natu minorem peperit. Quo cum & Vrbanus Rom. Pont. congratulatum venisset, & Robertum Episcopum Troynensem Legatum in Sicilia inconsulto Rogerio instituisset, Comite id ægreferente, eundem abrogauit, Rogeriumq; ac Simonem filiũ, & alios eius hæredes, Legatos in Sicilia hoc priuilegio, quo Siculi Reges Monarchica potestate vtuntur, instituit: Vrbanus Episcopus, seruus seruorum Dei, charissimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Sicilię, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia propter prudentiam tuam, supernæ maiestatis dignatio te multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Sarracenorum finibus ecclesiam Dei plurimum dilatauit, & sanctæ sedi Apostolicæ deuotam se multimodis semper exhibuit: nos in specialem atque charissimum filium eiusdem vniuersalis matris ecclesiæ te assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisi-

mus,

mus,ita literarum authoritate firmamus,quod omni vitæ tuæ tempore,vel filii tui Simonis,aut alterius qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ,præter voluntatem aut cõſilium veſtrum,Legatum Romanæ eccleſiæ ſtatuemus. Quinimo quæ per Legatum acturi ſumus,per veſtram induſtriam Legati vice cohiberi volumus,quando ad vos ex latere noſtro mitteremus ad ſalutem ſanctarum eccleſiarum,quæ ſub veſtra poteſtate conſiſtunt,& ad honorem beati Petri,ſanctæque eius ſedis Apoſtolicæ, cui deuote hactenus obediſti,quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenue & fideliter adiuuiſti. Si vero celebrabitur concilium,& ibi mãdauero quatenus Epiſcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas,quot & quos volueris mihi mittas,alios vero ad ſeruitium eccleſiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te a peccatis abſolutum,in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Diaconi Cardinalis,tertio nonas Iulii inditiõnis ſeptimæ:anno pontificatus noſtri vndecimo. Poſt multa tandem bella Rogerius pacem emeritus, vſque ad ſenectutem ſanctiſſime vixit, religioni ac pietati ſemper intentus: vt merito ad reliquos titulos epitheton hoc ei acceſſerit: ROGERIVS COMES CALABRIÆ ET SICILIÆ, CHRISTIANORVM ADIVTOR. Obiit Meliti Calabriæ anno ſalutis 1101. menſe Iulio, 70. ætatis anno, febre correptus: ac in æde,quam ibidem ipſe fundauerat,& liberaliter dotauerat,magna fide tumulatus eſt. Quem omnes Normanni, Appuli, Calabri & Siculi, non ſecus ac publicum parentem, nullo non genere honoris funeri eius adhibito,luxere.

DE SIMONE SICILIÆ COMITE.

CAPVT II.

ROGERIO Siciliæ Comite defuncto,Simon ex Adelaſia ſecunda eius vxore filius maior natu,Siciliæ & Calabriæ Principatui ſuccedit. Qui poſt graues ab Appulis ſeditiones perpeſſas, tandem nulla relicta prole,breui rerum potitus,exceſſit.

DE ROGERIO SICILIÆ REGE.

CAPVT III.

SIMONI (Romæ Paſcali ſecundo huius nominis Pontifice ſedente,& anno ſalutis. 1102.) ſucceſſit in Principatu Rogerius germanus eius frater,quem falſo aliqui Rogerii Boſſi(primi Siciliæ Comitis) ex fratre nepotem aſſerunt. Is a primis adoleſcentiæ temporibus fœliciſſimis naturæ incrementis ſummam virilis ætatis maturitatem ſortitus, omni voluptatis ſtudio poſthabito,continua armorum meditatione flagrabat, ſuorumq; natalium æmulatione omne vitæ tempus ſpectatis militiæ operibus exegit. Initio Principatus gratiam Pontificis(cui per oratores debitis obedientiæ votis vltro præſtitis,mille etiam auri Siculi vncias dono miſerat)primum ſibi conciliauit: deinde ad maiora animos erigens, Appuliæ etiam Calabriæque regna affectabat. Cuius rei occaſionem,ex affinium Rogerii & Boemundi Guiſcardi filiorum contentione,commodam accepit. Nam cum inter Rogerium & Boemundum Roberti Guiſcardi filios exinde bellum eſſet exortum, quod Boemundus maior natu contemptum a Rogerio fratre in Appuliæ & Italiæ rebus ſe videret, bello non longe a Beneuento commiſſo, & Boemundo ſuperato, interuenientibus paternis amicis, Tarento & Appuliæ parte Boemundo conceſſa, Rogerius Ducatus titulum retinuit. Sed paulo poſt Boemundus conceſſis a Rogerio fratre ciuitatibus oppidiſque parum contentus, Melphim quoque furto ſubripuit. Quo bellum vtrinque paratum eſt. Sed hoc bello varie geſto, Boemundus non diu poſt ad expeditionem Hieroſolymitanam proficiſcitur: in qua res præclariſſimas ſtrenue

nue gessit, quas scriptores exacte memorant. In itinere vero cum Alexio Imperatore paterno quondam hoste, fœdus & amicitiam iniit: a quo muneribus donatus & liberaliter exceptus est. Sed inde discedens violato fœdere, multa eius oppida inuasit. Cumq; in reditu sibi per fines imperii transituro timeret, mortuum mentitus, & ob id in arca clausus a suis delatus, ad propria reuersus est. Vbi cum esset, confestim Dyrrachium & nonnulla alia Imperii loca classe aggreditur. Tandē interuenientibus proceribus pax inter eos facta est. Sed non diu post & Alexius Imperator, & Rogerius Boemundi frater, relicto in Appuliæ Ducatu Guillelmo filio, fato functi sunt. Guilelmus initio Principatus a Calixto Romanæ sedis Præsule sacramento prius adactus, & in Ducatu Appuliæ confirmatus, Romanæ Ecclesiæ & ipse præfectus deligitur. Qui hac confirmatione elatus, Alexii iam defuncti filiam pluries sibi patre viuente pactam in vxorem ducturus, Constantinopolim ire constituit. Sed veritus Rogerii Siciliæ noui Comitis, & consobrini, ingentes spiritus & ausus, non prius Italia discedere decreuit, quam Calixtus Romanus Pontifex Appuliæ Ducatum in suam & Romanæ sedis tutelam susciperet. Igitur Guilelmus, Appuliæ & Calabriæ Ducatu sub Pontificis protectione relicto, Constantinopolim petijt. Vix Guilelmus medium iter emensus erat, cum Rogerius Siciliæ Comes, susceptam a Pontifice Romano consobrini rerum administrationē paruifaciens, Calabriam inuasit, ac prius dimidiam occupauit quam Pontifici de ope afferenda spacium daretur. Igitur Calixtus Calabriæ inuasione audita, Beneuentum venit, Hugonemq; Cardinalem ad Rogerium, tunc Nicephorum Calabriæ oppidum obsidentem, vt eum ab armis arceret, misit. At ille neque precibus neq; minis territus, Pontifici obtemperat, sed acrius instat, & bellum vrget, ne cōsobrinus fortasse rediens, impedimento sibi foret. Calixtus econtra bellum & ipse parat: sed interea subita vi febrium cum Senatu lacessitus, expeditione omissa Romam redire compellitur. Rogerius ab hostibus liber, Calabriam omnem Appuliamq; aggressus, nemine sibi obsistēte breui sibi subiecit. Interea Guilelmus Constantinopolitana vxore Græcorum dolis frustratus, Salernum cum redijsset, paucis ibi post diebus nulla relicta prole mortem obiit. Quo tempore & Boemundus etiam e viuis sublatus est. Rogerius igitur aduersarijs defunctis, & Roberti Guiscardi propagine penitus deficiente, iure successionis Calabriam & Appuliam sub Ducatus titulo obtinuit. Quocirca tantarum rerum successu elatus, minusque idoneum ratus, tantam ac tam late diffusam potentiam, Comitis aut Ducis nomine coarctari, iam non amplius Appuliæ Ducem, & Siciliæ Comitem se appellari passus, Regium nomen prouincijs, quibus præerat, aptandum, & perennem sui notitiam Regio stemmate & principio hoc splendido commendandam curauit. Animos faciebant illi opes, resque lætæ, ac maiores sui, qui priuata nobilitate orti, audendo augendoque ad maxima quæque peruenissent. Igitur a suis Rex tum Italiæ tum Siciliæ salutatur, & Panormi anno salutis 1129. Idibus Maij in Regem Sicilię vngitur & coronatur. Interfuerunt eius coronationi non solum Siciliæ, sed etiam Neapolitani Proceres ac Præsules, Rogerius Beneuentanus, Ioannes Salernitanus, & Philippus Capuanus Antistites, Riccardus Caietanus Dux, Anselmus Piperius Comes de Sancta flore, Petrus de S. Seuerino Marturani Dominus, & cōplures alii: vrbemq; ipsam Panormum regiam constituit, vt eius diplomate constat. Fama ducta per manus Panormitanos adhuc tenet, stirpem de Carauellis, quæ adhuc Panormi nobilis supereſt, corona Siciliæ Reges insignire, ex priuilegio Rogerii Regis habuisse, Andreamque Carauellum Rogerium Regem coronasse. Hæc cum Calistus Rom. Pontifex resciuit, animo non minus celso quam irato in Rogerium se erigit. Verum dum bellum contra illum molitur, anno Pontificatus sui quinto decessit. Cui Honorius secundus Rom. Pont. suffectus, non minori quam Calixtus prædecessor, quod Italiæ sibi titulum arrogaret, odio in illum exarsit. Veritus tamen ne se absente motus aliquos Romani in vrbe excitarent, aperto bello contra Rogerium foris mouere non est ausus, sed domi semper se cōtinuit: licet plerique magno cū exercitu vsq; in Appuliam eum contra Rogerium profectum, dolisq; postea a suis circumuentum, pacem ei ac regiones captas Pontificū more

more confirmasse scribant. At cum Romæ anno salutis 1130. Honorio defuncto Innocentius secundus successisset, eadem causa in Rogerium accensus, tumultuario exercitu collecto tãta celeritate mouit, vt ad Sanctum Germanum oppidum (vbi in castris erat) Rogerium nihil tale metuentem improuiso impetu adortus repulerit, atq; oppido capto, hostem in castro Gallucio, in quod se fuga receperat, aliquandiu acriter obsederit. At præter sententiam Pontifici belli fortuna euenit. Erat enim Rogerio Guilelmus filius, quem ex Eluira vxore susceperat, militia præclarus, & a patre Tarenti Principatus titulo insignitus. Is patris obsidione percepta, confestim exercitu comparato, genitori suppetias tulit, commissoque contra Innocentiũ acerrime prælio, & patrem liberauit, & exercitu Romano profligato, Innocentium, Cardinalesque qui cum eo aderant, cepit, & in vincula coegit. Sed Rogerius non multo post & viri sanctitate, & dignitatis maiestate motus, non modo a periculo præseruatum, sed & reuerentissime officiosissimeque habitum, liberum cum Senatu dimisit. Illinc igitur religio, hinc gratus animus præfulsit. Nam Innocentius in tanti beneficii gratiam ei non modo quæ petierat, sed & vrbem Neapolim, quæ vsque ad ea tempora Græcorum Imperatori paruerat, cum reliquo Terræ laboris, Appuliæ ac Calabriæ ad fretum vsq; Siculum corpore, præter Regium titulum concessit: licet sint qui etiam & Regium titulum, non Italiæ, sed Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ, ab eodem tum promeruisse asserant. Ingreditur itaq; Rogerius cum Pontifice Neapolim magno tum suorum, tum ciuium applausu: quo die centum quinquaginta milites instituit, duosque menses ibidem festos egit. At cum vno anno Neapoli consumpto Panormum cum tribus nauibus onerariis & aliquot triremibus repeteret, vix angustas Capreæ insulæ fauces egressus, suborta tempestate adeo varia pelagi iactatione fuit agitatus, vt naufragio vicinus extiterit. Sed cum votum rite & ex animo oblatum nuncupasset, quod, vbi primum littus attigisset, ibi D. Georgio ædem sacram, ac omnium Saluatori templum ingens, sacerdotumq; ei cœnobium cõiunctũ excitaturũ vouisset: Cephalœdim tandẽ ad sextũ Augusti diem appulsus, subductis in terram nauibus votum fideliter soluit, ciuitatemque ipsam a rupe ad littus translatam Episcopali dignitate, ac nouis mœnibus decorauit. Romani interea, qui Innocentiũ a Rogerio captum audiuerant, Petrum, Leonis Romani ciuis ditissimi filiũ, Ægidio Cardinali Tusculanorum Episcopo adnitente, adulterinum Pontificem sub Anacleti nomine crearunt. Innocentius hoc cognito, cum impar viribus se videret, e Neapoli in Franciam ad Philippum Regem profugit. Rogerius Innocentio fugato, Anacleto se addixit, Pontificem eum salutat, atque adorat. Anacletus versa vice, contributo Rogerio cũ Brutiis, Lucanis, Appulis, & Calabris, regio quoq; nomine non Italiæ, sed Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ, quod ab Innocentio (si Blondo credimus) impetrare nequiuerat, si vero aliis, confirmato, eum sibi deuinxit. Porro Innocentius celebrato apud Claromontem concilio, Anacletum eiusq; sectatores damnat, & subinde cum Lothario Imperatore Germano terrestri itinere in Italiã reuersus, Romã venit. vbi profligatis his qui Anacleto fauerant, & Anacleto inter hęc peropportune e viuis erepto, contra Rogerium ad Barum vsque Appuliæ oppidũ nemine resistente peruenit. Rogerius vtrinque destitutus cum viribus esset inferior, Appulia relicta in Siciliã recurrit. atq; ita Pontifex cum Lothario cuncta quæ Rogerius in ea Italiæ parte occupauerat, recepit. Veritus tamen ne Lothario discedẽte Rogerius iterũ Appuliam sibi repeteret, Rameonẽ Comitem, qui cum Lothario venerat, ad tuendã eam Ducatus nomine Appuliam reliquit. Cæterum post hæc anno salutis 1145. Innocentio decedente, & Cælestino secundo primum, mox Lucio secundo, ac Eugenio demum tertio Ro. sedis per ordinem Pontificibus tepide res Appuliæ tuentibus, Rogerius regiones omnes, ac Italiæ vrbes quas Innocentius & Lotharius sibi abstulerant, pulso Rameone Duce breui recepit, sed modestiori vt ceperat, titulo vsus, nõ Italiæ, vt prius, sed Siciliæ, Ducatus Appuliæ, & Principatus Capuæ se Regem appellabat, vt in eius diplomatibus adhuc legimus. Quem titulum in omnibus suis regnis postea Cælestinum, siue Lucium (vt alii scribũt) ei concessisse

memoriæ proditum est. Rogerius rebus suis pacatis, cum nil aliud animo secum repeteret, nisi Regnum productis finibus ampliare, classem ingentem instruit, ac contra Sarracenos soluens, maritimam Libyæ oram, quæ meridionale Siciliæ latus respicit, populatus, mox Tripolim, Africam, (quam Mahdiam Sarraceni appellant) Sfacem, Capsiam, & alias eius regionis vrbes suo subegit imperio: ac tantis demum Sarracenos incommodis cladibusque afflixit, vt Tuneti quoque rex ingenti tributo in singulos annos ei promisso, annisque postmodum plusquam triginta persoluto, pacem ab eo implorare coactus sit. His fœliciter gestis, cum Ludouicus Rex Francorum, suasu Eugenii tertii Romanæ sedis Præsulis, Christianis qui terram sanctam incolebant, contra Emanuelem secundum Constantinopolitanum Imperatorem, qui Palæstinam inuaserat, opem laturus mouisset: Rogerius religionis studio, classe ex Africa reducta, cõtra Imperatorem & ipse soluit: ibique Corcyram insulam, eiusque vrbem, Corinthum quoq;, ac Thebas, & Euboeam insulam expugnatas, atque Imperio iure gentiũ abreptas, suæ ditioni subiecit. Deinde cum Lodouicum Francorum Regem, qui a S. Symeonis Antiocheno portu soluens Palæstinam petebat, ingens Sarracenorum classis obuia forte intercepisset, Rogerius forte fortuna Ludouico Regi capto occurrens, cũ sua classe in Sarracenos cũ præda & tanti viri captiuitate in angusto positos irruit, ingentiq; clade affectis hostibus victor Christianũ Regem ab interitu liberauit. Quo apud Ioppen dimisso, Constantinopolim ipse mira celeritate adnauigat, eius suburbia vidente Emanuele diripit ac incendit, Palatium Imperatoris aliquandiu oppugnat: ac eo pugnãdo progressus est, vt non modo sagittas argenteas aureasq; hortis regiis immiserit, sed & poma horti Imperialis ad gloriam fortitudinisq; ostentationem manu ipse sua decerpserit. Quibus Veneti per Legatos cognitis, sexaginta triremium classem cum Petro Bolano eorum Duce Emanueli auxiliarem miserunt. Porro Rogerius tot damnis & iniuriis Imperatori illatis, cum Constantinopolim expugnare nequiret, inde soluens, dum in Italiam remeat, in classem Venetam simul & Græcorum, ad dimicandum satis instructam paratamq; ex improuiso incidit. cum quibus commisso cruento prælio, ex suis triremibus vna deuiginti amissis submersisq;, victus cum paucis dissipatis in Siciliam profugit: nõ tamen illæsis hostibus. Ex Veneta nanque classe duobus fere milibus vulneratis, quingentis & vigintiquinq; cæsis, intercidit Dux ipse Venetorum Petrus strenue pugnans. Rogerius vero postquam domum incolumis peruenit, a belli turbinibus se continuit: iamq; multarum gentium manubiis locupletatus, quo tantum sibi regnoq; domicilium compararet, in extrema Panormi parte mirifico opere arcem iam vetustate collabentem instaurat. In cuius penetralibus omnem opum pecuniarumq; suarum summam congessit. Ædem quoque Diuo Petro Apostolo sacram musiuo opere in ea a fundamentis erexit. Quam arcem, suam atq; futurorum omnium Siciliæ Regum sedem constituit. Nam Rogerius Rex, & ei post modum succedentes, etsi Neapolitano Regno potirentur, quo tamen tenaciores rebellibus in Sicilia Sarracenis frenos imponerent, & ne noua vel qui reliqui supererant, vel qui vicinam Africam incolebant, Sarraceni molirentur, in Panormo vrbe Regia longo iam tempore resederũt. Erat Rogerius ingenio promptissimo, & ad ardua quæque nunquam sibi diffidens. Aliorum rationes in conciliis libenter audiebat, nihil inconsulte, nihil præceps agebat: ingentes motus animi sapientia temperabat: vt non magis viribus quam prudentia & hostes contriuisse, & Regnum suum productis finibus ampliasse iudicetur. Aliorum quoq; Regnorum ac gentium consuetudines diligentissime inquirebat, vt si quid in eis pulchrum aut vtile deprehendisset, id ad suos vsus redigeret. Quoscunque viros aut consiliis vtiles, aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutem beneficiis inuitabat. Iustitiæ rigorem vt nouo regno perneccssariũ exercere studuit. Hinc multis pœnas grauiores & legibus incognitas irrogabat, ac durius in quosdam animaduertebat, ne in nouitate regni, flagitiosi & seditiosi, eius nimia humanitate inspecta, ad conspirationis audaciam extenderentur. Pacis vero ac belli vicissitudinem ita alternabat, vt nullum Regum aut Principum sua ætate parem habuerit.

Ingentes

Ingentes præterea thesauros ad Regni munitionem, posteritati consulens, noua industria coaceruauit, ac Panormi reposuit. Ædes plures sacras insigni opere præter eas quas recensui, erexit. Sacellum regium D. Ioanni ab Eremitis iuxta Palatium cum cœnobio illi coniuncto ordinis. D. Benedicti: sed & aliam ædem ei annexam, D. Georgio. D. Basilii ordinis Panormi ædificauit. Æs Campanum insigne, quod Guzam Panormitani appellant, & in arce campanaria maximi templi positum, fundere iussit, vt circum Latinæ literæ inscriptæ indicant. Quod forte cõfractum anno salutis. 1557. Petrus Aragonius & Tagliauia Cardinalis restaurauit. Messanæ Cœnobium Diui Saluatoris a genitore conditum, & opere & diuitiis exornauit. Tres ex Eluira vxore suscepit filios, Rogerium, Amphulsum, & Guilelmũ, vnicamq; filiam Constantiam. Sed Rogerium Appuliæ Ducem, Amphulsum Capuæ, & Guillelmum Tarenti Principes instituit. Habuit quoq; Tancredum filium ex pellice procreatum. At cum (vt Regibus mos est) rerum futurarum liberorum prænoscendarum cupiditate incenderetur, Ioachinum Abbatem fatidici nominis virum ex continenti Italia in Siciliam accersit. Productus, inter pleraque ex Constantia filia, si nupsisset, funestam Italiæ facem exoriturã præsagiuit. Quocirca etsi non deessent qui Regi Constantiam veneno perimendam consulerent, Tancredi tamen nothi consilio, qui nefarium esse innocentem emori dicebat, in sacro Saluatoris Panormi eam educari, ac virginitate votiua, veloq; sacro amiciri statuit. Sed dum decretum fatidicum humano cõsilio impedire satagit, in illud incidit. Rogerius interea ac Amphulsus, duo maiores eius natu filii, in quibus verissima paternæ virtutis effulgebat effigies, non sine ingenti suo & totius regni mœrore ac luctu mortui sunt. Proinde Guilelmo, quia alius legitimus & hæres nullus supererat, Regni diadema Rogerius adhuc viuus imposuit, eumque sibi regni cõsortẽ asciuit. Nec diu post immẽsis vltra vires attritus laboribus, anno ætatis. 59. regni vero. 23. salutis. 1154. in valetudinem prolapsus, Panormi defunctus, in templo maximo tumulatus est. Vtebatur dum viueret, gemino hoc epitheto: Rogerius in Christo pius potẽs Rex, & Christianorum adiutor. Altero: Appulus & Calaber, Siculus mihi seruit, & Afer.

DE GVILELMO PRIMO huius nominis Siciliæ Rege, quem Malum appellant.

CAPVT IIII.

GVILELMVS vnicus superstes filius Rogerii, patris successor, cum Regno palatium etiam & thesauros opulentissimos suscepit. Fuit Guilelmus ingenio alioqui solerti, & militia strenuus, cupiditate vero ac auaritia simul & crudelitate nulli secundus. Initio sui Principatus confirmationem Regni ab Adriano quarto Rom. Põtifice postulauit. Facere id quidem Pontifici erat in animo, vt plæriq; scribunt: verum, aduersantibus ei quibusdam, non licuit. Quapropter Guilelmus ob repulsam ira percitus, coacto maximo militum exercitu Beneuentum, Ceperanum, Baucumq; in Hernicis, quę Romani Pontificis erant ditionis, inuadens, suo Imperio adscripsit. Adrianus his iniuriis offensus, Guilelmum Regem diris inuoluit, & omnes eius ditioni subiectos Siculos, Calabros, Appulosque, quo facilius ab eo deficiant, ab omni fidelitatis illi præstito sacramento liberat. Quo facto Appuliæ Calabriæq; Proceres statim Adrianum Beneuentum vocant, non modo deperdita, sed Appuliam vniuersam Calabriamque haud dubie recepturum. Beneuentum itaque Adrianus acceleras fidem a Proceribus datam reipsa probauit. Nullo enim fere negotio cum suis his quæ perdiderat, & Calabria & Appulia Gulielmi Regnis per proditionem potitus est. Guillelmus his cognitis statim maiori instructus exercitu, Appuliam ingressus, omnia ferro & igne consumit. mox in Græcos & Appulos mouens, qui apud Brundusium castra posuerant, incautos facile superat, atque in fidem deditos

recipit. Mox Pontificem per Episcopum Catanensem ad fœdus pacemq; solicitans, promisit se non modo erepta ei omnia restituturum, sed & ex suis quædã alia, si vellet, ei condonaturum, si Siciliæ Neapolitanique regni confirmationem ei largiretur. Pontifex his qui pacem cum Guilelmo impedierant, grauiter offensus, inconsultis omnibus, Guilelmum & in gratiam admittit, & in Siculo Neapolitanoque regno, exacto ante de ecclesia veneranda, obseruanda, tuendaque sanctissimo iureiurando, non modo affirmat, sed & perpetuo ascribit. Proceres, quia Guilelmo defciuerant, vt primum conciliatum Regem Pontifici audierunt, fugæ salutem sibi quæsierunt. Ex quibus Robertus Capuæ Princeps ad Lyrim fluuium a suis Regi proditus, oculis & principatu orbatur, atq; in carcerem coniectus miserabiliter perit. His rebus pacatis anno salutis. 1145. Guilelmus ingenti classe collecta, contra Sarracenos in Ægyptum traiicit, plures Sarracenorum vrbes cepit: expugnataq; ac deprędata Acri vrbe eorũ potentissima, dum retro vela vertit, in classem Imperatoris Cõstantinopolitani hostis acerrimi incidit. quam quantumuis numero impar, virtute tamen ac animo maior assidens, confestim centum quinquaginta captis nauibus, victor in Siciliã rediit. Postmodum excitatis inter Fridericum primum Cæsarem cognomento Barbarossam, & Alexandrum tertiũ Rom. Pont. qui Adriano successerat, bellorum procellis, Pontificem metu ab vrbe fugam meditantem, Guilelmus Rex suis triremibus e Terracina in Franciam deduxit. Vnde cum idẽ postea Franciæ & Angliæ Regum consilio Romam rediret, & ad mare Gallicum delatus, Messanam Siciliæ Gallico nauigio peruenisset, Guilelmus Rex adoratum, magnoq; plausu exceptum, ab eo regnorum quoq; suorum titulis insignitus, incolumem cum suis triremibus Romam vsq; perduxit. Quocirca in his administrationis primordiis Guilelmus apud Italos magni cognomentũ assecutus est. Sed postquã domi se continuit, econtra ignauissimo otii luxu, atque auaritiæ ignominia, mali cognomentum ad ætatem vsque meam promeruit. Legem quoq; contra omne ius condidit, vt thesauri antiqui Regis sint, & non inuentoris, neque domini fundi: quã Fridericus Cæsar secundus, & primus Siciliæ Rex, postea confirmauit. Auaritiæ vero in eo tum multa alia, tum illud maxime memorabile est exemplum, quod Siculis ducta per manus fama adhuc vulgo in ore est: quod omni auro argentoque tota passim insula in suos thesauros congesto, numos ex bubulo corio suo insigni excusos expẽdi, voceq; præconis per oppida, vt quicquid auri argentiq; vsquã esset, sub capitis mulcta sibi deferretur, edixerit. Quod cũ certatim supplicii metus ad eum vndiq; coegisset, vt certius exploraret an quid vsquã contra edictum celaretur: equum sonipedem e regiis armentis generosissimum Panormi aureo nummo venalem in foro ab aduena proferri iussit. Cũq; diu præco inscriptũ exiguo pretio equũ nullo emptore occurrente frustra proclamaret, tandẽ adolescens quidã generosę indolis equi cupidine incensus, ad manes paternos, vbi genitrix vnicũ nummum depositum erat, clã refugit, ex ore parentis sepulti pretium caballi filius extrahit, traditq; venditori. Guilelmus vbi auri penuriam ad tam immane ac impium facinus peruenisse comperit, omne aurum egestum tum sibi persuasit, suæq; auri fami satisfactũ credidit. Regnũ deinde per Maionis perditæ vitæ hominis arbitriũ administrauit. Vnde conspiratio ipsum grauissima postea excepit. Fuit Maio natione Appulus, patria Barensis, humili ortus genere: quippe cuius pater oleũ Bari vendere solitus sit. Hunc ex tenui fortuna Guilelmus Notariũ primo in curia, post modũ gradatim Cancellariũ, ac demũ magnũ regni Admiratũ instituit, & ad opes maximas prouectũ longe supra cæteros regni proceres amore prosequebatur. Quib. hic opibus licentiaq; abutens, nihil crudelitatis, nihil violentiæ, vt aliquid ageret, prætermittebat. Ingeniũ illi ad omnia versatile, cui facundia nõ dispar, atq; simulãdi & dissimulandi quæcunq; vellet, facilitas inerat. In Venerẽ præceps, stupro virgines fœdare laudi sibi ducebat: tantoq; se clariorem existimabat, quanto splendidiores cõcubitus quacũq; ratione assequi potuisset. Is itaq; cum iam totius regni administrationem haberet, Regemq; (qui cũ solus regni negotia, cęteris proceribus exclusis, tractabat) quo vellet, attrahere posse confideret: in regnandi cupiditatẽ plapsus, quo facilius voto potiretur, Hugonẽ Panormitanum

mitanum Archiepiſcopum (ſummæ induſtriæ, factioniſq; cuiuſuis virum) perfidiæ ſocium ad ſe pellexit. Huic cum mentem in parte quidem aperuiſſet, dominãdi tamen auiditate diſſimulata, paucis perſuaſit, vt amoto Rege ignauo atque inutili, vna impuberum Regis filiorum tutelam ſubeant, regnumque pueris ad pubertatis vſque annos incolume conſeruent. Quod cum inter eos conueniret, quo ſocietas firmiori vinculo ſtabiliretur, fraternum fœdus Siculorum more, & iureiurando contrahunt. Inita fraternitate Hugo Maionis opera in familiarem Regis admittitur, vt quod ipſe Regi ſuggereret, Hugonis teſtimonio confirmaretur. His conſpirationis initiis iactis, proceres quoque, qui ei ad facinus obeſſe potuiſſent, de medio tollere operæpretium duxit. Erant eo tempore inter proceres Robertus Comes Loricelli, Regis conſobrinus, Simon Policaſtrenſis Comes, & Eberardus Comes Squillacenſis. Ex horum pernicie ſceleris ſui primitias auſpicari Maio deliberat. Interea vero Rex Meſſanam primo, atque inde traiecto freto Salernum proficiſcitur. Quo cum Robertus Lauricelli Comes confeſtim, velut & cæteri proceres & affines aulici, ad Regem viſendum conueniſſet, Maio aduentu eius præcognito, ſic contra eum Regis animum immutauit, vt loquendi cum Rege illi copia negata fuerit: quo mœſtus iratuſque, retro diſceſſerit. Paucis vero poſt diebus Rex, cum Panormum rediiſſet, adeo immanes induit mores, vt praterquam Admirato & Archiepiſcopo acceſſum ad ſe nemini concederet. Interea cum ex Græcia Emanuelis claſſem Appuliam propediem inuaſuram fama percrebeſceret, omneſque & exteri & domeſtici, belli (ob ſuſpectam iam Maionis ambitionem) vndique timore trepidarent, Aſcorinus Regis Cancellarius, & Simon Comes magno cum exercitu & ad hoſtium impetum arcendum, & ad plebẽ in officio continendam in Appulia iuſſu Regis erant. Hinc Maio oblatam ſibi occaſionem non negligens, multis verbis Regi perſuaſit, Robertum Lauricelli Comitem (quem ſe a Rogerio Rege auunculo in vltima voluntate regno, ſi filius parum idoneus videretur, præfectum iactare mentiebatur) iam tum ad Imperium aſpirare. Cui niſi mature occurratur, facillime omnia in ſeditionem tranſuerſumque itura. Quocirca ex Regis conſenſu Aſcorino per certum nuntium mandat, vt Robertum Capuam Regis nomine euocet, deinde capiat, & demum ſub cuſtodia vinctum Panormum tranſmittat. Robertus, quem non latebat in tot ſuis de virtute & fide publica meritis Maionis fraus, etſi ab Aſcorino accerſitus Capuam petierit, vrbem tamẽ, in qua iam paratas ſibi eſſe inſidias cognouerat, ingredi noluit, ſed in Appuliam rediit. Verũ cum non multo poſt inter Aſcorini & Simonis Comitis milites ſuggeſtione Maionis, qui exinde cõtra Simonẽ maledicendi cauſam habere ſperabat, eouſque orta eſſet ſeditio, vt in Duces mutua quoque iam iniuria proreperet, Aſcorinus non tam vere quam hoſtiliter literis ad Maionem deſtinatis, Simonem omnium quæ ad eum vſque diem inter milites fuiſſent, diſcordiarum authorem fuiſſe accuſabat. Robertum quoque Lauricelli Comitem illius indicio paratos apud Capuam carceres euaſiſſe. nuntios inter ipſos crebro diſcurrere: latens inter eos ac periculoſum agitari negotium. qua cauſa deinceps ei minime credendum exercitum aſſerebat. His acceptis Maio, ſingula ita Regi acerbiora, crimen delatum etiam adiiciens, expoſuit, vt Robertum & Simonem iam conſpirationis reos rex pro certo haberet. Quod & facilius Regi perſuaſum eſt, quod eandem in conſanguineos affineſque omnes iam inde ab initio Principatus ſuſpicionem induiſſet. Hinc Simon Comes a Rege (alio in eius locum exercitus Duce ſubrogato) vocatus, vt comparuit, indicta cauſa captus carcerique addictus eſt. His geſtis Rex ita deinde Palatio ſe incluſit, vt nulli per multos menſes niſi Admirato & Archiepiſcopo aut verba aut vultum communicauerit. Quo factum eſt vt certis de eius morte rumoribus non modo per Siciliam, ſed per Appuliam quoque diuulgatis, Appuli in ſeditionem omnes abirent. Robertus quoque Lauricelli Comes pleraque maritima Appuliæ oppida occupauit. In regione etiam Neapolitana cuncta turbine ſunt oppleta. Robertus Surrentinus, qui hereditario ad ſe iure Capuæ Principatum pertinere aſſerebat, copiis adauctus, a Capuanis ſuſcipitur, & Principatu potitus eſt. Emanuel vero Conſtantinopolitanus Im-

perator, falsa mortis Regis fama audita, cum Roberto Lauricelli Comite spe recipiendæ Appuliæ fœdus iniit, classem, proceres, ac pecuniam ad eum Brundusium transmisit. Hæc vbi Panormi per certos nuntios diuulgata sunt, Admiratus continuo eos qui nondum a Rege desciuerant, literis Regiis suisque crebrius ad fidei constantiam, rebelliumque impedimenta hortatus, interea Panormi quoscunque poterat, sibi conciliare, animumque suum de cædendo Rege aperire pergit. Qui cum maturius id agendum censeret, ne forte crimine detecto capitis pœna cum omnibus coniurationis sociis plecteretur, essetque tum forte Panormi Gotfredus Montis Canosi Comes, virtute, militia, liberalitate ac consilio insignis, rerum nihilominus inter hæc nouarum non parum cupidus: hunc, quod opem eius plurimum in ea re necessariam sibi arbitrabatur, in odium anté indignationemque Regis coactum sibi conciliauit. Tenebat oppida hic in Sicilia Neetum, Sclafanum, & Caltanixettam: sed Neetum, quod & natura, & arte, & populi frequentia esset munitissimum, plurifaciebat. Hinc igitur Maio ad excitandam Regis apud Gotfredum inuidiam desumpsit occasionem. Cum nanque Regi persuasisset, vt Neetum a Gotfredo eriperet, & sibi pro tutela Regni deligeret, Comes iucundissima sede præter rationem spoliatus, id in Rege factum vti dolebat, ita & vlcisci statuit. Maio offensum ad se Gotfredum clam accersit, ac primum tristari se quam plurimum de amissione oppidi dicit: Regique ante factum pro iure, suæque probitatis amore se pluries obstitisse, ei iureiurando affirmat: hominis temeritatem atque insaniam illi damnat, odiosamque reddit. Demum breui futurum vaticinatur, idque audisse etiam se ex ipso Rege asserit, vt proceres nullos contingat in Regno superesse, qui non ab eo crudelitate etiam afficerentur, ni tempestiue & prudenter succurratur. Proinde de sceptro Regem stolidum ac Tyrannum tollendum, priusquam tantæ pestis exitio regnum tam fortiter propagatum, tantis maiorum titulis, totque ac tam præclaris victoriis illustratum, vnius huius hominis tyrannide corrueret. Gotfredus, patienter audito Maionis consilio, tametsi quo simulata eius verba tenderent, satis intelligeret, dissimulauit tamen, artemque arte ludendam inde concipiens, omnia hæc ab eo ipso pendere ingenue subiunxit: quod absque Admirati iudicio, nihil omnino Regem vel meditari vulgus persuasissimum crederet: eoque si culpa se asserere desiderabat, Regis ineptiis ac tyrannide palam significatis, non diutius ipsum toleraret, sed ad vindictam publicam, communi omnium odio ac consensu deposceret. Cui facile omnes obsecuturos, ac se omnium primum non defuturum concluſit. Placuit Admirato mirum in modum Gotfredi responsio. cuius primum prudentia simul & fortitudine laudata, vti fœderis socium amplexus osculatusque, mox Hugonis Archiepiscopi in idem mentem animumque, ac plurium aliorum procerum vnita consilia aperuit, qui perempto Rege Admiratum ipsum ad Regnũ euehendum statuerant. Tandem vero, quo animum eius exploraret potius, quam quod ex animo id cogitaret, se tantæ moli imparem imbecillitatis conscientia subintulit: satiusque ducere vt Regis filius patri subrogetur. Gotfredus, quem nec in his versutia hominis fallebat, ex composito respondit: Proceres nunquam passuros vt Tyranni filius regnet, qui nõnisi paternæ impietatis hæres esse posset. Sibi porro in tanta rerum mole tutius videri, vt ipsi Admirato, qui iam non minus quã Rex ab omnibus & venerari & coli cœpisset, Regia conferatur dignitas. Quibus auditis tum demum aperte Maio id futurum quidẽ aiebat, si rem ipse totis viribus amplecteretur. Tum Gotfredus omne suum ad hoc studiũ, auxiliũ, vires ac artes spondet, & quo prę gaudio lachrymantẽ hominẽ, ac labantẽ eius animũ firmiorẽ redderet, seipsum quoq; iureiurando adstringit. Sed longe illi a promissis aliena mens erat: quippe quod indignum, turpe, miserumque censeret, venditoris olei filium ad regnum euehi. Sed id porro Gotfredi erat consiliũ, vt quam primum Maio Regem occidisset, ipse statim cum suis in homicidam, tanquã mortis Regiæ vltor, irrueret, Regisq; filiũ natu maiorẽ, patri substitueret hæredẽ. Hanc Gotfredus aduersus Maionis dolos fraudem meditatus, plurimum illi interim blandiebatur, rogans subinde ne tam præclari facinoris gloriam mora minueret. Sed vbi Gotfredus segnius eum videt rem gerere,

gerere, de fidei suæ apud eum suspicione iam tum addubitans, conuerso a morte Regis consilio, in Maionem tendit insidias, quem vel in præsentia Regis, si aliter fieri non possit, sibi destinat interficiendum. ad quod facinus confœderatos habebat Simonem Sagrensem, Rogerium filium Riccardi, & plures alios Proceres, factiososque milites plurimos. Igitur die quodam in Palatium Admirati percussores ingrediuntur. Sed cum e vestigio triremes ad portum ex Callipoli Appuliæ vrbe aduenisse intus significatum esset: nuntii nouitate militum animos ab incepto absterrente, Admiratus fortunæ beneficio liberatus est. Gotfredus veritus ne si forte Maio milites introductos vidisset, in suspicionem conceptæ contra se cædis deueniret, ad rem ex tempore excogitata astutia, suspicionem præuenire cogitauit. Factum igitur omne ei ex ordine fingit, non quod ad eum, sed vt ad Regem de medio tollendum, milites in arcem introduxisset: & ni Callipolitana classis superuenisset, Regem proculdubio eo die fuisse interiturum narrauit. Vix Gotfredus verba finierat, cum domestici Maioni suggerunt, Gotfredum armatis cum militibus eum interfecturum in Palatium iam ingressum fuisse. Quos ipse reiecit, & ex mandato suo, & contra Regem, & non contra se eas insidias aduenisse respondit. Dum his rumoribus Sicilia turbabatur, Bartholomæus Garsiliatus militibus instructus a Rege descisens, Buteram oppidum sibi occupat. Quod cum prærupti montis (ad cuius verticem situm est) beneficio munitissimum esset, seditiosi complures ex agris finitimis eo confluere, omnia prædari, loca vicina populari, & cum plerisq; factiosis primoribus insulæ contra Regem coniurare cœperunt. Quod vbi Rex cognouit, Eberardum Comitem probatæ ac incorruptæ virum fidei ad eos Legatum misit: qui ab incepto eos promissa venia reuocaret. At illi se contra Regem nihil moliri responderunt: sed eo consilio id tentasse, vt Maionis Admirati, & Archiepiscopi Hugonis coniurationem in Regem, regnique in Maione ambitionem detegerent. quod si Rex de proditoribus supplicium sumeret, ad pedes Regios se Panormum venturos promittunt. Hæc omnia Eberardus fideliter, vti acceperat, Regi retulit. Verum Guilelmus Rex etsi primum atrocitate rei attonitus, in coniuratos indignatum se ostendisset, mox tamen eum sibi mortem attentare, quē ipse ex infimo ac ignominioso fortunæ statu ad tam splendidum ac summum nitorem, florentissimumque iubar euexerat, immane & fide indignum ratus, Eberardi verbis atque authoritati derogauit, & penes Admiratum fides stetit. Hinc Maionis in Eberardum atrox exarsit odium, sed sagaci dissimulatione in idoneum tempus vltionem differebat. Interea Gotfredus Comes, relictis per sua oppida præsidiis, Buteram & ipse transfugit. Quod vbi Panormi percrebuit, tota ciuitas contra Maionem in seditionem efferbuit: Comitē Simonem iniuste carceri addictum, submissis vocibus, ac commixto murmure deposcunt. His Admiratus consternatus, vbi non iam facile plebis tumultum aliter compesci posse videt, Simonem iussu Regis de carcere extrahit. Quo liberato statim ciuitatis status ita immutatus est, vt cum eo tranquillitas omnis reddita videretur. Post hæc cum Buteræ seditio in dies inualesceret, & acrius vrgeret, qua facillime tota Sicilia breui ad hostes defectura præuidebatur: Rex Simonem Comitem secum ducens, contra Buterā exercitum mouet, oppidum obsidet, ac totis viribus oppugnat. Sed cum neque expugnari, neque ad deditionem flecti posset, tandem consilio Simonis Squillacensis Comitis res eo deducta est, vt Gotfredo Comiti & sociis extra regnum facultate libere abeundi concessa, Rex Buteram oppidum receperit. Hac factione in Sicilia sublata, paucis post diebus Gotfredus Messanam proficiscitur, in Appuliam traiecturus: quo tempore Ascorinus Cancellarius ad Regem veniens, Maione instigante Simonem Comitem nouis criminationibus adeo apud Regem oppressit, vt confestim inauditus in carcerem detrusus, paucis post diebus interierit. Mortuo Simone, Gotfredum, qui cum sociis ad transfretandum iuxta cōuenta cū parata naui Messanæ morabatur, a traiectu Rex impedit, ac diligenter sub custodia vsque ad suum reditum obseruari iubet. Deinde magno cum exercitu traiecto freto Brundusium, ibi cum Cōstantinopolitanis militibus, qui eo a Roberto Lauricelli Comite euocati aduenerāt, dimicaturus venit. vbi Græcis bellum detrectā-

tibus, vel ob id quod Roberti copiæ nondum eis auxilio aduenerant, Rex prælium contra inuitos suscipiens, licet principio quidem ancipitem pugnam experiretur, impares tamē numero & viribus Græcos fudit cæciditq; : quorum partem cū Ducibus Panormum transuehi imperauit. Rex ea potitus victoria, cōtra Barum oppidum, quod ab eo iam desciuerat, & arcem Regis oppidani demoliti fuerant, exercitum transfert. Barenses sese inferiores regiis copiis confessi, depositis armis inermes victori occurrunt, veniam precantur. Rex itaq; vrbem ingressus, vbi arcis suæ ruinas conspicit: Iusto (inquit) iudicio vobiscū agam, vt sicuti vos domui meę non peperciſtis, ita nec me vestris parcere æquum sit. Atq; ita duorum dierū spatio eis cum omni supellectili libere abeundi concesso, funditus vrbem deleuit. Barensis excidii fama Robertū Loricelli Comitē, aliosq; proceres qui a Rege desciuerant, adeo perterruit, vt relictis oppidis quæ possidebant, extra regni terminos suæ saluti consuluerint. Quos imitatus Robertus Surrentinus, qui sibi Capuā occupauerat, in traiectu. fl. Aquilæ a Riccardo Comite, qui & ipse defecerat, præter fidem datam captus, Regique traditus, non multo post Panormi oculis ab Admirato est priuatus. Quo facto Riccardus etsi a rege rebellionis veniā promeruerit, proditoris tamen infamiam non effugit. Guilelmus Rex hostibus Græcis & domesticis in Appulia deuictis, rebusq; in ea parte fœliciter gestis, Panormum redijit. Vbi Gotfredum Comitem Maionis suasu oculis orbatū perpetuo carceri addixit. Sed & Simō Squillacensis Comes, qui Policastri remanserat, a Rege Panormum in capitis pœnam euocatus, in ipso itinere fœlici morte decessit. Guilelmus Alesinus, Boemundus Tarsensis, Robertus Bouēsis, Tancredus præterea, ac Guilelmus Rogerii Ducis ex nobilissima pellice filii, & plures alii proceres in Palatio Panormi in compedibus tenebantur: quorum aliquibus excæcatis, pleriſq; contumelioſe flagellatis, cæteros teterrimis in locis Admiratus detruserat, suæque libidini deseruire coegerat. Neq; his eius animus quiescebat dum Eberardum Comitem supereſſe videret incolumem: cui cum nihil criminis imponi posset, ex calumniis occasionem prodendi eum cœpit. Cum namq; aliquando Eberardus cum paucis venatum exisset, Admiratus eum actionis calumnioſæ causa satis accommoda amplexus, confestim Regem adit, Eberardumque cum multitudine militum vrbe absque Regis consensu recessisse, pro desciti onis manifesto argumento insimulat. Quare cōtinuo nuntiis a *Rege* missis reus ab itinere reuocatus in vincula coniicitur, nec multo post effossis oculis lingua etiam priuatur. Maio itaq; viris fortibus ac proceribus omnibus, qui sibi impedimento potuissent esse, iam subactis sublatisq;, ad maturandum facinus, quod necessitate ductus distulerat, tuto accingitur: prius tamen populum sibi largitionibus, muneribus, dignitatibus, quo sibi contra nobiles, & ad regnum occupandum fauerent, conciliare pergit. Simonem Seneſcalcum sororium suum toti Appuliæ & Neapolitanæ regioni præficit. Stephanum quoque germanum fratrem classis Præfectum ac Admiratum instituit. Ipse interim indigentibus multa largitus, facilemq; se omnibus præbens, ac legatos vndecunque venientes humaniter excipiēs, milites bello strenuos Italos, Longobardos, ac Francos, quorum opera ad facinus peragendum satis indigebat, ad se allicit. clericos etiam magnis honoribus beneficiisq; euehit. Interea *Robertus* Loricelli Comes, qui extra Appuliæ fines secesserat, Appuliam crebris incursionibus populabatur. Quo *Rex* exercitum mittere coactus, victoriaq; potitus, hostes plures, & cum eis copiarum Ducem *Riccardum* Mandra & Episcopum Theatinum cepit, Panormumq; deductos ad supplicīū pertraxit. Per idem quoq; tempus inter Emanuelem Constantinopolitanum Imperatorem & Guilelmum *Regem* fœdus hac lege initum est, vt hinc inde captiui redderentur. Quo facto, omnibusq; iam hostibus deuictis, Maio cunctas difficultates superauerat, & non modo Admirati, sed *Regis* etiam dignitate tuto fungi videbatur, omnesque Guilelmi iam ineptias, insanias, ac tyrannides non clam, vt ante, sed palam traducebat deridebatque. Quod si durius quid eis, prout cætera omnia, *Rex* præcipiebat, ipse confecto edicto id sua quasi authoritate reuocabat, quo plebis animos ad se a *Rege* pelliceret. Circa ea tēpora cum Africam vrbem (quam Mahdiā Sarraceni appel-

appellant, quamque Guilelmus *Rex* a *Rogerio Rege* patre captam adhuc tenebat) Abdul Mumen *Rex* Marocci, magno secum Mamudorũ Sarracenorũ, qui Atlantis montis & Marocci regiones incolebant, comparato exercitu durissime terra marique obsideret, classem centum sexaginta triremium, cui Gaytus Petrus Eunuchus (nomine quidem & habitu Christianus, animo vero ac re Sarracenus) præerat, ex Hispaniis reuocatam contra *Rex* emisit. Abdul Mumẽ *Rex* inopinato Christianæ classis aduentu perterritus, intra castra coegit exercitum, classem vero sexaginta triremium in terram subduxit. Quod si Christiana classis primo appulsu ex vno latere, obsessi vero portis effractis ex alio latere in Mamudos, vt rei militaris vsus suadebat, irruissent, victus proculdubio fususque Sarracenorum cessisset exercitus. Sed contra accidit. Nam Petrus Sicularum triremium Præfectus certam Christianis victoriam inuidens, vltro, cum victor esset, in fugam cũctis stupentib. conuersus, vela dedit ventis. Quem cum cætera classis vt inuita, ita & ægre secuta esset, Sarraceni de proditoris dolis iam facti certiores, triremibus illico in mare coactis, fugientes insecuti, septem triremes e nostris capiunt, cæteris fœde ac turpiter in Siciliam fugatis. Hæc victoria sicut Sarracenorũ animos extulit, ita Christianorum militum, qui vrbis præsidio erant, fiduciam plurimum deiecit, cum pauci essent, & commeatus etiam inopia premerentur. Verum cum veterani, bello strenui & inexpugnabiles essent, nihil eorum quæ in tanto rerũ discrimine virtus potuit, omiserunt. Nam non solum acerrime Sarracenis obsistebant, sed & vrbe frequenter egressi nonnisi multa hostium strage edita intra mœnia se recipiebant. Quorum fortitudo inuicta Abdul Mumenum Sarracenorum *Regem*, iam consumptis quę ad expugnandam vrbem erant necessaria, ad obsidionem soluendam impulerat, nisi per transfugam quendam obsessis alimenta omnia deficere, ac iam tum ad equorum, canum, aliorumque immundorum animalium ingluuiem, peruasisse inopiam cognouisset: atque ita mutato consilio, Christianos omni via, eorum etiam ipsis propositis incommodis, ad deditionem, ac ad dupla etiam, si vellent in Africa manere, stipendia, inuitare cœpit: quod si etiam in Siciliam redire mallent, liberum eis, concessis etiam ad id nauigiis, traiectum pollicitus. His auditis Christiani milites ad deliberandum triginta dierum inducias impetrauere, atq; in eo temporis interuallo missis ad Guillelmum Regem Siciliam Legatis, si auxilia non haberent, deditionem se facturos promiserunt. Itaque missis Panormum eorũ nuntiis, vrbis periculum & famem extremam exponunt, suppetias aut frumentum saltem ad tolerandam obsidionem poscunt. Sed Maio, qui falso *Regi* persuaserat se satis frumenti ad vnius anni commeatum Africæ vrbi transmisisse, palam maiores sumptus toto anno *Regi* Africam, quã omne regnum emolumenti præbere querebatur. quod si ea ab hostibus caperetur, nihil mali *Regem* passurum, sed potius lucrum. Ita igitur inauditi supplices ad Africam redierunt. *Reuersis* igitur absque re frumentaria legatis, cum Christiani milites famem diutius sufferre nequirent, ad pactum diem, prout conuenerant, vrbe Abdul Mumeno *Regi* tradita, in Siciliam cum largitis ad transfretandum a Sarraceno *Rege* nauigiis traiecerunt. Interea cum nefaria Maionis regnandi cupido atque coniuratio eo processisset, vt diadema aliaque regni insignia, quæ sibi ad rem parauerat, multis palam etiam ostenderet, nec quisquam tamen tam apertam machinationem *Regi* detegere auderet, vel ob id quod non modo id non persuasum iri, sed & quantum discriminis Eberardo Comiti, aliisq; aliquot proceribus contigisset, certo sciebant: indignitas rei omnium mentes ita aduersus Maionem commouit, vt Proceres plerique in Appulia communi cõsilio, quod palam nõ possent, id clandestina in Maionis mortem coniuratione anniterentur. Erant hi Ionathas Comes, *Riccardus* de Aquila Comes Fundanus, *Rogerius* Acerranus Comes, Gilbertus consanguineus *Reginæ*, quem *Rex* nuper ex Hispania aduocatum Grauinæ Comitatu donauerat. Marius quoque Burellus vir disertissimus, Salerni ad populum habita oratione, ad idem iureiurando promittendum plebem adegit. Tum multi alii toto regno nobiles, ciuitatesque & oppida, cũ eis fœdere & sacramento se adiunxerunt. Cæterum Andreas de *Rupecanina* exul cũm cõgregato exercitu Aquinum, Sanctum

Germanum, & quædam alia Regis oppida sibi occupasset, paulo post ab oppidanis, qui sponte eum receperant, circumuentus, mortis periculum vix euasit. Melfenses præterea excitati decreuerant nulli deinceps Maionis mandato parere, nec in sua vrbe Præfectum, quem idem Maio aut militibus aut regionibus præfecerat, recipere. Tota igitur Appulia his rumoribus æstuans in Maionem coniuraverat. Sicilia sola quiescebat: quippe quod in ea Procerum nullum Maio reliquisset, cui ad tam arduum facinus aggrediendum animus supereſſet. Nam Comes Syluester, Rogerii primi Siciliæ Comitis ex filio nepos, etsi Apulorum probaret consilium, quibus etiam sacramento sua auxilia in actione promiserat, domi tamē delituit, ne vel minima suspicione notaretur. Rogerius quoque Erconensis Comes, cuius filiam Maio constuprauerat, iniuriæ suæ vindictam patienti dissimulatione in opportunum tempus reiecerat, aut aliis reseruabat. Maio vbi contra spē suam Procerum vires in Appulia in immēsum crescere animaduertit, Amalphiam primum, Surrentum, Neapolim, deinde Tarentum, Hydruntum, Brundusium, Barulum, vrbes maritimas, quæ nōdum aperte desciuerant, per literas Regias monet vt in fide perstent, neque Comitum ac proditorum rumorib. aurem præbeāt. Sed cum eo res deuenisset, vt Regis literas, quas non Regis, sed Maionis proditoris & manu & consilio scriptas esse persuasissimum habebant, nemo susciperet: vana hæc illi in scribendo solicitudo fuit. Proinde cum ea via nihil proficeret, Stephano germano fratri in Appulia Præfecto scripsit, vt duplicata stipendiorum largitione, ac lucri studio, milites ad obsistendum Roberto cæterisque Comitibus inuitaret. At cum Simonem Seneſcalcum in quoddam munitissimum oppidum se Comitum metu recepisse cognouisset, seneſcentibus iam malis alia via incedendum ratus, Mazariensem Episcopum Melphiam ac in Appuliam Legatum misit: cuius authoritate Appulorum animos in officio continere posse sperabat. At ille non modo eorum indignationem non compescuit, sed cum peiora de Maionis proditione & vitiis, quam illi audierant, deferret, auxit etiam iras, permouitque ad acerbiora. Interea cum Calabria quoque, cuius antea fides incōcussa semper extiterat, Appuliæ procellis agitari cœpisset, ea res Maionis terrorem vltra modum exasperauit. Quocirca de idonea Legatione, qua principiis hisce obsisteretur, apud se statuendum mature censuit. Erat ei gener Matthæus Bonellus genere Siculus, nobilitate insignis, multorum oppidorum Dominus, affinitate cum pluribus Calabriæ proceribus coniunctus, integræ apud omnes opinionis, militia vltra quam ętas exigeret, strenuus, qua magnum iam inde sibi nomen pepererat: sed inconstans animo, cui adolescenti Admiratus, quod eum non secus quam filium diligeret, filiam suam adhuc paruulam desponsauerat. Is vero cuiusdam Regis Rogerii ex pellice filiæ, quę Hugoni Molisino Comiti nupserat, forma captus, desponsatæ sibi ab Admirato virginis, eo quod ignobilis esset, cœperat nuptias abhorrere. Quod cum Admiratus resciisset, Palatium Comitissæ diligentius custodiri præcepit, ne si ad eam aditus amatori fieret, filia sua repudium pateretur. Quæ omnia tacite eundem Matthæum offenderunt. Cum tamen immutatæ voluntatis indicia nulla in eo animaduertisset, Maio hunc vnum ad tam arduum negotium deligens Legatum, ad Calabros misit. Matthæus susceptо legationis officio Calabriam traiecit. Cæterum dum ibi populum indicta concione, aduentus sui causa expositа, ad Maionis innocentiam tuendam miro lenocinio perducere nititur: Rogerius Marturanus magnæ eo tempore authoritatis in Calabria vir, omnium qui aderant nomine ei respondit: Se satis mirari Matthæum Bonellum, virum alioqui & genere claro, & virtute insigni præditum, Maionem insontem asserere, quem palam omnium voce Regis proditorem esse constet: quinimo econtra, ipsum vti Regis fidum familiarem decere, Principis sui decus vindicare, vitam tueri, ac demū proditorem de medio tollere. His & id genus aliis artificiosis prolixisque sermonibus Matthæus Bonellus pertractus, ab officio susceptо ad communem sententiam reductus, Maionem certo die se interfecturum Rogerio, aliisque qui aderant proceribus sacramento pollicitus, recessit. Nec minus interea de Rege interficiendo Admiratus solicitus tenebatur. Verum cum iam dies facinori dictus instaret,

atque

atque ipse de more cum Hugone Archiepiscopo de amouendo rege, de filiorum eius custodia, de seruandis thesauris, qui ingentes erant, de sedandis populi rumoribus consilia capiunt: tandem de thesaurorum puerorũque custodia, quos vterque vti sibi debitos penes se esse volebat, contentio oritur. Iamque in longum protracta controuersia cum neuter alteri cederet, Admiratus tandem Archiepiscopo fœdum in Regem propositum prætexens, iam se incepti facinoris pœnituisse dixit. Hugo, etsi hæc ex animo Maionem non fuisse locutum suspicaretur, assensum præbuit, conspirationemque dissoluere simulauit. Maio deinde Reginam, vt ab Archiepiscopo vncias auri septingentas extorqueret, induxit. Quo cognito, Archiepiscopus tantæ iniuriæ vindictam contra Maionem suscipiendam statuit. Atque ita qui fraterno modó erant fœdere astricti, nunc alter alterius morti clam inhiant. Admiratus illum veneno, Archiepiscopus hunc plebeio furore, ob inceptũ contra regem facinus, extinguere tentat. Sub idem tempus Nicolaus, qui in Calabria Regis loco præsidebat, coniurationem Matthæi Bonelli Maioni longo ordine perscribit. Quod etsi primum ob summum, quo Bonellum prosequebatur, amorem, non credidisset, postmodum vero plurib⁹ fide dignis identidem sibi referentibus (etsi ægre) fidem tandem adhibuit, atque Bonellum vlciscì omnino deliberat. Interea Bonellus e Calabria reuersus Thermas oppidum, (quod Panormo. 24. p. m. abest) appulerat. Vbi cum ex milite quodam probatæ sibi fidei, quem Panormi reliquerat, Maionis in se conflatum ac ardens odium didicit, callide statuit non prius Thermis abscedere, quam Admirati mentem explorando præleniret. Proinde per literas & nuntium, sedatas esse sua opera Calabriæ seditiones, Maionem certum reddit: Proceres omnes, & imprimis Rogerium Marturanum, amicissimos ei factos, atque ad peragendum quicquid ipse præciperet, paratos. Rogatque vt pro tantæ rei beneficio, & tristi belli principio ad lætos exitus a se perducto, redeunti filiæ suæ nuptias, quas tanto tempore distulerat, paret, & promissi coniugii gaudiis venientem excipiat. Quibus literis allectus Maio sententiam mutat, non verisimile ratus eum, qui filiæ suæ nuptias expetebat, mortem socero moliri: atque in eos qui Bonello crimen impegerant, irritatur, eique rescribit vt semoto metu Panormum veniat, voti ac desiderii compos futurus. Itaque Bonellus vbi Panormum venit, ab Admirato benigne susceptus est. Subinde clam Hugonem Archiepiscopum febribus correptum adit, eique quid in Calabria cum Proceribus tractasset, aperit. Ille vt rem acceleret, admonet, vrget. Is vero nullius admonitionis indigus, facinori perpetrando nonnisi tempus idoneum quærit: nec occasio quæsita sibi defuit. Nam cum decumbenti Hugoni Admiratus venenum propinari iussisset, & ille fraude suspecta non absorpsisset, miratus Maio quod tardius moreretur, idque ex potionis exilitate euenisse ratus, cicutam multo præsentiorem parat: quam secum deferens, horam diei circiter vndecimam Archiepiscopum domi visit. Erant autem eius ædes, quæ mea ætate in cœnobium diui Francisci monialium translatæ, inter templum maximum & Papyritum amnem sitæ, Abbatiæ nouæ vulgo nomen retinent. Igitur Maio ægrotantis grabato propius assidens, dum de statu suo eum rogat, celerrime incolumitatem eum adepturum, si pharmacum nunquam ad eius ægritudinis genus non probatum remedium coram eo diligẽtissime paratum, accipiat. Archiepiscopus suspectum eum habens, ad hæc, tanta se corporis sui debilitate teneri, vt non sine sui maximo periculo iterum pharmacum etiam per medicos decretum sumere possit, respondit. Interea in tantum temporis eorum colloquia processere, vt sol iam occiderit. Tum Archiepiscopus nuntium Matthæo Bonello mittit, qui tempus patrandæ rei iam aduenisse nuntiet, milites suos clam paret, paratos disponat. se interim Maionem variis sermonum ambagibus detenturum, dummodo ipse vt vir fortis agat. Bonellus accepto nuntio nihil moratus, in penitiorem domus partem militibus conuocatis, rem conceptam aperit, patriscque hortatur vt omni metu periculoque vacui, ad facinoris tam egregii gloriam forti animo se accingant. At milites longa oratione nihil indigentes, quippe quos ad rem peragendam & fides data adstrinxerat, & Maionis dudum

incen-

incenderat odium, ac lucri a Matthæo promissi spes ardentissime inflammauerat, nihil detrectarunt. Horum itaque plures in via cooperta ac testudinata, ab Archiepiscopi ædibus ad Regis vsque palatium protensa, qua Maionis fuga timeri poterat, per congrua loca disponit. Deinde viam qua ad suas erat transiturus ædes, (quæ illæ, vti existimo, sunt quas ætate mea Georgius Bracchus inhabitabat) occultis præmuniuit insidiis, nec cæteras plateas angiportusque, nequa fugere posset, segnius obseruandas curauit. Turbæ quoque quæ Maionem sequi debebat, quosdã immiscuit: ipse vero cum paucis ad portam vrbis quæ Sanctæ Agathæ de Guilla eo tempore dicebatur, quæque hodie ampliata ea parte vrbe nulla est, exeuntem ab Archiepiscopo Admiratum præuenire proposuerat. eum nanque locum, quod ibi via plurimum coarctata deinceps sese in triuium diuidebat, insidiis maxime opportunum iudicabat. Interea cum inter Hugonem & Maionem tunc suis sermonibus hic amorem suum curamque, quam de salute ægroti non minorem quam de sua habere iurabat: ille commendando amicum, laudandoque, ac morbi periculum querendo, iam pluribus horis pertractis, in multam noctem consedissent: Admirato tandem, infecta re quam proposuerat, ne importunior esset, visum est discedendi tempus. Abeunte itaque illo Archiepiscopus fores diligenter obserari iussit. Ille vero obequitans cum Episcopo Messanẽsi, qui ei a latere proximus equitabat, cum prope locum insidiarum in viæ angustias incidisset, a Matthæo notario patria Salernitano, & in familia a votis, & Adenolfo a cubiculis, (qui vix sequẽtem multitudinem perrumpentes ad eum peruenerant) Matthæum Bonellum in paratis insidiis cum militibus esse didicit. Quo nuntio perculsus Maio primum constitit, mox resumptis animis, Matthæum ad se edita voce accersiri iubet. Bonellus, vt sua consilia detecta conspexit, ex insidiis prosiliens, stricto gladio in illum subito impetu ferox superuenit: Coram (inquiens) o proditor, quem requiris, adsum, sceleribus tuis finem impositurus, qui vno simul ictu in te tam Admirati quam Regis adulterũ nomen abradam. At Maio etsi in re tam subita animo prorsus deiiceretur, primum tamẽ ensis ictum in alteram defluens partem euasit, ac irritum fecit. At Bonellus vehementiori impetu in eum iterum irruẽs, frustra orantem, generique fidẽ implorantem, percussit. Ille accepto letali vulnere humi confossus corruit occubuitque. Qui in eius comitatu erant, simul & Episcopus Messanensis, cæso Admirato, qua quisque potuit, diffugerunt. Matthæus quoq; notarius vix inter noctis tenebras grauiter vulneratus effugit. Bonellus eiusque milites, re prospere & ad votum patrata, cum incertum haberent quo id factum animo Rex esset accepturus, Panormo ipsa nocte profugi, Caccabum, quod illius erat oppidum, peruenerunt. Cognita Maionis morte, tota ciuitas in gaudium supra quam scribi possit, effusa, tunc primum apertum in Maionem odium declarauit. Guilelmus Rex ingenti ea nocte insolitoque ab arce plebis tumultu excitus, quid nouitatis in vrbe accidisset, mirabatur. Cui Oddo stabuli Magister rem omnem ordine nuntiauit. Indignatus est quidem prima fronte Rex, non tamen sine prodi-
tionis, cuius ille insimulabatur, suspicione, quam ad se prius deferri debuisse querebatur. Margarita vero Regis vxor, quæ plurimum Maioni tribuebat, impatientius molestiusq; eius mortem ferens, in Bonellum eiusq; socios vehementer exarsit. Interea Regis iussu delecti sunt milites, qui Admirati domum custodirent, & vrbem tota nocte peruigiles, nequid seditionis inter ciues oriretur, percurrerent: euitari tamen non potuit quin in propinquorum affiniumque Admirati domos plebs irruens, obuia ibi quæque deprædaretur. Illucescente vero, Rex Henricum Aristippum Catanensem Archidiaconum, Latinis & Græcis literis satis eruditum, familiarem sibi delegit, qui vicem & officium Admirati interea gereret, præesset-
que notariis, & cum eo de Regni negotiis pertractaret. Is igitur & Syluester Comes cum fraudem doloſque Admirati Regi ordine narrassent, animũ tamen eius erga Bonellum mitigare non potuerunt, nisi inuenta postea in eius thesauris Regia diademata scelerum eius fidem indubitatam fecissent: per quæ tum demum Rex se ab Admirato deceptum liquido comperit. Proinde re comperta eodem die e vestigio capti sunt vterque Stephanus, Maionis alter filius, alter germanus frater,

cum

cum Matthæo notario, quo plurimum vtebatur familiariter. Translati quoq; sunt ad arcem Regiam thesauri quotquot in proditoris domo sunt inuenti. Andreas Eunuchus, & plerique alii tormentis acti, multa fraudis publicæ indicia deposuere. Stephanus quoque eius filius in carcere minis adactus nihil iureiurando scire se affirmauit, nisi Episcopum Tropensem mutuo a patre trecentas auri vncias accepisse. Accitus Episcopus nõ modo eas, sed & tarenorum septuaginta milia a Maione recepta Regi restituit. Post hæc iussu Regis Caccabum ad Bonellum missi sunt legati, vt omni metu depositio Panormum properet: Regem nanque Maionis mortem post deprehensa eius facinora acceptam habuisse. Bonellus etsi in rege parum confideret, plebis tamen & procerum fauore fretus, militibus instructus Panormum ausus est venire. Vrbi appropinquantem, viri ac mulieres turmatim magno applausu, ingentique gaudio, veluti patriæ ac Regis liberatorem excipientes, ad Regem perduxere. A quo benigne ac pristina beneuolentia susceptus, eadem quoque populi frequentia domum adductus est. Atq; ita malefici hominis digna occisione non modo in Sicilia, verum & tota Calabria, & Appulia, & Campania, adeo sibi plebis procerumq; animos conciliauerat, vt eius vniuersi virtutem ac audaciam cum admiratione extollerent, ac a Rege rebellandi voluntatem omnem penitus abiicerent. Siculi vero, ac Panormitani præsertim, adeo eum venerabantur, vt palã edicere non vererentur, sese etiam aduersus Regem, si ob Admirati cædẽ in eum seuerius animaduertere præsumpsisset, arma sumpturos. Interea cum Hugo Archiepiscopus longa fatigatus ægritudine mortem obiisset, cuius ope & consilio Bonellus plurimum valebat, Eunuchi Palatii, qui machinationum Admirati in Regem & conscii & participes fuerant, potentiam Bonelli suspectam habentes, omnibus artibus in id incumbebant, vt Rex aduersus eum concitaretur. Freti itaque Reginæ consilio, Guilelmo suggerunt, Bonellum viribus & fauore non modo Siciliam, ac proceres omnes qui Regem offenderant, sed & Appuliam & Calabriam omnem iuramento occultisque fœderum legibus obstrinxisse, vt Rege sublato in libertatem omnes assererent: & nisi prouide succurreretur, quocunq; feruor animi, cupiditas gloriæ, & populi impetus traheret, eo grassaturum esse eum, qui iurisiurandi & affinitatis iure posthabito, Maionem socerum suum prodiderit & interfecerit, virum vtique innocentem, magni consilii, Regis deniq; dexteram. Tum falsa esse confirmabant quęcunq; ipse eiusque socii aduersus Admiratum confinxerant. Nec Maionem inuenta in thesauris suis diademata sibi parauisse, sed Regi, quæ Calend. Ianuarii pro strenis iuxta morem ei transmitteret. Proinde a Matthęo Bonello tot fœdera, tot societates non in Maionis solum exitium initas, sed alio etiam tendere, maius quoddã ambire, altiusque conari eius consilium. Hæc & huiusmodi alia ab Eunuchis frequenter inculcata, Regis animũ ita contra Bonellum immutarunt, vt neque iam amplius inter familiares eum admitteret, neque Maionem alia de causa ab eo interfectum Rex crederet, nisi vt liberius cum sociis quod secum statuerat, exequeretur. cuius tamen vindictam, dũ tepesceret populi feruor, differebat. Interim nihilominus sexaginta tarenorum milia, quos curiæ ex sponsione pro receptione sui patrimonii promiserat, ab eo repeti iubet: quorum solutionẽ Admiratus genero parcens clã Rege eousque distulerat. Itaque Bonellus inopinata repentinaque debiti veteris exactione percussus, simulque videns solito rarius ad Regem se vocari, ac ne pro more admitti, dubitabat quid hæc nouitas portenderet. quem & scrupulum auxit, quod Adenulphum Camerarium Maionis plurimum apud Regem posse, & tam hunc quam alios hostes suos, insolentius apertiusque quam consuetudo pateretur, odium in sẽ exercere videbat: quæ aut sine consensu, aut sine instinctu Regis fieri persuadere sibi non poterat. Nam eo furoris & audaciæ iam processerant, vt Philippus Maufellus Adenolphi nepos, cum militibus armatis viam marmoream noctu perambulans, a plerisque visus fuerit domum Bonelli, quæ in eo erat vico, serius pertrãsire. Quod vbi Bonellus pro certo cognouit, sequenti nocte milites suos & circa suam, & circa Adenolphi domum per viam coopertam vsque ad portam Yhalgæ ita disposuit, vt nullo metu se teneri, & æmulorum se nõ ignorare consilia ostenderet.

ret. His igitur aliisque compluribus rerum indiciis de voluntate erga se Regis certior, sibi mature prouidendum censet, antequam deliberandi libertas sibi inuito auferatur. Matthæo de Sancta Lucia consobrino, multisq; aliis Siciliæ proceribus, qui literis eius acciti Panormum conuenerant, omnes suas molestias ordine retulit, iamque se Eunuchorum odiis lacessitum, a Rege etiam ad veteris debiti solutionem vrgeri, a quo conseruatæ salutis præmium expectabat: rogans eos per fidem amicitiæ, fœderisq; nuper inter eos firmati religionem, ne ei, qui pro salute Regni nihil periculi detrectauerit, de sua salute periclitanti desint. Admonuit etiam mature capiendum esse consilium, vt hostium dolos, Regisque deliramenta præcaueant. Si quidem vnius fuerint animi, omnem fortunam communi velint constantia sustinere, nunquam a se plebis animos, nunquam militum gratiã defecturam, ac denique nil eis præter sententiam cessurum: sin vero dissimulando subterfugere quisq; maluerit, neminem eorum qui in mortem Maionis cõsenserint, euasurum. At illi tantarum rerum nouitate permoti, cum mirarentur, & grauissime ferrent inde sibi periculum & ingratitudinem emersisse, vnde meritum sperabant: præcipue indignabantur Adenolphum eo lapsum audaciæ, vt in Matthæum Bonellum manifestas auderet inimicitias exercere. Tum vero putabant tantam causam deinceps non habendam esse neglectui, aut eiusmodi Regis Tyrannidem insaniamq; oportere diutius sufferri. Quibusdam itaque impetu, plerisq; consilio rẽtentandum consulentibus, consilium præualuit, placuitque coniurationis socios adhiberi Simonem Comitem Rogerii Regis ex pellice, Tãcredumq; Ducis Rogerii Guilelmi Regis fratris præmortui filios. quorum vtrunq; quicquid aduersus Regem decretum foret, secuturos sciebant: illum quidem, quod Principatum Tarẽti contra patris testamentum ei Rex abstulerat, asserens patrem in multis erralle spuriorum amore deceptum: hunc vero, quod eum inter Palatii muros Rex detinebat inclusum, eiusque etiam frater Guilelmus non sine Regis magna inuidia nuper obierat. Hos igitur sibi Matthæus Bonellus, pluresq; alios Comites ac potentes viros, in quibus & Rogerium Auellini Comitem Regis consanguineum, iureiurãdo sibi astringit, confœderatque. Fœderis autem hæc erat summa, vt primo Regẽ caperent, captum vel in insula aliqua, vel alio loco secretiori includerent obseruãdum, ac demum Rogerium Regis primogenitum (Ducem Appuliæ, nouennem fere puerum) Regem crearent: rati populo id gratissimum fore, quod nihil malignandi animo gerere viderentur, si patri Tyranno ob facinora sua sublato filium suum substituant. Ad hoc autem facillimus patebat aditus, si Malgerium Palatii præfectum largitionibus possent corrumpere. alioqui parum processura res videbatur, cum ille trecentos ferme milites secum haberet assiduæ arcis custodiæ deputatos: qui sic erant per portarum angustias distributi, vt quantumuis ingentem numerum militum ab ingressu facile arcerent, & si furtim aliquos ingredi contigisset, certum foret ibidem eos sine spe salutis intercipi. At cum ingenio esset Malgerius maxime austero, & ab omni comitate alieno, timebant rem tam seriam dubia spe illi credere, & idcirco alio consilium conuertunt. Erat in arce Malgerii minister Gauarectus vulgo appellatus: in quem omnem arcis custodiam, dum ipse discursando ac quiescendo otium terebat, vicario nomine reiicere solebat. Hunc igitur primum lucro promisso tentant: vt flexum vident, rem ei aperiunt: consentit ille, ad facinus se ministrum offert. Proinde patrandi sceleris is erat statutus modus. Præfixo die carceri addictos vinculis absoluat, eosque ad rem peragẽdam socios ascisçat, arma illis opportuna prouideat, qui dato signo repente in auxilium prosilirent. His præparatis Bonellus Mistrettum oppidum, quod sui iuris erat, profectutus, quo cætera sua oppida omni commeatu ac præsidio muniret, socios præmonuit nequid se absente tentarent, nec cuiquam alteri rem tantam crederent, sed reditum suum præstolarentur. Discedente Bonello ex sociis quidam monitorum immemores, rem militi incertæ fidei, sed amicissimo aperiunt. Ille alteri, qui forte eo ignorante, vnus erat e coniuratoribus, rem sibi significatam indicauit, facinus detestatus, quod Siculis omnibus non solum perpetuam proditionis infamiam, sed & iacturam pariturum foret. Ille vt vafro erat ingenio, non se mani-

manifestauit, quinimo & hominem laudauit, qui tam nefario sceleri non consentiret. Sed quamprimum ab eo explicari potuit, Simonem Comitem aliosque coniurationis Principes adit, rem refert, consilium vt ea nocte capiant, hortatur. illucescente enim ad Regem proculdubio cõiurationis indicia peruentura, nisi maturetur. Coniuratores moræ periculum veriti, cum temporis angustia Bonellum e Mistretto oppido euocari non pateretur, per seipsos facinus edere statuunt. Gauarrectum igitur præmonent, vt die sequenti carceri mancipatos circiter horam tertiam (qua Rex in ampliorem locum cum Aristippo de statu Regni differturus exire solebat) educat. atque ita Gauarrectus hora indicta viros nobiles, quos iam armis instruxerat, vinculis educit, Principibus ante in Palatium introductis. Illi Simonem Comitem (qui cum in Palatio nutritus fuisset, viarum anfractus cognoscebat) secuti, ad eum locum vbi Rex cum Aristippo colloquia habebat, peruenerunt. Rex cum primo Simonem Comitem fratrem nothum, Tancredumque Rogerii fratris præmortui filium ad se pergentes vidisset, indignatur primum eis aditum patuisse, miratusque quid vellent, vbi tandem vidit reliquam eos multitudinem armatam comitari, rem, vt erat, mente concipiens, fugere cœpit: sed a coniuratoribus repente concurrentibus comprehensus est. quem cum Guilelmus Comes Alesinus, & Robertus Bouensis, strictis ensibus ad necem deposcerent, rogauit eos a quibus tenebatur, ne se interfici paterentur, cum vltro se regno abdicare polliceretur. Tum Riccardus Mandra irruentium impetum propulsans, Regem vetuit occidi. Rege capto & fidę custodiæ assignato, coniuratores ad penetralia Palatii ingressi, cuncta diripere & prædari cœperunt: subinde in Eunuchos Regis prolapsi, cunctos interfecere. In Sarracenos postea, qui vrbem inhabitabant, impetu facto, eorum bonis direptis, omnes occidebant. quorum plerique relicta vrbe veteri, quam eo tempore mediam appellabant, in eam vrbis partem quæ trans Papyretum est, secedentes, fortiter ob viarum angustias Christianis obsistebant. His gestis coniuratores Rogerium maiorem natu Regis filium, quem pater antea Ducem Appuliæ creauerat, eductum ab arce per totam vrbem in equo albo veluti Regem circumducunt: quem aui sui Rogerii auspiciis regnaturum, & in Regem populi communi consensu coronandum aduentante Bonello, qui eo ipso die expectabatur, conclamabant. Gualterius quoque Cephalœdensis Archidiaconus, præceptor pueri, conuocata multitudine, Regis tyrannidem publice traducebat, iusiurandumq; ab omnibus Comiti Simoni, quem Principem appellabant, cõiurationis primario præstandum exigebat. Pleriq; eum increpabant: quippe quod & minus fideliter eum agere dicebant, si in cuiusq; verba eo rerum statu iurandũ foret: id Rogerio puero deberi, quem Regem futurum dicebant. Episcopi vero partim palam de eis sententiam ferre, partim dissimulare videbantur. Plebs autem cum coniurationem Bonelli consilio cœptam cognouisset, illius aduentum auide præstolabantur. Cum vero Bonellus transacto triduo non appareret, cœperunt inter se murmurare, ac Regi a paucis prędonibus capto cõmiserei. Et cum id indignum ac satis miserabile, neq; a populo sufferri debere, tũ illud multo indignissimum, ac nullo modo tolerandum mussitabant, quod thesauros ad Regni defensionem multo labore a Rogerio Rege optimo conquisitos, inde latrones essent asportaturi. Hæc primum inter paucos iactata, vbi per vulgus disseminata sunt, repente omnes veluti diuino numine acti, atq; ardentissimi alicuius Ducis impetum sequentes, ad arma concurrunt, palatium obsident, Regemq; e vinculis & carcere solutum sibi dari expostulant: aliàs se de illis non secus quam de proditoribus supplicium sumpturos comminantur. Cõiuratores tam subita rerũ mutatione territi, per muros sese distribuunt, instantesq; ne propius accederent, molibus super eos deiectis acerrime depellunt. Verum cum pauci admodum intus essent, & ambitus Palatii diffusior pro sui defensione multo maiorem virorum copiam exposceret, ad preces conuersi, quo populi furentis iram & impetum mitigarent, rogarunt eos vt dum saltem Matthæus Bonellus, cæteriq; Proceres quorum id consilio inceptum fuerat, redirent, ab armis desisterẽt. At populi semel excitatus furor

ſedari non potuit. cumque magis etiam inſtarent, & acriores etiam minas precibus adderent, oſtendi ſibi Regem depoſcentes, illi populo furenti cedentes, cum Bonellus non compareret, Regem, qui in tetro occultoque carcere detinebatur, adeunt, & cum eo primum paciſcuntur, vt liberos ſe ſaluosque & incolumes eſſe permittat, ſi dimitti vellet, mox ad Ioariæ feneſtras eum perductum inde populo oſtendunt. Tunc viſo Rege de tantæ dignitatis faſtigio in tantas calamitates prolapſo, in miſerabili habitu creſcente commiſeratione, totius populi clamor & tumultus ingens exoritur: portas arcis ocyus aperiri poſtulant, cenſentque non decere proditores euadere. Rex autem manu ſilentium indicens, iubet eos quieſcere, Satis (inquiens) ad promerendum ſatis fidelitatis: deinceps vt arma deponant, imperat. Populus Regi paruit. Itaq; tumultu plebis ſedato, reſeratis foribus coniuratores habita a Rege, quo maluerunt, abeundi poteſtate, Caccabum transfugiunt. Hæc autem repentina varietas magnam malorum breui tempore toti Regno congeriem attulit. Nam non ſolum plurimam virorum nobilitatem, & theſaurorum Regis partem exhauſit, ſed Regni etiam viribus multum detraxit. Rogerius etenim Appuliæ Dux, Regis maior natu, paulo ante Rex a coniuratoribus & populo ſalutatus, dum in eos qui Palatium obſidebant, per feneſtram Piſanę turris incauto proſpectu caput egerit, ſagitta a Dario hoſtiario percuſſus eſt. Ex quo tametſi letale minime vulnus accepiſſet, culpa tamen Regis puer interiit. Nã cum liberato patri puer applaudens occurreret, indignatus pater quod illum hoſtes quaſi ſibi prælatum Regem appellauerint, a ſe maximo pedis impetu repulit. Puer digreſſus Reginæ, quæ a patre paſſus fuerat, retulit: nec diu poſtea vulnere (ex patris percuſſione) letali facto puer interiit. Porro Rex tot malis attritus, pudoreque recentis adhuc carceris ſuffuſus, abiecta Regia veſte, dignitatisq; iam ſuę oblitus, humi mœrens ſedebat, ignarus quid conſilii in tanto rerum turbine caperet. reſeratisque & inobſeruatis Palatii foribus etiam inter medios hoſtes ſine diſcrimine omnes ad ſe venientes benigne ac familiariter admittebat: quibus doloris ſui cauſam recenſens, lachrymas etiam ab iis qui eum ante oderant, extorquebat. Tandem ab Epiſcopis aliisq; proceribus, qui ad cõgratulandum ei aduenerant, monitus, in aulam quæ Palatio iuncta ſubeſt, deſcendit: ibique conuocato populo primum eorum in ſe fidem commendauit, qui de proditorum manibus eum eripuiſſent: ſubinde vt in ea perſeuerarẽt, hortatus eſt. Quibus adiecit etiam, hæc in ſe mala merito incidiſſe, quod re diuina præceptisque poſthabitis, proximum minus dilexerit, curaturus deinceps vt errata corrigeret, vectigalia populo a ſe grauiter impoſita caſtigaret, quippe quod diligi quam timeri tutius ſecuriuſque eſſe iamdudum cognoſceret. Cum hæc paucis abſoluiſſet, lachrymis ſermonem etiam impedientibus, deſignatus Epiſcopus Syracuſanus vir eruditione & eloquentia inſignis, Regis nomine prolixius eadem apud populum propoſuit. Vt vero Panormitanorum animos ſibi arctius deuinciret, decreuit vt ex agris collecta & vinetis, quæcunque ad commeatum pertinerent, abſque vectigali in domos liceret inferre: quod plebi gratiſſimũ fuit. Ita Guilelmus ſeditione a regno deiectus, ſceptrum ex inſperato ſtatim recipit. Adeo nanque volubilis fortunæ varii atque ancipites motus exiſtere conſueuerunt, vt interdum humana mens vbi deſperatione conſternata conſpicitur, repente inſperata conſequatur. Interea Panormi nuntiatum eſt Simonem Comitem, Tancredum Rogerii Ducis filium, Guilelmum Aleſinum, Alexandrũ Conuerſanenſem, Rogeriũ Sclauum nothum Simonis Comitis filium, pluresque alios qui in coniurationis facinus conſenſerant, cum Matthæo Bonello Caccabi eſſe, ingentemque militum multitudinem cum illis conſpiraſſe. Quocirca Legatus ad Bonellum miſſus Regis nomine, quidnam hic militum delectus ſibi vellet, & an coniuratorum cõſiliis ipſe adhæſerit, perquiſiuit. Bonellus, coniurationis culpa ſe quidem vacare reſpondit, mirari tamen ſe, Regem tot regni Proceres & plebem in eam deſperationẽ adduxiſſe, vt ſæpius ab eo læſi in furorem aliquando cõpulſi fuerint. Nam q̃ legem tulerit, ne virginibus abſq; Regis venia per parentes nubere liceret, & cæteras id genus alias conſtitutiones iuri antiquo contrarias, tyrannicum atque intolerabile

lerabile fuisse. Quod si Rex his cæterisq; pernicioſiſſimis a ſe editis legibus abrogatis, a Roberto Guiſcardo inſtitutas, & a Rogerio Comite ſuo auo obſeruatas in vſum reuocaret, nihil periculi fore in eum: ſin vero annuere contempſerit, nullo pacto diutius eos hæc perpeſſuros. Rex e contra præ metu nihil ſe abrogaturum: quod ſi depoſitis armis, & renuntiatione coniurationis patefacta, ad ſe veniens recta poſtulauerit, quam facillime ſe æqua conceſſurum reſpondit. Diſplicuit coniuratoribus Regis reſponſio. qui cum Bonelli vecordiam damnaſſent, indignatus Bonellus, extemplo militibus accinctus Panormum petit, tribuſq; p.m. procul ab vrbe loco caſtrametatus eſt. Rex hoc viſo Meſſanam ad vrbis Præfectum (quem Strategotum vulgo appellant) nuntium miſit, vt triremes quotquot habebat, viris & munitionibus inſtructas Panormũ tranſmitteret. Bonelli interea aduentu Panormi cognito, adeo omnia ſunt turbata, vt ſi vrbem tentaſſet, nullo proculdubio obſiſtente, eam ingreſſus, Regem rurſus in Palatio carceri & vinculis fuerit impliciturus. Sed ille alio motus conſilio Caccabum reuertitur. At ex Sicilię oppidis his cognitis militum ingens multitudo Regi auxilio venit. Quorum acceſſu coniuratores animo diſiiciuntur: Rex vero reſumptis viribus per Robertum de S. Ioanne Canonicum Panormitanum tantum apud Bonellum profecit, vt coniuratores, qui ad eum confluxerant, triremibus extra Regnum libere tranſueherentur, Bonellus vero ipſe ab omni criminis obiectu immunis in gratiam Regis reſtituetur. Bonellus igitur Panormum veniens, ingenti omnium gaudio receptus, tranquillitatem vrbi reſtituit. Cumque cæteros omnes, regno abegiſſet, ſoli Rogerio Auellini Comiti conſanguineo ſuo, & ob ætatis defectum, & ob preces Adelitiæ auiæ illius, ſuæque conſobrinæ, pepercit. Riccardum Mandra Rex Panormi retinẽs militibus præfecit. Henricus Ariſtippus, Sylueſter Comes Marſicenſis, & Riccardus Syracuſanus Epiſcopus deſignatus, regni negotia adminiſtrabant. quibus & adiunctus eſt Matthæus Notarius eductus de arce, & muneri priſtino reſtitutus, vt regni conſuetudines, quæ iam in Palatii direptione amiſſæ fuerant, quas callebat, rurſus in ſcripta redigeret. Dum hæc Panormi aguntur, Rogerius Sclauus cum Tancredi Ducis filiis, paucisque aliis qui prius a Bonello diſceſſerant, Buteram, Platiam, cæteraque Longobardorum oppida, quæ pater eius tenuerat, ſibi occupauit: atque inde vna cum Lombardis in Sarracenos, quorum in Sicilia ingens adhuc multitudo vel mixtim cum Chriſtianis, vel ſeorſum in propriis pagis habitabat, irruẽs, quotquot obuios habuit, interfecit, præter paucos qui ad auſtralem Siciliæ partem ad tutiora loca pro ſalute profugerãt. Poſt hæc Rogerius Sclauus Syracuſanorum quoque & Catanenſium regiones crebris incurſionibus infeſtabat: tantumque viri virtus & audacia vicinis populis terrorem attulerat, vt Regii præfecti eius impetus reprimere non poſſent. Quæ res nouo repente metu Regem percuſſit, qui neque id abſque Matthæi Bonelli conſilio fieri arbitratus, ipſum in Palatio ad conſtitutum diem capi, & in ſtricta vincula coniici iubet. Capto Bonello ſtatim plebs ad Palatium concurrit, eum inde extractura. Sed cum arcis portæ ex omni parte eſſent clauſæ, ignem portis ferreis magna lignorum ſtrue ſubſtructa fruſtra iniiciunt. Inter hæc ex Bonelli militibus vnus, cum Adenolphum Camerarium e Palatio redeuntem obuium haberet, non immemor inimicitiarum quas in ſuum Ducem exercuerat, audacter in eum irruit, atque interfecit, & deinde per mediam ciuitatem ab vrbe fugam capeſſens, tandem a Regis militibus captus, Panormumq; adductus meritas dedit pœnas. Quare & Bonellus in apertiorem ſuſpicionem adductus, effoſſis oculis, neruisque ſuper talum inciſis in perpetuum carcerem detruſus eſt. Matthæus de Sancta Lucia illius conſobrinus, & Ioannes Romanus, oculis & ipſi priuati in diuerſa ergaſtula ſunt damnati. His peractis Rex exercitum contra Rogerium Sclauum inſtruit: atque primum contra Platiam mouens paruo labore oppidum cepit, funditusque euertit. Inde contra Buteram, quo ſe poſt auditum Regis aduentum hoſtes receperãt, caſtra mouet, ac obſidet. Rogerius vbi ſe cum Tancredo obſeſſum videt, ſocios primum, ac deinde oppidanos ad fortiter obſiſtendum ſatis luculenter hortatus, oppidum & loci natura, & militibus ſtrenuis munitum obſidionem

diutissime pertulit. Verum cum paulo post inter proceres & oppidanos ob annonæ distributionem discordia subsecuta, oppidani deditionem facere decreuissent: hoc cognito, Rogerius proceresque deditionem & ipsi hac lege fecerunt, vt oppido recepto libere eos abire liceret. Hostibus itaque Rex libere dimissis, oppidanisque alio reiectis, Buteram receptam funditus deleuit, ac deinceps edicto publico habitari prohibuit. Dum Sicilia his seditionibus vexatur, Robertus Comes Loricelli magnam Appuliæ partem inuadens, ad Orgeolum oppidum vsque peruenerat, cui proceres ibi multi, qui ob Admirati flagitia a Rege desciuerant, se adiungunt. In Calabria quoque Comitissa Cariatensis contra Regem Tabernam oppidum munitissimum commeatu & præsidio munierat. Quo motus Guilelmus Rex subacta Butera in Calabriam exercitum eduxit. Sed ne quid in Calabria clandestinæ proditionis timeret, Rogerium Martoranum ad se ante in Siciliam euocat, atque proditionis crimine insimulatum in carcerem cogit, & sine vllo iuris ordine oculis priuat. Henricus quoque Aristippus Regis iussu captus, & Panormum ductus non diu post misere in carcere decessit. His gestis in Calabriam contra Tabernam exercitum mouet. Verum cum id oppidum & arduitate situs, & multorum militum præsidio esset inaccessum, Regis exercitus differri illius oppugnationem, & in Appulia, vbi maiora bellorum instabant pericula, dimicare malebat. Sed Rex non inde discedere nisi victor statuit. Quocirca cum destinata oppugnatione primoq; insultu oppidum inuaderet, oppidani desuper missis molaribus ac doliis plures obsidentium interficiebant. quorum strage milites, qui collem ad oppugnandum oppidum ascenderant, deterriti ad exercitum rediere. Sed in concepto rigore immotus Rex oppidum rursus oppugnari, ac secundo fortunam tentari iubet. Milites dato signo oppidum adorti tumulum quendam, arduum quidem, sed modica superius distentum planitie, ac ex vno latere muris oppidi contiguum, magno nisu occupant. Capto tumulo scalis illatis muros impetu maximo non absque periculo transcendunt, ac subito oppidum Tabernensibus muros negligenter custodientibus perrumpunt, capiunt & euertunt. Comitissa vna cum matre, & Alpherius & Thomas Comitissæ auunculi, & cæteri viri Principes ad Regem perducuntur. Quorum Alpherius ibidem vltimo supplicio addictus, Thomas Messanæ suspensus, reliqui milites vel manuum abscissione, vel oculorum effossione mulctati sunt. Comitissa & eius mater Messanam primum, inde Panormum adductæ, carceri mancipantur. Robertus Comes Loricelli, vbi Tabernam oppidum captum & deletum a Rege cognouit, etsi equitum peditumque numero superior esset, metuens tamen Longobardorum fidem, quam suo magno periculo sæpius ancipitem probauerat, maluit Regi cedere, quam cum infido milite belli fortunam experiri. Tarentum itaq; reuersus præsidioq; ibi relicto, in Aprutium iter deflexit. Sub idem tempus Gaytus Ioarius Eunuchus, Magister Camerarius Palatii, cum multas a Rege præter meritum, vt querebatur, iniurias in exercitu pertulisset, cum sigillis Regiis ad Comitem Loricelli transfugiens, in itinere captus, & ad Regem perductus, Regis iussu scaphæ impositus, mari suffocatus interiit. Rex deinde Tarentum profectus vrbem ciuibus sese dedentibus recepit. Vbi quosdam Loricelli Comitis milites captos extra mœnia furca suspendit. Dehinc totam Appuliam ac Campaniam pertransiens, vniuersa quæ hostes occupauerant, sine bello fere recuperauit. Quantum enim inconsulte a Rege desciuerant, tanta nunc celeritate deditionem faciebant. Ciuitatibus quoque ac oppidis quæ ad Comitem Loricelli defecerant, certam pecunię summam pro redemptione pendendā præscripsit: volens eo vectigali id quod in direptione Palatii sibi fuerat deprædatum, resarcire. Ionathas præterea Comes Consanus, Riccardus Comes Fundanus, Rogerius Comes Acerranus, Marius Burellus, & qui eos secuti fuerant, aduentu Regis perterriti, vel in Aprutium vel in Campaniam consulto transfugerant. Rogerius quoq; Comes Auellini, eo q; iniussu Regis filiā Phœnissæ de S. Seuerino duxit vxorem, cum Guilelmo de S. Seuerino Regis iram fuga euitauit. Dum hæc in Italia geruntur, Panormi Gaytus Martinus Eunuchus, quem Rex arci & vrbi præfecerat, cum in captura Palatii &

Regis

Regis, fratrem suum a Christianis sciret occisum, nec eius adhuc facti comperisset authores, in omnes Christianos atrociter sine discrimine sæuiebat, fratris mortem omnibus impingens. Cum ergo plerique ciuium accusarentur, quod Palatium cum proditoribus ingressi magnam inde pecuniam extraxissent, idque iuxta consuetudinem patriæ accusatores se duello probaturos assererent, eorum probationem tam prompte quam libenter Gaytus Martinus admittebat, & victores quidem tanquam de Rege benemeritos collaudabat, victis vero pœnas atrocissimas irrogabat. Ac interea iuuenes hortabatur, & propositis præmiis incitabat, atque eos præsertim quibus nullus aut tenuis esset census, quosque virtute corporis gloriam affectare cognouerat, vt eiusmodi ciuium audacter accusationibus insisterent: quippe quod si eos vincere contigisset, gratiam Regis promererentur: sin minus, nihil mali formidarent, cum Regis ipsius causam agere viderentur. Tantaque iam vrbem rabies incenderat, vt quicunq; aduersus quemque vetus odium exercebat, continuo ad Gayti Martini Prætorium conuolaret: quem semper ad eiuscemodi suscipiendas actiones paratissimum inueniebant. Eorum autem quos vinci contingebat, alios suspendebat, alios verberibus afficiebat. Cum in campum pugnaturi descendebãt, parum pensi habebat vter eorum victoria potiturus esset, dummodo fratris mortem posset in altero vindicare. Eaque vindictæ cupido in tantum sæuitiæ processit, vt cum iam continuis malis & pœnarum atrocitate perterritis ciuibus, nullus vel rarus procederet accusator, qui monomachiæ vellet subire periculum, placuerit mulierum quoque non solum honestarum, verum impudicarum etiam accusationes admittere, statueritque seruos nihilominus & ancillas super huiuscemodi causis licite postulare posse. Quorum sæpe suggestionibus vice probationum admissis, multorum quidem & existimationem læsit, & fortunas exhausit, & corpora pœnis affecit. Interea Rex totius Appuliæ rebus sedatis, Salernum accessit. Cuius aduentu præcognito, maxima pars eorum qui dissensionis principes & authores fuerant, quos Salernitani Capiturinos appellabant, fugam arripuerunt. Cumque Salernitani viri Principes Regi occurrerent, eumque rogarent ne vrbem ingredi, ciuesque in gratiam recipere grauaretur: Rex nec vrbem ingredi voluit, nec eos in conspectum suum admisit: in quos tantum odium conceperat, vt exemplo Bari totam vrbem euertere decreuerit. Sed Matthæi Notarii, qui Salernitanus erat, precibus moti Riccardus Syracusanus Designatus, & Syluester Comes, tandem impetrarunt ne tanta tamque nobilis ciuitas interiret, sed solum ex coniuratis quotquot in ea reperirentur, per Strategotum & Iudices vincti ad Regem perducerentur. Quod cum factum esset, omnes eos ipso die Rex suspendi iussit. Inter eos autem cum vir quidam, qui nec iuramentum contra Regem præstiterat, nec in seditione quicquam omnino egerat, quia tantum Notarii Matthæi propinquis per iurgia iniurias intulerat, a Matthæo falso ad Regem velut totius coniurationis Salernitanæ caput, delatus, immeritum supplicium incurrisset, iustum Dei in Regem, exercitum, vrbemque iudicium apparuit. Nam cũ adeo paulo ante serenus esset aer, vt nullum prorsus nubis appareret vestigiũ, tanta repente tempestas in innocentis sanguinis effusione est exorta, vt Regis & cæterorum castris diuulsis, quisque de propria salute desperaret, domusque Matthæi Notarii, vbi sponsalia neptis suæ cum proceribus ac matronis plerisque nobilissimis celebrabantur, vi tempestatis corruens, viros nobiles ac mulieres circiter sexaginta, cum ipsa puella quæ nuptui tradebatur, oppresserit. Porro Rex vbi sedata videt omnia, hostesque tum publicos, tum clandestinos vel in Græciam transfretasse, vel cum Comite Loricelli ad Imperatorem Germanorum concessisse, Panormum reuersus, Palatio se concluſit: ibique quieti & otio se dedidit. Nec multo post Sylueſtro Comite defuncto, Syracusanus Designatus, & Matthæus Notarius soli consilio Regis supererant, & Regni negotia disponebant. quibus socius datus est Gaytus Petrus Eunuchus, qui Gayto Ioario in Camerariatus Palatii munus successit. Matthęus vero Notarius cum iam plurimum posset apud Regem, Admirati mores imitari conabatur, omnibus

se comem atque affabilem præbens,& eis præsertim quos oderat:ipsumque iam Regem adulatione,confictisque ad votum obsequiis delinire cœpit:sciens hunc Maioni aditum ad tantam Regis beneuolentiam fuisse. Liberalitatem porro Maionis,cum auaritiam a cunis imbibisset:& facundiam, cum naturæ vitio balbus esset,assequi nequibat:totis tamen viribus in id incumbebat, vt in locum Admirati apud Regem irreperet. Sub id tempus cum superatis exteris hostibus Rex nihil vltra sibi crederet formidandum,repentinus eum domi casus inuasit. Pauci nanque viri,qui in carcere Palatii diuersis de causis detinebantur, veniam desperantes,fortunæ se committere decreuerunt. Custodibus igitur carcerum largitionibus corruptis,tempus congruum nacti,vna cum paucis impetu facto ad portam Palatii descendunt, eo consilio vt Ansaldo arcis Præfecto(quem ibi sedere cognouerant)trucidato,euadendi per vim aditum sibi perrumperent. Quos cum Ansaldus in se irruentes vidisset,nihil animo turbatus,extra interiorem portam citissimo saltu desiliens,eam ad se toto nisu detractam obseratamque venientibus opposuit,ipse inter exteriorem interioremq; ingressum loco tutissimo cõstitutus. Illi spe frustrati,ad inferiorem ingressum Palatii se transtulerunt,siue vt ad Regem inde flexo gressu contenderent,siue vt in scholis Regis filios deprehensos inuaderent,quos Gualterius eorum præceptor in campanariam arcem (quæ postrema Palatii pars est ad meridiem obuersa)primis rei motibus præcognitis deduxerat. Sed subita virorum multitudine circumuenti,qui cum Oddone magistro stabuli repente confluxerant, ad vnum omnes interfecti sunt: quorum cadauera canibus proiecta prohibuit Rex sepeliri. At ne deinceps eiuscemodi casus, qui iam secundo periculum adduxerat,eueniret,coniuratos omnes ex Palatio ad Castrum maris transferri iussit. Robertus autem Calataboianensis Castelli maris præfectus,extremæ crudelitatis homo, cum Eunuchis(qui Sarraceni erant) plurimum faueret,quoscunque Christianos captos ad se perduci contigerat, ingentibus cathenis ac crebris torquebat verberibus,& per diuersa Lombardorum oppida,cũ potestate a Gayto Petro impetrata profectus,multos viros innoxios pro coniuratis captos diuersis pœnis affligebat. Sed & Bartholomæus Parrisinus, aliique Iustitiarij, Strategoti , Cæmerarii, Gayti Petri auxilio innixi,plebem innumeris & contumeliis & rapinis premebant,quo pecuniam ab illis extorquerent. Rex vero toto animo in quietem procliuis, ne quæuis occasio eam sibi interrumperet,ministros præmonuit ne res serias,quæ illi vel mœrorem vel solicitudinem possent ingerere, ad eum deferrent. Et quoniam Rogerius Rex pater eius in agro Panormitano Fauariam,Minnernum, aliaque ad voluptatem loca constructerat, eius æmulatione & ipse Palatium nouum, quod cæteris Palatii partibus & artificio & pulchritudine præcelleret,construere decreuit. Cæterum incepta, ac maximo sumptu eiusce operis & mira celeritate parte expedita,antequam suprema operi manum imponeret, dysenteriæ morbum incurrit,ac duorum ferme mensium grauata valetudine conualescens,cum iam eum medici firma salute fruituũ sperarent,repente recidiuo morbo consumptus obiit. Qui cum adhuc in extremis ageret,proceribus Regni,& Salernitano atque Rhegino Archiepiscopis accitis,testamento Guilelmum filium natu maiorem post se Regem instituit: Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem iam dudum illi concesserat,reliquit. Margaritam Reginam eius vxorem voluit totius regni administratricem & Baylam esse, quousque Guilelmus per ætatem ad gubernandum aptus esset. Designatum Syracusanum,Gaytum Petrum,& Matthæum Notarium,quos ipse sibi consulares elegerat,eadem voluit dignitate post se potiri,vt eorum Regina consilio cũcta Regni negotia administraret. His dispositis non diu post,anno ætatis 45. regni autem 15.salutis vero 1166.fato functus est,pro vt Guiscarda refert: ex quo quicquid de Guilelmo hactenus memoraui, excerptum est. cuius opus manu scriptum,vetustissimum quidem,& pene corrosum , ex Cœnobio Diui Nicolai de Renis olim mihi opera Ioannis Rithonii Leontini, viri disertissimi, allatum est:quod aliquot post annos sub nomine Hugonis Falcandi,dum pararem hæc edere,Lutetiæ impressum,passim hodie legitur. Consulares & Regina, ne seditionem

tionem cognita Regis mors in vrbe excitaret, dissimulato eius obitu, omnia quæ ad coronandum nouum Regem necessaria erant, præpararunt. Inde vulgata eius morte, ac in Palatio more lugubri funere conclamato, totius ciuitatis luctus repẽte subsecutus est. Postea Proceribus ac Episcopis concomitantibus, corpore ad sacellum Regium delato, triduum tota ciuitas in luctu mœroreque fuit. Mulieres Principes ac matronæ, Sarracenæ præsertim, quibus ex Regis morte non fictus dolor obuenerat, totam vrbem vlulatu complebant. Cadauer vero eius post aliquot annos a Margarita Regina vxore ad templum Montis regalis maximum, a Guilelmo filio postea erectum, translatum est: vbi & hodie porphyretico mausoleo conditum cernitur.

DE GVILELMO SECVNDO, QVEM BONUM appellant, Siciliæ Rege.

CAPVT V.

PERACTIS inferiis, corporeq; Regio honorificentissime, vt par erat, funerato, Guillelmus filius vndecim (licet quatuordecim aliqui falso scribant) tunc natus annos, ingenti plebis gaudio, faustisq; acclamationibus Rex salutatur. Fuit is ab incunabulis, primisque infantiæ rudimentis, adeo omnibus charus, vt ne humi quidem incedere aut sedere toleratus, sinu cunctorum iugiter atq; osculis foueretur, nec vni modó pædagogo addictus, sed quasi communis omnium alumnus extiterit. Per summam nanq; tenerioris ætatis industriã, cuncta paternæ contagionis vestigia ingenti eroris deuio præteribat, & a paternis vitiis adeo prudenter descibat, vt naturam ab eo, non vitia accepisse videretur: tantæque in puero statim corporis & animi dotes emicuerunt, vt iam tum non minus authoritatis quã gratiæ æuum etiam ipsum promereretur. Sceptro insignitus, a liberalitate gubernacula auspicatus, recentis largitatis consuetudine prisca militiæ stipendia duplicauit. quicquid honestati proximum peruidebat, ardenter appetebat: omnes humanitatis officio anteire, & (quod difficillimum est) virtute inuidiam vincere contendebat. Qua indole breui tantam apud omnes claritatem contraxit, vt non modo maiorum titulos æquaret, sed etiam Rogeriorum atq; Roberti Guiscardi auitorum Principum monumenta superans, Boni cognomen promeruerit. Quod vt augeret, initio statim sui Principatus carceres omnes aperiri iussit, & vinctis reis criminũ pœnas indulsit. vectigal, quod pater redemptionem appellabat, populo quidẽ intolerabile, prorsus aboleuit. oppida omnia, Proceres & ciues, quos pater vel exilio vel pœnis aliis mulctauerat, in gratiam recepit. Consulares in ea qua erant dignitate, pro vt pater constituerat, & in agendis negotiis, eorum & diligentia & fides merebatur, apud se retinuit. Verum cum pubertatis annos nondum esset ingressus, nonnulla seditionis initia Panormi pullularunt. Erant eo tempore in Regis comitatu Archiepiscopi quidem Romoaldus Salernitanus, & Rogerius Rheginus, Episcopi vero Gentilis Agrigentinus, & Tristanus Mazarienfis. quorum Gentilis Agrigentinus simulata religione præclarus, & Designatus Syracusanus, ad obtinendum Panormitanæ ecclesiæ Præsulatum, qui ob mortem Hugonis Archiepiscopi adhuc vacabat, totis ambo viribus anhelabant. Gentilis quod merito non poterat, id fraude conari instituens, Archiepiscopum Rheginum auaritia extrema infamem, & Archiepiscopum Salernitanum simul, & Matthæum Notariũ aduersus Designatum Syracusanum irritauit, vt e curia expelleretur. Quod cum per se non possent ex sententia quamprimum efficere, Gaytum Petrum Eunuchum, penes quem potestas omnis erat Regia, contra eundem ad societatem conspirationis pertraxerunt. Sed & Reginam quoque, ac Ioannem Neapolitanum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui forte Panormi aderat, & vt Panormitanæ Ecclesiæ munus sibi committeretur, totis animis desiderabat, ad sua consilia contra Syracusanum pellexerunt. Dum ita Electus Syracusanus graui persecutionis turbine quateretur,

Gilbertus Grauinensis Comes, Reginæ consanguineus, Panormum venit, eo consilio vt totius regni negotia, submoto Gayto Petro & cæteris, primus post Reginam administraret. Cui Syracusanus Designatus, ac cæteri Comites statim contra Gaytum Petrum adhæserunt. Quod cum Gaytus Petrus intellexisset, fauore Reginæ, apud quam plurimū poterat, innixus, bello contra eum experiri statuit. Milites largitionibus ad se allicit: quibus Hugonem Oddonis filium prudentia & armis strenuum præficit. Riccardum Mandraa consiliis primum accipit. deinde Comitem Molisii, Bouiano, Venafro, & cæteris oppidis quæ ad eum Comitatum attinent, ei traditis, eo animo, consentiente Regina, euehendum curauit, vt Comes Comiti æqua authoritate posset obsistere. At cum ne his quidem artibus insidias Comitis Gaytus Petrus euadere speraret, variis perculsus anfractibus, nocturna tandem fuga sibi consuluit. Nauem quamcelerrime paratā nautis, armis, cæterisque necessariis instruit: thesauris quoque, quos habebat, onerat: ac adueſperascente, e Regis Palatio egressus, ad ædes suas (quas in ea parte ciuitatis quæ tunc temporis Kemonia, hodie Albergaria dicitur, nuper constructas erat) ire simulans, ad mare perrexit. Vbi cum paucis Eunuchis nauem ascendens, ad Abdul Mumenum Mamudorum Regem in vrbem Africam transfretauit. Cuius fuga cognita Gilbertus Comes in amplioris spei fiduciam elatus, insanum Regis fuisse consilium exclamat, qui seruum Sarracenum Regno suo præfecerit. At contra Riccardus Molisii Comes, manumissum eum a Rege, & nunquam Sicilia decessisse nisi minis coactum, respondit. Post hæc Regina Riccardi Comitis, aliorumque qui Gayto Petro fauerant, suasu, Gilbertum Comitem a Sicilia hoc cōmento, quod Matthæus Notarius inuenerat, dimouit, vt Imperatori Alemannorum propediem Appuliam venturo cum exercitu occurrat. Igitur Gilbertus, etsi hæc omnia ad rem conficta esse non ignoraret, veritus tamen ne aliquando magno cum dedecore a Regina expelleretur, Appuliæ & Campaniæ præfectura suscepta, cum Beltrando filio Andriæ Comite nuper a Regina declarato, Sicilia decessit. Cuius loco Riccardus Molisii Comes apud Reginam suffectus, cuncta Regni negotia per manus tradita accepit. Post hæc machinatio contra Syracusanum Electum aduentu Gilberti Comitis intermissa resumitur, atque vt a Regina ac regno eiiceretur, commento ab Ioanne Cardinali excogitato, simulant Romanum præsulem Reginæ per literas mandasse, vt electos quotquot Episcopos haberet, Romam ad munus consecrationis recipiendum mittat. Electo itaq; ex Pontificis mandato abeundi præceptum a Cardinali datur, & dies præfigitur. Sed ille callide eorum fraudē prævenies, amicitiam cum Riccardo Molisii Comite clam iniit. Cuius auspiciis Regina repente mutata, vt a Rege testamento dispositū fuerat, in Regni administratione remansit. Ita toto anno in seditiones expenso tandem tumultus quieuit. Riccardus tamen Molisii Comes apud Reginam cęteris familiarior erat. Electus Syracusanus & Matthæus Notarius demortui Cancellarii interea officium vicario nomine gerebant. Porro Matthæus Notarius nihil a solita ambitione recedens, cum ob multam eius nominis inuidiam frustra ad Admirati dignitatem aspirare se cognosceret, Cancellariatū toto nisu ambibat. Syracusanus vero ecclesiæ Panormitanæ præferri confidebat. Sed longe aliter Regina mente disposuerat. Nam cum Stephanum Comitis Perticensis filium consobrinum haberet, ex Francia eum (licet ætate adolescentem) accitum, Cancellarium instituit: atque vniuersa Regni negotia in eum remisit. Panormitani quoque Canonici, habita a Regina libera pastoris sibi deligendi potestate, in eundem Stephanum vnanimes Archiepiscopatus suffragia, populo & Guilelmo Cardinali Panensi, qui tum Panormi forte aderat, factum probante, contulerunt. Electus ergo Syracusanus spe frustratus in Cancellarium animo totus commouetur. Quicū adeo æque suo fungeretur officio, vt neque precibus neque munere ab æquo flecteretur, Panormitani Robertum Calataboianensem multis criminibus infamem, rapinæ, stupri, homicidii reum egerunt. Qui tamen non obstante contrario Reginæ iussu, aulicorum precibus, ac ingenti pecunia oblata, loris a Cancellario cæsus, bonis omnibus Fisco adiudicatis, in Castellum maris detrusus, paucis post diebus interiit.

interiit. Eodem ferme tempore cum Cancellarius omnia tum notariorum, tum aliorum quorumcumq; ministrorum, etiam procerum munera ad certam & non liberam (vt antea erat) mensuram reduxisset: Proceres commoti, conqueri de eo cœperunt: indignum esse edicentes, puerum & aduenam absque nobilium consilio tot dignitatibus præesse: ac iam suspicari se etiam aperte proclamantes, consanguineusne esset Reginæ Cancellarius, cum hic Francus, illa Hispana, an adulterinus inter eos esset amor. Nec eo minus Gaytus Riccardus cum cæteris Eunuchis, ac Bulchasses inter Siciliæ Sarracenos (quorũ eo tempore sub Rege frequens adhuc multitudo incolebat) genere nobilis ac potens communi maleuolentia illi insidias tendebant. Cancellarius, qui hæc omnia per Rogerium Tyronensem, & Robertum de S. Ioanne didicerat, alto dissimulans animo, muneribus insidiatores alliciebat: atque interea sibi consulens, nec quos suis (vti solebat) ad se admitti, sed fidos tantum iussit. Sed cum Panormi nullus esset euadendi sibi modus, Messanam cum Rege & Regina venit. Vbi etsi in eiusdem iustitiæ rigoris pertinacia gratiam apud Messanenses inuenisset: Henricus tamen Comes Canosii Reginæ germanus, & Regis auunculus, qui se aduenæ Cancellario prælatum videns, contra eum etiam conspirauerat, plures Messanenses & Calabros nonnullos contra hominem iureiurando adstringit, qui certa die eum de medio tollerent. Quo cognito, Rex & Regina Henricum in carcerem primum, & deinde in Hispaniam, vnde venerat, & Oddonem Querellum in Franciam mittunt. Riccardum vero Molisii Comitem conspirationis cum Henrico socium in arce Tauromenii, quę Mola dicitur, carceri mancipant: in cæteros vero coniuratos extremo supplicio sæuiere. His Messanæ gestis Rex & Regina Panormum redierunt. Vbi Gaytus, Riccardus Regis Camerarius, Matthæus Notarius, & Gentilis Agrigentinus Episcopus, qui coniurationis principes aduersus Cancellarium extiterant, tot Principũ coniuratorum exemplis nihil consternati, conceptum semel facinus perpetrare omnino deliberant, tantumq; cum militibus iureiurando egerunt, vt Dominico die, quem Palmis Domini consecramus, vbi Rex e Palatio iuxta morem exiturus esset, Cancellarium gladiis in turba ipsa petitum confodiendum susciperent. Sed cum non lateret Regem & Reginam repetita hæc coniuratio, Notarium Matthęum, Agrigentinum Episcopum, Gaytum, Riccardum, & alios Proceres, quos conspiraſſe constiterat, ad arcem oppidi S. Marci vinculis addixere. Dũ hæc Panormi geruntur, Messanæ Oddo Querellus, qui nondum in Franciam discesserat, Messanensem populum contra Francos omnes, & Cancellarium præcipue commouit, asserens per illum Francos id agere, vt Græcis omnibus expulsis ipsi bona omnia & oppida ciuium occuparẽt: Reginam vero iam Cancellario nupsisse, Regemq; vbinam gentium esset ignorari. Hoc authore tota Messanæ vrbs in seditionem commouetur. Quo Panormi cognito, Rex & Regina Andreæ Strategoto, & vniuerso populo Messanensi, falsos de morte Guilelmi (qui incolumis in Palatio fœliciter viuebat) rumores spargi, & a coniuratis ad seditionem eas occasiones cõfingi per literas significarunt. Quas cum Strategotus ad templum Diuæ Mariæ sacerum, populo conuocato recitare vellet: e plebe quidam voce edita Guillelmum Regem interfectum, & a Cancellario Rege facto has literas confictas proclamauit. Plerique vero submurmurabant, non Cancellarium, sed Gotfredum eius germanum fratrem, qui e Galliis propediem expectabatur, Regem, Constantia materna Rogerii Regis filia, quæ in sacro Panormitano erat, vxore ducta, regnum sibi iusto titulo occupaturum, & eius rei gratia Oddonem Querellum in Galliam profecturum. His dictis plebs in furorem versa, Comitem spreto Strategoti mandato e carcere liberant: deinde Oddonem capiunt, nudatum asino imponunt, & pedibus in caput bestiæ porrectis, capite vero super caudam inclinato, per vrbem traducunt. Quem, vbi ad portam ciuitatis peruenit, innumeris confossum vulneribus membratim tandem discerpserunt, caputq; eius in lancea per totam vrbem circumductum in cloacas demũ publicas proiecerũt. Inde Græci Francos omnes & transalpinos tota vrbe, quotquot erant, interfecerunt. Quibus Messanenses ob patratum facinus ab exercitu Regis non satis securi, vrbem munire pergunt:

Rametam oppidum præfecto pecunia corrupto sibi occupant. deinde Tauromenium partim dolo, partim vi aggressi capiunt. demum arcem præfecto dormiente, & Gauarrecto in proditionem per pecuniam allecto, recipiunt, Riccardumque Comitem ex ea liberant. Hæc omnia vbi apud Panormum Regi & Cancellario nuntiantur, confestim exercitus contra rebelles paratur. Naues omnes quæ Catanę erant, ad classem instruendam in mare pertrahuntur. Frumentis, quæ inde Messanam portabantur, traiectis interdicuntur. Sed & Randacienses, Capitini, Nicosiani, Maniacenses, cæterique Lombardi qui Siciliam incolebant, ad viginti peditum milia in Regis & Cancellarii auxilium congregantur. Rogerius Giracii Comes, audita Messanensium rebellione, a Rege & ipse deficit, oppida sua munit. Cephalœditanum Episcopum & ciues contra Regem & Cancellarium iurare facit, arce sola in Regis & Cancellarii fide perseuerante. Panormus vrbs & ipsa cunctorum animis in spem & audaciam rursum erectis, variis dissidiis laborabat. Plerique rapinis assueti, qui circa viam coopertam & in superiori parte viæ marmoreæ habitabant, spe lucri in eum se primo irrupturos, in quem primũ plebs conclamaret, inter se fœdus ineunt. Optabant autem apud se, vt is Cancellarius foret, penes quem multum esse auri & argenti congestum constabat. Interea iam dies conspirationis aduenerat, & quadringenti Palatii milites cum Constantino coniurati ad locum indictum adsunt, vbi venientem cum Rege Cancellarium occidant. Quod cum Cancellarius ab Oddone stabuli Regis magistro cognouisset, ad Regem eo die non venit: sed instructo cum præsidio domi se continuit. Constantinus spe elusus, milites per vrbem palantes contra Cancellarium fugam iam tum cum thesauris in Galliam meditantem, conclamare iussit, vtque in domum eius, antequam abeat, irruant, occupent, deprædentur, edixit. In seditionem hac voce cõmota vrbe, nefarii per vicos excursabant, Herueumq; Floridum cum Comite Auellini, Cancellarii familiarem, iuxta Palatium obuium ex equo deiectũ, gladiis transfodiunt. Comitem vero extra vrbis portam, quæ areæ Palatii subest, fugientem cum insequerentur, lanceas proculdubio iam in eius exitium intendissent, ni Rex rumore subaudito ad fenestras prosiliens, magno clamore contra persequentes efferbuisset, extrema illis interminatus, ni viuum illum & incolumem ei præsentarent. Cum vero aliter Comes liberari nequiret, in arce maris, iussu Regis seruatus est. Post hæc conspiratores, & plebs, ac Regis sagittarii, qui semper in seditionibus primi consueuerant occurrere, pecuniæ & ipsi auiditate ardentes, repente in domum Cancellarii irruunt, eumq; obsident. Cumque milites, quos Simon Pictauensis domus custos per singula loca pro Cancellario opportune disposuerat, frustra, licet strenue, obsisterent: Cancellarius in tanto positus discrimine, cum proceribus quos apud se domi habebat, per ædem sacram domui suæ contiguam (quæ adhuc S. Marię Cancellarii nomen tenet) in campanarium locũ munitissimum se recepit. Quo Rex audito, magnam militum manum cum Rogerio Tyronensi Comestabulo e Palatio misit. Sed obsidentium multitudo resumptis animis in Regis auxilia impetum facientes, fugam simul omnes capessere compellunt, domumq; Cancellarii circumquaq; oppugnant. Obsessi vero de locis sibi deputatis ac statiuis non modo obsidentium vires frustrabant, sed apertis quoq; foribus eruptiones faciebant. Interea Matthæus Notarius & Gaytus Riccardus carceribus in quibus erant addicti, effractis, pristinam dignitatem nemine prohibente, quinimo & populo fauente, recuperant, & buccinatiis præeuntibus, ac rubis & tympanis, ante domum Cancellarii obequitant. Subinde Sarraceni & Christiani simul, audito belli signo omnibus notissimo, iussu Regis id fieri arbitrati, magno clamore ad domum Cancellarii concurrunt, portas ecclesiæ incendunt, atque omnibus aditum & ingressum præbent. Cancellarii milites, quibus immensa virtus periculi metum abstulerat, irruentibus se obiiciunt: sed tandem conspiratorum multitudine superante, in campanarium sese receperunt. Ita ea via conspiratores domum Cancellarii ingressi, cuncta diripiunt, deprædantur, milites ac pedites ibi passim repertos ad deditionem compellunt. Quo facto ad expugnandũ campanarium se conuertunt: sed strenue se tuentibus obsessis, ignem adiecta ma-

teria

teria campanario iniicere deliberant. Quo cognito, Rex suadente Regina e Palatio in subsidium Cancellarii exire statuerat. Sed Matthæo Notario, & cæteris conspiratoribus periculo eum deterrentibus, succurrere desiit. At cum aliquandiu conspiratores frustra turrim campanariam oppugnassent, missis vtrinque nuntiis cum Cancellario hac lege conueniunt, vt liber ipse Francique cum eo omnes abiurato Siciliæ Regno quo vellent abirent: Siculi vero Proceres, qui cum eo obsidebantur, in Sicilia remanerent, bonisque suis & oppidis potirentur. In hanc sententiam Riccardus Syracusanus Electus, Matthæus Notarius, Gaytus Riccardus, Romoaldus Salernitanus Archiepiscopus, Ioannes Episcopus Melitensis, iureiurando consenserunt. Igitur parata triremi postridie sub auroram Cancellarium e campanario cum paucis ministris eductum ad portum Gallicum (qui hodie Galli dicitur) perducunt. Vbi priusquam triremem ascenderet, Canonici Panormitani, qui cum reliqua ingenti multitudine aderant, vt Archiepiscopatui renuntiaret postulatemq; alium sibi eligendi Pastorem daret, minis territus dignitate se abdicauit. Cancellario paululum a littore auecto, consulares ad campanariũ regressi, cæteros Francos Proceres, quousq; nauigia pro eis trãsfretandis pararentur, ne a furenti populo interficerentur, in Parthenico & Carini Panormo vicinis arcibus, satis tuto præsidio seruarunt. Cancellarius a portu Gallico soluens, australem Siciliæ oram per Drepanum nauigans, Licatam appulit. vbi naufraga eius triremi nauem Genuensem nactus, in Syriam cum ea transfretauit. Interea Henricus Montis Canosi, & Riccardus Molisii Comites, pluresque Messanenses, 24. cum triremibus Panormum veniunt Regium magistratum renouaturi. Riccardum igitur Syracusanum Electum, Gentilem Agrigentinum Episcopum, Romoaldum Salernitanum Archiepiscopum, Ioannem Melitensem Præsulem, Rogerium Giracii Comitem, Riccardum Molisii Comitem, Henricũ Montis Canosi Comitem, Matthęum Notarium, Gaytum Riccardum, & Gualtherium Decanum Agrigentinum Regis præceptorem, Regis familiares ac curiæ Consulares instituunt. Decreuerunt deinde vt Gilbertus Grauinensis Comes cum Beltrando filio Comite, vxore, omniq; gaza regno egressi, in Syriam incolumes transmearent. Statuerant etiam & Hugonem Comitem Catacensem Cancellarii consanguineum regno pellere. Verum cum rudis ingenio nullam nouarum rerum suspicionem moueret, quin spem potius sua intercessione Reginæ indignationẽ mitigatum iri præberet, Siciliam incolere permiserunt. Paucis exinde diebus Gualtherius Decanus Agrigentinus Regis præceptor, a conferta plebis multitudine compulsis per minas Canonicis, consentiente tamen curia, non tam electus quam vi intrusus Panormitanæ ecclesiæ pastor præficitur. Quæ res factionis Cancellarianæ studiosis, ac Reginæ ipsi expectationem omnem restituendi Cancellarii ademit, nisi quod Romanæ sedis præsulem metu & minis factam electionẽ speraret non probaturum. Verum Petrus Caietanus Cardinalis, qui tum forte Panormi aderat, a Regina, quę iam sensim a Cancellario animum alienauerat, septingentis vncijs acceptis Romam profectus, ab Alexandro Romano Pontifice confirmationẽ & consecrationem impetrauit. Atq; ita anno salutis 1169. 3. Cal. Octob. Guielmi Boni anno quarto, in maiori Panormitana veteri ecclesia, præsente Rege & Margarita eius matre, cum magna omnium gratulatione, Gualterius ab Episcopis suffraganeis munus consecrationis ea lege, quam Regi etiam Papa concesserat, suscepit, vt a Regis latere, quo eum multo ante dignum censuerat, nunquam abesset. Gualterius in tantum dignitatis fastigium euectus extemplo curiæ statum immutauit: summamq; sibi potestatem retinens, Matthæum Notarium, & Gentilem Agrigentinum Episcopum sub se familiares instituit. a quo & Gaytus Riccardus Regius Camerarius, & Notarius Matthæus Vicecancellarius, & Lupinus Regis Seneschalcus creati sunt. Circa id ferme tempus 4. Februarii die, ad eius diei horam primam, vehemens terræmotus totam Siciliam & Calabriam concussit: quo Catana vrbs vsq; adeo subuersa est, vt non ædificia modo omnia, sed viros etiam ac mulieres circiter quindecim milia, cum Episcopo maximaq; monacho-

rum parte, ruina oppreſſerit. Plura præterea in Catanenſium & Syracuſanorum finibus oppida corruere, fontes paſſim noui apparuere, & veteres delituere. Montis Ætnæi vertex, qua Tauromínium reſpicit, factus eſt demiſſior. Arethuſa fons ſalſuginem adauxit. In Taui monte fons per duas horas abſtruſus, magno tandem impetu erumpens, ſanguineum laticem toto horæ ſpatio effudit. Meſſanæ denique mare pauliſper primum a littore cedens, ac mox cum furore recurrens, metas tranſgreſſum, portis etiam ciuitatis ſeſe infudit. His aliiſque ſignis Siculi perterriti nouam aliquam calamitatem portendi arbitrabantur, ac ne ſtatus in regno immutatio a Cancellario procuraretur, extimebant. Erant etenim multi proceres, qui auidiſſime Cancellarii aduentum præſtolabantur, quem & Regina maxime deſiderabat. Cuius votum Robertus Comes Loricelli libenter ſequebatur, quod eius opera nuper ab exilio fuerat reuocatus. Dum igitur in eo rerum metu eſſet Sicilia, repentinus de morte Cancellarii nuntius & Reginæ prorſus animum deiecit, & conſpiratores in ſecuritatem deduxit. Quo factum eſt vt ſumma rerum poteſtas, & negotiorũ omnium cognitio penes Gualterium Archiepiſcopum manſerit, moderatorq; & Regis & Regni æque dignoſceretur. Erat autem tũ Rex annorum ferme quindecim. qui vt primum Regni habenas ſuſcepit, iam inde pacis quietisq; ſemper fuit ſtudioſiſſimus, ac Romanæ eccleſiæ a primordiis Imperii ad ſummum vſque vitæ vndiq; obſeruantiſſimus. Quod in Alexandro tertio primum non obſcure declarauit. qui cum a Federico primo Cæſare cognomento Barbaruſa in vrbe Roma obſideretur, ne in diſcrimine ſuccumberet, magnam ei pecuniæ vim, ac triremes duas paratiſſimas miſit, quo fuga ſalutem, ſi res poſtularet, ſibi quæreret. Pontifex vero accepta pecunia triremes, tanquam ſibi eo tempore minus neceſſarias, duobus cum Cardinalibus, qui ipſum ſuper belli negotiis quotidie conſulerent, remiſit. ac Guilelmi tandem conſilio, cũ Fridericum ardentius vrbi capiendæ inſtare cerneret, noctu Roma diſcedens, Caietam primum, mox Beneuentum delatus, fœdus per viginti annos cum Venetis iniit, neque vnquam de pace cum aliquo tractauit, quin ſemper in libellis Guilelmus Rex inclusus intelligeretur. Cumque idem Pontifex componendæ cum Friderico pacis gratia Venetias petere ſtatuiſſet, Guilelmus Rex cum proceribus ſuis illi in Apulia obuiam factus, compluribus eum equis albis, ac tredecim triremibus inſtructiſſimis donatum dimiſit. Quibus Pontifex Venetias tranſuectus, cum Friderico, qui eo etiam conuenerat, atque in veſtibulo S. Marci pedes Pontificis exoſculatus eſt, inito fœdere, cum Guilelmo quoque Rege vltro citroq; per annos quindecim id commune eſſe voluit. Atque ita rebus ex ſententia compoſitis, cum eiſdem triremibus Sipontum reuerſus, a Guilelmo Rege iterum maximo honore exceptus eſt. Mortuo Alexandro, & Lucio tertio in Romanam eccleſiam ſuffecto, cum Andronicus Græcus, Alexio Cõſtantinopolitano Imperatori pupillo ephebo Manuelis filio tutor datus, pulſis Latinis, qui puero fauebant, Conſtantinopolitanũ Imperium, necato in vndis puero dũ laxandi animi gratia paruo nauigio huc illuc temere dilaberetur, vſurpaſſet, Guilelmus Rex generoſo animo has Andronici in Latinos puerũq; iniurias vlturus, ingenti coacto exercitu in Græciam cũ claſſe traiiciens, omnia perturbauit. Vbi cũ Theſſalonicã Macedoniæ vrbẽ vi cepiſſet, pluresq; alias Thraciæ ciuitates variis cladibus affectas partim expugnaſſet, partim diripuiſſet, nec vſquã Andronicus occurreret, (qui vel ob id q̃ multos occiderat, & pleroſq; exilio iniuſto dãnauerat, & Deo & Græcis omnib. inuiſuserat) tãtum effecit, vt tandẽ Conſtantinopolitani ciues Andronicũ captũ membratim infruſta diſcerpſerint, & Iſaac quendã Regia progenie exortũ e Pelopõneſo ad Imperium extulerint. Qui cum ſuadẽte Lucio Pont. vna cum Guilelmo Rege adrepetendam Terrã ſanctam ire decreuiſſet, Pontificis obitu res interrupta remanſit. Poſt hæc Guilelmus cõtra Ioſeph Marocci Regẽ mouit. Et deuicto Rege, captaq; eius filia, non prius in redemptionẽ puellæ conſenſit, quam Rex Africã vrbem (quã Abdul Mumen eius genitor patri ſuo Guilelmo, vt diximus, olim abſtulerat) ſibi reddidit. Qua victoria celeberrimum nomen acquiſiuit. Vrbano deinde tertio in Eccleſiã ſuccedente, cum Saladinus Sarracenorũ Rex capta iam Hieroſolyma Tyrum

rum a Christianis possessam dura obsidione premeret, Guilelmus Rex quadraginta triremes paratissimas (quibus Margaritus Siculus & natura & peritia audacissimus præerat) Conrado Montisferrati Marchioni Tyri præfecto in auxilium misit. Cuius classis aduentu obsidionem Saladinus fœde soluere compulsus est. Tempore quoque Clementis tertii, cum Fridericus Barbarusa, *P*hilippus Francorum, & *R*iccardus Anglię reges, cæterique *P*rincipes Christiani *P*ontificis impulsu contra eundem Saladinum Christianorum vrbes in oriente infestantem arma sumpsissent, Guilelmus rex pacatum cum suis triremibus a piratis mare continens, ad sacrum hoc bellum exeuntibus annonam etiam omnifariam ex Sicilia & Appulia subministrauit. Cum adolescere cœpisset, religioni addictus, patris thesauris in arce repertis, ad sacras ędes erigendas totus incubuit. Extra mœnia in vallis *P*anormitanæ radicibus super ædiculam. S. Kyriacæ (quæ Sancta Dominica hodie dicitur) templum musiuo opere toto orbe celeberrimum. D. Mariæ virgini dicauit, Cœnobiumq; ordinis. D. Benedicti illi annexum consensu Alexandri tertii *R*om. *P*ont. a fundamentis erexit: quod paucis annis perfecit, locupletissimisq; nō in Sicilia modo, sed Calabria quoq; fundis dotauit, pro vt ex eius diplomate, dato *P*anormi anno sui regni. 11. sal. vero. 1176. 15. Calend. Septembris, atque alio item priuilegio ibidem dato anno sui regni. 17. salut. vero. 1182. constat. Cumque deinde maiestas templi, *R*egisque frequens accessus variam eo hominum multitudinem pertraxissent, in oppidi magnitudinem prouectus incolatus, Montis *R*egalis nomē loco breui indidit. Quod regis liberalitas in ciuitatem metropolim indulto Lucii tertii postmodum euexit: cœnobiique Abbatem Guilelmum nomine, qui secundus in ordine numeratus est, in Archiepiscopum consecrauit. Sub idem tempus Gualtherius etiam *P*anormitanus Archiepiscopus, Guilelmi *R*egis auxilio templū maximum *P*anormi, & cœnobiū Sancti Spiritus Cistercienſis ordinis (quod *P*anormo ad quingentos passus meridiē obuersum abest) condidit. Margarita quoque *R*egis mater cœnobium ordinis. D. Benedicti non longe ab oppido Maniace, atque item alterum, sed monialium domicilium, iuxta. S. Marcum oppidum erexit. Ita Guilelmus post multam religionem meritaque rex pacis quietisq; amator, cum Angliæ regis Ioannam filiam duxisset vxorem, omnibus Christianis *P*rincipibus & populis pro merito Boni cognomento gratissimus, postquam quinque & viginti annos rerum potitus est, anno ætatis suæ. 36. salutis vero. 1189. *P*anormi nulla virili prole relicta hominem exuit, & in maximo tēplo tumulatus est. Cuius postmodum corpus in templum celeberrimum Montis regalis, prout ipse vltima voluntate decreuerat, translatum est. vbi pater eius porphyretico, filius vero ipse cęmentitio sepulchro ad pedes genitoris sepultus hodie visitur.

DE TANCREDO SICILIÆ REGE.

CAPVT VI.

GVILELMO Bono absque liberis, vel quoquam alio legitimo hærede demortuo, cum regnum iure publico ad *R*omanam sedem recidisset, magna rerum mutatio, grauesq; seditiones quietissimum a multis ante annis regnum inuasere: quippe quod cum Christiani promiscue tunc tēporis adhuc cum Sarracenis Siciliam incolerēt, eos sublato *R*egis timore opprimebant. Sarraceni oppressi, arces sibi occupabāt: ibiq; se munientes, ad occupandum Imperium non parum virium tandem allaturi videbantur. Ad hos igitur rumores sedandos, cogebantur Siculi regem eligere, vt rex electus rebus ferme perditis succurreret. Inter has angustias constituti, Tancredum *R*ogerii regis ex pellice prognatū, tumultuantib. paucis regem declarant. Erat Tancredus tantę secordiæ, vt eū Guilelmus rex ex *R*ogerio rege genitum negaret. Diadema tamen regium more maiorum Panormi suscepit. Inter hos turbines Gualterius Panormitanus Archiepiscopus Tancredo infensissimus, iniquo animo regnū a Tācredo

occupatum ferebat. Præsidebat eo tempore in Romana ecclesia Clemens tertius, qui sua iura repetiturus, copias militum contra nouum Regem in Siciliam misit. Quibus dum Tancredus acerrime obsistit, rapinis & cædibus omnia replentur. At cum eo tempore Clemens Sarracenis Ptolemaidem in Syria Christianorũ vrbem Duce Saladino oppugnantibus, satis nimis angeretur, Tancredo paulisper relicto, donec Christiani contra Sarracenos dimicantes, meliorem fortunæ euentũ nanciscerentur, exercitum in Asiam reuocat, & Tancredus liberatur. Itaq; anno salutis. 1190. Riccardus Angliæ Rex (cuius soror Ioanna Guilelmo Bono nupserat) & Philippus Francorum Rex, vterq; cum classe a Clemente, vt Reip. Christianæ in Asia afflictæ succurrerent, requisiti, cum Messanam forte appulissent, ibi ambo hybernare constituunt. Tancredus magno quidem apparatu Riccardum Regem, vt cui sanguine iunctus esset, excepit. At cum post nomine quietis dotem Ioannæ sororis viduæ a Guilelmo Rege relictæ intempestiue repetiisset: Tancredus veritus ne Clementis Pontificis partes contra eum sequeretur, cum non adeo ei confideret, omnia loca præsidio firmat: cum Messanensibus quoq; clam consilia conferr, quo Riccardum ab insula discedere, & iter inceptum maturare cogerent. Interea vero firmato iam consilio, dum licentiosius Angli per vrbem lasciuirent, Messanẽses occasione accepta, arma capiunt, atq; in aduenas hostiliter irruunt, vrbeque omnes eiiciunt, ac clausis portis ad obsistendum eis vt hostibus se parant. Riccardus, qui extra vrbẽ castra tenebat, iniuriam apertam grauissime ferẽs, milites suos arma capere, vrbemq; rupti fœderis edicta causa adoriri iubet. At dum Angli ad oppugnandam vrbem se instruunt, cautus Tancredus Legatos ad Riccardum mittit, qui exponant nihil suo aut Messanẽsium consilio, sed plebis leuitate tumulti commissum: in cuius authores Regem animaduersurum promittunt, iram modo ipse deponeret. Philippus quoque Francorum Rex sua authoritate plurimum ad cõtrouersiam mitigandam valuit. Quorum precibus excusationibusq; Riccardus placatus, vrbem oppugnare desiit. At Messanẽses, qui nihilominus Riccardi semel læsi iram timebant, intra mœnia se continere, pacisq; tempus ex industria differre statuunt, quousque veris initio classis abiret. Sed vbi Riccardus ludificari se ab oppidanis cognouit, indignatus, admotis confestim ad muros scalis, aliisque instrumentis bellicis, iniectoq; portis igne, tanto impetu per vnius dici spatium vrbem infestauit, vt disiectis mœnibus, portisque reuulsis, vrbe tandem sit potitus, magna ciuium strage edita. quam maior etiam cædes fuisset secuta, nisi victor ciuiũ precibus veniam misere petentium motus, receptui canere iussisset. Sedato tumultu, & ciuibus aliquot seditionis authoribus morte mulctatis, Tancredus non multo post affuit, & pecunia mutuo a mercatoribus accepta, redditaq; Ioannæ Reginæ dote, nouo affinitatis vinculo, pacem cum Riccardo firmauit. Cuius filio Arturo Britanniæ Duci, filiam in vxorem se daturum pollicitus est: quod nec Riccardus recusauit. Atq; ita rebus compositis Philippus prior, ac dein paulo post Riccardus assumpta Ioanna sorore Guilelmi Boni vidua, Messana cum tota classe soluentes Ptolemaidem in castra profecti sunt. Interea Clementi tertio defuncto Cælestinus tertius in Romanam sedem successit. Qui & ipse ægerrime a Tancredo Siciliã teneri ferens, tertio post coronationem die Henricum, Friderico AEnobarbo Cæsare patre in Armenia defuncto, iam a Germanis in Regem Romanorum electum, ea lege Imperatorem confirmauit, vt suo sumptu a Tancredo Siciliam repeteret, & Romanæ Ecclesiæ censum solueret annuum. Quod vt iusta ratione facere posset, Constantiam Rogerii Regis filiam quinquagenariam, a Gualterio Archiepiscopo suo iussu e sacro Panormitano clam eductã, vxorem ei tradidit, cui hæreditario iure regnũ id a parentibus relictum debebatur. Hoc fama per manus ducta viuo ore oẽs tradunt Siculi, asseuerantq; eorũ annales quotquot extant, & authores plurimi: quin & diplomata ac decreta Cælestini Papæ, quibus Constantiã votiua virginitate absolutã ad legitimas cũ Henrico nuptias admisit, (quæ hucusq; & in Archiuo Romano, & in decretis publicis legũtur) in id cõsentiũt. Acceditq; propiad fidẽ hęc opinio quã quod a Germanis traditur, Friderico primo Cęsare viuente Henricũ filiũ cũ Cõstantia Rogerii regis filia ętate florẽte, cũ Guilelmi fratris Sicilię

Regis

Regis consensu, matrimonium iniisse. Igitur Henricus cum Constantia vxore e Germania ad Regnum Siciliæ sibi capessendum in Italiam veniũt. Quo audito Tãcredus Panormi Barbacanes (quos antemuralia nuncupant) pro mœnibus vrbis, quo munitiorẽ eam redderet, a fundamentis extruxit. Cui & Siculi Teutonicæ sæuitiæ metu fauere quamplurimum. Sed cum Henricus & Cõstantia Neapolim oppugnarent, peste per exercitum grassante, siue (vt alii scribunt) a Tancredo superati, obsidionem soluere, & in Alemaniam redire compulsi sunt. Tancredus tandem anno salutis. 1195. Regni vero sui anno quinto, morbo correptus, Rogerio natu maiori (quem anno secundo sui Regni Ducem Appuliæ instituerat, vt diplomata ipsius Tancredi, & instrumenta tabellionum publica eo tempore Panormi edita adhuc testantur) Rege successore declarato, & Alteria, Constantia, & Madonia filiabus relictis, in ea vrbe decessit, & in maiori ecclesia tumulatus est.

DE ROGERIO SECVNDO SICILIÆ REGE.

CAPVT VII.

TANCREDO mortuo, Rogerius filius (quem Guilelmum plerique falso appellant) a Siculis Rex salutatur. Verum Henricus audita Tancredi morte, continuo magna Germanorum manu instructus, cũ Cõstantia vxore grauida ad Regnum sibi iure vxorio debitum repetendum Neapolim reuertitur. Rogerius, qui Siciliam & potiorem Neapolitani Regni partem possidebat, hostis aduentu cognito, terrestres nauales q; apparatus & ipse collegit, ac Neapolim omni commeatu & præsidio muniuit. Henricus nihil cunctatus Neapolim obsidet. Sed cum obsidio in longum protraheretur, superioris cladis non immemor, nec ignarus quantum diuturna mora in bellis sociorum animos auertere soleat, tum sumptus bellicos etiam sibi defuturos præuidens, ad ingenium se conuertit, fraudemque concordiæ simulatione prætexuit. Tandemque Rogerium iuuenem, & viribus propriis diffidentem, eo sua arte pertraxit, vt diuiso regno Siciliam Henricus, reliquum vero Rogerius teneret. Hac concordia dum Rogerius plus satis Henrico confidit, anno salutis. 1195. pridie Calend. Decembris Henricus Panormũ venit, ac more Regio intra vrbem receptus Rex etiam declaratur. Rogerius interea dum ad sua iura prætendit, nil tale metuens, in vrbe Panormo cum Alteria, Constantia, & Madonia sororibus, 3. Calẽd. Ianuarias captus Henrico deditur. Nec mora, regno omni a Germanis occupato exauthoratus, miser mœstusque, cum sororibus in Alemaniam relegatus, & luminibus priuatus est. Vbi vt spem omnem ei successionis Henricus adimeret, & de iure hæreditatis futuræ posteris litigandi surriperet causam, genitales illi partes desecans, Eunuchum fecit, ac carceri ad mortem vsque addixit. Ita Rogerius rex, sub alieno cœlo, extincta in eo Normannorum sobole, (ex qua olim in Sicilia permulti & magni etiam Principes annos centum trigintaquinque regnauerunt) longis fletibus querelisque, translato ad Sueuos regno, fessam tandem emisit animam.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER VIII.

DE HENRICO SVEVO SIciliæ Rege, & quinto Romanorum Imperatore.

CAPVT I.

HENRICVS Cæsar huius nominis quintus, (siue sextus, vt alii colligunt) ex Sueuia Germaniæ superioris regione, patre Friderico primo Cæsare ex Sueuorum sanguine totius orbis nobilitate, ac multorum Cæsarum propagatione clarissimo natus, cum Constantia vxore Panormi more maiorum Regium diadema suscepit. Is morum duritie (quod non solum in Rogerium Regem, sed in eos quoque qui Tancredo & Rogerio fauerant, statim initio sui Regni Panormi sęuiit) Asper a quibusdam est appellatus. Nam Præsules, Comites, clericosque, qui coronationi Tancredi & præfuerant & interfuerant, trucidauit, eodemque die extra vrbis mœnia, in agro quem Geneardum tunc vocabant, iuxta Cubam Regis pomarium, passus ferme quingentos ad occidentem palatio Regio subiectum, combussit, cæteros vero exilio mulctauit. Firmato regno, siue antea, (vt diuersa est opinio) cum Constantia vxor prægnans esset, ne suspicio eam (vtpote annosam) vterum mentitam partum sibi suppositurum exoriretur, in medio Panormitanæ ecclesiæ vestibulo, (si Panormitanis, & plerisque scriptoribus credimus) siue in Giezi Appuliæ vrbe (vt cæteri propius vero tradunt) tabernaculum ei tendi iusserunt. Vbi ventre custodito, nulla matronarum exclusa, palam & populo spectante, Fridericum secundum Cæsarem enixa est, mense Decembri in festo Sancti Stephani. Sunt qui scribant Henricum Friderico filio adhuc in cunis vagienti Imperii electores induxisse, qui ei de more, veluti Regi Romanorum, fidem adiurauerunt. quod & Fridericus ipse in quadam inuectiua testatur. Constans fuit fama, Henricum, dum Panormi ageret, ingentem thesaurum a Normannis Regibus tanto prius tempore, tantaque successorum prosperitate congestum, clam expilatum in Germaniam transmisisse. Interea vero Saladino Hierosolymitano Sarracenorum Rege mortuo, Cælestinus Papa in magnam recuperandæ Hierosolymæ spem erectus, Henricum ad se Romam accersiuit, multisque ibi cum eo egit vt Hierosolymitanæ expeditionis officium ipse sumeret. Quod quidem onus etsi ipse non obiuerit, per ministros tamen & Duces sedulo exercuit, euocataque ex omni Siciliæ Regno numerosissima classe, & ex omni Germania confertissimis copiis, Maguntinum Archiepiscopum, & Saxoniæ Ducem exercitui præfecit. Qui in Asiam traiicientes, vrbē Ioppen a Sarracenis obsessam liberauerunt, & cætera Christianorum oppida munierunt, perrecturi proculdubio Hierosolymam, ni & Cælestini & Henrici pariter obitus iam memorabile facinus interrupissent. Henricus nanque Messanam reuersus, non multo post in febrem incidit, ex qua anno sui imperii septimo, Siciliæ autē Regni quinto, salutis vero. 1199. sub Romani Pontificis tutela Friderico quinquenni filio, & Constantia vxore, Philippo vero suo germano fratre, quem totius Ethru-

Ethruriæ Ducem constituerat, Romani Imperii pro filio tutore relictis, moritur, ac Panormum postea translatus, sepulchro porphyretico in maximo templo conditur. Mortuo Henrico, Germani, vt qui erant in Asiaticis castris, in seditionem acti, relicta Asia in Europam cum maxima Christianorũ iactura rediere. Complura quidem alia Henrico regnante in Sicilia gesta memoratu digna obtigisse satis est verisimile. Sed cum illorum authorem non habeam, & ea in Regum Archiuis diu frustra perquisierim, ægro animo prætereo.

DE FRIDERICO SECVNDO Cæsare, & primo Siciliæ Rege.

CAPVT II.

FRIDERICVS Henrici vnicus filius Sueuiæ Dux, infans adhuc Sicilię regno succedit. Verum cum ob Henrici subitam mortem varii vbiq; motus emersérint, Constantia Regina cum filio Panormum venit, & Raynerium Torcianum Comitem, qui regnum pro pupillo administraret, ex Sueuia in Siciliam accersit. Is gubernaculis susceptis, Procerum quorundam factione fretus, non tutelari, sed proprio nomine res gerebat. Quo animaduerso Panormitani Fredericum sub suam ipsi tutelam suscipiunt. At non ita multo post in Germania inter Electores nõ parua seditio coorta est, quod pars Othonem Ducis Saxoniæ fratrem, pars vero Philippum Henrici fratrẽ in imperio pro filio substitutum, conseruandum censerent. Hæc competitio diutissime durauit: quod Philippi & pueri Philippus Franciæ Rex, Othonis vero Rex Angliæ partes sequerentur. Innocentius tertius, qui Cęlestino in Pontificatum successerat, in ea controuersia Othonem Imperatorem declarauit, & apud Aquisgranum maiorum de more coronari voluit. Nec Philippus Friderici patruus propterea ab incepto destitit, sed Ethruriam in Italia, Sueuiam in Germania, & maximam partem in Appulia & Campania sibi confirmauit. Constantia quoque Regina pueri mater, non segnior (præter conditionem sexus) vtrobiq; regnũ filii, arces ac oppida muniens, constantissime gubernabat. Interea Fridericus ad septimum ætatis annũ prouectus, more maiorum Panormi in Siciliæ Regem coronatus: nec multo post eodẽ anno ipsa Cõstantia mater, filio Rege sub tutela Innocentii tertii Rom. Põtificis relicto, naturę cessit. Atq; ita Fridericus puer parentibus orbatus, (quorum effigies vix agnoscere potuit) anno postmodum salutis. 1209. Constantiam Aragonũ Regis filiam decimo quinto Cal. Ianuarias Panormum ex Hispania ad id venientem vxorem duxit: ex qua æui successu Henricum & Conradũ filios suscepit: licet ex Iole postea secunda vxore eos progenitos plurimi scribant. Dũ hæc in Sicilia geruntur, Philippus Friderici patruus cõtra Othonem in Germania multa bella prospere gessit, & fugato sæpius hoste rerum tandem ipse potitus est. Nec diu in Imperio per vim adepto perstitit. Nam cum vix nonum imperasset annum, a Palatino Comite per insidias interfectus est. Quo occiso, Otho a Germanis proceribus ad dirimendam discordiam suffectus, ab Innocentio sequenti anno Romæ diademate Imperii insignitur. Qui paulo post iuramento, quo se in coronatione de more astrinxerat, neglecto, totam pene Flaminiam, quæ Põtificiæ ditionis erat, sibi occupat, & Friderici Regis ex inopinato Regnum inuadit, ac plura in Cãpania oppida capere adnititur. Innocentius & tutelæ officio coactus, & propria lacessitus iniuria, cum frustra Imperatorem vt resipiscceret, diu admonuisset, diris tandem declaratum hostem petit, ac Imperij etiam titulis priuat. Quo cognito Germani Duces Fridericum Siciliæ Regem, ex professo illi hostem, qui quartũ decimum tunc agebat annum, persuadente id etiam Pontifice, Imperatorem creant, ac per Henricum Nifenum, & Anselmum Iustigenum viros militares ad Imperium ex Sicilia euocant. Romam Fridericus a Papa accersitus cum venisset, tametsi non sine summo honore exciperetur, coronam tamen Imperij ab Innocẽtio impetrare non potuit: quippe quod Pontifex, nomen eius agnomenq; ob aui

memoriam ſuſpecta habens, illum Italia procul abeſſe volebat. Interea Fridericus blandis tantummodo verbis delinitus, vt arte artem deluderet, pro tempore indignitatem diſſimulandam ratus, in Germaniam abiit. Vbi ſtatim Alemanici Regni inſignibus a Maguntino Archiepiſcopo Maguntiæ decoratus, Aquiſgranum petit. Ibi regiam iterum de more, Innocentii etiam conſenſu, coronam accepit, aſſumpto crucis ſigno: quo voto ſubſidii Chriſtianis in Aſia bellum contra Sarracenos gerentibus afferendi ſe deuinxit. Quod vt ratum gratumque Pontifex haberet, Fundanum Comitatum in Neapolitano Regno ſitum dono illi dedit. Quo Innocentius allectus, ad coronam Imperii Romæ ſuſcipiendam, quam ei eouſque denegauerat, Fridericum inuitauit. Sed dum ad iter ſe parat Imperator, Pontifex diſcordię inter Piſanos, & Genuenſes, ac Lombardos, qui acerrimo bello ſe mutuo fatigabant, mitigandæ gratia Peruſium venit. Vbi anno ſui Pontificatus decimo octauo defunctus, Honorium tertium ſucceſſorem habuit. Hic Othone iam præmortuo Fridericum anno ætatis ſuæ decimonono, ſalutis. 1220. menſe Nouembri, in feſto. S. Ceciliæ, Romæ opera Hugonis Hoſtienſis Epiſcopi Imperiale infulam induit. Cui viciſſim Fridericus oppida multa plurimaque munera egregia grati animi teſtimonio contulit. Inde cum paulo poſt vidiſſet quoſdam Proceres in Appulia res nouas moliri, oppida plura oppugnare, in Thuſcia quoque bella machinari: coactis ipſe copiis coniuratos adoritur, rebelles in exilium mittit, Epiſcopos nonnullos in Sicilia, Campania & Appulia, qui contra eum etiam conſpirauerant, exauthoratos ſolum mutare coegit, ſuffectis in eorundem locos aliis, de quorum fide meliora ſibi pollicebatur. Exules Epiſcopi Romam perueniunt, Pontificis aures rumoribus implent, & ſubſidium implorant. Honorius exulum querelis prouocatus, per Legatos cum Pontificia authoritate Fridericum rogat, inauthoratos Epiſcopos reſtituat, ne poteſtatem ſibi eccleſiaſticam vſurpet, præſertim quod ſi præter fidem aliquid ab exauthoratis commiſſum eſſet, ipſe iuris ſui Regni deuotioribus fidelioribuſque eccleſias prouidere haberet in animo. Ad hanc Legationem indignatum Imperatorem contumaciter reſpondiſſe fertur: cũ Imperatoribus quadringentis & amplius annis a Carolo Magno licitum fuiſſet dignitates Archiepiſcopales, necnon & cæteras omnes in ſingulas prouincias per annulum & virgam conferre: non ſe Henrico patre, non Friderico auo inferiorem: idem onus ampliandi imperii ſibi incumbere. cumque Siciliæ Reges, & matrem eius Conſtantiam Reginam, electionis Prælatorum ius peculiare ſemper habuiſſe conſtaret, eam in ſe vnum indignitatem nec Guilelmi Regis auunculi in Romanã eccleſiã beneficia, nec parentis Henrici liberalitatem meruiſſe. denique in has cõtumelias per iracundiam prorupiſſe eum ferunt: Quouſque tandem patiẽtia mea abutetur Pontifex? quando ambitioni ſuæ modum ſtatuet? Marcualdus Flaminiæ Prouinciæ meæ præfectus ab Innocentio Pont. tertio, dum in cunis ego agerem, imperio eiicitur, vt me infantem Hexarchatu Rauẽnæ ſpoliet. Theobaldus Piceni Prætor ab Henrico genitore inſtitutus, a Pontifice exigitur, vt me pueruli etiam hac priuaret dignitate. Hetruriam mihi adoleſcenti ſublaturus, per nuptias Philippum patruum deludit. Fundanum Comitatum mihi ad Imperium euocato emunxit, coronam liberi Imperii multis muneribus nundinari me oportuit. Iam & Imperatoriam maieſtatem, quam ſuffragio proprio Pontifex ratam habuit, contemptui habere incipit. Quis hanc in Pontifice præpoſteram ferat ambitionem? Ite renuntiate Honorio, coronam me prius depoſiturum, quam commiſſurum vt tantæ maieſtati me imperante diminutio inducatur. Hoc reſponſo accepto Pontifex commotus, hoſtem Eccleſiæ Fridericum pronuntiatum diris deuouit. Nec e diuerſo minus iratus Fridericus magno impetu Pontificis inuadit oppida. Sed cum interea in Sicilia anno ſalutis. 1221. Sarraceni a Friderico deſciuiſſent, relicta Italia in Siciliam venit, hoſteſque domeſticos magna vi ſuperatos plana & inferiora loca habitare compulit. Quo in Sicilia moram trahente, anno ſalutis. 1222. 3. Calend. Iunias, Conſtantia Aragonia Imperatrix apud Catanam defuncta, Panormum poſtea translata eſt. Iuſtis poſtea coniugi perſolutis in Germaniam Fridericus, vt rebus conſuleret, reuerſus, comitiis Herbipoli habitis, Henri-

Henricum filium natu maiorem Imperii consortem, & Aquisgrani diademate insigniri fecit. Durauit sesquiannum & paulo amplius inter Honorium Pōtificem & Fridericum Imperatorem hæc discordia, cum Ioannes Brenna Hierosolymitanus Rex desperatis in Syria rebus, Pontificis ac principum Christianorum occidentalium subsidium imploraturus, in Italiam traiicit, ac per Tyberim Romam delatus ab Honorio benigne suscipitur. Indicto Senatu, quo in statu Syriacæ res sint, coram exposuit: proinde se aduenisse vt consilio, ope, & auxilio occidentalium Principum implorato, mature rebus Hierosolymitanis occurreret: quippe qui commodam ad id rationem inuenerit, si contracta cum Friderico Imperatore, Principe (se iudice) multo omnium maximo, affinitate, tum titulum eidem ac ius omne Regni Hierosolymitani renuntians, potentiam tanti viri ad sactum hoc bellum totis animis capessendum sibi conciliauerit. Hoc confractas Syriæ opes, hoc & tempora ipsa exposcere. Sin vero alia via superset, se Pontificis consilium non recusaturum pollicetur. His propositis, diu in Senatu impari voto consultatum est. Fridericus enim cum hostis esset ecclesiæ, sacrisque abstentus, cum Honorio non conueniebat. Post longam tandem Cardinalium disceptationem, persuasus est Honorius vt restitutis oppidis quæ occupauerat, absolutus Fridericus, & in amicitiam receptus ecclesiæ, Iolen Ioannis Brennæ Regis filiam vxorem duceret, titulum Hierosolymitani Regni & ipse, & qui deinceps in Regno Siciliæ succederent, per successionem gererent, & in Asiam cum milite subsidiario se traiecturum iuraret. Nec mora: in Asiam pro puella mittitur: Fridericus ab Honorio interea absoluitur: cui vicissim & ille oppida restituit, & in Syriam se cum exercitu subsidiario transiturum iurat, & titulos noui regni accipit. Sed cum expeditionem Fridericus differre nonnihil videretur, in cunctantem Honorius animo infenso ferebatur, & iam denuo acerbius quiddam in suspectum statuisset, nisi interea anno salutis. 1226. & Pontificatus sui decimo obiisset. Huius successor Gregorius nonus initio statim sui Pontificatus Fridericum vrget, ac sub diris etiam monuit, vt primo quoque tempore in Asiam cum expeditione traiiceret. Sed cum diu Fredericus moram suam per sacramenti, quo inita inter Sarracenos & Christianos pax firmata erat, religionem, purgasset, commodum affuit Iole Friderici sponsa, quæ iam in portum Pisanorum applicuerat. eaque de causa Ioannes demum Brenna Rex Romam profectus, cum Pontifice reconciliationem Friderici, ac filiæ nuptias his legibus concluſit: vt Fridericus electionis ius nonnullaque oppida, quæ in Campania detinebat, restitueret, ac primo quoque tempore cum copiis in Asiam properaret. Romam itaque Fridericus ex Pontificis decreto accessit. cui cum de more Gregorius pedem dextrum exosculandum exhibuisset, Imperator genua (errorene lapsus, an superbia, incertum) summis vix labellis basiauit, vt Germani referunt. Quod quidem altius, vt par erat, in Pontificis animo hæsit, quam vt vnquā excidere potuerit. Sed cum præsidia omnia Friderici militibus essent occupata, omniumq; animi in fauorem illius essent addicti, iniuriæ vindictam in tēpus opportunum distulit, ac ad aram maximam comitatus illum benedixit, ædibusq; Pontificiis excepit. Deinde instructo ad tēpus comitio, Iole in publicum veniens a Pontifice coronatur, atq; in Imperatricem vncta, Friderico Imperii insignibus decorato, iunctis more maiorū dextris, annuloq; dato, copulatur. Porro celebratis nuptiis Fridericus Neapolim transiit, atque inde in Siciliam traiecit. Vbi rebus compositis Rauennam, & postmodum Cremonam petiit, ibique anno. 1227. Procerum conuentu habito sacræ expeditionis consilia tractauit. Audierat enim Conradinum Sarracenorum Regem in Syria Christianos lacessere, & ab Arsacida instinctu Conradini sicarios in Europam missos, qui Christianos regestrucidarent, ac iam tum Francum Regem, vt insidias præcaueret, nuntium accepisse. Quæ omnia ad festinandum bellum eius animum confirmauere. Primū igitur Gregorio Pontifici consiliū aperit, vtque subsidio sit, hortatur. Henrico deinde filio Cæsari mandat, vt apud Aquisgranum indictis Comitiis de bello Hierosolymitano referat. Vbi cōuentu habito omnis Principum ordo affuit, & bello cōsensit. Ingens itaq; hominū multitudo cruce signata ad certā diem Duce Ludouico

Turingiæ Lantgrauio,& Sigefrido Rechbergensi Episcopo,qui ibi tũ aderant,Brũdusii ad traiiciẽdum in Syriam adesse sunt iussi. Ioannes quoq; Brenna Rex vulgata fama excitus ex Gallia,quo petierat,cũ Berengaria vxore, vt gerendo bello interesset, eo mox transiit. Sed dum classis apud Brundusium paratur, cœli inclementia Lantgrauius ac Sigefridus cum magna militum manu viuere desierunt. At Fridericus interea simulata,vt Ecclesiastici,siue aduersa, vt Germani scribunt,valetudine detentus,rem differebat. Verum ne Reipublicæ Christianæ deesset, classe tãdem in altum deuehitur. Cumq; inter Peloponesi & Cretæ insulæ angustias teneretur,contraria ventorum vi morbo reualescente,coactus cum iis qui in Laconica regione constiterant,Brundusium reuertitur. Ludificari Fridericus rem Christianam per hæc visus,a Gregorio publicis tabellis excommunicatur dictis hisce causis: quod in Asiam non ad bellum hostile, sed ad Lantgrauii pecuniam, supellectilem,omnemque belli apparatum diripiendum traiecisset: quod iurisiurandi immemor,simulata ægritudine rediisset: quod ingenuæ cuiusdam puellæ, quæ Iolæ vxori adseruiebat, stuprum intulisset: quod zelantem coniugem,quod apud Ioannem patrem conquesta esset, verberibus affectam in carcere enecasset: quod pusillanimitate & cunctatione sua meticulosa iamdudum Damiata vrbs in Syria a Christianis amissa, & copiæ in Asiam missæ proditæ sint. At Fridericus e contra missis ad Principes literis,quæ passim hodie legũtur,rationem gestorum reddidit, notamque sibi iniectam diluere conatus est. Sed cum frustra absolutionis beneficium officiosa excusatione quæsiuisset,paratis iterum rebus,reparataq; classe,3.id. Aug.anno salut. 1228. Brundusio soluit in Asiam traiecturus, commissa Raynaldo (Ducis Spoleti filio)Siciliæ,Appuliæ,& Campaniæ Præfectura. Is sine consilio statim agri Piceni fines adortus,nonnulla Pontificis oppida subita vi occupat. Gregorius,ratus hæc Friderici fraude patrata,primum ad Hierosolymitanum Patriarcham,cæterosq; proceres militesq; qui in Syria erant,occulte literas dedit,vt ab eo cauerent,quippe cum se insalutato cum exercitu nec adhuc reconciliatus abiisset, vereri se, ne sua perfidia cladem aliquam Christianæ Reip. inferat. Deinde Ioannẽ Brennam regem Rauennæ ac totius Flaminiæ Hexarchum dicit,eumque cum valido exercitu Raynaldo ex vna parte, ac diuersa parte Columnensem Cardinalem pari armorum robore alteri Friderici Præfecto ad Sanctum Germanum opponit. Hic paruo labore præfecto eiecto, cunctas Campaniæ vrbes Capuam vsque recepit. Raynaldus,& qui pro Friderico in Piceno erant, cognita sociorum calamitate,confestim intra regni fines vix ægre se receperunt. Peruenerat iam Fridericus in Cyprum insulam, cum Corradinum Hierosolymæ regem defunctum vita comperit,liberorumque eius tutorem cum iis qui illum præcesserant, ad biennium inducias pepigisse. Proinde vt primum in Asiam venit, Raynaldum Bauarũ equitum magistrum Ptolemaidem cum copiis non contemnendis præmittit.Is,vt iussus erat, de pace cum Sultano agere cœpit. Templarii, Venetique, qui Pontificis literas receperant,statim tumultum excitarunt,prodi res Christianas exclamãt, populum ad libertatem conuocant. Sed a Raynaldo suppressa seditione,& Venetis vrbe pulsis, Fridericus consilio & ope Genuensium, Pisanorum, & Hospitalariorum, ac Teutonicorum militum in Syriam venit. Vbi tandem conditionibus honestis, ac Reipub. Christianæ saluberrimis, pacem cum Sultano firmauit. Fuerunt autem hæ eius formulæ: Fridericus Hierosolymorum Rex inungatur: ipsam vrbem Hierosolymam cum Palęstina habeat: Nazareth, Ioppen, cum oppidis & fundis instaurare ac munire illi liceat: eaque quæcunq; antea in potestate Balduini quarti fuerant, & per Saladinum ei erepta, Friderico restituantur: captiui sine pretio libertate donentur: Sultani vicissim templum Domini in Hierosolymis integrum reseruetur: Crath quoque præsidium,quod Arabiam spectat: insuper & Mons Regalis. Atque ita pace in decenniũ concluſa, Friderici industria res Christianæ in Syria absque Christiani sanguinis effusione accreuere: licet victori fœdus cum Barbaro ictum, & Christi sepulchrum (pro quo bellum susceptum fuerat)in manu Sarracenorum adhuc relictum,probro datum sit,cum diceret, si oppugnationem tentasset, proculdubio vrbe & regno per vim potiturum fuisse: quod& Barbari

Barbari ipſi fatebantur. vtcunque tamen ſeſe res habuit, rata concordia ipſe cum exercitu Hieroſolymam peruenit. vbi ipſo ſolenni Dominicæ reſurrectionis feſto, anno ſalutis 1229. Regni ciuitatiſque Hieroſolymorum ſacras infulas ſuſcepit, ac coronatus eſt, præſentibus omnium illius regni vrbium legatis ac proceribus, Patriarcha ſolum, clero, Cypri Regis legato, ac Oliuerio templi magiſtro cum ſuis militibus, ob Chriſti templum Sarracenis relictum, conquerentibus: quos & Pontificis minæ etiam exterruerant. Fredericus deinde Hieroſolymitano Regno inauguratus, vrbis muros a fundamentis reparat, ædes ſacras reſtituit, quaſdam ex integro extruit. Nazareth & Ioppen reficit, militibus, armis, commeatu, & rerum omnium copia communit. Tandemque rebus optime cõſtitutis, Syriæ Raynaldum præficit, ac claſſe, milite, equiteque ad domandos rebelles illi adſcriptis, duabus ſolum cum triremibus in Appuliam reuerſus eſt. Quam cum occupatam a Pont. inueniſſet, iniuriam quidem diſſimulat, & vt Pontifex de recepto Hieroſolymitano Regno ac pace formulam ratam habeat annititur. Obedientiam ac iuſtitiam illi exhibet, & ſiquid deliquerit, veniam petit. Pro hac venia, & limitibus Appuliæ apud Pontificem Leopoldus Auſtriæ, Otho Morauiæ, Bernardus Carinthiæ Principes, Sibotus Gundelfingenſis, & Seufridus Ratiſponenſis Epiſcopi, & Bertolaus Patriarcha Aquilegienſis e Germania accerſiti, per annum omni officio fruſtra interceſſerunt. Quibus infecta re diſcedentibus, ſequenti anno Hermani Teutonici ordinis Magiſtri, ac Meſſanenſis Archiepiſcopi interuentu, Pontifex tandem Fridericum a diris abſoluit, Imperii, Regnorumque Siciliæ ac Hieroſolymæ titulis reſtituit, centum & viginti vnciarum auri milibus pro totidẽ in bellorum expenſis ab eccleſia erogatis, a Friderico in pontificium ærarium relatis. Porro conciliatus Pontifici Fridericus contra Henricum filium (qui patre in Syria occupato, Regnum Alemaniæ ſibi occupare tentauerat) ſe vertit: eumq; maieſtatis læſæ, ſiue (vt alii ſcribunt) quo partes Pontificis tueri videretur, publico iudicio damnatum, cum duobus liberis capi iuſſit. qui apud Marturanum Calabriæ oppidum carceri tenuiſſimo victu ad mortẽ vſque addictus, ex inedia obiit: eiuſq; corpus apud Coſſentium in æde maiori poſtea conditum eſt, Conrado eius germano fratre in Regnum Romanorum a Germanis ſuffecto. Poſt hæc anno ſalutis 1232. menſe Auguſto, Fridericus cum contra Romanos, qui Viterbium obſidebant, bellum Pontificis nomine ſtrenue gereret, orta authore Martino Ballone in Meſſana & pleriſque Siciliæ oppidis, quæ prorſus ab eo deſciuerant, ſeditione, confeſtim liberato Viterbio, Meſſanam venit. Qua non multo labore recepta, & Martino exuſto, Syracuſas poſtea, & Nicoſiam, quæ quoque ab eo rebellauerãt, ſeditioſis pœna mulctatis, ad officium retraxit. Centoripen quoque vrbem, quæ contumacius ab eo defecerat, magna vi expugnatam funditus deleuit: & Auguſtã tunc vrbem condidit, quam Centuripinis habitandam dedit. His in Sicilia geſtis Fridericus in Italiam reuerſus, cum Corrado filio Romanorum Rege ad Gregorium acceſſit. a quo benigne primum exceptus eſt. Verum paulo poſt ob iura, quę diu in Regno Siciliæ ſubtracta, & ciuitatem Caſtellæ (vt conuentum fuerat) non reſtitutam, ac pleraque alia, quæ ſibi deberi Fridericus prætenderat, nouam cum Põtifice cõtrouerſiã exorſus eſt. Quare Gregorius patrũ decreto rurſus eum in die cœnæ Dominicæ diris deuouit. Quo cognito Fridericus, cum per epiſtolã apud Reges & populũ Romanum nequicquã ſe tueretur, & Põtifex contrario reſcripto ſuam ei cauſam probare conaretur, re iam ad inuectiuas vltro citroque producta, ſubinde in Venetos, Mediolanenſes, Brixienſes, ac cæteras Lombardiæ vrbes, quos contra ſe cum Pontifice bellum iniiſſe audiebat, Imperator mouet. Poſt hæc Piſas profectus, cũm ſummo honore a Piſanis exceptus eſſet, neque ſatis exploratũ haberet quæ gentes imperialibus fauerent partibus, omnes Italiæ ciuitates oppidaq; circũiens, quos ſui ſtudioſos inueniebat, hos Gibellinos, Pontificis vero fautores Guelphos appellauit. quod execrandum factionum a Friderico inuentũ, ad Barbarũ Germanicumq; nomen, ad meam vſque ætatem in Italia adhuc perſeuerat. Copias in vrbem Romam fiducia Romanorum, quorum magna pars a Pontifice diſſidebat, duxit. quo cõtra Gregorius in ſui auxilium, multos ex iis qui cruce

insigniti erant, euocauit. quorum si quos Fridericus capiebat, crudelissime in eos sæuiebat. Subinde in Campaniam secessit, & inde Samnium ac Picenum: & demum omnem iram trãsfudit in Prælatos. quorum multos Archiepiscopos Episcoposque partim occidit, plures carceri addixit, nonnullos exilio mulctauit: in quibus fuerunt Cephalœdensis & Catanensis (cuius fuerat alumnus) Episcopi. Qui omnes Romam profugi Pontificis aures tumoribus impleuerunt, subsidiumque imploratunt. Pro quibus ille literas ad Fridericum dedit, quæ adhuc extant. Templa plura ob belli necessitates depilauit, ædemque Diuæ Mariæ Admirati Panormitanam omni auro & argento sacro spoliauit: cui Scupellum oppidulum obid dedit. Nummos ex corio militibus distribui iussit, quousque ex argenteis illis restitueret: quod & paulo post effecit. Adeoque furiis Fridericus incensus in vrbes Italiæ ferebatur, vt maxima pars fugam e patria quæsierit. Hinc moti complures Lombardi, cum coniugibus & liberis, relicto natali solo, Oddone Camarano milite duce, Scupellum in Sicilia Friderico indulgente inhabitarunt. Quo ob lociangustiam & recentes piratarũ incursiones deserto, Corilionem in mediterraneis, eodem largiente, anno salutis. 1237. transmigrarunt. Porro cum tandem Fridericus per Berardum Panormitanum Archiepiscopum, Florentinum & Rheginũ Episcopos, & Thaddæum Suessanum magnæ Regiæ curiæ Iudicem, & Rogerium Porcastellum Capellanum frustra Pontifici omnia eius acta & improbanti & exerenti reconciliari studet, contemptis omnibus diris, ac religione ipsa neglecta, obuios intra Romanæ vrbis portas vtriusque ordinis cruce signatos in crucem adegit, discerpsitque: ac iam opprimendi etiam ipsius Pontificis consilio Romam proxime castra admouit. Sarracenos ad id bellum ex Africa euocatos in summo apud se habuit honore, magistratusque per Italiam & Siciliam gerere voluit amplissimos. quorum cum vtilem diu operam expertus esset, legem promulgauit qua adeo eos esse saluos voluit, vt Christiani qui se illis opponebant, impune occiderentur: cæsorum autem Sarracenorum quæstio, si reus captus non esset, in vicinę regionis populos haberetur, qui æris summa, ac totidem capitum supplicio mulctabantur. Nuceriam quoque eis in regno Neapolitano concessit vrbem. Nam cũ anno salutis. 1243. mense Iulio, Sarraceni qui in Sicilia erant, ab eo rursum desciuissent, & ad Ietum & Entellã (in editissimis oppida sita montibus) se recepissent: Fridericus Riccardo Casertæ Comite Duce eos superauit: atque funditus deletis oppidis Nuceriam, eiectis inde populariter Christianis, habitandam concessit. quã ob id huc vsque Nuceriam Sarracenorum appellant. Theobaldum, Franciscum, & Guilelmum de S. Seuerino, pluresque alios proceres qui apud Neapolim anno salutis. 1244. mense Martio ab eo ad Pontificem defecerant, captos immanibus adscripsit iudiciis, pluresque eorum ardenti flamma combussit: vxores vero cum infantibus in Palatio Panormitano subterraneis latebris deuotas inedia conteri ac exinaniri mandauit. Vnde ad ætatem vsque meam vernaculum ibi adagium inoleuit: Mulieres quæ male Panormum venerunt. quarum duo cadauera anno salutis. 1514. a fossoribus qui ea ad carceres in arce reficiendos forte inciderant, reperta, integra prope cum vestibus etiam incorruptis, maximo cum stupore nobiscum concurrens tota Panormitana ciuitas spectauit. Rauennam inde Fridericus petitã Gregorio ademit. Beneuentum vi captum diripuit, direptum mœnibus nudauit. Templariorum bona quotquot erant in Italia, in suum ærarium retulit. Hinc Romam iterum hostiliter repetens, multis Italię vrbibus a Pontifice defectionem persuasit. Quibus malis perculsus, ac iniuriis super alias aliis irritatus Gregorius, Romæ de Imperio illi adimendo conuentum indicit: Prælatos vndique ad se euocat. Quo cognito Fridericus itinera insidiis terra marique dispositis pręcludit. Entium filium Sardiniæ Regem classi ad intercipiendos Prælatos præficit. Iamque ex Frãcia & Lombardia supremi aliquot ordinis Antistites & Oratores plurimi Genuam aduenerant, Romam ad concilium contra Fridericum properantes. Vnde cum paratis ac instructis vigintiquinque triremibus soluissent, non longe a portu Pisano in classem Friderici incidunt. a qua tribus triremibus cum omnibus qui in eis erant, submersis, reliquæ omnes vigintiduæ naues in potestatem Frederici venerunt.

runt. Capti sunt in eis Iacobus Columna Cardinalis Prænestinus, Friderico infensissimus, & qui antea publicis contra eum machinationibus exarserat, Oddo. S. Nicolai in Tulliano Diaconus Cardinalis, & Gregorius Romania, Pontificis Legati, cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & Prælatis aliis innumeris, nuntiisque nonnullorum Prælatorum, & procuratoribus, & supra centum Lombardiæ ciuitatum Oratoribus. Capti sunt pręterea Genuensium militum supra quatuor milia, præter nobiles eiusdem vrbis, qui triremibus præerant, & ad Prælatos Romam ducendos, ac inde postea reducendos a Senatu Genuensi Duces delecti fuerant. Nuntio tam insperatæ victoriæ Fridericus accepto, qui tunc post victam & receptam Fauentiam ad depopulationem vicinæ Bononiæ se parauerat, confestim omnes ad Amalphiam vrbem eius iussu ductos in carcerem coniici iussit. Gregorius hac noua iniuria tanto dolore est affectus, vt paucis post diebus febre correptus, decimoquarto sui Pontificatus anno mortem obierit. Cui Cælestinus quartus suffectus post duodeuigesimum diem, quam honorem Apostolicum iniit, viuere desiit. Post cuius mortem vacante vnius & viginti mensium spatio Apostolica sede, Fridericus agrum Picenum in Flaminiam vsque percurrens, Bononiam vi occupat, incendio deformat, ac studium inde generale Patauium transfert: Mediolanenses prælio vincit, & Petrum Teupolum eorum Ducem captum carceri includit, & crudeliter necat, fautoresque ecclesiæ variis clades omnes afficit, ne a Venetis quidem finibus abstinens. Interea Balduinus Constantinopolitanus Imperator desperatis in Asia rebus in Italiam venit, & tantũ precibus & authoritate apud Fridericum Parmæ tunc agentem valuit, vt quod Francorum Rex, aliique Christiani Principes non potuerunt, ipse solus Cardinales alios q; Prælatos & Proceres, quos adhuc captiuos Fridericus tenebat, incolumes dimittendos extorserit. Quibus libertati restitutis apud Ananiam Innocentius quartus, Sinibaldus antea vocatus, patria Genuẽsis gente Fliscа, Hostiensis tũc Episcopus, ac Friderici studiosus, Pontifex creatus est. Quo nuntio accepto Fridericus non perinde vt par erat, lætatus, sed in hoc verbũ prorupisse, nescio quid prę sagiens, fertur: Sinibaldum ex amico factum esse sibi ex Pontificatu inimicum. Porro Innocentius initio sui Põtificatus statim Balduino & comite Tolosano rem solicitantibus, de pace cum Friderico tractat. eaque res in quatuor menses distracta: quippe quod Fridericus nulli satis formulæ, nulli oblatæ pacis conditioni acquiesceret. Tandem decretum est vt Pontifex Ciuitatem castelli petens, eo loci Fridericum secum de componendis rebus sermonem collaturum opperiretur. At Innocentius cum paratas sibi ab Imperatore cum Romanis ciuibus tum Romæ tum in itinere insidias, vt sibi suggestum fuerat, certisque indiciis cõperisset, despecto fœdere, cũ triremibus Genuensibus, quæ apud Centũ cellas eius mandato cõfederant, Genuã profectus, aduerso Rhodano amne Lugdunũ venit. Vbi concilio indicto, anno salut. 1246. per literas, nuntios, ac præconem etiam, Fridericũ ad certam diem, sub dirarum & depositionis mulcta, ad se vocauit. Imperator statim per Thaddæum Suessanum Iureconsultum peritissimum nihil præter nonnullam ad parandas sarcinas moram petens, venturum se breui est pollicitus. Datũ est quidẽ tẽpus quo id fieri deberet: tametsi Fridericus Innocentium ne tridui quidem tempus ad Frigensis Episcopi Magistri domus Teutonicorum, & Petri de vineis (quos postremo pro pace tractanda ad conciliũ miserat) ac multorũ nobiliũ & Prælatorũ preces noluisse præstolari conquestus sit. At cũ ad diem non adesset, in eo cõuentu patrum omniũ consensu diris deuotus, Imperio & regnis omnibus annos quinque antequã moreretur, salutis vero 1245. abrogatus est, vt sacrilegus, qui iura resq; ecclesiasticas vbiq; diminueret, Cardinalesq; ac alios Romanæ ecclesiæ Prælatos ad concilium venientes capi fecerit: vt hæreseos suspectus, qui Sarracenorum Reguli os, Tuneti Regis præsertim germanũ fratrem, lustrali aqua regenerari prohibuerit, & Romanum Pontificem ipsum anathematis vinculo astringere non potuisse dixerit: vt blasphemus, quippe qui impostores tres fuisse, qui præstigiis suis orbem vniuersum dementauerint, Mosen scilicet, qui Iudæos, Christum, qui Christianos, Mahumettũ, qui Sarracenos fascinauerint, & Deũ de virgine nasci nõ potuisse hor-

se horrende protulerit. deniq; vt perfidus, qui pacem ecclesiæ Romanæ toties violauerit, & censum pro Siciliæ regno nunquam debite persoluerit. Hæc ipsa, & plera que alia Gregorius nonus in Epistola cuius principium est, Ascendit de mari bestia: & Innocentius quartus in sententia depositionis, quæ incipit, Ad Apostolicæ dignitatis, & in sexto Decretalium lib. titulo de sententia & re iudicata, illi imponunt. Quæ omnia in suis literis, quæ passim leguntur, diluere Fridericus conatur, & aperte omnia negat. Fridericus vbi exauthoratum se audiuit, irarum furore in Pontificem commotus, inuectiuis eum lacessere, ac affines eius cognatosque insectari incipit, eorum ædes ac pagos in Parmensi agro diruit & incendit. Post hæc fœdus cum Burgundiæ Duce iniit, Lugdunum contra Pontificem profecturus, vt eum etiam in media Gallia opprimat. Et iam in Taurinum processerat. Quam cum a Parmensibus exulibus aduersæ factionis occupatam reperit, regressus ex tota Italia exercitum ad sexaginta milia contrahit, ac Parmam toto biennio obsidet. quam obsessurus, vrbem nouam ad firmãdam obsidionem ædificat, quæ, Parma capta & funditus deleta, in veteris locum suffecta maneret. Nomen ei, templo maximo, & nummo, a victoria, sed frustra imposuit. Ibi nanque postremo facta ex vrbe a Gregorio Montilongo Pont. Legato eruptione, fusus fugatusque est, castris omnis opulentiæ Parmensibus relictis. Dedit se deinde voluptatibus inter spadones & concubinas agens. A quibus tandem experrectus, ad vim & arma rediit, terrore Italiam suo impetu compleuit. Cuius metu plures ciuitates perculsę ab Innocentio defecerunt. In Ethruria sola Florentia pro Pontifice stetit. Picentes omnes, Vrbinates, Foroliuienses, Ariminenses, ac tota fere Vmbria Friderico adhæserant. Soli Bononienses superato Friderici Præfecto in libertatem se vendicarunt. Tum Fridericus Italiæ cedens, in Campaniam venit. Vbi Petrus de vineis patria Capuanus, iurisq; peritissimus, Imperii Protonotarius, & Regni Sicilię Logotheta, qui Imperium ac Imperatorem regere videbatur, ob coniurationis suspicionem a Friderico in carcerem missus oculis captus est. qui tandem desperatione ductus, se ipsum capite parieti sæpius illiso interfecit. Inde Fridericus in Siciliam reuersus Panormi (vt quidam scribunt) moritur. Plerique autem propius vero accedentes, eum in Florentino Appuliæ oppido non longe a Tarento, a Manfredo filio ex pellice Lombarda prognato, puluinari compressis faucibus strangulatum fal. anno. 1250. die Sabbati, tertiodecimo Decembris, Imperii sui anno vigesimonono, relictis Conrado ex Constantia, & Henrico ex secunda vxore Iole legitimis filiis, & Manfredo & Friderico spuriis, obiisse tradunt. Cuius corpus Pactas primo, deinde Panormum translatum porphyretico mausoleo in maximo templo per Berardum Panormitanum Archiepiscopum tumulatum fuit. Fuit Fredericus multarum linguarum peritia præditus. Latinam enim, Græcam, Germanicam, & Sarracenicam exacte calluit. Ad hæc & bonarum artium disciplinas officiose promouit. Effecit vt Ptolemæi Almagestum ex Sarracenico idiomate Latinitate donaretur, & ea occasione mathematicæ disciplinæ, quæ multis iam annis Europa exulauerant, velut postliminio redierint. Animi præterea corporisque dotibus, ac militia inter Principes sui temporis præclarissimus, laboris patiens, ad pericula subeunda strenuus, inter ipsa discrimina magni consilii, liberalis, magnificus, Regii splendoris, quo nullus a Carolo magno, qui Romanum tenuerat Imperium, potentior. Quicquid oriens vel monstruosum vel pretiosum habuit, ei non defuit. Species animalium a temporibus Cæsarum in Europa non visæ, Asiæ luxus omnis, orientisque thesaurus, ad fastidium in castris suis exhibebantur. Ob has eius ingentes virtutes, & gestorum animique magnitudinem eius sepulchro hoc epithaphiũ imposuerunt:

Si probitas, sensus, virtutum gratia, census,
Nobilitate orti, possent resistere morti:
Non foret extinctus Fridericus, qui iacet intus.

DE

DE CONRADO, MANFREDO, ET CORRADINO Siciliæ Regibus.

CAPVT III.

MORTVO Friderico Cæsare, Conradus ex Constantia eius vxore filius, qui tunc in Germania adhuc agebat, patris testamẽto Sicilię Rex sufficitur, Henrico fratre in Hierosolymitanum Regnum euecto. At cum Neapolis, Capua, Aquinum, Caserta, & pleræq; aliæ ciuitates decedente Friderico in Pontificis potestatẽ se asseruissent, Manfredus, quem pater Tarenti Principem, & Conradi absentis Balium instituerat, præsidia in Regno Neapolitano pluribus iocis imposuit: Neapolim vero aggressus, a Neapolitanis mœnibus exclusus est. Interea Conradus, accepta patris morte, ad capessendum Siciliæ sibi Regnum e Germania anno sal. 1251. in Italiam venit. Cui Manfredus gratulabundus occurrit, Regem salutat, reosque maiestatis Neapolitanos agit: quippe quod eius absentis procuratori, imperium detrectantes, portas clauserint. Corradus illius dictis permotus, Neapolim obsidet. quam octauo demum mense subterraneis sub muro cuniculis per vim, siue fame (vt alii scribunt) in deditionem accipit, contraque datam fidem diripit, atque eius pulcherrima quæque ornamenta deiicit: Capuam populatur, Aquinum incendio fœdat, & fautores omnes ecclesiæ interficit: ac deinde recepto firmatoque Regno, Augusti nomen Imperiumq; in Sueuorum familia retinere studens, in Germaniam rediit, Manfredo regni cura cõmissa. At cum ibi omnia sibi infesta offendisset, animo fractus, relicto domi Corradino filio, quẽ ex Bauari Ducis filia vxore susceperat, Italiam repetit. Vbi morbo (siue veneno Manfredi dolo sibi per clysteria dato, vt pleriq; memorant) correptus, anno suæ electionis 16. ibidẽ absumptus est. Moriturus Corradinum filium hæredẽ regnique successorem reliquit, tutoribus illi Bauaris proceribus, quos secum ipse Neapolim duxerat, assignatis. Verum cum ciuitates Regni Neapolitani a Corrado euersæ, tutores & puerum Regem odirent, tametsi cæterę vrbes Corradini partes sequerentur: Manfredus Siciliæ Regnum ambiens, ad artes se conuertit, & a proceribus Neapolitanis & Siculis, procuratorem se dictitans, recipi postulabat. His motibus Innocentius Pontifex auditis, confestim cũ manu valida Neapolim petit. Cui Manfredus callide religionem mentitus occurrit, se in fide officioq; Romanæ sedis futurum offerens: atq; adeo dextre simulationis obsequiiq; partes cum Pontifice obiuit, vt in eius clientelam receptus, ius Principatus Tarentini a Friderico patre acceptũ nõ solum firmatum a Pontifice meruerit, verum & nouis aliis honoribus, imminuta tutorũ Bauarorum maxima ex parte authoritate, donatus sit. Nec multo post Innocentius in ægritudinem prolapsus Neapoli decessit. Cuius morte Romana sedes supra duos annos vacua stetit. Manfredus ad regnum sibi occupandum interpontificium veluti magno sibi adiumento oblatum videns, nihil cunctatus Sarracenos ex Nuceria cõducit, & Pontificis copias ad Fogiam Appuliæ vrbem in hyberna deductas, nihilq; hostile metuentes, repẽte adortus, armis, telis, equis, tormentis, ac omni commeatu exuit. Sipontum in Appulia vrbem ob inclementiam cœli solo æquauit, ac iuxta littus in sinuoso portu nouam vrbem condidit, quã a suo nomine Manfredoniam nuncupauit. Vbi cum campanarũ sono plurimum delectaretur, campanam monstruosi ponderis, quæ adhuc miraculo apud exteros in ore est, fundi iussit. Interea Alexander Pontifex Romanæ sedi suffectus, statim sub Pontificatus sui initium, Octauianum Vbaldinum Legatum cum magno iustoque exercitu ad coercendam Manfredi audaciam emisit. Manfredus viribus inferior, cum prælio decertare periculosum duceret, Nuceriam compulsus, ad suas iterum fraudes transabiit. Subornati clam ex vrbe ab eo sunt nonnulli emissi. qui cum paulo longius a muris processissent, quosdam alios non minori astu viros in occursum haberent, qui lugentium habitu ex Sueuia cum literis (quas ipsi confinxerant, adulterinoq; annulo signauerant) venire se dicerent, simulatisq; lachry-

mis falso Corradinum defunctum esse nuntiarent. Nec desunt scriptores qui Manfredum viros sibi fidos ad Corradinum Sueuiæ enecandum misisse, a quibus puer eiusdem nominis alius veneno extinctus sit, literis prodiderint. Porro Corradini morte nuntiata & credita, captus dolo Legatus Romanus, vltro soluit obsidionem. Bauari quoque proceres pueri tutores, perinde ac nullo pupillo existente cuius tutelam gererent, procul e regno Neapolitano ac Siculo delusi abierunt. Manfredus quoque ipse veluti pro defuncto exequias celebrauit, & iusta persoluit. atq; ita contradictoribus fraudulenter regno prorsus expulsis, nulloq; obsistente rerum potitur. Subinde muneribus veteranis militibus sibi conciliatis, nouoq; ex Africa Sarraceno milite mercede conducto, quasi nulla iam legitima regia stirpe superstite, a Neapolitanis errore detentis, anno salutis 1255. Rex salutatur. Et vt ex affinitate Regum firmius sibi deuinciret Imperium, Petro Aragonensi Iacobi Regis Aragonum primogenito, inuito patre, Constantiam filiam dedit vxorem. Quo rescito Alexander Pontifex Manfredo diris execrato bellum sacrum indicit. Dum hæc Neapoli geruntur, in Sicilia magni quoque emersere motus. Panormus enim, & cæteræ fere omnes, præter Messanam, ciuitates Manfredo aduersabantur, & quem Regem recognoscerent, non habebant. Messanenses vero, qui Manfredo adhæserant, Petrum Rubeum Comitem genere Calabrum, aduersus Manfredum noua molientem, cum tota familia vrbe expellunt, & Legatis missis Manfredum ad Siciliam inuadendam hortantur. At non ita multo post Messanenses mutato consilio ab eo deficiunt: & instructo satis iusto exercitu, cõtra eius copias apud Crotonem Calabrię vrbem hostiliter mouent. Vbi prælio cõmisso Manfredenses primo superiores facti, Messanensium turbam pluribus eorum cæsis, quibusdam captis, cæteris demum fugatis, fundunt. Sed ea clade Messanenses nihilo abiectiores facti, resumptis viribus, mense Aug. qui secutus est, contra Tauromenium oppidum, quod Manfredo adhæserat, mouent, expugnant, diripiunt, & funditus delent: ac deinde mense Octobri per Legatos Romano Pontifici sese vrbemq; committunt. Pontifex Ioannem Columnam Archiepiscopum Messanensem Legatum, & Iacobum de Ponte ciuitatis Præfectum instituit. Sub quorum magistratu septem menses Messana gubernata est. Dum in hoc interregno his Sicilia tumultibus laboraret, Henricus Abbas, qui in valle Mazariæ Manfredi præfectus eius partes tuebatur, conscripto milite contra Panormum venit: quam dedentibus se ciuibus paruo labore adeptus est. Panormo capta, Messana totaq; Sicilia pręter Platiam, Ennam, & Aydonem ad Manfredum defecit. Manfredus his cognitis statim Fridericum Lanceam præsidem in Siciliam destinat. Is ex Sicilia & Calabria comparato exercitu contra Platiam mouet. Qua magna vi capta, authores factionis, eosq; omnes qui Manfredo aduersabantur, trucidat. Ennenses & Aydonenses, audita Platiæ expugnatione, statim & ipsi deditionem fecerunt. Atque eo modo recepta Sicilia, Manfredus mense Aprili anno sal. 1256. Messanam venit. Vbi maximo honore exceptus, & a populo Rex salutatus, paucis post diebus Panormum petiit: ibique omnibus Siciliæ Proceribus & Prælatis assistentibus, decimo mensis Augusti anni sal. 1256. more maiorum sceptri Regnique corona redimitus est. Nec diu moratus, gaza omni ac thesauro e Palatio Regio direptis, constitutoq; in Sicilia Friderico Areno Iustitiario, & Friderico Malecta Comite Præfecto, Neapolim reuertitur. Subinde anno sal. 1258. mense Maio Gabbanus Teutonicus, qui a tempore Friderici Cæsaris ex Proceribus vnus Siciliam incolebat, Malectam sibi inuisum inter Drepanum & Erycem adoritur, ac cõfigit. Mox Erycẽ ascendit, ac oppidũ capit, & simul cũ oppidanis a Manfredo deficit. Fredericus Lancea his cognitis cõtra eos mouet, ac magna cęde facta, Gabbanoq; interfecto, oppidum capit: eoq; deserto oppidanos ad reliqua Siciliæ loca inhabitanda trãsmisit. Interea mortuo Alexandro Ro. Pont. Vrbanus successit, qui inique ferens Manfredum Siciliæ regnum sibi occupasse, Ludouicũ Francorũ Regem in Sanctos relatũ per Bartholomęum Pignatellum Malphiæ Præsulem nuntium orat, festinet ad se mittere Carolum eius germanum fratrem Andegauiæ Ducem, cui Siciliæ Neapolitanumq; Regnum dare habeat in animo. Qui licet iam

cet iam Corradinum, cui iure hæreditario vtrunque regnum debebatur, adhuc viuere non ignoraret, obstare tamen ei dicebat immaturam ætatẽ ad obsistẽdum Manfredi viribus imparem, & quod soboles Fridericorum indolesque, quæ & regno fuerat abdicata ob præteritam Sueuorum Ducum in Ecclesiam Rom. perfidiam, suspecta sibi esset. Proinde nulla Vrbano aduersus Manfredum nisi in Gallis spes erat. Ludouicus & Carolus communicato adinuicem consilio, morem Pontifici gerendum esse constituunt, stimulante quoque Carolum vxore, quæ cum trium Reginarum esset soror, se Comitissam appellari scribiq; ægre ferebat. Igitur suggerente Vrbano, Carolus plurima militũ manu collecta, Philippum Montifortem copiarum Ducem contra Manfredum præmittit, vt viam Romanam per id tempus ab hostis militibus obsessam patefaceret: qua aperta, ipse per Lombardiam omni insidiarum sublato impedimento Romam petere posset. Interea cum Vrbanus tertio Pontificatus sui anno decessisset, Clemens quartus genere Francus Caroli æque vt Vrbanus studiosus, vtpote quem gentis coniunctio etiam magis addictum faciebat, successit. Huius igitur iussu Carolus vocatus, triginta cũ triremibus Massilia soluens, vna cum Beatrice vxore Hostiam defertur, ac Romę maximo honore exceptus, adepta prius Senatoria dignitate, Siciliæ regni, ac totius tractus qui citra fretum vsq; ad confinia Romanæ ecclesiæ protendebatur, prętter Beneuentum & Hierusalem, diadema per Cardinalem Legatum in æde Lateranensi, Clemente ipso Perusii agente, cum vxore simul suscipit, imposito quadragenũm in singulos annos miliũ aureorũ, triẽnio etiam vnoquoq; equi albi, Pontifici in festo die Petri Apostoli numerandorũ vectigali. Iureiurando præterea adigitur, nullo pacto Imperii nomen se aut hæredem, vel vltro delatum acceptaturũ. adeo tenebat Pontificem Friderici primi & secundi Imperatorum memoria, & præsentis temporis motus, vt diplomate Pontificio dato apud Lateranum 4. Cal. Iulii anno sal. 1265. Pontificatus eiusdem Clementis quarti anno primo constat. Interea dum hæc Romæ geruntur, Caroli copiæ superatis Alpibus in Lombardiam venerunt. quas inde in Campaniam flectere iussit. Ipse paulo post cum militibus quos Romæ ex variis nationibus contraxerat, secutus, quam primum ad Liris fluuium venit. Ceperanum oppidum, vbi Manfredi erant præsidia, absq; pugna in deditionem accepit: atque inde ad Sanctum Germanum oppidum, quod Manfredus præsens magnis copiis tuebatur, contendit. Manfredus vbi Carolum aduentare cognouit, paucis militibus apud oppidum relictis, in patentibus campis hostem expectaturus, Beneuentum vsque retrocessit. Ibi Manfredus hosti obuius, exercitui pugnandi copiam fecit. Constitit tamen nonnihil vterque exercitus: & duces in manifesto eorum discrimine anxii, cum omnia vicissim essent contemplati, pugnam atrociter iniere. Primusq; Carolus cum laboranti suorum turmæ subuenissent, prostratus occubuisse est creditus. Quæ vox vndique in vtroque audita exercitu, Manfredum impulit vt extra ordines audentius pugnaret. Vbi ipso Carolo comparente interfectus occubuit. Sunt qui scribant Neapolitanos Proceres ac milites, quos secum Mãfredus adduxerat, largitionibus a Carolo corruptos, ad hostes inter dimicandum transfugisse, vt ita Manfredus in pugna a suis misere desertus & plane proditus interierit. Tametsi vero Carolus certa sit victoria potitus, damna tamen non minora victo sensit. In Manfredi etenim exercitu ex Germanis ceciderunt meliores quiq;, & ingens numerus ex Sarracenis, & magna militum ducumq; Italici generis multitudo capta: Caroli vero totus exercitus concussus est, & innumera militum omnis ordinis colluuie cæsa, multas cohortes desiderauit. Authores habeo qui Caroli victoriæ magnopere profuisse asserant Ioannem cognomento Ratam Casertæ Comitem, qui cum violatam sibi a Manfredo vxorem cognouisset, esset que eius copiarum dux constitutus, iniuriam domesticam vlturus, cum Carolo clam conuenerit, eique intra Regni Neapolitani fines viam patefecerit. Proinde parta Carolus victoria Beneuentum ingreditur, confluentes vndique populos in deditionem accipit: progressusque a Regni proceribus & populis magno honore excipitur, & Rex agnominatur. Siculi etiam accepta Manfredi morte, & Caroli singulari virtute, deditionem vltro & ipsi fece-

runt. Quorum Messanenses primi Caroli insigne e mœnibus erexerunt. Interea Corradinus Corradi filius iam adultus, anno post patris obitum decimo quinto, Regnum patrium recepturus, maxima cum Germanorum manu, Romanis etiam fauentibus, & Henrico eorum Senatore Castellæ Regis filio, & Friderico Austriæ Duce illius germano fratre, Alfonsi Aragonensium Regis fratribus, Corrado etiam Caputo Antiochiæ Principe Friderici secundi Cæsaris ex Friderico filio nepote, Pisanis quoq;, Senensibus & Genuensibus eius signa sequentibus, in Italiam descendens, ad regni Neapolitani fines vsq; peruenit. Quod vt Clemens Pontifex cognouit, iuuenem miseratus dixisse fertur, Corradinum ad mortem, vt victimam sacrificio deuotam, trahi. Corradus interim Antiochiæ Princeps in Siciliam pro Corradino recuperandam perrexit. Vbi non parua militum manu secum assumpta descendens, primum omnium latus meridionale percurrens, Saccam oppidum pro Corradino occupat. Vbi coactis maioribus copiis plura alia vicina oppida ab Imperio Regis Caroli disiicit, & ad Corradinum deficere facit. Pisani præterea triginta cum triremibus Fridericum Austriæ Ducem in Africam transuehunt. Vnde conscripto non paruo Sarracenorum numero, in Siciliam nauigant, atq; eam omnem Panormo, Messana, & Syracusis exceptis, recipiunt, & in fidem Corradini iureiurando adigunt, eiq; Corradum Caputum præficiunt. Dū hęc in Sicilia geruntur, in regno Neapolitano Nuceria a Carolo deficiens, Corradino adhæsit: sed & aliæ plurimæ vrbes, ac omnium fere incolarum animi ad eundem flectuntur. Quorum mente cognita, Corradinus contractis vndiq; viribus ad Fucinum lacum venit. Quod vbi Carolus resciuit, in Marsis ad oppidum cui hodie Taliacozzus est nomen, illi maximo cum exercitu obuiam factus est. Vbi admonitu Alardi veterani ordinum ductoris, qui sub Germanis multos annos meruerat, copiis quas per acies in cōspectum Corradini eduxit, Magistrum militum Regiis insignibus excultum præfecit: ipse vero cum delecta manu in colle propinquo tectus delituit, in tempore accursurus, hac vt arte virium imbecillitatem muniret. Apud Corradinum vero Lōgobardi, Vmbri, Ethrusci, exules Ligures, Hispaniq; in prima simul stabant acie, Germani autem in subsidiis. His vtrinque paratis ad prœlium signa dantur. Tres horas pugnatum est acerrime, tandem vero Magister militum cadit. Quo cognito, Corradinenses rati Regem Carolum cecidisse, victoriam cōclamant, ac redintegrato impetu veluti recentes in hostes impressionem faciunt, fundunt, fugant, ac insequuntur. Germani, qui ad id tempus quieti steterant, ne, si victoriæ gloria penes Italos Hispanosq; tota cederet, ipsi soli segnitiei arguerentur, consurgunt: & perinde ac si nihil vltra metuendum esset, solutis ordinibus feruntur. Tunc Carolus e latebris repentinus superuenit, atque in incautos irruit, omniaque in formidinem mutat. Quo viso, tanquam miraculo attoniti Germani opprimuntur, cædesque in victores vertitur. Ad duodecim nanque Germanorum milia tunc ceciderunt: capti vero sunt Fridericus Dux Austriæ, & Henricus Romanorum Senator, qui finem cædis fecerunt. Contigit autem hæc nostrages anno salutis 1268. die 22. Augusti, in loco cui hucusque ob id Victoriæ nomen est. Corradinus recepta clade detractis insignibus Regiis, quibus amictus erat, calonis habitum mentitus, longinqua fuga Siciliam traiecturus sibi consulebat. Vbi vero ad Asturium peruenit, nauiculam conspicatus, orat nautam, vt se Pisas deuehat, annulum aureum pro naulo se daturum, quem loco pecuniæ haberet, pollicetur. Homo & specie annuli, & forma adolescentis captus, rem clam non habet, sed hostibus pandit. Concursu facto Corradinus cum pluribus ex primatibus comprehensus, ad Carolum viuus deducitur, ac ludibrio afficitur. Quem tandem Carolus, vt omnis spes regni suis adimeretur, Pontificis consilio non absque infamiæ labe, & contra Regium decus, Neapoli publico iudicio securi percussum interimi iussit. Hoc pacto Corradinus peremptus, nobilissimæ vetustissimæq; Sueuorum stirpi finem dedit, Sueuia nativo Principe carente, & in prouinciam redacta, postquam diu Imperio præfuit, & annos septuaginta sex in Sicilia regnauit.

DE

DE CAROLO ANDEGAVENSI SICILIÆ Rege, & Gallorum occisione.

CAPVT IIII.

CORRADINO regno pariter & vita functo, Carolus ab omnibus Proceribus & plebe facile ad sedandam discordiam in vrbe Neapoli Rex acclamatur, & qui in eo regno ab eo desciuerant, in fidem mira celeritate redierunt, vitaq; omnes donati pecunia dūtaxat pro suis quisq; facultatibus in præsens mulctati sunt. Donatus regno sine Carolus mora Guidonem Montisfortis Comitem magna classe instructum ad recipiendam Siciliam mittit. Potiebatur tum adhuc insula (Panormo, vt dixi, Messana, & Syracusis exceptis) Corradus Antiochiæ Princeps: qui post Corradinum cæsum, cum omnes fere Siciliæ ciuitates sibi addictas, & copias etiam tantæ rei idoneas haberet, Regnum, quod hactenus pro Corradino ministrauerat, vendicare sibi quærebat. Verum vt primum classis Caroli Messanam appulit, omnes fere vrbes mutata voluntate deditionem fecerunt. Quo facto perculsus Corradus, ad Centoripen oppidum natura munitum se recepit. Guido recepta insula nihil antiquius habuit quam Corradum in manu habere. Quare nihil cunctatus contra Centoripen mouit, ac dura eam obsidione cinxit. Post hæc magna vi eandem expugnat, & capto Corrado funditus etiam delet. Corradum vero captum cum plerisque Proceribus primo oculis, & deinde suspensos vita etiam exuit. Cæso Corrado Siculorum reliqui, qui eius partes paulo ante tutati fuerant, vltro ad Guidonem pro Carolo perfugere. At quia diu & hostili maxime animo regnum Carolo detractauerant, Procerum alii exilio, alii rebus plexi sunt. Tributum ad libitum non ex veteri forma, sed tanta acerbitate, & adeo auare superbeque imperatum, vt multi Siculi non solum fortunis, sed etiam vxoribus & liberis sint spoliati. Ad plebē præterea in fide continendam, valida præsidia in vrbibus arcibusque sunt imposita. Dum hæc in Sicilia geruntur, Ludouicus Francorum rex cum tribus filiis & Carolo fratre Romani Pontificis suasu Tunetum vrbem Sarracenorum magna classe impetiit. quam dum obsidet, pestifero apud exteros cœlo pie decessit, Philippo filio natu maximo rege relicto. Tū Carolus Siciliæ rex Tunetensibus libera Christi prædicatione, ac quadragenûm milium aureorum nummorum in singulos annos tributo imperatis, per pestis fortunam in Siciliam repellitur. Cumque Drepanum in conspectu haberet, repentina tempestate suborta, multæ eius naues vi fluctuum disiectæ, non paucæ etiam sunt obrutæ. Reliqua pars classis quassa vix Drepani portum obtinuit. Mari vexatos terrestris rursus calamitas excepit. Nam Drepani vis morbi iterum in Francos gliscens vires resumpsit. Milites ad luem vitandam naui egressi, in Erycem, Marsalam, Salemim, Calatafimim, & Alcamum, Drepano proximiora oppida, sunt dimissi. Theobaldus vero Nauarræ rex, Isabella vxor, Guilelmus Flandriæ Comes, & Elisabeth regina, & complures ex proceribus, & maxima militum pars peste apud Drepanum perierunt. Carolus & Philippus reges Drepano discedentes Montem Regalem vrbem petierunt. Vbi viscera Ludouici Francorum regis apud Tunetum defuncti (cuius cadauer classe in Frāciam vehebant) in templo maximo religiose terræ commendauerunt: ac subinde Carolus Panormum venit, anno sui regni sexto, sal. vero 1271. Vbi expeditis & cōpositis rebus classe cum Philippo rege ad ciuitatem veterem delati, Viterbiū post ea deuenerunt. Ibi Vrbano Pontifice defuncto, & Gregorio decimo electo, Philippus Franciam versus, Carolus Romam primum, deinde in Appuliam rediit. Enimuero celebertimum erat per ea tempora in Italia & extra, eius nomen, cum Sicilia & Italia ferme tota eius Imperio pareret. Idem Prætor Romanus magna tunc dignitate magnisque opibus præcellens, idem Vicarius Imperii, Ethruscis iura magistratusque dabat. Nec eo contentus extra Italiam titulos sibi extendere iam cœperat, primumq; in Græciam classem ingentem parabat, imperium Francis restituturus. Mortua nanque Phocensi vxore Carolus Balduini Cæsaris Con-

ſtantinopolitani nuper expulſi filiam in matrimonium duxit. Quo facto Byzantio potiri maxima ſibi, Palæologo ab Imperio deiecto, cura inhæſit: claſſemq; ingentē ad id parare pergit. Interea defuncto Gregorio Pontifice poſt Innocentium, Adrianum, & Ioannē vigeſimū ſecundum, Nicolaus tertius Rom. Pont. ſuffectus eſt. Is ſuſpectam habens Caroli potentiam, & quia affinitatem cum eo contrahere recuſauerat, eius opes imminuere ſtatuit. Senatoria Vicariaq; dignitate ipſum priuat. Duos nouos Reges, & eos ex familia Vrſina, cuius ipſe erat gentilis, in Italia inſtituere, ac vnum Ethruriæ, alterum Longobardiæ præficere, ad arcendos Reges exteros decreuerat. Interea in Sicilia Galli, qui iura magiſtratusq; dabant, ſuperbia, luxuria, & crudelitate omnia compleuerant, inaudita vectigalia imponebant, intolerabiles obuentiones exigebant, inuita nobilium fœminarum & diuitum cōiugia ineibant, ac adulteria etiam in nuptas machinabantur. Sub prætextu præterea lanceorum ſubſtragulorum, quæ Iudæi ac cæteri pro modo ſuarum facultatum militibus ac miniſtris Regiis iuſſu curiæ exhibere tenebantur, domos ingreſſi ſupellectilem omnem dimouebant, mulieres impudice tangebant. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla, expulſiones ciuium, bonorum publicationes, iudiciaque priuatorum, ac proſcriptiones non ob aliam cauſam niſi quia diuites eſſent. fraude & malis artibus regnum prædę loco habebant, plebem nobilesque impotenti dominatu exagitabant, & vni tantum rapinæ atq; auaritiæ & libidini ita ſtudebant, vt alienas nobilesq; fœminas publice per vim inuadere non vererentur. Septem equidem & decem annos exactiones, exilia, carceres, deportationes, aliasque illatas a Francis iniurias æquo animo Siculi pauide interim, ſecumq; clam ſubmurmurantes tolerarunt. Sed vbi zelotypiæ furor virorum amantium corda percuſſit, factum eſt murmur impauidum: iniquitatis cauſas & argumenta publica per nuntios Carolo Regi Viterbii tunc agenti nuntiant. Adminiſtrabatur eo tēpore Sicilia ab Herberto Auriliono Caroli Regis generali Præſide, Ioanne S. Remigio Panormi & Vallis Mazaræ, & Thomaſio Buſanto Vallis Neeti præfectis, viris Gallicis. Carolus vbi legationē audiuit, Herberto Præſidi ſub mulcta mandat, vt miniſtros frenet, & a rapinis ſtuprisq; eos inhibeat, pœnisque etiam deprehenſos afficiat, vt eius diplomate dato Viterbii anno ſalutis 1276. pri. Cal. Aug. Meſſanenſibus & Siculis tranſmiſſo conſtat. At Franci efferatiores effecti, eadem & peiora, velut in mandati actorumque ludibrium, perpetrabant. Siculi ne quid inexpertum reliquiſſe viderentur, coram Pontifice Romano per Bartholomæum Pactenſem Epiſcopum, & fratrem Bon-Ioannem Marinum Dominicanum cauſam ſtudioſe proponunt. Et Bartholomęū quidem munus Legationis intrepide coram ipſo Rege Carolo obiuiſſe, Siculorum annales referunt. cuius exordium hoc fuiſſe perhibent: Miſerere mei fili Dauid: Filia mea male a da monio vexatur. quo finito, ſtatim ſuo ordine enormes libidines, rapinas, & cætera id genus Gallorū crimina retulit. demum Carolum ab iniuſtitia coerceri petit. Diſcedentibus a Pontificis conſpectu Legatis, Caroli miniſtri manus iniiciunt. Reuerſi in Siciliam Legati, quid ſibi pro legatione obuenerit, in vrbe Meſſana, Siculis hæc irritato animo audientibus, palam referunt. Erat eo tempore in Sicilia Ioannes Prochyta, Prochytæ inſulæ olim Dominus, (cuius vxorem paulo ante Galli, vt Petrarcha refert, violauerant) & Manfredi condam Regis ſtudioſiſſimus, callido vir ingenio, & in conciliandis hominum animis potens. Is & deſiderio priſtinarum opum flagrans, & contaminatam a Francis vxoris pudicitiam vlturus, adiecto ad liberandā Siciliam animo, clandeſtinam, coniurationem contra Gallos Carolumque toto biennio clam ſolicitauit, ſociosque Alanum Leontinum, Palmerium Abbatem, & Gualtherium Calatagironum, ac pleroſque alios Siciliæ proceres, quibus ſciebat Francos eſſe præ cæteris inuiſos, ſibi deligit. Inter eos igitur conuenit, vt Petro Aragonū Regi Siciliam iure vxorio ſibi debitam traderent. ad quod facinus, ſi viribus opus eſſet, Palęologi Conſtantinopolitani Imperatoris, ac Nicolai Pont. Romani (quos conciliandos ipſe ſibi inſtituerat) auxilia offerebat. Proinde cum Palæologo, contra quem claſſem Carolus inſtruebat, rem primum, mox cum Nicolao Pontifice Aragonenſium ſtudioſiſſimo, ac demum cum Petro Rege, tractare decernunt.

cernunt. Per literas cum his agunt, calamitates suas exprimunt, auxilia petunt. Ioannem autem ad eas perferendas, obeundamque Legationem nuntium eligunt. Ioannes statim ad iter se parat, abiectaque nobili veste, vilem religiosamque induit, sanctitatis simulatione omnia sibi terra marique peruia tutaque facit. Byzantium proficiscitur, Michaeli Palæologo Caroli contra eum animum, paratam classem, & copias conscriptas ad eripiendum illi imperium aperit. Porro remedium vnicum superesse longo verborum ductu declarat, vt Carolus incautus occupetur, & ingenti mora domi retineatur. habere etenim illum Siculos, qui Henrici, Friderici, Manfredi, Corradi, & Corradini (sub quibus opibus & libertate floruerunt) memoria ac amore adhuc detenti, Francos superbos, crudeles, stupratores capitaliter odiant, nec aliud conentur quam vt ab eis ad Petrum Aragonensium Regẽ deficiant: cuius vxor Constantia, Manfredi Sicilię Regis filia, noctu & interdiu virũ instigat, quo mortẽ Manfredi patris, ac Corradi & Corradini, in homicidã vindicet, & Siciliam dotali sibi ac paterno iure debitam repetat. Cæterum Petrus cum Carolo viribus sit inferior, ob id mouere arma non audet. Quod si Palæologus ei ad classem contra Carolum parandam pecuniarũ subsidia præstaret, fore proculdubio vt Petrus Carolo Siciliam adimeret, atque hic bello domestico implicitus, longe absit a Palæologo vexando: cum, qui in suis defendendis occupetur, aliena infestandi facultatem non sit habiturus. Palæologus iis auditis, in Carolũ toto animo mouetur: quæ Ioannes dixerat, probat, auroq; Petrum adiuturum, literas & ad eum & ad Pontificem se scripturum pollicetur, Ioannemque ipsum ad patrandum facinus authorem deligit. Ioannes rei gerendæ officio, literisque a Palæologo acceptis, eadem veste amictus ad suos reuertitur. Quos cum responso Palęologi in spem erexisset, subinde ad Nicolaum Pont. prouolat, eumque coniurationis in Francos socium & fautorem nullo labore pertrahit, & cum eo vt Petrus classem maximam paret, vt dolus aliquis contra Francos a Siculis repentinus cruentusque excogitetur, fœdus pepigit. Atque inde sumptis a Pontifice literis, Petrum Aragonensem conuenit, eum in spem Siciliæ vocat, aurumque Palæologi promittit. Quo facto ad Pontificem redit. Vbi cum illi quæ cũ Petro firmauerat, retulisset, Siciliam reuertitur, bonoq; animo esse omnes iubet. Nec quicquam remoratus, Constantinopolim iterum ad Palæologum pro auro regreditur, literas illi & Pontificis & Petri defert. Palæologus Accardum Latinum, in rebus gerendis solertissimum sibi a secretis virum, cum magno auri pondere Ioanni socium adiungit. Illi Melitam nauigant. Vbi Ioannes relicto Accardo Drepanum venit, atque inde Proceres Melitam ad Accardum visendum traiicere iubet. Quo viso lætantur, laudibusque Palæologi & consilia & liberalitatem efferunt. Proceribus in Siciliam reuersis, Ioannes & Accardus Barcinonam ad Petrum Regem contendunt, aurum Palæologi ei exhibent: dolumq; excogitant cruentum, vt Francis cęsis Petrus rerum in Sicilia potiatur. His paratis, Ioannes ad suos rediens, a Pisanis nautis obuiis inter nauigandum Nicolaũ Romanum Pont. obiisse, & Martinum quartum Gallorum studiosissimum suffectum cognouit. Nouitate rei primum terretur, sed mox resumpto animo cursum prosequitur, & Drepanum applicat. Proceribus conuenta omnia credit. Interea Petrus Rex vta suspicione inchoati delectus militaris Principum animos auerteret, declarata causa sacri belli, classem instruit. Apparatu vero bellico inualescente, Martinus Pont. per nuntium a Petro petit, vt classis suæ consilium ei aperiat. Cui cum tempus ferret, id sedulo se facturum respondit. Cumq; Pontificis nuntius vrgeret, Cõburerem (inquit Petrus) meam hanc interulam, quam induo, tunicam, si eam arcanorum meorum conscium fore timerem. Carolus etiam Rex idipsum a Petro scisciatur: quod si in Sarracenos bellum pararet, opem suam offerebat. At Petrus, nondum quos Sarracenos adoriatur, deliberasse, & se tantum subsidiis nummariis indigere respondit. Quo audito Carolus (vt studiosi Francorum scriptores tradunt) viginti milia aureorum Petro mittit, multo maiora se missurum, si de sacro bello ei cõstet, pollicitus. Interea dum bellum a Petro paratur, Ioannes Prochyta Panormitanos, Messanenses, ac cæteros Siciliæ viros Principes adit: cum

eis arduum facinus tractat, vt vno eodemque tempore Franci tota Sicilia gladiis obruantur. Annuere Proceres, & communi consensu tertius dies resurgenti Domino festus decernitur, quo, cum primum circa vesperam æreæ campanæ signũ auditum fuerit, vbique Franci, nullo sexus, ætatis, ordinis discrimine habito confoderentur. Quo firmato, Ioannes singulas vrbes oppidaque circumiens, Siculos, quorum apertiora in Francos odia patebant, ad præscriptum facinus hortabatur. Sunt qui referant, quo tutius rem perageret, lymphatum simulasse, ac cannaa ad aures obuiorum suggerẽtem Francorum quidem ridiculas voces, Siculorum vero cædem futuram, simulque diei & horę nuntium. Itaque anno salutis 1282. Caroli vero regni 17. 3. Cal. Aprilis, dato signo, ater funestusque Francis apparuit interitus. Tota nanque Sicilia in Francos nil tale vnquam veritos insurgente, vno temporis momento ad vnum omnes non solum a prophanis, sed Dominicanis etiam, Franciscanis, ac cæteris cucullatis monachis trucidantur, paucis ad Spirlingã arcem natura munitissimam salutem sibi quærentibus: qui omnes paulo post inedia sunt consumpti. vnde natum carmen: Quod Siculis placuit, solum Spirlinga negauit. Qua in re adeo sæuitum est, vt exenteratæ prægnãtes, & paruuli (nequid Francici generis in Sicilia superesset) saxis illisi sint, duarumque horarum spatio eo tempore octo Francorum milia occisa fuisse constet. Inde adagio increbuit Siculus vesper. Visebatur ad ætatem vsq; meam Panormi in æde Diuorum Cosmæ & Damiani, aliisque vicinis sacellis sacris Francorum cadauerum ossiumque congeries, struesque maxima. Siculorum in Francos hanc sæuitiam, vt frequentior scriptorum authoritas, & fama per manus ducta habet, hactenus recensuimus. In plerisque vero Siculorum annalibus, & Siciliæ regum, Petri præsertim secundi Siciliæ regis diplomatibus, ac etiam non spernendis authoribus, consternationis initium a Panormitanis ortum legimus. Cum etenim tertio Dominicæ resurrectionis die, qui eo anno penultimus Martii dies fuit, ad templum Sancti Spiritus sexcentos ferme passus in meridiem obuersum Panormo recedens (etsi ad Montem regalem quidam falso scripserint) Panormitanorum frequentia religionis causa de more, qui ad meam vsque ætatem solenni obseruatione manauit, conuenissent, Francos ibi, qui magistratus gerebant, iussu Ioannis S. Remigii vrbis Præfecti causa scrutandi si quis cum telo esset, etiam matronas virginesque excussisse, licentiosiusq; pertentasse mulierum sinus accepimus. Quorum vnus cui Drohectus erat nomen, cum in quandam mulierem nobilitate insignem manus iniecisset, Panormitanorum in vnum concurrentium subita ira lapidibus primum obrutus: mox eadem seditione armis ex vrbe correptis, Franci omnes per plateas sine discrimine cæsi, sæuæ libidinis & diu toleratæ crudelitatis pœnas dedere. Inde vero ad Ioannis S. Remigii (qui præerat) arcem impetu facto, Panormitani, effractis ianuis irrumpentes, quotquot in ea illius nationis inuenere, trucidarunt. Ioannes ipse in facie vulneratus, rustici habitum mẽtitus, noctu equester Biccarum oppidum profugiens, eum quidem furorem euasit: sed Panormitani, qui interea Rogerium de Magistro Angelo vrbi ad plebem in officio continendam præfectum cõstituerant, cæsis domi ad quinq; Francorum milibus, vna cum Caccabensibus Iannem S. Remigium persecuti, sagittis petunt, ac demum interficiunt. Fama Frãcorum cędis per vicina Panormo oppida delata, Corilionenses Gallos omnes, qui in eorum oppido erant, vna hora peremerunt, fœdusque cum Panormitanis inierunt. Peractis his stragis Gallicæ primordiis, Panormitani tres acies instruunt. quarum vnam Cephalœdim versus, alteram Ennam, tertiam Calatafimim mittunt, Siciliam omnem ad idem facinus excituri. Qui Calatafimim venerunt, a Guilelmo Porcelletto Prouinciali genere, ob probitatem suam, cæteris Francis interfectis, abstinuere, incolumemq; in patriam dimisere. Ea inde voce Siciliam omnem peruagante, ac militibus oppida discurrentibus, a nullo Franco temperatũ est. Herbertus Siciliæ Præses, qui Messanæ adhuc erat, auditis Panormitanæ vrbis motibus, statim per milites, quos in præsidio paratos habebat, ciuitatem in fide continuit, classemque nouem triremium milite instructam, cui Riccardum de Riso Ducem præfecit, ad obsidendam Panormum misit. Quam Panormitani contraria classe

ria classe adorti, facile fugarunt. Adiuuit magnopere Siculorum causam Orlandus de Milia Panormitanus miles. qui cum a Rege Carolo Sicilia exulasset, tempore desciti onis Panormum rediit, & acerrime in Francos sæuiit, ac postmodum Petri & Friderici Regum fidem fortiter contra hostes tutatus est. Herbertus cognito Panormitanæ aciei ad Tauromenium (quod sub Carolo adhuc stabat) aduentu, milites ad iustum numerum cum Michelotto Gatta genere Franco eorum Duce ad Panormitanos profligandos eo confestim emisit. At Siculi magna vi oppidum adorti, pluribus Francorum cæsis, capiunt, Micheletto cum paucis in arcem Scalettæ primum, ac deinde Messanam ad arcem Griffoni incolumi sese recipiente. Interea cum Franci Messanæ petulantius se haberent, Messanenses ira tandem & ipsi conciti contra exurgunt, & Herberto Præside in Griffoni arcem primum, mox inde ad Catunam fugato, Duce Bartholomæo Marescallo viro populati, vigesimo nono Aprilis die in Francos omnes irruũt ac sæuiunt, & quotquot in occursu deprehendere, vna cum Michelotto, & qui cum suis in arce erant, trucidant: deiectisque Caroli insignibus, crucis vexillum insigne ciuicum erigunt, Panormitanisq; patratum facinus ordine nuntiant, & cum eis fœdus ineunt. Erat Carolus Rex cum hæc in Sicilia fierent, cum Martino Rom. Pont. in Phaliscorum monte oppido. vbi cum fama tantæ cladis nuntia, legatiq; per Montis regalis Archiepiscopum sibi missi, nihil minus quam tale quippiam opperienti rem aperuere: animo primum concidit, ac deinde cum ingentibus copiis, ac numerosa classe, quam ad inuadendum Græcum Imperium in portubus instructam habebat, & Gerardo Parmensi Cardinali Rom. Pont. Legato, in Siciliam traiiciens, Messanã venit. Messanenses aduentu hostium metu quidem percelluntur: non tamen animorum fœderisque obliti, Balduino Musono Duce armis instructi, vrbe egressi, in hostes irruere deliberant. Sed Franci ad remotiora fugam simulantes, ad Cannetum D. Gregorii mille leuis armaturæ equites in insidiis disponunt. a quibus Messanenses absq; ordine palantes circumuenti, plures cæsi, pleriq; capti sunt: Balduinus cum paucis in vrbem vix incolumis euasit. Messanenses hanc cladem Ducum inertia obuenisse rati, Balduinum, Matthæum & Baldum de Riso furca suspendũt: Alaymumque Leontinum virum impigrum, & bello & vrbi præfectum sufficiũt. Interea Siculi aduentu Caroli in formidinem adducti; Legatos ad Rom. Pont. pro venia impetranda his verbis miserant: Qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Quibus facetissime a Pontifice id solum responsum est: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Reuersis Legatis, & responsum ridiculum referentibus, cum iam expugnatum esset a Francis Mylæ oppidum, Messanenses hac lege deditionẽ Carolo offerunt: Vt sanciretur præteritorum obliuio: ne maiora vectigalia quam Regi Guilelmo secundo persoluerentur: Franci nullo magistratu, neq; militia in Messana potirentur, sed Italici & Phocensis solum generis. Gerardus Legatus, & Caroli Regis milites, conditiones oblatas & deditionem ne aspernaretur, Regem hortabantur. Sed dum ille iræ nimium credit, nec annuere festinat: deditionis pacisque simul spem omnem amittit. Legatus vero Siciliæ sacris interdicit. Carolus militem omnem ac tormenta in terram ad Roccam maiorem exponit. Inde ad vineam magnam Regis non longe ab vrbe venit, vrbem durissime terra & mari obsidet, machinis tormentisque mœnia diiicere nititur: duratuitque ab ortu solis ad vesperum vsque crudelis hæc oppugnatio. Sed Messanenses non impigrius hosti obsistebant. Matronæ ipsæ a belli principio cultu priori depositio, nihil sibi reliqui faciebant quo lapides & cætera id genus, quæ in hostes immitterentur, in mœnia & propugnacula sinuosis vestibus apportarent, & poculis aliisque necessariis viros reficerent: quos cum lachrymis amplexantes, orabant ne sacra mœnia, a quibus cunctorum salus & vita pendebat, deserent, ostentantes eis vagientes in cunis infantulos: quos, si Francorum conatibus cederent, in sanguinis Francici vindictam ante ora parentum iugulandos dicebant. quo casu melius fore bello fortiter mori, quam crudeliter perire. Quocirca Francos cupiditate necis commilitonum vlciscendæ (quorum manibus Messanensium imprimis sanguine parentandum deliberabant) accensos, Mes-

ſanenſes,quos id non latebat,fœminæ,pueri,ſenes,ægri,valetudinarii,adoleſcentes,iuuenes,ætatis robur,omnis ordo,omnis ætas,omne mortalium genus ardentiſſime propugnabant:nulla munera,nulla onera,nulla pericula detrectantes, aderant animo,cõſilio,corpore,aſſiduitate,nec Duce,nec hortatore,nec excitatore egebant:vt nulla multis ante ſeculis acrior aut oppugnatio aut propugnatio in Sicilia memoria teneatur. Toto igitur die multo vtrinque ſanguine fuit dimicatum: quouſque horrida prælia nox diremit. Franci ſeſe in caſtra recipiunt:Meſſanenſes ſuper mœnibus & propugnaculis quietem ſibi, quam potuerunt,quæſiere. Illuceſcente vero,maiori impetu mari & terra Franci machinis, tormentis & miſſilibus iterum vrbem adoriuntur:& tot ſaxis impugnata ſunt mœnia,vt ad ætatem vſque meam in porta ciuitatis S. Antonio inſcripta, meridiem obuerſa,eorum veſtigia relicta a Meſſanenſibus referantur. Meſſanenſes non minori ardore obſiſtunt, ac omnia ſufferunt, omnia audent, omnia ſibi certa faciunt, ne in Francorum manus veniant.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis poſterioris Decadis

LIBER IX.

DE PETRO ARAGONENSI SICILIÆ REGE.

CAPVT I.

INTEREA Petrus Aragonẽſium Rex, ne ſacræ militiæ profeſſione abuſus ementiendo videretur, Africæ oram circa Hipponem vrbem incendiis vaſtauerat. Mox ad id cuius gratia cætera ficta factaque erant, Siciliam animo ſpectans, in Corſicam delatus,expectabat quo Ioannis Prochytæ conſilia coniuratioque euaderent. Vbi dum præſtolaretur, per Ioannem ipſum, Guilelmum Meſſaneum,& duos Siciliæ totius Syndicos fidos nuntios,defectionem certam,cędemque factam cognouit. Quo audito, magno veluti pignore Siculorum animos ſibi deuinctos ſentiens, vt quibus facinore admiſſo nulla ſpes veniæ gratiæque a Carolo Rege reſpiciendæ ſupereſſet,duos & ipſe Panormum oratores mittit,Calcerandum Curigles, & Petrum Queraltum, vt Siculi ſibi & vxori veluti hæredi Regis Manfredi, fidem Regiam iurarent. Regii oratores Panormum appulſi,ad templum Diuæ Mariæ de Admirato,quod hodie Marturana dicitur,populum ad concionem accitum de proximo Regis Petri aduentu certiorem reddidere:ſi tamen prius Siculi fidem illi Regiam ſacramento ſancirent. Panormitani,ac Siciliæ Proceres,qui vna ad id eo conuenerant, pactam & iureiurando fidem quæſitam Petro & Conſtantiæ pollicentur, eosque Siciliæ Reges appellant. His peractis Legati ad Petrum Regem redierunt. Qui e veſtigio ſoluens,tandem decimo Auguſti die,anno ſalutis 1282. cum quinquaginta triremium multarumque onerariarum claſſe Drepanum applicuit. Venerunt cum eo plures ex Aragonia proceres:in quorum numero fuit Blaſcus Alagona Aragonenſis,rei militaris peritia,prudentia quoque & nobilitate inſignis: qui poſtmodum multis in Sicilia oppidis a Petro Rege ditatus,eius ibidẽ tam nobilis propaginis pater extitit. Venit etiam cum eo & Guilelmus Raymundus Montecatinus. Petrus Rex cum in Drepanitano ſinu vrbis Meſſanæ obſidionem accepit, nihil

nihil cunctatus, terrestri itinere Panormum contendit. Vbi honore regio exceptus, & Rex ab omnibus salutatus, diademate etiam a Cephalœdensi Antistite (quia Panormitanus Archiepiscopus ad Romanum Pont. profectus aberat) magna omnium congratulatione, faustisq; acclamationibus, more maiorum coronatur. Messanenses, aduentu Petri Regis audito elatiores securioresq; redditi, nocte vrbem egressi, qua ad colles prominentes est iter, hostes somno & vino sopitos adorti cędunt, ac gaza omnique commeatu recepto, omnes Francos, quibus mors pepercit, in fugam conuerterunt. Petrus re sacra Panormi peracta, comitiisque Regiis habitis, Rogerium Lauriam quadraginta cum triremibus Messanam præmittit: qui classem Caroli vel occuparet, vel commeatum saltem ex Calabria illi inhiberet. Mox ipse sine mora Messanensibus auxiliaturus, cum paucis terrestri itinere Randatium petiit. Vnde statim Nicolaum Palicium, & Andream Prochytam proceres cum quingentis & eo amplius balistariis Messanam misit. Qui vrbem ingressi, obsessos roborarunt, & Petri aduentu nuntiato non mediocriter erexerunt. Rogerius Lauria interea vigesimo septimo Septembris die fretum cum triremibus ingreditur, classem Caroli adoritur, dissipat, partemque comburit. Petrus Rex post hæc Ximenium Lunam, Guilelmum Castellum nouum, & Petrum Queraltum ad Carolum Legatos mittit, qui ei referant, vt duorum alterum eligat, vel Siciliam sibi iure optimo debitam sine bello restituere, vel congressum in suis castris ante Messanam expectare. Legati properant, commissum legationis munus exponunt: sed Carolus verbis, classe, & aduentu Petri territus, soluta fœde obsidione in Calabriam se recipit. Quo audito Petrus e Randatio Messanam tandem venit. Vbi ingenti congratulatione, vt parens, ac veluti numen e cœlo delapsum, in vrbe recipitur. Mox ne fortunæ occasione abuti videretur, triremes quatuor supra viginti parari, & Regis Caroli classem trepide Neapolim & absq; ordine contendentem insequi iubet. Classis Petri statim Messana soluit, & partem classis Caroli iuxta Nicotręi littus aggressa, paruo sed miro negotio quadraginta Francorum rates superat, capit, & debito victoriæ ordine Messanam traducit. Petrus hac victoria elatior factus, classem rursus instruit: cui Iaymum filium suum spurium præficit, literasq; in mari sibi legendas dat, & vt illucescente statim nauiget, imperat. Erant enim iuxta Catunæ littora, quæ ex vicinior Calabriæ parte Messanam conspiciunt, quingenti Franci equites in insidiis positi. Classe in altum prouecta Iaymus literas legit: quibus sibi a Petro patre iniungitur, hos noctu incautos & somno sepultos inuadat, Messanamque re gesta redeat. Iaymus Catunam nauigat, & Francis non repertis contra patris imperium ad Caroli exercitum progreditur. Vbi in paratas insidias incidens duodecim milites insolenter amisit. Sunt qui scribant, Iaymum peruagato Catunæ littore, & Francis non inuentis, classem hostium sibi obuiam adortum fudisse fugasseque, ac pluribus nauigiis captis ingenti rerum mole onustum ouantemque Messanam esse regressum. Petrus Rex, quod mandatum neglexerat, Iaymum filium Præfectura abdicat, & perpetuo exilio mulctat. Interea Carolus Rex Rhegio mouens, in agro Sancti Martini castrametatur, vt fuga simulata Petrus in Calabriam ad bellum prouocetur. Quo Petrus accepto classe confestim fretum traiicit, Rhegium nullo obsistente capit. Deinde conscripto cũ milite in Solano agro non longe a S. Martino castra & ipse posuit. Ibi vero nihil moratus, cum per exploratores didicisset Raymundum Balsum quingentis cum Francis equitibus iuxta Synopolim oppidum, loco cui a Grussana nomen est, palantes otio indulgere: suis edicit vt noctu hostes incautos occupent. Aragonenses itaque hostem adorti, castra perfringunt, plures trucidant, aliquos capiunt: tandemque Raymundum ipsum nullo insigni ab aliis discretum cum gregariis militibus iugulant. Parta tam insigni victoria Aragonenses ad Petrum Regem hostium spoliis onusti ouantes reuertuntur. Eodem ferme tempore cum in Siminara oppido plures ex Caroli ministris militiæ imperiti absque excubiis consedissent: Aragonenses iussu Petri hos etiam ex improuiso aggressi, veluti oues omnes trucidant. Dum hæc in Calabria geruntur, Constantia Petri Regis vxor

cum Iacobo, Friderico, Alfonso, & Iolanda filiis, e Catalonia Siciliam venit, & maximo honore, & Regio more Drepani primum, Panormi postea recepta, Messanam tandem perrexit. vbi non minori cum applausu excepta est. Subidē fere me tempus Henricus (quem Henrichettum appellabant) Claromontanus, genere Francus, vir bello & nobilitate clarissimus, cum in Ludouici & Philippi posteafilii Francorum Regum odium incidisset, Francia discedens, Caroli Siciliæ Regis militiæ apud Neapolim se mancipauit. Erat Henrico vxor forma eximia & præcellens. quam Carolus vt vidit, efflictim amare cœpit, tandemque aut imperio aut pretio corruptam violauit. Quo cognito Henricus ad tempus dissimulatam iniuriam vlcisci deliberauit. Erat nanque Carolo filia nubilis pulchritudine nemine inferior: cuius Henricus deflorata virginitate, vxoris dedecus vltus, veritusque Regis iram, cum vxore & Simone filio ad Petrum Aragonensium & Siciliæ Regem, dum in castris contra Carolum esset, defecit. a quo & benignissime exceptus est. neque enim illi eius fides poterat esse suspecta, cuius contra Carolum tot ignominiosa flagrabant argumenta. Henrichettus is est qui Claromontanæ stirpis in Sicilia tam fœliciſſimæ, quam per multa postea tempora fortunatissimæ (etsi hodie extincta sit) author extitit. cuius plura in Rempubl. liberalitatis ac magnificentiæ adhuc monumenta visuntur, & nomen ducta per manus fama celebratur. Interea Carolus, cum aduersa omnia sibi succederent, Legatos ad Petrum mittit, grauiter ipsum incusans, quod in pace oblitus propinquitatis, affinitatis, amicitiæ, & nominis Regii, per nefariam fraudem furtumque, & id atrociſſimum, ausus fuisset Siciliam sibi a Romano Pontifice sub annuo vectigali datam inuadere occupareque. Petrus ad hæc per suos & ipse Legatos Sigismundum Lunam, Guilelmum Castellum nouum, & Petrum Queraltum respondit: Sibi Regi, Regumque filio, ac Christiani nominis professori, non licuisse non moueri misericordia Siculorum, qui hostilia indignaque sub eo passi, se vnum toto terrarum orbe habebant, cuius opem iure suo fidemque in calamitate per necessitatem implorarent: quod Constantiam Manfredi Regis Siciliæ filiam in matrimonio, & ex ea tot liberos haberet: quos opibus auitis fraudari, Regiumque titulum amittere, paterni affectus ferre nequirent. Quibus accedebat, etiam super Sicilia Corradini auunculi ius, quem ille impie interfecerat, Nicolao demū Pontifice identidem ei confirmante. His vtrinq; literis potius aucta exacerbataq; quam leuata seu lenita controuersia, Carolus ita Petro bellum indixit, vt non de imperio dignitateq;, sed de salute, & in caput eius dimicaturum se proclamaret. Qua verborum contentione consensu etiam Martini Rom. Pont. decretum denique est, vt singulari certamine equitibus vterque centenis, armis equestribus inter se causam decideret: locusq; ab vtroque Burdegala Vasconiæ vrbs, Regi Angliæ (qui vtrique affinis erat) subdita, iureiurando firmatus, diesque certaminis ipsis Iunii Calendis anni salutis 1283. constituitur. Petrus Rex, decreto duelli die, relicto in Calabria exercitu in Siciliam venit: & Catanæ conuentu cum Proceribus habito, vectigalia omnia quę Carolus imposuerat, remisit, vt eius adhuc diplomate constat. Constantiā Reginam Regni gubernatricem, Iacobum filiū Infantem, (quæ digniras Regi proxima est) Guilelmum Calcerandū Neeti regionis Vicarium, Alaymum Leontinum Magistrum Iustitiarium, Ioannem Prochytam Cancellarium, Rogerium Lauriam classis prę fectum & Admiratum instituit. Subinde Alaymo Buccheriū, Palazolum, & Adogribum oppida dedit. Recessurus Sicilia, Cataloniam versus, Palmerium Abbatē equitem insignem, etsi statura pusillum, secum vt vnū de centenario ad duellum numero duxit. Dum Petrus Rex Cataloniam nauigat, magna a proceribus qui Petrum Regem vocauerant, seditio exoritur. Gualterius nanque Caltagironus, Zanus, & Bonioannes, & pleriq; alii (qua causa incertum) a Rege desciscentes, Caltagironum ingressi, cunctos qui Petri Regis partes sequebantur, interfecere. Quo Iacobus Infans audito, misso exercitu Gualtherium capit, captumque cum coniuratis in oppido Calthagirono in campo S. Iuliani ad furcam adegit. Sed & Alaymus Leontinus, qui iure vxorio Ficarræ oppidi dominium tenebat, cum

Ioanne

Ioanne Mazarino & Adenolpho Mineo nepotibus, a Rege etiam iam animo defecerant. quos Iacobus, ne aliquid seditionis in Sicilia molirentur, sub suppetiarum specie in Cataloniam ad Petrum Regem misit, & deinde Amataldam Alaymi vxorem Messanæ in arce Griffoni carceri addixit. Quæ cum insolentior esset animo, & desciti onis particeps, dum in carcerem duceretur, in hæc prorupisse verba fertur: Non recte Petrum agere, qui cum a Siculis in socium ascitus fuerit, Regnũ Siciliæ sibi occupauerit, Siculosque vt seruos cõtra pacta, & non vt socios habeat. Alaymus audita vxoris captura, manifeste in virus erumpit: Carolo Regi scribit, si decem tantum triremes mitteret, se ei Siciliam daturum. Has literas interceptas Petrus rex dissimulauit: verum cum alteras eiusdem exempli ad Carolum scriptas per exploratores occupatas recepisset, Alaymo perduellionis crimen imponit. Quod ille prorsus negauit. At veritus ne Garcias Nicosius notarius eius Cancellarius, qui suo iussu ipsas tabellas exarauerat, facinus Regi patefaceret, illum interfecit, caputque eius mari submersit, corpus vero in suis ædibus sepeliuit. Quod cum Raymundus Marchettus casu reperisset, Regi Petro rem detexit. Sed cum rursum Alaymus hoc negasset, captus est Matthæus Manescalcus Alaymi familiaris, tormentisque actus fassus est ab Adenolpho Meneo & Ioanne Mazarino Garciam interfectum vidisse quidem, sed necis causam ignorare. Quare captus subinde Adenolphus crimen prodidit, & Alaymus eiusque nepotes in arce Fecuranæ non longe ab Islerda carceri regis iussu mancipati sunt. Eadem ferme tẽpestate Martinus Romanus Põtifex Fratrem Pyrronum de Aydono Siculum, & Fratrem Antonium de Monte Appulum Dominicanos Siciliam misit, qui Siculos hortarentur vt a Petro ad Romanam ecclesiam deficerent. Hi Messanam ad Sanctam Mariam de Scalis aduecti, Guilelmum Maniacis Abbatem, vt a Romano Pontifice in mandatis acceperant, conueniunt, illiusque opera vtuntur. Porro re detecta, Iacobus Infans Dominicanos capit, muneribus allicit, & vt pacẽ cũ Pontifice tractent, Romam remittit. Guilelmus Abbas Melitam relegatur, nepotibus eius & plerisque aliis Messanæ furca mulctatis. Interea statuto duelli die instante, Burdegalam vndique mortales Angli, Franci, Hispani, Itali, Germanique ad famam duorum clarissimorum Regũ, qui parua quidem manu, sed infensissimis animis dimicaturi ferebantur, confluxerunt. Ex Græcia etiam quam plurimi, plerique partium studio, alii spectaculi nobilissimi gratia conuenerant. Sed ingentem omnium expectationem nescio quæ frustratio ludificatioque excepit. Qui Carolo fauent, scribunt indicto die nullum Petrum comparuisse, nullum Aragonensem se loco, & Prætori Ioanni Agriliaco Aquitaniæ Senescalco, duelli Præfecto ac Iudici a Regibus selecto, ostendisse: Carolum vero ex Italia in Vasconiam profectũ loco ab aurora ad seram vsque noctem in armis adstitisse. Qui Petri partes sequũtur, tradunt: Petrum Catalonia Burdegalam petentem nuntium in itinere habuisse, qui Carolum cum quinque equitum milibus ad duellum properasse, atque insidias sibi, non certamen parasse, retulit: & ob id Berengarium Crucicolum equitem impigrum præcursorem ad duelli locum præmisisse, illique se famulum mẽtitum adiunxisse, atque Prætori exhibuisse. Apud quem conquestum de Caroli insidiis, ter detecta veste campo ad constitutum diem circundato, facti scriptura testibus a Prætore firmata & recepta, in Hispaniam reuersum. eoque audito Carolum ingemuisse: & primum coram Prætore, postmodum coram Rom. Pont. fidem frustratam accusantem, a Martino, qui Caroli erat studiosus, impetrasse vt Regno Aragonum Carolo Valesio Francorum Regis ex Petri sorore filio contributo, Petrus ipse diris obiectus prorsusque priuatus, bello etiam sacro impeteretur. Sed cum in relatione ipsa plurimum authores dissentiant, penes eos sit fides qui coram bellis interfuerunt. In hoc porro omnes conueniunt, quod Carolus post duelli frustrationem in Comitatum Prouinciæ reuersus, classem contra Siciliam instruxerit: Petrus vero contra Melitam insulam, quę Caroli adhuc parebat imperio, Manfredum Lanceam miserit. Is dura obsidione eam statim opprimere cœpit. Quo intellecto Carolus decem & nouem triremes, quibus Guilelmũ Corneliũ præfecit, eo ad auxiliandum Melitensibus destinat. Quod vbi Rogerius

Lauria classis Aragonicæ Præfectus resciuit, confestim cum vna & viginti triremibus Melitam & ipse nauigat. Iamq; Cornelius arcem Melitensium munierat, & in portu cum sua classe residebat, cum Rogerius applicat, & signo hostem ad prælium extra portum inuitat. Cornelius portu egressus, classem Aragonẽsem adoritur. Bellum itaq; horridũ ab ortu Solis ad meridiem vsq; vtrinq; acerrime & multo cruore committitur. Nondum finis belli imminebat, cum sex Francorum triremes horrenda pugna consternatæ fœde abeunt, & fuga sibi consulunt. Cornelius mortem insignem turpi vitæ præferendam censens, nauim Prætoriam Rogerii magno animo impetuq; inuadit, & per prorã in eam ascendens plures ex Aragonensibus in mare proiicit, multos occidit, per transtra & remos ad hostem peruenit. Rogerius indignatus turbam suæ nauis vni viro cessisse, mox in Cornelium irruit: sed cum telo ab hoste pede transfixus, cuspide inhærente immobilis constitisset, statim ferro educto liberq; factus, illa eadem cuspide Cornelii vitalia transfodit. Ita Guilelmus Cornelius insigni sua morte finem bello dedit. Duce nanq; interfecto cæteræ triremes & Melitenses etiam vltro victori se dedunt. Rogerius Manfredo Lanceæ Melitæ constituto Præfecto, hostium abrasis in ludibrium capitibus, Messanam cum signis victricibus regreditur. Carolus, qui Massiliæ tunc agebat, rei huius male gestæ nũtio excandescit, classemq; quam parare ibi cœperat, in mare vrget. Rogerius Lauria Melitensi victoria elatus, cum quadraginta & vna triremibus Neapolim postea nauigat, cunctaque infesta facit. Erat Neapoli Carolus quem Claudum appellant, Caroli Regis primogenitus, Tarenti Princeps. qui hostem temere sua littora inuasisse conspicatus, septuaginta cum triremibus, quas instructas ad omnem euentum habebat, hostilem classem adoriri statuit. Sed Gerardo Cardinali Parmensi Legato Romani Pontificis, & Proceribus qui aderant, ab instituto eum dissuadentibus, paulisper se continuit. Interea Massilia Neapolim versus cum literis Caroli Regis patris ad filium incaute nauigans, in manus Rogerii incidit. Apertis literis patrem filio congressum quemlibet cum Rogerio vetare lectum est: quippe quod vereretur ne imperitus adolescens a sene prudente interciperetur. Rogerius ea fiducia audentior ad pugnam factus, lintrem retinuit. Subinde proxima quæq; littoribus Neapolitanis loca vastans, portumq; aliquando ingressus, hostes ad bellum prouocabat. Carolus ætatis & iræ ardore feruidus, classem suam cum proceribus inscendens, Rogeriũ calide tunc fugam vsq; ad Circæum montem simulantem insequitur. Rogerius vbi hostes longe esse a Neapoli videt, rostra nauium retro vertit, ac impetum præstolatur. Datis itaq; signis bellum inter vtranq; classem conseritur: plures vtrinq; miserabili cæde sternuntur. Aragonica classis ab vtroq; latere vallata hostibus impugnatur. Rogerius socios ad arma, ad bellum, ad victoriam hortatur. Cuius vocib. socii animo erecti, in triremes hostiũ magno ardore inuehuntur: tandẽq; singulæ singulas Francorũ triremes tenent. Habebat Rogerius suæ triremis signiferæ tubicinẽ, Paganum nomine: qui sub vndis diu natura viuebat. Huic munus pollicetur ingens, si triremem Caroli Principis, quæ & velocitate & commeatu armorumq; copia captu erat difficillima, terebraret. Is non segniter onus subit, operi se accingit, ac triremem tandem Caroli perforat. Nauis aquis per rimas penetrantibus ad ima sensim descendebat. Quo Carolus Princeps, cum nullum fugæ superesset remedium, victus, Rogerio cedit, ac se cum Proceribus omnibus dedit. Captæ sunt cum eo ex triremibus Francorum septuaginta, quadraginta duæ. Commissum est hoc bellum ad Caput Antii prostratæ iam vrbis, non longe a Circæo monte, anno salut. 1284. quinto mensis Augusti die. Rogerius parta victoria Beatricem Reginq; Constantiæ sororẽ, quam Carolus rex a Manfredi patris morte Neapoli in vinculis tenebat, impetrauit. Et post hæc Messanam, vbi Regina Constantia Petri vxor, & Iacobus Infans, ac cæteri Proceres belli euentum anxie præstolabantur, triumphans regreditur. Carolum Principem in arce Mottagriffonis sub custodia teneri iussit: cæteros vero Proceres captiuos per cæteras Siciliæ arces dispersit: Beatricẽ vero Constantiæ Reginæ reddidit. Interea Carolus rex infœlicis euẽtus ignarus, acceptas a Philippo Francorũ Rege ingentes copias terra mariq; in Italiã ducebat. Iamq;

Iamq; Corſicam prętereuectus Italię littora proſpectabat: cũ forte per mercatorem Piſanum ſibi obuium e naui voce edita filii caſum cognouit: ſed dolorem meritum vultu ſimulans, claſſe Neapolim contendit. Quam cum titubantem ac diſſidio fluctuantem reperiſſet, paruo negotio ſedauit firmauitq;. Poſt hæc Guilelmum Torcerium cum decem & nouem triremibus ad Melitam repetendam emiſit. Quo cognito Rogerius Lauria Conſtantiæ Reginæ iuſſu cum duodecim triremibus mire inſtructis Meſſana ſoluens, Francorum claſſem non longe a Melita adoritur. Fæuiſſime vtrinque aliquandiu pugnatum eſt: at demum occiſo Guilelmo, & tredecim hoſtiũ triremibus captis, ac ſex fugatis, Rogerius iterum victor Meſſanã rediit. Meſſanenſes frequenti victoria elati, tumultu facto arcem Mottagriffoni aggreſſi, Francos multos qui captiui in ea detinebantur, iniecto igne combuſſerunt. Sed & ex multis Siciliæ oppidis oratores Meſſanam venere, qui Carolum Principem e vinculis ob Pontificis ſæuitiam, Corradini mortem, & Caroli Regis peruicaciam, obtrũcandum a Regina depoſcebant. Conſtantia a facinore abhorrẽs, oratoribus, ne inconſulto rege Petro quicquam agerent, ſed ab eo interfectum iri, reſpondit. Carolus Princeps prudentia Reginæ morte ereptus Cephalœdim primum, & mox in Aragoniã, deinde ad Petrum regem mittitur. Dum hęc in Sicilia geruntur, Carolus rex etſi afflictarũ rerum tædio plurimũ afficeretur, animo tamen inuictus Appuliã, Calabriã, Lucaniã, Aprutium circuit, ingentemq; militũ numerum conſcribit, vt maritimo & terreſtri exercitu Siciliã attentaret. Cætetum centum quinquaginta octo triremib. inſtructis, dũ reliqua bello opportuna conquirit, febre corripitur, atq; apud Fogiam Appuliæ oppidum, Roberto Comite Atrebatenſi eius germano fratre, regni pro Carolo Principe Baylo conſtituto, deceſſit. Mortuo Carolo rege Philippus Francorum rex Robertum Atrebatenſem continuo ad res Neapolitanas tuendas miſit. Ipſe vero cum Iacobo Petri Aragonenſis fratre, (a quo ob Baleares ſibi inſulas denegatas ad Frãcos transfugerat) & Philippo filio Nauarræ Rege, & Carolo Valeſio, maximaq; procerũ Francorum manu, ad regnũ Aragonenſium, quod Valeſio Pontifex proſcripſerat, mouet. Quo cognito Petrus rex in Pontificis ludibrium, qui nomen ei Regium abrogauerat, Pater duorum Regnorum, mariſq; Dominus vocari voluit. Igitur anno ſalutis 1285. pridie idus Maii Perpinianum Francorum exercitus peruenit. Ea vrbs Iacobo Aragonenſi Petri regis fratri deditionem ſtatim fecit, Francoſque intra mœnia admiſit. Cuius exemplum cætera oppida ſecuta & ipſa per deditionem a Francis ſunt occupata. Cõtra Gerundam deinde vrbem præſidiis munitiſſimam Philippus venit, atque eam obſidione cinxit. Sed Petrus rex obiecit ſe illi maxima vi atq; arte. Vbi conſerto infeſtiſſimo prælio, in quo magna vtriuſq; exercitus pars eſt occiſa, Petrus ipſe conto letaliter vulneratus, ſeſe ex acie recepit. Cuius cũ eques quidã Francus equũ per habenas apprehendiſſet, ipſe habenis gladio diſciſſis, additiſque calcaribus periculo ſe eripuit. Deinde Villam francam delatus, 3. idus Nouembris ſalutis anno. 1286. ætatis vero ſuæ. 55. Siciliæ vero Regni quarto, hominem exutus Barcinonæ tumulatus eſt. Moriens quatuor liberos reliquit: Alphonſum, Iacobum, Fridericũ & Petrum: duaſque fœminas, Iſabellam & Iolanten. Alfonſum Aragonum, ſed Iacobũ Siciliæ hac lege regem inſtituit, vt ipſe Alfonſo, ſi ſine liberis decederet, in Aragoneuſi regno, in Sicilia vero Fridericus ſuccederet. Iacobo vero fratri Baleares inſulas reſtituit. Paulo poſt Philippus Francorũ rex & ipſe Gerunda per deditionem accepta, morbo vi correptus, Philippo cognomento Pulchro filio hærede relicto, moritur. Quo defuncto Rogerius Lauria Francorum claſſem a Piſanis & Genuẽſibus conductam, & poſtea dimiſſam, ad ſe mercede euocat, ſuæque adiungit: qua deinde reliquam Francorum claſſem, quę in portu ſtabat, adoritur atque profligat. In claſſem præterea aliam, quam Genuenſes & Piſani publico ære Philippo regi auxiliarem collegerant, apud Lamellum (Liburno portui vicinam inſulam) irruit, atque quinquaginta ex ea triremes partim confregit, partim ſubmerſit. Sic igitur etſi eo bello Petrus Rex interierit, Francis etiam ipſis victoria potitis, calamitas alia ſuper aliam (quod plerunque ſibi peculiare rerum humanarum habet conditio) ſubſecuta eſt.

DE IACOBO SICILIÆ REGE.

CAPVT II.

ROGERIVS Lauria, mortuo rege Petro, tot victoriis contra Francos insignis, Siciliam sua classe redire parat. Sed futuræ tempestatis signis admonitus regressum differebat. Vrgente tandem Friderico Falcone Messanensi, cui cæteri Proceres facile suffragabantur, contra votum vela dare ventis compellitur. Vnde subinde cum quintum post diem Minoricam insulam appulisset, atq; inde tertio die Decembris soluens non longe esset a Sardinia, suborta ventorum & maris procella, plures triremes naufragio amisit. Vna, qua Fridericus Ansalonus vehebatur, & altera Messanēsium, duæ Augustanæ, vna Catanensis, & Saccensis altera, submersæ sunt: cæteræ vero, quæ quadraginta superfuerant, laceræ & trinoctia æquoris vi collisæ, Drepanū appulerunt. Vnde proceres terrestri itinere Panormum progressi, Reginæ Constantiæ eiusque filiis Petri obitum nuntiauerunt. Siculi nuntio accepto, more regio peractis inferiis, Iacobum Infantem Petri secundogenitum anno salutis 1286. secundo Februarii die, Panormi more maiorum Regia corona ac diademate, vt Petrus rex testamento reliquerat, decorarunt. Inyćto Cephalœdensi, Philippo Squillacensi, & Tancredo Neocastrensi Episcopis, Archimandrita quoq; D. Saluatoris Messanēsis, & Abbatibus suis suffraganeis præsentibus. Quo die plures instituit aulicos milites, pluresq; immunitates Siculis largitus est. Messanam postea petiit, & Guilelmum Calcærandum Calabriæ præfecit. cuius inertia Castrum villarum & Moranum oppida in hostium potestatem venere. Ductabat eo ferme tempore pro rege Carolo in Calabria Manfredus Claromontanus. qui cognita Henrichetti affinis ad Aragonenses defectione, a Carolo & ipse desciuit. Verum a Morani oppidi Domina dolo inuitatus, & inter cœnandum captus, cum auro se redemisset, Iacobo Regi se addixit. Nec diu post Iacobus Rex Beltrandum de Cānellis virum impigrum, ad Alphonsum fratrem Aragonensium regem nuntium misit, vt Alaymū Leontinum nepotesq;, quos Petrus pater perduellionis reos in carcerem detruserat, sibi traderet. Quibus receptis Beltrandus, vt in mandatis habebat, in prospectu Siciliæ non longe a Sacra insula, (quam Maretimum hodie appellant) pannis inuolutos in mare submersit. Interea nouis Francorum & Aragonum regibus quiescentibus, Gerardus Parmensis Cardinalis Pont. Legatus, & Robertus Comes Atrebatensis, in spem Siciliæ recipiendæ adducti, classem quadraginta triremium peditatu & equitatu instructissimam in Appulia silenter parant: cui Raynaldum Velinum virum strenuum & in re militari assuetum præficiunt. Raynaldus itaque in Siciliam prouectus, oppidum Augustam (licet Catanam falso quidam scribant) viris (qui ad nundinas Leontinum petierant) desertum, & arcem capit, ac Francicæ ditioni subiicit. Fama rei gestæ ad Iacobum regem, qui Messanæ tunc residebat, per certum nuntium defertur. qua motus classem, quam in portu habebat, cum Rogerio Lauria præmisit: ipse vero terrestri itinere Catanam primum, ac deinde Augustam venit. Vix Rogerius Augustam applicuit, cum non expectato Iacobi Regis aduentu in oppidum irruit. Franci ex arce erumpentes, per patentes plateas discursantes, plures ex Aragonensibus trucidant. deinde trabibus, vegetibus, ac tabulis vicos impediunt, ac fortiter obsistunt, Dominicanis fratribus (qui tredecim numero erant) satis rem Pontificis adiuuātibus. Sed Iacobo deinde Rege cum terrestri exercitu appulso, Franci animo concidunt, & in arcem cum Raynaldo omnes oppido relicto sese recipiunt. Dominicani & ipsi, dum ad arcem salutem sibi quærunt, sex tantum in arcem incolumes euaserunt, quinque ab hostibus cæsis, duobus vero captis: quorum alter Capuanus, ad Rogerium perductus, ingentem propediem Gallorum classem Neapoli expectari, aliaque id genus hostium consilia aperuit. Dum Iacobus rex arcem obsidet, Rogerius eius iussu cum vniuersa classe, & quinq; aliis triremibus, quas postremo vrbs Panormus

Duce

Duce Palmerio Abbate in subsidium transmiserat, Messanam reuertitur. Vbi & aliis nauibus quæ ibi erant, ad classem additis, contra Neapolim nauigat: inimicorum littora, Isclam quoque & Prochytam insulas, populationibus vexat. Deinde ante Neapolim vexillis explicitis sese hostibus ostentans, ad certamen eos eminus euocabat. Quo viso Carolus iunior cognomento Martellus, Comes Atrebatensis, Regni Baylus, Comites Flandriæ, Brehennæ, Auellini, & Montisfortis cum pluribus Neapolitanis viris principibus, triremes septuaginta, quas in portu habebãt, cũ iusto conscripto milite inscendunt, & in classem Rogerii, quæ quadraginta nauiũ erat, irruunt. Pugna cruenta vtrinque cõmissa, tandem Siculi superiores facti quadraginta hostium triremes capiunt, cæteras vero fugant. Capti in ea pugna sunt Comites omnes, & Magnus Admiratus cum pluribus proceribus. Rogerius parta tam insigni victoria, classem cum quatuor captiuorum milibus, & debellatis hostium signis, in Siciliam ad Iacobum Regem misit: ipse vero cum triginta solũ triremibus ante Neapolim tanquam victor in ludibrium Francorum sese exhibendo moram trahebat. Hac clade Neapolis ciuitas adeo deiecta est, vt ad Iacobum quam facillime fuerit defectura, si hortatorem habuisset. Porro Rogerius tot victoriis abusus, accepta numerosa pecunia, inconsulto Rege fœdas cum Francis inducias firmauit. Dum hæc Neapoli gerũtur, Raynaldus Velinus, & cæteri equites Franci, qui in arce Augustana obsessi commeatus inopia premebãtur, deditionem facere coacti, reseratis portis supplices ad Iacobi Regis pedes procubuere. Vbi vero Iacobo Regi induciæ, quas Rogerius cum Francis pepigerat, innotuere, Consulares Rogerium capitis reum agunt, Ioanne Prochyta, qui primatum in cõciliis habebat, contrariam ob ingentia & egregia illius facinora sententiam pronũtiante. Rogerius quæstionis contra se motæ ignarus, post firmatas cum hostibus inducias cum captis Comitibus triumphans ad Regem Iacobum reuertitur. Iacobus Rogerio venia data, captiuos in arces Siciliæ vinctos præsidiis commisit, Raynaldo Velino pro restitutione arcis Isclæ (quam Gironum appellant) dimisso. Guido Montisfortis captiuitatis socius, in morbum veneris vsu leuandum incidit. sed ne adulterio se contaminaret, mortem vitæ prætulit. Comites Flandriæ, Auellini, & Brehennæ cum Admirato & Proceribus, auro & ipsi se redemerunt. His fœliciter patratis Iacobus Rex anno salutis. 1288. classem cum Rogerio ascendens, cõtra Caietam soluit. Vnde mutato consilio Beluederum Calabriæ oppidum (quod parum a littore distat) aggressus, duriter obsedit. Parebat id Rogerio Sanguineto qui sub Carolo rege militabat. Eius hortatu oppidani fame & siti ad desperationẽ acti, contra Iacobi castra machinis lapides emittunt. Iacobus, quo eos a ferocia auerteret, Sanguineti liberos, quos obsides pro patre habebat, ad impetita maxime castrorum loca palo affixos imposuit: ratus filiorum amore a lapidum immissione patrem cessaturum. Sed Sanguinetus, ne quo modo a rege Carolo desciscere videretur, Regi quam iurauerat fidem, prognatorum amori antetulit: durioribusq; in easdem partes saxis proiectis percussi filii e vertice pali corruerunt: quorum altero extincto, alterum illæsum fortuna seruauit. Oppidani vero siti superati, deditionem consilio habito facere decreuerant. Sed præter spem obsessis consultum est. Nam repente vis vẽtorum, pluuia, in mari exorta, & ipsis aquas desideratas exhibuit, & Iacobum regem, qui cum tota classe iam pene fluctibus obruebatur, loco cedere coegit. Verum ante discessum Iacobus Regium facinus gessit. Sanguineti nanque dolori modum impositurus, alterum filiorum obrutum sericis vestibus ad sepulturam, alterum superstitem ad solatium genitori libere transmisit. Relicto itaque Beluedero oppido Caietam rursus nauigat. Præerat vrbis præsidio Auellini Comes is quem paulo ante Iacobus captum tenuerat. qui cum descensum regis militumq; eius ad littora inhibere conatur, a Catalanis & Siculis, qui pelago prioris obuersis per puppes in terram descenderant, impetitus, cum viribus esset inferior, & carceris non oblitus, in fũgam vertitur. cumque insequentibus Siculis Caietam ingredi nequisset, equum vrgens, ad remotiora loca concitato cursu euasit. Siculi suburbium Caietæ, quod Molam vocant, inuadunt, capiunt, populantur, prædamque ad naues apportant. Iacobus a superiori parte contra ciuitatem in

monte ſua caſtra metatur: conterminamque vſq; ad Fundos oppidum regionem excurrens deprædatur, reliquam omnẽ igni ferroq; conſumpſit. Subinde cũ Rex caſtra vallo aggeribuſq; egregie muniuiſſet, Comes Atrebatenſis & cæteri proceres, qui Caroli partes tuebantur, magno exercitu comparato obſeſſæ vrbi opitulaturi ſuperuenere. Caſtra poſuit Atrebatenſis contra Iacobi tentoria non longius quam vnius ſtadii interuallo. Caieta itaque vrbs inter claſſem & Regis tentoria, Rex inter vrbem & Atrebatenſis caſtra interiacebant: ita vt alter alterũ fine diſcrimine fere obſideret. Vrbs etenim naturali ſitu munita expugnari non poterat. Sed & caſtra Regis in monte diſpoſita, Comiti Atrebatenſi ſine ſui ſuorumque periculo imminenti adoriri non licebat. Dum in hoc ſtatu Caieta teneretur, nuntii Alfonſi Regis Aragonum, & Regis Angliæ ad Regem & Atrebatenſem Comitem venere, qui pacem aut inducias ſaltem etiam Romani Pont. nomine hortabantur. ac ſic induciis pactis, quo Regi honor deferretur, Atrebatenſis prius caſtrorũ ſuorum loca deſeruit. Triduum poſt Iacobus Rex ſoluens claſſe recto curſu in Siciliã rediit. Alfonſus Carolum Principem Tarenti, acceptis pro eo obſidibus Ludouico, Roberto & Philippo eius filiis, libertate donauit. Nicolaus Rom. Pont. qui eius redimendi apud Alfonſum interceſſor extiterat, eum mox in regem Neapolis & Siciliæ vnxit, & inſignibus Regiis more maiorum donauit. Durantibus induciis Reges Aragonum & Anglorum, inter Iacobum Regem & Carolum hunc ſecundum, pacem, ſed fruſtra tentarunt. Quocirca Iacobus tempus fruſtra teri, ac vanis pollicitationibus ſe circumuentum conſpiciens, Bernardum Sarrianũ miſit, qui inducias Carolo Regi renuntiaret. Bernardus munus legationis executus, Paſitano & Aſturo oppidis depopulatis, prædam ingentem in Siciliam ad Iacobum Regem retulit. Sed anno ſalutis. 1289. induciæ per Legatos Rom. Pont. iterum ſunt firmatæ. Iacobus interim quinq; naues armis & commeatu onuſtas in ſubſidium Anconæ vrbis miſit: quam eo tempore Sarraceni magna vi oppugnatam demum expugnarunt. Rogerius quoque Lauria, ne ſui milites otio tabeſcerent, Tolomeccã Sarracenorum oppidum adortus, vi militari cepit. Vnde & ſeruis & amplis ſpoliis onuſtus in Siciliam cum claſſe remeauit. Interea induciarum tempore, quo conuenerant, exacto, circa ſal. annum. 1290. dum Iacobus Rex cum claſſe quadraginta triremium in Calabriam profectus, Hieracim oppidum & plurima alia loca paruo negotio occupat, belliq; negotiis detinetur: nuntius ex Aragonia ſigna mœſtitiæ cũ atrato habitu vultuq; tetrico perferẽs, ſuperuenit, qui Alfonſi fratris nullo relicto filio obitum, Regnumq; & iure hæreditario, & Petri teſtamento, ac voluntate Procerum ad eum pertinere nuntiauit. Quo nuntio reuocatus, relicta mox Calabria, Siciliam Iacobus retro petiit: patefactoque ibi rerum euentu, ac Friderico fratre (qui tum Infans dicebatur, & qui iure paterni teſtamenti Siciliæ Regno ſuccedere debebat) Vicario in Sicilia relicto, cum ſeptem triremibus in Aragoniã, anno ſal. 1291. traiecit. quo tempore induciæ rurſus, ſed nauales duntaxat, inter reges renouatæ ſunt. Quare Iacobus, ne terreſtrem expeditionem deſereret, Blaſcũ Alagonam armis belloque aſſuetum ad proſequenda quæ in Calabria ipſe inceperat, miſit. Blaſcus in Calabriam transfretans, contra Guidonem Primeranum Caroli rebus fauentem, & alios nonnullos Proceres, victoria inſigni potitus, apud regem Iacobum de re pecuniaria furto ablata accuſatur. Receſſurus, Friderico Infanti, poſtquam apud Iacobum ſibi impoſitum crimen purgaſſet, in Siciliã reuerti promiſit. Rogerius Lauria durantibus induciis cum viginti triremibus cõtra Imperatorem Conſtantinopolitanum ſoluit. Sed dum Appuliæ littora præternauigat, Guilelmum Eſtandardum Francum militem egregium Appuliæ tunc Præfectum, inter Licium & Pſitrum oppida, in occurſum habet. quo tandem in fugam conuerſo, Maluaſiam & Chion inſulas populatus eſt. Inde Methones vrbis littora excurrens, a Methonenſibus inſidiis excipitur: ſed recuperata acie, cõſertoq; bello, ex Methonenſibus plures cæſi, plurimi vero ſunt capti. Vnde Rogerius victor apud Clarentianum captiuos milites pretio redimi permiſit. Poſt hæc anno ſalut. 1293. defuncto Nicolao Ro. ſedis Præſule, & Cæleſtino ſubrogato, huic deinde Pontificatu ſe abdicanti Bonifacius Francorum ſtudioſus cum ſucceſſiſſet, pacẽ inter

Iaco-

Iacobum & Carolum Regem his cõditionibus procurauit: Iacobus Rex ius quod habet in Siciliæ regno, Carolo cedat: Blancam Caroli filiam, repudiata Hiſpaniæ regis filia ſibi deſponſata, in vxorem ducat: Carolus Francorum Regis filius iuri ſi quod habet ex proceſſu Martini Rom. Põnt. in Aragonum regno, renuntiet: Iacobus Rex a diris abſoluatur: Ludouicum, Robertum, & Philippum Caroli filios, & Blancæ vxoris germanos, quos obſides pro patre tenebat, liberet. Atque ita pax authoritate Pont. firmata eſt. Igitur Iacobus vndecim poſtquam regnauit annos, Siciliam Carolo renuntiauit. Subinde anno ſalut. 1295. Bonifacius Fridericum Infantem cum Rogerio Lauria accerſit: remotis arbitris apud Velitrem oppidum cum illis colloquitur. Catharinam e ſtirpe regis Francorum, quæ in imperio Conſtantinopolitano ius habebat, in vxorem cum auro & copiis quibus imperium recuperare poſſet, pro Sicilia ei ſpopondit. Fridericus cũm iis, ſi fide tempore præfixo non carerent, conſenſum præbuiſſet, in Siciliam cum claſſe regreditur. Interea tempus inter eos conſtitutum labitur, & fama quoq; Siciliæ a Iacobo in Carolum translatæ percrebuerat. Qua tota Sicilia cõturbata, Raymundus Alemanus, Ioannes Prochyta, Matthæus de Thermis, Manfredus Claromontanus, aliique proceres, Catalani præſertim, metuentes ne rumor hic callide a Friderico, qui ad regnũ aſpiraret, exortus eſſet, in oppida quædam mediterranea com muni cõſilio, vbi rei veritatem expectarent, ſeceſſerant. Conſtantia quoque Regina vxor regis Petri, & Iacobi & Friderici mater, accerſitis regni Proceribus, cum illis ſtatuit vt nuntii ad Iacobum regem, qui de re cognoſcerent, legarentur. Igitur Cataldus Ruſſus, Sanctorus Biſala Meſſanenſis, & Hugo Talath, oratores ad regem abiere. Iacobus veſtigio vera ea eſſe omnia, ingenue & palam confeſſus eſt. Oratores iniquis & animis & auribus id reſponſum accipientes, primo quidem inauditum horrendũq; eſſe, vaſallos fideles a fideli rege in manibus hoſtium deſeri, dixerunt. Verum cum ſemel, bis, & ſæpius regem orando obteſtandoq; ne fideles Siculos ita contemneret, nihil proficerent, Legati quo fides eis apud ſocios conſtaret, tabellis id ſibi Regiis conſignari efflagitauerunt. Confecto inſtrumento in Siciliam redierunt. Cum quibus & Blaſcus Alagona Friderico datæ fidei non immemor, tametſi Iacobus aduerſaretur, ad Infantem venit. Legati Siciliam reuerſi, factum & voce & ſcripto Siculis pandunt. Mirantur omnes, demum Rogerius Lauria, & Vinciguerra Palicius, aliiq; Primates, ad oppidum Caltanixettæ, vbi Raymundus Alemanus tãtæ rei incredulus reſidebat, conueniunt. Ibi rurſus inter eos inito cõcilio, ne in manus Francorum hoſtium deuenirent, Fridericum Infantem, Petri regis filium, in regem eligere decernunt, antequam Gallus inſulam occupet. Poſt hæc Catalani, Aragonenſes primores omnes, ac omnium ciuitatum & oppidorum Syndici Catanæ congregantur, & in æde ſacra maxima comitia celebrãt. Vbi Rogerius Lauria Conſularium omniũ Princeps, Fridericum & teſtamento patris, & voto omniũ ſignatum electumq; Siciliæ regem, publico nomine pronuntiat. Cuius vocẽ cæteri omnes proſecuti, regem Fridericum agnoſcunt ſalutantq;. Interea Bonifacius Rom. Pont. ratus idoneum tempus adeſſe quo Siculi Carolum regem reciperent, Bonifacium Calamandrum virum aſtutum & legationibus ſeriis aſſuetum, ad Siculos, vt Carolum regem admitterent, Legatum miſit. Calamandrus Meſſanam adueniens, longo verborum ordine ac ſolita arte finem dicendi vix fecerat, cũ Rogerius Lauria, & Vinciguerra Palicius, & Petrus Anſalonus, cæteriq; Principes, editis clamoribus contra ſe opponentes, a Siculis iam Fridericum regem electum reſpondere: ſtrictiſque enſibus mortem etiam illi, ni ſtatim Sicilia diſcederet, comminati ſunt. Calamandrus itaq; e concione elapſus, continuo nauigium aſcendit, Romamq; ad Bonifacium Pontificem cum reſponſo rediit. Iacobus rex, vbi Carolum ſperni a Siculis cognouit, Catalanos omnes & Aragonenſes, qui in Sicilia erant, per literas ad ſe reuocat. Ex quibus Raymundus Alemanus, Berengarius Vellaragutus, pluresq; alii relicta prouincia Iacobo paruere. At Blaſcus Alagona, Hugo de Empuriis, & pleriq; alii a Blaſco perſuaſi, conſtantiæ iuſtitiæque quam imperii obſeruantiores, in Sicilia ad Friderico regnum tuendum remanere decreuerunt.

DE FRIDERICO SECVNDO Siciliæ Rege, quem falso tertium appellant.

CAPVT III.

FRIDERICVS igitur, Petri Aragonũ & Siciliæ Regis tertiogenitus, vbi Catanæ a Siculis omnibus in Regem electus est, anno salutis. 1296. 7. Calend. Aprilis, (qui Annuntiationis virginis, & Christi resurgentis eo anno dies festus fuit) Panormi ritu solenni in ecclesia maiori ab Archiepiscopo Panormitano Regio diademate coronatus est. Vix Regno initiatus, per certum nuntium cognouit a Carolo rege Roccam Imperialẽ Calabriæ oppidum, quod sub ditione tenebat, obsideri. Quocirca ad bellum & repellendum hostem paucis Panormitanos hortatus, Messanam proficiscitur. Vbi magnifico apparatu receptus, postquam Constantiam Reginam genitricem, & Iolanten sororem salutasset, paratam classem cum Rogerio Lauria ascendit, ac Rhegium Calabriæ oppidum traiicit. Vbi regio more susceptus contra Squilacium oppidum Blascum Alagonam cum exercitu, Rogerium vero Lauriam cũ classe præmittit: quos ipse paucis post diebus secutus eodem peruenit. Oppidum itaq; dura obsidione cingit, ac aquas etiam fluminis præterlabentis per Corradum Lanceã Rogerii sororium populo inhibet. Quibus oppidani prohibiti, cum Aragonensib. dimicare coguntur. Conserto bello Squillacenses plurimi cæduntur: cæteri vero fugati cum domum ægre sese recepissent, tandem deditionem faciunt. Capto Squillacio, & Corrado Lancea ibi Præfecto constituto, contra Catanzarium exercitum mittit. Erat huius oppidi sub Carolo rege Comes & Dominus Petrus Rufus, sed Rogerii Lauriæ affinis: qui cum quadraginta dierum inducias a Friderico impetrasset, nec eo temporis spatio a Carolo rege (cui per id tempus in Appuliam peculiarem ad id legationem destinauerat) auxilia recepisset, cum reliquis Comitatus sui oppidis deditionẽ facere compulsus est. Fridericus deinde contra Crotonem pergit: stationes ante oppidum ponit. Vbi dum moraretur, Rogerius Lauria cum Petro Rigibal arcis & oppidi Præfecto quadraginta dierum inducias Regis nomine & iniit & iureiurando firmauit. Verum cum ante elapsum induciarũ tempus Siculi milites, orta inter eos & oppidanos singulari contentione, in Crotoniatas irruissent, cæsisque multis spoliatisque ab arce etiam Petrum eiecissent: Rogerius fidem suam violatam esse ægre ferens, & in milites, & in regem etiam obloctus est. Quod etsi Fridericus ei cõdonasset, ille tamẽ turbato remansit animo. Sedato tumultu ipse cum classe, & Arnaldus Pontius cũ copiis, iussu regis ad Roccam Imperialem proficiscuntur: eamque noctu, Comite Montisfortis & Francis obsidentibus, somno & vino sopitis, omni commeatu & militum præsidio communiunt. Rogerius mox prædę studio Pelicorum oppidum (quod Francorum erat horreum) aggreditur, atque populatur: & subinde ad Roccam Imperialem cum Rege regreditur. Quo cognito, Comes Montisfortis metu perculsus, obsidionem, quam pro rege Carolo inceperat, fœde soluit. Post hæc Fridericus cõtra. S. Seuerinam oppidum mouens, Archiepiscopum, qui id situ naturali munitũ acriter tutabatur, demum ad deditionem impulit. Russanum inde adortus, oppidanos, qui asperitate etiam situs confisi acerrime sese defendebant, populatis incensisque eorum agris, dedititios & ipsos in potestatem accepit. Dum hæc fœlici cursu in Calabria geruntur, Petrus Corballes Dominicanus, vir eloquentia præclarus, a Iacobo Aragonum rege ad Fridericum fratrem Legatus venit: qui eum a bello contra Carolum auerteret. cui nisi pareret, contra ipsum, Iacobum, qui a Romano Pont. Dux ad sacrum bellum ea conditione electus sit, causam susceptu-rum minatur. Fridericus audita legatione, & ad consilium cum proceribus relata, relicto in Calabria Blasco Alagona exercitus Duce, Siciliam repetit. Interea Rogerius Lauria Legationis ignarus, Licium Appuliæ oppidum (quod a mari p. m. to. recedit)

recedit) per noctem inuadit, ingentemque inde prædam exportat. mox Hydruntũ vrbem mœnibus nudatam adortus, nullo labore capit: eamque, quod & bello & classi satis esset idonea, restitutis muris & propugnaculis, vallo & aggere muniuit. Post hæc Brundusium, vetustate & portu vrbem insignem, classe appulsus, militẽ omnem in terram exponit. castra ad locum qui Rosa dicitur, metatus, adiacentia loca hostiliter suo more vastat, citra pontem suos consistere iubet, ne Francorum insidiis intercipiantur. Sed dum hæc parat, repente Franci e latebris in Siculos erũpunt. Rogerius, cum nulla fugæ spes esset, suos ad defensionem pontis hortatur. Gotfredus Iamuilla Francicæ militiæ Præfectus, cum suo nepote magna vi in põtem subit, & Siculis paulisper depulsis, duas eius partes adipiscitur. Quo viso, Peregrinus Pactis & Guilelmus Pallocta Siculi, qui sub Rogerio militabant, in hostes irruunt, partem pontis exiguam, quæ sola Siculis propugnaculum & tutamen remanserat, magno animo defendunt, eamque nunc datis nunc receptis vulneribus immobiles loco tuentur, quousque Rogerius adueniens equester pluribus sequẽtibus magno animo se tertium intulit. Ibi tum comminus in ponte angusto cruentissima inter Francos & Siculos dimicatio exorta est, donec Rogerius & Gotfredus ipsi duorum exercituum oppositi Duces, in pontis fere medio concurrentes, viribus resumptis mutuo inter se vulneribus contendere. Gotfredus Rogerium clava percussit: Rogerius vero gladio Gotfredum in facie sauciauit. hic accepto vulnere acrius inardescens, ac ferme prævalens, equum in Rogerium calcaribus incitatum egit. Equus stimulorum impatiens, primum insiliit: mox erecto corpore in saltum relapsus, miserabili casu in limum inscrutabilem de ponte cum sessore decidit. Hoc successu Rogerius & socii animo erecti, acrius contra Francos institere. E castris præterea Siculorum balistarii plurimi aduenientes, non exiguam Francis cladem attulerunt. Quorum egregia opera factum est vt Franci, cũ pontem transire iaculis inhibentibus nequirent, terga verterint, multisque suorum impulsu in limo fluuii corruentibus, pontem Siculis deseruerint. Rogerius victor hostes tamen non insequitur: sed iã voti compos ipse in castra regreditur. vbi suos refouẽs, captiuos Francos quotquot hac pugna ceperat, pretio redẽptos restituit. Refectis corporibus resumptisque viribus Rogerius, rursus hostes adoriri cum in animo haberet, a Friderico Rege ex insperato cum tota classe in Siciliam accersitus est. Messanam appulsus literas a Iacobo recipit: quibus vt Fridericum ad mutuum cum fratre colloquium induceret, monebatur. Rogerius libenti ac ardenti animo causam vel ob id amplectitur, quod iam secum ob non seruatas Petro Rigibel inducias (vt diximus) ad Iacobum deficere constituerat. Eoque animo Fridericum ad sermonem cum Iacobo cõferendum, belloque item abstinendum, pellicere conatur. quod si negligeret, calamitates, vastationes, & atrocia ei bella in Sicilia expectanda præsagit. Fridericus inito super his cum proceribus consilio, non parendum Iacobo, &, si opus erit, contra eum bellum suscipiendum vno voto, Legato coram audiente, decernit: Legatũq; cum hoc responso ad fratrẽ remisit. Dum hęc in Sicilia agitantur, in Isela insula Petro Saluacoxa Friderici regis Præfecto, ex mandato regio a Neapolitanis qui inde vinum extrahebant, prò quolibet dolio singulos exigente aureos: Neapolitani, intolerandum id vectigal rati, oneratias nouem armis & militibus complent, ac contra Isclam mouent. Saluacoxa & ipse naues quas habebat, Siculis militibus instruit, & eas in hostilem classem irrumpere iubet. Conserto prælio Siculi superiores ac victores, non multo labore quinque hostium nauibus, & virorum ingenti numero captis, Neapolim cæteras fugarunt. quarum Præfectos Carolus rex, qui Neapoli tunc erat, immani supplicio affecit. Post hæc Friderico Messanæ agente, Iacobus rex per literas suas Rogerium Lauriam ad se euocat. Rogerius literas regi ostendit, ac eundi ab eo potestatẽ flagitat: profuturam hanc suam profectionẽ sibi ad placandũ ei Iacobũ pollicetur. Fridericus consilio Corradi Lanceæ petitã facultatẽ illi reditum & officium spondenti dedit. Sed cum Rogerius priusquã discederet, Lauriã, Badulatũ, & alia pleraq; oppida, quæ sub sua ditione in Calabria tenebat, consensu Frederici armis & commeatu ad futura, quæ præuidebat, bella præmuniret: ab

iniquis

iniquis consultoribus Friderico suggeritur, ea ratione Rogerium oppida corrobo-
rare, quod cum hostibus apud Hydruntum clam transegerit. Cuius rei cum plura
afferrentur indicia, rex ei e Calabria post in Siciliam redeunti indignantis animũ
ostendit: causaque aperta ob verba vltro citroque habita offensus, discessum et-
iam inhibet. Sed sub Manfredi Claromontani, & Vinciguerræ Palicii, quorum
apud regem plurima erat authoritas, fide tandem dimittitur. *Rogerius* iram vultu
dissimulans Messana egreditur, ac defectionis animo Castrum Leonis, (Castellio-
nem vulgo dictum) Francauillam, Noaram, Tripim, Acim, & pleraque alia, quæ
suæ ditionis erant, oppida reuisens, commeatu & præsidiis firmat. Quo cognito fi-
deiussores ad eum veniunt, & vt regi obediat, requirunt. Ipse, (siue commissi sce-
leris conscius, siue impositi criminis non ignarus, incertum) vt erat indignantis ac
superbi animi, ne regem adeat, pluribus cum illis se tuetur rationibus: & demum
multa numerata pecunia mulctam, ad quam pro eo, si non pareret, tenebantur fi-
deiussores, exoluit. Sed Fridericus deteriora metuens, vlterius *Rogerium* non in-
festat. sed nec *Rogerius* regis partibus contradicit. Inter hæc Constantia *Regi-*
na Friderici & Iacobi regum mater, & Iolanda eorum soror, quam *Robertus* dux
Calabriæ Caroli regis filius coniugem deposcebat, a Iacobo rege Pontificis iussu
inuitatæ, impetratis a Friderico sui itineris ducibus Ioanne Prochyta & *Rogerio*
Lauria, (qui iam indignatus a rege discedebat, præfectisque suorum oppidorum,
vt Ioanni Lauriæ suo nepoti suo nomine obedirent, mandauerat) *Romam* vene-
re. Vbi statim celebratis nuptiis Constantia in vrbe resedit. Iacobus classem con-
tra Siciliam instructurus in Cataloniam reuertitur. *Rogerius* vero Lauria Neapo-
lim cum rege Carolo petit, bellum contra Fridericum paraturus: & subinde ve-
lociſſima vectus triremi, in Siciliam clam ad seditiones mouendas nauigat. Cuius
aduentu Fridericus præcognito, ad AEolias insulas illi parat insidias: in quas *Ro-*
gerius incidens, sola fuga euasit. Quod cum Ioannes Lauria *Rogerii* nepos, qui
Friderico in aula assistebat, resciſſet, sibi timens, insalutato rege Messana disce-
dens, Castrum Leonis proficiscitur. Vnde exercitu instructus, Mascalim oppi-
dum regium hostiliter incendit, ac mox *Randatium* oppidum disseminatis ibi tu-
multibus capere, sed frustra, tentauit. Fridericus re cognita *Rogerium* Lau-
riam publicum hostem declarat, oppidula quæ in Sicilia ille habebat, obsidet:
& in primis Castrum Leonis vna cum arce triplici obsidione cingit, & diuersis
machinis oppugnat. Quod cum non modo natura, sed arte quoque & militibus
strenuis, Ioanne Lauria, & Guilelmo Pallocta, Thoma Leontino & plerisque aliis
Rogerii vel consanguineis vel affinibus, munitum diu restitisset: tandem cum cõ-
meatus omnis eis deficeret, & mœnia iactu lapidum quassata corruerent, nec vlla
de proximo spes auxilii superesset, in deditionem hac lege venit, vt incolumes o-
mnes cum re familiari in Calabriam regia triremi perducerentur. Francauilla &
cætera *Rogerii* oppida exemplo Castrileonis vltro sese dedidere. Castrum Acis so-
lum ob naturalem munitionem diutissime obsidionem pertulit. Demum a Fride-
rico excitata ex trabibus & tabulis iuxta scopulum turri, ex qua machina quædam
saxa in oppidanos & iacula emittebãtur, obsessi supra modum infestati, in potesta-
tem regis deuenere. Ita *Rogerius* Lauria toto quem in Sicilia habebat, principatu
exuitur. Sed dum hæc in Sicilia geruntur, *Rogerius* cum iusto militum numero,
quem a Carolo rege impetrauerat, in Calabriam profectus, partes Friderici nunc
ingenio subuertere, nunc viribus superare satagit tanto studio, vt Blascum ipsum
Alagonam Friderici in Calabria Vicarium, magnis pollicitationibus ad defectio-
nem pellicere sperauerit. Quo cognito, Fridericus Blascum in Siciliam reuocauit.
Blasco Calabria discedente, Catanzarium vrbs ad Carolum defecit, arce sola pro
Federico hac conditione remanente, vt si infra mensis spatium ante Catanza-
rium auxiliarii Frederici milites non aduentarent, in hostium manus & ipsa transi-
ret. Arcis præfectus, ne qua parte fidei suæ deesset, conditionis formulam quam-
celerrime Friderico misit. Hic confestim Blascum Alagonam, Guilelmum *Ray-*
mundum Montecatinum, & Guilelmum Calcerandum ducentis cum equitibus
Catanzarium sub præfixo temporis spatio transmisit. *Rogerius* Lauria, & cum eo

Petrus

Petrus Ruffus Catanzarii Comes, Reforzatus Prouincialis, Malgerius Collipetra, & plerique alii primates Caroli Regis, cum equitibus septingentis & ipsi Catanzarium conueniunt, contra Blascum & Aragonenses dimicaturi. Blascus & Comes Squillacii cum suis e Squillacio egressi, ad locum quem incolæ Xiropotamum (hoc est Siccum fluuium) vocant, circiter diei constituti vespertinam horam veniunt, & explicata signa exponunt. Rogerius vbi hostes aduenisse videt, cum militum numero triplo præualeret, quasi victoriæ compos, non sine gesticulatione paratam ad bellum militiam in tres acies diuidit: quarum primam ipse, alteram Refortiatus, tertiam Gotfredus Mili ducebat. Blascus Alagona, cum non haberet milites quos in partes plures partiretur, vnica tantum acie contentus, se medium præbuit, & Guilelmum Calcerandum a dextro, & Guilelmum Raymundum Montecatinum a sinistro cornu habens, Martinum de Olecta & aliquot strenuos milites in modum cunei cum vexillis præcedere iubet. Nautis præterea, qui relicta classe conuenerant, ab ea parte qua torrens eminentiores ripas fecerat, aciei latera obseruanda defendendaque commisit. Ita vtrinque dato signo pugna incipit. Rogerius a superiori parte prodiens, maximo impetu bellum inchoauit, ratus se primo impetu in Siculos irrumpendo totam Blasci aciem dissipaturum. Verum cum cuneus ducē antecedens, signis oppositis fortiter obstitisset, Rogerius ab incepto hoc illusus constitit. Refortiatus viriliter subsecutus, non inueniens per mediam aciem paratum quem sperabat transitum, latera Aragonensium præteriens, a nautis, qui ea obseruabant, telorum & lapidum ictibus impetitus, pluribus suorum desideratis, vix ipse euasit. Inde cum Gotfredus quoque quasi timens bellum adiisset, acerrima inter partes pugna committitur. Rogerius multitudine militum superior, Blascus vero vnitate ac virtute non minor, vterque victoriam sperabant. Diu ancipiti & cruento Marte conflictum est, quousque sub Rogerio saucio equus ictibus perfossus occubuit. Tunc Aragonensium triarii milites, quos ad hoc Blascus ordinauerat, strictis gladiis Iacobum de Castro Cucco, qui vexillum Rogerii tutabatur, petierunt. Is Rogerio destitutus, quem pro mortuo habebat, sauciatus & ipse terga vertit, & ad suos reditum parat. Blascus his visis suos militari hortatione ad victoriam incendens, tantum effecit, vt animoso militum impetu Gotfredus perterritus omnium primus bellū deseruerit, eumq; cæteri Franci subsecuti in trepidam omnes fugam consenserint. Refortiatus & Henricus Synopolus capti sunt: sed qui ex militibus ad Refortiati custodiam a Blasco fuerant deputati, muneribus corrupti cum eo profugerunt. Refortiati filius, Vergilius Scodra, Iordanus Amathea, & plures viri Principes qui cum Rogerio venerant, in hac pugna occubuerūt. Rogerius in brachio vulneratus, ad maceriem proximæ vineæ in latebris a Petro Satallata inuentus, illiusq; equo inuectus, ad oppidū Badulatū noctu incolumis se recepit, Petri fidei & adminiculo non ingratus. Blascus fugatis hostibus aduesperascēte Squillacium cū spoliis captiuisq; triūphans regreditur. Post hæc Rogerius ira percitus, nō victi sed victoris vultū præseferens, apud regē Carolum Francos inertiæ ignauiæq; insimulat, qui Ducem in medio hostium ante belli discrimen fugientes reliquerant. Proinde Iacobi regis Aragonensis auxilio, quod Romano Pontifici spoponderat, opus esse conclusit, si contra Siculos victoriā habere desiderabat. Itaq; suasu Rogerii sub rege Iacobo classis octuaginta triremiū ad Siciliam inuadendam, Caroli Regis & Romani Pontificis impensa, collectitio, sed electo milite conferta paratur, & ad Romana littora contendit. Fridericus Rex fama nouæ classis fraternæ audita, classem & ipse sexaginta quatuor triremium struit, electis militibus, equitibus, machinis, & omni commeatu ad bellum opportunis complet: Corradumque de Aurea Genuensem virum impigrum, regni sui Admiratum constituit, factoque apparatu Iacobum Regem in suis littoribus inuadere decernit. Classem igitur ascendit, & ante Neapolim explicatis aquilis in conspectu Caroli Regis nauigat, ripasque Neapolitanas perlustrat. Iacobus fratris aduentu audito, illum per Legatos admonet vt in Siciliam redeat, nec bellorum euentus incertos extra sui regni terminos exquirat. Fridericus germani, quamuis hostilia contra eum parantis, consilio in Siciliam se recipit, loraque

omnia

omnia commeatu & præsidiis munit. Iacobus vero Roma Neapolim petit, cum Carolo rege de bello communicat, classemque cum Landulfo Vulcano Cardinali Romani Pontificis Legato inscendens in Siciliã traiicit, & ad Pactas oppidum suadente Rogerio Lauria primũ cursum dirigit. Pactenses impares viribus confestim Iacobo se subigunt. Rumor per vniuersam diffunditur Siciliam, stupent Siculi, terrentur Aragones, pauent Catalani, horrent Itali: rident Franci nouum & inauditũ furoris impetum, fratrem regem non sui, sed hostis causa, fratris Regis excidio totis viribus imminentem. Nec multo post, sub tanti furoris principio Mylatium, Noara, Monfortis, & alia quædam oppida Rogerii persuasu ad regem Iacobum vltro defecere. Inde in Syracusarum etiam vrbis spem Iacobus adducitur, vrbem terra & mari oppugnat, ac clericos quosdam Syracusanos, qui intra vrbem erant, (aspe ambitionis corruptos, ad portam ad Arethusam olim ducentem, sed hodie (alia aperta) clausam, sibi prodendam, allicit. Præerat huic vrbi tum Frederici nomine Ioannes de Claromonte vir animo impiger. qui proditionis tractatu cognito, clericos statim omnes in vincula cõiectos confessosque ad supplicium pertraxit. Interea Buxema, Palazolus, Sortinum, Ferula, & Bucherum oppida non longe a Syracusis mediterranea, metu belli Iacobo regi deditionem fecerunt. Sed paucis post diebus Bucherum, cum ad fidem Friderici resiliisset, Comes Vrgelli cum electa militum manu a Iacobo Rege missus magna vi illud est adortus. Arincolæ magno nisu saxis durisq; silicibus oppidum acerrime quidem defenderunt: sed cum frustratos hostes cum omni exercitu inde abire perpulissent, metu futuræ alterius alicuius oppugnationis perculsi, vt qui nullo duce rem gerebant, noctu abeuntes oppidum deseruerunt: quod colonis prorsus vacuum remansit. Fridericus interea his cognitis, ne forte Franci, qui Syracusas adhuc obsidebant, prædæ auidi in loca propinqua excurrerent, Catanam vrbem sibi sedem belli constituit, Blasco Alagona non impigre loca obsidioni proxima noctu & interdiu perlustrante, ac defendente. Sub idem tempus Ioãnes Barresius nobilitate prçclarus, cuius maiores (vt eius gentiles prædicant) cũ Rogerio Normanno Siciliæ Comite iam multo ante ad propulsandos ab insula Sarracenos ex Francia traiecerant, (metune belli, an procliuiori in Iacobũ voluntate, incertum) cum oppidis Petrapretia, Naso, Rayhalmuto, Monte Nauno, & Capite Orlandi, quæ in Sicilia ab initio ipse tenuerat, deserta Friderici fide ad Iacobum defecit, simulque maximæ in Sicilia turbationis author extitit. Franci receptis hisce oppidis prædæ cupidi Petrampretiã contendunt, vnde proxima loca deprædarentur. Sed Blascus his cognitis, priusquam latius venenũ serperet, in Cerratano oppido Francis parat insidias: in quas noctu imbribus & tonitruis ingruentibus incidentes, capti sunt Aluarus Comitis Vrgellensis germanus frater, Berengarius, & Raymundus Ceprerus, cum maiori parte eorũ qui illorũ signa vel equites vel pedites sequebantur. Quos oẽs in victoriæ signũ ad Fridericũ regem, Proceres quidẽ sub diligẽti custodia, populares vero vinctos longo agmine Blascus Catanam traduxit. Post hæc Pactarũ vrbis incolæ ad Friderici regis fidẽ reuertuntur, & arcem quę ciuitati supereminet, obsidẽt: Regemq; ad expugnationem inuitant. Quocirca Fridericus eo Messanenses aliquot, sub Benecasa Eustasio, Catalanos vero sub Hugone de Empuriis, & Catanenses plures sub Neapolione Caputo sine mora immittit. Iacobus audita Pactensiũ inconstantia, Ioannẽ Lauriam cũ viginti triremibus & commeatu necessario, Rogerium vero terrestri itinere cũ equitibus trecentis confestim eodẽ destinat. Sed Aragonenses & Siculi, Rogerii aduentu cognito, omissa arcis obsidione, in vrbẽ se recipiunt. Ille vero cum primum Pactas veniisset, arcem præsidio firmat, nihilque moratus Syracusas recurrit. Ioãnes Lauria paulo post cũ triremiũ classe & ipse Pactas veniens postquã arcẽ cõmeatu muniuisset, cum per fretũ absq; ordine & nimis temere nauigaret, a decẽ & septẽ Frederici triremibus, dissipatis omnib. captus, cũ decem & septem triremibus in manus hostium venit, & cũ cæteris captiuis in arcẽ Mottagriffoni detrusus est. Post hæc Ganges oppidum vltro ad Iacobum Regem defecit. quod & Thomas Prochyta, Ioãnes Barresius, Beltrandus Cannellus illud munientes in fide continebant. Henricus vero Vintimilius Giracii Comes, &

Matthæus

Matthæus de Thermis Magiſter Iuſtitiarius, qui Friderici partes ſequebantur, illud cum iuſta militum manu duriter obſidentes, agros excurrebant, nec quicquam tutum hoſtibus relinquebant. Iacobus interea audita claſſis Ioannis Lauriæ clade animo fractus, præſertim quod decem & octo milia militum poſtquam in Siciliam venerat, partim gladio, partim morbo & egeſtate e ſuo exercitu perdidiſſet, conſenſu Legati & omnium Procerum relicta Sicilia, Neapolim claſſe repetit. Fridericus hoſte diſcedente Ioannem Lauriam & Iacobum de Roſa, bello nauali captos, veluti proditores capite punit: & deinde Duce Manfredo Claromontano Petrapretiam & Gangem per deditionem accipit, Thoma Prochyta, Ioanne Barreſio, & Beltrando Cannello libere Neapolim ad Iacobum remiſſis. Sortinum quoque, Palazolus, Ferula, & alia oppida, a Iacobo vltro in Friderici fidem redierunt, Mylis, Monforte, & aliis quibuſdam quæ in regione Nemorum ad Iacobum defecerant, in perfidia remanentibus. Poſtmodum Iacobus vt Neapolim rediit, a Francis omnibus ignauiæ abiectique animi accuſatus, quod ſuccumbere turpiter quam germani iniurias vlciſci maluerit, nullius bene geſtæ rei in Sicilia dedecus reſarciendum ducens, exercitum reparat, quinquaginta & ſex triremes inſtruit, Italos, Catalanos, & Francos lectiſſimos quoſque deligit: Robertum Ducem Calabriæ, & Philippum Tarenti Principem, Caroli Regis filios, tanquam rerum patrandarum futuros teſtes, claſſem aſcendere iubet, & in Siciliam nauigat. Fridericus his cognitis, cum quadraginta triremiũ claſſe, & Blaſco Alagona, Hugone de Empuriis, Vinciguerra Palicio, & Gumbaldo de Intentiis, & cæteris optimatibus præcipuis, nauale prælium commiſſurus egreditur: a quo Matthæus de Thermis cum ſuis triremibus ex regione Mazaræ ſuperuenturus propediem expectabatur. Iam vtraque claſſis littora Capitis Orlandi & oppidi Sancti Marci aduenerat, cum Siculi prædæ auidi Matthæo de Thermis, qui iam Cephalœdis littora tetigerat, non expectato, temere hoſtes adorti ſunt. Fridericus porro, ne abſque ordine dimicaret, triremem ſigniferam, qua ipſe vehebatur, in medio: a dextris autem decem & nouem, & a ſiniſtris viginti triremes reliquas diſponit. Raymundus Crebellis Comes Garſiliati, Vgo de Empuriis, Comes Squillacii, ordinum principes creati: vexillum vero Garſias Sancius Regis alumnus obſeruandũ cum triariis militibus accepit. Inter quos cœtus Rex ipſe nunc hos, nunc illos inſtruens, inſigni triremi cunctisq; præſtantior videbatur. His paratis, Friderici claſſis contra claſſem Regis Iacobi remigabat. Iacobus equos & viros inualidos, qui nauali bello impedimento potius quam auxilio forent, in terram exponit: milites, quos in oppidis regionis Nemorum abiens reliquerat, in naues introducit, ac cætera ad bellum pro momento neceſſaria congerit. Signo deinde dato prælium atrox ab ortu diei vſque ad horam ſextam varia fortuna pertractum eſt. Inter hæc Gumbaldus de Intentiis, qui vni duntaxat triremi præerat, labore conſumptus obiit. cuius ſtatim nauis ab hoſtibus eſt capta. Mandauerat Iacobus Rogerii conſilio, vt triremes ſex validiſſimæ vniuerſam Siculorum claſſem a puppibus impugnarent. Siculi hanc belli ineuitabilem perniciem (qua acceptis a tergo improuiſis vulneribus ſternebantur) cum perferre nequirent, pedetentim cœperunt bello cedere: primæque ſex triremes ea cauſa a bello receſſerunt. Fridericus Rex vi ſa ſuorum inclinatione non mediocriter turbatur. cumque ſuos ad reſiſtendum magnis vocibus fruſtra hortatus eſſet, ſiue animi, ſiue intolerabili æſtu oppreſſus, quaſi exanimis concidit, atq; iam iam ſtatim moriturus cenſebatur. Tum Bernardus Crebellis cognito Regis diſcrimine, remorum beneficio, regiam puppim ſtatim extra bellum & periculum deduxit. Quod vt Blaſcus de Alagona vidit, Ferrandum Peris de Arbes ſigniferum ſuum, vt vexillum implicet, iubet. At ille, magno & forti animo vir, Dii te perdant, inquit, qui cum ignominia bellum deſeris. nec plura locutus, abiecta galea, tandiu caput ad propinquiorem triremis partem illiſit, quouſque exanimatus die altero vitam effudit. Vinciguerra Palicius poſtquam triremem ſuam a quatuor Rogerii triremibus nõ æquo marte deuictam conſpexit, in ſcapham tum forte propinquam deſiliens euaſit. Al-

francus de Sancto Basilio, & plures alii proceres, relicto bello Regem secuti sunt. Petrus vero Saluacoxa, cum triremi sua, & Iscla insula cui præerat, ad Regem Carolum defecit. Inter hæc cum Rex duodecim cum triremibus Messanam versus sopitus discessisset: cædes incipit. Catalani & Aragonenses, qui pro parte Iacobi erant, in singulas Friderici triremes quæ remanserant, ferocissime irruunt, mixtam cum vulgo nobilitatem, inter eosque Corradum Lanceam, trucidant. vnde plures Siculorum, ne in manus hostium inciderent, in mare se præcipitarunt. Rogerius Lauria Ioannis nepotis mortem vlturus, triremes Messanenses omnes euertit, pluresque nobiles, ac Fridericum Rubeum, Pyrrhonum Tubens, Ansalonum, & Raymundum de Ansalone, Iacobum Scordiam, Iacobum Capitium, plureſque alios Principes viros Messanenses, quos viuos in triremibus reperit, ad vindictam gladiis confodit. Captiui reliqui ad conspectū Iacobi longo ordine pertracti sunt. Sed nec incruenta Iacobo Regi fuit hæc victoria. Nam plures ex suis proceribus & popularibus hoc prælio periisse compertū est. Interea Fridericus Rex veluti a somno experrectus, & ad se reuersus, vt bello ereptum se videt: Reddite (inquit) me hostibus, ne vita indecora Rex viuat. Verum proceribus ipsi fortitudinem in aduersis, & suam non sibi, sed publico commodo salutem tuendam commendantibus, cum debellatæ classis reliquiis Messanæ portum petiit. Iam fama tantæ cladis Messanam ante Regis aduentum præuenerat. Quocirca Messanenses, cum Regem, quem iam interfectum verebantur, incolumem cōspexere, sedato dolore nihil se perdidisse testati sunt. Quin etiam lenito aliquantum luctu publico, Siculi omnes ad Regem conuenerunt, bona omnia in reparationem belli, Regniq; defensionem offerentes. Rex porro curato corpore statim per loca omnia Præfectos decernit, vt ab incursione hostium præseruentur. Et quia Corradus Lancea hoc bello occubuerat, Vinceguerram Palicium eius loco Cancellarium substituit: Nicolaum & Damianum illius germanos fratres Messanæ vrbi & arci præfecit. Et deinde Ennam, vt rebus Siciliæ maturius consulere posset, profectus est. Iacobus confecto bello cum maximam suorum in victoria cladem didicit, nihil se vicisse prætestatus, aduocato Roberto Calabriæ Duce, & Philippo Tarenti Principe, aliisque Francis principibus, qui cum eo aderant, palam & publico sermone fidem se Romano Pontifici & Carolo Regi contra Siculos pactam persoluisse, ac deinceps ad ardua Regni sui negotia auocari, nec exteris diutius bellis vexari posse, asseruit. Post hæc cum Friderico facta quorundam captiuorum commutatione, quos præterea iure gentium deuinctos habebat, simul & capta oppida omnia Roberto Calabriæ Duci contulit, atque Rogerio Lauriæ cæterisque viris strenuis, Siciliam iam conquassatam, facile, vti ipse rebatur, subiiciendam reliquit. Post hæc Neapolim ad Carolum Regem contendit. a quo indigne susceptus, assumpta secum Regina Constantia consorte, ob sui imprudentiam Francis minime gratus, & ob impietatem Siculis etiam inuisus, in Cataloniam regressus est. Iacobo Rege abeunte anno salutis 1299. Robertus Dux Calabriæ cum classe in Siciliam rediens, Randatium oppidum nequicquam obsedit, Randatiensibus ei serio obsistentibus. Vnde re infecta mouens, Adranum per deditionem accepit. Castrum Leonis vero & Rocella ad Rogerium Lauriam, cui antea suberant, reuertuntur. Robertus capto Adrano proximum Paternionis oppidum & arcem, quam Manfredus Malecta Comes Friderici Regis Camerarius tenebat, militibus cinxit. Sed Manfredus, homo vecors & ignauus, nullo belli expectato periculo, altero obsidionis die non modo se dedidit, sed & vt beneficiorum a Friderico receptorum immemor & proditor, ad hostes defecit. Subinde Rogerius Lauria cum Ioanne Callaro, Thomasio Lalia, & Ioanne Landolina Vizinensibus, qui paulo ante nauali bello capti fuerant, Vizinim oppidum clam petit. Et dum oppidani oppugnationem fortiter sustinentes, mœnia & propugnacula parant, Ioannes Callarus muros, qua facillior erat ascensus, subiit: & ab incolis conseruatus, ac in oppidum introductus, cum populo egit vt non expectato prælio ad Robertum Ducem transirent. Bucherium quoque oppidum vltro ad eum conuenit. Rogerius his gestis ad

Ducem,

Ducem, a quo ante Palagoniam ſuum oppidulum expectabatur, rediit: iunctisq; agminibus caſtra contra Claromontem oppidum mouent. Oppidani, quia primum mœnia egregie tuebantur, cum deinde deditionem offerrent, inauditi debellatis muris ad vnum omnes cæduntur, eorum inteſtina dilacerantur, ſemineces exuuntur, lactentes & paruuli ſaxis alliduntur, prægnantibus ex vtero fœtus eripiuntur, nec quicquam illis ab hoſtibus crudelitatis intermiſſum: quinimo & oppidum funditus deletum eſt. His geſtis Catanam petentes, quam eo tempore Blaſcus Alagona pro Friderico tutabatur, in vineis arenarum non procul ab vrbe caſtrametati vrbem obſident: ſed poſt triduum (vt conſtans fama fuit) acceptis a Vergilio de Scordia, quem Fridericus patrem patriæ appellare ſolebat, promiſſionis de prodenda eis vrbe literis, ſoluta obſidione ante Aydonum oppidum conſilio incolarum transfugarum caſtra transferunt, inferiorem oppidi partem inuadunt & populantur: mox contra eos qui ad ſuperiorem arcem confugerant, oppugnationem dirigunt. Præerat huic arci Inuentus de Obiectis: qui cum eis qui pro tuenda patria eo ſeceſſerant, ſtrenue partes tutabatur. Franci ad eam quam Benenati portam vocant, magna addita materia ignem immittunt. Inuentus inter hos motus vt nec timori, ita nec periculis occurrere ignarus, collectis hinc inde lapidibus ſuccreſcente flamma portas ab interiori parte firmauit: reliquos belli caſus nox ſuperueniens interrupit, niſi quod ad hoſtes in caſtra redeuntes ex obſeſſis plures ſalutis quam honoris cupidiores tranſiere: reliqui vigilantes ſua mœnia defendunt. Illuceſcente vero cum paratam aciem dux contra oppidum dirigeret, Inuentus ab ignobili & inconſtanti plebe ad deditionem inclinata, laceſſitus, ne proditionis infamiam incurreret, cum ſolus patriam aduerſantibus incolis defendere non poſſet, clam profugiens, oppidum in ciuium manibus deſeruit. Ita Dux Aydono potitus eſt. Poſt hæc contra Platiam mouet. Quo cognito Guilelmus Calcerandus & Palmerius Abbas ſtrenui Duces, cum pluribus equitibus per medias hoſtium turmas in oppidum penetrarunt. Dux in planicie Sancti Georgii, Rogerius vero ad fontem iuxta oppidum caſtra ponũt, incolas lenitate primum, mox minis ad cedendum hortãtur. Sed cum Platienſes, qui ſe mori potius quam deditionem ignominioſam facere velle reſponderant, Ducem ea parte vbi ædis eſt ſacra, quam Patrem ſanctum appellant, machinis & miſſilibus nõ ſine obſidentium magna ſtrage fortiter repuliſſent: in caſtra regreſſi hoſtes, fœde inde Paternionem rediere. Fridericus his cognitis Catanam venit: & Blaſcum Alagonam vrbi præficere voluit. Sed hic, vt erat animo integer, & qui iam a Vergilio Scordia Duci de tradenda ſibi vrbe factam promiſſionem ſibi manifeſtam, Regi crediderat, ſuſpectos præmetuens caſus, Præfecturam renuit. Quocirca Fridericus Hugonem de Empuriis nullius in Vergilium ſuſpicionis præmonitum, Præfectum Catanæ conſtituit, excitatisq; ad fidem Catanenſibus, & Vergilio (vt erat facundus) luculenter & fraudulenter pro populo reſpondente, Leontinum, Syracuſas, & alia præſtantiora regionis Neeti & hoſtibus vicina loca petiit: quibus munitis ad Ennam reuerſus eſt. Vergilius Scordia Friderico iter ingreſſo, quod ſcelerata mente conceperat, id ad euentum perducere cupiens, quo omne impedimentum ſubmoueret, cum Neapolione Caputo, qui cum ſimultates execrabiles eo vſque geſſerat, pacem iniit, & in prodendæ vrbis ſocietatem eum iurare coegit. Interea Fridericus cum Duce per inſulam diſcurrente aperto campo congredi decernens, Hugoni ſcribit vt ſeptingentos milites ex Catanenſibus præcipuos ſibi deligat. Hugo, vt Regi obediret, Vergilium Scordiam de ea re conſuluit. qui patrandi facinoris accepta occaſione, rem ad populum in templo Diuæ Agathæ poſtridie referendam ſe cenſere reſpondit. Cuius conſilio libenter Præfectus aſſentiens, ipſe quæ ad concilium, Vergilius quæ ad facinus videbantur opportuna, parauit, noctu ad coniuratores accedens, quid quiſque eo die, qua arte, quoue ordine acturus eſſet, eis decernit. Illuceſcente vero Vergilius in habitu Romanæ pacis togatus ad Hugonis ædes accedit, eumque ad templum comitatur. Neapolio quoque cum coniuratis eodem non vno agmine conuenit. Concione igitur referta, edicto iam ſilentio, iuſſa Regis ab Hugone

exponuntur. Vix ille dicendi finem fecerat, cum Florius popularis & perditæ temeritatis homo, & coniuratorum vnus, stricto enſe pacem ingeminans, in Hugonem irruit, eius faciem pluribus ictibus ferit. Quo principio coniurati inualeſcente pacis clamore, eductis gladiis ad facinus confluentes, Florium ſequuntur, Hugonem capiunt, & in carcerem detrudunt, cateruatimque per ciuitatem diſcurrentes pacem, quam ignorabant, occurrentes omnes conclamare compellunt. Plebs ignara patriam ſub fraudulentæ pacis inuolucro prodi, ſublatis vocibus & ipſa ſæpius pacem repetebat, eoq; aſtu a coniuratis decepta eſt. Cumq; ad littus, quod Portum Sarracenum vocant, peruenisſent, in tria nauigia parata Hugonem cum ſuis comitibus Vergilius aſcendere, atque in Tauromenitanas oras transfretare iuſſit. Quo ablegato, coniurati ciuitatem ſibi occupant, Hugonis ſpolia deprædantur, Bartholomæum de Iſola, Philippum Brunum, pluresque alios Friderici Regis miniſtros, cum omni ſupellectile vrbe libere abire permittunt: actum denique Ducem ipſum cum Francis, qui e propinquo rei euentum præſtolabantur, ad vrbem euocant. Mox igitur Robertus (vt erat paratus) accedit, & cum pompa ciuitatem ingreſſus magno cum honore ſuſcipitur. Qui coniuratis in rei paratæ præmium oppida arcesque multorum in feuda depoſcentibus, non abſq; calliditate, quæ non tenebat, vti erant, poſtulata concedit. Vt primum ad Siculorum aures Catanam ad manus Ducis peruenisſe perlatum eſt, Neetum oppidum, quod Hugolinus Callarus a Friderico ſacro fonte leuatus pro Rege tenebat, multa vi compulſus Duci dedidit. Buxema, Fetula, Palazolus, & Caſſarus oppidula eidem adhæſerunt. Regebat per ea tempora Raguſam oppidum Henricus de Sancto Stephano, pro Manfredo Claromontano illius & plurium oppidorum Comite. Hunc Petrus Auenellus, Ioannes Pedeuillanus, & Franciſcus Balena ex inopinato capiunt, pugionibus confodiunt, parataque Caroli Regis ſigna ſuper mœnibus locant: atque celeriter aduocato Guilelmo Eſtendardo Regis Marescallo oppidum tradunt. Dum omnes ferme regionis Neeti ciuitates & oppida, hoſtibus & inteſtinis bellis circumquaque infrementibus, æſtuarent, Carolus, qui Neapoli adhuc erat, ne occaſionem datam negligeret, regionem Mazaræ, quæ tumultuum expers tota adhuc in Frederici Regis fide perſtabat, classe adoriri deliberat. Itaque Neapoli quadraginta triremium claſſem optimo milite inſtruit: cui Philippum filium Tarenti Principem ſeptingentis cum militibus, ac Petro Saluacoxa viro ſtrenuo Duce & Viceadmirato præficit, & contra Siciliam ad Lilybæum promontorium ac Drepanum nauigare iubet. Princeps classe inuectus Lilybæum applicat, militem in terram exponit, agros omnes nulla militum vi in occurſum prodeunte, populatur. Fridericus Rex de his certior factus, Guilelmo Calcerando Ennæ Præfecto in oppoſitum Ducis, qui non longe inde aberat, relicto, ipſe peditatu ac equitatu inſtructus, Lilybæum propegrat, Principi & hoſtibus improuiſus occurrit. Princeps, vt exercitum contra ſe venientem vidit, ad Mazaræ Falconariam caſtrametatur, ac in tres acies exercitum diuidit, vexilla explicat, & ad imminens bellum ſe componit. Primam aciem, cui Brolius Bronzus eius Mareſcallus præerat, ad turbam peditum excipiendam locat. Secundam, quia nulla Regia ſigna adhuc apparebant, contra ſigna Blaſci de Alagona decernit. Tertiam Rogerio de Sancto Seuerino Comiti Marſici contra ſigna Ioannis Claromontani Comitis, Vinciguerræ Palicii, Matthæi de Thermis, Bernardi Queralti, Farinati de Obertis, & Ennenſium, qui cum Rege quaſi communi marte ad hoc bellum conuenerant, commiſit. Fridericus nihilo ſegnius vniuerſum exercitum authore Blaſco in tres acies & ipſe diuiſit. Ipſe in medio, Blaſcum cum Almugaueris ad ſiniſtram, cæteras vero cohortes ſibi ad dexteram adeſſe iuſſit. Princeps ſolum Blaſcum cum Siculis in campum prodiiſſe, & ob id victoriam in manu ſe habere ratus, ſigna accelerat, impetuque contra Blaſcum fertur. Rogerius quoque in eam contra quam deputatus erat, aciem ſe intulit. Princeps primum contra totam pene Blaſci aciem ita ſe impulit, vt vexillum eius nunc huc nunc illuc caſum continue minaretur. Sed cum illius cuneum, vti ſperabat, diſſipare non poſſet, ad eam partem qua Rogerius Comes penetrauerat,

netrauerat, se conuertit. Blascus vero nihil territus, hostes a tergo adoritur: ac tũ demum iubẽte Rege, quem ad pugnam Blascus euocauerat, vexillarius signa Regia explicat. Rex ipse prior e tanto agmine stimulis equum vrget: quem equites, qui secum erant addicti, licet numero pauci, magno animo insequũtur. Commixtæ vtrinque acies acerrime concurrunt. Rex dum nunc ferrea claua, nunc gladio hostes passim sibi obuios impetit deiicitque, ipse in dextera & in facie aliquot ictibus sauciatur. Princeps etiam quocunque graditur, ense micat. Blascus nunc bellum intendit, nunc ad Almugaueros rediens ad citandos equos hortatibus insistit. Almugaueri equos contra eos mutilis lanceis tanto nisu immisere, vt plures ex equis Regiæ partis perempti sint. Inter hos conflictus Princeps & Martinus Peris de Ros forte fortuna insciì in alterũ concurrunt. Martinus Principem vt prosternat, claua impetit: Princeps illum per loricam hamis consertam bis inter mẽtum & labium repetitis ictibus pugione percussit. Martinus acceptis vulneribus incandescens, cum non videret qua Principem posset vulnerare, diu perlustrans per extremam tandem cassidis oram leui vulnere in facie Principem ferit, ac subinde consertis brachiis cum illo humi se præcipitem deiicit. Princeps veritus ne ab ignobili occideretur, edita voce Principis nomen prodit. Quo audito Martinus constitit, manumque ab ictu retrahens, Blascum e propinquo cum hostibus præliantem aduocat, eique Principem iacere significat. Ad quem cum Blascus Dominicum Gilium & Arnaldum Fusterium Almugaueros in Corradini mortis vltionem trucidandum misisset, rumore in campis exorto ducentos hostium milites, quos pro maiori parte Neapolitana miserat ciuitas, ad eminentem loci tumulum sub nouo vexillo conuenisse, ac ad bellum se parasse: Blascus non immemor pari bellandi astu Corradinum debellato Rege Carolo periisse, nil ratus egisse si quicquam vincendum supereſſet, cum Ioanne de Claromonte, ac plerisq; qui aderant, intacto Principe in illos irruit. Rex casu Principis cognito, necari illum prohibuit, & depositis armis ad se adduci mãdat. Adductũ Petro Tusculiano, & plerisque probatæ fidei proceribus, seruandum custodiendumque committit. Rogerius Sanseuerinus Comes cum Principi capto nulla fugæ spes supereſſet, illico captiuum & ipse se præbuit. Vrolius vero Principis Marescallus in suorũ strage pluribus vulneribus confossus est inuentus. Milites ducenti, quorum supra meminimus, non expectatis vulneribus fugientes comprehensi sunt. In quorum numero Petrus Saluacoxa inuentus, cum mille vncias pro sui redemptione frustra polliceretur, a Giletto viro magnanimo in sarcasmo illusus, in proditionis belliq; pœnam iugulatus est. Atque ita Fridericus victor, hostium spolia militibus distribuit. Princeps ad arcem Cephalœdi seruandus abducitur: Rogerius Sanseuerinus Comes ad Erycis arcem, Bartholomæus & Sergius Siginulphus Comes, cæteriq; Proceres ad alias Siciliæ munitissimas arces in compedibus sunt transmissi. Qui vero in classe Principis remanserunt, prospecto eminus totius belli exitu, assumptisq; noctu iis qui manus Siculorum euaserant, Neapolim contendentes, infœlicem Carolo belli euentum retulerunt. Dum hæc ad Falconaram Mazaræ geruntur, Dux Calabriæ qui Catanæ residebat, cum Philippum fratrem classe ad Lilybæum appulisse cognouit, calamitatis nescius, Ludouicum Ducis Sueuiæ fratrem, Rogerium Lauriam, Thomasium Sanseuerinum Rogerii Comitis patrem, Gualterium Brehennæ Comitem, Arianæ Comitem, Hugonem de Balso, aliosq; Proceres ac milites strenuos, Cardinalis Parmensis Pontificis Legati, qui cum Duce erat, cæterorumq; qui aderant, consilio, in comitatum suum adsciscens, in occursum Principis, vt vires viribus iungeret, ire parat. Sed vix discesserant, cum accepto infœlicis pugnę nuntio Catanam reuocati sunt. Fridericus vero parta victoria loca regionis Mazaræ postquam muniuit, ad Ennam se retulit. Interea Rogerius Lauria Neapolim ad Carolum Regem pro bello resumendo petiturus, Ducem, vt nullo pacto se absente in bellum descendat, inhibet, ne forte fraude circũuentus interciperetur. Erat inter Friderici familiares Montanerius Sosa, qui in Gallani oppidi arce, cui' ipse præerat, Carolum Marolettum Francum genere virum nobilem ex iis qui cum Principe apud Falconaram succubuerant, captiuum

habebat. Hunc ille subornatis verbis quæ cum Blasco Alagona composuerat, eō perduxit, vt literas ad Ducem Catanam daret, quibus a Montanerio arcem Gallani munitissimam & inexpugnabilem ei citra bellum traditū iri significabat. Dux literarum fide cum Legato & Proceribus consilio discussa, ne forte fraus aliqua scriptis subesset, memor monitorum Rogerii Lauriæ, ipsum Montanerium Catanam ad se mitti, quo res accuratius transigatur, rescribit. Montanerius nepotem suum, virum & fraude & astu non imparem, Catanam remittit. Cuius verbis Dux allectus Gualterium Breennæ Comitem, Gotfredum Mili, Iacobum Bruxonum, Ioannem Ianuillam, Oliuerium Blinzonum, Robertum Coruaiū, Ioannem Truiardum, Gualterium Noc, & Thomam Prochytam Gallani antea Dominum, aliosq; optimates, cum electis militibus sub dicti nepotis ductu, ad facinus patrandum expedit. Quæ cum per Montanerii nuntios Blascus cognouisset, confestim cum Guilelmo Calcerando militem colligit, exercitum struit, ac in latebris Francis transituris insidias ponit. Iam Franci ad locum ferme aduenerant. quibus nepos, Ne forte (inquit) subitus vester aduentus exitio sit Montanerio, aduentum vestrum illi vt prænuntiem est necesse. dimissusq;, Blasco hostis aduentum insinuat. Blascus indecorum sibi per insidias vincere ratus, exorto sole signa mouet. Franci viso Blasco & ipsi aciem parant. At ille qua parte solis radii micaturi erant, exercitum dirigit: nec bellum intulit, sed dispositis hinc inde in sepis modum Almugaueris, aliisq; peditibus, temerarios Gallorum ausus, quos iam prænouerat, expectauit. Franci eminentem locum, vnde tutius fuerant conflicturi, deserentes, cursu præcipiti signo dato in Siculos irrumpunt. Siculi pedites in equites Francos intenti, missilibus magnam illorum stragem edunt, equis vulneribus in ferociam actis sessores in terram prosternentibus. Sed & lapidibus quoq; a Siculis proiectis magna Francorum occisio contigit. Vnde Franci vndique circunsepti cum ad victoriæ spem nulla eis virtus prodesset, ad mortis vltionem pugnare incipiunt. Strictis igitur pugionibus cum Siculis vltro se iungunt, vexillum Guilelmi Calcerandi, quod prius eis occurrerat, impetu prosternunt. Sed cum Siculi omnes sub Blasci vexillum conuenissent, in Francos se dirigunt, atq; eos summis viribus superant, eorum equos cædunt, sessores deturbant: atque ita Francorum virtus demum cedit. Solus Breennæ Comes cum paucis in saxum immobile ascendit, ne in plebeias manus incideret. Vnde gladium, quo vitam tuebatur, Blasco in signū deditionis transmisit. Signifer vero eius saucius, cum per inimicas acies ante obitum vexillum Comiti reddere conaretur, vt a Siculis circundatum illum vidit, euaginato ense in hostes irruens, fortiter occubuit. Blascus potitus victoria Menæum petiit: in cuius arce Comitem Brennæ carceri addixit. Montanerius voti compos, occisos Gallos vendere studuit, quos sua calliditate viuentes paulo ante deceperat. Coxit nanq; gentilium more eorum cadauera, quorum reliquias agnati pretio postmodum redemerunt. Carolus Marolettus qui in arce Gallani detinebatur, tantæ cladis se authorem censens, ad parietem proximum caput illisit, & deinde omni cibo abstinens inedia vitam finiuit. Fama huius belli per Siciliam diffusa, Francorum studiosis terrorem, Friderici vero gaudium animosq; addidit. Interea Rogerius Lauria quadringentos milites Ethruscos, quibus Raynerius Bondelmontius vici Dominus Florentinus militia præclarus præerat, in Siciliam contra Siculos nauigio a Carolo Rege sibi attributos transuexit: atq; inde Neapolim alios milites adducturus, cum festinatione perrexit. Siculi quoq; tot elati successibus classem viginti septem triremium struunt: quibus quinq; Genuensium naues in omnem fortunam vltro se addixerunt. Classem Corradus de Auria Friderici Admiratus, Ioannes de Claromonte, Palmerius Abbas, Henricus de Incisa, Benecasa de Eustasio, Pelegrinus de Pactis, & pleriq; alii Siculi proceres ascendunt, ac Neapolitana littora cum hostis nullus appareret populationibus vexat. Corradus demum per caduceatorem Rogerium Lauriam, qui classem quadraginta triremium paratam habebat, ad prælium inuitat. Rogerius, qui cunctatione contra Siculos opus esse sciebat, cum de proximo duodecim triremes alias expectaret, se nō esse ad prælium paratum respondit. Recusante prælium Rogerio, Siculi ad insulas

quæ

quæ contra Neapolim obiacent, remigantes, illinc hostilem classem numero superiorem in opprobrium obsidere decernunt. Interea triremes duodecim a Rogerio expectatæ, septemque aliæ naues a Genuensibus ei missæ, Neapolim aduenium. Quibus expeditis Rogerius Siculorum classem aggredi statuit, & Neapoli Pontiam versus, vbi classis Sicula erat, soluit. Siculi, vt Rogerii classem, quæ sexaginta ferme triremibus constabat, prospexere, cum ea congrediendum dubitabant. Plerique absque belli periculo & dedecore, Siciliam repetendam esse: alii vero vel ob id quod Francos bis ante ad eadem littora duplicato numero superiores vicissent, pro Regis gloria dimicandum omnino esse consuluerunt. Horum igitur sententia præualuit. Proinde ad arma Siculi concurrunt, ad belli ordinem se componũt. Corradus Auria victoriam certo sperans si primo conflictu vexillum hostium obrueret, signiferam suorum triremem in Rogerium Lauriam direxit. Sed Rogerius impetum contrauenientis triremis astute deflexit. Ibi tum ingenti nautarum clamore bellum inter vtranque classem conseritur. Triremes Genuensium, quæ Siculis se addixerant, primo prælio secesserunt. Miserabilis subinde vtrinq; fit cædes. Iamq; Siculæ triremes, quæ viginti septem duntaxat numero erant, a Francorum sexaginta circunseptæ, vix illarum impetum ferentes, cedere cœperunt. Bencasa de Eustasio raptis spoliis & captiuis ex vna hostiũ triremi, quã primo congressu deuicerat, primus omnium a pugna discessit. Quem concito remigio sex aliæ triremes sunt secutæ. Cętera Siculorum classis quanquam acerrime dimicasset, vltro in manus hostium deuenit. Ioannes Claromontanus, Palmerius Abbas, Peregrinus de Pactis, Henricus de Incisa, Rogerius de Matino, cum pluribus Principibus hoc bello sunt capti. Sola triremis signifera, qua Corradus Aurea Admiratus vehebatur, bello & strage indefessa adhuc cedere nesciens propugnabat. Quocirca Rogerius eam rostris complurium triremium hinc inde allidere conatur. Quibus non proficientibus, iubet illi auersam triremem adiungi, & ignẽ adiicere, vt quam ferro domuisse non poterat, flammis superaret. Quo demum metu Corradus Rogerio se victum, & debellata Friderici Regis signa, dedit. Rogerius ne omnem crudelitatis materiam prorsus a se abdicare videretur, insignes balistarios Genuenses, qui tunc in signifera Siculorum triremi reperti sunt, in vltionem patratæ in suos stragis, manibus oculisque mulctauit, victorque Neapolim ad Carolum Regem nauigat. Carolus horum procerum captiuorum occasione magnam oppidorum partem, quibus illi præerant, in suam fidem transituros sperans, eos nunc pollicitationibus, nunc minis ad sententiam pertrahere conatur. Sed cum frustra laboraret, quos tenaciores est expertus, in castris Neapoli custodiendos retinuit: quos vero ad flectendum molliores existimabat, eos in Siciliam ducendos Rogerio tradidit. Vbi Palmerius Abbas, vnus ex iis quos Rogerius vana spe in Siciliam transuexerat, male curatis vulneribus in mari iuxta Catanensium littora interiit. cuius inferiis hostes parentarunt, & in maiori ecclesia sepulturæ corpus tradiderunt. Nec multo post Rogerius Francauillæ oppidũ, quod a Corrado Aurea minis sibi restitui frustra postulabat, Fridericus Rex, ne Corradum ea causa interfici ab hoste contingeret, illi reddidit. Interea Iacobus Matarazus & Ioannes Henricus Assorini plebeii cum ob mortem duorum militum coram Friderico Rege delati essent, ne debitam luerent pœnam, composito tractatu sub noctis silentium introductis hostibus Assorum oppidum tradiderunt. Sed non diu post cum resilire quærerent, a plebe tumultuante in medio foro in frusta dissecti sunt. Sub idem ferme tempus Guilelmus oppidi Rahal-Ioannis Dominus, nullius impulsu, a Friderico Rege sola vesania ductus ad Ducem defecit, illique oppidum tradidit. Fridericus, ne illud in medio Sicilię situm circumadiacentia suo contagio labefactaret, repentina obsidione vallatum oppugnatumque, demum in deditionem recepit. Mercenarius etiam quidam Zabe oppidi incola & custos, hostibus pretio patriam vendidit: a quibus ipse ea parte qua proditioni aditum patefecerat, ob noctis tenebras incognitus nondum accepta pecunia peremptus est. In Delia quoque oppidulo duo facinorosi homines, vnus Iob, alter vero Robertus nomine, arcis Præfectum, cuius vxorem fi-

liamq; deperibãt, interficiunt: votoque potiti, ad hostes cum oppidulo & arce deficiunt. Verum antequam præsidio Ducis oppidum daretur, Delianus quidam proditores exosus, Berengarium de Intentiis militem Friderici studiosissimum clam per posticum noctu introduxit. cuius virtute oppidum ad Fridericum reiliit, authoresque sceleris in furcam adacti sunt. Sed cum tot sibi proditiones male cessisse Dux comperiret, cum proceribus communicato consilio, Siculos tot bellis indomitos, colloquiis allicere tentauit. Assumptoque Cardinali Legato, & Rogerio Lauria, classe ad vicina littoribus oppida flectẽda frustra nauigauit. Interea cum triremis vna Rogerii Catana soluens, quæ Henricum Incisam militem Saccitanum captiuum, & maximam pecuniæ summam portabat, ad classem properaret, antequam eo remorum studiis peruenisset, ab vna Siculorum triremi, quam obuiam habuit, singulari certamine victa, & Henricus libertatem consecutus est. Deinde etiam dum Rogerius septentrionale Siciliæ latus, Dux vero meridionale percurrunt: ille ad Thermas oppidum in classem Siculam, cui Manfredus de Claromonte & Hugo de Empuriis præerant, incidens, vix hostium manus euasit. Vnde ira percitus, qua venerat, regrediẽs Tauromenium inuasit & diripuit. Sed & paulo post cum Dux Camerinæ littora, Rogerius vero Blori æquora sub cancri sydere perlustrãt: subita tempestate ille viginti duarum, hic vero quinque triremium horrendum naufragium fecere. Sub idem ferme tempus Petrus de Caltagirone, Gualterius Bellandus, Guido Filingerius, & Petrus Frumentinus Panormitani proceres a Francis pecunia corrupti in Regis vitam coniurarunt. Quorum facinore per Todã Formentini vxorẽ detecto, & a captis coniuratis per tormenta exacto, Frumentino Rex ob Todæ amorem indulsit: Petrum Caltagironum authorem sceleris capite, cæteros vero exilio tantum mulctauit. Post hæc annonæ caritate Siciliam vexante, Dux & Rogerius Messanam obsident: castra primum ad Roccam maiorem, subinde ad Catunam metantur. sed Blasco Alagona hinc fruges ex confinibus afferente, inde Rogerio Brundusio Templariorum ordinis milite cum duodecim triremibus ex regione Mazaræ iussu Regis cõmeatum apportante, vrbs & fame & obsidione leuata est. Quo tempore Blascus non sine Regis & Siculorum omnium mœrore febre correptus Messanæ obiit. Quo decedente Nicolaum Palicium Messanæ & militiæ Præfectum Fridericus instituit. Et inde Randatium versus discedens, Castrum Leonis in potestatem recepit. Post hæc vrgente fame, dum apud Syracusas in arce quam turrim Maniacis appellant, ageret, intercedẽte Iolanda Ducis vxore, & Regis germana, induciæ per sex menses pactæ sunt. Quarum fiducia Robertus Dux, relictis Catanæ Iolanda vxore & Ludouico filio, quem ex ea in ea vrbe susceperat, & Guilelmo Pallocto Præfecto constituto, cum Rogerio Lauria Neapolim ad Carolum Regẽ profectus, gesta ei in Sicilia narrauit. Elapso deinde induciarum tempore Fridericus Rex Aydonum oppidum obsidione & machinis expugnauit, & paulo post Raguſam Manfredo Claromonti suo Comiti ex Francis receptum, restituit. Vbi cum esset Rex, Riccardum Passanetum incorruptæ fidei virum, qui nullo munere a Guilelmo Pallocta sororio a Friderico abduci potuit, Garsiliati Comitatus titulo insigniuit. Interea Bonifacio Rom. ecclesiam regente, maxima a Francis contra Siciliam classis instruitur: cui Carolus Regis Francorum germanus frater præficitur. quẽ secuti Robertus Dux Calabriæ, Raymundus Berengarius, & plerique alii Franci proceres, anno sal. 1302. e Neapoli soluerunt, ac Rogerii Lauriæ ductu in Siciliam ad regionem Mazaræ nauigant. Vbi authore Simone Alderisio Thermitano (dolo ne an metu, incertum) Thermas oppidum sine prælio capiunt. Quo cognito Fridericus sine mora Politium hostibus propinquũ oppidum profectus, sedem ibi delegit. Carolus Thermis egressus Caccamum obsidet. sed a Ioanne Claromontano, quem ad illius defensionem Rex præmiserat, soluta statione fœde repulsus discessit. Atque inde contra Politium mouens, bellum Friderico per caduceatorem indicit. Quod cum Fridericus abnueret, contra Corilionem proficiscitur, atque magna vi oppidum adoritur. Sed Hugone de Empuriis & Berengario de Intentiis, qui sub auspiciis Friderici oppidum tuebantur, omni opera obsisten-

obsistentibus, cum magna Francorum strage, atque obitu etiam fratris Ducis Bramantis, quem mulier quædam e mœnibus iactu lapidis occiderat, turpiter expulsus, dum contra Saccam terrestri & maritimo exercitu mouet, Castrum ad mare de Gulfo oppidulum nullo fere labore subigit: Saccamque inde terra & mari pertinacissime obsidet. Præerat oppido Fridericus de Incisa indigena genere, & militia insignis. Is vna cum cæteris oppidanis toto nisu obsistebat. Quorũ cognita obsidione, Rex Caltabellotã properat, obsessis opitulaturus. Interea Iolanda Ducis Roberti vxor, & Friderici Regis soror, quę inter maritum & germanum fratrem pacem tractabat, apud Thermas oppidum immatura & vtriq; lachrymabili morte decessit. Sæua præterea ac dira pestis e corrupto aere Francorum equos vniuersumq; exercitum inuasit. Fridericus Rex commodam sibi victoriæ occasionem non negligens, hostibus defatigatis bellum inferre decreuit. Ex Castro nouo igitur, aliisq; vicinis oppidis comparatis militibus, ingentem exercitũ struit. Quo cognito Carolus Gallici exercitus ductor, attendensq; quod vel obsidionẽ soluere, vel cum maximo suorum periculo bellum intra castra expectare sibi esset necessarium, quod vtrunq; ob agnationis iura nihil nisi miserandũ euentum portendebat, tum sibi etiam ad repetendum Constantinopolitanum Imperium tempus instare considerans, pacem inter Ducẽ Robertum Carolumq; patrem, & Fridericum Regẽ, in prædio quodam inter Calatabellotam & Saccã, vbi Mappalia erant, cum Friderico & Carolo ipso vtroq; centeno cum milite, ac Roberto Duce, Rogerio Lauria, Vinciguerra Palicio, ac cæteris vtriusq; partis proceribus conuenientibus, his conditionibus firmauit: vt Fridericus Aleonoram Caroli Regis filiam vxorem ducat, Siciliam cum adiacentibus insulis dum viuit, possideat: Calabria omnis, Appulia & Campania Carolo libere cedat, restitutis hinc inde proprio Regi in vtroque regno captis oppidis: Princeps Tarenti, & alii bello vtrinque capti, libertate donentur: Comites, Barones, cæterique proceres qui ad hostem defecerant, vt agnosceret posteritas præmia quæ debentur iis qui fidem suis Principibus frangere non verentur, rebus ac bonis omnibus quibus in violatis Regnis potiebantur, perpetuo priuentur: Rogerio tantum Lauriæ castrum Acis in Sicilia, & Vinciguerræ Palicio oppidum Calannæ, Mottam mori, & Massam in littoribus Calabriæ tenere liceat. Firmata his fœderibus pace, publico metu soluti Carolus & Robertus Dux cum omnibus Francis classem ingressi Sacca soluunt, & per meridionale latus Catanam petunt. Fridericus vero Calatabellotta discedens Suteram venit. Vnde Principem Tarenti, qui in arce captiuus detinebatur, solutum secum Leontinum adduxit. Quo intellecto Robertus e Catana Leontinum ad Regem accessit: atque inde Fridericus ipse Catanam iam triennio amissam petens, medius inter Ducem & Principem veluti triumphans introductus, Catanenses defectionis, quam non sua sed coniuratorum culpa perpetrauerant, veniam precantes facile in gratiam recepit. Quos vt magis secum amore deuinciret, Catanæ resedit. Restitutisque ibi hinc inde captiuis, oppidis atque arcibus, Rogerius Lauria cum pro Aci oppidulo Regi iuramentum præstitisset, classe: Carolus vero cum Duce & Principe, cæterisq; primatibus terrestri itinere Messanam petunt. Vnde cadauere Iolandæ ex Thermis oppido asportato, cum Gerardo Cardinali Legato Neapolim ad Carolum Regem proficiscuntur. Carolus Rex, & Bonifacius Rom. Pont. pacem ratam habent, atq; veris initio Carolus Aleonoram filiam Friderico sponsam Regio apparatu terrestri itinere Messanam mittit. Porro Sicilia tot bellorum motibus libera, in militum Catalanorum, Aragonensium, Calabrorum & Siculorum rapinas & deprædationes incidit. Quos Fridericus, vt insulam expurgaret, contra Turcas, qui Constantinopolim infestabant, auxiliares misit. Post hæc vero cum Carolus Rex contra Imperatorem Constantinopolitanum bellum ob ius quod in eo imperio habebat, moueret, Ferdinandus Regis Maioricæ filius, a patre Imperatori in auxilium cum classe instructa trãsmissus, inter præliandum captus, Neapolim in carcerem abducitur. Ad quẽ visendum cum Friderici patrui nomine Raymundus Montanerius venisset, a Roberto Calabriæ Duce, qui patre Carolo Rege iam defuncto in Regno successerat, ap-

prehensus, tormentis affectus, & longa carceris pressura contritus est. sed qua causa, incertum: licet non defuerint qui, quod tum Neapoli a suo Rege defectionem clam tentauerit, detentum fuisse Montanerium prodiderint. Contigit præterea vt post duodecimum initæ inter eos pacis annum, & sal. 1313. Henricus Sueuus septimus Romanorum Imperator designatus, Romæ diademate Imperii a Rom. Pont. de more coronaretur. ac tum Robertum Regem, quia per Ioannem fratrem plura Imperii oppida cum multa strage hostiliter erepta tenuerat, contumacem, & criminis reum, hostemque Romani Imperii declarauit: eoque nomine contra eum proscriptionis publicata sententia, quoscunque Reges, qui ei pacta sub quacunque verborum forma & sponsiones fecissent, quouis etiam iureiurando firmatas, ab onere obligationis Imperiali authoritate absoluit: Regemque Fridericum præ cæteris in Admiratum Imperii electum, ad bellum ei inferendum, Regnumq; Neapolitanum, quod tenebat, inuadendum excitauit. Hinc igitur antiqui atque obducti vulneris cicatrix inter Fridericum & Robertum renouata est. Fridericus partim Montanerii iniuriam prætexens, partim vt Imperatoris mandato pareret, Messanæ ingenti ac numerosa classe structa, in Calabriam transfretat: primumq; Rhegii ciuitatem non diu obsessam primo impetu capit. Vnde Calannam oppidum in sublimi situm colle, ac Mottam mori, S. Nuciti, Scylli, & Blancaria oppida vltro, non expectato belli periculo, per deditionem accipit. Dum hæc in Calabria geruntur, Manfredus Claromontanus Comes ab Henrico Imperatore ad Fridericum Regem mittitur, vt suspensa Calabriæ inuasione, cum parata classe Caietam nauiget. vnde iunctis Imperatoris viribus, & Lambi de Aurea Genuensis classe, Roberti regnum inuadere incipiat. Fridericus nuntio accepto confestim classem ascendens, recto cursu Caietam cursum dirigit. Verum cum non longe a Strongyle vna Æoliarũ insula iter prosequitur, Palaginus Trusellus scapha vectus cum mœroris signis obuius, Henricum Imperatorem apud vicum cui Boconcuentum nomen est, non longe a Senis morbo correptum decessisse nuntiauit. Rex repentino hoc casu perculsus, consulto Pisas, vbi partes Imperii residebant, cœpto cursu contendit, vbi a Pisanis & Teutonibus Regio more, sed funebri, est exceptus. Sed vbi Teutones iam mœrore consternatos, & ob id ad bellum contra hostem minus aptos, Pisanos etiam labantes conspexit, ne Robertus aut corpori suo insidias, aut contra Siciliam bellum pararet, ad regnum tuendum quam citissime conuolauit. Robertus audita Imperatoris morte, classem quam in occursum Henrici parauerat, contra Siciliam dirigit. Sed ante recessum, euentus præcognoscendi cupidus, dæmonem de bello consulit. Cui, Siciliam capies, spoliaque ab ea referes, dæmon respondit. Hoc vaticinium Robertus Proceresque non ambiguum arbitrati, læti recipiunt: eiusque fiducia anno salut. 1314. mense Augusto Robertus Rex, Philippus Tarenti Princeps, & Raymundus Berlengarius germani, classem militibus & omni commeatu instructam inscendunt, & ad littus quod inter Hyccarim oppidulum & Castrum ad mare de gulfo interiacet, appli-cant. Ibi in terram milites expositi, ac excursantes agros, Alcamensem mulierculã fugientem insequuntur, captamq; ad Robertum Regem adducunt. Scisciatur Rex nomen, genus, & fugæ causam. Illa Siciliam sibi nomen esse, genus humile, fuga salutem sibi quæsiuisse respondit. Quo Robertus adimpletum dæmonis verbum, seque ludificatum continuo cognouit. Belli tamen incepti non pertæsus, Castrum ad mare oppidum obsidet, ac paucis horis Raymundo Blanco oppidi Præfecto pecunia corrupto per deditionem accipit. Raymundus amisso oppido non ratus suum scelus, quod clam commiserat, ad Regem penetrasse, perfricta fronte ad Fridericum proficiscitur. quem Rex cum tribus qui ei ad facinus patrandum consenserant, capite puniuit. Robertus Castro ad mare capto atque munito, Drepanum petens terrestri naualique exercitu circumsedit. Porro Fridericus, ne hostiles copiæ libere per Siciliam discurrerent, accitis Regni proceribus & militibus, cum Ferdinando Balearium insularum Regis filio ad Erycem vrbem festinat. Quo accessu factum est vt Franci neque tuto ab obsidione discedere, neque vicina littora peruagari possent. Erat inter Francos Galeatius vir militia & animo insignis,

signis. Is armis toto corpore micãs primus oppidum aliquot cum militibus adoriri, atq; aggere sub mœnibus excitato cõsistere ausus est. Cui cum ex Drepano sex viri clypeati primo concursu in hominem tela eminus iacientes erumperent, frustratisque iactibus comminus hostem petere cogerentur, Galeatius claua propugnans hos sternendo, illos eiiciendo, tametsi ex mœnibus secundo & tertio in eũ hostes conuenissent, illæsus ipse perstitit. Quem cum viribus superare nequirent, ad insidias se conuertunt. Indignum nanque rati, tot viros vni Gallo succumbere, ferreum e muris aduncum instrumentum excogitarunt, Arrampantum a Francis vocatum. quod telo impositum in Galeatium incautum, turbæ sub mœnibus propellendæ intendentem, iniecere: quo ille implicitus, demum in hostium manus venit. quem mox non viribus, sed ingenio humi prostrauerunt: & quem viuentem non poterant, proiectum diuersis vulneribus confodiunt, ac demum occidunt. Robertus Rex viri insignis cadauer multo pretio redimere conatus, a Drepanitis repulsam passus est. Interea hyeme sæuiente cũ Franci nullis vel raris tugurijs defenderentur, imbribus madefacti, ac commeatu etiam deficiente, inedia laborabant. Quo effectum est vt in morbos varios inciderint. Fridericus hostium vires confractas conspiciens, terra & mari, vno eodemq; tempore eos inuadere decernit. Classem igitur sexaginta quinq; triremium, quam in portu Messanę paratam habebat, Panormum venire iubet, milite complet, eiq; Ioannem Claromontanum præficit: atq; vt Bonagiæ oram acceleret, imperat. Terrestrem quoque exercitum per montis Erycini decliuia duxit. Robertus de Siculæ classis aduentu certior factus, classem suam & ipse ad bellum parat, eiq; terrestres copias colligatis pontibus coniungit. Dum sese hoc modo ad certamen Reges accingunt, repentinus Auster Siculorum classem adoritur: quæ ad vitandum naufragium vento cedere coacta, in Panormitana littora incolumis quidem ipsa, sed a nautis commeatus defectu, tempestatisque impatientia deseritur. Nec minus apud Erycem in castris annona defecit. Sed nihilo secius in stationibus nauibusq; Roberti sæuitum est. plures nanque triremes, ac Gerardus quoque Coriliani Comes, aliiq; complures Proceres, & nautarum ingens multitudo, eo naufragio perierunt. Id circo Reges necessitate compulsi, quatuordecim mensium inducias firmarunt. Robertus tot malis attritus terrestri itinere Messanam: atque inde classe, quam ex naufragio ereptã inuenit, Neapolim profectus est. Fridericus abactis hostib. ad locã rei frumentariæ minus indiga concessit. Induciarum deinde tempore elapso, Castrũ ad mare de Gulfo obsidet, expugnat, ac funditus delet. Robertus horum ignarus, classem triginta duarũ triremiũ, vt Castro ad mare succurrat, parari iubet. Cui Rogeriũ de Castro Cucco Præfectũ instituit. Is vero cum suscepto itinere littus inter Mylas & Oliuerium attigisset, vbi euersum oppidum comperit, Neapolim ad Robertum Regem reuertitur. At neq; multo post Robertus classem eandẽ, Thoma Marchiano Squillacii Comite Admirato constituto, contra Lilybæũ mittit. Thomas Marsalã oppidũ dura obsidione premit: sed Francisco Vintimilio Giracii Comite, & Giliberto Appello oppidũ strenue tutantibus, Thomas fœde inde soluit, & ad littora Castri ad mare classem transmittit. Ipse vero terrestri exercitu Siciliam excurrit, Salemim oppidum frustra aggreditur, agrosq; eius vastat & incẽdit. Castrum veteranum quoq; oppidum viris desertum diripit. Mazarã postea profectus, dum peditatu & equitatu cũcta populatur, Bartholomæus Saginulphus Comes, & Bartholomæus de Monte aperto, qui Mazaræ præerant, vrbe egressi cũ equitibus, palantes Francos terga vertere cogunt. Franci pedites variis spoliis ditati, ne ab equitibus Mazarensibus, in quos inciderant, caperentur, in manus suorum captiuorum se dedidere. Saccam deinde Thomas profecturus, arcem Burgettum frustra oppugnat. His gestis Castri ad mare ripas, quo classem præmiserat, petit. Vbi classem inscendens, in Panormitana littora delatus, milites in terram exponit: segetes, arboresq; ac palmas ingentes, quæ iuxta pontem Admirati erant, succidit, incenditque: agrosq; omnes, vsque ad Soloentum excurrens, incendio fœdat. Inde ad Messanensium littora nauigat, pari modo in agros sæuiens: nec diu moratus, metu classis Siculæ, quæ cum Friderico rege Messanæ con-

sistebat, relicta Sicilia Neapolim refugit. Post hæc anno sal. 1317. defuncto Clemente Romano Pont. Ioannes vigesimus secundus sufficitur. qui pacem inter Fridericum & Robertum Reges his legibus proposuit: vt Fridericus Rhegium & cætera Calabriæ oppida Henrici Imperatoris nomine occupata, Pontifici restituat, & freti angustiæ Roberti & Friderici regnorum sint termini. Cum his conditionibus Stephanum Episcopum Tercensem, & Petrum Textorem, singularis prudentiæ viros, ad Fridericum Legatos misit. Paruit Fridericus Pontifici, & oppida sibi restituit. Quæ ille recepta continuo Francorum Præfectis administranda dedit. At cum pax a Pontifice per Legatos decreta differretur, Fridericus Franciscum Panormitanum Archiepiscopum, & Franciscum Vintimilium, cum quinque triremibus pro pace sibi ab eo promissa oratores mittit. qui tergiuersationibus a Pontifice, vel Robertum vel eius nuntium ad diem præfixum expectari respondente, decepti, cum nec Rex nec quisquam ex eius Legatis adesset, re infecta in Siciliam sunt regressi. Interea Genuæ orta inter de Aurea & Spinulos Gibellinos vrbe expulsos, & Grimaldos, Fiscos, & Malaucellos Guelfos, qui dominabantur, seditione: Guelfi Robertum ad sua auxilia, Gibellini vero Fridericum euocarunt. Anno itaque salutis 1320. Fridericus Rex cum quadraginta triremium classe contra Genuam soluit. Sed dum littora Calabriæ excurrit, Polistrum oppidum euertit. Deinde oppidum Vultirum non longe a Genua inuadit, cives in eo Guelphos trucidat: ipsamque postea Genuam adortus, frustra prævalentibus Guelfis oppugnat. Tandem labore attritus, in Siciliam cum classe reuertitur. Vbi pecuniæ egestate coactus, ad prouentus sacros manus iniecit: quo a Pontifice diris vna cum Siculis omnibus execratus est. Qui subinde anno salutis 1321. Petrum primogenitum, conuenientibus Panormi Siciliæ proceribus, consortem Regni asciuit, ac diademate insigniuit. Robertus anno postmodum salutis 1325. centum & tredecim triremes præter naues onerarias parat: Ludouicum Calabriæ Ducem, quem ex Iolanda Friderici sorore susceperat, contra Panormum classi præficit. Cuius aduentu præcognito Fridericus Rex Blascum de Alagona illius superioris Blasci, qui quondam sub grauioribus periculis causam Siculorum fortiter tutatus fuerat, nepotem, Petrum Antiochiam Cancellarium, Ioannem Claromontanum iuniorem, quem paulo ante Motycæ Comitem instituerat, & Simonem Valguarneram, pluresque alios primates, ac sexcentos equites selectissimos, Panormum præmisit. Erant præterea in eadem vrbe Ioannes Claromontanus senior, qui longo tempore Panormo præfuerat, Matthæus de Sclafano, Nicolaus & Henricus de Abbate germani fratres, Ioannes de Caruellis, aliiq; Panormitani ciues & populares animo integro & impigro, belloq; assueti: qui omnes hostium aduentum impauidis animis expectabant. Tandemq; Ludouicus, quem plurimi Neapolitani proceres sunt secuti, Panormum appellit, milites in terram exponit, agrum Panormitanum & Cubam Regium pomarium vastat, arbores domesticas succidit, ædes sacras, quæ extra mœnia stabant, diruit: ex quarum ruinis aggeres excitauit. Deinde partem vrbis veterem, quam Cassarum appellant, magna vi adoritur, machinis omnibus, missilibus, arietibus vrbem toto triduo concutit. Ad portas etiam Thermarum, Græcorum, Mazaræ, & Ycarinis bellatores adhibet. Cathenam præterea quæ vrbis portum claudit, magna vi infringere conatur. Ioannes Claromontanus, ac cæteri optimates ciuesque inuictis animis viribusque obsistebant: propugnacula, mœnia, portasq; non modo tutabantur, & stationes seruabant: sed in hostes quoque lapides, sagittas, ignes, & cætera bellicæ artis instrumenta viriliter eiiciebant. Prominus excitauit. Cui cum Ioannes de Claromonte, qui suis primum, ac deinde vniuersis vrbis horreis apertis, frumentisque populo famescenti moderata largitione distributis, pro virili succurrisset, ipsa fortuna præsentius remedium concinnauit. Robertus nanq; Rex obsidionem in longum pertrahi animaduertens, veritus ne filio & classi sinistri aliquid euentus accideret, per literas soluere stationes, Siciliamque inde populari & incendi iubet. Dux patris iussa, licet ægre, exequitur,

quitur, obsidionem soluit, Siciliam excurrit: per segetes, agros, vineta, a regione Mazaræ ad Syracusas & Messanam vsque, flammis ferroque crudeliter grassatur, ac inde Neapolim reuertitur. Sed non diu Sicilia quieuit. Siquidem anno salut. 1326. Robertus rex Beltrandum de Blasco Montis Canosi Comitem, & eius sororium, cum classe octuaginta triremium, contra insulam rursus mittit. Ad promontorium Soloenti ille applicat, Thermas oppidũ petit, suburbium populatur & exurit. Inde Messanam nauigat. quam prætergressus, Acim oppidum capit, incendit, & in cinerem vertit. Inde Thermas eodem cursu regressus, milite in terram exposito, Ciminnã (6. p. m. a mari distans oppidum) tendit, inuadit, diripit, & igne vastat. Panormitanis postea agris leuia damna inferens, Neapolim ad Robertum regem recurrit. Anno deinde sal. 1327. cum Robertus animo firmatum haberet singulis annis circa messis tempora Siculorum agros flammis exurere, vt rei frumentariæ cladibus attriti, ad deditionem vltro Siculi compellerentur: Rogerium Sanguinetum Coriliani Comitem cum classe ad comburenda Siciliæ arua transmisit: & post eum Barbauayram Genuensem cum triremibus decem & nouem. Huius aduentus cum circa oppidũ Augustam percrebuisset, Blascus Alagona, qui Catanæ præerat, Augustam petiit, noctuq; ad locum latebrosum, quo ad mare ex oppido hostis transiturus erat, in insidiis delituit. Igitur dum ille cum nautis ad mare contendit, Blascus cum militibus e latebris egressus, reditu hostibus præcluso, eos fugam potius quam arma parantes adoritur. Vbi inter nautas & milites bello inæquali conserto, plurimi Genuenses trucidantur: Barbauayra multis vulneribus confossus capitur, & duro carceri mancipatur: classis vero inordinato remige paucis militibus & sine Duce Neapolim ad suos euasit. Post hæc anno salutis. 1328. Fridericus rex Ludouico Duci Bauariæ, qui Romanorum Imperator electus, contra Fridericum Ducem Austriæ coelectum Imperatorem, competitionis nomine sæuissimum bellum gerebat, adhæsit. Cui cum Imperator abrogato Ioanne vigesimo secundo Romano Pontifice, Nicolaum Franciscanum, quẽ Ecclesiæ Romanæ sufficerat, adorandum proponeret, Fridericus ab Ioanne, tametsi Roberti studiosissimo sibique infensissimo, nunquam abhorruit, sed libere Imperatori rescripsit, se cum eo in temporalibus, & nõ in spiritualibus fœdus iniisse. Subinde Fridericus iussu eiusdem Imperatoris cum quadraginta triremibus paratis, quibus Genuensium triginta triremes sunt additæ, contra Robertum regem, Petrum filium confestim misit. Quẽ Ioannes de Claromõte, Blascus de Alagona, Matthæus Palicius, Rogerius Passanetus, Matthæus de Sclafano, Petrus Lancea, Russus Rubeus, cũ nonnullis aliis Siciliæ primoribus sunt secuti. Petrus igitur littora primum Caietana & Isclæ insulæ attingens, cuncta incendio absumit: oppidum deinde Asturum oppugnatum ad deditionem compulit, ac demum in Corradini vltionem igne perdidit. Nactunum quoque oppidum, quod ab eius domina viro orbata vicino Asturæ metu perculsa acceptum Petrus sub eius tutela reliquerat, Genuenses prę fecti humanitatem Petri irridentes, cum triremibus triginta adorti, ad fundamenta vsque concremarunt. Dum hæc geruntur, nuntius repente Petro aduenit, Ludouicum Roma egressum Cornetum petiisse, vrbemque Romam Imperatori Friderico coelecto cessisse. Petrus, qui consulto Ludouicum adire decreuerat, vi tempestatis coactus, ad Herculis portum aliquandiu constitit: atque ibi ne stationem in otio haberet, non longe a portu Vrbitellum lacu circunseptum oppidum, scaphis e littore ad lacum vsque in humeros apportatis, ad mœnia traiicit, magna vi aggreditur, oppugnat, ac ignem in portas oppidi immittit: oppidanisque contra se opponentibus quidem, & Siculos e muris eiicere, igneque extinguere frustra conantibus, qua turma bellatorum & nautarum foris præualebat, vi missilium machinarumque capit, populatur, & flammis incendit. Contra insulam postea & arcem Telamonis Petrus profectus non minus sæuiit. Post hæc anno salutis. 1329. Friderici imperio. 4. Calend. Iulii AEtna Siciliæ mons mire conflagrauit. Subinde anno salutis. 1333. Ioannes & Blascus filii Galeocti Floriaci Franci, arcẽ Castri ad mare Panormi Roberto Regi prodere statuunt, pacta cum rege mercede, & duabus triremibus ad id clam ab eo missis. Erat etenim alter

eorum ob cõmissum crimen in ea arce carceri addictus. quo cum alter frequenter visendi fratris prætextu conueniret, ex iis qui stipendio ducti arcem custodiebãt, cõiurationis socios plures cõciliauit. Cũ quibus obseruata opportunitate, Præfectum noctu nulla suspicione præcautum, illiusq; comitem interficiunt. Cuius facti mox ex arcis muro per faces dato signo, triremes Roberti duæ, quæ ad montis Pellegrini littora aduenerant, statim adsunt, milites, & ad bellũ opportuna, quæ attulerant, in arcẽ ingerunt, eamq; capiunt. Quo paulo post Robertus triremes sex alias cõmeatu & militibus instructas ad munitionẽ transmisit. Quo cognito, Fridericus rex e Messana statim Petrũ de Antiochia & Ioannẽ Claromontanum Panormum misit. qui machinis & missilibus arcẽ aggressi, muris euersis, eo pacto arcẽ recepe- 10
runt, vt libere Franci cũ octo triremibus, quas habebãt, Neapolim reuerterentur. Sed restituta arce Franci inter abeundũ littora Siciliæ meridionalia percurrentes, inter Alicatam & Terramnouã milites in terrã exposuerunt, & mediterranea ingressi Buteram oppidũ repente adoriuntur. Quod e periculo frequens Siculorum accurrentiũ multitudo vix eripuit. Post hæc anno salut. 1334. defuncto Ioanne vigesimo secundo Romano Pont. extinctis ante obitum censuris & diris, quibus Siciliam implicuerat, sacra omnia ac Missæ, quib. Friderico & Siculis per multos annos fuerat interdictum, vbiq; celebrari cœperunt. Ad Benedictum Romanũ Pontificem post Ioannem electum, quem ante initum Pontificatum sui studiosum Fridericus cognouerat, oratores deinde pro pace cum Roberto componenda pluries 20
misit. Sed Benedictus non minus quam antecessores Friderici causam abhorrebat. Interea Franciscus Vintimilius Giracii Comes Constantiam Ioannis Claromontani Motycæ Comitis sororem vxorem duxit. qua ob sterilitatem repudiata, pellicem vxorem sibi adsciuit. Sed Ioannes cũ iniuriam vlciscì animo statuisset, & Fráciscus apud regem authoritate cæteros Proceres anteiret, ira percitus, relicta Sicilia ad Ludouicum Imperatorem se contulit, & paulo post pluribus Teutonibus ab eo impetratis ad iniuriam vindicandam rediit. Sed Fridericus Rex aduocato Francisco Comite, & Ioanne Claromontano seniori Ioannis Comitis patruo, reconciliationem tractare cœpit. Ioannes vero & contra datam Regi fidem Franciscum 30
Panormi inuadit, ac gladiis non quidem letaliter ferit. Quod cum Franciscus apud Regem questus, in eum, cuius fide protectus deambulabat, iniuriam reiiceret: Fridericus clientelæ iudicio Ioannem exilio mulctat, qui cum in sua se recepisset oppida, Fridericusque Rex contra contumacem bellum pararet, Aleonoræ Reginæ, quæ reditum ei pollicebatur, consilio, relictis regi oppidis ad Ludouicum profugit. Sed cum tandem Ludouico etiam intercedente reditum in Siciliã a rege impetrare non potuisset, desperatione ductus, ad Roberti regis stipendia defecit. Robertus huius apud Siculos fauore fretus, statim classem instruit: cui Coriliani Comitem, & Ioannem ipsum præficit, ac contra Fridericum anno salutis 1335. emittit. Siciliam aduecti milites, ad Manescalcum fl. (quem Magnum hodie 40
appellant) non longe a Thermis in terram exponunt: Brucatum oppidum illi imminens tentando operam amittunt. Inde terrestri itinere magno cum exercitu abeuntes, regionem Mazaræ excurrunt, cunctaq; ibi hostiliter populantur. Alicatam postea Petri Lanceæ, & Martini Capicii, aliorumq; militum præsidio munitam, frustra obsident & oppugnant. Soluta obsidione Agrigentinis & Saccitanis, eorũ agrorum vastatione incendiisque, plurima damna intulerunt. Marsalæ postea & Drepani agros peragrantes, obuia quæq; ferro & igne absumebant. Ad Panormitana demum littora venientes, cum ibi sexdecim Catalanorum triremes, quibus Raymundus Peralta præerat, offendissent, seu metu perculsi, seu belli tædio affecti, Panormitanis agris intactis Neapolim ad Robertum redierunt. Ioannes Clare- 50
montanus quamprimum Neapolitana littora attigit, insalutato Rege ad Ludouicum Imperatorem reuersus est. Interea Fridericus Panormi mœnia restaurat & amplificat, Petro eius filio rem perurgente, Guilelmoque Tagliauia & Raynaldo Iaconia militibus operi præpositis. Saccam præterea oppidum amplificatis mœnibus, in eam formam, qua est hodie, redegit. Eadẽ fere tempestate in Lotophagite, (Gerborum insula hodie dicta) quæ Friderici regis imperio parebat, cum Siculi

culi Sarracenos vectigalibus plus æquo vexantes, primorum quendam inter eos virum auri ditissimum, quo auaritiæ suæ satisfacerent, sine vlla vel indiciis declarata proditionis suspicione, falso insimulatum morte mulctasse nt, Sarraceni corã Friderico rege iniurias suas conquesti, & ab eo (quippe qui iam aulicorum rationibus circumuentus, suorum facta omnia rata firmaque habebat) inauditi, conceptum mentis vulnus Punica fraude tantisper prætexerunt, dum Gerbos reuersi populum ad seditionem (excusso Friderici imperio) concitauerunt, ac Regi Tuneti se subigentes, Christianos qui iam ad arcem se receperant, obsederunt. Fridericus his per certum nuntium cognitis, triremes quinq;, & nauigia alia ad suorum subsidia militibus instruit, Raymundum Peraltam classi præficit, & ad insulam mittit. Raymundus cum classe ad arcem obsessam applicat, in obsidentes Sarracenos irruit, rem dissipat, hostes depellit, arcem ipse septuaginta cum militibus ingreditur, obsessis opem fert, & animos facit. Iamque Sarraceni metu perterriti ad Friderici fidem reuerti animo statuerant: sed mox Martinus Coxa ex Iscla oriundus a Roberto rege missus, cum sexdecim triremibus adest: & inito cum Sarracenis fœdere arcem cum illis oppugnat, duas ex quinque Raymundi triremibus, ac naues alias capit, sæuam Siculorum cædem facit, machinas, munitiones, & arma quæ in triremibus captis repperit, Sarracenis in Christianorum excidium pretio vendidit. Quo facto Neapolim triremibus, spoliis, captiuisque infando bello captis, ad Robertum victor impudens rediit. Raymundus quoque spe amissa, clam obsessis relictis arce egreditur, & cum tribus triremibus in Siciliam reuertitur. Sarraceni ita adiuti, resumptis viribus arcem magis magisque oppugnant, ex obsessis plures occidunt. inter quos & Petrus cognomento Sarroca cecidit, quem Fridericus arci iam olim præfecerat. Christiani obsessi annis duobus & mensibus sex, vltra quam natura pati videbatur, obsidionem pertulerunt, donec tandem pluribus fame interemptis, qui superfuerant, vix ossibus hærentes, arce capta in manus Sarracenorum deuenerunt. Nec multo post in Sicilia Fridericus Rex dum Ennam petit, in ipso itinere Ioannem filium, Marchionem Randatii, Menæi Comitem, Vallis Castrileonis, Francauillæ, Traynæque Dominum: Guilelmum alium filium Caltasimi, & oppidorum vsq; ad Iulianam adiacentium, Ducem: Fridericum Antiochia Petri filium nobili exortum genere, (cuius patrem, licet egenum & peregrinum, in Siciliam aduenientem rex educauerat, & pluribus honoribus insigniuerat) Capitii Comitem, & Franciscum Vintimilium Giracii Comitem instituit. Ennam deinde, vbi cum summo desiderio æstiuare solebat, appulsus, sexagesimum quintum agens annum, senio & labore confectus, morbo letali corripitur. Quem vt sensit, Catanam statim lectica se apportari iussit. Sed ægritudine in itinere inualescente, vix Paternionem venit, cum ædem. D. Ioannis Hierosolymitani non procul ab oppido ingressus, sumptis de more sacris, anno sui regni quadragesimo, salutis vero. 1336. 12. Calend. Iulii decessit, princeps cui & ob ingentes animi dotes, & obseruatam maximis laboribus insulam, Siculi adhuc plurimum debent. Eo ægrotante, inter Austrum & occidentẽ cometa regis obitus præsagus apparuit. Donatus quoq; Brundusius medica arte insignis, Regem in templo Hierosolymitano interiturum multo ante vaticinatus edixerat. Catanam cadauer deductum, in arce vrbis primaria, quam ab Vrsino vocant, noctu deponitur. Illucescente postea ad templum maximum. D. Agathæ sacrum, Siculorum longo ordine, regio more tumulatum, hoc disticho adhuc insignitum cernitur:

Sicaniæ populi mœrent, cœlestia gaudent
Numina, terra gemit, Rex Fridericus obit.

DE PETRO SECVNDO SICILIÆ REGE.

CAPVT IIII.

PERACTO publici ac regii luctus funere, Petrus eius filius huius nominis secundus, maximo omnium gaudio Siciliæ rex salutatur. Qui suscepto statim regno, liberalitate & humanitate Siculos ad sui amorem pellexit, vt regnum, quod pater multo labore tutatus fuerat, benignitate sibi conseruaret. Russum Rubeum Messanensem, Matthæũ Palicium, Guilelmum Raymundum Mõtecatinum, & Scalonum de Vbertis Comitatus titulis in eodem templo maximo Catanensi, vexillum singulis regio more tribuens, insigniuit. Nec diu hæc quies regno stetit. Nam dissidia inter Franciscũ Vintimilium Giracii, & Isclæ maioris Comitem, & Matthæum Palicium, Ioannemque Claromontanum sub Friderico rege cœpta, quæ illius imperio subsederant, sub nouo imperio foras erupere, adeo, vt in Franciſci caput Matthæus & Ioannes conspirantes, nihil nisi occasionem quærerent qua hostem insidiis interciperent. Petrus rex odiorum inter suos ignarus, pro componendis Siciliæ rebus cõuentum Catanæ proceribus indicit. Quo ex industria a Damiano Palicio regis Cancellario, & Matthæo Palicio Comite, Magistro Rationali, germanis fratribus regis collateralibus, Franciscus regis nomine per literas vt coram adesset, accersitus, Catanam quidem, veritus ne illorum fraudibus, quorum exploratissimum habebat animum, se inferret, venire distulit: secreto tamen per literas regi se purgans, ad. S. Anastasiæ arcem, quam Mottam appellant, se contulit: vbi aduentum eius se expectaturum promiserat. At dum Mottæ agit, ex aulicis regiis plerique eius amici coniurationẽ a Paliciis cũ Ioãne Claromontano initam, paratasq; ei insidias aperiunt, & vt sibi consulat, monent. Quibus ipse auditis, Mottã minime sibi tutã sedem ratus, Franciscum filium (quem Golisani Comitem constituerat, & ob impubertatem Siculo more Franciſchellum vocabat) periculoso morbo correptũ simulat: quo se vocari paterno affectu dictitans, non expectato regis responso, Giracium concessit. Displicuit quidem regi discessus iste festinus, animumque nonnihil ab eo alienauit: sed cum Franciscus vt Giraciũ appulit, regis iram occupans, Paliciorum coniurationem in se omnem per certum nuntium illi credidisset, recepit rex benigne iustam excusationem. Quocirca conuersus ad componendam inter eos affinitatis etiam vinculis pacem, Messanæ, vbi conuentum habiturus erat, Frãciscum sua fide vt adesset, hortatur, & vt sibi fidelitatis iuramentum præberet, scripsit. Sed hic (qua ratione incertum) Messanam ire noluit. Hinc iustiorem in se regis iram concitauit. Celebrato concilio cum Catanã rex reuersus esset, Franciscus Catanam Franciſchellum filium, qui pro patre apud regem causam ageret, misit. Rex Franciſchellum statim cum proceribus omnibus, qui cum eo venerant, in arce Catanensi carceri addixit. Venerat cum Franciſchello Romoaldus Russus Cephalœdensis Franciſci Comitis œconomus. Hunc rex Paliciorum suggestione torquet vt pertinaciæ Franciſci causam ab eo ediſceret. Ille Franciscum Comitẽ, & Fridericum Antiochiam Capitii Comitẽ, in regem coniurasse, & ad Robertum regem defeciſſe, confictã proditionis causam, ordinem, ac literas Roberti & Franciſci vltro citroque transmissas tormentis actus patefecit. Quibus cognitis Franciscus animo consternatur, & veniæ desperatione cum oppidis, Castro Bono, Golisano, Gratterio, Giracio, Pollina, Monte Sancti Angeli, Maluicino, Tusa, Caronia, Castellucio, Sancto Mauro, Petralia superiore, Petralia inferiore, Gangio, Sperlinga, Pettineo, Bilicio, Phisaule, & Cristia, quæ sub sua ditione habebat, anno salutis. 1337. a Petro rege desciuit: & subinde oppidum Rahal Ioannis, quod regi parebat, auxilio atque tractatu vicinorum Gangensium inuadit, sibique occupat. Fridericus quoque Antiochia, qui oppida Mistrettam, Capitium, Serrauallem, Guzettam, Castrum ad mare de Gulfo, Burgettum, Caltabillottam, Calatubum sub se tenebat, cognita Romoaldi confessione, confestim & ipse cũ suis, & Margarita de Oſulo eius vxore, & Francisco & Simone de Antiochia consobrinis suis, a rege defecit. Petrus rex comperto proditionis facinore, illorũ repressurus audaciam, Franciſchello, Romoaldo, & cęteris Franciſci ministris sub Rogerii Passaneti Comitis custodia in arce Leontina relictis, Nicosiam cum exercitu contendit. Vbi in publico procerum conuentu Franciscum Vintimilium proditorẽ in

area

area.D.Nicolai per Blascum Alagonam Siciliæ Magistrum Iustitiarium, ac Iudices magnæ regiæ curiæ, salutis anno.1337. pridie Calend.Ianua. perduellionis reũ agit.Vbi etiam Ioannes Claromontanus Motycæ Comes, per Fridericum Siciliæ regem Petri patrem olim damnatus,recognitis a rege illius libellis,a crimine & labe eodem die absolutus, Motycæ Comitatũ,& Raguſam oppidum, & cætera quæ antea possidebat, præter oppidum & arcem Caccabi, recepit. Postridie vero, qui secundus Ianuarii dies extitit, rex Fridericum Antiochiam, Franciscum Antiochiam, & Manuelem,Franciscum, Aldoinum, Philippum, Iordanum, Fridericũ, cæterosque Franciſci Giracii Comitis filios proscripsit,ac proditores per sententiã in eadem area declarauit. Quibus gestis Catanam reuersus, oppidum Calatabillottæ,Calatubum,Castrum ad mare de Gulfo, Burgettum,& pleraq; alia Friderici oppida,Raymundo Peralto regis consanguineo, Regniq; Aragonũ Admirato,sub titulo Comitatus Calatabilottæ tradidit,prout eius diplomate dato Catanæ decimo Ian.die.1337.constat.Subinde instructo exercitu contra Franciscum Vintimilium, qui in arce Giracii se munierat, ex Catana signa mouet.Cumq; Nicosiã venisset,Sperlingam petiit, paruoq; negotio eam expugnauit. Gãgium sequenti die, qui Ianuarii vltimus fuit,profectus,per deditionem accepit.Cuius exemplo Golisanũ,& vtraq; Petralia ei se submisere.Giracium mox,vbi Franciscus cum duobus filiis,& Roberto Campulo Messanensi, Cephalœdensi Episcopo,totius proditionis authore,se munierat, venit: Franciscum per nuntios ad deditionem hortatur. Quam ille ea lege amplectebatur, vt rex cũ omni suo exercitu præter Palicios oppidum ingrederetur.Cui rei cum rex per literas annuisset, Robertus Cephalœdẽsis Episcopus contumeliis in Franciscum versus,regiis literis discissis fraudem subesse,nec regi credendum clamitat,sed vitam armis defendendam suadet.His Frãciscus stimulis agitatus,mutato consilio ad arma ruit,oppidum&arcem ad bellum parat.Quo cognito,rex oppido appropinquat. oppidani viso rege,nomen eius inuocant, ad cuius fidem se paratos conclamant. Franciscus contra equo insiliens, claua ferrea plebem in sua fide continere frustra annitens, cum magis magisque multitudinem a se ad regem inclinari videt,ne a suis quidem tutus,in arcem quam munitissimã habebat, se per viam arctam,quæ iuxta ædem D.Iuliani est, recipere tentat. Sed cum lignorum ac vegetum strue impeditam penetrare nequisset, quid in tanto rerum discrimine agendum sibi esset,prorsus ignarus, fugam, quam Oliuerius Bulturachius ex familiaribus vnus consuluerat, extra oppidum capit. Sed dum saluti studet, ab hostibus agnoscitur.quem statim Franciscus Valguarnera e regiis militibus Catalanus genere insecutus, euadere per deuia conatum, in præceps cum equo dilapsum in loco mille passus ab oppido distanti comperit, siue(vt alii scribunt) a duobus adolescentibus militiæ rudibus, in quos inciderat,trucidatum,armis spoliauit, corpusque eius adhuc palpitans multis ictibus pugione confodit, ac veluti a se captũ & occisum ad caudam equi vinctum ad regem pro mœnibus oppidi adhuc cum exercitu hærentem,detulit. Vbi humi proiectum atque nudum in frusta milites secant, oculos euellunt,caput,nares,manus,& pedes præcidunt: tantaque in mortuum crudelitate sæuierunt, vt ne viscеribus quidem pepercerint.Quorum sæuitiam abominatus Rogerius Passanetus Comes,cadauer ita in frusta secatum in æde. D. Bartholomæi consensu regis tumulari curauit. Giracienses audita Comitis morte,statim apertis portis regi se dedere. Qui cum exercitu oppidum ingressus, arceq; potitus, maximam auri vim ibi repertam militib. distribuit: Emanuelem Franciſci filium in Menæi arcem detrusit,cæteros quoque vtriusq; sexus illius liberos in aliis Siciliæ arcibus carceri addixit, Romoaldo Cephalœdensi Episcopo præcipuo factionis capite edomito. Rex deinde cõtra Mistrettam exercitum mouet.Vbi Fridericus & Franciscus Antiochia alii perduelles se præsidiis munierant. Hi clade Franciſci cognita,statim ea lege regi cesserunt, vt libere sibi quo vellent,Sicilia abeundi facultas daretur.Qua habita, sexto id. Febr. Thermas veniunt: atque inde sumpto nauigio Amalphiam,& mox Neapolim ad Robertum regem se conferunt. Is Friderici aduentu mirum in modum gauisus, eum excepit quam beniguissime,sperans hoc Duce aliquando se Sicilia potiturũ.

Dum huic bello fœlicibus auſpiciis Petrus incumbit, 4. Februarii die ex Eliſabetha Regina Catanæ Ludouicum filium ſuſcipit. cuius gaudii teſtimonio rex Catanam reuerſus, vrbem natalem ab hoſpitum & militum in propriis ædibus ſolita hoſpitalitate, & vectigalibus liberam fecit, prout eius diplomate dato Catanæ conſtat. Et Eliſabethæ Reginæ in dotis augmentum Comitatum Giracii contulit. Damianum Palicium regni Cancellarium Vicariumque inſtituit. Nec interea minus Fridericus Antiochia Neapoli Roberti regis animum ad Siciliam capeſſendam incendere deſtitit. Qui ſtatim quinquaginta triremium claſſem inſtruxit, illique Carolum Artum ſpurium fratrem præfecit: cui Fridericum Antiochiam, Aldoynum Vintimilium Franciſci Comitis filium, Comitem. S. Seuerini, Comitem Coriolani, ac ducentos alios equites cum delecta militum manu, ſocios addidit. Neapoli igitur illi ſoluunt, & ſecundo vento ad littus, cui Maniſcalco olim, & Auricellæ, ſed Rocellæ hodie corruptum eſt nomen, non longe a Cephalœdi, menſe Maio applicant. Militem omnem in terram exponunt, Goliſanum petunt, & parvo labore capiunt. Sequenti die Gratterium proficiſcuntur. Oppidani vt Aldoynū viderunt, quem Franciſco patre viuente dominum agnouerant, confeſtim portas oppidi aperiunt, atque in illius fidem redeunt. Inde Brucatum veniunt, oppidum capiunt: & poſtremo Montem. S. Angeli etiam adipiſcuntur. Captis his oppidis, & omni commeatu munitis, terreſtrique exercitu apud Brucatum in illius & aliorū oppidorum præſidium relicto, Carolus cum claſſe & proceribus ad maiorem bello futuro vim contrahendam, Neapolim ad Robertum redeunt. Vnde militum, armorum, & commeatus omnis magna inſtructi copia, menſe Iunio, Rege regreſſum vrgente, in Siciliam, & circa Thermarum littora rediuere. Vbi expoſitis ad bellum neceſſariis, oppidum obſident. oppidani aquæ inopia deuicti, octo dierum induciis impetratis elapſiſque, deditionem fecerunt, arce duntaxat inuicta acerrime obſiſtente. quam cum aliquandiu hoſtes fruſtra oppugnaſſent, menſe Aug. omnibus oppidi ædificiis ſolo æquatis obſidionem ſoluerunt. Erat eo tempore Thermæ oppidum exile, ſed muro cinctum, quod hodie Terram veterem appellant. Interea Matthæus & Damianus Paliciigermani fratres cum multa dignitatum inſolentia regem Petrum ad votum pene gubernarent, non modo in cæteros Proceres, ſed in Ioannem quoque Randatii Marchionem, & Ducem, regis germanum fratrem, (quem Guilelmus Friderici regis Infans, Athenarum & Neopatriæ Dux, Calatafimi Comes, & Neeti Dominus, apud Panormum decedens, & in templo maximo tumulatus, ſuorum omnium iurium hæredem reliquerat) odia exercere incipiunt. Hinc vt Rogerium Paſſanetum de medio tollerent, regi ſuggerunt: quippe qui ingentem Franciſci Vintimilii theſaurum, captiuorum, quos ſub cuſtodia Leontini habuerat, conſilio repertum, iniuſto titulo, cum ad Regem optime attineat, poſſideret. Petrus eo inſtinctu ſtatim per literas Paſſanetum ad ſe aduocat. Rogerius, quem hæ Paliciorum inſidiæ non latebant, Regi non obtēperauit, ſed in arcem Leontinam delectis cum militibus, cum inſigni regis in edito loco nihilominus erecto, ſe recepit. Quo audito Aleonora Regis mater, quæ Catanæ tunc agebat, coactis copiis Leontinum petiit, Rogerium ab hac deſcitione reuocatura: ſed illo in ſua pertinacia perſiſtente, Catanam eſt reuerſa. Petrus, qui tunc Ennæ erat, de Rogerii defectione edoctus, Blaſcum Alagonam iuſto cum exercitu contra eum mittit. Blaſcus Leontinum profectus, cum verbis nihil proficeret, magna vi arcem aggreditur. Cui Rogerius dum ſtrenue obſiſtit, clam nuntios ad Carolum Artum Neapolitanæ claſſis, quæ adhuc Thermarum littora circumſiſtebat, Præfectum, mittit, arcemque illi ſi adſit, pollicetur. Quod vbi Blaſcus cognouit, machinam ex lapidibus editam arci obiecit, atque inde Rogerium duriſſime preſſit. Rogerius tantæ belli moli impar, cum neque a Carolo ſuppetias ſperaret, promiſſa a Blaſco Rogerelli ſui filii ſocero Regis nomine venia, reſtituta arce eius ſe manibus fideique deuouit. Atque ita cum Blaſco Ennam ad regem concedens, contumaciam in Palicios ſibi offenſos reiecit. Petrus etſi prima fronte Blaſci promiſſum improbaſſet, mox tamen conſiderata Blaſci erga patrem ſuum antiqua & inconcuſſa fide, Paſſaneto condonauit. Nec quicquā moratus,

tus, ad recipienda oppida ab hostibus occupata se conuertit. Ingentem exercitum comparat, eumq; sub Blasci & Petri Lanceæ præfectura contra hostes destinat. Hostes viso exercitu metu perculsi naues inscendunt, ac fœde inde soluunt. Blascus fugatis hostibus Bruccatum, quod hostium erat præsidium, magna vi adoritur, ac tandem (Roberti militibus libere cum duabus triremibus Neapolim dimissis) per deditionem recipit. Gratterium postea profectus obsidet. Vbi etsi Petrum Lanceam sagitta confossum amiserit, oppidum tamen non multo labore recuperauit. Golisanũ quoq;, ac cætera oppida, quæ a rege desciuerant, ordine cepit. Dum hæc in Sicilia gerũtur, Fridericus Antiochia, qui cum classe Caroli ex Thermis Neapolim redierat, Robertum vrget vt classem contra Mylas dirigat: futurum vt eo oppido capto, Messana ipsa, cui in agro Mylensi omnes opes atque annonæ consistunt, in potestatem veniat. Paratam igitur classem Robertus a Friderico persuasus contra Mylas mittit. Proinde hostes mense Iunio excitatis aggeribus anno salutis. 1338. oppidum obsident atque oppugnant. Sed incolis omni opera se defendentibus, obsidio vsque ad mensem Octobris protracta est. Tandem Petri regis auxiliis destituti, cogente fame Mylenses deditionem fecerunt. Quo capto, hostes vicina oppida variis populationibus deprædabantur. Post hæc anno salutis. 1340. mense Aprili Benedictus Romanus Pontifex, vt pacem inter Robertum & Petrũ reges iniret, Robertum Constantinopolitanum Patriarcham, & Episcopum Vasionensem Legatos ad Petrum regem misit. Sed Legati cum tribus triremibus Messanæ portum ingressi, a Messanensibus missilibus & machinis repelluntur. Quocirca ira perciti, diplomate Pontificio ad littus relicto, Siciliam omnem diris execrant. Eodem ferme tempore Robertus rex classem, cui Gotfredum Marzanum Comitem Squillacensem præfecit, contra Liparam misit. Quo cognito Petrus Rolandum Aragonium spurium fratrem cum .23. triremibus in auxilium misit. Sed cum Liparenses suppetiis non indigerent, Rolandus Roberti classem adoritur. a qua superatus, & cum multis Proceribus captus est. Cuius cladis indignatione commotus Petrus, qui eius ac Siculorum aliorum ignauia amissam classem arbitrabatur, Rolandum fratrem redimere noluit. Ita Rolandus carcere a Francis vexabatur. Erat eo tempore Messanæ mulier quædam Camiola Turringa nomine, ditissima. quæ Rolandi audita calamitate, visa est videre viam a fortuna sibi paratam vt regii sanguinis virum speraret. Itaque missis nuntiis, & per procuratores matrimonio inter eos firmato, ipsum duabus auri vnciarum milibus Camiola redemit. Reuersus Messanam Rolandus desponsationem abnegauit: vtpote sanguine regio ortus humili ortam loco & genere despiciens. Mulier iusto compulsa dolore Rolandum ad tribunal conuincit. Coactus igitur in publico conuentu totius vrbis nuptias cum ea celebraturus aduenit. At Camiola vbi honori satisfecit, in Rolandum conuersa, commemoratis suis in eum meritis, illiusque in se, quod tam impudenter fidem violasset ingenti ingratitudine, palam se nuptiis tam ignaui hominis renuntiare dixit, atque pro nuptiis Deo se dicauit. Post hæc Petrus rex Mylas recuperare, & hostes inde pellere statuit. Coactum igitur peditum ingentem, equitum vero bis milium exercitum, cui Blascus Alagona Comes, Raymundus Peralta Comes, Henricus & Fridericus Claromontani germani fratres, & multi alii proceres præerant, contra Mylas dirigit. Siculi ædificato iuxta mœnia vico, quem Terramnouam vocabant, vbi commode se recipere possent, oppidum maximis animis aggrediuntur: atque machinis & missilibus adeo vehementer oppugnant, vt oppidani desperatis auxiliis iam tum de delenda vrbe consilium facerent. Sed dum consultant, Fridericus Antiochia, qui ferreis instrumentis cuniculos suis cum militibus fodiebat, a Siculis circumuentus occiditur. Quo cæso Franci, postquam tribus mensibus satis strenue restitissent, fame oppressi, mense eiusdem anni Augusto oppidum regi tradiderunt. Recuperatis Mylis, Petrus Fridericum Antiochiam consanguineũ suum ad ædem sacram oppidi S. Luciæ non longe a Mylis peracto funere tumulari iussit. Superatis hostibus, & receptis oppidis quæ a rege desciuerant, Matthæus & Damianus Palicii germani fratres ad tantum superbiæ culmen sunt euecti, vt in Proceres susceptum odium

prosequentes, eos vel sibi subiicere, vel perduellionis imposito crimine perdere quærerent: tantumq; effecerunt, vt nullus magistratum gerere vel consequi posset, nisi Paliciorum studiosus: ac ne Ioanni quidem Duci Regis fratri, quem suspectum reddiderant, aditus ad Petrum pateret. Veriti itaque Palicii ne Duce reconciliato primas partes, quas ipsi cum rege habebant, amitterent, Ioanni, qui tum forte ad salutandum regem e Catana Panormum properabat, accessum interdicunt, regis etiam nomine literis ne sub capitis mulcta Panormum veniret, publicatis. Id vero vt prætextum haberet, suggesserant regi illum olim cum Francisco Vintimilio & Friderico Antiochia in coniurationis partem concessisse, vt rege mortuo ipse in regnum vocaretur. quocirca animaduersione opus esse, ne Panormum veniens, perempto fratre, ipse a Siculis rex salutaretur. Ioannes tam dura actione cognita, Fridericum Mantuam militem ad regem misit: per quem suam innocentiam, & Paliciorum fraudem explicaret. At cum neque hoc modo regis animus sedaretur, Dux optima militum Catanensium manu Panormum ad regem per vim sibi aditum parare constituit. Vt vero e Catana Platiam venit, Palicii, quos eius aduentus non latebat, alias ei literas regio nomine scripserunt, ne vlterius sub pœna capitis progrederetur, quod nuntios rex ipse ei quid facto opus esset, indicaturos misisset. Postmodum tantum regi persuasere, vt Panormitanũ Archiepiscopum, & Raymundum Peraltam Calatabelottæ Comitem, (quos ipsi priuatim instruxerant, vt omnino cum eo agerent ne in regis cõspectũ prodiret, si salutem sociorum cuperent) rex ad Ioannem miserit. Platiam nuntii tardius ingressi, cũ Duce eo vespere colloqui non potuere. Raymundus, cui Paliciorum fraudes plurimum displicebant, noctu rusticum mentitus ad Ducem accedit, Paliciorum cuncta aperit: Regis animum bonum esse enarrat, & vt Panormum festinet, consulit, si his technis se eripere desideret. nec pluribus moratus ad sua Raymundus rediit. Illucescente nuntii Ducem adeunt, regis nomine eum saluere iũbent, & demum quæ in mandatis habebãt, exponunt, & ne Panormum accedat, regia interdictione inhibent. At Dux Paliciorum has esse insidias, & regem germanum sibi charum semper habuisse, vt ne sua quidem erga eum fides vel suspecta vnquam esse potuerit, idque omnibus constantissimum, satis prudenter respondit: & propterea tutũ sibi ad eum accessum habere. quod si vita ab eo priuaretur, causam Deo se committere. Nuncii ad regem reuersi, Ducis responsum retulerunt. Quo audito rex, vt affectus postulabat, quasi gestiens nonnihil ridere visus est. Quod vt animaduertere Palicii, qui aderant, vix sese continebant quin regem ipsum conuiciis aggrederentur. Porro Ducem veluti contumacem morte plectendum apertis vocibus proclamarunt. At rex turbato animo vultuque ad eos: Si Ioannes (inquit) Dux ad nos veniet, nunquid hostis aduenier? caro etenim nostra, & frater est. Quibus dictis, & Paliciis relictis, animo irarum pleno & quasi minaci aulam ingreditur. Palicii vbi silentium sibi impositum, & immutatum regis animũ vident, iam periisse se detecta fraude rati, consiliũ de salute ineunt. Igitur Ioannes Dux Platia discedens Panormum venit. Cui Petrus rex ad Admirati pontem quingentos ab vrbe passus occurrit, maximoque fratrem honore excepit. Quo viso Panormitani oẽs maximam de pace inter germanos inita lætitiam concepere: & Palicios, quorum fraudes omnibus erant perspectissimæ, arguentes, morte etiam dignos censent, qui inter regem & fratrem simultates posuerint. Palicii, hinc Ducis & regis iram, inde vero plebis furorem veriti, statim ad Palatium quod Sclauorum adhuc dicitur, Palatio regio tum a septentrione annexum, confugiunt, ibique se muniunt. Interea Dux postquam a rege ipso Paliciorum iniurias exactissime didicit, incenditur. Sed & plebs, vt Regem & Ducem in Palicios concitatos vidit, interficiendos eos esse per vrbem discurrens, editis vocibus conclamat. Acceptis itaque signis regiis furore correptus populus Paliciorum domos aggreditur, effractisque portis irrumpit, diripit, & Matthæum Damianumque ac cæteros Palicios ad perdendũ per Palatii penetralia inquirunt. Verum Elisabetha Regina, quæ eos diligebat, cũ Petro rege & Duce egit ne interficerentur, sed Sicilia exularent. Atque ita Palicii triremem Genuensem, quæ forte in portu erat, ascendũt, atque mẽse Iunio anno

salutis

salutis.1340. Panormo soluentes Pisas nauigant. Mox Palatium ipsorum solo æquatum, bonaque militibus a rege distributa: oppida Scaloris, Assorum nimirum, & Gatta, tum ea quoque quæ Matthæo parebant, Ioanni Duci a rege sunt tradita: Cãcellariatus munus, quod Damiani erat, in Raymundum Peraltam translatum est: Protonotariatus officium, quod Scalorus Comes administrabat, Timæo Turtureto militi concessum est. His gestis Petrus rex Siciliam peragrare, ac oppida omnia lustrare voluit. Cumque ad Calaxibettam oppidum, quod contra Ennam est, peruenisset, morbo correptus. 1342. sexto idus August. cũ sexdecim regnasset annos, Ludouico, Ioanne, & Friderico filiis relictis, & Ioanne fratre Ludouici (quẽ successorem in regno declarauit) Baylo constituto, fato est functus. Cuius corpus postmodum Panormum translatum in æde maxima conditum est.

DE LVDOVICO SICILIÆ REGE.

CAPVT V.

PETRO defuncto Ludouicus filius annos natus quinque & menses septẽ, in regno succedit. Pro quo, cum tantæ moli per ætatem non esset idoneus, & Ioannes Dux Randatii patruus administrationi supereſſet, plerique proceres, qui Paliciorum adhuc partes sequebantur, Elisabethæ Reginæ persuaserũt vt Ludouicus, tametsi impubes, regia corona donaretur: quippe quod non esset tutum Principatum apud Ioãnem manere, quem ipse regio sanguine ortus, ambitionis stimulis agitatus, sibi aliquando posset præscribere. Horum itaque consilio Elisabetha Regina Ludouicum anno salutis. 1342. 8. Decembris. 11. Indit. Panormi in ecclesia maiori a Siculis regem salutatum, ab Ioanne Tolono Franciscano, genere Catalano, Andrauillæ Peloponnesiacæ ciuitatis Episcopo, diademate more regio perungi & coronari fecit, Panormitano Archiepiscopo, & cæteris Siciliæ Episcopis, ob Pontificis Romani execrationes, quibus vniuersa adhuc Sicilia tenebatur, id munus exercere recusantibus. Ludouicum diademate insignitum mater Margaritæ Teutonicæ suæ affini, & Martini de. S. Stephano militis vxori, educandum dedit. Interea vero cum Ludouici ætas Imperii molem non sufferret, Ioannes Dux & Petri testamento, & Procerum consensu, Vicario nomine regnum adhuc maxima prudentia moderabatur. At cum paulo post Syracusis esset, in ægritudinem incidit. Erat ei Iudex assessor Ioannes Magna iureconsultus, patria Messanensis, Paliciorum studiosus. Qui cum Catanæ vna cum aliis Ioannis ministris moram ageret, diuulgata Ducis valetudine, idoneam ad res nouas opportunitatem nactus, qua etiam Palicios in patriam reduceret, e vestigio noctu Catana discedens, Paternionem oppidum primum, mox Randatium, ac demum peruagando Messanam petit. vbi Ioannem Ducem, Messanensium hostem, obiisse voce edita proclamauit. Hoc rumore Messanæ dispersо, Falconus de Falconibus cum cæteris Paliciæ factionis in seditionem acti, ad domum Friderici Callari vrbis Strategi, Ducis obsequentissimi, irruunt, & portis effractis eum capiunt & occidunt. Cuius loco Strategum alterum Paliciæ gentis instituunt. Subinde ciuitatem omnem excurrentes, Ducis amicos comprehendunt, depræ-dantur & interficiunt, Paliciorum studiosos vrbi præficiunt. Quarto deinde die Ducis aduentum metuentes, arcem. S. Saluatoris inuadunt: eaque potiti, deiectis Ludouici regis insignibus, Roberti regis vexilla extollunt, arcem tormentis & militе muniunt: & Præfecto Ducis submoto, ex Paliciis alterum euehunt: nouos in vrbe, veteribus abdicatis, iudices instituunt. Ita tota ciuitas in nouo magistratu, ac nouis hisce motibus, totis diebus quindecim stetit. Interea rumor per Siciliã vagatus, ad Ioannem Ducem peruasit. qui vt primum Syracusis conualuit, magno itinere Catanam venit, exercitum comparat, atq; Messanam petit, & per portã quę a Diuo Antonio nomen habet, nemine obsistente vrbem cum copiis ingreditur: viaque regia (quam patria lingua magistram rugam appellant) incedens, Palatium adit.

adit. Falconus & cæteri seditiosi, præcognito Ducis aduentu subita fuga in arcem D. Saluatoris ad socios sese recipiunt: vbi iam complures Roberti regis milites ab eis e Neapoli accersiti præsidio erant. Ioannes vrbe potitus, ac nonnullis e Palicio-rum factione captis iugulatisque, subinde ad arcem. S. Saluatoris copias educit, mi-lites in quatuor acies diuidit. quarum vni Raymundum Vellarauthum militē præ-ficit, alteri Franciscū Valguarnerā, tertiæ suos domesticos: quartę vero pleriq; Mes-sanenses a mari præerant, quos Palicii infinitis prope iniuriis ante lacesserant. Pro-inde prima acies necessariis cum belli instrumentis ad muros se dirigit. Quæ licet strenue muros concuteret, a Francis tamen, qui in arce erant, lapidibus impetiti succubuissent, ni Valguarnera cum secunda acie succurrens vim propulsasset. Nec ita multo post Messanenses, qui a mari aciem habebant, intrepidi & ipsi arcem ad-oriuntur, ac magna vi muros quatiunt. At Franci, qui neque animo neque viribus erant inferiores, irritos eorum labores faciebant. Demum Ioannes Dux & cæteri proceres naues duas, quæ in portu erant, (quarum altera Genuensis, Catalana erat altera) armis & milite complent, atq; arci ex ea parte pro sambuca incumbunt. I-gitur lapides sagittasq; in Francos arcem egregie tutantes immittunt. Alii muros ferreis instrumentis subruunt, pleriq; ignes portis iniiciunt, magnamque hostium stragem edunt. Falconus, vbi rem suam inclinare, & se inferiorem cognoscit, noctu arce clam egressus, scapham, quam paratam habebat, inscendens, in Calabriā tra-iecto freto aufugit. Siculi perfractis portis, & muris disiectis, arcem ingrediuntur, victoriam conclamant, hostes quotquot occurrunt, interficiunt, cuncta diripiunt. Duos Falconis filios in arce captos per ciuitatem dissitos perimunt. Capta Saluato-ris arce, & superatis hostibus, Ioannes Dux nihil se vicisse ratus, nisi Ioannem Ma-gnam assessorem, seditionis authorem, in manibus haberet, præconis voce per ci-uitatem edixit, qui Ioannem Magnam exhiberet, centum florenis eum se dona-turum. Ioannes vbi præconio se proscriptum sensit, in arca quadam domus in quā fugerat, se abdidit. Vbi ab ancilla conscia proditus, & captus, per vicos ciuitatis ad equi caudā ludibriose flagris ad furcam pertractus est: cæteris coniuratis pro mo-do culpæ, vel morte, vel exilio, vel carcere mulctatis. Atq; inde Ioannes Dux Cor-radum de Aurea vrbis Strategum instituit: atq; optimo magistratu Messanam in-staurauit. Dum hæc in Sicilia geruntur, Robertus rex Neapoli moritur. Cui Io-anna ex Carolo tertio Roberti filio, qui patre viuente decesserat, eius neptis, An-dreæ Ludouici regis Vngariæ filio consobrino nupta, in regno successit. Qua pau-lo post (Andrea viro ob ignauiam in Auersa vrbe necato) alteri consobrino Taréti Principi nupta, Ludouicus Vngariæ rex filii mortem vlturus, contra Appuliam in-gressus, cuncta vastabat, atque oppida sibi occupabat. Quo Regina territa, ne hinc Siculo, inde Vngaro contra irruente, regnum amitteret, cum Clemente Romano Pont. egit, vt induciæ annorum trium inter ipsam & Siculos inirentur. Igitur San-dalus Imbriada genere nobilis, patria Neapolitanus, & Archiepiscopus Amalphi-tanus, nuntii a Romano Pont. ad Ioannem Ducem pro induciis firmandis mittun-tur. At Dux recusata belli intermissione, vt inquieta & plerunque perfida, certam perpetuamq; pacem petiit. ad quam vt Romanū Pont. flecteret, per eosdem nun-tios bona ecclesiastica, quæ hactenus occupauerat, suo iuri restituit. Quibus ita re-missis, officiosa legatorum relatione atq; opera, pax demum inter Ioannam & Lu-douicum regem, omnesque Siciliæ proceres, anno salutis. 1347. pridie nonas No-uembris his pactis inita est: Vt Siciliæ regnum perpetuo apud Ludouicum esset, qui pro annuo censu ad vnciarum tria milia Romano Pontifici in festo Apostolo-rum Petri & Pauli, Reginæ Ioannæ nomine pendenda teneretur: Vt idem, si regnū Neapolitanum ab hoste quandoque inuaderetur, classem triremium quindecim ad trimestre cum soluto milite auxiliares mitteret: Ioanna vero Regina ius si quod in Sicilia & insulis obiacentibus habebat, Ludouico in perpetuum cederet: Ro-manus quoque Pontifex Siculos & regem a diris & præteritorum annorum cen-sibus absolueret, pacemque probaret. Post hæc pestis vniuersum pene orbem, & in primis Italiam depasta, Messanam quoque primū, & postmodum Catanam grassando peruasit. Cuius metu Ioannes Dux ad Mascalas regium oppidum pro-

fugus,

profugus, in æde Diui Andreæ sacra, quam ipse erexerat, resedit: ibiq; morbo correptus, paulo post decessit, anno salutis. 1348. Aprili mense: & ad ecclesiam maiorẽ Catanæ eodem sarcophago quo Fridericus rex pater tumulatus est. Cuius mors Siculis omnibus plurimum displicuit: tum quod prudentissime regnum administrauerat, tum quod virtutibus omnibus polleret. Ioãne mortuo, & in eius locum Blasco Alagona regis Baylo subrogato, sedataq; peste, Ludouicus cum Elisabetha Regina Messanam profectus, Alagonæ suasu Fridericum Ioannis filium Athenarum Ducem, & Randatii Marchionem declarauit. Elisabetha vero, quę Paliciorum amorẽ toto adhuc animo spirabat, vt Messanam venit, Pisas nuntios misit, per quos Matthæum & Damianũ Palicios in Siciliam defuncto Duce reuocabat. Sed inter hæc Pisis Damiano extincto, solus Matthæus duabus cum triremibus mense Iunio Messanam properauit. Cui quidem Blascus, qui vrbem octingẽtis cum equitibus tutabatur, veteris seditionis non immemor, ingressum prohibuit. At cum Messanenses ob id tacite sibi infensos, & Reginæ animum ad Palicios inclinatum animaduertit, quo plebis tumultum sedaret, sumpto secum Ludouico rege & Regina, ac Rolando Aragonio (cuius meminimus) Messanæ gubernaculis relictis, Catanã petiturus Tauromenium venit. Vnde omnibus ciuitatibus sub capitis mulcta scripsit, ne vel Palicios, vel eorum triremes reciperent. At cum Catanæ adhuc pestis sæuiret, Thomæi Turtureti clarissimi medici consilio Elisabetha cum Ludouico rege adhuc impubere ad oppidum Montem Albanum anno salutis. 1348. mẽse Iulio Blasco adhuc Catanæ agente secesserunt. Palicii Reginæ recessu percepto, ad littus Pactarum, quod Monti Albano subest, cum triremibus nauigant. ad quos Regina, vt primum de aduentu eorum certior facta est, clam profecta, longos inter se ac clandestinos sermones habuere. Vnde tandem ipsa cum rege Messanam, Palicii vero Panormum cum triremibus petiere. Erant Panormi tum Henricus & Fridericus Claromontani germani fratres, Comitis Matthæi Palicii ex sorore nepotes, qui Panormum vrbem ac cætera circum oppida suo arbitrio gubernabant. Palicii Panormum ingressi, Blascum Alagonam, & Proceres Friderici Randatii Marchionis studiosos, quos cõmuni nomine Catalanos eo tempore vocabant, in eos sæuiisse enarrant, atq; vt remedium priusquam virus vlterius serperet, adhibeant, consulunt, hortantur, & vrgent, & ad id primum vt ciuitates in Blascum excitarent suadent. Horum igitur communi suggestione Panormus omnium prima seditionibus repletur, in Catalanos irruit, & quotquot obuios habet, occidit, vitãq; Claromontanis & Paliciis editis vocibus proclamat. Vulgatis Panormi motibus, vicinæ ciuitates Drepanum, Marsala, Mazara, Sacca, Agrigentum, & omnis Mazaræ regio, Panormi æmulatione in eundem furorem pertrahuntur. Catalanos omnes, & eos præsertim quos Duci Ioanni familiares cognouerant, interficiunt, bona diripiunt, ædes diruunt, & facultates Paliciorum omnes, ac oppida Ioanni Duci nuper a rege Petro donata, Claromontanis Paliciisque, quibus iã se subegerant, restituũt. Erant in oppido Terranoua pleriq; Paliciorũ studiosi. quibus ad defectionem oppidanos sollicitantibus, Terranoua statim & ipsa a rege descisci, Claromontanisq; se subiicit. Narrus præterea oppidũ (quod a Petri Lanceæ filia dotis nomine acceptum Artalis Alagona Blasci filius tenebat) identidẽ imitatur, regem abhorret, Claromontanis Paliciisque se subiicit. Blascus qui Catanæ erat his cognitis, cõmuni & improuiso malo perculsus, confestim magna militũ manu eo contendit, oppidum obsidet ac oppugnat. Sed cũ oppidanis arduus oppidi situs faueret, agris incensis ac populatis, soluta obsidione, & bobus ac ouib. inde abactis, ob ægritudinem, in quam incidit, Catanã reuersus est. Vbi restaurata valetudine, veritus quod futurum præuidebat, vrbẽ munit, custodes disponit, milites per loca distribuit, atq; arcem opere ac præsidio quam diligẽtissime firmat. Interea Claromontani & Palicii, qui totam prope Mazaræ regionem sibi occupauerãt, Panormi peditũ ac equitum exercitum comparant, Messanam versus recto itinere pergũt, oppida interiacentia inuadũt. Thermas ingressi, summo honore recipiuntur, nec minori a Caltabuturensibus. Politium petentes, a Vinciguerra viro principe, eorũ studioso, benigne excepti, oppidanos obsistẽtes, & regis fidẽ defendentes, multa

strage

ſtrage affecerunt, ac magna tandem vi captã arcem muniere. Giracium, quod Eliſabethę Reginæ ditionis erat, magno honore eos excepit. Cephalœdis deinde & Enna vltro ſe eis ſubdidere. Nicoſiam copiarum metus coegit: & Argyram quoq; oppidum paruo labore habuere. Sed nonnihil arx victoribus obſtitit. Erat etenim arcis Præfectus Ferraronus Bellus genere Catalanus: qui ſitu editiſſimo & in totũ oppidum prominenti fretus, hoſtes ſimul dedititioſque oppidanos adeo lapidibus vexabat, vt relictis domibus in inferiorem partem migrare cogerentur. Tandem commeatus & aquæ inopia victus, deditionem ea lege fecit, vt Catanam cum ſuis libere peteret. Proinde capta & munita arce, Gallanum & Troynam proficiſcuntur. Quibus potiti, Randatium etiam adepti ſunt. Quo vulgato, oppidula omnia quæ in agro Mylenſi ſunt, & Mylæ etiam ipſæ, ac Naſus, Pittineus, Miſtretta, (quę Blaſco Alagonæ ſuberat) Tauromenium quoque, Caſtrum Leonis, & Francauilla, ac tota ferme Sicilia præter Catanam, Acim, Paternionem, Menęum, & Platiam, quæ regis ditionem ſub Blaſci tamen Alagonæ auſpiciis conſtanter agnoſcebant, ad Claromontanos & Palicios defecere. Interea cum rumor vndique tantæ defectionis Meſſanam peruenisſet, Rolandus Aragonius cum Regina de rebus gerendis conſilium capit, periculum imminens exponit, quid facto in tanto rerum turbine opus ſit, inquirit. Regina, quæ Paliciis fauebat, contra viribus ſuperiores non eundum cenſet. Rolandus ex his verbis Reginæ animum habens exploratiſſimum, non diutius præſenti in periculo cunctandum ratus, e veſtigio Meſſana cum ſuis recedens, Catanam petiit. Sed & Meſſanenſes plurimi Paliciorum oſores, ſeceſſum ſibi vel in Calabriam vel Catanam quæſierunt. Catalani quoque, quorum Meſſanæ non parua erat multitudo, Catanam etiam ſe contulerunt. Quos omnes Blaſcus benigniſſime excepit. Interea Palicii & Claromontani cum exercitu Meſſanam appropinquant. Quibus Meſſanenſes ardentiſſimo ſtudio occurrentes, Matthæum Comitem, cuius præcipue erant ſtudioſiſſimi, veluti regẽ excipiunt. quẽ & ipſa regina vna cum Paliciis cæteris tãto gaudio recepit, vt cum externa indicia ad ſui ſtudii explicationem non ſufficerent, per affinitatem ſuæ voluntatis affectum teſtata ſit. Margaritam nanque Teutonicam regis & conſanguineam & nutricem, quæ Martino de Sancto Stephano olim nupſerat, ei aduenienti ſtatim vxorem dedit. Nuptiæ igitur publicæ celebratæ: Meſſana ciuitas tota in lætitiam effuſa eſt: Matthæus ad Comitatum reſtituitur: Margarita Comitiſſa appellata: & deniq; Ludouicus rex ſub Matthæi curam redactus eſt. Mira profecto rerum mutatio. Matthæus hoc ſucceſſu elatus, nec coaceruandarum opum negligendam occaſionem ratus, Meſſanenſes propere ad concionem vocat. Regis egeſtatem a Blaſco Alagona tot ſeculorum calamitatibus, per quas vectigalia regi ſolui non potuerunt, vindicandam proponit. Indulgendum quidem eſſe Siculis, & exactionibus aliquot annis abſtinendum: ſed vt præſentibus neceſſitatibus occurratur, a ditioribus ſibi ſubueniendũ eſſe. Approbant omnes vel inuiti Matthæi conſilium. Soluta a diuitibus maxima regi pecunia Matthæus fit ditiſſimus. Dum hæc Meſſanæ geruntur, Blaſcus Alagona Palicios contra ſe Catanam venturos veritus, Rolandum Aragonium vrbis Præfectum cõſtituit: atq; ad arcẽ, vbi Ioannis Ducis theſaurus abſconditus erat, profectus, maximã auri copiã accipit, ſine mora milites cogit, exercitũ cõparat, vrbem munit, excubias ponit. Interea his iã bellis indictis, oppidorũ inter ſe certamina excitãtur. Leontini Catanẽſes agros vaſtãt, Catanenſes Leontinos e diuerſo populãtur. Tauromenitani ad Maſcalas vſq; oppidũ (quod Blaſco ſuberat) excurrunt. Ita Sicilia armis tota concutitur. Blaſcus Catanã circumquaq; propugnaculis excitatis in oẽm euentum, & grauiorem præſertim quam res præſens præſagiebat, munierat. Igitur Tauromenitani & Caltabianenſes, qui impetiti ſemel ab excurſionibus quieuerant, rurſus Maſcalas aggrediuntur, expugnant, diripiunt, & iniecto igne funditus delent: deinde amœniſſimos Catanæ agros exurunt, villaſque eius paſſim ferro atque incendiis fœdant. Randatienſes quoq; alia parte prata omnia ac ſegetes, & oppidula Catanenſis nemoris deprædantur & incendunt. Matthæus Palicius, Henricus & Fridericus Claromontani, Meſſanæ quinq; triremes Genuenſes, quæ

quæ in portu aderant, propria impensa milite & armis completas, contra Catanã educunt, vrbemq; aliquandiu mari frustra obsident. Regina tametsi ad Palicios inclinaret, a bellis tamen hisce intestinis inter proceres abhorrens, ad pacem tractandum adducta est. Eo itaque nomine Blascum Alagonam ad se Tauromenium vocat. At ille insidias timens, mille cum militibus eo profectus, extra ciuitatem constitit: ibique tum pax vltro citroq; nuntiis missis & remissis, iam ad compositionem venerat: cum Frãciscus Valguarnera Catalanus, exercitus Blasci Marescallus, concitatioris ingenii vir, cui nihil præter bellum placere videbatur, Rogerium Notum Reginę nuntium facto impetu occidit. Quod illa iniquo ferens animo, atq; eo molestiori quod mandato Blasci factum suspicaretur, in Blascum, quem fœdifragũ vocabat, debacchata, Messanam pergit, triremes duas instructas Catanam mittit, atq; vrbem obsidet. Blascus re cognita, nullo Tauromenitanis agris, quod Regii iuris erant, illato damno, statim Catanam reuertitur, eamq; primum, mox cætera sibi subiecta oppida præsidiis munit. Erant eo tempore in Messanæ portu triremes Genuenses duæ: quas Blascus mercede conductas cum frumento & omni commeatu Catanam misit. Porro Regina grauissimum bellum Catanæ minata, Siculos ad Leontinum conuocat, Henricũ & Fridericum Claromontanos ad exercitum comparandum ad regionem Mazaræ citato cursu dirigit. Palicii Messanæ classem instruũt, & Leontinũ milites transmittunt, ac subinde & ipsi exercitum contra Catanam mouent, castra in conspectu vrbis, vbi stagnum est maritimum, (quod mea ætate Yhalicium Sarracenice dicitur) metantur. Atq; inde variæ Reginales copiæ agros circumquaque hostiles adortæ populantur, arment a frugesque absumunt, segetes incendunt: vrbem autem, quod mœnibus, militibus, commeatu, & rebus omnibus ad bellum opportunis esset munitissima, oppugnare non audent. Quo Regina cognito Messanæ sex alias triremes parat, eas cum Lodouico Rege inscendit, coramque ipsa vrbi vanam aliquandiu e mari obsidionem intendit. Qua frustrata in terram descendit, atque deinde cum vniuerso exercitu, cui Matthæus Palicius præerat, eam aggreditur. Sed Blascus minime territus, quippe qui selectos habebat milites, non expectato hostium aduentu, Franciscum Valguarneram cum copiis obliqua via contra eos emittit. Ad verticem igitur, qui vernacule hucusque Segium, Latine vero Obsidio dicitur, Franciscus hostes adoritur. Sed illi fortiter obsistunt, nouisque cõtinuo auxiliis a Matthæo Palicio qui in castris remanserat augentur. Cum totis itaque vtrinque viribus certaretur, nec mediocris vtrobiq; cędes facta esset, effectum tandem est vt Catanenses multitudine equorũ oppressi, capto & occiso Guilelmo Peralta Raymundi filio Calatabellottæ Comite, & in æde Diui Dominici tumulato, superati fuerint. Franciscus, inclinatam aciem suam videns, desertisque militibus, fuga ad vrbem salutem sibi quærens, a plebe, quæ cum armis in idipsum exierat, veluti rei militaris ignarus, ab ingressu prohibitus est. Nicolaus Lauria, & Fridericus Mantuanus milites, qui a prælio redierant, per posticum in vrbem penetrarunt. At Blascus ipse, veritus ne hostes victoriæ insolentiam in vrbis exitium prosequerentur, arce egressus, quid hostes molirentur speculaturus, vbi littus arenosum percurrisset, ad palmam domesticam, quæ ibidem erat, aliquantisper constitit. Nec multo post Palicii victores vrbi appropinquant: quorum impetus Catanenses strenuo occursu acerrime reprimunt. Soldanus Cataldus patria Menæninus Reginalis miles, captæ vrbis falsa persuasione motus, solicitato equo ad mœnia perrexit: ibique in hostium manus dilapsus, cum cognosceretur, captus, cæsus, in æde Diui Leonardi non longe ab vrbis portu humatus est. Blascus inde resumptis animis cum suis prælio se immiscuit, & in hostes assumpta ferocia leonis instar irruit. Maxima porro in ea pugna orta est confusio. Nam simul atque hostes vim sentientes contra ire vehementius cœpere, ex motu tot peditum equitumque ingens in altum puluis euectus, & conglobatio densa inter decertantes facta, impediebant ne aut se inuicem, aut sua signa cognoscerent. Hinc Blascus promiscue & hostes & suos interficiebat. At Paliciorum quam plurimi, qui in ciuitatem veluti victores perrexerant, vbi temeritate sua delusi ad castra reuer-

tuntur, a Catanensibus, qui in vrbem remeabant, intercepti occubuere. Atque ita finito certamine, quod circa decimum tertium Calend. Iunii eo anno contigisse perhibetur, (in quo & Bonifacius Alfonsi Melitæ Comitis filius, Blasci familiaris, in potestatem hostium iure belli concessit) victoria tamen postremo apud Catanenses manente, Blascus cum suis ad vrbem reuertitur. Rumor inter præliandum exortus de Matthæo Palicio interfecto falso proditus, ad vanam tantum Catanenses extulerat lætitiam, vt ignibus noctu per totam vrbem accensis, tridendum hosti spectaculum præberent. Qui & ipsi ne superati viderentur, triumphalibus flammis noctem celebrantes, ciuitati ludibrium opposuere. At cum in dies quinquaginta duos obsidio protracta nullam victoriæ spem aliunde supeditaret, iniecto tandem castris igne, soluta obsidione fœde inde Leontinum retro abiere. Liberata vrbe, & duabus triremibus Genuensibus mercenariis Genuam discedentibus, Catalanæ octo ex Catalonia Catanam applicuerunt. Has igitur Blascus æqua mercede conductas, & militibus instructas, contra Messanam mittit. Messanenses nihilo impigriores classis aduentu redditi, cum sex triremes paratas instructasque iam ante haberent, callide duas ex eis contra duntaxat expediunt. Quibus visis Catalani sine vlla aliarum suspicione Messanensibus cum tribus tantum triremibus sese opponunt. At pugna conserta cum iam proximi victoriæ viderentur, mox superuenientibus reliquis Messanensium triremibus quatuor, quibus optimum quenque militem & ad nauale bellum exercitatissimum imposuerant: Catalani inferiores numero facti, & ipsi reliquas suas quinque, quæ non longe erant, ad certamē conuocant. Quibus accedentibus cruentū vtrinq; factum est bellū. Veruntamen cum Messanensium classi speculatoriæ plurimæ militibus instructæ e portu missæ adderentur, quæ balistis aliisque bellicis instrumentis Catalanos maxime lædebant, maximamq; cædem ex eis faciebāt, inclinata re, in Calabriam primum salutem, postmodum in Cataloniam sibi redemere. Sub idē tempus Nicolaus Lauria, Guilelmus Montecatinus, & Gotfredus de Fimecca Catanēses milites, cū Rhegium ad Nicolai ipsius cum Abbatis Nicolai filia nuptias nauigio traiecissent, in reditu a Constantino & pluribus aliis Paliciorum studiosis duabus cum triremibus inuasi, omnes intercepti sunt, præter Nicolaum, qui in mare se submersit. cuius deinde corpus e fluctibus extractum, & per Messanę vrbis vias ex equi cauda ad ludibrium circumquaque protractum, ad extremum concrematum est: Guilelmus vero Montecatinus, & Gotfredus, Matthæi Palicii iussu veneno in carcere sunt interfecti. Post hæc mense Aprili Catalanorum ingens manus, quib. Ioannes Aragonius Sancii Friderici Siciliæ Regis germani fratris filius præerat, Troynam oppidum, quod iam Paliciis (vt diximus) se subdiderat, noctu per insidias atque ex improuiso, oppidanis nil tale expectantibus ingressi, capiunt & incendunt. Sed cum capto oppido sine præsidiis segnius excubias facerent, ab oppidanis portis clausis repente occupati sunt. Aragonius ipse vna cum Gallani Domino, ac quinquaginta ferme alii equites genere clari, extra oppidum salutem quæsituri, cum portas reperissent clausas, per vicos cursitantes, lapidibus e fenestris a mulieribus obruti atque perempti sunt, Troynensibus trucidatorum hostium spoliis ditatis. Parta hac victoria, & Matthæo Palicio (qui per id tempus Leontini agebat) per oppidanos nuntiata, Rogerius Teutonicus, & qui partes Paliciorum sequebantur, animo elati, Adranum (quod Catalanorum ditionis erat) magna vi adoriuntur, ac cæso in ea oppugnatione Nicolao Aquino arcis Prefecto, oppidum simul & arcem capiunt. Capto Adrano Fracisicus Castellus cum plerisq; aliis Catanensibus Leōtinum petit, patriamq; Matthæo Palicio prodere pollicetur: suggeritque, vt Manfredum Claromontanum, & Rogerium Teutonicum centum cum equitibus Adranum secum mittat: quib. se Catanam viris desertam tradere confideret. Igitur Manfredus Claromontanus & Rogerius Teutonicus a Matthæo centum cum equitibus, & Lodouici Regis literis missi Adranum veniunt. Mox Paternionem petentes, agros vsque ad oliueta nemine obsistente excurrunt, & ingenti omnium rerum capta præda Adranū reuertuntur. Blascus his cognitis fortissimos ex Catanensibus milites trecentos deli-

tos deligit, eosque non longe a Paternione in insidiis ponit: mox villicos plures Adranum versus palantes præmittit. Manfredus, Rogerius, & Palicii per exploratores de villicorum aduentu certiores facti, paucos atque incautos adoriuntur. At illi vsque ad locum insidiarum Paliciis insequentibus fugam simularunt: vbi repẽte Catanenses e latebris erũpentes in hostes irruũt. Palicii ex improuiso impetiti, fugam capessunt. quos Catanenses ad scalam vsq; Adrani insecuti, grauissimo impetu exceptos, maxima demum strage afficiunt. in quo quinquaginta prope Palicii milites præter ingentem peditum multitudinem confossi mortem oppetiere. Franciscus Castellus cum viuus in Catanensium manus venisset, in conferta hostium multitudine merito interfectus est. cuius cadauer Conrado Spatafo-ræ Nicolai Lauriæ leuiro traditum, per Catanæ vrbis vias ad equi caudã maxima cum ignominia primum pertractum, deinde pyra accensa frustatim inciſum, extra portam Acis, vbi D. Pancratii est ædes, combustum est. Quo facto Blascus etsi militum Catanensium fortitudinem atq; robur mirum in modum laudauerit, sæuitiam tamen combusti corporis perhorruit. Dum hæc apud Catanam geruntur, Rolandus Aragonius & Ioannes Landolina cum cæteris militibus de Landolina, qui a Paliciis cum Neetum oppidum expugnarent, inde fuerant expulsi, collecto ex vicinis oppidis milite, dum Præfecti, quem Palicii capto oppido constituerant, tum forte demortui Senatus & oppidani in æde D. Francisci inferias agerent, Neetum pergunt: & effractis magna vi oppidi portis, nemine prohibente ingrediuntur: perque vicos excurrentes, Aragonam & Landolinam conclamando, oppidum sibi occupant. Neetini vbi captum oppidum animaduertunt, supplices & ipsi vel inuiti ad easdem acclamationes concurrunt. Atque ita recepto munitoq; oppido, Ioannes Landolina præfectus constituitur. Dum in eo turbine res Siculorum essent, Matthæus Palicius laborum pertæsus, pacem cum Blasco, suadentibus etiam amicis, inire decernit. Itaq; Philippum Cypiró Messanensem Regiæ tũ curiæ Iudicem cum pacis legibus ad Blascum Catanam misit. Interea Platienses exules cum plerisq; ciuibus Paliciorum studiosis cõiurati ex improuiso Platiam oppidum capiunt. Qua causa Adamonus Capitinus oppidi Præfectus, vt & tempori & discrimini cederet, compositis sarcinulis, vna cum vxore & liberis fuga elapsus, ad Calatanixettã oppidum salutem sibi quæsiuit. Seditiosi vero nouos veteribus abrogatis magistratus creant, oppidum Paliciorum imperio cessum omni parte muniunt. Quod vbi Blasco nuntiatũ est, etsi minus grauate tulisset, nec deessent qui proditionis Matthæum Palicium ob id insimularent, & Philippum cæterosque eius nuntios carceri addicendos censerent: ipse prudenter, factum dissimulans, Legatos cum pacis legibus iuramento suo firmatis ad Matthęum Paliciũ liberos, nec non muneribus donatos, & cum eis Guilelmum Cardonam suo nomine ad Regem misit. Is igitur pace vtrinque iam firmata literas a Ludouico Rege fœderis confirmatorias reuersus Blasco detulit, ac Messanæ Regis statuto pax per totam vrbẽ publicatur: statimq; Blasco veluti Friderici Ducis Ioannis filii tutori oppida, Randatium, Francauilla, Bizinis & Troyna: proprio vero nomine Mistretta, Nasus, Caput Orlandi, quæ Matthæus sibi occupauerat, sunt restituta. Caroniam vero, non nisi Monte Albano & Butterio, quæ sui iuris erant, redemptam, adeptus est. Constitutus est præterea Blascus Regni Magister Iustitiarius, quousque Ludouicus Rex pubertatis annos foret ingressus: concessumque vt Matthæus Palicius, Manfredus, & Fridericus, cæteriq; proceres Claromontani, in oppidis sibi subiectis ius dicerent, sed limitatum. Ita Sicilia a motibus, qui eo tempore eam discinderant, quieuit: ac sopitis factionibus Siculi omnes ad sua quisque studia mira animorum alacritate se contulere. Cæterum non multo post nouus eam furor excepit. Nam cum Artalis Alagona Blasci filius, vt Ioannem de Viles Francisci Valguarneræ socium Alicatam, quæ regii tunc erat iuris, vnde exulabat, reduceret, coacto militum numero hostili impetu contra fœdus ingressus, militibus oppidum diripiendum exposuit. In cuius direptione frumenti salmas supra ter mille repertas, quæ Friderici Claromontani erant, Catanam, quæ annonę caritate premebatur, deferendas penes se retinuit. Quo cognito Fride-

ricus & cæteri Claromontani facinus in Artalem & Blascum coniecerunt, viamq; iam inde ad vindicandam iniuriam perquirebant. Dum igitur Artalis frumentum Catanam asportare studet, veritus ne a Claromontanis in itinere sibi auferretur, fidem a Manfredo Claromontano, qui eo tempore Leontino & Syracusis præerat, per literas impetrat, vt vel mari vel terra per subiectas ei regiones Catanam frumenta tuto possit deuehere. Qua fide, nauigia frumento onusta Alicata soluunt, cursuque prospero Syracusas applicant. At vbi portum veluti amicum ingressa stationes obseruant, Syracusani statim in rates fœderis violatorum impetu faciunt, nautas capiunt, frumenta diripiunt, atque ipsa denique nauigia prædæ exponunt. Qua re Blascus turbatus, literas e vestigio nuntiosque ad Manfredum, qui Leontini tum agebat, mittit, cum eo queritur, & de fœdere violato expostulat. Manfredus paucis & modeste respondit: post fidem datam sub capitis mulcta a Rege sibi iniunctum fuisse, vt si ea frumenta Syracusas fuissent apportata, pro Friderico Claromontano, cuius erant, retineret. Proinde Blascum potius fœderis violati arguendum, qui in eo facinore authoritatem in inuadenda pacis tempore allicata consensumque præstiterit. His atque aliis id genus vltro citroque iniuriis occulto modo discordiæ radices resurgere iam cœpere. Subinde Scalorus Vbertinus Comes, Assori Dominus, Spirlingam, quam sub imperio quoq; tenebat, festum Domini diem natalem cum vxore celebraturus, selectis Assorinis militibus instructus petiit. Verum cum ab eo Assorini Spirlingam profecti reditum ad patriam minime impetrassent, clam ab eo recesserunt: quos ille cum indignatione insecutus, pluribus affecit contumeliis. At illi dissimulato ad tempus odio, vbi Assorum sunt reuersi, ab eo omnes descisere statuunt. Quo præcognito Comes, quo sceleratum facinus consilio præuerteret, Assorum venit: benignumque se ac humanum plebi simulans, arcẽ ingreditur, eamq; opere & militibus firmat. Sub idem tempus Ennenses plerique viri in oppido primarii cognomento Bibitelli, Iouenci Læti, qui tum Ennæ præerat, Scalori studiosi, mores insolentiamque perosi, vt præfectura ipsius liberarentur, Ennam Artali Alagonæ tradere proponunt. Itur Artalem Alagonam ad se accersunt, imperiumque Ennæ offerunt. Ille confestim sexaginta equitibus secum assumptis, eo approperat. Vbi a Bibitellis cæterisque coniuratis patefactis portis, oppidum ingreditur, atque occupat, Bibitellis Alagonam vna voce acclamantibus. Iouencus visa seditione metu perculsus, cum suis in arcem continuo se recipit. Alagonenses vero oppido potiti, omnia superbia, luxuria, & auaritia sibi subiiciunt. Quod videntes Ennenses, in hospites exacerbati, cum numero superiores essent, resumptis animis armisque in seditiosos irruunt, pluresque trucidant. Artalis vt plebis furorem euaderet, populo se dedit, quo decem cum sociis duntaxat seruato, cæteros omnes ferro peremerunt. Dũ hæc apud Ennam geruntur, Assorini vicinorum æmulatione, eadem vi in Scalorum mouentur, arcem obsident, oppugnant, ac demum capiunt. Scalorus Comes vt plebis iram mulceret, Albertum Mantuanum populo acceptissimum, arcis & oppidi præfectum sua authoritate instituit. Sed cum neque eo pacto plebs conquiesceret, sed insolentior in dies fieret, & ad mortem eum magnis vocibus appellarent, Scalorus ne in eorum manus veniret, per posticum clam arce egressus, in priuatam domum quandam se abdidit, dum ad Blascum Catanam euadere posset. Sed proditus tandem, feroci Assorinorũ impetu captus, occisus, dilaniatus atque in partes diuersas dissectus est. Post hæc dum inter Catanam & Tauromenium orta iam pridem discordia nondum desciuisset, sed Catanenses Tauromenitanos agros continue popularentur & incenderent, Tauromenitani a Blasco Alagona, Regis & Matthæi Palicii, qui Messanæ tunc erant, consensu, sex mensium inducias impetrarunt. Quo exemplo pleriq; Proceres, simul & religionis Franciscanæ professores, hortati, pacem inter Blascum & Matthæum tractare cœperunt. Sed cum Matthæus in conditionibus peteret, ne quis ex Messanensibus sibi inuisus Messanæ habitaret, tum ne quis oppidorum Dominus prouentus ex illis sibi debitos, aliás quam per procuratorem exigere posset, quousque Rex ex ephebis exisset, infecta pax remansit. Quo tempore etiam cum Leon-

tini

tini per nuntios inducias a Blasco petiissent, repulsam passi abiere. Subinde Sancii Aragonii nepotes, qui oppida quædam in regione Demini gubernabant, Blasci auxiliis destituti, pressiq; egestate, per literas desciti onis narrata causa, Messanæ ad Regem & Matthæum Palicium defecerunt: eoque nomine oppidum S. Marci, quod sub eorum potestate regebatur, Matthæi dominio cessit. Panormus eo tempore cum a Manfredo Claromontano Motycæ Comite regeretur, & Paliciorum esset studiosa, a Matthæo Sclafano Adrani Comite, & Ciminnæ domino, qui Catalanorum partes sequebatur, ob Ciminnæ vicinitatem, vbi morabatur, agrorum populationibus per leuis armaturæ equites vexabatur. Qua causa irritatus Manfredus, qui tunc temporis non tam vicario quam proprio nomine Panormo præesse videbatur, bellum contra Matthæum Sclafanum mouere statuit, vt illi ad sua defendenda occupato, aliena infestandi facultatem adimeret. Erat Manfredo forte Laurentius Murra familiaris, cuius fideli opera & eius pater, & ipse sæpenumero Manfredus vsus fuerat. Huic ex composito simulatam obiicit culpam: cuius indignatione totus in eum exardere fingens, velut iure damnatum ad Drepanitas relegat. Displicuit ea res Manfredi studiosis artem ignorantibus, vel ex eo quod Laurentium probatæ semper erga Claromontanos fuisse fidei constantissimum erat: tantumque effecere, vt post aliquot dies Manfredus, ægre tamen se exorari cõfingens, ab exilio eum Panormum reuocaret. Panormum reuersus, cum simulandi ac dissimulandi artem optime calleret, contra Manfredum Comitem frequenter obloquendo, ingratitudinisq; ipsum insimulando, cum recens ei exilium ad leuandam apud Catalanos doli suspicionem satis esset, quos Claromontani nominis osores cognoscebat, eos facile omnes ad se alliciebat. Ac primum quidem in Roberti Bondii, qui dum Blasci Catalanorumq; partibus faueret, Panormo & ipse a Manfredo exulauerat, consuetudinem admittitur: coramq; eo sæpe in Manfredum inuectus, Panormum hoc intestino bello prope desolatam, Manfredum ad summas opes ea causa, ciuesq; ad extremam inopiam redactos querebatur. atque ea ratione satius sibi videri cum omnibus, & præsertim Catalanis, pacem habere: proinde extinguendam esse scintillam, antequam in ignem maioremq; deinde flammam exardescens, reliqua incenderet. Idque vt fieret, quam citissime omnem suam operam, fidem, ac fortunas, dum Panormum ea calamitate eriperet, liberaliter pollicebatur. His Robertus auditis, tametsi primum eius verbis non nimium tribueret, vt vero eum frequenter eadem tamen, & maiora etiam animo irato repetere videt, ratus exilii indignatione commotum in Manfredum flagrare, fidem illi adhibet. Quocirca cum sociis, quorum ingẽs erat numerus, communicato approbatoq; coniurationis consilio, cum Laurentio conspirat, ac de patrãdæ rei quam maxime idoneo tempore consultat conuenitque. Anni itaque 1351. decimo tertio Decembris die, coniurati, Laurentius quidem fraudulenter, Robertus & socii ex animo, vexillo Regis subleuato, aliquandiu in foro noctu consistunt: mox illucescente, per vrbem vitam Regi plebiq; editis vocibus precantes, palam excurrunt, rectaque ad Palatium, vbi Manfredus morabatur, contendunt. Plebs nouitatis auida, ad vocum æmulationem, societatemq; facinoris sine negotio excitatur, atque ad Palatium ruit. Sed vbi ingredi non licuit, (nam Manfredus plebis furorem timens, integra re familiari sese in arcem receperat) ad priuatas vtilitates conuertuntur, palantesq; per vicos, alii alias domos aggrediuntur, fortunas Genuensiũ mercatorum diripiunt, Claromontanorum atq; Paliciorũ bona prædantur: deniq; nulla re alia quam prædæ studio occupantur. Panormitani proceres magnitudine ac nouitate facti commoti, hi quidem ad quorum domos raptores peruaserant, timore perculsi, extra vrbem fugerunt, coniuratis per vrbem sæuientibus & grassantibus: reliqui vero quotquot capi potuere, ad magnam Comitis Matthæi Sclafani domum (quam nuper a fronte Palatii Regii, & maximi templi a fundamentis sumptuoso ac superbo opere excitauerat, vbi & Laurentius diuertebat) vincti pertrahuntur, & carceri mancipantur. Mox Laurentius a coniuratis vrbis Præfectus (quem Capitanium vocant) subrogatur. Ita Panormo vrbe occupata, Laurentius & Robertus Bandus coniurationis authores, & qui manife-

ſte vrbem tenebant,annonæ caritate vrbem vel maxime premi videntes,ad concionem populum vocant,annonæ inopiam exponunt,diſcrimen maximum,ni de re frumentaria vrbi hoſtibus circunſeptæ prouideatur, declarant. Porro vnicum refugium ſupereſſe,vt a Blaſco Alagona,qui ditiſſimus erat, & Catanæ vrbi frumenti locupletiſſimę dominabatur,annona peteretur,nec non potentiæ eius vrbs vniuerſa ab hoſtibus tuenda committeretur.Populus conſilium approbat,miſſisque cum literis ad Blaſcum nuntiis benigne ab illo annona promittitur.Quin Blaſcus ipſe magna ob legationem lætitia affectus , huic iam inde totis animis inhiabat,vt Panormo potiretur.Robertus etiam Bandus, qui opum opinione in diuerſis Europæ partibus negotiabatur , in Sardiniam nauem frumentatum deſtinat.Sed & Laurentius ſimulatis excubiis vrbem munit,ac ea quæ ad obſidionem forent opportuna,callide præparat:eoque facto ad Matthæum Sclafanum Comitem,& Franciſcum Vintimilium Franciſci quondam Giracii Comitis filium,eosque milites qui in oppido Acriſtiæ ſe tutabantur , ac cæteros Catalanos,nuntios ſimul & literas tranſmittit: per quos libertatem Panormitanæ vrbi reſtitutam, Manfredum Claromontanum palatio concluſum ,ac cætera omnia quæ facta fuerant (præter fraudem)exponebat,eos ſubinde hortatus,vt vrbem regiam contra hoſtes Palicios & Claromontanos,ac coram a tanto rerum diſcrimine ſeruare feſtinent.Franciſcus Vintimilius,& germani eius fratres,Legationi ſine vlla fraudis ſuſpicione fidem adhibent,nimioque gaudio effuſi e veſtigio Panormum proficiſcuntur.vbi a Laurentio cæterisque coniuratis magnifice excepti, rerum exitum expectauere.At Matthæus Sclafanus conſultius res ſuas agit. Panormum enim accedere periculoſiſſimum ratus,Ciminnæ ſe continet. Milites quoque qui in Acriſtia oppido erant,veriti ne per inſidias interciperentur, Panormum ire & ipſi recuſant.Porro Simon Claromontanus Comes ,Manfredi Comitis filius, qui Raguſæ agebat,totius commenti non ignarus , & Manfredus alter Claromontanus,qui Præfecturam apud Leontinos(vt meminimus) gerebat, collecto militum numero Agrigentum veniunt: auctaque ibi copiarum multitudine, Caccabum iter cum ſignis intendunt,Matthæi Sclafani aduentum ad eius perniciem præſtolaturi. Quo non aduenìente , Panormum verſus pergunt, & non longe ab vrbe hoſtilem obſidionem ſimulantes, caſtra locant , opportunitatemque patrandi contra Sclafanum facinoris,ſi veniſſet , expectant.Sed vbi per literas illum non venturum didicerunt,veriti ne coniuratione detecta ab hoſtibus ipſi per inſidias interficerentur,clam etiam a Laurentio vocati noctu intra Panormum ſe recipiunt, arcemque maritimam per poſticum ingrediuntur. Laurentius quam primum cognito eorum aduentu,per tenebras ruſticum etiam mentitus , ad Manfredum Comitem,qui in Palatio Regio latebat,accedit, Simonis filii aduentum defert. Manfredus vbi ſuos aduenìſſe didicit,non amplius cunctandum cum Laurentio decernit, ſed ad proximam lucem facinori diem conſtituit. Igitur illuceſcente,dum Panormitani nihil tale metuentes quieta omnia arbitrarentur, ex arce maritima Simon & cætera Claromontanorum cohors repente erumpunt, totam vrbem excurrunt,atque editis vocibus vitam Regi & populo precantes , ad Matthæi Sclafani Comitis ædes , vbi Laurentius Murra vrbis Præfectus hoſpitabatur,accedunt. Laurentius vbi Claromontanos aduenìſſe cognouit, cum eis cõglobatur,eductiſque etiam his Claromontanis & Paliciis , quos fraudulenter ibi carceri addixerat,aciem auget. Igitur maxima militum manus,quos Simon ducta-bat,ad Franciſci Vintimilii ædes proſiliunt. Ille primum quidem inopinato inſultu perculſus,quod viribus diffideret,cum ſuis omnibus fugam arripuit:ſed Claromontanis audacter inſequentibus, Vintimilii pedes firmant. qui etſi numero inferiores eſſent, animo tamen in propulſando aliquandiu periculo non impares, Claromontanos fortiter arcebant. Ad extremum cedunt,& inter eos Franciſcus ſtrenue pugnans occubuit:ſed & cæteri Catalani,qui cum Vintimiliis erant, fugæ ſe tradidere. Quos Claromontani inſecuti opprimunt,cædunt,pleroſque etiam fugæ intentos in præcipitia cogunt. Milites Panormitani, qui in prima vrbis defectione ad ſuccurrendum venerant,atrocitate facinoris perterriti, animo concidunt,

tidunt, fugaque etiam salutem sibi quærunt. Sed cum ad vrbis portam progressi, vectibus ferreis clausam eam inuenientes effringere contenderent, superuenientibus hostibus in eodem loco opprimuntur. Claromontani parta hac victoria vrbem totam excursantes, magnis ac elatis vocibus: Moriantur Catalani pacis violatores, conclamabant: & quotquot eis occurrebant, sæue interficiebant. Mox in Roberti Bandi, qui principio motuum timore actus in penetralibus domus latebat, ædes irruunt. quem tandem repertum captumque, & ludibriis ferme innumeris affectum, cum cohors occidere vellet, Simon & Laurentius prohibuere, vicinumque iam morti cum plerisque aliis in carcerem trudunt, domum eius proscribunt, fortunas diripiunt. Inde ad Ioannem Cusmerium militem Blasci Alagonæ studiosissimum conuersi, eum capiunt, tormentisque ab eo socios exquirunt: quos omnes ille postquam vel inuitus indicasset, inter cruciatus interiit. Quo mortuo in socios, quorum magnus erat numerus, feruntur, occidunt, domosque eorum vi ac rapinis incendiisque inuadunt. Atque ita violatæ ad Alicatam pacis iniuriam Claromontani ferociter vlti sunt. Habuit hæc Panormum seditio anno salutis 1352. 7. Calend. Februarii. Interea nauis, quam Robertus ad frumentandum miserat, e Sardinia bis mille frumenti salmis onusta eodem applicuit. Porro nautæ rerum ignari, cum Robertum, cui commeatus ferebatur, frustra quærerent, & iam soluere pararent, a seditiosis Bandus e carcere eductus ad littus nautis ostenditur, receptoq; in vrbem frumento, duobus florenorum milibus redemptus dimittitur. Fama tam sæuę perturbationis per Siciliam vulgata, tota insula in seditiones & ipsa abiit, ac fame quoque laborare cœpit. Post hæc Ludouicus Rex, cũ iam decimum quintum ætatis annum complesset, nuntio Guilelmo Miliuia Taromenitano simul & literis Iuratos Catanenses Messanam ad regni comitia euocauit. Guilelmus Catanã appulsus statim capitur, & carceri mancipatur, quod lege ibi cautum erat ne cui aut magistratui iniussu Blasci literas recipere, aut tabellario deferre liceret. Porro allatis Blasco literis responsum est, non esse Iuratis ad Regem ob assistentes eius lateri Palicios tutum accessum. Quod si vel eis submissis suspicionem tolleret, vel Catanam ipse veniret, præsto & Senatum & ciues omnes ad mandatum affuturos. Per ea tempora cum famis necessitate inter Catanenses & Leontinos decem & nouem mensium induciæ anno salutis 1352. die quinto Maii essent factę, quibus & Bizinenses, & Menænini, qui Blasco parebant, se addixerant: vix totum mensem vnum fœdus stetit. Nam cum plerique Bizinenses oppidum Manfredo Claromontano Leontini præfecto tradere promisissent, ne Manfredus perfidiæ insimularetur, si perseuerantibus induciis Bizinum occupasset, prætextum ad iniuriam inuenit, quod se absente Leontini inducias inire nõ poterant. Solutis itaq; induciis magna militum manu Bizinum adortus, proditorũ auxilio oppidũ occupauit. Verum authore postea Ludouico Rege, inter Claromontanos & Palicios ex vna, & Blascum & Catalanos ex altera publicæ induciæ per totũ mensem Aug. factæ sunt. Interea triremis Catalanorũ vna, e Peloponneso Catanam applicuit. Quæ Messanensium triremem forte præternauigantem adoritur, Messanensibusq; occisis capit. Subinde Messanã nauigans, naues quoddã frumento onustũ in freto inuadit, & Catanam deducit. At Catanẽses, ne violati fœderis arguerentur, Catalanis littore interdicunt, & nauigium vna cum præda coemptum Messanam ad dominum mittunt. Catalana vero triremis tribus aliis nauigiis secum assumptis, Augustam nauigat, nauiculas quasdam mulieribus & viris onustas in portu capit, hominesque omnes interficit. Augustani apud Manfredum Claromontanũ Syracusis tunc agentẽ de hac iniuria conquerũtur. Qui eu estigio triremem vnã, quam in portu paratam militibusq; instructã habebat, contra emittit. Syracusani vix e portu soluerant, cum in Catalanorum naues incidunt, triremem adoriuntur, irruunt, ac expugnant: & magna hostium cæde facta, prædaq; quinq; florenorũ milium capta, victores suorum iniurias vlti Syracusas redeunt. Tres vero Catalanorum naues, dum triremes dimicarent, fuga salutẽ sibi quęrentes, meridionaleq; Siciliæ littus populando excurrentes, in duas triremes Genuẽses incidunt, capiuntur, amissisq; nautis simul & spoliis, fluctibus

obruuntur. Eodem ferme tempore, cum Veneti cum Catalanis triremibus auxiliaribus contra Peram Genuensium tum oppidum soluissent, & prælio conserto victoria penes Genuenses stetisset, Genuensis classis pluribus Catalanorum locis depopulatis, Messanam quoque ac reliquam Siciliam populati sunt. Deinde Pantallariam insulam (a Sarracenis tunc habitatam, sed Friderico Athenarum Duci Ioannis Patris testamento subiectam, a Friderico Rege Aleonoræ vxori, & ab ea postea decedente Ioanni traditam) transuecti, oppidum atque arcem expugnant, Barbaros occidunt, prædantur. Post hæc, Ludouico Rege authore, inter Blascũ, & Claromontanos & Palicios, pax est inita: quam quo diuturnior esset, affinitatibus etiam firmari placuit. Nã Fridericus Claromontanus Manfredi Comitis germanus frater, Henrico Rubeo Comiti (qui eo tempore agente Matthæo Palicio Sicilia exulabat) filiam suam vxorem dedit, nuptiis solennibus per triduum Agrigenti ad Friderici ædes epulo etiam publico celebratis. Matthæus Palicius Simoni Claromontano Manfredi Comitis prognato filiam matrimonio iunxit, eique nuptias Messanæ præsente Rege magnificas celebrauit. Verum paucis postea interiectis diebus, Messanenses plerique viri patritii Matthæi ob occupatas ab eo per vim fortunas suas osores, Agrigentum profecti, Fridericum Claromontanum commonefaciunt, Matthæum plura contra Claromontanos moliri, Regique inuisos suis sermonibus quotidie eos reddere: hortanturq; Messanam vt petat, Regemque, qui per ætatem rerum discrimina non perspiceret, ad capessendam pro seditionum profligatione regni iurisdictionem impellat. Fridericus his dictis incensus, collecta nobilium multitudine, Leontinum primum, mox Mottam S. Anastasiæ, & deinde Tauromenium venit: vbi cum Simone Comite nepote de rebus gerendis consultat. Matthæus Palicius, quem æmulorum machinationes non latebant, vbi aduentum Friderici cognouit, quo animum eius leniret, Petrum filium magno cum Procerum numero ad eum mittit, hortatus, si salutem cuperet, vt omisso seditiosorum hominum comitatu, suo & Simonis Comitis cœtu Messanã ingrediatur. Quocirca ille Messanensibus ad Tauromenium relictis, cum Simone Comite, & Petro Matthæi filio iter persecutus, Messanam ad Regem venit, atque maximo honore susceptus est. Regem postea ad prouinciam visitandam multis rationibus exhortatus est. Cumque regi inopia esset impedimento, Simon Comes vncias mille regi obtulit, neque sibi deinceps defuturus. Atque ita decreto ad mensem Maium Regis itinere, Fridericus triremi conscensa, Proceribusq; ad Regem comitandum dimissis, Agrigentum reuersus est. Ludouicus vero Rex mense Maio profectionem ingressus cum sorore germana, D. Claræ Messanensis Abbatissa, Ioanne & Friderico fratribus, Margarita Teutonica eius alumna Matthæi Palicii vxore, Petro Palicio Matthæi primogenito, & Francisco Palicio Comite Matthæi consobrino, ac pluribus aliis proceribus, Tauromenium venit. Ibi Henricus Rubeus, qui post exilii reuocationem nondum Regem inuiserat, suasu Manfredi Claromontani cum paucis inermis ad Regem perductus, benigne suscipitur. Interea Castrum oppidum in planitie Mylensi situm facta seditione a Rege desciuit. Ad quod Ludouicus Rex repetendum Henricum Rubeum milit. At ille animi promptitudinem & fidem suam incorruptam erga Regem prius exponens, mox, quod armis tunc & militibus careret, pro illis parandis Catanam eũ petere necesse fore respondit. Ægre tulit Henrici excusationem Rex, & in illum commotus est: quem multis verbis qui astabant proceres paulo post demulserunt. Henrico Catanam profecto, Ludouicus ipse Rex coactis copiis Mylas versus ad Castrum expugnandum perrexit. Sed per certum nuntium de recepto per Corradum Spataforam oppido certior factus, Tauromenium rediit. Henricus vero de Castri recuperatione incertus, vt Regi gratificaretur, & Messanam (vnde erat oriundus) cum honore reuerteretur, collecto ex Catanensibus & Messanensibus armatorum iusto numero, in agros Mylenses impetum fecit: deinde Castrum petens, vt receptum cognouit, socia arma cum Spatafora iungens, omnem Mylarum regionem ad D. Gregorii de Gypso vsque cœnobium, hostiliter deprædando populatus est. Post hæc Abbatissa Regis soror ad Mascalas agens, Blascum Alagonam

nam accersit, vt cum Rege, quem ille post bellorum procellas non viderat, loqueretur. Sed ille, cum Claromontanos & Palicios velle, vt octo duntaxat Proceribus comitatus, & coram ipsis Regem alloqueretur, intellexisset, ridiculam comitatem illudens, re infecta, & venia ab Abbatissa impetrata, Catanam reuersus est. Porro antequã abiret, Ioannes Regis germanus morbo correptus die 22. Iunii mortem obiit. Quam tamen Palicii & Claromontani, veriti ne a Blasci militibus seditio aliqua excitaretur, vsque ad discessum eius celauerunt. Ac tum demum more regio inferiis peractis, Messanæ cum Ludouico Rege eó profecto, corpus eius in maiori ecclesia tumularunt. Interea Henricus Rubeus iter inceptum citato cursu Messanam versus intendens, ad templum D. sepulchro dicatum irrupit. Cuius aduentu Messanenses vario metu perterriti, quisque sibi timet: & Matthæus præsertim Palicius, veterum iniuriarũ memoria non mediocriter perculsus, ad sedãdos motus, qui eius accessu in ciuitate possent exoriri, Regem, qui in officio populum contineret, per vrbem obequitare fecit: ac deinde per nuntios Regios Henrico mandari, ne Messanenses offenderet. Ille, ne quam voluntatis suspicionem moueret, Regis continuo iussa amplexus, castra inde ad fl. vsque S. Stephani cognomento paruuli remouit. Vbi dum per dies aliquot stationes agit, Simon Claromontanus Comes, Franciscus Palicius & ipse Comes, intolerabilis Matthæi perfidiæ pertæsi, suadente atque etiam comitante Abbatissa, perpetuam cum Rubeo societatem ineunt. At Rex, noua hæc maiorum bellorum initia antequam increscerent, suffocanda ratus, authorem se ipse pacis præbuit. Pro qua firmanda cũ Abbatissę Comitumque nomine, qui adhuc ad S. Stephani fl. erant, Corradus Spatafora ad Regem Legatus accessisset, Matthæus Palicius recessuro insidias parauerat, quibus vocis huius conceptæ *Hora est* signo dato, ex improuiso opprimeretur. Igitur dum peracto Legationis munere intra mœnia ad D. Ioannis cognomẽto Militis suburbium Corradus peruenit, a Paliciis *Hora est* ex composito conclamantibus, repẽte ex occulto eductis gladiis impetitur. Qui vt per insidias ad mortem se circumuẽtum videt, quod vnum eo periculo supererat subsidium, frequẽtatis & ingeminatis vocibus, ne innocentem & pacis nuntium occidi patiatur, plebem implorat. Messanenses itaque ad tam miseras voces confestim exciti, in tumultum abeunt: conglobatiq; e gladiatorum manibus erepto Corrado, vitam Regi populoque, ac mortem Matthæo Palicio, vt proditori pacisque hosti, concepto præconio imprecantur. Ad hanc horrendam meritamque vocem mulieres ædibus egressæ, cum populo se iungũt, Regisque vexillo ab earum vna elato, ad portam D. Antonii progrediuntur. Quam cum pessulis obductam comperissent, vectibus fecuri concisis, aditum omnibus præbuerũt. Matthæus clam furori cedẽs, cum vxore & liberis in Regis Palatium deserta vrbe se recepit: vbi Regis nomen sibi munimento fore confidebat. Magistratus omnis metu conterritus fugam arripuit. Abbatissa vero & Comites, qui Legati reditum præstolabantur, percepto ciuitatis motu, nõ sine magno militum præsidio circunsepti, inermes tamen ipsi, in vrbem nemine prohibente ingrediuntur. Vbi cum paulisper conquieuissent, ciuitatem, ne ad prædationes conuerteretur, diligentibus armatisque per noctem excubiis & militibus instructis tuebantur. Postero vero die, ne defectu magistratus in licentiam perrumperet, Nicolaum Cæsarium Strategum instituunt, edicũtque per præconem sub capitis mulcta, ne cui vel minima irrogetur iniuria: quod eo momento ab omnibus in tanto rerum tumultu obseruatum fuisse, non est indignum admiratione. Sequenti porro die, qui duodecimus Cal. Aug. perhibetur, hora ferme duodecima, (mirum visu) dum quieta viderentur omnia, mulierũ noua rursus exoritur commotio, & prælato Regis vexillo in Matthæum inuecta, ad Palatium euaginatis ensibus accurrunt, ianuas sibi aperiri, dediq; ad necem Matthæum Palicium infesto agmine postulãtes. Quas cum e fenestris Ludouicus Rex bonis verbis mulcere ac mitigare conaretur, exasperata etiam mulierum audacia, minis, atque demum igne ad ianuas exurendas iniecto, ni Matthæus dedatur, Regem terrent. Quibus Rex interritus, per posticum periculo se eripere coactus est. Eoque demũ egresso, Henricus Rubeus ex Comitibus solus, & promiscua Messa-

nensis plebs, eadem porta in Palatium irruentes, subtili inuestigatione Matthæũ Palicium inquirunt. Quo non inuento, in quendam eius familiarem ac portitorem incidunt, irruunt, ac trucidare pergunt. At ille supplex vitam suam precatur, polliceturq; locum vbi Matthæus Palicius & sui latebant, eis se ostensurum. Igitur eo duce ad locum accedunt. Is erat aula subterranea, quam sibi Aleonora Siciliæ olim Regina, ad terræmotus (qui Messanæ frequentes sunt) & tonitrua vitanda fabricauerat: vbi Matthæum inuenere. Qui vna cum Margarita Teutonica vxore & liberis a plebe promiscua captus, & Rubeo præsentatus, supplex quidem, & ad pedes eius prouolutus, veniam precabatur: sed ab irruentibus mulieribus & plebe, Henrici mandato cum suis omnibus interfectus, ac subinde traiectis fune tibiis, equisq; in diuersa raptantibus, per vrbem distractus est. Vxoris quoque cadauer adeo ignominiose affectũ est, vt non modo Barbaris, sed tigribus ipsis horrori esse potuerit. Caput Matthæi & brachium Messanenses pleriq; postridie Catanam ad Blascum, rem ei gratam facere rati, detulerunt. At ille visis membris, gemitu & lachrymis casum inimici prosecutus est: Catanensibus interim tota vrbe gratulantibus. Et ne naturæ deesset, honorifico funere ingentique exequiarum apparatu, ea membra ad D. Dominici ædem, quæ iuxta arcem erat, tumulari iussit. Interea Messanenses occisorum corpora iniecto igne extra vrbis mœnia concremarunt. At eorum, ac Margaritæ præsertim mortem Ludouicus Rex ægerrimo animo, ac lachrymis etiam obortis pertulit. qui cum Simonem & Franciscum Comites Matthæi necis insimulasset, illique in Henricum hostem culpam coniecissent, se vero, quod semper lateri Regis astiterint, & nunquam ab eo discesserint, excusassent, tam Henrico, vt inimico, quam illis, vti insontibus, pepercit. Nec multo post Rex insalutatis Henrico & Simone, triremem cum Friderico fratre inscendens, Catanam est profectus, ibique a Blasco totaque ciuitate pro dignitate exceptus est. Eius discessu Messanæ patefacto, Abbatissa & cæteræ Regis sorores Henrico Rubeo & Simone Claromontano comitantibus Catanam & ipsæ terrestri itinere petiere. At Simon non satis adhuc sibi placatum Regis animum metuens, deserto comitatu ad Mottam S. Anastasiæ, cuius Henricus erat Dominus, secessit, vbi se tueretur. Vnde a Rege accersitus cum parere recusaret, in contumaciam incidit, atque inde suffugiens Leontinum petiit. vbi quæ acciderant Manfredo Claromontano exposuit. Hic his cognitis, oppidi statim mœnia diruta reficit, vxorem & rem familiarem, veritus ne Rex bellum contra ipsum & Simonem moueret, Syracusas transmittit. Post hæc Ludouicus cupiens procerum discordias extinguere, sensimque nomen Claromontanum & Palicium submittere, Abbatissam publico consensu Vicariam regni constituit, & inter proceres omnes Rolandum Aragonium, Regis patruum, Buccheri Dominum, Ioannem Barresium, Guilelmum Cardonam, Corradum Spataforam, Franciscum Vintimilium, Matthæum Montecatinum, & alios numero quingentos & eo plures, inter quos qualiscunque simultas interuenerat, pacem firmauit. Ac subinde Simonem Claromontanum, promissa etiam per Abbatissam venia, ad se vocauit. At ille in sententia pertinax obedire noluit. Cuius rebellione Rex adeo in Claromontanos excanduit, vt aliquando cum ad venandum perrexisset, in bouem incidens, quem agricolæ Claromontem nominabant, statim eum ense iugulauerit, inhibens insuper illico, ne Claromontano nomine amplius sub capitis pœna vterentur. Erat præterea eo tempore Caltagironum oppidum iuris quidem Regii, sed Simonis Comitis arbitratu regebatur, veluti & maior Siciliæ oppidorum pars Claromontanis vel suo vel Regio nomine subibant. Simon veritus ne publicata eius contumacia Caltagironum a se deficeret, magno equitum numero illuc accessit: solitoque honore susceptus est. Vbi oppidanos in sua fide stabiles & Catalanorum osores vidit, Nicosiam, quod Blascus Regio nomine tenebat, ad expugnandum cum exercitu perrexit. Erat eo tempore oppidi & arcis Præfectus Rogerius Teutonicus miles regis perquam necessarius: qui non defectionis sed salutis consilio, hinc exercitus Claromontani, inde plebis quoq; Claromontanorum studiosæ metu perculsus,

cum

cum resistere non posset, relicto Simoni oppido clam ad Gallianum prius, & postea Catanam secessit. Quo audito Manfredus de Modica Caltagironensis, genere clarus, & inuicta erga Regem fide, re familiari collecta, & vxore liberisque assumptis, sibi timens, noctu & ipse Caltagirono abiens Catanam se contulit. Vbi cum aliquandiu quieuisset, paucis sibi a Rege datis militibus instructus, Caltagironum rediit, paruoq; illud negotio expulsis Claromontanis Regis nomine recepit: & Guilelmo Cardona præfecto constituto, præsidiariis, quos a Blasco per Artalem acceperat, egregie muniuit. Dum hæc apud Caltagironum agũtur, Leontini in agrum Catanensem excurrentes, cuncta vastabant & populabantur, magnisq; armentis inde abactis incendiis etiam fœdabant. Quo Rex cognito, cum exercitu ad Teriam fl. venit, Leontino bellum moturus. Sed a Blasco & cæteris Proceribus dehortatus est. Sub idem tempus & Mylæ oppidum, quod Regium erat, Nicolao Cæsario authore ad Claromontanos defecerat. quo Rex statim magno exercitu instructus, profecturus, Caltabianum prius, ac deinde Castrum venit. vnde a Rege fecialibus Mylenses acceptis, facile deditionem fecere. Atque inde Ludouicus Rex Mylas ingressus, cum Nicolaum Cæsarium, qui arcem præsidio munitam tenebat, ad deditionem frustra esset hortatus, in foro publico eum cum sociis perduellionis reos declarauit. Quo in arce cognito, obsessi perduellioni contumelias ac ludibria etiam Regi adhibent. Insigne namque Regis, ac castrense vexillum, quod fidei signum est, ad arcis muros efferunt: deinde vitam Regi & Abbatissæ effusis vocibus imprecãtur. Quibus auditis cum obsidentes arci appropinquassent, multis acclamationibus obsessi Claromontis nomen ad cœlum efferunt, statimq; in Regis ludibriũ, necnon iniuriã, ingentes lapides ac belli machinas in domos oppidi quæ arci subeant, ac in Regios milites reiiciunt: deiectisque ex arce Regiis insignibus, Claromontana rursus vexilla efferunt. Rex vbi arcem natura & arte inexpugnabilem videt, Henrico Rubeo cum copiis in oppido relicto, Catanam rediit. Henricus vero munito oppido, & relicto ibi non contemnendo præsidio, Messanam petiit. Nicolaus Cæsarius cognito Henrici discessu, cum Astasio Sanctæ Luciæ oppidi Præfecto Claromontanorum etiam studioso, de repetendis Mylis per literas conuenit. Igitur ad Calend. Nouembris Astasius magno cum equitatu ac peditatu eo accedens, machinis muros aggreditur. Quos cum oppidani repentino impetu perculsi remissius defenderent, ab hostibus mox auctis animis portis effractis oppidum captum deprædatumque Claromontanis redditur. Ludouicus Rex accepta Mylarum clade, & Claromontanos in dies a se desciscere, nec Regiis oppidis abstinere conspiciens, apud Catanam, nouam in eos proscriptionis sententiam tam Procerum quam curiæ consilio pronuntiat. Eodem ferme tempore Argyra oppidum ad Claromontanos defecit. Quod paulo post Rex cum Abbatissa, Blasco & cæteris proceribus eo profectus, fugatis Claromontanis Agyrenæisque se dedentibus, recepit. Interea Ioannes Saccanus Regis hostis, qui oppidum fluminis Nisi Claromontanorum nomine tenebat, coactis copiis oppidulum Scalettam, & Cœnobium Sanctæ Mariæ de Rocca amatoris, abrogato Regis dominio Claromontanis subdidit. Leontini quoque nouas in agros Catanenses excursiones facere, armenta abigere, segetes vsque ad Mottam Sanctæ Anastasiæ incendere non destiterunt. Ludouicus Argyra oppido præsidiis munito, ad reliqua amissa oppida recipienda se comparat: Calaxibettam oppidum petit, vbi ab oppidanis benigne susceptus, Tauim vicinum inde oppidulum per nuntios etiam recipit. Ad Ennam postea Claromontanorum oppidum progressus, cum consilio potius quam armis ad illud repetendum opus sibi fore cognosceret, Abbatissam ad mulcendos incolas cum duobus nuntiis præmisit. Sed Ennenses captis trucidatisque nuntiis, Abbatissæ etiam contumeliis affectæ mortem comminantur. Rex consilio frustratus Catanam, vnde venerat, rediit. Post hæc Franciscus Palicius Comes, qui a Rege cum Simone desciuerat, ne nihil contra Regem egisse videretur, Messanam (vnde erat oriundus) inuadere atque incendere decernit. Sed cum vires ad tantum facinus sibi non sufficerent, agricolam quendam, qui sibi portam vrbis de Musellis di-

ctam, orientem ac cœnobium S.Saluatoris respicientem, effringeret, auro subornatum præmittit: ipse triremi & nauigio cum militibus ad facinus idoneis vectus, in freto rusticum præstolabatur. At dum ille portam imprudentius securi effringit, bubulcus quidam, qui forte ea nocte foris obdormierat, ictuum strepitu experrectus, rem videt: visam mox Damiano Saglinpipi, quem Rubeus regio nomine vrbi Præfectum subrogauerat, propere denuntiat. Quo nuntio Damianus excitus statim ad portam accurrens, rusticum adhuc in ciuitatis exitium occupatum capit, tormentisque rem omnem & coniuratos etiam ab eo extorquet. Quos cum illucescente omnes in vincula coegisset, Matthæus Caciola Catapanus ciuitatis coniurationis & ipse particeps, Damianum obiurgans quod ciues absque legum ordine carceribus mancipasset, a Damiani militibus apparitoribus impetu facto confoditur. Ita tum Messana vnius rustici indicio, & Damiani prudentia, ab incursu & incendio seruata est. Interea vero Rex a Tauromenitanis Catana accersitus, eo paratus se contulit, & primum quidem turrim Matuicinum (quam inter duas Tauromenii arces veluti inferioris frenum a Matthæo Palicio erectam Claromontani tenebant) magno nisu cepit. mox Ioannes Amodeus miles Claromontanorum nomine arcis inferioris Præfectus, metu perterritus, arcem Regi restituit. quam Ludouicus receptam Berengario de Mõterubeo Catalano custodiendam commisit. Atq; inde ad arcem superiorem, quæ Mola dicitur, expugnandam magno militum numero profectus est. sed capto tantum vico, cum arcis situs natura munitissimus esset & inexpugnabilis, & ob id obsidio in longum protraheretur, vel inuitus Tauromenium rediit. Sed paucis post diebus, quibus se Tauromenii continebat, Nicolaus Mutabenius Messanensis Molæ Præfectus, mutato repente animo, Regis nomen edita voce vocare cœpit: accersitoque ad se Ioanne Parisio Messanensi Regis familiari, arcem se dediturum spondet si Rex ipsum Ioannem præficiat. Quo repudiato, cum Andream Rubeum militem Messanensem Rex præferret, Nicolao in sententia perstante, Rex obsidione circa arcem relicta Catanam secessit. Eodẽ ferme tempore Falcus Cubertus Catalanus genere, arcis Calatrasis præfectus, Claromontanos Regis hostes ludificaturus, cum Perribono Calandrino Corilionensi Regis studioso, qui arcem Patitarum a fundamentis erexerat, fraudem confert, simultatem simulant, singulari certamine pugnant. Quo Falcus a Perribono superatus, in tetrum carcerem coniicitur. Præerat eo tempore Mazaræ Claromontanorum nomine Ioannes Grapheus Partannę oppidi Dominus. Ab hoc Perribonus auxilia petit: quibus a Catalanis in Calatrasi existentibus, multa ob iniuriam Falco illatam contra molientibus, vel se tueri, vel illos expugnare posset. Grapheus ne insidiis caperetur, nuntios ad Falcum videndum mittit. A quibus vbi rem didicit, fidem adhibet, equitesque quinquaginta Perribono auxiliares mittit. Qui Patitarum profecti a Perribono perfide & capiuntur & interficiuntur. Sub idem tempus Artalis Alagona Blasci filius magno cum equitum numero præclari alicuius contra Claromontanos facinoris patrandi consilio, Sortinum oppidum, quod Perelli de Modica Regis familiaris ditionis erat, & a Syracusanis in dies excurrebatur, tacite perrexit. Inde cum palantes Syracusani de eius aduentu ignari suo more prędis distraherentur, præmisso exploratore Bartolino, & ab hostibus capto, in eos irruit. hostes improuiso malo perculsi, cum numero essent inferiores, relicto Bartolino & præda, in fugam vertuntur. Quos Artalis insequens, multa clade affecit, plurimos oppressit, reliquos cepit: pauci pedibus salutem sibi redemerunt. Fuit inter captiuos Franciscus de Modica, Friderici de Modica Sortini olim Domini ex pellice prognatus, qui decedente patre iure hæreditario Sortini principatum ambiebat: cuius actio iam inde a tempore Petri secundi Siciliæ Regis, contra Perellum, qui vt Friderici germani fratris filius ei successerat, in magna Regis curia pependerat. Hunc ab Artali captum, & Sortini carceri addictum, post dira tormenta Perelli vxor laqueo suffocauit, atque ex alto arcis muro in terram præcipitem dedit. Ludouicus Rex percepto hoc Artalis stratagemate, Syracusanos ea clade animo deiectos arbitratus, contra vrbem Syracusas mouet. At Syracusanis strenuo

strenue vrbem tutantibus, rex fœde inde discedens, Sortinum prius, Palazolum postea venit. Sed ab oppidanis, qui Claromontani erant, non receptus, Neetum petiit. Vbi magno honore receptus, Catanam deinde est reuersus. Interea Regii milites, qui Molam arcem obsidebant, turrim ligneam lapidibus refertam erigũt, quos inde in arcem mitterent. Claromontani per noctem Manfredo Grugno authore turrim incendunt, eoque etiam duce Molæ vicum recipiunt. Deinde coniuratione cum quibusdam Tauromenitanis facta, cum Tauromenium capere sperarent, proditione detecta, coniurati omnes simul cum Manfredo a regiis militibus trucidati, atque in frusta dissecti sunt. Post hæc Claromontani, qui a Ludouico Rege desciuerant, triremes quatuor militib. instructas ab Aloysio Neapolitano Rege, ad Siciliam inuadendam impetrant, atque Messanam veniunt, nulloque belli facto periculo Euphemiam Ludouici Regis sororem alloqui petunt. Quo minime concesso, ad arma veniunt, lapidibus, balistis, atque aliis bellorum monumentis ciuitatis muros infestant: sed a Messanensibus fortiter repulsi fœde inde Rhegium reuertuntur. Nec multo post ciues Policienses, Claromontanorum, quibus suberant, non ferentes iniurias, ad Franciscum Vintimilium Giracii Comitem missis nuntiis, oppidum Regis nomine illi offerunt. Quo Franciscus armatorum collecto idoneo numero profectus, pactis cũ oppidanis legibus, sub auroram per patẽtes portas oppidum ingreditur: eoque potitus ad arcem oppugnandam procedit. Quam cum diu frustra impetiisset, monachus quidam, qui in arce deditionem obsessis frustra persuaserat, datis e specula Francisco signis, funeque ab arce in terram demissa, per tenebras Franciſci milites attraxit. Atque ita demũ arcis custodibus Præfectoque captis, admissoque per portam Francisco, Politium & arx in Regis potestatem venere. Inde misso contra Nasum oppidum exercitu, per deditionem illud etiam recepit, Franciſci Palicii vxore & liberis, qui ibi se tuebantur, Catanam transmissis. Thermas postea, Cephalœdim, & Sanctam Luciam oppida cepit. Interea triremes quatuor Neapolitanæ ad Siclis oppidi littora applicant. Ibi Franciſcus Palicius, & cæteri Claromontani, qui cum Aloysio Rege fœdus datis etiam obsidibus obfirmauerant, classe insceusa Catanam petunt. Vbi cum in Ludouicum Regem etiam audientem contumelioſa verba euomuissent, Neapolim ad Aloysium nauigant, & cum eo coram consilia conferunt. Atque inde postea cum iisdem nauibus, quibus Myletus Comes præerat, communitis, Siciliam repetunt, Mylisque milites in terram exponunt. Quo viso Nicolaus Cæsarius, cuius paulo ante meminimus, arcis Mylensis Præfectus, oppidum & arcem vnciis quinquaginta supra mille classis Nauarcho vendidit, & cum classe in Calabriam traiecit. Interea Nicolaus Mutabenius miles Messanensis, arcem Molamque oppidulum, cui præsidebat, Eufemiæ Ludouici Regis sorori, quam Infantissam appellabant, Regis nomine libere dedidit. Nec multo interiecto tẽpore apud Ennam repente tumultus Philippo Raya iureconsulto authore exoritur. Ciues nanque, Claromontanos exosi, Ludouicum clamant, eiusq; signa explicant, & per vicos circunducunt. oppidi Præfectus, & vniuersa Claromõtana factio, in tanta rerum mutatione, cauti, ne a rege interficerentur, regium nomẽ & ipsi inuocant. Eoque motu conglobati, ad arcem quam veterem vocant, oppugnandam concurrunt. Sed arcis præfectus, licet inopinato metu territus vexillum Regis extulisset, strenue tamen obstitit. Præfectus etiam vrbis, qui Claromontanus erat, cũ sociis, etsi Regem per oppidi vicos acclamaret, facto concursu ad arcem nouam (quam Fridericus secundus Siciliæ Rex erexerat) venit: quem Præfectus arcis Claromontanus apertis foribus intus recepit. In eo tumultu cum Philippus Raya (qui populi motus author extiterat) esset, ab oppidi Præfecto lancea transfixus occubuit. Oppidani hoc viso ira perciti, toto in Claromontanos impetu mouentur, obuios quosque occidunt, bona eorum diripiunt, ac regis nomine oppidũ tenent. At cum Præfectum oppidi essent delecturi, qui partes Regis sequebantur, Calaxibettanis, qui probatæ fidei habebantur, Præfecturam deferendam censebant: qui vero simulate in obsequium regis conuenerant, non aduenam, sed ciuẽ præficiendum reclamant: atque Theobaldum Bibitellum Ennensem virum stre-

nuum, Claromontanis inuisum, quorum inuidia adhuc exulabat, dolo proponũt, cui absenti duos ad suas fraudes subornatos subrogant: per quos priusquã ille adueniret, oppidum Claromõtanis redderent. Illos tamen plebs, simulatione decepta, fraudis omnis ignara, approbauit. Interea subrogati in populo quidẽ fortiter ac iuste Magistratum gerunt, sed clam a Platiensibus Claromõtanis vicinis auxilia contra oppidanos Regios solicitant. Calaxibettani sub hæc vulgatis vicinorum motibus, Ennam ad tutandam Regis dignitatem conuolant. Sed ab Ennensibus promiscue clausis portis retro pelluntur: a Regiis quidẽ, veritis ne abrogato Theobaldo, quem propediem præstolabantur, aduena in Præfectum deligeretur: a Claromontanis vero, ne suorum consiliorũ hostes reciperentur. Inter hæc ex Platia Claromontani auxiliares superueniunt, & patefactis per subrogatos portis ingressi impetu per vicos feruntur, Claromontanorum nomen conclamant, inuocant, efferunt, vexillum explicant, continuoq; statũ oppidi immutant. Præfectus nanque vrbis, & qui paulo ante cum eo in arcem nouam se receperant, statim ex arce prosilientes, socia arma cum Platiensibus iungunt, in regios irruunt, cædunt, domos populantur, ac magna demum edita strage incendiis consumunt. Arcis quoque veteris Præfectus Regis insigni submoto Claromontanum erigit. Plebs inconstans hostibus circunsepta, cum inferior esset, mutatis repente animis Claromontanos & ipsi conclamant, regis nomen contumeliis afficiunt, paucis exceptis, qui fuga ad Calaxibettam dilapsi sunt. Ita Enna ad Claromontanos rursus defecit. Dum hæc apud Ennã geruntur, Panormum triremes Neapolitanæ a Manfredo Comite accitæ applicant, summaq; congratulatione excipiuntur. Policienses, & qui pauci in regione Mazaræ regii erant, aduentu classis Aloysii cognito, per nuntios Ludouicum, qui Catanæ erat, frustra vrgent vt Panormum omnino repetat, ne vrbe Regia amissa totius Regni sequatur excidium. Eodem ferme tempore Simon & Manfredus alter Claromontani, Leontino coactis copiis egressi, Catanam aggredi deliberant. Quorum insidias ad locum qui Pantanus hodie dicitur, caute dispositas, vt Blascus Alagona cognouit, militum Catanensium opera loco pulsas in Leontinum fugauit. Interea Iacobus quoque Claromontanus Simonis patruus, qui Nicosiam supramodum vectigalibus premebat, ab oppidanis in furorem actis pulsus, in arcem se recepit. Quo statim Rex ab eisdem euocatus affuit, regioque honore susceptus est. Cumque arcem magnis viribus esset aggressus, & expugnatu difficilem eam cerneret, Rogerio Teutonico milite in suum locum ibi suffecto, Catanam rediit. At non multo post Iacobus virium suarum probe conscius, dimissa per deditionem Rogerio arce, Spirlingam, quæ Claromontanis quoque auspiciis regebatur, concessit. Sub idem etiam tempus Ludouicus rex Caltabianum oppidum absque arce recepit: quam postea Artalis Alagona expugnauit. Quo progressu animo erectus Leontinum, quod totius seditionis fuerat initium, subiugare deliberat. Eoque consilio Catanæ magnum exercitũ, & ad oppugnationem necessaria quæq; comparat. Manfredus e diuerso & ipse ad obsistendum opportuna instruit, plebem ad propugnandum longa oratione hortatur. Cui a Francisco Cantello, se in Sarracenorum potius quam in Catalanorum manus venire paratos esse, plebis nomine responsum est. Ludouicus interea Artalem Alagonam cum Guidone Vintimilio ducentisq; equitibus Leontinum præmisit. quos ipse vna cum Blasco Alagona, Ioanne Luna, Rolando Aragonio, Francisco Vintimilio Comite, Manuele Comite, & cæteris Regni Proceribus secutus, castra contra Leontinũ mouit. Artalis dum cepto itineri intendit, ad villam cui eo tempore a Siluestro erat nomen, peruenit. Vnde exploratores expediuit: qui ad flumẽ. S. Leonardi progressi, Manfredi milites in insidiis positos deprehendũt, ac statim Artali renuntiant. Quo accepto Guido prior cum sociis, ac mox Artalis cum suis in hostes egrediuntur, irruunt, turbant, cædũt, magnaq; edita strage, qui superfuerant, ad Leontini vsque muros insequuntur. Superueniens interea Ludouicus Rex ad vineã Receputi a Receputo, vno ab vrbe lapide distantem, castra metatus, Leontinum obsidet. Manfredus instante periculo mœnia reficit, milites distribuit, excubias ordinat, omniaq; ad obsidionẽ perferendam accõmoda comparat.

parat. Sed illucescente Ludouicus inde mouens oppido appropinquat, eaq; parte qua cœnobium. D. Francisci est, stationes facit. Vbi cum Manfredi aliquot equites ad custodiam essent, eos Guido cum non contemnenda militum manu aggressus, partem trucidat, partem in fugam vertit, eosque ad arcem vsq; quæ Battifollis dicebatur, nemine ex oppido ad resistendum egresso, aut belli signum ostendente, insecutus est. Eodem quoque die Regii milites segetes secant, vineas incendũt, cunctaque inuenta prædæ exponunt. Postridie vero domos omnes, ac molendina oppido vicina diruunt, flammisque crudeliter absumunt. Quam sæuitiam magna in oppido, sed maior in exercitu Regis fames subsecuta est: adeo vt obsidione soluta, & propugnaculis incensis, fœde inde discedere, & Catanam cum exercitu inedia consumpto rex reuerti coactus sit. Quod vbi Manfredus animaduertit, ipse Leontino cum militibus egressus, vt iacturam iactura vlciscereturr, Catanenses agros ad Mottam & Paternionem vsque, ac deinde eam partem quæ Syracusas vergit, ad Curcuracium vsque oppidulum, nec non Sortini, Oxini, & Militelli arua inuadens, incendio absumpsit, abductaque inde omnis generis armenta gregesque abduxit. Interea Ludouicus rex Damianum Salinpipi militem cum triremi Neapolim ad Aloysium regem misit, querens cum eo de oppidis quæ in Sicilia sibi nullo inter eos flagrante odio occupasset. Ad quæ responsum est, iure id factum, cum Siciliam sibi deberi certissimum foret. Damianus audito regis animo, Neapolitanam in reditu oram populatus, nauem etiam inde salmarum frumenti mille onustam, & complures mercatores in ea captos Messanam detulit. Ludouicus accepto Aloysii responso ad bellum futurum totum se parat, loca Siciliæ munit, Damianum Salinpipi, & Rolandum Aragonium ad regem Aragonum in Sardinia tunc agentem pro auxilio mittit. A quo triginta triremes instructæ post Cirtæ bellum sunt promissæ. Interea dum Ludouicus hæc parat, Gilius Staitus Messanensis miles, & Nicolaus Muntulenus Tripim & pleraque alia Mylensis agri oppidula simulata etiam regis morte, vt facilius populi deficerent, pro rege Aloysio frustra aggrediuntur. In Enna præterea arcis veteris Præfectus arcem & oppidum Ludouico vltro dedere decreuit. Eoque animo Rogerium Teutonicum Argyræ tunc Præfectum, & Ioãnem Barresium Militelli Dominum ad se cum militibus accersitos noctu in arcem recepit. Qui postquam arcem sunt ingressi, illucescente militibus instructi, arce egressi, regis vexillo prælato, editis vocibus vitam regi optant, per vicos excurrunt, & oppidum capiunt. Plebs hac voce conterrita regi quoque statim adhæsit. Ita Enna in potestatem regis venit, nullo tamen ex Claromontanis occiso. At paulo post plerique Ennẽses, quorum Henricus Rascagallus Dux erat, simulato Regis obitu, oppidum Claromontanis per proditionem reddere decernunt, milites ex Platia missis per nuntium literis accersunt. Sed interceptis per exploratores cum tabellario literis, Rogerius Teutonicus captos coniuratores, qui connumerato Duce viginti fuere, omnes in medio foro furca suspendit, quorum corpora in partes dissecta per vicos proiecit. Post hæc Simon Claromontanus Comes a plerisque Neetinis accitus, Neetum cum iusta armatorum manu custodibus dormientibus clam ingreditur. Sed cum per vicos Claromontanum nomen inclamando cum suis vsque ad ædem D. Francisci excurrisset, Ioannes Landolina oppidi præfectus, pluresque alii strepitu excitati, assumptis armis domoque egressi, contraria acclamatione apud excitos rei nouitate ciues tantum effecerunt, vt in exitium Claromontanorum, voces ingeminando, hostium non inceptum modo frustrati sint, sed etiam per oppidum discurrentes insecuti, ex ipsis centum quinquaginta trucidauerint: quorum e muris eiecta cadauera sepultura caruere. vbi Simon quidem cum paucis fuga salutem sibi quæsiuit: capti vero cõplures die sequenti in publico foro a Ioanne Landolina omnes suffocati sunt. Sed ea clade Simon interritus, cum electis militibus Misilindinum oppidum ab oppidanis plerisque inuitatus aggressus, paruo labore potitus est. vbi Berlingarium Ingloram oppidi Præfectum, qui cum pluribus in arcem se receperat, captũ contumeliose trucidauit. Cæterum Henricus Rubeus Comes, qui nomine Regis Messanam regebat, vt littoralia Siciliæ tuta ab hostibus redderet, tres tri-

remes ædificauit. cum quibus tres naues frumento refertas, quas eo forte tempore Comes Auellini vna cum tribus triremibus a Rege Aloysio e Neapoli Panormũ missus, Mylas vento coactus perduxerat, non sine magna belli gloria cepit: pluribusque Neapolitanis qui in eis erant, cæsis, cum maxima rei frumentariæ præda Messanam honorifice reuersus est. Iisdem deinde Henricus Syracusanam oram excurrens, plura Myleti Comitis, qui Aloysii Regis Neapolitani nomine post fœdus cum Claromontanis initum Syracusis præerat, nauigia cepit: vniuersumque mare Siculum ab hostibus tutum reddidit. Quo etiam tempore Artalis Alagona cum centum leuioris armaturæ equitibus Castrum oppidum profectus, iunctisque ibi cum Guilelmo Marescalco milite, Castri Regis Ludouici nomine Præfecto, (qui centum & ipse equites, pedites vero multos habebat) viribus, ad cœnobium Sancti Philippi a Plana positis insidiis, Agros Mylenses excurrit, ac cuncta deprædatur. Mylenses lacessiti, armis accincti oppido egressi, hostes vsque ad locũ insidiarum insequuntur. Tunc repente ex insidiis milites prosiliunt, & in Mylenses feruntur, cędunt, fugant: quos Catalani insecuti occidunt. Cæsorum porro equitum numerus circiter cẽtum, captorum vero sexaginta repertus est. Post hęc cum Claromontani falso regis obitu Siciliam implessent, rex ad extinguendos falsos hos rumores Ennã petere constituit. Platienses profectionis regiæ ad Ennam (quæ vicina eis est) fama audita, ne primi ipsi rebellionis pœnas darẽt, callide a Claromontanorũ se abdicare imperio, regiq; subiici decreuerant. Sed patefacti eorũ consilii authores a Claromontanis comprehensi, laqueis damnati sunt. Interea rex paratis ad iter necessariis Catana discedens, Ennam profectus est. Eodem ferme tempore plures Platienses populares egressi, agros Caltagironenses excursionibus vexabant. Quo cognito Rolandus Aragonius, qui tum apud Menæum erat, militibus instructus cõtra egreditur, atque centum ferme ex eis cædit, totidemq; capit. Inter captiuos porro Ioannes Branchifortis Mazareni oppidi Dominus fuit, Regis rebellis, qui ad Aloysium regem Neapolitanum cum Claromontanis defecerat. Apud hunc literæ ad Aloysium Regẽ ab Agyrenæis & Calaxibettanis plærisque scriptæ sunt repertę, quibus eorum oppida Aloysio offerebant. qui omnes a Rolãdo capti, ac Ludouico traditi, ad Ennam furcam subiere. Vulgata Platiensium apud Caltagironam clade, Mongelinæ arcis Præfectus Claromontanus Menæum oppidum, vnde Rolandus cum militibus fuerat egressus, præsidio carere ratus, militesad populandos eius agros emisit. Erat inter milites Philippus Ciruiglarius Paternionensis: qui cum inde a regis fide ad hostes desciuisset, promiserat Corradò Lanceæ Mongelini oppidi olim Domino illius restitutionem, si ducenti floreni ei persoluerentur. Nec aliud quam occasio expectabatur. Qua iam commodum oblata, Mongelinensibus sociis Menæum ad prędandum profectis, Philippus lento gradu, quod equum tum ferreis calcibus exutum ad expeditionem ineptum quereretur, incedebat. Oppidi Præfectus pro veris verba Philippi arbitratus, quo illum sibi deuinctum redderet, sumpto ipse malleo clauos illius equo incussurus, dum paulisper curuus (vt est artis) huic operæ incumbit, proditorie a Philippo ictus confoditur. Præfecto occiso, vxor eius, quæ in arce erat, portas clausit, occiso & occisore relicto in arcis area. At Philippi vxor, quæ in arce cum sola Præfecti vxore erat, statim marito ianuas arcis aperuit. Philippus continuo ab vxore intromissus, arcem sibi occupat. Quam cum Matthæus Rusticus Caltagironensis Conradi studiosus, cognita occupatione, Corradi nomine non soluto restitutionis præmio, a Philippo postularet, reddere ille noluit. Interea Rolandus Aragonius contentioni superueniens, soluta Philippo pecunia Regis Ludouici nomine, arcem obtinuit: frustraque eam sibi postmodum reddi Corradus, qui Catanæ erat, annixus est. His successibus Ludouicus Rex animo erectus, ex Enna Platiam petiit, ratus per deditionem se oppido potiturum. Quo cognito Platienses fossis itinere, quo Rex transiturus erat, excauatis, clauos in supinum trabibus infixos summa puluere celatos disposuere, vt per eos equi Regii offensi, equites in fossas prosternerent. Quorum arte rex percepta, soluta obsidione Ennam reuersus, & inde Politium profectus est. Interea Leontini Claromõtanam sæuitiam exosi, Ludo-

Ludouico Regi vrbem cedere decernunt: centumque circiter ex primoribus ad id coniurati, nuntium Catanam ad Blascum mittunt, milites ad rem patrandam petunt. Sed ille rege absente, & in regione Mazaræ agente, auxilia mittere noluit. Vulgata per oppidum proditione, & cognitis coniuratis, eos omnes Manfredus furca suspendit. Interea Ludouicus rex Cameratam, cui Manfredus de Aurea præerat, (quem & subinde Othobono fratre cõtumaciæ nomine abdicato, in Admirati dignitatem suffecerat) venit. Deinde Drepanum, Erycem, Calatafimum, & pleraq; illius regionis oppida Riccardo Abbate Duce per deditionem adeptus, Catanam reuersus est. Sed & sub idem tempus Falconus de Falconibus totius seditionis author, qui Regi Aloysio iam paulo ante adhæserat, triremi vna & duobus nauigiis instructus, Neapoli Messanam venit. Cumque in conspectu vrbis esset, in qualibet naui quatuor noctu accensis facibus, vt Messanensibus se magno cũ nauium numero venisse ostẽderet, in portum ingreditur, ac Palicios & Claromõtanos editis vocibus conclamat. Sed Messanenses interriti statim ad arma concurrunt, sagittis aliisq; belli munimentis ex mœnibus illum incessendo, pluribus eius militibus ac nautis interfectis, inde abire compellunt. Dum hæc Messanæ gerũtur, Syracusas nauis Genuensis cum plerisque mercatoribus applicat. Quos Manfredus Claromontanus ad prandium inuitat, vncias mille pro defendendis a Catalanis Syracusis mutuo petit, ab Aloysio Rege Neapolitano statim cum Neapolim applicuerint, restituendas. Quas illi negantes, minis & carceribus demum reddere sunt coacti. Per ea quoque tempora Rolandus Aragonius e Menæo agro cui præerat, in Claromontanos cum militari cohorte palantum more euagatus, a Simonis Raguſæ Comitis insidiis occupatus, fœda suorum nonaginta militum clade affectus est. Sub hæc Syracusani e primoribus plerique, Claromontani imperii impatientes, ad Ludouicum regem deficere, & patriam Tyrannide liberare decernentes, sacramento se ad facinus egregium tempore idoneo patrandum adigunt. Quo Manfredus Claromontanus cognito, vt tempestiua remedia principiis submitteret, intempesta nocte Zimbardum de Asso coniurationis illius præ reliquis maxime suspectum capit, tormentisque ad rem aperiendam agit. At ille tanquam naturali linguæ vitio, sermonisque defectu impeditus, nihil aperit, omnia negat, tormenta deridet, & liber dimittitur. Manfredus nihilominus omnes quorum nomina suspecta haberet, ad Augustã oppidum ad quadrimestre relegat, eoque elapso demum reuocat. Erant hi viri principes numero viginti. qui Syracusas reuersi non modo a consilio non abstinuere, sed ad rem maturandam magis etiam accensi, centum ad suam sententiam alios pellexere: breuique occasionem, quam fors attulit, arripiẽtes, tandem rem sunt aggressi. Inter hæc enim Christiani pleriq;, qui piraticam exercebant, maxima capta præda Syracusas appulsi, portum noctu ingrediuntur: vbi tympana & æs pulsantes noctem lætitia insomnem transibant. Vrbis vigiles ac custodes dum vrbem de more circuunt, ædes forte Ponzecti, qui coniuratorum princeps erat, prætereuntes, non esse ea (de inusitatis piratarum ludicris intelligentes) diutius ferenda, sed Præfecto aperienda ingeminabant. Ponzecti vxor, quæ e fenestris eam comminantium vocem exceperat, ad coniurationis facinus interpretata, illico ancillam ad maritum, qui in concilio coniuratorio domo aberat, accersendum mittit. Qui cum sociis reuersus, vbi relata a muliere audiuere, etsi primum animo concidetint, mox tamen, ne in manus Manfredi hostis venirent, audentiores facti, ea nocte facinus peragere deliberant. Igitur ad Franciſci Ciadonæ coniurationis socii domum conueniunt: ibique renouato fœdere, omnes armis instructi & se inuicem ad liberandam patriam hortati, vt primum solitum matutinale signum ex campano ære D. Franciſci accepere, pro tuba illud signoq; militari interpretati, more Christiano cruce fronte muniti, explicato Regis vexillo domo effunduntur: vrbemque tacite excurrendo, Claromontanorum domos recta ad cædem petunt. Et Thomasii Martini Manfredi familiaris primæ ædes oblatæ sunt. eum Manfredi nomine vocant, excitant, rogantq; vt ad nuncia quæ Neapolitana nauis eo momento attulerat, excipienda approperet, solicitant. Thomasius nihil hostile suspicatus statim surrexit, equum sibi parari famulo iussit,

ad aream domus descendit. Vbi apertis foribus repente a coniuratis irruentibus confoditur. qui cum percussus retro in cubiculum se proripuisset, coniurati eum secuti, iteratis ictibus confecere. Fuerat hic Catalani cuiusdam spurio semine prognatus: qui cum Syracusas venit, Regis Neapolitani studio addictus, coactis per gradus dignitatibus, vrbis Præfecti consultor est factus, opibusque tum ex iniquis causis, tum ex vxoris nobilis dote, tum demum ex falsis primorum ciuium accusationibus proscriptionibusque congestis insignis est redditus. Porro eo occiso, coniurati ad domum Francisci de Placentia, qui Manfredi Claromontani absentis nomine demandatam Præfecturam gerebat, progrediuntur. At cum sub auroram ægre ianuas absque vicinorum concitatione sese effracturos sperarent, aperte ac palam rem agere statuunt. Igitur editis vocibus pacem conclamant, Regi Ludouico & populo vitam comprecantur. Ad has voces concurrentes cæteri coniurationis socii numerum augent. Plebs etiam ad tumultus excita & ipsa confluit. Matthæus & Alderisius Aretii, & cæteri qui Claromontanis adhærebant, ad domum Manfredi cateruatim prosiliũt. Sed vbi manifeste Regios vrbem tenere cernunt, temere obsistere nõ audent. At Franciscus de Placentia præ tumultu e lecto nudatus ad fenestram caput egerens, iaculo statim salutatus est. Quo signo circũuentum se a Syracusanis intelligens, tumultuarie vestibus corpori iniectis, præceps ex aula ad penetralia descendit: atq; inde, cum ne ibi quidẽ sibi satis fideret, ad domunculam subterraneam latebras quæsiuit. Sed effractis per regios securi vectib. repertus, familiari omni eius re omnibus ad prædam exposita, pugionibus cõfossus interiit. His gestis iam illucescente, ad domum Ioannis Syracusii Iureconsulti, & Præfecti Iudicis discurrunt. Ille rumore præcognito, ad vicinam cuiusdã sacerdotis ædem salutem sibi quæsiuit. At cum in eius domibus nõ esset repertus, ad sacerdotis domum concurritur. vbi inuentus statim dilaniatur. Erat hic ille Ioãnes, qui cum Roberto Ponzico Iudice ad Aloysium regem Neapolim profectus, ibi & pro Syracusanis authoramentum, perfidamq; alieno regi fidem præstiterat, reuersusq; plebem contra Ludouicum subuertebat: cuius inter alia illud ad populũ prophetæ dictum celebratur: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnã. Hoc interfecto ad Nicolaum Sauoyam eorum collegam, qui ne in morte quidem collegiũ deseruit, pergunt, eũq; interficiunt. Quatuor hisce totius defectionis authoribus, pluribusq; postea eiusdem factionis sociis e medio sublatis, vrbs in corũ potestatem facile venit: proiectoq; regis Neapolitani vexillo, Ludouici insigne per mœnia erigunt, ac Franciscũ Saluagium regio nomine vrbis administrationi præstituunt, & per vicos circũducunt. Subinde cum eo ad arcem Maniacis explicatis regis signis expugnandam accedunt: quam Iacobus Pedileporus illius Præfectus sine via apertis statim ianuis, illis dedidit. Alteram quoque arcem Maryhetti appellatã, quæ Neapolitani regis nomine militibus Calabris erat munita, licet diu reluctantem, pactis tandem induciis elapsisq;, sat commode obtinuere. Rolandus Aragonius vbi vrbẽ captam audiuit, cum Perello de Modica Sortini Domino, ducentisq; equitibus Syracusas venit, atq; idoneo præsidio vrbem firmant. Post hæc Robertum Ponzicum Iudicẽ, Franciscum de Aurobello, Lanzelotum de Sancta Sophia, & Andream de Taranto Claromontanorum studiosos, vt aduersariorum incolatu vrbẽ purgarent, capiunt, vinctosq; Catanam ad regem mittunt. Ludouicus nuntio captæ vrbis accepto, ingentem equitum ac peditũ numerum, quẽ contra Leontinum parauerat, cum Artali Alagona Syracusas in præsidium transmisit. Munitis itaq; opere & præsidio Syracusis, atq; Rolando Aragonio cum vicaria regis authoritate ibidem relicto, Artalis Catanam regredi statuit. Quod vbi Manfredus Claromontanus Leontini resciuit, per insidias eum intercipere quærit, duasq; acies instruit. primæ, quæ ducentorum erat equitum, præerant Corradus Malatacca genere Thũscus, Ioãnes Septimus Ragusanus, Matthæus Vaccaria, & Matthęus Iuuenis Catanẽses: secundam vero, quæ quadringentos equites continebat, Simõ & Manfredus ipsi Claromontani ductabant. Ac deinde septuaginta milites loco qui orientem respiciens eo tempore patria lingua Specus Rigitanorum appellabatur, insidiis locat. Interea Artalis Alagona insidiarum ignarus, Syracusis cum

suis

suis Catanam versus iter ingreditur. Verum cum fraudulentam Manfredi naturã, vti semper, ita maxime tum suspectam haberet, cum ad villam Sylvestri peruenit, exploratores ad visenda loca, explorandaq; hostis consilia apparatumq;, equites emissarios aliquot expediuit. Qui cum ad collis cuiusdam verticem hostium equitũ acies conspexissent, statimq; renuntiassent, Artalis ad bellum se parat. Milites suos in duas & ipse acies distribuit. vnam, in qua centum quinquaginta equites percensebantur, Ioannes Landolina, Rogerius Teutonicus, Berardus Spatafora, & Guielmus Spatafora Rocellæ Dominus, regebant. alterã vero, quæ ex ducentis quinquaginta cataphractis constabat, Artalis ipse dirigebat. Eoque pacto dispositus vterq; exercitus, cum ad conspectum prodiere, aliquandiu constitit. Postmodum Claromontanis appropinquantibus, in planitie quadam, vbi ædicula vetustissima erat Diuæ Mariæ sacra, antequã ad colles ventum esset, Artalis Rogerii Teutonici consilio certamen fortiter inchoat. Igitur regii in Claromontanorum primam aciẽ irruũt, & e diuerso illi in hos maximo impetu feruntur: vtraq; acies strenue pugnat, sed Claromontani acerrime Regios premebant. In ea pugna Berardus Spatafora ictu lanceæ in gutture percutitur, fractisq; loricæ squamis vna cum equo in terram decidit: fratris tamen ope in eundem equum, quem a fuga retinuerat, reuersus, nõ minori animo ad prælium rediit, fortemq; in hostes operam nauauit. Cumq; iam superantibus Claromontanis prima Regis acies inclinare visa esset, Artalis prudẽtia, & Rogerii Teutonici generoso robore quamprimum restituta est, contritisq; hostibus superior euasit. Nam Artalis in turmas hostium se ingerit, bellũ reparat, suos vires resumere facit, hostes premit, eorumq; magnam stragem edit. Et licet Simon & Manfredus cum suis arma iungere, & illis succurrere pergerent, & atrociter dimicarent: e diuerso Rogerius Teutonicus e vestigio inter hostes se ingerit, plures eorum sternit, adeoq; strenue pugnat, vt eo die suo ipse brachio supra quinquaginta hostes occiderit, victoriamq; demum regiis pepererit. Simon etenim & Manfredus, viso Artalis animo, & Rogerii robore, fugam capessere omnium primi compelluntur, quos cæteri Claromontani sequuti, nihilo impigrius omnes terga verterunt. Sed regiis eos vsque ad Palmerium (quod non longe a Leontino aberat) cædendo insequentibus, Manfredus per loca aspera & difficilia discurrens, ad turrim Pantani salutem sibi quæsiuit. Simon vero laxatis habenis cursu velocissimo Leontinũ rediit: quó eodẽ vespere & Manfredus peruenit. Reliqui vero, qui cladi superfuerunt, fuga & ipsi seruati sunt. Cæsi sunt in eo bello ex Claromontanis supra ducentos equites, capti vero circiter quinquaginta, & inter eos Ioannes Septimus, & Ioannes Reciputus Leontinus. In quo vno prælio Leontinorum vires, Claromontanorum potentiam, ac regis Neapolitani in Sicilia imperium concidisse visum est. In nullo nanq; alio bello Claromontanorum tanta clades, sanguinisque effusio facta memoratur. Ea proinde victoria Ludouicus Rex animo elatus, ad Leontinũ subigendũ se conuertit. At cum sibi res nummaria deesset, Catanenses tarenorum decem per singulas frumenti salmas vectigali sibi imposito, tãtum breui auri confecere, vt sufficienti commeatu instructus ad id bellum rex sexcentos equites, peditumq; ingentem numerum, in Leontinensem obsidionem eduxerit. Erat in eo exercitu Blascus Alagona, Artalis Alagona, Ioannes de Luna Catanensis Præsul regio genere exortus, Matthæus Montecatinus, & alii fere oẽs regni Proceres. Cumq; fames valida Siciliã premeret, equites, dũ obsidione Leontinum vexarent, segetes terebant, & frumenta per Siciliæ oppida distribuebant. Leontini vero, cum annona indigerent, ea parte quæ ædem Diuæ Mariæ a Roccadia respicit, egressi, frumentatum ibant. Igitur regis exercitus cum pro mœnibus esset, oppidum maxime premebat. e contra Leontini e muris Regios balistis vexabant, freti Manfredi & Simonis Claromontanorum equitibus, qui ad quadringentos erant, & strenue oppidum defendebant. Cumque equites Regis muris essent propinqui, Manfredus veritus ne populus in seditionem moueretur, ad concionem plebẽ vocat, suspectisq; captis & carceri mancipatis, in singulis vicis fidissimos quosque milites disposuit, qui, si opus esset, seditiosorum hominum frænare possent audaciam. Ita Leontini & extra a Rege obsidebantur, & intra tyrannide

premebantur. Interea Rolandus Aragonius apud Syracusas Alderisium Aretiũ, Andriolum etiam Aretium, & Matthæum Campisanum Claromontanæ factionis iamdudum suspectos, exilio ad Sortinum mulctare decreuerat. Quo illi cognito, ne a plebe palam inuaderentur, nauicula noctu inscensa ad Anapum fl. quo Sortinum iter est, in terram descendunt. vbi a Regiis cogniti, inuasi trucidatiq;, vix tãdem sepulturam inuenere. Interea Nicolaus etiam Lancea Regius miles Buxemam cum equitibus excurrens, in equitatũ Simonis Comitis a Raguſanis missum incidit: quem non multo labore misere fudit oppressitque. In oppido quoq; Bizino oppidani plerique, quos iam Claromontanæ Tyrannidis pertæsum fuerat, tumultu excitato, inuocatoque regis nomine, in arce veteri se muniunt, & Ludouici auxilium implorant. Quo cum Rolandus Aragonius, Ioannes Landolina, & Bucherii Dominus cum copiis a rege missi, tardius aduenissent, a Barone Iulfi Claromontano, qui eos in oppido præuenerat, ab ingressu impediti sunt. Cumque nihil Regii exili obsidione proficerent, Rolandus Aragonius inde discedens ad Regem, qui & ipse rei pecuniariæ inopia Leontino Catanam fœde reuerti coactus fuerat, venit. Bizinenses coniurati, qui arcem Regis nomine tenebant, vna cũ arce ab hostibus capti, mortem penderunt. Proinde Simon & Manfredus Claromontani post discessum Regis Leontino in Menæum, Sortinum, Neetum, Caltagironum, & vicina alia Regis oppida egressi, frumenta quæcunque siue in horreis inuenerunt, deprædati, Leontinum detulerunt. Sed omnes hos bellorũ motus multo etiam sæuior clades secuta est. Nam circa id. Maii per omnem fere Siciliam innumera locustarum (quos Siculi patria lingua grillos cognominant) multitudo insolitæ magnitudinis, ac incertæ originis, in Catanæ præsertim regione apparuit. quæ segetes, vineta, nemora, hortos, atque arbores omnes tum domesticas tum syluestres, earumque etiam cortices amaros vsque ad radices vno vbique die depastæ, repentino vento in turmas acies que se discederunt, atque aliquandiu per aera delatæ ipsum etiã cœlũ obtegere sunt visæ. Postremo eodẽ flatu impulsæ in Ionium mare, cunctis rem miratu dignissimam cernentibus, submersæ sunt. Quorum postea corporibus in aceruum redactis, atque a fluctibus ad littora expulsis, inauditus putor ita aerem infecit, vt sæua pestis subsecuta omnem prope Siciliam toto mense Iulio populata sit. Qua Fridericus Dux Athenarũ & Neopatriæ, Randatii Marchio apud Catanã, Matthæus quoque Sclafanus Adrani Comes relictis Guilelmo Peralto citra, sed Matthæo Montecatino vltra fluuium Salsum hæredibus, per ea tempora apud Clusam, pluresque alii Siciliæ Proceres passim, atque innumera plebis multitudo subito confecti decessere. Ludouicus Rex salutem sibi quærens Acim primum, Mascalas deinde, ac denique Messanam perrexit. Porro sedata peste, in oppido Aydono plerique ex oppidanis primoribus sæuo Claromontanorum iugo oppressi, Regi Ludouico oppidum tradere statuũt. Quorum consilio Platiensibus (qui Claromontani erant, vt diximus) patefacto, eoque nomine quinquaginta illuc inde equitibus ad tutelam oppidi missis, coniurati veriti ne in manus hostium venirent, sumptis repente armis in tumultum abiere, frequentesque per oppidũ faustis pro Ludouico contra Claromontanos vocibus, plebem vniuersam ad se pellexere. cuius auxilio in hostes irruendo, cædendo, prædandoque, obuios quosque, ac equites demum Platienses exitii metu equis atque armis relictis, raptim in arcem confugere coegerunt. Sed & postridie ibidem Rogerius Teutonicus magno militum numero suffultus, Regis nomine affuit, Præfectumque oppido ex ciuibus virum strenuum deligit. Cæterum cũ Claromontanorum potentiam timens, Blascum Alagonam Catanæ agentem pro auxiliis solicitasset, nec ille tot bellis attritus succurrere posset: Simon Claromontanus de eorum angustiis factus certior, iusto peditatu ac equitatu instructus, Aydonum conuolauit: oppidumque ingressus per vim occupauit, atque coniuratos Regioſque ferro atque igne absumpsit. Rogerius Teutonicus his visis, cum pedester esset, suffurato equo relictis sociis fuga salutem sibi redemit. Dum hæc ibi geruntur, Ludouicus Rex Messanæ Fridericum germanum fratrem Athenarũ & Neopatriæ Ducem instituit: atque inde postmodum lue extincta Catanam reuersus est.

est. Post aliquot vero dies recreandi animi gratia Acim petiit. Vbi statim in morbũ letalem lapsus, die decimosexto Octobris anno salutis. 1355. decem & septem natus annos, duodecim vero Regno potitus, Friderico fratre in regnum suffecto, fato functus est. Eius cadauer eodẽ die Catanam extra mœnia ad ædem. D. Mariæ Lagrandi asportatum, die vero sequenti longo Procerum ac ciuium omnium ordine ad templum maximum. D. Agathę traductum, more regio tumulatũ est. Quarto deinde die (qui vigesimus mensis Octobris dies fuit) Blascus Alagona Catanæ & ipse febre correptus, Artali, Blasco, & Ioanne relictis filiis, decessit, atq; in maximo quoque templo sepulturæ est traditus.

DE FRIDERICO TERTIO Siciliæ rege, quem Simplicem appellabant.

CAPVT VI.

MORTVO Ludouico, Fridericus eius germanus frater, cognomento Simplex, tredecim tum natus annos, grauiter adhuc Messanæ decũbens, in Siciliæ regnum hæreditario iure successit. Qui vt primum conualuit, Proceres omnes, atque vrbium oppidorumque omnium Syndicos, ad Comitia de more Messanam conuocauit. Quo dum Riccardus Abbas Drepanita naui sua cursum tendit, sæua tempestate suborta ad littus Panormitanum seruatis nauigantibus fœdum naufragium passus, in Claromontanorum manus venit, captusq; cum sociis in carcerem detrusus est. Proinde habitis ad nonum Calend. Decembris apud Messanam Comitiis, præstitoque regi ab omnibus fidei auctoramento, Eufemia regis germana soror a rege totius cõuentus consilio regni Vicaria est instituta. Interea Aloysia Comitissa Matthæi Sclafani filia, & Guilelmi Peraltæ vxor, dum Sclafanum (cuius erat Domina) ad lugendam Ludouici regis mortem, soluendasque defuncto inferias, extra mœnia ad ædem. D. Mariæ pergit: Matheus Montecatinus, eius ex sorore nepos, oppidũ inuadit, ac sibi, quod materno sibi iure debitum assereret, occupat. Eodem ferme tempore Bonifacius Aragonius Petri secundi Siciliæ regis consobrinus, arcis & vrbis Pactarum, ac Tyndaridis etiam præfectus, a Sancio Aragonio consobrino, vtriusque oppidi Præfectura eodem pene fraudis genere exuitur. Nam cum Bonifacius quosdam Pactenses exilio mulctasset, & illi eius armenta perfregissent, Sancio consobrino, qui oppido. S. Marci præerat, Pactarum commissa præfectura, ad vlciscendam iniuriam contra exules militibus instructus egreditur. sed ciuibus id ægre referentibus, & aduersus eum vna cum exulibus irruentibus, ipse factus inferior, cum in arcem fuga contenderet, a Sancio cum Pactensibus in eius vitam fœdere cõiuncto, præclusis foribus, & arce & oppido expellitur, ac deinde Tyndari, quæ illius etiam præfecturæ erat, priuatur, & Friderico Regi traditur. Dum hæc ad Pactas geruntur, Blascus Artalis germanus frater oppidi Montis Albani paterno iure Dominus, submoto Ioanne Arloco Catanensem quẽdam oppido præfecit. Quod cum Arlocus iniquo tulisset animo, & contra Blascum obloqui nõ cessaret, Blascus eũ a Præfecto bonis spoliari, vinctũq; ad se duci iubet. Porro dũ vinctus Catanam ducitur, ab vrbe. p. m. filius eius milite suffultus in ministros patrem ducentes irruit, vitãq; regi, Rubeis, ac populo precatus, fugiẽtes insequitur, duobusq; interfectis, atq; liberato patre, ad oppidum pergens, Montem Albanum capit, abrogatoq; Catanẽsi Præfecto arce etiam potitur. Sub idem tempus Ioannes Alagona, tertius istorũ frater, Nasi oppidi Dominus, Principatu a Præfecto suo & plebe ex tumultu repente excitato deiicitur. Quod tamen paulo post per oppidanos facti pœnitẽtia ductos confosso pugionibus Præfecto recepit. Post hæc dum tantib. adhuc inter Catanẽses & Leõtinos dissidiis, Artalis Alagona, & Mãfredus Claromõtanus, & suo & regis nomine inter Claromõtanos inducias fecere. Verũ

paulo

paulo post Guilelmo Manescalco milite Castri oppidi,& arcis Præfecto,apud Catanam ad solennia.D.Agathæ festa agente,plerique oppidani Claromontanorum studiosi accitis Mylensibus amicis Castrum oppidum occupant, & Aloysio regi Neapolitano tradunt. Eodem ferme tempore Franciscus Vintimilius suspectum habens Philippum fratrem, magno militum numero Policium, cui hic præerat,inuadit, capit, Præfectoque occiso arcem etiam expugnat, & occupat. Oliuetius deinde Protonotarius, miles Messanensis, vna cum Philippo Cipero, Thomasio Bufalo,magnæ regiæ curiæ Iudicibus, & plerisque aliis, inito cum Regis hostibus fœdere, oppidum Sanctæ Luciæ ad Regem Neapolitanum deficere coniurauerat. Quo Henricus Rubeus Messanæ Præses cognito,eos ad se accersit. At illi eo spreto, ad Eufemiam regis sororem & regni Vicariam rem deferunt. Quod Henricus ægre ferens, ad regem Messanæ rem ducere decreuit. Sed neque id illi ex sententia cessit. Nam Vicaria & Francisco Vintimilio authoribus rex Ráidatium profecturus Tauromenium venit. Vnde expetente Artali Alagona, inuitis Henrico Rubeo, Vicaria,& Francisco Vintimilio Catanam perrexit. Quo facto Henricus adeo in Artalem odio exarsit,vt fœdus cum Friderico Claromontano& Friderico Vintimilio in eius perniciem, Eufemiæ etiam consensu,inierit.ac deinde confœderati facto agmine Siciliam excurrentes, Assorum,Ennam,Mistrettam, Castrum Leonis, Francauillam, Abolam, S. Luciam, Nicosiam, arcem Casliblim,& arcem Tauromenii inferiorem cepere.quorum exemplo & complura alia oppida ad eorum etiam imperium transfugere. Sed interea Mazarenses, Claromontanorum vexationes perosi, ad Georgium Graffæum, qui apud Marsalenses exulabat,vt cum militibus Mazaram ad vrbem Friderici regis nomine per deditionem recipiendam veniat,mittunt. Georgius congregatis equitibus ducentis, confestim eo contendit. Verum cum iam vrbi appropinquaret, contra hostium occursus militum insidias disponit.Interea Mazarensis Præfectus præcognito hostis aduentu milites instruit, atque vrbe egressus aduenientes excipit: eosque vsq; ad vallem dedita opera fugientes insequitur. Vbi tum e latebris Graffei milites egressi,Præfectum vna cum suis adorti, ad fugam continuo compulere. Quos Georgius vsque ad ciuitatis mœnia insecutus cædit paucis exceptis, qui per stagnum salutem sunt adepti.Georgius vbi ad vrbem venit,portas reseratas videt,factoque impetu vrbem ingreditur, eamque regiis, qui eum accersierant, occurrentibus atque auxiliantibus,occupat. Verum non diuturna ea lætitia fuit. Nam cum postmodum Christiensibus Catalanis auxilia petentibus,quotquot milites habebat,vel reluctantibus Mazarensibus misisset,Fridericus Claromontanus coacta militū manu vrbem præsidio vacuam adortus breui expugnauit, militibusque in prædam exposuit. Interea & Manfredus Friderici frater armatorum acie instructus,Casiblim arcem aggredi pergit.Cuius aduentu Rolandus Aragonius, qui eam tenebat,præcognito, cum viribus inferiorem se cognosceret, arce triginta cum equitibus deserta Syracusas aufugit. Atque ita Manfredus nullo labore Casibli capta Syracusas mouet,eius agros populatur, demumque suburbanis domibus incensis,vrbem terra militibus,nauigio mari obsidens, ingressum omnibus egressumq; interdixit.Syracusani obsidione pressi Catanam pro suppetiis nuntios cum tribus nauiculis exploratoriis mittunt. Sed nuntii cum auxilia non impetrassent,duobus nauigiis,quæ in Catanæ portu forte erant, per vim captis armatisque, Syracusas cursum intendunt,atque in itinere Augustanorum agris, in quos descenderant, incendio fœdatis, Syracusas tandem applicant,nauigium Claromontanorum fugant,portum subeunt, vrbemque mari liberant.Quo facto Manfredus terrestri etiam obsidione soluta,ad arcem Casiblis reuerti coactus est. Nec multo post Mathæus Rusticus miles Caltagironensis, impetratis ab Ioāne Barresio Militelli Domino vigintiquinque equitibus, & pluribus aliis a se coactis, Raguſam venit, eius agros vastat,atque ingenti inde armētorum aliarumque rerum capta præda Caltagironum rediit. At cum in suam rem propensior, inique prædam distribuisset, equites Militellani ei se contumelioſi opposuere. In quos ille irruens spoliatos multis vulneribus confodit. Cuius facinoris conscientia regis indignationem veritus,

per

per seditionem supplicium declinare deliberat. Igitur armatorum multitudine fretus Caltagironi motus excitat, vicosque peruagatus, frequentatis & eis publicis vocibus Vicariam viuere, Rubeos, & plebem, conclamitat: Friderici Regis a Proceribus ob eius inscitiam contempti nomen & imperium abrogat, oppido potitur. Sed paucis post diebus a suis ipse propinquis, qui factioni non adhæserant, impetitus, merita morte facinorosam vitam perdidit, & ad Fridericum regem oppidum rediit. Post hæc Henricus Rubeus numeroso & peditatu & equitatu comparato, cum Euphemia Vicaria & Francisco Vintimilio Troynam venit. vbi ex seditiosorum & obæratorum colluuione mirum in modum aucto exercitu, ad Artalem cum rege ad Paternionem agentẽ Legatos destinauit, vt aut regem ei liberum exhiberet, aut cruentum bellum expectaret. Nec tamen inter hæc responsum præstolatus, iter prosequitur, Mottam Sanctæ Anastasiæ venit: atq; inde quod futurũ erat, prudentia militari præsagiens, iuxta ædem. D. Ioannis a medio campo in insidiis subsidet. In quas postmodum Catanenses a rege in subsidiũ vocati, multos eorum improuiso illapsi turpiter fugant: qui ad ædem. S. Christophori. m. p. a Paternione distantem euasere. Capti vero plurimi: & inter eos Iacobum Lamiam, Ioannem Lamiã milites regis domesticos, omnesq; regios, Rubeus libertate donauit, Rogerium aũt Mustaciũ & cæteros carceri addixit. Artalis in ea clade cum pecuniis ad bellũ opportunis indigeret, Catanam noctu reuertitur, vectigal consensu plebis super frumentis imponit. quod cũ ciues ægre ob inopiã persoluerẽt, breui abrogauit. Porro Henricus cum militibus interea agros Catanenses excurrit; vineta, segetes, ac oliueta ea parte vbi stagnum est, (quod Gurgitem Paternionis vernacule vocant) igne omnia vastat. Sed & villici Catanenses qui vicatim AEtnã incolunt, Matthæum Vaccariam Artalis domesticum virum flagitiosum occidũt. Nec multũ abfuit quin Artalem ipsum, quum forte Paternionem ad regem rediturus per nemus incederet, rati quod Vaccariæ mortem vlturus contra ipsos venisset, in ipsum velut hostem toto impetu irruentes in eo æstu interfecerint: contra quem etiã mox cum Henrico Rubeo confœderati nouo in Catanenses agros impetu feruntur, atq; decem ferme boũ pecorumq; milia abacta ad Rubeum deduxere. Sed paulo post hortatu Præfecti Catanensis, promissa de male actis venia, deserto Henrico Catanam conuenere, & ad Artalis pedes prouoluti veniã obtinuere: factaq; prædæ restitutione, ex publica seditione odiisq; capitalibus magnã repente amicitiam cum Artali cõtraxere. Qua immutatione offensus Rubeus, cum vniuersa factione Paternionem oppidum noctu inuadere statuit. Quod vbi Artalis per ipsius Henrici familiarem quendam cognouit, Stephanum Romanum Messanensem, sed Paternionensem incolam, coniurationis participem cepit; ac tormentorum vi rem omnem ab eo extorsit, oppidumque præsidio & opere muniuit. Cuius illi potiundi spe ita frustrati, suburbium primum, agrosque eius circumiacentes, incendio consumpserunt. subinde cum pagi Valcurrentis Domino Henrici consobrino, trecentisque equitibus, ac peditatu idoneo progressi, Catanenses etiam agros incenderunt. Sed Catanenses e diuerso illis alio versis, cũ armis egressi, in Mottam, vbi Valcurrentis Dominus se tuebatur, acceptas iniurias refuderunt, & pluribus quã acceperant dãnis affecere. Interea Henricus & Franciscus, mutatis repente animis, (sed qua causa incertũ) cum Vicaria Mylas profecti, Nicolaum Cæsarium & Iacobum Aloysium milites Messanenses, qui Neapolitani regis nomine id oppidum tenebant, promissa eis defectionis impunitate, ad regis Friderici fidem pertrahunt, atq; oppidum regis nomine recipiunt. Cumq; milites qui arcis præsidio & turri magnæ præerant, deditionem facere nollent; eos Nicolaus & eius milites magna vi expugnatos ad vnum omnes occidere. Capto Mylis oppido, & cognito immanitatis horrore, cætera quoq; in eius planitie sita oppida in regis Friderici potestatẽ vltro deuenere. His gestis Vicaria, Henricus, Franciscus, & Nicolaus Cęsarius, ac cæteri proceres Messanã appulsi, maximo cum honore recipiuntur: & subinde Henricus cũ Artali inducias facit, & Franciscũ Vintimilium Strategũ Messanæ instituit. Porro cũ Henricus Mottã. D. Anastasiæ perrexisset, Messanenses pertæsi eius regiminis, qui luxuria, auaritia, & crudelitate

vrbem

vrbem fœdauerat, Cæsario adhærent, eumq; sibi ducem cõtra Henricum deligũt; ac Philippum Cipero & Thomasium Bufalum magnæ regiæ curiæ Iudices, & oẽs proceres qui ab Henrico exulauerant, in vrbem introducunt: ac repente plebs populusque Messanensis cũ Duce pridie Calend. Iulias motu publico inclamata Friderici vita, ac Rubeorum morte, in Rubeos omnes, quorum Messanæ non contemnenda erat manus, extreme sæuitum est. Nam effractis, direptis, incensisque eorum ædibus, quotquot inuenti sunt, rubro sanguine fœdati interiere. In eo tumultu Franciscus Vintimilius, quem Strategum ante profectionem suam Hericus ciuitati præfecerat, metu perculsus, ad Tauromenium fuga salutem inuenit. Damianus Sallinpipi miles Henrici consultor, desertis fœderatis omnibus Catanam petiit. Guilelmus Rubeus Henrici germanus frater ad Sauocæ arcem aufugit. Plerique in arce vel Mattagriffoni, vel. D. Saluatoris se tutati sunt: nec quisquam eo die e Rubeorum sobole Messanæ superfuit. Henricus his cognitis ira percitus Neetum petit, Præfectum hortatur vt abnegato Friderici regis nomine oppidum tradat. Sed ab oppidanis expulsus Caltagironum perrexit. Vbi etiam oppido tentato fœde expulsus Mottam regreditur, atque inducias quas cum Artali & Catanẽsibus fecerat, aperte rumpit. Tauromenium deinde ad Franciscum Vintimilium Comitem venit, iunctisque cum eo armis, coactisq; militibus, contra Messanam simul mouent. At Messanenses simul magno animo contra egrediuntur, in eos irruunt, atque vsque ad arcem Scalettæ insequuntur, inuadunt, occidunt, Ducibus ad Sauocam fugatis. vbi Franciscus relicto Henrico Giracium se contulit. Messanenses cæsis Rubeis, Artalem Alagonam per certos nuntios ad se conuocãt. Qui confestim eo cum selecto militum numero profectus, honorifice susceptus est, & subinde. 5. Calend. Augusti. cum Vicaria Catanam reuersus Regi sororem reconciliauit. Nec multo post Simon ac cæteri Claromontani, Nicolao Cæsario intercedente, cum rege gratiam iniere. Sed ea pax a plerisque Catalanis piraticam in Sicilia exercentibus, qui Simonis nuntios quo ad regem Catanam nauigio Augustano miserat, interceptos Syracusis vendiderunt, turbata est. Ea nanque iniuria in nouas iras excitati Claromontani & Leontini, inducias quas cum Catanensibus pepigerant, violarunt: agrosque eorum adorti hostiliter incendere. Post hæc Artalis educto exercitu, cõtra Mottam. S. Anastasia Henrici asylum mouet, & promœnibus castra locat. Machina postea constructa oppidum oppugnat: sed oppidanis strenue se defendentibus, quibus & situs opitulabatur, soluta obsidione, agrisque eorum vastatis & incensis, Catanam repetiit. Post hęc Fridericus rex, Artalis & Vicaria, magno exercitu contra Caltabianum mouent. vbi dum essent, rex Castrum Leonis, Francauillam, & Randatium oppida, quæ duce Gilio Statella a Friderico rege ad Henricum & Franciscum nuper desciuerant, oppidanis vltro se dedentibus recepit, auctusque his victoriis Catanam inde rediit. Quibus cognitis Henricus cum labi atque in deterius in dies ruere res suas videret, pacem cum Friderico & Manfredo Claromontanis contra regem iniit, & cum eis ducentisq; equitibus Mottam venit, in agros Catanenses totis viribus effunditur, & ad tumulum a medio Campo cognominatum tandem constitit. Quo percepto Artalis cataphracto & ipse milite comitatus contra egressus, locata per sagittæ iactum ab eorum castris statione sua, ad certamen hostes prouocabat. At illi cum se inferiores cognoscerent, discrimen veriti, fœdo inde discessu abierunt. At Franciscus Vintimilius vbi Henricum cum Claromontanis contra Regem fœderatum cognouit, e diuerso ad Regem ipse cum Emanuele & Riccardo germanis fratribus statim se transtulit. Qui cum postea regi, cui maxime gratus erat, Henricum Rubeum per Riccardum fratrem reconciliare studeret, Rubeus in sua pertinacia perseuerans, Riccardum compositionis internuntium per insidias cepit, & carceri addixit, & nonnisi Leontinorum plurium, qui Catanæ & Menæi vincti a Rege detinebantur, commutatione, libertati restituit. Post hæc plerique Syracusani cum Syracusas regi Neapolitano tradere decreuissent, & ad id triremes duę e Calabria ad frumẽti emporium Angnuni nominatum a Neapolitano missæ appulissent, Rolandus Aragonius, qui Syracusis præerat, cognita coniuratione, eius authores & participes omnes

omnes e vestigio compræhensos furca suspendit. quo facto triremes Neapolim sunt reuersæ. Dum hæc Syracusis geruntur, Nicolaus Cæsarius, qui Messanæ præerat, sola incõstantia ductus, cum Messana vrbe a Friderico Rege ad Aloysium hac arte defecit. Nam tametsi Regis nomine vrbi præesset, Mattagriffoni tamen arx a Rubei propinquis strenue adhuc tenebatur. Quam cum expugnari posse viribus diffideret, ad fraudem sibi postmodum exitiosam transiit. Friderico itaq; Claromontano Regis hosti scribit, se Claromontanorum nomine Messanam tenere, & vt ab Henrico Rubeo Mattagriffonum arcem, sine qua vrbem expugnatu fore facilem asserebat, impetret, hortatur. Cuius Fridericus verbis captus, ab Hẽrico arcem habet, eamq; Nicolao credit. Is ea recepta, amotoq; statim Rubeorum insigni, (quod rubeus cum stella in medio campus est) Regis signa erigit. Sed omnia hæc simulate, vt animũ officii prætextu celaret. Nam cum Aloysio Rege clam interea transigit. Cuius cum ad facinus patrandum auxilia habuisset, Cal. Ian. vna cum Gilio Stayto Messanensi milite, edito nocturno per vrbem tumultu, perfidum animum coniurationemq; hostilem prodidit. Vbi pellecta in Aloysii fidem, Regisq; Friderici odium plebs, palam cum eo ac toto coniuratorum agmine, in Corradi Lanceæ (quem ibi Fridericus Rex Admiratum habebat) ędes impetum faciunt, fortunas diripiunt, domum incendunt: ad arcem dein. D. Saluatoris progressi, magnum Aloysii Senescallum, qui pridie ad id eo clam e Neapoli conuenerat, Regio honore excipiunt, atq; in vrbẽ publica gratulatione ac ciuiũ pompa introducunt, vrbis claues ac imperium Regis nomine tradunt. Deinde ad Palatium Regium delati, Blancam & Violantam Friderici Regis sorores, quæ ibi morabantur, capiunt, & aliquandiu sub custodia detentas Rhegium ad Aloysium Regem, & Ioannam eius vxorem, (qui cognita Messanæ defectione eo e Neapoli applicuerant) Philippi Ciperi Iudicis, & Petri Ciperi eius germani fratris sub custodia transmiserunt: quas Aloysius Rex honestissime suscepit. Nec multo post Aloysius Rex priuatum hominem mentitus, Messanam cum triremi traiecit, atq; in Palatio pransus est. Quo resciro Messanenses cateruatim ad eum visendum confluxere. Sed ipse cum eorum fidem exploratam adhuc non haberet, statim triremem Rhegium reuersurus ascendit, atque ex alta demum puppi sese populo eminus ostendit. Tum repente tota ciuitas, viri Principes, ac conferta quorumuis hominum multitudo, cum nauigiis Rhegium vsque secuti, ipsum ibi atque Ioannam vxorem Siciliæ Reges aperte consalutant, gratulanturq;, & vt Messanam veniant, vna voce omnes comprecantur. Igitur 7. Cal. Ian. Aloysius & Ioanna Reges Messanam veniunt. Vbi Regio honore faustisque populi acclamationibus exceptis, summa potestatis initia susceperunt. Die sequenti, qui natalis Domino festus fuit, Nicolaum Cæsarium totius coniurationis authorem Comitatus titulo Montis Albani oppidi insigniuit, nec non Tripi & Naso oppidis ditauit: plerosq; etiam Messanenses Regios milites constituit. Ita Messana vrbs ciuibus agentibus suo se veteri hosti vltro subiicit. Ea fama per vicinas regiones diuulgata, Simon Claromontanus Comes Manfredum, qui Leontino adhuc dominabatur, totius suæ stirpis factionisq; nomine ad Aloysium præmittit. Dein ipse cum magno militum numero Messanam ad eum venit, vt Regem salutat, simul & adorat. At cum Blancam Friderici Regis sororem, quam captiuam Aloysius apud Rhegium tenebat, in vxorem ambiret: Aloysius veritus ne hoc ei matrimonium ad captandam vxorio iure Siciliam officeret, consensum ei ad nuptias recusauit. Qua repulsa exanimatus Simon a Friderico Rege per literas Matthæi Palicii filiam sibi olim ante bella desponsatam petiit. Sed dum illa Friderico assentiente ad iter se parat, Simon Messanæ morbo correptus 16. Cal. Aprilis decessit. Quo mortuo Manfredus cum cæteris Claromontanis, qui Messanæ erant, duabus cum triremibus, ac vndecim prædatoriis nauibus frumento onustis, Messana discedunt, atque Catanam prętertecti, (vbi ex alto Aloysii nomen ingeminantes, Friderico illudebant) Leontinum, quod annonæ tum caritate premebatur, applicant. Sed interea Marrazanus Manfredi a secretis, dum Messana Leontinum redit, ad Catanam interceptus & tormentis actus, multa hostium arcana Friderico Regi prodidit. Quod

vbi Manfredus cognouit, iniuriæ contumelia quinq; milites Friderici Regis ſtudioſos furca ſuſpendit. Poſt hæc Sancius Aragonius Pactis vrbe Aloyſio prodita, ſocia arma cum Neapolitanis iungit, S. Philadelphum oppidum petit, eius agros populatur, boumque inde ac pecorum ad viginti circiter milia prædam capit. Sed & eodem ferme tempore Aloyſius ipſe Nicolaum Cæſarium, Gilium Staytum, ac equites mille, totidemque pedites, quibus magnus eius Maneſcalcus præerat, ad Montem Albanum oppidum, circumuicina Friderici loca depopulatum miſit. Quo Fridericus Rex cognito Artalem Alagonam centum cum equitibus ad hoſtium iter explorandum direxit. Porro Aloyſii milites poſtquam plurima damna vicinis Monti Albano & Pactis vrbi intulerunt, contra Francauillam & Caſtrum Leonis mouent. Quod cum fruſtra oppugnaſſent, Linguã groſſam oppidulum petentes nullo labore ceperunt. Maſcalas deinde, atq; mox Rigitanum vicum excurrunt. Artalis vbi hoſtes veniſſe per exploratores didicit, & ipſe cum exercitu eo ſe contulit, atque verticem Niſetum nomine occupauit. Quo dum in eum ſtatim hoſtes irruptionem parant, Artalis victorię deſperatione actus, inde diſcedens, Catanam retro abiit. Cuius diſceſſu prælio fruſtrati hoſtes, inflammatos ad bellum animos ad Acim oppidulum explicuere. Quod tametſi valido præſidio munitum, terreſtri maritimaque obſidione adorti, effractis ſubinde portis expugnant, viros quotquot reperiunt, trucidant, virgines ſtuprant, matronas violant, bona diripiunt, arce potiuntur, & nihil ſibi ad extremas iniurias reliqui faciunt. Poſt hæc viros omnes Ætnenſes vſque ad Trium Caſtanearum vicum inuadunt, rapinisque & incendio fœdant, ac demum ingenti hominum rerumq; omnium præda expleti ad Acim oppidum reuertuntur. Fridericus Rex his auditis confeſtim Franciſcum Vintimilium, aliosque Siciliæ Proceres, necnon milites quotquot ad bellum aptos habebat, Catanam ad ſe vocat. vbi equites ſupra mille, pedites vero ad tria milia ſunt connumerati. Sed in hoc apparatu, hoſtium nomine per caduceatorem bellũ noſtris indicitur. Quod cum Catanenſes annuiſſent, pro loco pugnæ ædiculæ D. Mariæ a turbi cognominatæ planities, diesque prælii vigeſimus quintus Maii ea lege, vt liber eſſet ad aream vtriſque acceſſus, dictus eſt. Verum hoſtes cum forte ſe viribus inferiores viderent, pugnam quidem detrectarunt: obſidionem tamen vrbi & nauale & terreſtrem intulere. Interea duæ Catalanorum triremes cum vna naui Catanam ex inſperato cum ſuperueniſſent, Artalis inopinato auxilio erectus, duo & ipſe nauigia, quæ ad terram erant ſubducta, continuo parari iubet. atque ita quinque nauigiorum inſtructa claſſe, contra quatuor hoſtium triremes dimicare decernit. Triremem ſigniferam noctu Artalis aſcendit: decemque in ea faces, vt eorum ſplendore maiorem claſſis numerum hoſtibus ſimularet, accendi facit. Subinde ad portum Onginæ, vbi & hoſtium claſſis in alto mari conſiſtebat, curſum dirigit: ibique dato belli ſigno in hoſtes primus irruit. quem cæteri non minori ardore ſecuti, magnis vocibus Alagonam iterantes, bellum intentant. hoſtes e contra acerrime propugnant, noſtros baliſtis & lapidibus vrgent, Siculos & Catalanos, & ipſum Artalem in primis vulnerant. Qui repentino nec letali ictu irritatus, in vindictam animo incenditur, primus omnium in vnam eorum triremem inſcendit, ſuisque ad eandem audaciam proruentibus magnam in aduerſarios ſtragem edit. Quorum plures ne in Siculorum manus venirent, in mare ſe deiiciunt: inter quos Antonius Grimaldus Genuenſis præceps ſe ſubmerſit. cuius triremis, & altera quoque Liparenſis cum Antonio Rubeo captæ ſunt: tertia, quæ ex Iſcla venerat, remorum velocitate periculum euaſit. Captæ etiam naues hoſtium duæ, quæ e Caſtro maris Neapolitani aduenerant. Hoſtes autem omnes (centum exceptis) cæſi fuerunt: quorum ſanguine infectum mare ruborem induit. Artalis porro hac inſigni victoria potitus, facta prædæ ac pecuniæ inter milites diſtributione, Catanam cum triremibus reuerſus, cum maximo honore populiq; acclamationibus tanquã ciuitatis ſeruator receptus eſt. Hoſtes vero, qui terra vrbem circuierant, intellecta ſuorum ſtrage, præ timore conterriti, ſoluta obſidione Meſſanam verſus inde recedunt. Quos cum Siculi lento gradu incedere viderent,

viderent, Guido Vintimilius, Corradus Spatafora, & Nicolaus Lancea cum centum equitibus in poſtremam eorum aciem impetum faciunt. Sed hoſtes retrouerſi acerrime ſe defendunt. Vbi Corradus imprudenter ſeſe globo immiſcens, cæſis proſtratisq; pluribus, ipſe tandem a Teutonico quodam milite, perrupta bipennis ictu caſſide, letaliter vulneratus, in ceruicem equi dilapſus fortiter occubuit. Quo amiſſo fracti Siculi Catanam reuertuntur. Sed non eo fœlicius cum hoſtibus actum eſt. Nam cum in tranſitu ad Maſcalas caſtra poſuiſſent, villici Ætnæi facto maximo armatorum numero, primam eorum aciem, cui magnus Mareſcallus præerat, exceperunt, atq; ad Maſcalas ſtrenue eos retro abigunt. Quorum fuga peruulgata Tauromenitani, Caſtellionenſes, Caltabianenſes, Linguagroſſenſes vno omnes agmine egreſſi, in ſecundam & tertiam eorum aciem adeo vires exercuere, vt eo bello ſupra duo hoſtium milia interempta ſint, & magna pars capta, & inter eos Raymundus Balzus vir genere clarus, & Aloyſii Regis Camerarius maior, ad arcem Francauillam carceri ſit addictus. Qua in victoria tantum & prædæ & ſpoliorum fuit acquiſitum, vt ad mutãdam villicorum omnium conditionem, ditandosque milites ſuffecerit: quos deinceps in ſericis veſtibus, ac purpura indutos videre non iniucundum erat. Inter hæc Henricus Rubeus nuntiata Corradi morte confeſtim Tauromeniũ prouolans, Regis nomine oppidi & arcis Præfecturam ſibi occupat. Quo poſtmodum & Fridericus cum Vicaria, Artali, cæterisque Proceribus, qui Catanæ erant, ad cognitam hoſtilis cladis famam conuenit. Vbi inter Artalem & Henricum Rubeum compoſita pace Raymundo Balzo, vt eius commutatione ſorores adhuc captiuas ab Aloyſio Rege reciperet, Francauillam perrexit. Sed Ioannes Mangiauacca oppidi arciſq; Prefectus captiuum Regi promittere noluit, niſi, ſi commutatio non fieret, pro illius redemptione ſex florenorũ milia pollicerentur, fideiubente Berardo Spatafora: cui, vt de præſtatione cautus eſſet, aurea Regis corona in pignus, & Raymundus in cuſtodiam dari debuerat. Sed fruſtratum eſt ſubito interuẽtu Regis conſilium. Nam dum hęc geruntur, Franciſcus Vintimilius Comes magna vi ab arce Francauilla Raymundum rapuit, & ſecum detinuit. Qua ratione Friderico in tam manifeſto procerum contẽptu, cum ſolo nomine Regem ageret, Simplicis ac Auriti nomen acceſſit: qua iniuria Rex affectus Catanam ſe recepit. Poſt hæc cum Andreas Tarantus ſpurius Caſiblis Claromontanorum nomine Præfectus, Syracuſas crebris excurſionibus infeſtaret, Rolandus Aragonius ad faſtidium vſq; laceſſitus, aſſumpto ſufficienti comitatu contra Caſiblim mouet. noctu cuſtodibus ſomno captis ſui milites rupẽ Caſtro prominentem ſcalis inſcẽdunt: mox arce tentata vnam eius turrim effractis magna vi portis capiunt, Regisq; ex ea inſigne erigunt. Cumque aliam deinde turrim eminentiorem eſſent aggreſſi, paruo negotio occupaſſent, niſi accipiter armatorum ſtrepitu experrectus ſublatis vocibus Præfectum & arcis cuſtodes excitaſſet. Qui vbi hoſtes arcem ingreſſos vident, tribus facibus de more accenſis vicinos amicos ad ferendas ſuppetias inuocant: atque ita Aragonii ab incepto interturbantur. Sed cum ſolus Ioannes Milana Buxemæ oppidi pro Claromontanis Præfectus in auxiliũ egreſſus, viſis Regis inſignibus ſero (quippe quod expugnatam iam arcem crederet) ſe veniſſe ratus, retro militem duxiſſet, Rolandus reſumptis viribus altetam tandem turrim oppugnando obtinuit. Ex qua Andreas in aliam turrim munitiſſimam profugus fortiter adhuc ac ſtrenue ſe defendebat. Inter hæc triremes Catalanorum duæ, quarum etiam opera Artalis ad Acim hoſtes ſuperauerat, littori Caſiblis applicant, milites in terram exponunt, arcem petunt, expugnant, ingrediuntur: Andream ac cæteros eius præſidiarios milites capiunt, cuncta diripiunt, ac prædam inter ſe diuidunt. Sed & Ioannes Landolina Neeti oppidi pro Friderico Rege Præfectus, eodem cum copiis Rolando auxiliaturus ſuperuenit. Qui vbi oppidum captum offendit, Andreæ Taranto communi hoſti aurem & maxillam reſcidit, reſciſſas ſecum in victoriæ ſignũ Neetum detulit. Rolandus vero oppido præſidiis regiis munito, Syracuſas & ipſe cum captiuis triumphator rediit. vbi Andreas Tarantus plebi in ludibrium expoſitus, tota vrbe traductus miſere trucidatus eſt. Subinde Fridericus Rex cum Vicaria & Artali e

Catana Gallanum venit, vt ibi tutum ad se Proceres habere possent accessum. Sed interea Fridericus Claromontanus Aloysio Regi fidem iuraturus, cum duabus triremibus Panormo Messanam venit. Cui Aloysius extra mœnia ad locum vsq; Columnarum appellatum cum Regia familia, ac Principum omnium ciuiúq; caterua obuiam factus summam benignitatem exhibuit. Post hæc Guilelmus Manuscallus Messanēsis miles excogitata ad Henricum intercipiendum industria, se ei Castrum & Tripim, quæ Aloysii nomine tenebat oppida, Regi Friderico deditum, si vel ipse veniat, vel eo milites ad id opus idoneos mitteret, scribit. Henricus eius verbis captus, centum circiter equites, pedites vero ad multo maiorem numerum eo expedit. Quos Guilelmus benigne susceptos, atque opipara cœna expletos per cubicula etiam distincta dispositi. Sed noctu dormientes cum militibus & oppidanis adortus, omnes (præter paucos, quos captos Messanam destinauit) misere interfecit, eorumque spoliis ditatus, Regi Aloysio proditione acceptus est redditus. Post hæc Aloysius Rex Nicolao Cæsario & Angelo Comite constitutis Messanæ Præfectis, & Messanensibus quibusdam suspectis in mare demersis, plerisque interfectis, multis etiam secum assumptis, cum Ioanna Regina Neapolim se retulit. Cum quo post discessum Ioannes Mangiauacca extremę sortis homo, & qui ex famulo humili ad oppidorum gubernacula Friderici beneficio ascenderat, perfidum fœdus iniit, & in Calabriam pluries ad eius congressum traiecit, nec in Francauilla quenquam Friderici Regis studiosum ingredi passus, oppidum opere & præsidio munit, & contra Siculos vicinos incursiones ac prędationes agere, & mox Castrum Leonem obsidere, eius agros vastare, atque armenta prædari, & palam etiam contra Regios bellum gerere cœpit. Nicolaus quoq; eius germanus frater oppidum fl. Nisi, cui Ioannis nomine præerat, Neapolitano tradere quærit, plebemque Friderici studiosam duris vectigalibus opprimit. Quibus moti oppidani tumultum excitant, in eum insurgunt, capiunt, vinctumq; ad Henricum Rubeum Tauromenium deducunt: a quo cum duobus aliis germanis eius fratribus tetrum in carcerem detrusus est. Post hæc Pactenses defectionis quam ad Aloysium Regem fecerant, pertæsi, erectis Friderici Regis insignibus, rursus ei adhæserunt. Sed cum arcem quæ Aloysio parebat, obsiderent, auxiliaque per certos nuntios a Friderico petiissent, dum suppetias expectant, Sancius Aragonius pro Aloysio cum copiis eo festinato itinere profectus, vrbem populatus, incendio demum consumpsit, ac deseruit. Guilelmus deinde Manescallus per internuntios Friderico Regi se subdidit, sublatisque ex arce & oppido Tripis Aloysii Regis insignibus, Friderici vexilla erigit: necnon hostium agros ad Messanam vsque excurrens populatur & incendit. Cuius repentinæ mutationis causa hæc a scriptoribus traditur. Erat ei Bartolinus miles satis domesticus: qui cum Nicolao Cæsario Tripim se traditurum promisisset, signumque patrandi facinoris tres flammas in arce accendendas dedisset, quibus conspicatis ad oppidum capiendum mitteret, Guilelmi famulum quendam auro promisso ad domini necem solicitat. Is etsi oretenus facturum se quod petebat, promisisset, Guilelmo tamen e vestigio rem omnem credidit. Quo nuntio consternatus Guilelmus Bartolinum capit, atque ab eo facinus, vt a famulo didicerat, tormentis extorquet, doloque dolum egregie illudit. Nam per noctem præfixa hora tres faces ad arcem incendit. Quo signo statim a Nicolao missos ad arcem milites cepit: quos ad Fridericum Regem Randatium misit. Vbi Bartolinus capitis reus misere per vicos oppidi traductus horrendo mortis genere, cæteri vero in furca vitam finiere. Interea etiam Artalis Alagona cum pluries a Ioanne Mangiauacca Regis nomine Francauillam frustra requisisset, cum magnis copiis Castrū Leonis petiit, ac rursus oppidum ab eo popoſcit. Ioannes bellum sibi imminere videns deditionem fecit, & Friderico Regi adhæsit. Post hæc cum Leontini fame premerentur, inter eos & Catanenses, ac oppida Aloysii & Friderici Regum induciæ conuenere. Quibus ex parte Friderici Regis hæc comprehensa sunt oppida, Catana, Syracusæ, Sortinum, Neetum, Casiblis, Bucherium, Ferula, Assorum, Argyra, Nicosia, Gallanum, Enna, Adranum, Paternio, Acis, Menæū, Tauromenium,

menium, Caltabianum, & Castrum Leonis: ex parte Aloysii Regis, Leontinum, Buxema, Palazolum, Ragusa cum suo Comitatu, Bizinum, Caltagironis, Platia, & Augusta: Motta vero S. Anastasiæ cùm Henrici Rubei Comitis vtriusq; eo tempore partis amici iuris esset, merito prætermissa est. Hæ induciæ a 13. Cal. Decembris vsq; ad decimum sextum Cal. Aprilis perseuerarunt, ac tum Artalis Alagona, qui Friderici Regis nomine eas non firmauerat, terrestri exercitu iustaque expeditione Leontinum est aggressus. Interea Guilelmus Menescalcus animo inconstans ad Regis Aloysii imperium est reuersus. cuius inconstantiam Comes Angelus, Nicolaus Cæsarius, & cæteri proceres, admirati, etsi eum recepissent, Magistrum tamen Guilelmum eum vocabant. quem paulo post ob frequentes desciciones, & nouam seditionem Messanæ tentatam, Nicolaus carceri mancipauit. Quo casu Tripis Præfectus cum oppido simul ad Fridericum Regem defecit. Eodem fere tempore Rogerius Teutonicus Gallani Dominus cum nimis dure oppidanos premeret, in eum illi coniurarunt. Quo cognito Rogerius ad arcem coniurationis authores vocat. Illi, qui primores erant, oppidi iuramento firmati, arcem petunt, & in Rogerium impetu facto eum capiunt, vinciunt, verberant, & oppido expellunt, Friderici Regis nomine inuocato. Erat eo tempore Fridericus cũ Vicaria Cephalœdi. qui vbi hæc audiuit, Præfectum oppidi ab eo institutum Gallianum misit: cui oppidani libenter ac statim oppidum dediderunt. Rogerius Teutonicus Galliano expulsus, cum vxore & liberis Assorum petiit. Dum hæc ad Gallianum gerũtur, Artalis Alagona post ruptas inducias 14. Cal. Maias Regis nomine comparato equitum ac peditum ingenti exercitu, contra Leontinum venit, atque iuxta fl. S. Leonardi castrametatus est. Leontini cognito Regii exercitus aduentu timore perculsi, ne hostes eorum segetem incenderent, Manfredum Claromontanum hortantur vt vel inducias in tres menses petat, vel tributum hostibus soluat. Manfredus magno animo vir, Leontinis prius reprehensis, ad bellum separat, ac trecentis cum equitibus contra Artalem egreditur. Sed illo in eum irruente, metu percitus Leontinum regressus est. Erant etenim in exercitu Regio equites supra mille, pedites vero, præsertim Catanenses, innumeri. His se adiunxit Rolandus Aragonius cum magna Syracusanorum militum manu. Randatium oppidum milites complures ad hoc bellum gerendum Regi misit. Bucherii Dominus, qui idem Regius erat Marescallus, cum magno militũ numero & ipse venit. Ioannes Mangiauacca ex oppido Francauillæ decem equites misit. quorum quinque cum ab hostibus intercepti fuissent, alios quinque eorum loco supplevit. Ioannes Landolinus cum trecentis equitibus ex Neeto & ipse accessit. Ita ex pluribus oppidis Regius exercitus coactus ingens erat. Interea per certum nũtium Artali significatur, exploratores, quos ipse ad oppidum Menæum submiserat, captos ab hostibus fuisse. Quocirca eo repente cum paucis militibus accessit, in hostes irruit, eosq; cum præda simul cepit, partaq; victoria eodem die Leontinũ ad castra reuertitur. Post hæc agros Leontinos vastat, segetes secat, incendit. Quæ cum Manfredum vastatio commouisset, Artali aureos mille per Franciscanum quendam, vt obsidionem solueret, misit. Quo contempto, ac perinde vt re ridicula spreto, Artalis duriori obsidione vrbem adeo pressit, vt Leontini commeatu omni destituerentur. Quorum egestatem Perellus de Modica Sortini Dominus Friderici Regis studiosus miseratus, magnam eis frumenti ac farinæ copiam misit. Quod etsi Artalis resciuerit, distulit tamen vlcisci. Artalis vero vt ad inediam Leontinos deduceret, segetes circum mœnia omnes incendit, atque ad eam famem oppidanos perduxit, vt multi ex illis noctu profugientes ad vicina oppida & Catanam quoque sese reciperent. Manfredus neque ob id quidem animo deiiciebatur, sed acerrime obsidionem tolerabat. Quod Artalis videns, moræ impatiens, & desperata victoria, obsidionem soluit, ac contra Caltagironum, Platiam, & alia vicina oppida, quæ Aloysio Regi parebant, cum exercitu petiit. Quibus statim per deditionem receptis, & Caltagironi Matthæo Montecatino, Platiæ vero Guidone Vintimilio præfectis, Catanam cum copiis rediit. At cum Guido satis superbe magistratum gereret, a Platiensibus est eiectus, & in eius locum Corradus Lancea

ſuffectus. Artalis paulo poſt Catanã diſcedens contra Bizinũ copias mouit: & cum fruſtra oppidũ Bizinenſibus ſtrenue defendẽtibus oppugnaſſet, agros omnes vaſtauit ſimul & incendit. Dũ hæc Artalis gerit, Claromõtani coactis copiis Leontino egreſſi contra Neetũ proficiſcuntur. Cumq; ad Caſtellutiũ arcem peruenisſent, poſitis ibi inſidiis agros Neetinos excurrunt ac populantur. Quo cognito Ioannes Landolinus cõtra eos militibus inſtructus egreditur, atq; illos paulatim vſq; ad Caſtellucium ſe defendentes retrofugat. Tũ repente ex inſidiis hoſtes egreſſi in Neetinos irruunt, Ioannẽ capiunt, armis ſpoliant, trucidant, caputq; eius a corpore abſcidunt. Artalis his cognitis obſidione Bizini ſoluta Neetum venit. vbi Mãfredo Alagona eius germano fratre Præfecto conſtituto, ad Abolam obſidendam perrexit. Eodem ferme tempore Gilius Staitus Meſſana nauigio ducentis militibus, quos ei Rex Aloyſius miſerat, inſtructo vectus, Auguſtam prius, Leontinum deinde Claromõtanis auxiliaturus aduenit. Qui cognita Artalis e Catana abſentia, vires ſuas cum Manfredo coniungens, Catanã vterq; ſimul petunt, eius agros populantur, ac inde mœnibus vrbis appropinquant, ſagittis Catanenſes plurimũ vexant, & Leontinũ redeunt. Sed in regreſſu arcem a Catanenſibus iuxta Teriam fl. conſtructam, Bicoccã vernacule dictã, funditus diruũt. Interea Fridericus Rex ex Cephalœdi Thermas, deinde Politiũ, ac demũ Ennã cum Franciſco Vintimilio venit. Vbi Corradus Lancea Platiæ Præfectus ſub capitis mulcta ob Guidonis expulſionẽ in ius a Rege vocatur. Sed ille ſibi timens, Ennã petere noluit: ſed Platiæ, vnde ſibi origo erat, gentiliũ & conterraneorum fauore ſe continuit. quamobrem a Rege præconis voce apud Ennã exilio mulctatur. Deinde Franciſcus Comes, & Guido Vintimilii, iuſſu Regis cum copiis contra Platiam veniunt. Sed oppidanis magno animo cõtra eos egreſſis, cum & virib. & numero eſſent inferiores, Ennam ſunt reuerſi. Sub idem ferme tẽpus Gilius Staitus & Claromõtani, & Aloyſii Reſtis milites, qui Catanenſes dãnis affecerant, Adranũ vſq; cuncta vaſtantes excurrunt. Ad vicum deinde Spanó cognominatũ per aſpera & inacceſſa Ætnæ mõtis itinera, quæ nullus antea (qd quidẽ memoriæ ſit proditum) emenſus fuerat, veniũt, cuncta diripiunt, ac pecus deprædantur. Berardus Spatafora his cognitis ducentis cũ militibus reuertentibus nõ longe a Paternione occurrit, eosq; adoritur. At hoſtes metu perculſi relicta præda in fugã vertuntur, & ad ſuos redeũt. Interea Caltagironenſes contra Matthæũ Montecatinum eorum Præfectũ coniurationem ineunt. Quod vbi Artalis, qui Abola Menæum venerat, audiuit, Caltagironum petiit, cõiuratosq; omnes captos vltimo ſupplicio affecit. Interea Guilelmus Pretenſus, Randatii Friderici Regis nomine Præfectus, dum nimis crudeliter oppidũ adminiſtrat, a Ioanne Spatafora vterino eius fratre occiditur. poſt quem Ioannes oppidi ſibi Prefecturam occupauit. Ita Fridericus Rex a Siculis quotidie contemnitur. Proceres nanq; eius ad libidinẽ omnia habent, oppida diripiunt, ſpoliant, regiones atq; imperia vſurpant, Regẽq; ipſum paupertate prementes ludibrio habent. Poſt hæc Abola oppidum, Caſtellutiũ, Palatium Adriani, & Bibona, quæ a Claromontanis tenebantur, Friderico Regi vltro ſe dediderunt. Eodem ferme tempore cum Corilio oppidum Aloyſio Regi adhæſiſſet, & a Friderico Claromõtano regeretur, Fridericus Rex cũ Franciſco Vintimilio, & ſexcentis militibus, quibus Drepanitæ multi, & ex Criſtia oppido vna Catalanorum cohors ſe adiunxerant, contra Corilionẽ mouit. Fridericus Claromontanus audito Regis aduentu in arcem ſe recipit, eamq; omni opere & præſidio munit. Corilionenſes qui partẽ oppidi inferiorem incolebant, aduentanti Regi occurrunt, ſeq; ei vltro dedunt, & ſimul cũ Rege ſuperiorẽ oppidi partẽ oppugnant. Sed cum Claromõtani fortiter ſe defenderent, & oppugnatio diuturna videretur, inter Regẽ & Friderici quot menſium induciæ, quas paulo poſt Manfredus Claromõtanus violauit, ſunt factę. Suterenſes inter hæc ſuum Præfectum excitato tumultu interficiunt, aliumque ſibi præficiunt. Caltagironenſes quoque Matthæo Montecatino expulſo Præfectum alium ſibi deligunt. Matthæus Montecatinus Caltagirono deſtitutus Curcuracium oppidum, quod ſui iuris erat, venit, atque inde Sortinum, quod Perelli de Modica ſibi coniunctiſſimi ditionis erat, per proditionem occupare

pare tentat. Quo cognito Perellus & arce & oppido munito, Curcuracium magna vi aggreditur, ac statim capit. hac itaque arte artem delusit. Salemis oppidum sub idem tempus anno salutis 1359. mense Feb. quod Aloysii Regis & Claromontanorum partes sequebatur, a Riccardo Abbate, qui Drepani Friderici Regis nomine præsidebat, a primoribus oppidi accersito, & cum valida manu aduenient, apertis sibi portis ab oppidanis Fridericum viuere conclamantibus, capitur. Sed Claromontani, qui plures erant numero, his cognitis, equis inter ipsas tenebras ascensis, & conglobati, portam oppidi præoccupare cõtendunt, nullumq; inde vel ingredi vel exire permittũt. Inter hæc pleriq; nefarii viri per agros excurrunt, atq; armenta prędantur. Rerum domini ad Riccardũ veluti oppidi dominatorem veniunt, auxilia contra latronũ audaciam poscunt. Ille dum milites ad id instruit, tumultus ingens in oppido statim exoritur. Quo procul audito, qui Riccardum introduxerãt, Claromontanos rursus oppidum recepisse rati, ne patratę mutationis authores haberentur, mutata voce per oppidum excurrunt, Regi Aloysio vitam precantur, Fridericũ Regem abrogant. Claromontani his vocibus auditis animis eriguntur, cum his sese adiungunt, per vicos procurrunt. Illucescente deinde plebs quoq; cum his vna se admiscet, Aloysium Regem & Claromõtanos sublatis vocibus efferunt, ac demum Riccardum Abbatem frustra tumultum cõprimere nitentem ad forum capiunt ac trucidant. Ita Salemis paucis horis vtrunq; Regem & recepit & eiecit. Interea pridie Cal. Martii Eufemia Friderici Regis soror, ac Regni Vicaria, apud Cephalœdim moritur. Quare Berardus Spatafora Gallianum oppidum, quod erat Euphemiæ, sibi occupat. Quod etsi Regi magnopere displicuisset, Procerum tamen, in quorum potestate erat, causa, illi oppidum concessit, Præfecto arcis libero, & re omni familiari integra, abire permisso. At paulo post Præfectus non longe a Nicosia a quibusdam militibus inuasus, & misere excoriatus interiit. Post hæc pridie Cal. Aprilis Vinciguerra Aragonius & Oliuerius de Messana milites, Aloysii Regis, ad quem iam nuper defecerant, pertæsi, Friderici Regis erectis vexillis oppidum S. Marci, Capitis Orlandi, Tyndaridis, Montis Albani, Noaræ, & S. Philadelphi, quæ sui erant iuris, Friderico Regi tradunt. Interea cum Manfredus Claromontanus Neapolim ad Aloysium Regem profectus esset, Artalis copias contra Leontinum comparat, eo cum exercitu contendit, ibique non longe a mœnibus iuxta S. Leonardi fl. castrametatus est: agrisq; ac segetibus & vinetis omnibus vastatis atq; incensis, oppidum ad extremam prope annonæ caritatẽ deduxit. Manfredus, qui iam Messanam Neapoli redierat, iis cognitis, assumpto secum Nicolao Cæsario, qui quondam Rogerii Passaneti Comitis filiam, quæ Leontini erat, vxorem duxerat, cum aliquot nauibus militibus instructis Augustam venit, & terrestri itinere mox cum exercitu Leontinum petiit, & oppido iam labenti succurrit. Quo viso Artalis cum expugnationem non speraret, Catanam est reuersus. Et Nicolaus quoq; Cæsarius cum vxore celebratis nuptiis Manfredo Leontini relicto Messanam rediit. Sub idem ferme tempus Vinciguerra Aragonius, qui Pactas vrbem Friderici Regis nomine moderabatur, contra Montem Albanũ, quod Ioannes Albertus Aloysii Regis titulo administrabat, exercitum duxit, & paruo negotio cepit. Sed Arloccus cum in arce, quę Regia erat, se communisset, fortiter obsistebat. Quõ viso Vinciguerra cũ arcem capere non posset, relicto oppido & incensis agris Pactas rediit. Arloccus autem iam obsidione liberatus cum sciret illud oppidum Blasci quondam Alagonæ fuisse, iureq; ad filium hæreditario iure pertinere, Artalem per literas vocat. Cui statim aduenienti & oppidum & arcem reddidit. Interea Manfredus Claromontanus cum copiis contra Bucherium, Ceretanum, Menæum, & alia vicina Friderici Regis oppida profectus, cum neque expugnare illa potuisset, eorum segetes ac vineta omnia ferro igneque absumpsit. Fridericus Claromontanus Panormo egressus, cúm maximis copiis Drepanum aliquot diebus frustra obsedisset oppugnasset que, ad eius agros conuersus, segetes omnes, vineta ac oliueta incendiis vastauit. Nicolaus Cæsarius cum quadringentis equitibus & magno peditatu Messana erũpens, agros Mylenses Tyndaridem vsq; & ipse cõbussit.

Ita Sicilia tota frumenti, vini atque olei eo anno maxima caritate oppressa est. Post hæc Fridericus Rex cum Franciſco Vintimilio Comite, ſub cuius erat tutela, & cum Berardo Spatafora, & Henrico Rubeo Comite & magno Regni Admirato, ac cæteris Proceribus & militibus, Salemim Friderici Claromontani oppidum magna vi eſt aggreſſus, ſegetesque omnes & agros primum incendit. Quo damno oppidani vehementer commoti, Claromontanos ad quadringẽtos numero, qui intra mœnia erant, ad præliandum cum hoſtibus extra mœnia hortati ſunt. Quibus ad pugnam egreſſis, in qua Henricus Abbas Friderici Regis miles occubuit, oppidani ſtatim clauſis portis amoto Aloyſii Regis vexillo, & Friderici erecto, per vicos excurrentes editis vocibus Friderico Regi vitam optabant. Quo cognito Claromontani in arcem ſeſe confeſtim receperunt. At Fridericus Rex cum exercitu oppido appropinquat, & portis ſibi ab oppidanis patefactis Salemim ingreditur, & Rex ab omnibus acclamatur. Claromontani, qui in arce erant, his viſis ea lege ad dedendam arcem adducuntur, vt ad ſuos libere redire poſſint. Ita igitur Fridericus Rex Salemim oppidum & arcem menſe Iunio recepit, & Alcamum etiam, Caſtrum ad mare, & Calatubum oppida eſt adeptus. Deinde contra Panormum, quod Aloyſii Regis & proprio nomine Fridericus Claromontanus obtinebat, mouit, & pro mœnibus caſtrametatus eſt. Vbi Henrico Rubeo authore inducię inter Fridericum Regem, & Fridericum Claromontanum, ac cæteros omnes in regione Mazaræ & Neetina ſunt factæ. Iisq; per prætonem publicatis, Fridericus Rex cum Franciſco Comite Drepanum eſt reuerſus. Erat tum Nicolaus Abbas Henrici qui apud Salemim a Claromontanis interfectus fuerat, filius, Drepani Præfectus. Hoc igitur Franciſcus Vintimilius abrogato, Guidonem germanum fratrem, quem Platienſes expulerant, præficit. Quod adeo Regi diſplicuit, vt verba etiam contra eos grauia protulerit. Quibus Guido auditis in Regẽ inuectus, pugioneque ipſum aggreſſus, vulneratũ ſanguine in ceruice fœdauit, vt plerique ſcribunt, & nos per teſtes in Regia curia confirmatos cõprobatoſque legimus. Qua iniuria Rex affectus, ne peiora pateretur, Drepano diſcedens Politium vna cum Franciſco Comite ſe conuertit. Sed Nicolaus accepta iniuria Friderico Claromontano Panormi tum imperanti adhæſit: qui coacto militum numero oppida Franciſci Vintimilii, & præſertim Caſtellum Bonum, & eorum agros igne vaſtauit, & ingenti inde capta præda Panormum rediit. Eodem ferme tempore Bibona oppidum, quod Claromontanorum erat ditionis, ad Fridericum Regem Franciſco Vintimilio authore defecit. In quod Frãciſcus & Guido ea cauſa ingreſſi, cuncta prædando populati ſunt, vt nec virginibus etiam matronisq; honeſtiſſimis abſtinerent. Quibus Bibonenſes, vt par erat, moti, oppidum præter arcem ſolam deſeruerunt. Quod vbi Claromontani cognouerunt, ſtatim armati adſunt, & oppido potiuntur. Sed cum arcem expugnare non potuiſſent, ingenti Vintimiliorum capta præda, oppido relicto diſceſſerunt. Dũ hæc apud Bibonam geruntur, Artalis Alagona cum Henrico Rubeo pace apud Catanam magno Catanenſium & Friderici Regis ſtudioſorum gaudio facta, animo repetens quonam modo Leontinum expugnare poſſet, aſſumptis ſecum Rolando Bucherii Domino, Berardo Spatafora, & cæteris Proceribus vicinis, ac maximo exercitu comparato, Leontinum petit, atque in eius agros incurſiones facit, ſegetesq; etiam omnes, ac vineta & oliueta incendio ad radices vſq; abſumens, ita Leontinos preſſit vt complures oppidani Leontinum deſerentes, Catanam incolatum transfugerint. Quo viſo Manfredus Claromontanus veritus ne plebs inedia in furorem acta in ipſum irrueret, ſumptis ſecum veluti obſidibus quibuſdam oppidi primoribus, Meſſanam frumentatum menſe Nouembri profectus eſt. vbi nauim frumento onuſtam, quam Aloyſius Rex Neapoli miſerat, reperit: quam Auguſtã direxit, vt inde Leontino ſuccurreretur. Quod vbi Artalis cognouit, ſtatim Auguſtam terreſtribus copiis, & quibuſdam Syracuſanis & Catanenſibus nauigiis obſidione primum cingit, ac poſtea capit: frumentum omne Syracuſas mittit, oppidum diripit, ac demum iniecto igne prorſus abſumit, & ſolo æquat. cuius deleti oppidi mœnia adhuc ex parte extantia, & dirutæ ædes cernuntur. Deinde intem-

peſta

pesta nocte intrepide Leontinum cum exercitu profectus, ad eam oppidi partem quam Castellum nouum appellant, muris scalas admouet: deinde milites circiter quinquaginta conscendere iubet. Qui intrepide ac statim iussa exequuntur, mœnia ascendunt: mox e superioribus muris intra mœnia in aream ædium Matthæi Bellandi tabellionis oppidanorum, nullo sentiente descendunt. nam Leontini eã partem veluti natura munitissimam segniter custodiebant. Matthæus militum tumultu excitatus, aperta fenestra quæ arci imminebat, cohortem videt. Quibus ad terrorem incutiendum, Ioannem Milanum oppidi Præfectũ equitibus quadringentis instructum adesse submissa voce edixit. discessum igitur illis hortatur. Sed milites Regii illi silentium imperant, Artalemq; Alagonam ingenti cum exercitu ac mille equitibus aduenisse, nullumque timori neq; periculo locum esse respondent. Matthæus vbi hæc audiuit, aperta alia fenestra extra oppidi mœnia prospiciente, ingentem videt exercitum. Quo territus, vxorem, quæ voce edita clamare decreuerat, animaduertit, silere iubet: ac subinde ad Regios accedit, fidem suam & operam spondet, atq; supellectilem omnem impetrat. Fuitq; deinceps Friderici Regis studiosus. Igitur eo modo magna militum pars intra mœnia ingressa, ad portas oppidi perrexit, & vectibus securi perfractis apertisq;, repente Artalis cum exercitu Leontinum ingreditur, ac editis vocibus Friderico vitam, Claromontanis interitum comprecatur. Leontini vbi captũ prius vident oppidum, quã hostes adesse suspicati essent, metu repentino perculsi, ignari quo se tuto reciperent, in incertum diffugiunt, ac tandem in turrim quandam non procul inde opere munitam complures se recipiunt. Regii igitur oppidi regionem cæteris eminentiorem Castellum nouum appellatam excurrunt, ac nemini vi illata capiunt. Thomasius Palagonia Manfredo collateralis, hostium metu ad Bizinum fuga salutem sibi quæsiuit. quem filia secuta præcipitem se e muris dedit: quæ capta, inuiolataque eius pudicitia, ad cœnobium S. Claræ inter virgines est seruata. Qui vero turris ingressu tutos se reddiderant, capta ea oppidi regione in manus victorum se tradiderunt. Sed & altera oppidi regio, quę Cusentina appellatur, illucescente deditionem & ipsa fecit. Interea Ioannes Milanus oppidi Prę fectus, Franciscus Cantellus, & Matthæus de Domino Sanctoro primores oppidi, & Aloysii Regis studiosissimi, (qui tertiam oppidi regionem, cui Tyroni est nomen, natura cæteris munitiorẽ defendebant) ne in manus Artalis venirent, noctu fugam capessunt. Ciues illis discedentibus illucescẽte statim erecto Friderici Regis insigni sese & ipsi dediderunt. Ita Leontinum oppidum tertio Cal. Ian. præter Tyronis arcem, ab Artali captum est. Ea etenim arx a Manfredo opere & præsidio tum ad oppidi ipsius tutelam, tum quod in ea vxorem & liberos reliquerat, satis munimenti acceperat. Capto oppido Artalis proditorum ædes ad prædam militibus concessit. Post hæc ad arcem expugnãdam se conuertit. Murum igitur in arcis ambitu, ne quisq; inde vel egredi, neue ingredi possit, primum erigit. Deinde machinam ex lignis ædificat, e qua molares lapides ingentes supra trium cantariorum pondus in arcem immittebat: atq; eo pacto & aliis instrumentis arcem hostiliter oppugnabat. Sed cum arx immensæ rupis & murorum altitudine præcincta atque munita esset, oppugnatio diuturnior fore videbatur. Inter hæc Margarita Manfredi vxor Artalis cõsobrina, clam cum eo colloqui constituerat. Quo Guilelmus Sortinus Notarius, & Franciscus Sauoia, quos Manfredus arcis Præfectos ac custodes reliquerat, cognito, rati illam deditionem facturam, arce noctu egressi clam ad Artalem contendunt: arcemque ei pactis legibus offerunt, signum temporis patrandæ rei dant, receptisque ab Artale Friderici Regis vexillis ad arcem reuertuntur. noctu arcis custodiam obeunt, Friderici Regis insigne in loco arcis editiori erigunt: datoque signo, Artalis cum maximo selectorum militum numero ante arcem sese offert, patefactisq; sibi foribus statim ingreditur. Clauso deinde ostio arcis penetralia perueſtigat, & cuncta diripit. Illucescente vero ad ianuam aulæ, vbi Margarita Manfredi vxor harũ omniũ rerum ignara adhuc dormiebat, accedit, ac eã nomine vocat. Illa voce Artalis audita, tametsi metu perterrita, fores aperit, ac benigne vna cum germano & liberis ab Artali excipitur, & postea ad Catanę arcem captiua mittitur.

Manfredus, qui adhuc Messanę erat, vbi Leontinos, vxorem & liberos captiuos, remq; omnem familiarem, quæ immensa erat, asportatam cognouit, exanimatur, & quo se vertat, quaue ratione libertati suos restituat, prorsus ignorat. Siclis oppidum Claromontanorum, Leontini audita expugnatione, statim Friderico Regi deditionem fecit, atq; arcis & oppidi claues per Mutium Barbam oppidi & arcis Præfectum Artali Leontinum transmisit. Receptis Artalis clauibus confestim cū delecto militum numero Siclim profectus, magno honore susceptus est: ac deinde firmatis opere & præsidio oppido & arce, Leontinum reuersus est. Terranoua oppidū Luca Cannariato Præfecto, Aloysii Regis studiosissimo, prius per famulū ex turri lignea, quam ipse contra hostes ante portam cognomento Caltagironis erexerat, in terram exturbato, atq; gladiis citra interitum confosso, Regi se se Friderico adiungit, atq; eius vexillum abrogato Aloysio erigit, & Lucam neci dedit, ac bona eius diripit: tum equites quindecim, quos Claromontani ex Agrigento Lucæ auxilio miserant, occidunt. Deinde Artalem Alagonam, qui frustra illud oppidum antea oppugnauerat, ad se vocant. Ille militibus statim instructus eo accedit, ac summo cum honore excipitur. Qui constituto ibi Friderici Regis magistratu, & firmato præsidiis oppido, contra Buterium, quod cum antea sui iuris esset, ab eo post desciuerat, cum exercitu mouet. Sed Buterienſibus strenue obsistentibus inde discedens Caltanixettam Friderici oppidum petit. Vbi sedato per eum tumultu, qui inter arcis Præfectum & oppidanos exortus fuerat, Catanam cum magno militum numero rediit. Quem Catanenses sertis ac floribus capiti impositis in victoriæ lætitia, quam de Leontino, Sicli, & Terranoua consecutus fuerat, maximo honore intra vrbem suscipiunt. Interea Fridericus Claromōtanus, qui Panormo præerat, cognita Artalis de multis oppidis victoria, veritus ne contra Panormum moueret, Neapolim ad Aloysium Regem nauigat, atq; in quo discrimine res essent Siculæ enarrat, ab eoq; auxilia petit. Sed dum hæc Claromontanus gerit, Panormitani tot bellorum ac Claromontanorum magistratus pertæsi, Regem Fridericum ad se vocant. Sed dum Rex vocatus lento gradu ob egestatem Panormum versus pergeret, Claromontanus cū militibus auxiliaribus ab Aloysio Rege impetratis Panormum reuersus, vrbem munitissimam reddidit. Quo cognito Fridericus Rex, qui iam ad agros Panormitanos venerat, Politiū est reuersus. Post hæc Henricus Rubeus, Berardus Spatafora, Vinciguerra Aragonius, Baro (vt vocant) Rocellæ, cum equitibus Randatienſibus, ac Ioannes Mangiauacca cum aliquot equitibus Friderico Regi addictis Mylas venerunt: eiusque agris incensis oppidum S. Luciæ, quod Nicolaus Cæsarius tutabatur, aggrediuntur, noctuque per deditionem oppidanorum capiunt, Nicolao in arcem sese recipiente. Quo cognito Castrum, Saponara, Monsfortis, & pleraque alia oppida & ipsa Friderico Regi adhæserunt. Nicolaus quoq; Cæsarius, qui in arce S. Luciæ adhuc obsidebatur, & ipse tandem libertate impetrata cum Proceribus, qui secum aderant, sese Friderico adiungunt. Sed vix Nicolaus ab arce fuerat egressus, cum Ioannes Mangiauacca in eum irruit, fœdissimeq; necauit: nec minus in alios quoq; socios eius ac Proceres sæuitum est. Plerique vero, qui in arce adhuc se tutabantur, neque adhuc cum Nicolao deditionem fecerant, vi capti ab arce præcipitati sunt. Solus Pinus Campulus ex proditoribus vnus vitam ab Henrico Rubeo, promissa sibi per simulatam proditionem Messana vrbe, impetrauit. Qui Messanam cum Henrici literis ad sui studiosos missis, quibus eos vt cum Pino rem hora constituta apertis portis maturarent, admonebat, pergens, Manfredo Claromontano qui Messanæ præerat, Henrici literas reddidit. Manfredus perlectis literis statim Henrici studiosos, qui plurimi erant, furca suspendit, plures carceri addixit, paucos in Calabriam transmisit. Quo factum est vt Messana cum pro parte deserta remanserit, a Calabris & cæteris aduenis iussu Manfredi fuerit habitata. Interea Aloysius Rex ducentos milites Neapoli in Siciliam misit: quorum centum Messanæ, reliqui vero Panormitano præsidio sunt dicati. Paulo post vero cum res Aloysii Regis in Sicilia in dies inclinari videretur, Fridericus Claromontanus & cæteri Claromontani, Francisco Vintimilio authore, cum quo non pacem solum, sed iam etiam

etiam affinitatem contraxerant, ad Fridericum Regem abrogato Aloysio deficiunt. a quo benigne admodum suscipiuntur: quod & Artalis magnopere probauit. Post hæc Fridericus Rex indulgente Gregorio vndecimo Pontifice Ro. Catalanorum omnium consensu, Constantiam Regis Aragonum filiam duxit vxorem. Pro qua Rolandus Aragonius in Sardiniam cum triremi, vbi Rex Aragonum & Constantia erant, est missus. Constantia itaq; Regina magna procerũ multitudine comitata, cum sex triremibus in Siciliam traiiciens, anno salut. 1360. 6. id Ian. Drepanum applicuit. Erat eo tempore (vt diximus) Guido Vintimilius Drepani Præfectus: qui Reginæ aduentũ nullam aliam ob causam nisi ob id quod Catalana esset, moleste ferens, in terram eam descendere prohibuit. Quocirca Regina ad Columbaram arcem cum classe cõsidere aliquandiu compulsa est. Fridericus Rex cognito Reginæ aduentu, cum Francisco Vintimilio, metuente ne Reginæ impulsu ipso deiecto Rex deinceps Artalis Alagonæ, tutoris (vt ante) auctoritate & consiliis vteretur, Drepanum venit. Qui cum Reginam adhuc in naui cõmorantem visere cuperet, a Francisco etiam ipso Vintimilio Comite, & ab eius aspectu, & nuptiis eius (eo solo prætextu quod Catalani, qui semper Siculis fuerant infensi, quam facillime, si Reginam Catalanam haberent, Regnum sibi occupare possent) inhibitus est: eique ille Dyrrhachii Ducis filiam forma insignem, vt in matrimonium petat, proponit. Rex his auditis cum vecordi esset animo, Franciscí Comitis consilium approbat: atq; non visa Constantia, nuptiasq; ludificatus, Drepano simul cum eodem discedit, ac Cephalœdim petit. Constantia cognito Regis discessu, Dominicanum quendam confessarium suum ad Regem oratorem mittit, qui eum clam & absente Francisco ad nuptias celebrandas hortatur: quæ bona inde prouentura sint, si negotium persequatur, exponit: contra quæ damna, si spernat, nimirum dedecus vtriusque Regis, bellum sibi a Rege Aragonum potentissimo imminens, regnique amissionem sibi ob ludificationem aduenturam. Rex vbi hæc audiuit, lachrymis obortis vulnus aperit: se non Regem, non liberum neque sui iuris esse, sed sub Francisco Vintimilio seruum: illius hanc esse artem, ne a Catalanis dominio deiiciatur: se ea mente esse, vt Constantiam vxorem accipiat: atque vt Drepano soluens Catanam nauiget imperat, vbi se nuptias celebraturum pollicetur. Dominicanus peracto Legationis officio ad Constantiã rediit, & quid responsi habuerit, refert. Quo Regina accepto Drepano Catanam versus soluit, Saccam venit. Ad quam Artalis a Rege missus maximo militum numero peruenit. Vbi classe relicta terrestri cum ea itinere Menæum profectus est. Interea Franciscus Comes ignarus rerum, ratus Regem adhuc in ea sententia manere in qua ipsum reliquerat, vt repudiatis Constantiæ nuptiis, Ducis Dyrrhachii filiam peteret, liberum Regem facit, quem antea ne ab vllo quidem homine videri sinebat: ac cum eo ad venandum Cephalœdi egreditur. Rex igitur primum a longe Franciscum sequitur: mox mutato itinere dum Franciscus venationi studet, Mistrettam Artalis oppidum citato cursu proficiscitur. Amestratini vbi Regem ex inopinato adesse vident, obstupescunt, atq; ipsum attoniti regio more tumultuarie suscipiunt. Franciscus interea ex venatione prandio parato, Regem in nemore 6. ab vrbe p. m. dissito præstolabatur. Sed vbi Regem Mistrettam petiisse, ac se delusum animaduertit, animo deiicitur. Artalis vero cognito Regis ad Mistrettam accessu, confestim relicta Menæi Regina, cum magno equitum numero ad eum venit, maximoq; ab eo honore ac lætitia suscipitur. Fridericus Rex postquam paucis diebus Mestrettæ cum Artali fuit, Menæum cum eo & cæteris proceribus ad Reginam venit. vbi inter Regem & Reginam celebratæ sunt nuptiæ, ac per Martialem Catanensem Episcopum consecratæ. Tum deinde Catanam Rex & Regina cum proceribus venerunt, ac Regio a Catanensibus florentes corollas in capite gestantibus, & per octo dies festos hymenæos concelebrantibus, honore sunt suscepti. Verum cum Rex ad nuptias per literas suas Fridericum & cæteros Claromontanos, Franciscum Vintimilium, & Guidonem Vintimilium eius germanum, ac cæteros omnes proceres inuitasset, Fridericus, Franciscus, & Guido Regis mandato parere recusarunt: sed res diuersas causantes, oppida sua non

secus ac si hostes in foribus essent, omni opere muniebant. Quare eos a Rege desciuisse cæteri proceres suspicati sunt. Sub idem ferme tempus Henricus Rubeus Friderici Regis iussu magnis coactis secum copiis Messanam petiit, ac dura obsidione cingere cœpit. Sed Manfredus ac Messanenses ad fraudem se conuertunt, deditionem pollicentur, & Artalem ea causa ad se vocant. Artalis, qui cum Rege Catanæ erat, cum sex triremibus, quæ Reginam e Sardinia in Siciliam vexerant, milite instructis Messanam nauigat. Messanenses vbi triremes in conspectu portus habent, missilibus, lapidibus, ac sagittis Artalem salutant, ac fœde propelluntur. Artalis repulsam proditorie a Messanensibus passus, Liparas, quæ Regi Aloysio parebant, nauigat, oppidanosque ad deditionem hortatur. Quos cum flectere omnino nequisset, milites in terram exponit, qui segetes omnes, vineta, & Leuconium vastant, populantur, incendunt: atque ingenti inde abducta præda Catanam rediit, & triremes Syracusas misit. Manfredus auditis Liparæis populationibus, eas vlturus contra Mylas proficiscitur, ac omnes eius agros & ipse populatur, iniectoque igne comburit. Deinde Messanam reuersus cum nouem triremibus quæ in portu erant, Syracusas nauigat, vrbem mari aggreditur, ac duas Catalanorum triremes capit, & vrbis portam quæ ab Aquila nomen habebat, igne iniecto incendit. Deinde sex triremibus ad Friderici Regis littorales oras populandas missis, ipse cum tribus suis triremibus, & Catalanorum duabus, quas ceperat, Messanam reuersus est. Post hæc inter Regem, & Franciscum Vintimilium, ac Fridericum Claromontanum, authore Henrico Rubeo Friderici genero, pax rursus hac inter cæteras lege firmata est, vt Rex Panormum ad diadema Regium more maiorum suscipiendum peteret, quo hactenus obsistentibus sibi Claromontanis, qui Panormo potiebantur, insigniri non potuerat. Igitur Fridericus Rex 17. Cal. Octob. anno salutis 1361. magno procerum numero, ac ingenti equitatu & peditatu munitus, Catana ad Panormi coronam suscipiendam mouet. Vix Platiam venerat, cum Franciscus Vintimilius, cui inconstans erat fides, cognito Regis aduentu, maximo equitum iaculatorumque instructus numero, Ennam in Regis contumeliam occupat, præsidio firmat, ac equitatu deinde vias quibus Rex iter facturus erat, obstruit, custodes apponit, & cuncta Regi demum infida reddit. Mirari primum his cognitis Rex hominis inconstantiam cœpit, tum per Legatos eum ad se vocat. cui ille obedire contempsit. Quo Rex duos postquam Platiæ moratus est menses, cum Rolando Aragonio, Artali Alagona, Henrico Rubeo, Berardo Spatafora, Vinciguerra Aragonio, & Conrado Lancea, eorumque cohortibus, ac militibus Platiensibus, inde discedens, Caltanixettam oppidum petiit. Vbi Procerum habiturus conuentum, primores omnes, Franciscum præsertim Vintimilium, eiusque consanguineos ac collegas, sub descitionis mulcta per nuntios vocat. Emanuel Vintimilius Comes, ne descisse videretur, Caltanixettam ad Regem profectus est. At Rex etsi benigne eum excepisset, oppida tamen eius omnia Fisco addixit. Franciscus vero Vintimilius Comes & Fridericus Claromontanus, eorumque studiosi, non modo imperium contempserunt, sed ingenti quoque comparato exercitu contra Regem se munierunt. Interea Constantia Regina Mariam filiam genuit: & deinde anno sal. 1363. mense Iulio Catanæ febre correpta decessit, Maria filia, Artalis Alagonæ, qui eam e sacro fonte susceperat, cure relicta. Post hæc Aloysius (quem item & Ludouicum appellant) Neapolitanus Rex ipse quoque Neapoli morbo oppressus interiit. Quo mortuo Manfredus & Fridericus Claromontani Friderico Regi, suadente Artale, (cum quo iam fœdus clam inierant) reconciliantur, ac mox cum Artale Messanam inuadunt, expulsis Ioannæ Reginæ ministris vrbem Friderici nomine simul & arcem capiunt. Ita tota propemodum Sicilia Friderico Regi subiicitur. Præsidebat eo tempore in Ro. ecclesia Gregorius vndecimus. qui, cum Fridericum Regem vnice diligeret, pacem demum inter Ioannam Reginam & Fridericum Regem iis conditionibus cõclusit: Vt Fridericus absque iuris præiudicio Rex Trinacriæ, & Ioanna Regina Siciliæ appelletur: Vt Fridericus regnum a Ioanna acceptum ferat, eique per procuratorem authoramentum ac homagium citra seruitutis nexum præbeat:

Vt

Vt Fridericus Reginæ quotannis vectigal in vrbe Neapoli trium milium vnciarum, idque die Sanctorum Petri & Pauli festo pendat, liber tamen interim a censu Rom. Pont. Tum vt pro trimestri cuiuslibet anni decem triremium, & centum equitum, in notabili inuasione Neapolitana, Fridericus Reginæ sit obnoxius: vtq; neutri eorum fœdus inire contra alterum cum hostibus liceat: vt idem rex Ioanna defuncta ab hoc onere liberetur, & Liparam præterea insulam recipiat. His addidit Gregorius Pontifex, Vt eorum vterque Romano Pont. quicunque is fuerit, homagium vt subditiuus præstet, & ab eo regna se habere cognoscat: Vtq; Maria Friderici filia, deficiente modo mascula sobole, in regnum patre defuncto succedat. Quæ pax vt arctiori nexu firmaretur, Antonia Ioannæ Reginæ consanguinea, & Ducis Andreæ filia, Friderico regi nupsit. Igitur Antonia in magno procerum conuentu Messanam ad Fridericum venit. Dumq; nuptiæ celebrarentur, Ioannes Salernitanus Præsul a Gregorio Romano Pont. Legatus aduenit, nuptias regias consecrauit, iuramentum fidelitatis a Friderico rege recepit, atque a diris, quibus hactenus Sicilia fuerat inuoluta, eandem absoluit. Fridericus post hæc (vt plerique tradunt, quibus cæteri scriptores aduersantur) sedatis iam Procerum seditionibus Panormum cum Regina aduenies, Regia corona, quam hactenus Claromontanis obsistentibus non susceperat, insignitus est. Panormo deinde cum Regina triremi vectus Messanam venit. Vbi Henricus Rubeus Comes, cuius satis supra meminimus, contra regis mandatum Messanam ingressus, in triremem Friderici regis & Reginæ hostiliter insiliit. cuius impetu Antonia Regina consternata corruit, atque eo casu perculsa in febrem incidit, qua septimo postquam correpta est die e vita discessit. Postmodum Fridericus rex Bernabouis Vicecomitis Mediolani Ducis filiam duxit vxorem. Verum ante nuptias anno salut. 1368. cũ adhuc Messanæ esset, mense Iulio morbo affectus, annos vndecim postquam rerum potitus est, relicta Maria vnica filia decessit, atque in templo Diui Francisci regio more tumulatus est.

DE MARIA ET MARTINO Siciliæ regibus.

CAPVT VII.

MARIA Friderici filia, Siciliæ regno sub Artalis Alagonæ tutela genitoris testamento successit. quam statim Artalis in Catanensi arce, ab Vrsino appellata, secum vt tutior esset, detinuit. Sed non multo post inter Artalem & cæteros illius studiosos, atq; Manfredum Claromõtanum Motycæ Comitem, & sibi adhærentes, simultates Vicariatus prætextu repetuntur. Artali eius germani fratres, Guilelmus Peralta Comes, quem Guilelmonum vocabant, cuique Leonora Ioannis Randatii Ducis Friderici tertii prognati filia nupserat, & plurimi Siciliæ proceres fauebant. Mãfredo vero Henricus Rubeus Comes, Guilelmus Raymundus Montecatinus, & complures alii principes viri adhæserant. Igitur Manfredus, Fridericus, Henricus, eorumq; studiosi, ciuitates ac oppida quę ad Reginæ ditionem pertinebant, inuadũt, & simul cum Panormo occupant, ac seditione publica in Reginam commouentur. Vintimilii & ipsi nonnulla oppida sibi vsurpant, Alagonii pleraque alia, cætera proceres reliqui rapiunt. Ita Sicilia omnis discissa prope ac lacera in diuersas Regulorum conspirationes rursum per tredecim annos distrahitur: quorum seditiones tametsi diligentissime apud ipsum etiam regis Archiuum quæsiuerim, eas tamen hucusque inuenire non potui. Interea Maria Regina, quæ Catanæ adhuc agebat, Ioanni Galeatio Virtutum Comiti Artalis opera anno salutis. 1378. (si modo recte scriptores supputãt) mense Decembri hac lege nupsit, vt si Comes infra annum Siciliam ad matrimonium consummandum non accederet, alias sibi nuptias appetendi libertas esset. Verum paulo post initum matrimonium Guilelmus Raymundus Montecatinus Reginæ pietate permotus, (cuius quidẽ detentio

plurimum, regni vero a Proceribus occupati iniuria, non minus sibi grauis erat ac permolesta) parata in portu Catanēsi triremi, eodē ipso anno nono Cal. Februarii, dū Artalis Alagona Messanæ cū Regia curia esset, arcē noctu clam ingreditur, atq; Mariam Reginā quamquā reluctantem rapit, triremiq; impositā ad arcem Augustæ, quæ sui iuris erat, asportauit. Artalis vbi audax facinus cognouit, exercitum delectorum militum instruit, ac eandem repetere, oppidumq; oppugnare decernit. Quo Guilelmus Raymundus cognito, cū viribus haudquaquam se parem existimaret, Reginā inde ad arcē Alicatæ vrbis transuexit. Vnde triremi a Māfredo Claromontano ad id parata cum Regina soluens, Barcinonē nauigat, eamq; Martino Martini Montis Albi Ducis filio vxorē tradit. Erat Martinus Dux Ioannis Aragonum regis germanus frater, & Petri regis secundogenitus: qui cum Mariam Lunæ Comitis filiā vxorē duxisset, socero absq; masculis mortuo etiā Lunæ Comitatui iure vxorio successerat. Martinus igitur huius Martini & Mariæ Lunæ Comitissæ filius, confectis cū Maria Siciliæ Regina apud Barcinonē nuptiis, rex ab omnibus salutatur. Verū cū Martinus pater Ioanni Aragonū regi germano satis esset inuisus, veritus eius insidias, prætēta occasione quod Sicilia insula præsente & absente Regina a Proceribus in diuersas partes fuerat distracta, quo nurui opitularetur, in Siciliā traiicere constituit. Igitur vterq; Martinus, pater & filius, cū Maria Regina, & Bernardo Crapera, quē in spē Comitatus Motycæ acquirendi ob descitionem Manfredi Claromontani adduxerat, & Artalis de Luna regis consanguineus, cum pluribus quoq; aliis Proceribus Catalanis, Aragonēsibus & Valentinis, triginta cū nauibus & pluribus triremibus, Aragonia soluentes, in Siciliam traiiciunt, & anno salut. 1386. 17. Cal. Aprilis Drepanū applicant. Siciliæ Proceres, qui Reginæ fuerāt studiosi, percepto regū aduentu, eos & salutandi & visendi gratia, magna militum copia instructi, Drepanum petunt. Reges, vt armatos Siculos vident, rati seditionem eos commoturos, in terram descendere verebantur. Quo cognito Proceres armis depositis inermes scaphis ad regiam triremem appropinquant, regum manus & pedes osculantur, & fidei sacramentum eis exhibent. Reges animo erectiore naui descendunt, ac Drepanum regio more ingressi a Siculis honorificentissime excipiuntur. Subinde oppida quæ non longe aberant, statim oratores ad reges mittunt, ac fidem suam sacramento obstringunt, Proceribus solum qui sibi regnū diuiserant, in pertinacia sua perstantibus, & obedientiam exhibere recusantibus. Erant vero hi, Andreas Claromontanus, qui Manfredo parenti nuper defuncto in Motycæ Comitatum successerat, & Panormum vrbem ac circumuicina omnia præter alia quædam oppida sibi occupauerat, Artalis Alagona, qui Catanam vrbē sibi subiecerat, Guilelmus Peralta, & plures alii. Reges igitur, cum Drepani dies aliquot fuissent, instructo ex Siculis quibusdam primoribus, & Catalanis, & cōductitiis, quos secum adduxerant, militibus exercitu, ad Panormum & alia a Claromōtanis occupata oppida repetenda contendūt. Andreas Comes vbi regū aduentū cognouit, magna equitum ac peditum manu contra egressus, ad Montem regalem castrametatus est, vrbe interim militibus & armis fortiter cōmunita. Reges itaque Panormum veniunt. Quam vt obsistentem vident, magna vi aggrediuntur. In qua oppugnatione Garaus Ceruellus Lacunæ Dominus, qui cū regibus Barcinona aduenerat, occubuit. Tandem Andreas, ne regum furorem experiretur, vltro citroq; missis ac remissis nuntiis, vita & rebus omnibus, aliisq; præterea pactis iniquissimis, vt eum reges interciperent, sibi indultis, deditionem fecit, vt diplomate regio dato Catanæ. 12. Cal. Maii constat. Ita Maria & Martinus reges, cum Martino Duce Martini patre, Panormum anno sal. 1388. more regio ingrediuntur, atque ab Andrea totaq; vrbe magno gaudio excipiuntur, & reges salutantur. Sedata igitur Andreæ Claromontani seditione, & Panormo recepta, cætera circum oppida, quæ desciuerant, per deditionem ea quoq; reges recipiunt. Atq; hi tres, vterq; Martinus & Maria, simul in Sicilia regnabant. Post hæc cum Martinus rex sub capitis mulcta inter cæteras sanctiones edixisset, ne quispiam armis instructus Regium Palatium ingredi omnino auderet, Berardus Crapera Andream Claromontanum, ne inermis accederet, monuit, si paratas insidias euadere cuperet. Cuius verbis

verbis Andreas motus, enſe ſuccinctus Palatium ingredi conſueuit. Subinde Bernardus, qui & Comitatum ambibat, & ob id reconciliationem eius cum Rege ini-
quo ferebat animo, Regi ſuggeſſit, ne Andreæ ſe crederet, qui in caput eius deuo-
uiſſet, & ad id enſem ſubtectum gereret. Quo rex audito Andream nil tale metuẽ-
tem repente capit, atque in triremes quæ in portu erant, coniicit. Inde ad iudicium
tractus & tormentis actus Andreas, ſeditionemq; contra regem faſſus, a Salimbe-
nio Marcheſio Meſſanenſi Iureconſulto magnæ regiæ curiæ Iudice, ac qui libera-
litate & ſumptibus Andreæ ſeptem annos vtriq; iuri operã dederat, & Iureconſul-
torum collegio adſcriptus fuerat, vltimo ſupplicio cum cæteris quoque coniura-
toribus eſt damnatus, atque in area maritima, quæ eius ædibus ſubeſt, capite ple-
xus, bonis eius ac ædibus Regi, Comitatu vero Motycæ Bernardo Craperæ addi-
ctis, (vt diplomate Regio dato Panormi pridie Calend. Iul. anno ſalutis. 1392. ſatis
liquet) coniuratis, & Antonio Fabaga eius a ſecretis viro, affectu vrgente ibidem
Claromontes editis vocibus ad extremam vſque animam conclamantibus, ſagitta
ibidem transfixis. Dum hęc Martinus Rex Panormi gereret, filium ex Maria Re-
gina Fridericum nomine ſuſcipit. Et deinde cum Martino patre, & Maria Regina,
ob Andreæ mortem nondum ſedata vrbe Panormo diſcedens, Meſſanam prius,
atque Catanam poſtea, quam Artalis Alagona ſibi (vt memorauimus) occupaue-
rat, iuſto cum exercitu petiit. Quo viſo Artalis relicta Catana ad Acim oppidum,
quod ſuæ ditionis erat, ſalutem ſibi quæſiuit. Catanenſes Artali diſcedente liberi
facti, portas vrbis aperiunt, ac magno gaudio Reges anno ſalut. 1391. ſuſcipiunt.
Vbi dum morantur, eodem fere tempore Guilelmus Peralta, (quem Guilelmonũ,
vt ante diximus, appellabãt) Calatabellotæ Comes, & Nicolaus eius filius, a Mar-
tino & Maria Regibus deſciſcunt, occupantque ſibi Ennam, Suteram, Erycem, &
Narum cum arcibus. Poſthæc Bartholomæus Iuenius Comes, Rogerius Paſſani-
cus Graſſuliati Comes, Manfredus Alagona, Fridericus Spatafora Rocellæ Baro,
Antonius Sclafanus Adrani Comes, Ninus Tagliauia Caſtri veterani Dominus, &
plures alii Siciliæ Proceres, necnon & Randatium, Caſtrum Leonis, Nicoſia,
Vizinis, Platia, Butera, & pleraque alia oppida ab iiſdem vno fere tempore defece-
runt. Quare Martinus & Maria Reges, proceres omnes, eoſque qui hæc oppida in-
colebant, Catanæ in arce Vrſina per ſententiam rebelles declararunt, boniſque o-
mnibus ſpoliarũt, conceſſeruntq; Nicolao Brachio forti Mazareni Domino Graſ-
ſuliatum anno ſalut. 1393. 8. id. Decembris, vt Regum priuilegio dato Platiæ liquet.
Aſſorum, quod Artalis fuerat Alagonæ, Simoni Valguarneræ: Caſtellutiũ, & Scla-
fanum, quod Guilelmi Peraltæ ditioni ſubiectũ erat, Guilelmo Raymundo Mon-
tecatino Auguſtæ & Meliueti Marchioni. Et ita cõſpiratorum oppida ſtudioſis ſui
militibus ſunt a Regib. diſtributa. Verum non multo poſt Guilelmus Raymun-
dus Montecatinus Meliueti Marchio, & Comes Auguſtæ, & Siciliæ Magiſter Iu-
ſtitiarius, & Coneſtabilis: Antonius Vintimilius Comes Goliſani, & Dominus v-
triuſque Petraliæ, ac Siciliæ Camerarius: Antonius Sclafanus Comes Adrani op-
pidi, & Siciliæ Seneſcallus, a Regib. & ipſi deſciuerunt. Quos omnes Rex Catanæ
in arce Vrſina. 16. Calend. Decemb. 6. ind. 1398. publico iudicio rebelles declarauit:
tametſi menſis poſtea Auguſti tertio idus, ac eadem inditione, eam ſententiam
Randatii Rex de Antonio Vintimilio ac cæteris eiuſdem familiæ reuocauerit, re-
liquoſque publica etiam mulcta damnauerit. Dum hæc a Procerib. gererentur,
& Reges Catanæ agerent, Panormitani Gilfortẽ Panormitanum Archiepiſcopũ,
Odinum Pampatum, Matthæum Bonannum Iureconſultum, Matthæum Caua-
ſcona, Nicolaum Bononium, & Fratrem Paulum Montis regalis Archiepiſcopum,
oratores ad Reges miſerunt, vt eius defectionis quam ſub Andrea Claromontano
inuiti ſane patrarant, veniam, atque vt Panormum ad regiam coronam ſuſcipien-
dam venirent, ac quædam alia Reges efflagitarent. qui benigne a regibus ſunt ex-
auditi. Subinde reges, clementia ac benignitate etiam in cæteros rebelles vſi, Bar-
tholomæũ Iueniũ, Guilelmũ Raymundũ Montecatinũ, Fridericum Spataforam,
Ninũ Tagliauiã, Petrũ Montecatinum Siciliæ vexilliferũ, & Matthæum item Mõ-
tecatinum abſoluerunt: omneſque hi oppidis ac dignitate receptis, regibus ſunt

reconciliati. Randatium quoque & cætera quæ ab eo desciuerant oppida, benigne ab eisdem sunt recepta. Conuentum postea rex apud Syracusas mense Octobri 1398. 7. indit. habuit: in quo Siculos omnes fideles ac sui studiosissimos declarauit. Mortuo deinde in sua pertinacia apud Caltanixettam Guilelmone Peralta, Martinus rex Nicolao Peralto Guilelmonis filio veniam concessit, restituitq; illi atque denuo confirmauit Comitatum Caltabellotæ, Sclafani, & Calatafimi cum membris suis: gubernationem præterea atque administrationem Saccæ vrbis, & Præfecturam veteris ac nouæ arcis eiusdem, vti ante possidebat, tradidit: sola Manzara sibi, quam antea tenebat, negata: quemadmodum diplomate dato Catanę anno salutis. 1396. pridie id. Februarii constat. Verum Nicolaus Comes neque hac regis benignitate victus, illius vnquam potuit fieri studiosus. Nam Saccã & pleraque alia iam sibi rursum occuparat. cuius perculsus metu rex Saccam petere eo viuente non est ausus. At Nicolao anno salut. 1399. 17. Calend. Nouembris vita defuncto, relictisq; Margarita, Ioanna, & Constantia filiabus, (quas ex Elisabetha Mãfredi Claromontani filia vxore susceperat) Martinus rex eodem mense Saccã profectus, regio more susceptus est, ac nullo obsistente arce noua, quam Guilelmonus sua pecunia erexerat, potitus est. Margarita subinde Nicolai filia, iussu regis Artali de Luna regis consanguineo nupsit. Cuius matrimonii iure Artalis Calatabilottæ Comitatum adeptus est. Ex quo Antonius Luna Comes exortus, ex filia Antonii Cardonæ vxore Carolum, (qui ei postea in Comitatu successit) Petrum Archiepiscopum Messanensem, & Sigismundum, (cui Beatrix Antonii Spataforæ testamento, Henrici Rubei patrui & Alfonsi regis indulto, Sclafani Comitis filia patre defuncto Comitissa, matrimonio iuncta est: ex quibus Ioannes postmodum est natus) liberos suscepit. Sed Carolo Comite absq; liberis decedente, & Sigismũdo etiam patre præmortuo, Ioannes Caroli nepos Caltabilottæ Comitatui primum, ac deinde Beatrice matre mortua Sclafanensi Comitatui successit. ex quo, & Diana Montecatina vxore, Sigismundus, Franciscus, & plures alii filii nati sunt. ex Sigismundo postmodum & Aloysia (Iacobi Saluiati Florentini & Lucretiæ Medices, Leonis decimi huius nominis Romani Pont. germanæ sororis, filia) Petrus, Iulius, & Iacobus sunt nati. Verum Sigismundo ob Saccensem cladem exilio (vt suo loco memorabimus) mulctato, & mortuo Clemente Pont. & Iacobo Saluiato Carolum Quintum Cæsarem & Siciliæ regem inducentibus, defuncto Ioanne Petrus Comitatui successit. Qui ducta Isabella Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis filia in vxorem, eodem Vega cum Carolo agente, Ducatus Bisbonæ titulo (dum pararem hæc edere) est insignitus. Sed ad Martinum redeo. Qui decreto publico sanciuit quæ oppida regis, quæ Procerum essent, Bonifacium oppidum, ab Alcamo Sarraceno primum erectum, & a Friderico rege postea restauratum, Alcamo nouo imminens, diruit. Lacum Leontinũ, & castrũ Oculam, Conrado a. S. Pace pro commutatione oppidi Bizini cõcessit. Dum hæc in Sicilia geruntur, in Hispania decedente Ioanne Aragonum rege absque masculis vnica filia Violanta relicta, Martinus Montis Albi Dux, Martini Siciliæ regis pater, ac Ioannis demortui regis germanus, regno Aragonum, Petri genitoris testamento, & Ioannis germani ac Violantæ neptis cessione, successit: assumptisque compluribus Hispanis & Siculis Proceribus, cum classe plurium triremium & nauium Sicilia soluens, in Hispaniã nauigat: ac demum Cæsaraugustam profectus, anno sal. 1398. rex ab omnibus salutatur, & corona regni insignitur. Interea Martinus & Maria Siciliæ reges dũ Catanæ agerent, Fridericus eorum vnicus filius annos natus tunc septem, dum regibus spectantibus hastiludio se exerceret, ærata cuspide transfixus statim occubuit. Maria Regina filii morte nimium mœrens, paulo post morbo & ipsa correpta, Catanæ decessit, ac regio more ibi tumulata est. Maria defuncta Martinus vir eius, & ratione vxoris, & generis successione ex Iacobo rege Friderici fratre, regno successit, anno salut. 1402. Martinus igitur rex Siciliæ defuncta Maria, nõ multo post Blancam Nauarræ regis filiam primogenitam vxorem accepit, sponsaliaq; ac nuptias in vrbe Panormo celebrauit: in quibus plures Siculis immunitates concessit. Sunt qui scribant Fridericum Martini & Mariæ filium infantem Catanæ (præmortua

mortua iã matre, ac ipsa Blanca Regina nouerca ibidẽ assistẽte) obiisse. iccirco, quia mortua genitrice Fridericus Infans iure materno rex erat Siciliæ, eo defuncto, iure iunior Martinus eius pater regno successit. Quo etiã postea defuncto, Martinus senior eius pater, & Aragonũ Rex, Siciliæ regno subiuit. Sed his (de quibus late Petrus Alcoranus in consilio. 334. loquitur) aliorum censuræ dimissis, ad institutum reuertor. Martinus rex anno postea salutis. 1408. inquisitionem fecit omnium Comitatuum, Baroniarum, & Feudorum, quæ Proceres Siciliæ eo tempore possidebant: quæ passim legitur. Postea Martinus Aragonum rex, cum Sardinia ab eo desciuisset, Martinum filium Siciliæ regem instructa cum classe ad eam expugnandam misit. Qui Sicilia soluens Blancam vxorem Vicariam reliquit: atque in Sardiniam nauigans, strenue sibi eam pugnando subiecit, & genitoris Imperio restituit. Verum non multo interiecto tempore morbo correptus, 5. Calend. Augusti. ibidem apud Callarim anno salutis. 1409. nullo filio relicto interiit, atque in maximo vrbis templo sepultus est. Cui Martinus pater Aragonum Rex in Regno Siciliæ successit: qui Blancam reginam Martini filii vxorem Vicariam in Sicilia confirmauit. Ac decimo post mense Martinus ipse senior rex Aragonum & Siciliæ, in Aragonia prope Barcinonem in cœnobio Vallis Donzellæ, prid. Calend. Iunii anno salutis. 1410. absque liberis decessit, testamento Proceribus legans, vt regem sibi maxime propinquum & prudentissimum deligerent. Quo mortuo magnum in Sicilia bellum inter Blancam reginam Vicariam, & pro ea Sancium Dotis Siciliæ Admiratum, & Bernardum Craperam Motycæ Comitem & Magistrum Iustitiarium est exortum. Nanque Blanca Regina, vt Vicaria, adhuc regnũ administrare perseuerabat. Contra Bernardus, & quod in Sicilia neminem vel potentiæ vel authoritatis superiorem haberet, & quod summum Magistratum (quẽ Magistrum Iustitiarium etiamnum vocant) gereret, Blancæ aduersabatur, eamq; authoritate priuatam asserebat, quod defuncto rege Martino, cuius officio fungebatur, esset exauthorata: ad se vero, cum supremus esset Magistratus, prouinciæ moderationem pertinere aiebat. Sed neque hoc solum, imo vero & regnum plane ipsum Bernardus affectabat. Quare in Sicilia magna (vt dixi) inter Proceres cõtentio emersit, quibusdam Blancæ, Bernardo vero plerisq; aliis adhærentibus.

DE FERDINANDO QVINTO Aragonum, sed primo huius nominis Siciliæ rege.

CAPVT VIII.

DVM Sicilia Martini Regis morte in hisce rerũ motibus versaretur, in Aragonia maxima intestina bella agitabantur, pluribus Proceribus Aragonum & Siciliæ Regna hæreditatis iure ambientibus. Fridericus in primis Lunæ Comes Martini senioris nepos, vtpote iunioris Martini ex nobili Hispana pellice, siue (vt alii scribunt) ex Siculo vulgatissimo scorto prognatus, animique & corporis dotibus præstans, iure omni humano atque diuino regnum sibi deberi affirmabat. Ferdinandus quoque Ioannis Castellæ regis secundogenitus, (quem Infantem appellabant) veluti propinquior, vtpote linea transuersali Aragonicæ stirpis ex Violanta (quam plerique Eleonoram vocant) Petri secundi Aragonum regis filia, & Martini senioris regis sorore, Henrico Castellæ regi, defuncta priore vxore, nupta, editus, alter erat cõpetitor. Iolans præterea vnica Ioannis Castellæ regis filia, Ludouico Neapolitano regi & Andegauẽsium Duci in matrimonium data, quæ ante nuptias Martino regi eius patruo regni ius renuntiauerat, Aragonense atque Siculum regnum, veluti a patruo fraudibus circumuenta, omni iure, tum Raymiri Aragonum regis, tum Rogerii Nortmani Siciliæ Comitis successione sibi poscebat. cuius rationes Petrus Ancoranus in eodem consilio. 334. late persequitur. Matthæus præterea Foxanæ Comes, Alfonsus

Gandiæ Dux,& Rebargorciæ Comes,& Iacobus Vegelli Comes. Hi omnes regni competitores erant. Cumque super hac re inter Aragonenses, Valentinos,& Catalanos maximæ contentiones exortæ essent, ita vt plerique armis correptis ob id fuerint occisi: (inter quos & Garsias Cæsarauguſtanus Archiepiscopus, liberius paulo cum Antonio Luna altercando, occubuit. nanque alii Ferdinandum, Iacobum vero alii, plerique Gandiæ Ducem reges acclamabant) sed dum hoc modo inter se Aragones dissiderent, ac vel ob id domesticis atque intestinis bellis lacerarentur: placuit rem totam ad compromissarios referri. Delecti itaque communi consensu sunt nouem Iudices, ex singulis regnis terni. Ex Aragonia quidem, Dominicus Ramus Episcopus eo tempore Ostensis, postea Ilerdensis, ac postremo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: Franciscus Aranda, maximi vir consilii, & qui prorsus rebus humanis renuntiauerat, ac vitæ eremiticæ totum se addixerat: Berengarius Bardassinus iureconsultus prudentissimus. Ex Valentia, Ludouicus Ferrarius Carthusianæ religionis moderator, ac Princeps iuris ciuilis prudentia & pietate insignis: Vincentius Ferrarius, eius germanus frater, ordinis Prædicatorum, concionibus, vitæ sanctimonia & miraculis ad exteras vsque nationes clarus, atq; in Diuos postea a Calixto tertio Rom. Pont. relatus: & Petrus Bernardus iurisperitus, integerrimus plane vir. Ex Catalonia vero, Franciscus Sarriga Tarraconẽsis Archiepiscopus, vtroq; iure vir præcellens: Guilelmus Valseca iure ciuili & ipse ac religione præstantissimus: & Bernardus Gualbes literis, prudentia, ac moribus eminentissimus. Fuerunt ii Iudices delecti, vt sententiam pro competitorum aliquo ferrent. quam proferre non poterant, nisi duo ex singulis regnis Iudices conuenirent. Hi quo die iudicium sunt ingressi, eucharistiam populo inspectante sumpserunt: subinde per triginta dies competitores, eorumq; iura exactissime audierunt. Postea in Gaspæ Aragonæ prouinciæ oppidi arce munitissima, ea lege sunt inclusi, vt inde eis nisi rege prius declarato egredi non liceret. Vbi plures menses commorati, & competitorum inspectis rationibus, ac iuribus examinatis, 3. Calẽd. Iul. conuocatis ad sententiam audiendam partibus, Iudices in loco edito ante valuas templi maximi eiusdẽ oppidi consederunt. Conuenit igitur omnis ætas, sexus, conditio, ad tantam regis sententiam accipiendã. Tum Vincentius Ferrarius Dominicanus e cõcilio surrexit, ac suggestum ascendens orationem ad populum habuit. a cuius ore dum omnium ora mentesque penderent, inter spẽ & metum solicitis atq; suspensis omnium animis, Ferdinandum Castellæ Infantem cognomẽto Iustum, tunc absentem, omnium Iudicum voto, Aragonum Siculorumq; regẽ declarauit. Ad cuius nomen excepta est tanquã vox de cœlo delapsa Iudicum sententia: tantusq; populi exultantis clamor est excitatus, vt omnia militaribus vocibus, tubisq; ac tormentis æneis obstrepere viderentur. Igitur nullo competitorum obsistente, sed congaudentibus ac exultantibus omnibus, anno salut. 1412. tertio nonas Sept. in æde. S. Saluatoris, rex apud Cæsarauguſtam coronatur. Erat Ferdinandus Ioannis huius nominis Aragonum regis primi (qui currentis equi lapsu oppressus interierat) filius. Etenim Ioanni regi duo filii superstites fuerunt, Henricus, & Ferdinandus. Quorum natu maior Henricus patri succedẽs, morbo correptus, in ipso iuuentæ flore præreptus est, relicto vnico filio Ioanne admodum puero, cuius tutelam simulque regni curam Ferdinando fratri moriens delegauit. Ferdinandus, vir fide & sanctitate memorabilis, regni cura non segniter suscepta, puerum non secus ac filium habuit. quod facto quodam memorabili, ex quo Iusti cognomentum accepit, huiusce modi ostendit. Nam cum regnum sibi pro puero cõmissum summa prudentia iustitiaq; moderaretur, ab omnibus in regem contempto puero acclamatur. Sed Ferdinando abnuente, ea causa a Principibus ad concionẽ populus vocatur. Proceres igitur omnes ad locũ designatũ conueniunt: vbi & Ferdinandus ipse adesse est iussus. At Ferdinandus, quod erat futurũ animo præuidẽs, sub chlamyde nepotem regio more amictũ deferens, eo & ipse compulsus conuenit. Igitur omnium suffragiis & votis, ac vnanimi procerũ omnium cõsensu, Ferdinandus Aragonum rex puero deiecto deligitur. Quod vbi Ferdinandus cõperit, nepotẽ puerũ e chlamyde extulit, humeroq; impositum populo ostendens, edita

voce

vocẽ edixit, En Aragonẽſes regem veſtrũ: noſter hic eſt rex: huic fidem ſeruemus; prout mos eſt Hiſpanæ gentis. atq; his dictis collocatũ in regio ſolio infantulũ primus ipſe ad pedes eius procumbens veneratus eſt: atq; in verba eius iurauit, idẽq; oẽs vt facerent, exẽplo ſuo adegit. Reſtituto igitur, auctoq; illi regno, priuatum potius agere quam regnũ ſibi alienũ vſurpare delegit. Vtinã Principum huius ætatis pectora eadẽ virtute flagrarent. Is igitur Ferdinandus, qui tanta iuſtitia pollebat, in Aragonũ regẽ, licet abſens, eligitur, rexq; ab omnibus acclamatur. Qui Aragonũ regno ſuſcepto, Siciliæ ſe regem appellari vetuit, donec illius regni poſſeſſionẽ induiſſet. Nam in Sicilia (vt diximus) inter Blancam Reginam & Bernardum Crapecorã ingens pro regno Siculo bellum flagrabat. Bernardus etenim callido vafroq; cõſilio regno aſpirabat. Animos illi faciebant, quod Aragonia inteſtinis bellis per mortem Martini laboraret, quod nullum in Sicilia ſuperiorem authoritate haberet, quod ſummum magiſtratum gereret, quódque defuncta ſine liberis Maria regnum ad eius virum Martinum, nec deinde ad Martinum patrem potuerat iure aliquo peruenire: eoque illum regem eſſe debere, quem Siculi ſibi delegiſſent. Atque vt facilius regnum occuparet, Blancam eximiæ ſingulariſque formæ mulierem in matrimonium accipere conſtituerat, quod Blanca Mariæ olim Reginæ, vt propinqua, ſuccederet. ſiquidem Maria proneptis fuerat regis Nauarræ ex filia, quæ fuit prima vxor Petri regis ſecundi: vnde vxor regis Friderici mater eius genita erat. Veritus tamen, cum ætate ſenex & inhumanus eſſet, ne fœde ab ea reſpueretur, conſtituit obtentu aliquo fraudem hac ratione contegere. Nam cum Proiuſtitiarius eſſet, veluti ſupremus magiſtratus, dum interregnum duraret, moderari ac in officio inſulam continere ſibi vni licere iam in animum induxerat: idque etiam publice affirmabat, ac credi volebat. Erat eo tempore Blanca Reginа in arce Vrſina Catanæ vrbis, ſed diuerſitabat in propinquo monialium monaſterio. Ibi eam Bernardus comprehendere ſtatuit. Sed illa de periculo certior facta, in arcem furtim conceſſit. Bernardus ſpe hac via fruſtratus, ac mirum in modum dolens, ſuſpicionemque ab Regina abſtergere cupiens, miſit ad eam qui de colloquio inter eos habendo agerent: neque illa recuſauit. Verum cum neutri ſatis ab altero fidei haberetur, conuentum eſt vt Blanca de puppi triremis, Bernardus vero de ponte, cui triremis hærere ſolebat, ſermonem conferrent. Poſt multa itaque verba vltro citroque habita Bernardus coniugium appetitum tandem patefacit. Quo audito, Regina vt diſparem ætate & conditione hominem contemnens, ſermone interrupto in altum cum triremi, Bernardus vero ægerrimo admodum animo ſe ſe ad littus retulerunt. Qui vbi contemptum ſe videt, turbatur animo; ac comparatis copiis Siciliam excurrit, oppida multa quæ Blancæ ditioni ſuberant, vi metuque ad ſe transfert. Erat vrbs Syracuſæ Blancæ Reginæ non modo vt regia, ſed etiam vt peculiaris ſibi pro vitæ dignitate, ac cordi maxime inſidens domicilium. Ad eam igitur vrbem, ne ab hoſte occuparetur, ſe confert, Sanciumque Admiratum ſui ſtudioſum accerſit. Quod vbi Bernardus reſciuit, occaſionem rei bene gerendæ non omittens, Syracuſas & ipſe cum ſeptingentis equitibus ac peditibus mille accurrit, arcemque quæ iſthmo imminet, Maryhettum appellatam, in qua Blanca & Sancius reſidebant, prætergreſſus, vrbem ipſam inuadit, ac nemine obſiſtente recipit. Recepta vrbe, Maryhettum arcem Bernardus obſidere atque oppugnare pergit. Portam vrbis, qua ſola aut ingredi aut egredi licet, arcique ſubiectam, repentino impetu occupat, ac præſidio munit, ne in arce obſeſſi per eam commodiorem haberent fugam. Itaque vtraque iſthmi fronte ab eo capta, arcem ipſam & ea parte qua vrbem, & altera quæ Siciliam reſpicit, munitionibus cingit, ſtationes extruit, præſidia diſponit, Syracuſanis nullo labore intermiſſo adiuuantibus. Sed ne nauigia, quæ in maiori portu erant, arci ſuppetias ferre poſſent, vtraque exercitus caſtra, ea littoris parte ducto ſuper aquas ligneo ponte, coniungit, machiniſque erectis ac tormentis æneis Reginam & Sancium, ac cæteros obſeſſos, noctu & interdiu maxima vi oppugnat, vt eis expugnatis regnum Siciliæ, antequam Rex in Aragonia conſtitueretur, ſibi celeriter occupare poſſit. Erat in Bernardi caſtris Ioannes Montecatinus Antonii

Adrani Comitis germanus frater, cui postea in dominatu successit. Is quanquam Bernardo cæteris omnibus in rebus faueret, in oppugnanda tamen Regina ei plurimum aduersabatur. Quem cum pluries a sententia frustra reuocare conatus esset, clam cum suis e castris discessit, atque in meditetranea Siciliæ loca se recepit. Quo cognito Sancii studiosi, itemque plures alii, qui Bernardo ob nouos motus erant infensi, ad eum confluunt, atque cum Ioanne Montecatino, & Raymundo Torres triremis vnius domino, de ferendis Reginæ suppetiis deliberant. Igitur ante lucem Raymundus cum sua triremi ante portum Syracusanum affuit: & Ioannes Montecatinus trecentis cum equitibus, totidemq; peditibus ligones dolabraque ferentibus, castra Bernardi inuadit, fossas implet, vallum rescindit, præsidium deiicit, atque in ipsa castra irrumpit. Bernardus vt hostes impetum fecisse cognouit, ad arma conclamare statim iubet. Milites a re ad bellum acciti, quisque repente telum capit, atque ad obsistendum properat. Ioannes suo impetu obuios quosque propellit, sternit, atq; ad pontem tandem peruenit. Raymundus quoque cum triremi ad tumultum excitatus, ad locum constitutum festinus & ipse nauigat. At Bernardi milites, qui in vlterioribus castris erant, correptis armis auxilium alteris castris ferunt, atque in ipso ponte Ioanni occurrunt. Ibi pugna oritur, aditū Ioanni prohibent. Sed angustia loci, tenebræ præterea, & suspensa supra aquas pōtis lignei machina, quæ peditibus quam equitibus aptior erat, dubium atque horribile certamen reddebant. A tergo etiam atrox magis ac magis bellum accendebatur. Interea Bernardus per suos excurrens, alios vt arma capiant, alios vt fortiter dimicēt, hortatur, multos increpat, pleroſque castigat, nulli in tanto rerum discrimine satis fidit. Solus ipse vbi vel insidias suspicabatur, vel periculū maxime imminebat, & Ducis & militis obibat munera. Ioannes contra nunc ad primos, nunc ad medios, nunc vero ad postremos recurrit. Demum Bernardi milites, qui ad vlteriorem pontis partem obstiterant, submouet. Ita impedimento sublato multi suorum pontem peruaserunt, neque iam multo inter se Duces spatio distabant. Ioannes vbi Bernardum sine galea, & linteo albo vt e cubili primum surrexerat, obuolutum eius caput vidit, tum ad milites exclamat, vt eum solum petant cuius caput linteo constrictum cernerent. Ita Bernardus simul, atque vno tempore a plurimis petebatur, atque in summo iam discrimine versabatur. Quo cognito paulisper cessit, ac linteo abiecto galeam cepit, galeatusque ad pontem reuertitur, prælium maiori suorum manu redintegrat. Dumque omnis belli moles in pontem contrahitur, pons ipse soluitur, ac multi in mare decidunt. Tum Ioannis auxiliares, qui pōtis vlteriora transierant, & ii qui in arce erant, adiuuantibus nauticis, muri portam patefaciunt. Qua in aream arci subiectam, & inter duos vrbis muros sita ingressi, vlteriora Bernardi castra inuadunt, ac milites vel in vrbem fugant, vel capiunt: atque hoc pacto arcem obsidione liberant. Regina obsidione soluta, vt in triremim euadat, accingitur. Syracusani, qui ex animo Reginæ erant addicti, incerti quā in partem victoria cecidisset, superueniunt, ac Reginam adiuuant: quæ impauida triremim ascendit, atque Panormum nauigat. Ibi ad ædes quæ paulo ante Manfredi Claromontani fuerant, tum vero domus Regia, tametsi Doana hodie, sese recipit. Ioannes interea & Sancius profligatis hostibus Syracusas ingrediuntur, atque vrbē recuperant. Ac deinde ad suam & Reginæ iniuriam vlciscendam, atque ad redintegrandas confirmandasque pro se vires properant. Interea salut. anno. 1412. Ferdinandus rex nuper electus, cognitis Siciliæ motibus, ne in peiora prolaberetur, Magistrum Montesi, Ferdinandum Vasques, & Ferdinandum Vegam Legatos suos e Catalonia in Siciliam mittit, Bernardum cum Regina & Sancio reconciliaturos. Igitur Legati Drepanum appelluntur. Bernardus cognito Reginæ Panormum, & Legatorum Drepanum accessu, copias suas vndique celeriter & ipse augeat, ac Reginam Panormi aggredi priusquam Legati eo aduentarent, statuit. Igitur compositis insidiis omnia itinera obsidet, ne qui aut priuati Reginam admonere, aut Legati Panormum aduenire possent. Itaq; nulli toto illo triduo, quo copiæ in Bernardi oppidis, quæ Panormo proxima erant, parabantur, ab eis oppidis iter Panormum versus patuit. Quinimo & Petrum Martinum, quem Legati primum ad

ad triremem Panormo Drepanum cõuehendam miserant, in Alcamo sui iuris oppido intercepit, ac tribus diebus apud se retinuit, ne Panormi conflatum exercitũ nũtiaret. Alcamo postridie cum copiis Panormum mouens, intempesta nocte vrbem furtiuo aditu ingreditur. Ad cuius nocturnum aduentum tumultuariũ strepitus est excitatus. Ita igitur eius ingressus, licet nocturno tempore, cũm tota ciuitate percrebuisset, mox per certum nuntium Reginæ nuntiatur. Illa se magis quã vrbẽ inuadi cognoscens, exanimis prope e cubili prosilit. Domus regia multo magis quã vrbs muliebri metu ac lamentatione confunditur, nec spatium illis modo ad vestiendum datur. Timor ipse ac festinatio, vt fit, animi fortitudinem ac vestiendi celeritatẽ impediebant. Seminudæ igitur atq; neglecto capillo e cubiculis mulieres erumpunt, imprimisq; Regina, quę neq; quod consiliũ capiat, nec quo se cõferat, plane videt. Igitur inter deliberationem ac festinationem, veluti ex incẽdio, per gradus lymphatæ similis in viam se cum suis rapit, ignara prorsus quo se loci cõuertat. Nam arcium altera quæ Palatiũ dicitur, satis nimis ab eo loco distabat: altera, quæ Castrũ ad mare vocatur, vel mari adibatur, vel terra, sed periculoso itinere. Inter hæc in mentem Reginæ vicina in portu triremis succurrit. Ad eam igitur fuga salutem sibi quæritans cursum capessit, & aream maritimam concitato cursu, vt quæ magno timore angebatur, transmittit: ac per portam egressa, maris aquas cum pediſſequis ingreditur, reductisque supra genua vestibus, maris altitudinem aut algorem, cum hyems adhuc esset, nihil reformidans, triremẽ versus, quæ nõnisi per iactũ lapidis a littore distabat, sulcando properat, non ausa vocare nauarchum, ne ab hoste exaudiretur, quẽ veluti in tergo perpetuo hærentem credebat. Miserandum sane spectaculũ. Regina cũ pediſſequis crinibus sparsis nocturna tantũ veste induta, aut altera quoq; circũuoluta magis quã amicta, vsq; ad femora mare ingressurũpebat. Inter hæc triremis nauarchus a vigilibus, qui rem tantã videbant, excitatus admonetur. Ille obuoluta veste e cubiculo stupefactus exiliit, in scaphamq; Reginam impositã, cæteraſq; tanquã e naufragio attonitas exãgueſq;, e mari in triremem excepit: in triremem, inquã, quæ a Bernardo quominus ad Legatos, retento Petro Martino in Alcamo illorum nuntio, Drepanum nauigaret, impedita, Reginam nunc ex eius prope manibus eripuit. Sępe nanque euenit vt quod nobis bonum magno animo pollicemur, totisq; viribus illi inhiamus, exitio postmodum maximo sit. Interea dum Regina in triremẽ periculo exuta recipitur, Bernardus magna militum copia regiam domum ingreditur. Verum vbi Reginam ad triremẽ fuga sibi salutem ac libertatem quæsiuisse comperit, indignabundus ad cubiculũ Reginæ perrexit intrauitq;, ac plura velut insaniens non dissimulanter egit. Dum hæc Bernardus ad regiam gerit, Regina triremi deportata ad Soloenti portum venit. Bernardus spe sua elusus, arcẽ quæ Palatium appellatur, magnis copiis obsidet, subinde Soloentum petit. inde Reginæ sese ostentans, eam nunc blanditiis, nunc vero etiam minis ac terroribus compellat. Iam, quod primũ dissimulauerat, & Reginam se & regnum appetere detegit ac fatetur. Legati interim triremi, pro qua nuntium miserant, frustrati, terrestri itinere Panormũ veniunt, Bernardum vt ab inceptis desistat, admonent. Ille e dignitate magistratus sui esse respondet, vt contumaces rebelleſq; coerceat: iã esse ex suis hostibus, qui cũ Principib. Italiæ fœdus inierãt. Dũ Bernardus in ea pertinacia perseuerat, atq; arcẽ Panormitanã per suos obsidere pergit, Antonius Mõtecatinus cognomẽto Sclafanus, Adrani Comes, cũ suis atq; Sãcii copiis Reginæ auxilio venit, per nũtios Bernardo edicit vt Panormitanã arcẽ obsidione soluat, discedatq;: quas vrbes, quæq; oppida vi a Regina abstulerat, restituat: eam demũ vt summũ Magistratũ, seq; etiã superiorẽ, agnoscat, hortatur. Bernardus his per seipsum respõsurum renuntiare iubet, ac mox maiori copiarũ parte instructus, nũtios subsecutus, Antonio occurrit. Ille vt Bernardum venientem videt, arma suis capere iubet. Aliquandiu igitur instructa acie vterq; subsistit. certamẽ neutri incipere visum est, vel ob id quod in loco vterq; satis tuto esset. Dũ igitur nõ lõge ambo exercitus inter se dissiti essent, & manus conserere nõ auderẽt, ac Bernardus partẽ valli, qui extra muros Panormitanos erat, circuit, ac stationes recognoscit, a Vascono quodã milite, pditur, atq; repẽtino hostiũ aggressũ

circun-

circundatur. Qui vbi se conclusum plane videt, neq; fugæ sibi locum vllum superesse, gladio se in orbem tutatur, atque aliquantisper strenue, tametsi senex, pluribus obsistit: tandem cum numero & viribus satis nimis esset inferior, irruentibus in eũ hostibus capitur, atq; in manus Sancii traditur: ductusque est ab eo in Mottam S. Anastasiæ oppidum, quod suæ ditionis erat, ibique in arcis cisternam, quæ vacua erat, demissus. Vbi nõ multo post cum magni imbres essent, Sancii iussu laxatis aquæductibus, riui in cisternam confluebant, eamque paulatim replebant. Bernardus cum iam innatante lectulo non procul esset a vitæ periculo, vociferabat, auxilium frustra implorans. Nemo nanque ei domesticorum respondebat. Tum quidã veluti tunc primum eo audito, ab ore cisternæ respondit, ac festinabundus Sancio casum atque discrimen nuntiat. Sancius miseranti similis propere succurri imperat. Igitur e profundo lacu obscuraq; testudine veste, capillo, totoq; corpore madenti Bernardus educitur. Lachrymabilis sane res eum videre, qui modo Siciliæ Regulus Siculo regno inhiabat, ex tam horrendo carcere madefactum exire. Extractus in locum transfertur omni carcere grauiorem, obscurum, fœtidum, abominabilem. Vbi cum aliquandiu carcere ac ieiunio pressus stetisset, custodi adulatus, familiarem beneuolũq; sibi eum reddidit. Quem tandem orat, vt se miseratus e carcere abire permittat. quod si faceret, mille aureos ei se daturum, antequam e carcere pedem efferat, ac pleraque alia ei munera post liberationẽ pollicetur. Custos, homo vafer admodum & percallidus, vnius noctis deliberandi spatium petit. Rem igitur statim ad Sancium defert. Sancius vt petenti annuat, pecuniamq; sibi in manus ante numerari exposcat, respõdit, cæteraq; quæ ad eius ludibrium excogitauerat, edocet. Igitur illucescente custos illum se adiuturum Bernardo ãdiurat. Ita eo die pecunia per amicos Bernardo clanculum affertur, ac mox custodi numeratur. Proxima nocte cum tenebris omnia inuoluta essent, Bernardus caligis cõplicatis, nulla amictus veste, submisso fune e fenestra a custode demittitur. Dũi-gitur lubrico fune Bernardus e fenestra delapsus ad medium descensum peruenisset, paratis ad eum excipiendum retibus instar feræ cassibus captæ inuoluitur, ac suspensus aere retinetur. Mira confusio, optabat sese in præceps deiicere, vel in fenestram eandem vnde delapsus fuerat, recipi, vel demum sibi vtrunque desperanti mortem inferre, nec poterat. Illucescente igitur totum diem retibus indutus, ac plane irretitus, ridiculum omnibus ac miserandum fuit spectaculum. nec datum est illi ad transitum amicorum, eorumque omniũ qui sibi aduersabantur, præ verecundia faciem auertere, sed immobilis, aperta omnibus fronte, funibus circumligatus, vel inuitus sese ab alto ostentabat. Adue sperascente receptus est vnde venerat, vbi aliis quoque ludibriis est affectus. Hęc vbi Ferdinando regi per nuntiũ delata sunt, iussu eius Bernardus vinctus Legatis traditur. a quibus solutus, Barcinonem statim ad regem mittitur. A Ferdinando igitur rege, tametsi grauiter perfidię ac temeritatis increpatus fuisset, pristino tamen apud illum in honore est habitus. Interea Blanca Regina apud cœnobium D. Nicolai de Arenis ad radices AEtnæ montis situm, viuere desiit. quod diuitiis plurimum locupletauit, ac postmodum Catanæ in templo D. Francisci tumulata est. Sed ad Legatos reuertor. Hi post Bernardi capturam, depulsis iam diffidiis ac diremptis e medio, statim certam fidẽ in Ferdinandi regis nomen atque imperiũ iurare Siculos iubent. Recepta per hũc modum Sicilia, Ferdinandus Siciliæ se regem nominari est passus. At cum per tres Proreges, quos supra Legatos memorauimus, summa iustitia atque tranquillitate eam prius moderatus est: postmodum Ioãnem eius secundogenitum Siciliæ Proregem & Admiratum constituit. Filios habuit Ferdinandus Alfonsum, Ioannẽ, Henricum, Sancium, & Petrum: Mariam quoque & Eleonoram: quarum illa Regina fuit Castellæ, hæc Portugalliæ. Bellum in Bætica gessit aduersus Sarracenorũ regem: quem adeo præliis attriuit, vt eum ad petendam pacem expugnatis plerisque eius oppidis coegerit. Cumque iustitia & liberalitate annos quatuor & mẽses nouem Aragonum & Siciliæ regna tenuisset, Alfonso primogenito rege designato, anno salutis. 1416. ætatis vero suæ. 43. quarto nonas Aprilis in Equalato Aragoniæ oppido decessit.

DE

DE ALFONSO ARAGONVM & Siciliæ rege.

CAPVT IX.

ALFONSVS mortuo Ferdinando patre, cum esset fratrum natu maximus, iure ac merito Aragoniæ, Siciliæ, cæterorumque Ferdinandi regnorum imperium atque dominationem suscepit. Is qualis quantusque esset futurus, cœpit ab adolescentia ostendere, cuius tunc prudẽtia cæteræq; dotes maximæ resplenduerunt. Ingenio erat ita magno atq; excellenti, adeoq; versatili, vt ad humana omnia, præsertim vero ad regnum, natus videretur. Vbi autem patrio regno successit, quanquam erat iuuenis, visa est in eo animi vis atq; indoles maxima. Corpus, vbi opus esset, laboris supra quam credi par est patientissimum. Multis virtutibus enituit, præsertim religione: quæ tanta in eo fuit, vt in iis quæ ad diuinum cultum pertinerent, potuerit non immerito cõtendere cum eis omnibus qui religione suo seculo præstiterunt. Pietas summa in eo, ac munificentia, qua non in suos tantum, sed in omnes quoque pauperes mirifice est vsus: ad bonarum artium, atq; ad scripturarũ studia supra mortales omnes longe ardentissimus. quarum gratia nullum fere diem inter quãtumlibet maxime ardua negotia intermisit, quin theologos, philosophos, oratores, poetas, aut legentes, aut disputantes, aut orantes audiret. Quisquis in tota prope Europa aliqua in re sua tempestate fuit illustris, euocatus ab eo, amplissimisq; honoribus ac muneribus est affectus. Adeo porro studiosus ac diligens, vt omnis humanarum diuinarumque rerum scientiæ, quam consequi mortales possunt, leuem saltem quandã degustationem fuerit adeptus. In cognitione tamen rerum quæ sacris literis produntur, nemini secundus. Bibliothecam ingentem conquisitis vndique libris sibi comparauit: plura Græcorum volumina ab eruditis transferri in Latinum curauit. In cuius aula plures floruerunt rei militaris periti, ac strenui, & bello clari Duces: vates præterea & rhetores, philosophi ac theologi primi nominis plurimi. Magnificus, & maxime liberalis, in eos præsertim qui essent de se optime meriti, aut qui in aliqua nobili arte, vel doctrina, aut etiam dignitate præclari haberentur. Quin adeo cupidus erat gloriæ, vt permoleste ferret quoties audiebat Principes alios sibi, in eis virtutibus præsertim quibus ornatos decet esse reges, anteferri. In vestitu cæteroque corporis cultu moderatissimus: modestus adeo, vt ex ipsius ore nihil vnquam obscœnum ac turpe exciderit. Cumque honore, opibus ac potentia cunctis sui seculi principibus anteiret, nunquã tamen notari insolentiæ potuit. In maledicos, qui multa in eum petulanter aliquando obloquebantur, vix vnquam vel modica ira commoueri est visus. quod mirabile fuit in eo, & rege præsertim, cũ ad iram præsertim satis pronus esset. Eos quibus familiariter vtebatur, quorumque consiliis res magnas gerebat, mansuetissimos esse cupiebat: at si quos insolentes animaduertisset, sua gratia vacuos eos a se protinus expellebat. Vini in eo supra humanũ modum temperantia: humanitas eius fere incredibilis: quippe quĩ interiora loca, vbi aut cibum capiebat, aut dormiebat, aut pro sua consuetudine lectiones a viris doctissimis quotidie audiebat, non purpuratos solum, sed infimæ quoque sortis homines admittebat. Tantaque enituit constantia, vt in omni fortuna idem eius animus, idemq; semper vultus videretur. Ad ignoscendũ eis qui in ipsum delinquebant, longe facillimus. In eos quos bello domabat, illosque etiam qui sibi aliquando infensissimi fuissent, quique pro eo necando quandoq; insidias parauissent, clementissimus. Qua in re adeo fuit insignis, vt nemini ex Principibus, qui suo seculo, quique vnquam toto orbe fuerunt, secundum fuisse ipsum scriptores affirment. Aduersariorum, quorum fuit ei numerus ingens, animos sibi beneficiis conciliabat: adeoq; ad conferenda in omnes beneficia erat promptus, vt aliquando plura promiserit quã præstare potuerit. Iustitiam summa diligentia & coluit, & a suorum regnorum Præsidibus coli semper voluit. Ostendunt id quod scribo, complures eius epistolæ Siciliæ Præfectis ab eo scriptæ: quibus adeo acriter

ac se-

ac ſeuere eos obiurgabat, vt qui eas nunc legunt, Alfonſum iratum etiamnũ ſe videre putent. Nec tamen tanti viri virtutes vitiorum quorundam macula caruerũt, vitio nanque illi datum eſt a compluribus, quod vectigalium maximam partem, multaſque vrbes egregias dono eis dederit qui erant de ſe benemeriti, quodque oratores, & quicunque ad eum vel viſendi vel ſalutandi ſtudio accederẽt, Principum quoque ac florentiſſimarum ciuitatum ad ſe miſſos Legatos, multis ac pretioſis ſupra quam poſſet donis proſequeretur. Eas enim ob res fieri plerunque neceſſe erat, vt populares ſuos nouis & inuſitatis vectigalibus opprimere compelleretur. Quamobrem ſi quid magnum atque arduum aliquando aggreſſus eſt, interruptũ atque inchoatum relinquere eſt coactus. Venatione adeo pluſquam decebat delectabatur, vt a regni propter eam curis quam ſæpiſſime amoueretur. Et quanquã iracundiam plerunq; (vt diximus) compeſcere ſit conatus: viſus tamen eſt quædã nonnunquam irę impulſu feciſſe, quæ regiam maieſtatem haud quaquã decerent. Quicquid ei videbatur, facile ſimulabat diſſimulabatq;. Libidinis nimis impatiẽs, ſæpe vero expoſtulantium improbitate commotus, vel deteſtanda facinora, atque ea multa impunita dimiſit. Cæterum ob admirabiles illas virtutes, quibus maxime ipſum fuiſſe ornatum ante diximus, tantum eius valebat authoritas, vt quoties vellet, vniuerſæ Italiæ pacem ſolus procuraret, aut ad bella gerenda eam concitaret. His igitur virtutibus præditus Ferdinandi patris regno cũ ſucceſſiſſet, Mariam Henrici Caſtellæ regis patrui ſui filiam duxit vxorem: ex qua nullam prolem ſuſcepit: ſed ex pellicibus Ferdinandum, Mariam, & Aleonoram. quarũ priorem Ferrariæ Marchionis, alteram Sueſſani Ducis filio vxorem dedit. Initio ſuſcepti imperii Petrum germanũ fratrem Siciliæ Proregem, ac Neeti oppidi Ducem inſtituit. Sub quod tempus Ioanna Regina Neapolitana, Ladiſlai ſoror, eum ſibi filium aſſentiente Ioanne. 24. Romano Pont. adoptauit. Nam Ladiſlao eo qui omnium poſtremus e præclara Dyrrhachina familia Neapolitanum regnum obtinuit, mortuo, Ioanna ſoror conſenſu Martini quinti Romani Pontificis ei ſucceſſit. Hæc cum a Ludouico Andegauenſi Duce, qui rex poſtea eſt appellatus, graui bello premeretur, quod ad ſe deferri Neapolitanum regnum volebat, auxilium ab Alfonſo implorauit: atq; ad eum Malitiam Carafam miſit, qui Alfonſum oraret, vt cum viginti roſtratarum nauium claſſe, & vnica mirę magnitudinis oneraria, quib. Corſicam per id tempus oppugnabat, Neapolim quã primũ proficiſceretur. Quo autem facilius in eam rem regis animus incendi poſſet, Malitiæ Regina ipſa mandauerat, vt illi ſpem in ampliſſimum Neapolitanum regnũ ſuccedendi proponeret. Tanti itaq; regni potiundi occaſione oblata, Alfonſus a Corſicano ad Neapolitanum bellum omnem animum cogitationemq; conuertit. Quo neceſſe fuit vt relicto Bonifacio, (quod eſt oppidum in Corſica totius gentis ac regni caput) in Siciliam traiecerit eo conſilio, vt in ea longe maiorem claſſem compararet, & vires validiores contraheret. Quæ vbi facta ſunt, cõpoſitis Siciliæ rebus confeſtim Neapolim eſt profectus. In ea profectione illud fuiſſe relatione maxime dignum ſcriptores memoriæ prodiderũt, quod magna, & nunquã ea ætate vel viſa vel audita illuſtrium virorum manus euntem Neapolim Alfonſum comitata ſit. Nam præter milites naualesq; ſocios, quorum ingens fuit numerus, ad mille & quingentos tum equeſtris ordinis viros, tum proceres, partim ex vlteriori citerioriq; Hiſpania, partim ex Sicilia ſecum tranſuexit. Regina præterquam quod regis aduentum cum maximo totius ciuitatis applauſu celebrari iuſſit, nihil quod ad ſummam lætitiam teſtandam pertineret, prætermittens, in filium ipſum adoptauit, regnique voluit eſſe conſortem. Atq; ita per multos dies ſummus fuit inter Ioannam & Alfonſum bellicarum atque vrbanarum rerum omnium conſenſus. factumque eſt vt Alfonſi opibus, authoritate, conſilio & virtute, Regina omni leuata periculo, reſq; eius maxime aucta ſit: Ludouicus vero Sfortias, Contineola, ac cæteri illius ætatis Duces, qui ei erant infeſtiſſimi hoſtes, viribus atq; animo penitus frangerentur. Verum edax ille liuor, qui in complurium mortalium animis multorum malorum radices agere ſolet, nonnullos adegit vt tam vtilem tamque glorioſum regis Reginæque animorum conſenſum moleſtiſſime ferrent: in quibus fuit Ioannes Caracciolus vir ex Nea-

ex Neapolitana nobilitate illustris, qui ante Alphõsi aduentum primum apud Reginam dignitatis locum obtinebat. Is igitur præter cæteros inimicitiarum inter eos initia serere cœpit. Regina (vti muliebris ingenii conditio est) facillime omnia credens, curauit ac perfecit vt Regi insidiæ pararentur, quibus vel interficeretur, vel regni saltem societate pelleretur. Alfonsus indignum ducens, vt qui desertæ rebus in summo discrimine desperatis non sine ingentibus sumptibus, maximisque laboribus ac periculis opem tulerat, ab inconstantissima fœmina tanta afficeretur iniuria, quædam excogitauit per quæ & Regina & cæteri insidiarum auctores non indignam suorum flagitiorum vindictam retulerunt. Erant ei præter copias terrestres triremes triginta, onerariæque ingentes septem egregie instructæ, quæ in Neapolitano mari non longe tamen ab vrbe in ancoris stabant. Iussit igitur Petro fratri, vti a terra cum vniuerso equitatu ac peditatu vrbem aggrederetur. Ioannem vero Cardonam classis Præfectum portum subire cum nauibus imperat, eo consilio, vt a mari, qua parte vrbs eo tempore muris cincta non erat, vrbem ipsam confestim adorirentur. Arbitratus est enim posse oppidanos longe facillime opprimi, si vno eodemque tempore a diuersis partibus inuaderentur. nec abfuit fortuna consilio. Vbi nanque peracta ordine sunt quæcunque Alfonsus imperauerat, ingens naualium suorum manus in terram infestis armis prosiliens, vrbem paucis frustra obsistentibus ingreditur, cepitque quantum vrbis patebat ab arce quam Castellum nouum appellant, ad D. Petri martyris templum: eaque omnia diripuit. Magna autem pars captæ vrbis subiectis flammis absumpta est. Nuptæ innuptæque puellæ libidini militum, quorum primus impetus contineri non potuit, substratæ. Fuisset quoque captum prima excursione quicquid reliquum erat vrbis, nisi Sfortias (copiarum celeberrimus ea ætate Dux) sese cum suis militibus fortissime pugnans, opportunis quibusdam locis obiecisset, hostesq; repulisset. Cæterum vim faciente Alfonso Petroque fratre, ac cæteris Regiis: vrbe tandem Sfortias suique omnes pulsi sunt: atque ita reliqua vrbis pars, præter Capuanam arcem, capta atque direpta est. Tum milites Alfonso suaserunt, vt in illatæ sibi tantæ iniuriæ memoriam, captam direptamque vrbem igni absumeret. cui rei Alfonsus non est assensus, indignum existimans ac indecorum Regi, ob iracundiam, antiquam celebrisque nominis vrbem incendiis delere. Hoc vbi dixit, non voce tantum ac manu, sed per præcones etiam ad diuersas vrbis regiones quam celerrime missos, eos compescuit omnes, qui ad subiicienda incendia parati videbantur. Ad arcem deinde nouam se recepit, accitisque iis qui consiliorum eius participes erant, cœpit ea animo volutare quibus Reginæ & Sfortiæ, cæterorumque hostium conatibus sese opponeret. Erat annus quo gesta hæc sunt, salut. 1423. Nec multo deinde interiecto tempore nuntii complures ex Hispania ad Alfonsum sunt missi, Henricum fratrem Gallæciæ Principem a Ioanne Hispaniæ Rege coniectum in carcerem, custodiaque arctissima obseruari renuntiant. Ea re vehementer commotus, atque dignum sua autoritate ducens vt fratri relicta Italia opitularetur, præfecto summæ rerum Neapolitanarum Petro fratre, relictoq; apud eum Iacobo Caudela Duce copiarum eo tempore præclaro, cum duodeuiginti triremium, onerariarum vero ingentium duodecim classe in Cataloniam traiecit. Sed cum priusquam Neapoli solueret, certior esset factus, Ludouicum cuius supra meminimus, pacem cum Ioanna pepigisse, ac contra Petrum fratrem bella moturum: statuit vrbem Massiliam, cuius Ludouicus erat princeps, ex itinere & oppugnare, & si qua vi fieri posset, expugnare. Cum igitur classem ad paruam quandam insulam in conspectu Massiliæ sitam appulisset, miro quodam modo ex vndis extracta, dolabrisq; cæsa ac discissa cathena ferrea ac vasta, qua portus fauces claudebantur, vrbem ipsam momento cepit, diripuitq; ac incendit. Ioanna interim a Philippo Maria Mediolanensium ac Genuensium Duce auxiliũ petit, quo Neapolim reliquumq; regnum quod in Alfonsi potestate erat recipiat. Petẽti Reginæ Philippus opem ferre constituit: onerariasque duodecim, ac rostratas quinque & viginti decem militum milibus instructas, quibus Guidonem Torellum præfecerat, Neapolim mittit: ac nullo negotio Caieta & Neapoli, cæterisque

Neapolitani Regni oppidis ad Ludouicum, quem Regina in filium adoptauerat, regnique consortem effecerat, Proceribus quoque omnibus deficientibus, ea classe receptis, Petrus Alfonsi frater classe, quam ad id Alfonsus ex Catalonia trãsmiserat, in Siciliam traiecit. Sed dum hæc Neapoli geruntur, Alfonsus in Cataloniam relicta Massilia profectus, cum Ioanne Rege fœdus pacemque iniit, Henrico fratre libertati & pristinæ fortunæ restituto. Verum non multo post opera Aluari Lunę inter Ioannem & Alfonsum bellum rursus repetitur: sed Procerum prudentia quinquennalibus induciis dirimitur. Id vbi factum est, Alfonsus ad res Neapolitanas animum conuertit. Instructa igitur triremium viginti sex, & nouem onerariarum classe, primum in Sardiniam, ac subinde in Siciliam traiecit. Eius rei Neapolim fama delata, proceres plerique Alfonsi Regis studiosi Neapoli ad eum nuntium mittunt: in sequentem annum bellum maturandum esse, cum præsentia tempora satis obsisterent, suadent: interea ipse in Sicilia cum classe consistat. Alfonsus his monitus tempori cedit, licet pertinacissime iam inde ab ineunte ętate animo sibi constitutum esset, vt aliquando Neapolitano regno potiretur. Sed ne segniter otium tereret, Bosferio Sarraceno Tuneti Regi bellum indicit, atque ea causa Syracusas proficiscitur: ibi centum sexaginta nauigiorum classem paratam ascendit, atque ad Gerborum insulam, quæ Bosfori ditionis erat, cursum dirigit. vbi expugnari turres, quæ in ponte insulam continenti coniungente extructæ erant, pontemque ipsum rescindi iubet, ne qua auxilii spes Sarracenis relinqueretur. Quod vbi factum est, hoc solum reliquum erat, vt insulam popularentur. Sed mox nuntius a Bosferio ad Alfonsum venit, facultatem diemque pugnandi cum suo exercitu flagitans. Alfonsus nuntio accepto, prædaque contempta, Bosferium ad bellum præstolatur. Igitur ad constitutam diem Bosferius cum centum militum milium exercitu paratus affuit, castrisque positis in conspectu Alfonsi ad iactum teli ipse in parte altera rescissi pontis cum lectissima suorum militũ manu consedit. Alfonsus vero in altera põtis parte, qua insula aditur, Christianos continuit. constituerat enim postero die collatis signis dimicare. Sed Christiani pugnandi ardore incensi castrorum munimenta transgressi in continentem eruperunt. Magno igitur clamore vtrinque concursum est. Ad multam diem ancipiti Marte pugnatum, ad extremum Sarraceni profligati. Pars nanque eorum in fugam versi, pars capti, plures vulnerati, quam plurimi cæsi. Bosferius cum captus prope esset, a suis, qui circumstabant, equo sublatus fuga salutem sibi quæsiuit: signa Sarracenorum regia, ac tormenta ænea omnino capta: e nostris multi vulnerati, paucissimi cæsi. Hac victoria si Alfonsus vti sciuisset, de Bosferii fortassis imperio actum fuisset. Sed Barbarus Rex suspicans id quod erat, velle Alfonsum parta iam victoria insulam vastare, Punica fraude instructus cœpit cum eo de pace agere, insulæ populationem ingenti auro velle se redimere Alfonso edicit. Cęterum cum de simulata pace ageretur, id quod Rex Sarracenus animo præsenserat, euenit. Deficiente enim Christiano exercitui commeatu, Alfonsus ob cibi inopiam inde soluta classe in Siciliam fœde redire compellitur. Quo cum classis esset appulsa, alii in Hispaniam, alii alio grauati iam militia, impetrata tamen dimissione, profecti sunt. Alfonsus vero cum triremibus aliquot, & eis instructissimis, in Sicilia non immemor tenacis sui propositi perstitit. Dum autem hic conquiescit, Ludouicus Andegauensium Dux, cuius supra meminimus, Neapoli diem suum obiit. Decedens autem, assentiente Ioanna Regina, Renatum fratrem regni Neapolitani hæredem reliquit. Erat per ea tempora Renatus in Gallia, exercitus quem Carolus Francorum Rex aduersus Britannos instruxerat, Præfectus, impiger, & magno animo vir. Is cum eo bello esset implicitus, curauit vt eius vxor Isabella cum triremibus quatuor Massilia solueret, ac Neapolim profecta, regni suo nomine possessionem acciperet. Interea non multo post Ludouici mortem Ioanna Regina & ipsa obiit. Ioannes quoque Caraciolus, cuius consilio cuncta a Regina gerebantur, cũm omnibus proceribus esset inuisus, mortua Regina noctu facta conspiratione trucidatur. Quę vbi omnia Alfonso nuntiata sunt, relicto in Sicilia Petro fratre, vt quæ bello gerendo opus forent, curaret,

ret,septem cum triremibus primum ad Ænariam insulam,(Isclam hodie vocitatã) deinde ad littora Caietæ proxima transuectus est. Quo cum plures ex Neapolitanis proceribus sui studiosi conuenissent, cum eis tandem decretum est vt in primis vrbs Caieta obsideretur. ea etenim recepta quam facillime reliquum regni ad Alfonsum deficeret. Igitur Alfonsus terra quidem exercitu munitissimo, mari vero onerariis quindecim, quatuorq; & viginti triremibus, Caietam obsidet & oppugnat. Sed Caietani freti naturali vrbis situ, atq; octingentorũ militum præsidio, quod cum Francisco Spinola illius Præfecto Philippus Maria Dux e Genua miserat: omnes Alfonsi conatus irritos faciebant, & simul contemnebant. Iamque decimus Caietanæ obsidionis mensis agebatur, cum iubente Philippo Maria quatuordecim ingẽtes onerarias frumento & præsidio onustas, quibus Blascus Azettus præerat, Genuenses suis ac cæteris qui Caietana obsidione premebantur, opitulaturi mittunt. Erat tum salutis annus 1435. Genuensis classis aduentum vbi Alfonsus cognouit, consilio habito cum Ioanne Nauarræ Rege, Henrico ac Petro fratribus, cæterisque proceribus qui ex Neapolitano Regno atque ex Hispania & Sicilia conuenerant, adoriri Genuensium classem, ac pugnæ naualis fortunam experiri statuit. Igitur lectissimos milites, fratresque ipsos, ac proceres omnes & copiarum Duces cum cohortibus quemque suis parari iubet, atq; in singulas naues distribuit: impositisq; omnis generis telis in classem, ac relicto in castris idoneo præsidio, naues conscendit, Pontiamq; insulam versus cursum dirigit. Vbi cum hostilis classis in conspectu esset, eam Alfonsus adoritur: atq; ingenti clamore sublato prælium est initum. Octo igitur horas vtrinque acriter dimicatum est. tandẽ Genuenses superiores fiunt, regiæ naues tredecim capiuntur. Captus est & Alfonsus ipse Rex, ac Ioannes & Henricus fratres, omnesq; Proceres qui cum Alfonso classem alcenderant. Duæ tantum ex onerariarum Regis numero vim hostium effugerunt: quarum altera Petrus Alfonsi frater vehebatur. Is effugiens vniuersas triremes regias collegit, ac confestim Panormum incolumis traiecit. Metuit enim ne Genuenses tam clara elati victoria ad Siciliam oppugnandam se cõuerterent. Cõmissa est ea pugna nonis sextilibus anni sal. 1435. In castris regiis quæ circum Caietam erant, vbi captum Alfonsum Regem vulgatum est, fuga omnes salutem sibi quæsierunt. Id animaduertentes Caietani, & qui intra vrbem obsidebantur Genuenses, portis patefactis magno impetu castra adoriuntur, omniaque diripiunt. Solus Ioannes Vintimilius genere Siculus (qui copiarũ Dux, & in bello, quod Alfonsus Rex aduersus Ioannẽ Hispaniæ Regem, ac deinde in bello Africano quod cum Bosserio Pœnorum Rege gesserat, pars magna fuit omnium quæ fortiter a Christianis per ea tempora gesta sunt) Alfonsi Regis captura animum nihil despõdit. Nam cum capto Alfonso Iacobus Caudola binis castris Capuã, quæ iam ei adhæserat, pro Ioanna Regina obsedisset, Ioannes paratis omnibus ad tuendam vrbem necessariis obsidionem fortiter pertulit, dum libertate Alfonsus a Philippo Maria donatus in regnum Neapolitanum est reuersus. cuius viribus illico Caudola territus obsidionem soluit. Is Ioannes ille est, qui cum Turcę diuturnis excursionibus infestarent Acarnaniam, (quæ Epiri pars est) eo cum quinq; triremibus profectus, depressum Carolum regionis illius Principem, qui eius erat gener, auxilio leuauit. Commissis enim aliquot secundis præliis, fugati sunt e tota regione hostes. Nec inde Ioannes discessit, donec sublatis belli causis metum omnem Acarnanii deposuerunt. Is (inquam) ille est, qui reuersus postea in Italiam solus ipse ab Alfonso delectus est tum Regis tum Romanæ ecclesiæ aduersus Franciscum Sfortiam Dux. Quo in bello, in agro præsertim Piceno, quæ strenue gesserit, vix esse puto qui ignoret. Sed ad Alfonsum redeo. Blasius Azettus classis Genuensis Præfectus captum Regem Sauonam deduxit. quo a Philippo Maria nonnulli copiarum Duces missi fuerant, qui Regem Alfonsum non vt captiuum, sed vt amicum Mediolanũ deducerent. Visa tunc summa Philippi Mariæ munificẽtia fuit, qualẽ nunquã ea ętas alicuius alterius Principis vidit. Alfonsum etenim, atq; Ioannem & Henricum fratres, omnesq; optimates, & quãplurimos equestris ordinis viros, qui capti cum Alfonso fuerant, propriis aluit sumptibus: maximo

postmodum etiam honore affectos, ac pluribus donatos muneribus, sine pretio liberos dimisit. Pollicitus quoque est Alfonso omnem operam suam, omnemque opem, vt Neapolitano regno, pro quo tot tantaque passus incommoda fuerat, aliquando tandem potiretur. Igitur cum Alfonso non solum amicitiam repetiit, verum & fœdus quoq; percussit. Ad decimum deinde octauum Cal. Decemb. Mediolano Alfonsus discedens, in regnum Neapolitanum reuersus est. Ioannem vero Nauarræ Regem atq; Henricum fratres in Cataloniã dimisit, vt auxilia ad Neapolim repetendã compararent. Reuerso Alfonso maxima optimatũ regni pars vltro ad eum defecit. Caieta vrbe paruo negotio ab eo recepta, opes eius maxime coaluerunt. Isabella Renati vxor, ac primores Neapolitanæ ciuitatis, qui Andegauẽsium partes obstinatissime tuebantur, missis Legatis ab Eugenio quarto Ro. Pont. auxilia petunt. A quo Ioannes Vitellẽsis Cardinalis tribus cum equitum millibus, totidemq; peditibus, auxiliaris eidem mittitur. Is omnia hostibus infesta reddit, multa sæue, plura fortiter gerens, Alfonsum regno pellere satagit. & sane perfecisset, nisi regnorum suorum populares maximo illi adiumento fuissent. Siculi tamen cæteros ob soli feracitatem simul & vicinitatem in ferendis auxiliis & commeatu præuenerunt, ac superarunt. Nihil enim fuit belli illius vsui necessarium, quod non illi opportuno tempore nauibus importauerint. Postea vero quam Vitellensis Romæ sub Adriani arcem permittente Eugenio Romano Pont. est interfectus, Alfonsum Regem magis prospere reliqua sunt consecuta. Interea Renatus Andegauensium Dux, quem Britannico bello occupatum supra docuimus, a Massilia cum decem triremibus Neapolim est profectus: verum Alfonsi conatibus parum obsistere potuit. Post bellum deinde in aliquot annos protractum, Alfonsus non ignarus se irrito labore defatigari, nisi prius Neapolim vrbem caperet, contractis naualibus ac terrestribus copiis, Neapolim ipsam obsedit. In ea obsidione Petrus Alfonsi frater pilæ vi tormento excussæ repente extinctus est. Alfonsus in aliud tempus fratri parentandũ statuens, contra Neapolim ad quingentos ferme passus in loco qui Campus vetus a Neapolitanis dicitur, arcem quandam ligneam Bastiam vulgo nominatam extruxit, eamque tuendam Ferdinando filio ex nobili pellice prognato, egregia indole puero octo annos nato, (qui ei postea in regno Neapolitano successit) commisit. Erat tum salutis annus 1440. Ille rem suæ fidei creditam cum equitibus atque peditibus, per quos Bastiam sine periculo tueretur, supra ætatem non segniter egit, atque cum fossa vallo- que muniuit. Inde quotidie cum equitatus ac peditatus parte excursiones vsque ad vrbis portas faciebat. Dum hæc in Neapolitanis regiis castris agerentur, Alfonsus ductores aliquot cum eorum cohortibus in Appuliam, Calabriam, Aprutium, atque in Pelignos mittebat, vt variis incommodis eos lacesserent qui Renati partibus fauebant. Renatus licet magna virtute hostibus semper obsisteret, viribus tamen Alfonso cum esset inferior, atque mari & terra, excitato quoque ligneo castello, Neapolim obsideri videret, intra vrbem se continuit, veritus ne se absente vrbs ad deditionem compelleretur. Verum longa atque difficili perseuerante obsidione, Neapolis tandem ad quartum nonas Iunias ab Alfonso Rege hoc modo dum obsideretur, capta est. Anellus faber cæmentarius Neapolitanus vrbe clam egressus, in castra Ferdinandi se contulit, postulans vt cum Ferdinando de re magna ac seria colloqui possit. Introductus docet veterem quendam esse aquæductum, qui vrbem diuersis locis influit: esse præterea extra vrbis mœnia in templo D. Ioannis Carbonarii puteum quendam, per quem in ipsum aquæductum milites introduci possent, & in alterum puteum, quem ipse ostenderet, deuenirẽt: mox per putei ostiũ ascenderent, atq; in domũ quandã priuatã intra vrbem euaderent. indeq; ab eis vicinã turrim posse q̃ facillime occupari. Anelli cõsiliũ Ferdinandus cũ valde probasset, perscrutari omnia prius voluit, quæ in re tãtæ molis facere operæpretiũ esset. Vbi tandẽ cõpertũ est, omnia licet nõ sine magno rerũ discrimine fieri posse, Alfonso Regi, qui Auersã cũ magna exercitus parte cõcesserat, omnia significat. Alfonsus filio rescribit, vti lectissimos milites in aquęductũ, put Anellus docuerat, noctu dimittat, qui Anellũ itineris ducẽ sequãtur, eoq; loci

loci, quo tandem ille perducat, deueniant. se prima luce ad vrbis muros aduenturum, reique euentum parato cum exercitu expectaturum, laturumque auxilium militibus cum primum turrim occupauerint. Ferdinandus patris iussis se accingit, deligitque ad id ducentos & quinquaginta milites, quorum fideli opera sæpius Alfonsus vsus fuerat. In quibus Diomedes Carrafa harum rerum eo tempore fidus relator rem egit maxime strenuam. Constat nanq; per belli huius scriptores Diomedem fuisse, qui omnium primus post Anellum in aquæductum demissus, per aquas & cœnum, atque interim reptando secutus sit, quiq; in puteum illum qui in vrbem ducit, postipsum Anellum peruenerit, atque in domum in quam erat deueniendum, tandem euaserit. Itaq; omnibus quæ in rem erant, paratis, Ferdinandus firmatis idoneo præsidio castris, constituto tempore cũ cæteris copiis Regi obuiam processit. Ad quartum nanque nonas Iunias Alfonsus Rex ipse cum omni exercitu ad vrbis conspectum affuit, eo scilicet loci quo se auxilium ferre decreuerat, rei euentum opperiens. Iamque hora ferme diei tertia præterierat, cum Alfonsus desperatis rebus receptui canere iussit. Arbitrabatur nanq; militibus, qui fuerant in puteum demissi, non satis rem bene cessisse. Deseruerat igitur iam locum vt sese in castra reciperet, cum miles quidam per aquęductum a Diomede missus aduenit, qui Regi renuntiat milites ad decretum iam locum euasisse, & iam omnia (quod in ipsis erat) ex sentẽtia cecidisse. porro ad murum cum exercitu appropinquet, vrbem haud dubie & confestim capiendam. Quo nuntio accepto Alfonsus lætus aduolat. Diomedes vero vna cum cæteris ad id missis militibus domo exiliens murum ac turrim quę domui proxima erat, quã celerrime occupat. Ea occupatio perfacilis Regiis fuit, quod illi qui turrim tuebãtur, præter vnum Ioannem Cassianum, curandorum corporum gratia inde non multo ante abierant. Is tamen etsi telis saxisque ac ferro non segniter obsistendo turrim defenderet, Diomede tamen ac cæteris Regiis per scalas omni conatu subeuntibus, cedere tandem coactus est. Turri capta, mox in ea Diomedes vexillum Alfonsi Regis erexit. Quod vbi Regii, qui in exercitu erant, conspexerant, scalas iubente id Rege muris admouent, atque ad mœnia confestim euadunt, sublatoque mox clamore, cœpere quidam per domos excursiones facere. Alii in hostes inuecti, non oppidanis solum, sed Renato etiam, qui tumultu excitatus impetum in hostes ingressos fecerat, magnum terrorem incusserunt. Cæterum licet hoc repentino concursu Alfonsi res esset adeo superior, vt occurrentes primum hostes terga vertere sint coacti: Renatus tamen posteaquam vidit nec hostem a sectando desistere, neq; effugiendi spem vllam esse, & quamuis etiam spes fugæ daretur aliqua, putãs turpe sibi esse si perfugisset, omnes ad pugnam cohortatur, atq; acri animo incendit. Itaq; vtrinq; res magnis animis geritur. Verum oppidanis aliis post alios cõcurrentibus Regii tandẽ repelluntur: paulumq; abfuit quin omnis Diomedis & eorum qui itineris ac periculi socii fuerant, irritus labor fuisset. Id animaduertens Diomedes, Renati conatus inuicto animo, accepto etiam in tibia vulnere, solus fere tãtis per sustinuit, dum Regii nõ gregarii tantum & calones, sed equites quoq; complures ex equis desilientes muros inscenderent, Renatiq; vim fortiter propulsarent, atq; ad extremum hostes in fugam verterent. Mox eodẽ impetu porta quam S. Ianuarii vocant, perfracta, Alfonsus Rex, Ferdinandusq; filius, atq; omnis exercitus in vrbem ingreditur. Cœperant iam primo impetu milites captam vrbem diripere, cum Alfonsus per præconem confestim a direptione vti cessarent, militibus edixit. Renatus in fugam versus parum abfuit quin a regiis caperetur: e militibus vero vnus, cui Alberico nomen erat, ausus est apprehẽsis equi loris in Renatum manus iniicere. sed ille arrepto ense Alberici manum, qua lora constanter tenebantur, abscidit: atq; ita per medios hostes dilapsus in arcem quam nouam appellant, se recepit. Hoc igitur modo Neapolis ab Alfonso Anelli monitu capta est: quo etiam modo anno ab eo tempore ferme millesimo Belisarius Iustiniani Dux, cum Gothi Italiam occupassent, Neapolim cepit, quemadmodum suo loco ex Procopio diximus, cuius libri post captam Neapolim in lucem prodierunt. Neapoli capta Alfonsum persæpe dixisse constat, non tam lætari se quod

vrbẽ ceperit nobiliſſimã,quã quod ſuo generi eã reſtituerit, quã ſui maiores olim amiſerant. Enimuero Hiſpanię noſtrę quidẽ ętatis Reges(a quorũ proſapia Alfonſum exortũ conſtat)a vetuſtis Gothorũ Regibus originẽ duxerunt. Renatus vbi vidit miro atq; inopinato quodã modo captam Neapolim,in qua ſola vrbe totius regni ſpes ſita eſſe videbatur:fortunę cedendum eſſe ſecũ ipſe ſtatuit. Itaq; Ioanne Coſſa Neapolitano patritio Andegauenſis factionis ſtudioſo internuntio cum Alfonſo pactus,& decẽ Alfonſinorũ aureorum milibus acceptis,arcem nouam,in quã ſe receperat, Alfonſo tradidit:relictaq; Neapoli,Genuenſiũ nauẽ quę frumẽto onuſta dieb.illis eo appulerat,cũ familia cõſcendit,atq; ad portũ Piſanum primũ, ſubinde Florentiã terreſtri itinere ad Eugenium quartum Ro.Pon.proficiſcitur. Eũ & Eugenius & Florẽtini perquã liberaliter habuere. Tribus deinde interiectis menſibus,quibus Florentię commoratus eſt,menſe Octobri inde exceſſit,atq; in Narbonenſem Galliã rediit. Belli autem hoc Neapolitanũ per annos viginti geſtũ eſt. Sed ad pręcipuũ inſtitutũ, vnde nimis digreſſus ſum,redeo. Alfonſus Rex initio ſui Principatus anno ſal.1415. Vicarium ſummum in Siciliam miſit Infantẽ: ſed anno deinde 1425. Nicolaum Specialem Neetinũ Proregem Siciliæ conſtituit. Quo defuncto Gilbertus Centellus,Baptiſta Platamonius,Ioannes Paruta,Petrus Montagna,& Bernardus Rochſenſis ſuo ordine Siciliæ Regis nomine præfuerũt. Subinde anno ſal.1444. Cal.Decemb.dum Alfonſus Rex contra Cutronam in caſtris eſſet,& Antonius Vintimilius Marchio ſibi obſtitiſſet,ob eius deſcitionẽ Comitatum Goliſani,qui ſuæ ditioni ſuberat, Petro Cardonio Magiſtro Iuſtitiario tradidit. Panormi poſt hæc anno ſal.1450.12. Calend.Maii cum Senatus frumẽta exoleta per domos ciuium eſſet diſtributurus, plebs in furorem acta, ad horrea ciuitatis prorupit,frumenta omnia diripuit;ac ſuibus proiecit. Cumq; in vrbe magna olei caritas eſſet,in domos Ioannis Craſtoni templo maximo propinquas facto impetu irruunt,ac effractis ianuis maximam olei vim, quam nimis crudelitet apud ſe in vegetibus detinebat,effundunt, ac fluuii inſtar per viam marmoream ad mare vſque dimittunt. Et ni Leonardus Bartholomæus Trabiæ Dominus, ac Siciliæ Protonotarius plebi acceptiſſimus,obſtitiſſet,in peiora procul dubio prolapſi fuiſſent. Cuius, cum poſtea a Thomaſio Criſpo fuiſſet interfectus, mortem vel ob id quod plebis eſſet ſtudioſus, Alfonſus non eſt vltus. Inſtituerat eo tempore Alfonſus Lupum Simenium Durream Hiſpanum genere virum bello præclarum,Siciliæ Proregem:qui Meſſanam primum, ac mox terreſtri itinere Panormum venit. At Panormitani eũ intra vrbẽ nonniſi promiſſa ſeditionis venia omnino recipere noluerunt. Sed Alfonſus Rex his cognitis Iuliano Maiali e monaſterio D.Martini oratore ſuadente,motuum authoribus prius furca ſuſpenſis, ciuitati indulſit. Eodem ferme tempore apud Saccam Petrus Pirollus,magni atque audentis animi adoleſcens,temerarium aggreſſus eſt facinus. Is etenim cum Antoniũ Lunã Caltabellottę Comitẽ feudum in agro Saccenſi ſitũ a S.Bartholomęo nuncupatũ,qd' ſui iuris erat,ſibi occupaſſe a parentibus didiciſſet,interulam ſenõ depoſiturum conſtituit quouſq; Antonium de medio tuliſſet. Andream igitur & Nicolaum germanos fratres, quorum ipſe natu minimus erat, ad rem peragendã ſocios ſibi aſciuit. Inſtabat ſacræ Redemptoris ſpinæ feſtus dies,qui & octauus eſt a Reſurrectione, Saccẽſibus autem longa pompa ac ordine celeberrimus,& ex vicinis oppidis virorum ac mulierum conuentu frequentiſſimus. Ad ſacra hæc ſtata Antonius Comes ex Calatabellotta oppido de more acceſſit. Quod vbi Petrus reſciuit,paratis quæ ad rem ſibi opportuna ſunt viſa, inter pompam ipſam ſacram Antonium de medio tollere decreuit. Iam ordo inceperat, & vſq; ad ædes D.Catharinæ & D.Nicolai proceſſerat, vbi paratæ contra Antonium Comitem erant inſidiæ. Ex iis igitur vbi Comes affuit,repente Petrus e latebris cum germanis egreſſus in eum irruit,pugione q; ipſum impetiit. Cuius ictum niſi per lapſum Comes diuertiſſet,proculdubio letalem accepiſſet. Petrus vt procumbentem humi Comitem vidit,ratus illum iam occubuiſſe,fuga ſibi cum germanis conſuluit,atq; ad Geracium oppidum profugit. Antonius periculo ereptus, magna militum coacta manu conſpiratores ſubtiliſſime etiam per domorum cloacas fruſtra cum inueſtigaſſet,

vestigasset, in conspiratorum gentiles impetum facit, ac supra centum ex eis occidit, domosq; incendit. Per idē ferme tempus Alfonsus Rex cum aduersus Venetos bellum suscepisset, Inicum Claudum Hispanum præstantem virum cū duabus inusitatæ magnitudinis onerariis nauibus in Ionium mare misit, qui Venetorum nonnullas naues Alexandria redeuntes obseruaret. Veneti de ea re certiores facti, onerarias sex, ac triremes quindecim quam celerrime instructas aduersus Alfonsi naues mittunt. Quas cum hostiles naues inuentas inuadere statuissent, illæque effugissent, eas vsque ad Syracusanum portum, quo secundo vento cursu que continuato petierant, insecutæ sunt. Huc Alfonsi naues ingressæ, hostilem impetum, qui ingruere posset, metuentes, quantum maris altitudo passa est, littori appropinquarunt. Curauitque Inicus Syracusanorum ope fretus ligneam cathenam nauibus obiicere, nauiumque partem quæ mare spectabat, summa ope muniri iussit. A terra vero ligneus pons fabricatus est, quo pugnantibus nauali bus sociis præsidium ab oppidanis præstaretur, telaq; & si quid aliud necessarium esset, subministrarentur. Venetorum naues portum ingressæ iactis ancoris tutiori qua potuerunt, portus parte se locauere, si quo forte modo idoneum tempus aliquando nacti, naues regias vel a terra vellere, vel tandem cremare possent. Per id tempus Lupus Simenius Durrea Prorex Siciliam, vt diximus, gubernabat. Is vbi de iis rebus certior est factus, Panormo confestim Syracusas profectus complures ex Regni optimatibus, ac militum magnam manum coegit: quibus (si opus foret) aduersus quoscunque Venetorum apparatus, regiæ naues & vrbs ipsa defenderetur. Veneti multis artibus vsi sunt, quo id cuius gratia hostiles naues insecuti fuerant, efficeretur. Fuerūt inter Venetos & Siculos multa ac longa atrocia que certamina: quibus vtrinque multi cecidere. Nec nauales socii solum e nauibus multos lacessebant: sed e diuerso oppidani e muris atque e propinquioribus turribus tormentis æneis, manu, balistis, missilibus, atque omni telorum genere quoties certabatur, Venetos repellebant. Exposuerunt aliquando Veneti nauales socios, qui per Syracusanum agrum excurrentes, arbores vineasque succiderent. Verum quoties oppidanis Prorex vrbe contra egrediendi pugnamque ineundi copiam faciebat, perfacile superiores erant. Eis nanque noti erant occulti tramites, anfractusque viarum, per quos & incautos Venetos inuadere, & quoties opus fuisset, euadere poterant. Tandem Veneti consilio cuiusdam ex nualibus sociis Regiis, qui ad eos transfugerat, freti, quod animo instituerant, perfecerunt. Nauis nanque cuiusdam, quam ad id iamdudum parauerant, malum, proram, ac puppim siccis arborum foliis compleuerunt. Nacti mox idoneum ad id ventum, nauim ipsam incensam, Africoque, qui vehemens tum perflabat, impulsam regiis nauibus appulerunt. Qua ingenti impetu delata, & ligneā cathena atque obstaculis omnibus perfractis, naues ipsæ crematæ sunt. nec vlla humana ope restingui potuit incendium. Quod vbi factum est, læti Veneti discessere. Post hæc Alfonsus Rex anno salutis 1458. mense Iulio, Neapoli in arce noua ætatis suæ anno 65. obiit. Decedens autem Neapolitanum Regnum Ferdinando filio notho, Aragonum vero & Siciliæ Ioanni fratri Nauarræ pro Blanca vxore regi reliquit. Floruit per eius tempora, & deinde sub Ferdinando filio, Thomasius Barresius Siculus, bello tota Italia Dux sua ætate præstantissimus. Hic genus suum ad Abbum Barresium (cuius pater ex proceribus qui cum Rogerio Normanno ad propulsandos Sarracenos in Siciliam venerunt, vnus fuit, vt Rogerii Regis diplomate constat) hoc ordine refert. Ex Abbo, qui Petrapretiam, Nasum, Caput Orlandi, Castaniam, & pleraque alia oppidula a Rogerio Rege adeptus est, Matthæus. ex hoc Ioannes. ex quo Abbus. ex hoc Matthæus. ex quo Ioannes alter: qui cum Iacobo Regi adhæsisset, oppidis omnibus a Friderico Siciliæ Rege priuatus fuit. Ex quo Abbus tertius: qui ab eodem Friderico cum Ricca matina Reginæ pedissequa, vxore, Petrapretiam recepit, & Militellum iure materno adeptus est. Ex hoc Ioannes Ludouici Regis Camerlingus: cui Marchesia Blasci Alagonæ Comitis filia nupsit. Ex quibus Abbus quartus primogenitus cum Petrapretia oppido, & Blascus secun-

dogenitus cum Militello. Ex Blasco Antonius. ex hoc Blascus alter. ex quo Antonius Petrus. Ex hoc Ioannes Baptista, Blascus, Guilelmus, & Aloysius germani fratres, qui ætate mea floruerunt. Ex Ioanne Baptista, eius soboles quæ hucusq; Militello dominatur. At ex Abbo quarto Artalis. Ex quo Antonius primogenitus, (cũ sua propagine, quę Petrapretiam sub titulo Marchionatus hodie tenet) & Thomasius hic noster secundogenitus. Fuit is diro ingenio, magno atque elato animo, ingentibusq; tum corporis tum animi virtutibus, præsertim inedię, periculorum, laborum, frigoris, caloris q; tolerantia ac patientia insignis, atq; ad difficillima quęq; aggredienda audacissimus: auri, honoris, gloriæq; appetentissimus. Victoriarum ingentium, & rerum in Neapolitano bello sub Ferdinãdo Rege ab eo strenue gestarum gloria reliquos omnes sui temporis Duces antecelluit. Castriuillarum in Calabria oppidi Dux, ac Terrænouæ Comes effectus, pleraq; etiam alia in ea Italiæ parte oppida possedit. Filiã Marchionis Crotoniatæ vxorem duxit. Hic natura ferus Nicolaum Clanceoffum, serra per dorsum lumbosque adacta, medium secuit. Rogerium Oriliam equitem Neapolitanum, duosque item alios viros nobiles, ex arcis oppidi S. Georgii pinnaculis in rupes valde præruptas deiecit. Neapoli Ioannem Spataforam Siculum sibi infensum, salutandiq; Regis gratia in arcem nouam accedentem, gladio transfodit. Quare a Ferdinando Rege in carcerem coniectus, aliquot post annos illuuie atque pedore obsitus, illic absque liberis diem obiit. Mortuo Alfonso, & vndecimo post captam Neapolim anno, Renatus in Italiam venit cum duobus milibus equitum, Francisci Sfortiæ & Florentinorum auxilio fretus. Sed horum postea ope destitutus breui Italia excessit, nihil vltra moliri ausus. Ioannes deinde Renati filius viuente adhuc patre Neapolim accessitus magno Principum studio, parum abfuit quin eo regno sit potitus. Verum ingenti ad Troiam Appuliæ vrbem prælio victus, non multo post regnum relinquere coactus est, ac non multo post obiit. Quem pater fato functus sequens, Carolum fratris filium hæredem instituit. Is sine liberis moriens Ludouicum Galliæ Regem, qui fuit Caroli octaui Gallorum Regis pater, testamento suo hæredem reliquit. Carolus patri succedens, huic iuri innixus, nono fere sui Regni anno Neapolim magno cum exercitu venit, vt Regnum, quod Renati fuerat, armis sibi vindicaret. Tum inter Gallos & Hispanos lues quædam perpetua ac pestilens orta est, qua deinde Italia quoque fere semper, atque etiamnum agitatur. Ex nulla profecto re maiora, quam ex controuersia inter Gallos & Hispanos Reges semper de Neapolitano Regno renascente, rei Christianæ incommoda orta sunt. Nã dum domestica inter eos flagrant odia, Turcæ terra & mari magna vi nostra inuadunt atq; occupant.

DE IOANNE ARAGONVM ET SICILIÆ REGE.

CAPVT X.

IOANNES Alfonsi, eius qui sine liberis decessit, germanus frater, in Aragonia & Sicilia Rex sufficitur. Is viuente Ferdinando patre, Siciliæ rebus Prorex atq; Admiratus præfuit. iccirco ad regni postea culmen euectus Siculos plurimum dilexit. Annum agẽs vigesimum Blancam Caroli Nauarræ Regis filiam, (cuius deinde causa Nauarræ Regnum adeptus est) vxorem duxit: ex qua Carolum ac fœminas duas suscepit. Princeps hic Christianæ religionis fuit longe omnium studiosissimus. Quotidie sacris intererat. Diuorum omnium, ac Deiparæ præsertim virginis sacra stata caste, ac ieiunio, quadragesimam præterea a vigesimo ætatis anno ad septuagesimum vsque, ieiunio & carnis abstinentia celebrabat. Festos dies, ac Dei cultum reuereri abomnibus inuiolabili lege sanciuit: a Sarracenis imperio subiectis Mahometti nomẽ inuocari vetuit, indignum ac sacrilegum prope facinus existimans, in Christianorum Principatu hominis perditissimi falsum numen veneration esse. Christi corpus

corpus cum per vicos,& in festo suo die,& item aliâs(vt fit)deferebatur, non modo a Christianis,verum a Iudæis quoque & Sarracenis,detecto capite,ac genu flexo adorari sub mulcta constituit.In regimine iustus.Legibus nanque ac sanctionibus humano & diuino iuri conformatis moderabatur. Clementia quoque ac liberalitate (quæ propriæ Regum sunt partes) longe præstantissimus: libidinis solum vsque ad senium impatiens extitit.quare plures ex pellicibus liberos suscepit. Huic regni habenas suscipienti Siculi concilio in Calatagirono oppido prius celebrato anno salut.1460.Simonem Panormitanum Archiepiscopum cognomento Bononium,Guilelmum Raymundum Montecatinum Adrani Comitem, Antonium Lunam Caltabilottæ item Comitem,Vassallum Specialem,& Hieronymũ Ansalonum iureconsultum, ad fidei sacramentum Regi Barcinone agenti exhibendum miserunt. Defuncta Blanca vxore Ioannam Friderici Castellæ Admirati filiam matrimonio sibi iunxit.Ex qua Ferdinandum,Ioannam & Mariam filias genuit,eumq; suo nomine Nauarræ Regno præfecit.Carolus,qui materno iure Nauarræ regnum sibi deberi etiam patre viuente arbitrabatur,hoc facto commotus,Aragonia discedens Neapolim primum, subinde Siciliam petens, ibi diutius resedit:quo patri maxime inuisus est redditus.Et licet in Caltagironensi conuentu a Siculis omnibus in Regis locum ac vicem delectus,a Rege requisitus esset,Ioannes Rex non modo abnuit,sed eum quoq; in Aragoniam euocauit,ac post Xatiuæ in carcerem coniecit.Tandem Procerum precibus liber factus,in nouercam ac Ioannem patrem Procerum Barcinonensium coniuratione facta,vt a Nauarræ finibus prohiberentur,sibique soli legitimo Regi vt parerent,sese erexit.Demum post diutinum & male confectum bellum Carolus Barcinone febre correptus,ac patri reconciliatus, magno Hispanorum & Siculorum mœrore decessit. Bella gessit Ioannes contra Barcinonenses,qui ab eo desciuerant,& contra Ludouicum Francorum Regem ad Perpinianum quam fœliciſſime.Quę exacte,& eo quo gesta sunt ordine,a scriptoribus memoriæ sunt prodita, cum mei non sit instituti omnẽ Ioannis,& cæterorum Hispaniæ Regum vitas,aut bellorum ordinem recensere,eorum porro sit hic labor,qui de his rebus historias conscripserunt. Subinde anno sal.1473. Ferdinandum filium adolescentem vna secum in Sicilia regnare,ac diademate insigniri voluit. Postmodum anno 1476. Henrico quarto Hispaniæ vlterioris Rege cum vxore & filia ab Eduardo Rege interfecto, Isabellam Henrici sororem,& Hispaniæ regno succedentem,Ferdinando filio Ioannes vxorem tradidit.Quo regnum,quod iure olim Ferdinãdus prior renuit,(vt supra meminimus)nepotiq; seruauit,iure modo Ferdinandus alter illius nepos adeptus est. Igitur cum Isabella vxore regnum,quod dotali nomine ad se peruenerat, ex ęquo administrabant,tanta inter se concordia,quanta nulli Reges vlla vnquam memoria in connubio vixerunt. Ioannes interea Rex Ioannem Comitem Cardonæ, Comitem de Pratis nuncupatum,Proregem in Siciliam misit,qui vsque ad Regis obitum res Siculas semper administrauit.Ioannes vero post plures labores senio prægrauatus,anno ætatis suæ 84.regni vero 20.salutisque humanæ 1479.Calend. Februarii,relicto Ferdinando filio regnorum hærede,Barcinonæ ab humanis rebus excessit.

DE FERDINANDO COGNOMENTO CATHOLICO, Aragonum & Siciliæ secundo huius nominis Rege.

CAPVT XI.

FERDINANDVS Ioanne decedente Hispaniæ citerioris, Sardiniæ & Siciliæ rerum potitur.Huic Siculi confestim Legatum Ioannem Comitem de Pratis ad certam Regi fidem de more pollicendam eodem salut.anno 1479. quinto idus Iulii miserunt. Ferdinandus suscepto statim diademate Gasparem Spes Proregem in Siciliam misit.Sub regni initia Lusitanos sibi rebellantes,atq; ad Alfonsum Gallæciæ Regẽ deficientes,

multis prius hinc inde cladibus illatis & acceptis, in Numantino agro superauit ac vicit, subiecitq;. Sub id tempus in Sicilia Petrus Cardona Comes Gulisani, ob germanæ sororis dotem, quam repetebat, cum Henrico Vintimilio Geracis Marchione, loco a Petralia nō valde remoto, certamen singulare obstante Siculorum lege iniit, ac superior fuit. Hoc vbi Gaspar Spes Siciliæ Prorex cognouit, in vtrunque inuehitur. Petrus capitur, ac veniam tandem impetrat, Henrico fugiente ac Ferrariam sese recipiente. Interea Henricus perduellionis pœna mulctatur. Marchionatus ac bona eius proscribuntur, & arietes duo ærei (quorum supra memini) ex Castello Bono Panormum ad regiam transferuntur. Defuncto deinde apud Ferrariam Henrico, & Philippo ac Symeone liberis relictis, Leonora vxor a Ferdinando Rege Marchionatū præter Rucellam inter Thermas & Cephalœdim sitam arcem, recipit. Subinde anno sal. 1489. Ferdinandus Rex Ferdinandum Acuneum Castellionensem Proregem in Siciliam misit. Qui paulo post anno salut. 1491. inditione 10. 15. Calen. Nouemb. præsentibus Ioanne Paternione Archiepiscopo Panormitano, & Petro Luna Archiepiscopo Messanensi, Senatu quoq; Panormitano, & proceribus vrbis, sepulchrum porphyreticum, quod ad sinistram ingredientibus maximum templum primum occurrit, aperuit. Vbi cadauer hominis Cæsareo diademate insignitum, ac quædam alia cadauera ibidem lacerata reperta sunt. Suspicatum est autem a prudentioribus cadauer Henrici sexti Cæsaris (quem quintum plerique appellant) & Siciliæ Regis illud esse: quibus & ratio suffragatur. Quo clauso marmoreum, quod sacrario proximum est, statim apertū est. vbi cadauer mulieris corona Imperiali caput redimitæ cum lamina ærea his literis inscripta repertum est: Hoc est corpus Dominæ Constantiæ, Ill. Romanorū Imperatricis semper Augustæ, & Reginæ Siciliæ, vxoris Domini Imperatoris Friderici, & Siciliæ Regis, & filiæ Regis Aragonum. Obiit autem anno incarnationis 1222. 23. Iunii, 10. ind. in ciuitate Cataniæ. Subinde vero cum ad cætera Mausolea aperienda pergeret, procerum tumultus, temerarium id esse opus conclamantiū, exortus prohibuit. Quod ipsum Ferdinandus quoq; Rex iniquo sane tulit animo. Ferdinandus Rex Bæticæ partem, quam Granatam nunc appellant, octingentos a Sarracenis annos possessam, quartodecimo posteaquam bellum ad pietatem simul & gloriam maximum susceperat, capto eorum Rege, ac regia, & regno, cum Isabella vxore suo imperio anno salut. 1492. quarto nonas Ianuarii subegit: quo & Catholici nomen promeruit. Qua insigni victoria potitus, dum Barcinonem triumphantis more ingreditur, a Catalano quodam (cui Canemas erat nomen) atra bili diu laborante, gladio impetitus, ad collum ingēti plaga vulneratus est. Captus Canemas, ac per omne tormenti genus actus, eius temerarii ausus nulla alia ab eo reddita est causa, nisi quod interempto Ferdinando futurum se Regem sperabat: quod sibi sæpius ab Angelo nuntiatum asseruit. Quo etiam anno idem Ferdinandus e Sicilia & cæteris sui Imperii Regnis Iudæos omnes, qui Christi lauacro allui noluerant, expulit. Eodem quoq; anno, Ferdinandi Regis & Isabellæ Reginæ virtute atq; auspiciis, alter veluti orbis, & quicquid Oceano terrarum circūalluitur, incognitiq; antea populi, ad quos neq; Romanum Imperium, neque vllæ veterum literę penetrarunt, Christoforo Columbo Genuensi rem arduam omnium mortalium primo tentante, ac tandem classe horum Regum superatis beatorum Insulis, quas Canarias hodie vocant, inueniente, gentibus sunt patefacti, atq; Aragoniis Regibus subacti. Sub idem ferme tēpus anno sal. 1492. 8. Cal. Februarii, Ferdinandus Neapolitanus Rex, Alfonsi Regis nothus, relicto Alfonso filio primogenito, moritur. At paulo post Carolus octauus, Francorū Rex, fœdere cū Alexandro sex. Ro. Pont. & Ludouico Mediolanensium Duce inito, contra Neapolim & Alfonsum venit, atque anno salut. 1494. Cal. Ianuarii paruo negotio Neapolitano regno potitus est. Alfonsus Rex relicto regno, ac Ferdinando filio Regia corona insignito, Messanam turpiter fugit. Vbi paucis post diebus veluti exilio anno salutis 1495. 13. Cal. Decemb. in ædibus Baronis Scalettæ mortem obiit, atque in templo maximo est conditus. Interea Ferdinandus Catholicus Rex classem instructam Ferdinando Neapolitano Regi contra Carolum auxiliarem mittit. Qua paruo

paruo labore Carolo pulso, Ferdinandus regnum recuperat. Quo postea anno salutis 1496. sine liberis defuncto, Fridericus prioris Ferdinandi filius, eius patruus, Alfonsi patris germanus frater, regno Neapolitano succedit. Qui quatuor annos posteaquã rerum potitus est, Ludouicus duodecimus Francorũ Rex, qui Carolo Regi iam defuncto in regnum successerat, cum Ferdinando Catholico Rege, (qui sibi communicato Imperio, ac Regni iure æquato, vt Alfonsi primi Neapolitani Regis & acquisitoris legitimo nepoti, illius regni ius pertinere aiebat) ex composito Fridericum Aragonium Neapolitanum Regem regno pellere, atque inter sese diuidere statuunt. Ferdinandus igitur Catholicus Rex classem ingentem instruit: cui Consaluum Ferdinandum præficit: qui ob insignem animi & corporis in bello virtutem, militum omnium consensu Magni Capitanei cognomentum promeruit. Is paruo negotio Brutios & Appulos in ditionem Ferdinandi Regis redegit, Friderico Rege relicto regno ad Ludouicum Regem profugiente, & Ferdinando eius vnico filio Neapolitani regni hærede a Consaluo capto, & in Hispaniam misso ac seruato. Nec diu post Ferdinandus Rex cum Ludouico de finium regni Neapolitani diuisione contendens, ad bellum descendit: expulsisque ac superatis demum Gallis, Duce Consaluo, toto regno Neapolitano potitus est. Parta hac victoria Ferdinandus Rex Ioannam filiam Philippo Maximiliani Cæsaris filio, Burgundiæ Austriæque Duci, vxorem tradidit. Philippus in Hispaniam proficiscitur. vbi Hispaniæ vlterioris Rex anno salutis 1506. coronatur. Verum nõ diu post relictis Carolo, Ferdinando, & Eleonora liberis intemperie cœli hominem exuit. Interea Ferdinandus Rex cum Ludouico Francorum Rege pacem iniit, ac eius neptem nomine Germanam, vxorem accepit. cum qua Neapolim, vt Consaluum ob affectati Regni suspicionem inde abduceret, anno salutis 1507. nauigat. Vbi anno emenso, & compositis Neapolitanis rebus, in Hispaniam reuertitur. Subinde Sarracenos vexare cœpit. Nam Duce Petro Nauarro Oranum Mauritaniæ vrbem primum, postea in Numidia Bugiam, & quædam freto Gaditano propinqua oppida vi cepit. Emenso deinde eodem Duce Africano littore, anno salutis 1510. die festo S. Iacobi, Tripolim vrbem trium horarum spatio expugnauit. nam hora nona Tripolim appulsi, eam decima tertia hora, sola arce retenta, funditus deleuerunt. Interea Raymundus Cardonus a Ferdinando Rege in Siciliam Prorex mittitur. Quo post biennium ad Neapolitanam administrationem euocato, Hugo Montecatinus genere Valentinus, ac religione Ioannita, Prorex in Sicilia asciscitur. Postmodum anno sal. 1511. comparata classe, cui Garsiam a Toleto Ducis Albæ germanum fratrem, & Petrum Nauarrum præfecit, contra Gerbos Sarracenorum insulam soluit. Eo cum applicuissent, ac militem in terram exposuissent, orta inter duces de acie ordinanda discordia, dum Petrus (qui etsi æquitate, consilio, & rei militaris prudentia superior esset, nobilitate tamen multo erat impar) Garsiæ cedit, milites siti & arenarum calore vehementer afflictantur. Tum repente Sarraceni ob aquarum inopiam, & caloris vehementiam sine ordine palantes aggrediuntur, cædunt, ipsumque Garsiam trucidant. Qui si Petri consilia non fuisset aspernatus, mortem profecto non oppetiisset, & victoria dubio prouenisset potitus esset. Ita nostri a Sarracenis profligati, fœde & maxima ob aquarũ penuriam clade accepta, inde abire coguntur. Soluta cum maximo nostrorũ damno ac dedecore obsidione, Petrus Nauarrus in Hispaniam ad Ferdinandum Regem nauigat: a quo Præfectura ob male patratæ rei ordinem abdicatus, ad Gallos defecit. Didacus Deuera, qui mille militibus Hispanis præerat, in Siciliam cum milite concedit. Classe Panormum appulsus, milites in terram exponit. Qui fame atq; egestate pressi, & quod eis stipendia non persoluebantur, fame coacti, cibos a priuatis quibusque exposcebant, atque etiam per hortos cuncta diripiebant. Quo cognito Senatus Panormitanus Didacum, vt militem coerceret, pluries, sed frustra admonuit. Deniq; dum Hispani quidam e regione Seralcadis inter D. Augustini cœnobiũ, ac D. Hippolyti templum, fame oppressi in domum plebeii cuiusdam ingressi cibos e manu vxoris ac filiarum vi diripiunt, Panormitani non tam cibi direptione quam vxorum zelotypia accensi, contra Hispanos commouen-

tur, ad arma conclamant, ac in Hispanos (14. Calend. Sept. qui festus est D. Bernardo) milites irruunt, & quotquot obuios habent, misere trucidant. Sed mox latius per vrbem ea fama vagata, innumerabilis agrestium multitudo e regione Albergaria, duce Ioanne Paulo Pullastra non infimi ordinis viro, armis quę sors obtulit sumptis, ad aream maritimam furore percita concurrit. Igitur inconditа plebis colluuies (quæ sicuti nullo consilio regebatur, ita primum insolescere tumultu, & aduersus milites Hispanos grassari cœpit) nulla denuntiatione supplicii commouetur, neque a tam fœdo incepto desistit, sed editis popularibus vocibus mortem Hispanis precantes, passim, quotquot ex eis reperiunt, siue domi siue in templo seruatos, spreta Regis authoritate, ac neglecta religione, ferociaque acti, occidunt. Adeoque eo die contra Hispanos milites sæuitum est, vt vbicunq; Hispanus occurreret, statim in eum irrueretur: ita vt supra mille fuerint interfecti. Hugo Montecatinus Prorex, Procerum, Petri Cardonæ Golisani Comitis (viri sua ætate militia & prudẽtia nulli secundi) præsertim consilio, furenti plebi, ne in peiora elaberetur, occurrere pergit. Igitur Proceribus comitatus, per frequentes vrbis vias obequitando ciues hortabatur vt armis depositis recederent. Idem Petrus quoq; Cardona editis vocibus hortabatur: qui eo æquiori animo exaudiebatur, quo minus populo erat inuisus. Ita cum diei ferme dimidium totam vrbem perequitasset, eius hortatibus plebs sedato tumultu ab armis discessit. At compresso vrbis furore, de factionis principibus ad fenestras Cancellariæ laqueo supplicium est sumptũ. Ioannes vero Paulus Pullastra ad aream maritimam capite plexus est. Anno deinde salut. 1516. 27. Cal. Febr. Ferdinandus Rex in Hispania absque virili prole (stella comata eius obitum per multos dies præsignante) decessit, atq; apud Granatam vrbem tumulatus est. In quo Aragonensis stirps, quæ in Hispania diu, in Sicilia vero 230. regnauit annos, defecit. cum quo merito & liber hic nonus, qui totus de Aragoniis fuit, claudatur.

F. THOMAE FAZELLI ORDINIS PRÆDICATORVM, DE REbus Siculis posterioris Decadis

LIBER DECIMVS & vltimus.

DE CAROLO QVINTO CÆSARE, HISPANIÆ ET SICILIÆ SECVNDO huius nominis Rege.

CAPVT VNICVM.

CAROLVS Maximiliani Cæsaris ex Philippo filio, & Ferdinandi Catholici Regis ex Ioanna filia nepos, in Hispania primus, sed in Sicilia huius nominis secundus Rex, annum agens duodeuigesimum, cum Ioanna matre successit. Natus fuit Carolus Gandaui, ciuitate Belgica, anno salut. 1500. die 25. Februarii: qui dies eo ipso anno festus Diuo Matthiæ Apostolo fuit. Ita defuncto Ferdinando, ex Aragonum stirpe Hispania & Sicilia in faustissimam Germanicæ nationis Austriæ Ducum prosapiam venerunt. Præerat per id tempus Sicilię Regis nomine Hugo Montecatinus Valẽtinus genere, religione

religione (vt diximus) Ioannita: qui cognitam Regis mortem, ne plebs in eum aliquid moliretur, dissimulauerat celaueratque, & interea a Carolo nouo Rege approbationem solicitabat. Verum cúm suo magistratu, quem sex circiter annos viuente Ferdinando administrauerat, proceribus quibusdam esset inuisus, illi audita Regis morte occasionem nacti, prætextu magistratus extincti, plebem Panormitanam (apud quam de more Hugo degebat) occultis artibus contra Hugonem concitarunt. Plebs quoque cum Regis mortem aliunde resciisset, suo etiam motu Hugonem suspectum habere, atq; mox tumultibus Panormum replere cœpit. Ingentes hos Siciliæ motus, qui postea secuti sunt, Calcerãdus Rochensis Hispanus & ipse genere, cuius in area maritima ædes erant, portẽtosa visione atq; miro ostẽto præsagiuit. Nam paucis ante diebus, viuente adhuc Ferdinando, cum sub primã lucem in lectulo vigilaret, magnam hominum multitudinem in area perstrepentẽ audiuit. Ad fenestram ocyus accurrit, virorum frequentiam primũ, peditumque speciem, mox hastatos scutatosq; subsequi, ac equites deinde in turmas diuisos, armatorumq; acies in prælii speciẽ concurrentes, in regiam domũ, qua Hugo vtebatur, irruere, ac oppugnare oculis per inanẽ vmbrã sibi videre est visus. Illucescente igitur ad Hugonem pergit, quod viderat, veluti exanimis enarrat. Pleriq; præterea sub idem tempus ad verticẽ ac radices Peregrini montis milites armis instructos noctu se concurrantes vidisse fassi sunt. Sed Hugo cũ hæc omnia audisset, ægrorũ somnia ea esse respondit. Plebs igitur Panormitana audita Regis morte, Hugonis magistratum extinctũ tota vrbe submurmurare cœpit. Fauebãt plebi Petrus Cardonius (cuius supra meminimus) Golisani Comes, Fridericus Abbatellus Cameratæ Comes, Hieronymus Filingerius S. Marci item Comes, Symeon Vintimilius Marchio Geracii, Matthæus Sanctapax Licodiæ Marchio, (cuius patrẽ Hugo capite plexerat) Ioannes Baptista Barresius Militelli Dominus, & Guilelmus Vintimilius Ciminnæ Dominus. Hi igitur, & pleriq; alii Siciliæ Proceres, quibus Hugo satis erat inuisus, eius magistratũ morte Regis extinctũ esse, & Siciliã a Iacobo Alliata Proiustitiario moderãdam esse aiebant. Verũ vt consulto res gererent, Panormo egressi, & plebe tumultuante atq; ad motus nouos inclinata relicta, accitis cæteris Proceribus qui eis adhæserant, ad turrim quandam tabernæ hospitatoriæ a Myrtis appellatæ imminentem conuentũ habuerunt. Firmatis igitur ibidem ac constitutis quæ agenda erant, Thermas Himeræas oppidũ sub prętextu Regi defuncto parentandi petierunt. Ibi itaq; in æde maxima Regi inferias, quas Hugo ne illius mors diuulgaretur, neglexerat, peragunt. AEgre tulit Hugo Procerum e Panormo discessum, & ob rei indignitatem cũ plus æquo angeretur, plebis furori cedere, ac Sicilia abire cõstituerat. Sed ne plebs eo discedente a Rege desciret, atq; ipse in noui Regis indignationem incideret, ab Antonio Montecatino Adranita Comite, & Ferdinando, Aloiso, & Friderico eius germanis fratribus, Ioanne Luna Caltabellottæ Comite, & Regiæ curiæ consulatibus, qui ei adhærebant, admonitus, in Sicilia restitit. Igitur a Consultis Prorex salutatur: qui statim horum auxilio fretus præsidio Regiam munit. Dũ hæc Hugo parat, Hieronymus Veronensis, cognomento Barbatus, Eremitani ordinis, qui in æde. D. Francisci ad Senatũ & populũ quadragesimali (quod tunc cutrebat) tẽpore conciones habebat (proprio ne ingenio, an Procerũ instinctu, incertũ) inter concionandũ frequentẽ plebem in Hebræos, qui nuper sactis Christianis initiati, rursus ad Mosi legẽ tacite redierãt, & ob id a Quæstore (quẽ Inquisitorem vocant) veste viridi cruce rubra insuta inter alias pœnas mulctati fuerant, vt irruãt, edita in suggesto voce conclamitat, illos, vt cruce, qua amicti erãt, spolient hortatur. nefariũ enim esse ac sacrilegũ, qui Christũ cruci addixerant, crucẽ deferre, diuerso iure affirmans. His dictis incensa plebs, repente in Hebræigeneris viros fœminasq;, (quorũ ingens eo tempore Panormi erat multitudo) quotquot expleta concione obuios habuit, eos amictu spoliat dilaceratq;. His seditionis initiis soluta plebs, & Comitũ absentia frenis laxata, abdicare Hugonẽ magistratu omnino pergit. Hugo his cognitis animo neutiquã deiicitur, sed cum Senatu Regio, & vrbis proceribus, qui sibi suffragabantur, vt plebem in fide contineret, per frequentissimas vrbis vias obequitans, Panormitanos, ne nouos agitent

motus, frenare ſtudet. Vectigal ſuper farina recenter impoſitum, plebique grauiſſimũ, vt popularem leniret furorem, fruſtra remittit. Nã plebs Hugonẽ magiſtratu morte regis iure optimo abdicatum magis ac magis conclamitat. Interea fama tota vrbe percrebuit, Legatum a Carolo nouo rege ex Germania Panormum aduentaſſe, literaſque Hugoni confirmatorias detuliſſe. Hæ litteræ cum in Prætoris curia frequenti populo lectæ fuiſſent, (quæ vtrum regiæ fuerint, an vero ad ſedandum populi furorem confictæ, incertum) plebis furorem non compeſcuerunt, ſed magis etiam inflammarunt. Nam ſimulatas eſſe eas, non a rege veniſſe Legatũ, ſed villicũ, vel nautã, vel Hugonis famulum, qui regis Legatũ mentiebatur, palam prędicabant. Quinimo cum a Prætoria domo vrbis Præfecto redeunte, plebeius quidam regias ſatis temere atq; arrogãter literas expetiuiſſet, Prefectus ad compeſcẽdos illius temerarios auſus carceri eum addixit. Sed mox ille edita voce populi auxilium efflagitare cœpit. Quo viſo plebs furiis incenſa, & armis accincta, in Præfectum ac illius miniſtros irruit, hominem a miniſtrorum manibus liberat, Præfectũque ipſum aggreditur: qui ſibi conſulens ſalutem fuga quæſiuit. Sedato pauliſper eo tumultu, iamque adueſperaſcente, puerorum manus non contemnenda, quos viri ſupra centum ruſticos mentiti ſequebantur, ad domum regiam pergunt: Hugonem Panormo diſcedere elatis vocibus conclamant: mortemque, ni ſtatim pareat, comminantur. Ille bidui ſpatium abeundi, ſed fruſtra, petit. hora nanq; iam noctis ſecunda aduenerat: & cum omnia tenebris eſſent inuoluta, ingens armatorum numerus non modo peditum, ſed leuis quoq; equitum armaturæ, ad aream maritimam confluit, ac machinis & tormentis æneis e publica domo acceptis regiam obſident, tantoque ardore oppugnant, vt ego ipſe horum ſpectator omnium tantam mutationem Panormi tam paruo tempore contigiſſe mirari non deſinerẽ. Quod vbi Hugo vidit, deſperata plebis reſipiſcentia, famulum mentitus, clam per poſticum hora noctis ſexta, & ſeptimo die Martii anni ſal. 1516. regia egreſſus, domum Ioannis Antonii Riſignani ſui ſtudioſi regiæ proximam ingreditur, atq; inde nauem onerariam in portu paratam inſcendit. Erat adhuc in domo regia Antonius Mõtecatinus Adranita Comes, & Cõſulares regii, qui Hugonis fugæ etiãnum ignari obſidionẽ perferebant. Sed vbi eũ elapſum cognoſcunt, fugæ & ipſi quoq; diclandeſtinæ ſe crediderũt. Milites qui regiam tuebantur, vbi Hugonem abeſſe dicerunt, certatim ſupellectilem oẽm diripiunt, apertiſq; foribus prẽda onuſti ad ſuos quiſq; lares accedũt. Panormitani obſidentes cognito Hugonis receſſu, & facta eis in domum regiã introeũdi poteſtate, repente in eam ſeſe ingerũt: quicquid bonorum vnicuiq; ſors obtulit, diripiũt, ac deinde ad ortum vſq; ſolis regiam oẽm deprædantur. Illuceſcente plebs furiis excita ad Palatium in vertice vrbis ſitũ, vbi Melchior Ceruerus genere Hiſpanus hæreticorũ quæſtor degebat, Panormo eũ diſcedere per vim compellũt. Ille plebis furori cedens, per marmoreã viã & frequẽtiſſimũ mercatorum forũ obequitãs, ad portam maritimam venit, & nauẽ aſcẽdit. Interea dum hæc in vrbe geruntur, Hugo biduũ in portu moratus, Pãormo abſcedens Meſſanã nauigat: vbi a Meſſanenſibus veluti Prorex & magno honore exceptus eſt. Meſſanæ agens principio cætera Siciliæ oppida ad fidem nouo regi ſeruãdam per literas hortatur. Sed dum plurima de regia largitate Siculis, vt eos in fide contineat, pollicetur: Siciliæ ciuitates cognita illius a Panormo expulſione, ab eo ipſæ quoq; deſciſcunt, ſeſeq; Panormitanis adiungũt, paucis exceptis circum Meſſanam oppidulis. nam Catana, Syracuſæ, Leontinũ, Agrigentum, Drepanũ, & cæteræ Siciliæ ciuitates, Panormitanos ſecutæ, negata Hugoni obedientia, in nouos quoq; motus ac tumultus abeũt, vectigalia omnia (quæ Gabellas vulgus appellat) a regibus impoſita detrectant abrogantq;, Hugonis ſtudioſos inſequuntur, quoſdã ex ciuibus electos deligunt, qui cauſas reſq; populi tueantur. Dũ hæc per Siciliã fiunt, Panormi facinoroſi homines impune tota vrbe debacchantes per domos excurrunt, cuncta diripiunt. Quo viſo primores vrbis Legatos ad Comites, qui nõ longe inde aberant, mittunt, eos ne vrbem regiam in præceps ire ſinant, precãtur. Aliquandiu inter Proceres ad Thermas Himerẽſes diſceptatũ eſt, ſuccurrendũne foret Panormitanæ vrbi, an non. & licet plurium, Senatui ſuo relinquendã eſſe Pãormum,

ormum, mens esset, Petri tamen Cardonii Golisani Comitis sententia prævaluit. Qui ne regia vrbs perditorum hominum cõspiratione in descitionem regis in totius insulę dedecus rueret, statim succurrendum illi esse in summo rerum discrimine constitutæ, & seruandã regi decreuit. Exceperunt cæteri Proceres Petri vocem veluti e cœlo delapsam. Erat Petrus Cardonius regum Aragonum studiosissimus: (pro quibus cum Hugone & cæteris germanis suis fratribus in bello Neapolitano, quod Ferdinandus Catholicus rex Consaluo Ferdinando Duce fœliciter gessit, plurima & ea egregia militiæ facinora strenue gesserat) maximarum præterea virtutum, quæ nullis in eo vitiis obscurabantur, gloria insignis, præter staturam corporis proceram, literarum humanarum peritiam, vultum regio quodam decore præclarum. Eaque omnia singulorum beneuolentiam mirifice conciliabant, eumque cæteris Proceribus & plebi acceptissimum reddebant. Igitur statim Proceres Panormum aduolant, motus sedant, ac tranquilla reddunt omnia. Nec defuere tũ qui nouos hosce motus non a plebe, sed a priuato odio, quod inter hos Proceres & Hugonem flagrabat, exortos assererent, cum eorum regressu pulso iam Hugone pacatam vrbem aspexere. Comites igitur compositis Panormitanis rebus, simul & S.P.Q.P. Antonium Campum Legatum ad Carolum regem mittunt, cunctaque ordine exponunt. Hugo etiam per Legatum Carolo calamitatem suam enarrat. Interea Proceres, ne Sicilia insolesceret, Symeonem Vintimilium Giracis, & Matthæum Sanctapacem Licodiæ Marchiones, Præsides insulæ constituunt. Hi suscepto magistratu, Hugone adhuc Messanæ agente, plebem in officio continebant, ius cuiq; reddebant, sancteq; omnia gubernabant. Nundinas Panormi, quas Ferdinandus Catholicus indulserat, & vsque ad eam diem Hugo nunquam publicarat, ad D. Christinæ translationis stata solenniaq; festa, quæ Maio mense redeunt, per quindecim dies primum celebrant. quæ ad hanc vsque ætatem inuiolate singulo quoque anno repetuntur. Interea dum hæc in Sicilia geruntur, Carolus rex, qui tum in Flandria agebat, auditis Siciliæ motibus, Didacũ Aquilam genere Hispanum Panormum ad tumultuũ causam, ordinem, authoresq; explorandos mittit. Is Panormum venit, motuũ seriem perspectam Carolo regi, vt in mandatis habebat, per certum nuntium significat. Quibus cognitis Carolus Siculis per literas imperat, Hugonem vt Proregem excipiant, eundemq; non secus ac par est colant. Didacus literis Caroli receptis statim Petrum Cardonium (qui ad sedandos motus Catanæ inter Hieronymum Gurrerium, & Franciscum Paternionem Baronem, Radusæ exortos petierat) ad se Panormum accersit. Cui aduenienti regis mandata aperit, ipsum cæteroſque Proceres vt Regi pareant, hortatur. Proceres ad regi obtemperandum sese paratissimos offerunt: a quo ne antea quidem vel in minima re desciuerant, neq; sane Hugonem ipsi expulerant. Animaduertendum tamen fore consulunt, ne plebs instabilis, & furore iam percita, atq; Hugoni infensissima, ad hostem recipiendũ sic repente compellatur. Periculosum id esse, & si postea descitio a plebe exoriatur, Regi ipsi laboriosissimum fore: satiusq; esse rem hanc atq; periculum cũ Carolo rege cõferre, eiusq; iudiciũ de ea re præstolari. Didacus probato Procerum consilio Carolum regem consuluit. Rex literis receptis Hugonem statim, ac Petrum Cardonium, & Fridericũ Abbatellũ Comites ad se, vt causa corã discutiatur, accersit, Ioanne Luna Caltabilottæ Comite in Sicilia Præside constituto. Is capto magistratu, & Hugone ac Comitibus in Flandriã ad regem profectis, insulam prudenter moderabatur, & Bibonam suæ ditionis oppidum, quod a se ad primos Panormi motus desciuerat, & regi subesse cupiebat, expugnatum direptionibus & cædibus fœdauit, ac demum in fidem recepit. Interea Hugo & Comites coram rege causas suas tuentur, alter in alterum crimen impingunt. Hugo seditionis Panormitanæ Comites alioſque Proceres authores facit. Contra Comites Hugonem tyrannidis, auaritiæ, crudelitatis, luxuriæ criminantur: quibus facinoribus vrbs excitata ipsum expulerit. se, quod furorem plebis compresserint, nõ solum esse commẽdandos, verum etiam præmiis afficiendos, instant. Inter huiuscemodi disceptationes id constat, Comites Panormitanæ vrbis causam, ac Siculorum omnium motuum fortiter coram rege tutatos esse. Quibus auditis Carolus

Rex in hanc demum ſententiam deuenit, vt ærario regio a Panormitanis & Siculis, ſiquid detractum in motibus fuerat, rependeretur: authores vero ſeditionis morte mulctarentur. Ad hæc peragenda Hector Pignatellus Montisleonis in Calabria Comes, militiæ Præfectus, & Siciliæ Præſes, abrogato Ioanne Luna, a Carolo rege deligitur, Hugone & Comitibus interim in curia detentis. Hector Calend. Maii anno ſalut. 1517. Panormum venit: Electos, quos ſibi plebs præfecerat, abrogat, vectigalia reſtaurat, non præſtita reſtituit: Marchiones Giracii & Licodiæ Neapoli proſcribit: viginti incerti nominis viros ſeditionum authores morte puniendos ſibi reſeruat. Poſtremo cæteris omnibus & plebi de commiſſis facinoribus a rege voce præconis edita venia indulgetur. Hæc tametſi nonnihil plebs læta ſuſceperit, proſcriptionem tamen Marchionum, Comitum, & viginti virorum cuſtodiam iniquo tulit animo, quæ omnia in regios, qui Panormi Hectori aſſiſtebant, retũdebantur. Dũ igitur Sicilia in has duas diſciſſa eſſet factiones, alterã quæ Hugoni, alterã quæ Comitibus & cæteris inhæſerat, (quæ ita inter ſe mutuis arſerant odiis, vt altera alterius excidium moliretur) plerique, quos vel culpa reos fecerat, vel auaritia & ſuperbia ſtimulabant, æſtuare, res nouas moliri, machinari, atque in Hugonis ſtudioſos (quorũ magna Panormi pars nec ſine magiſtratu aderat, quorumque opera ea omnia facta eſſe arbitrabantur) animo furere ac coniurare incipiunt. Erat eius coniurationis author Ioannes Lucas Squarcialupus Panormitanus, qui vrbis iuratus anno ſuperiore fuerat. Is cum plebem exagitatam atq; ad ſeditiones procliuem, Carolum vero regem longe abſentem, neq; vllum in Sicilia neque in Italia exercitum habentem, nec ſane Hectori ſuſpectum quicquam intelligeret, tunc optimam ſibi opportunitatem, hoſtibuſque exitialem ſibi oblatam exiſtimãs, de cædendis illis, opprimendaq; Rep. Panormitana conſilium capit. Cõuenere hi omnes cum eo patritii ordinis, Frãciſcus Barreſius, Balthaſſar Septimus, Chriſtophorus Benedictus, Alfonſus Roſa, Petrus Spatafora, & pleriq; alii, qui ære alieno obſtricti tenebantur. Fuere item non modo qui ſuſpicarentur, ſed & qui clam palamq; efferrent, Guilelmum Vintimiliũ Ciminnæ Dominum, vel ob id quod Hugoni ſatis erat infenſus, huius conſilii non ignarum, ſed occultius tamen participẽ. Cæterũ plurimi populares (quorum capita Iacobus ab Agrigento, Vincentius Riza faber ferrarius, & Vincentius Zazarus homines perditi erant) huic ipſi incepto cũ cæteris fauebãt. Igitur Ioãnes Lucas Squarcialupus eos oẽs nõ longe a Margana arce ad rus Antonii Vintimilii conuocat. Vbi omnib. arbitris procul amotis, calamitates regni, vrbis Panormitanæ iacturam ac damna, Petrũ Cardoniũ & Friderici Abbatellũ Comites ab rege interfectos conſulariũ inſtinctu & literis enarrat. Quę omnia eó a Squarcialupo ficta fuerant, vt plebem Comitũ ſtudioſiſſimã ad facinus concitaret: neq; propterea a rege deficiendum, aut Hectorem imperio abdicandum, ſed fidem vtriq; incorruptam conſeruandam aiebat. Conſulares ſolum & Hugonis ſectatores (quorum nece Deum propitium, regemq; ipſum nihil infenſum ſibi faciebat) de medio tollendum, & Remp. hac via liberandam, oſtendit. Vbi finem dicendi fecit, læta omnium ac ſtudioſa acclamatio eſt conſecuta. Igitur regis Conſulares, (quos Iudices alios magnæ curiæ, alios a ratione magiſtros, atq; Aduocatum Fliſcalem appellant) cæteroſque Hugonis ſtudioſos vno eodemque tempore omnes trucidare conſtituunt. Dies perpetrando facinori profeſtus Diuæ Chriſtinæ Panormi tutelaris, (quæ. 11. Calend. Auguſti colitur) locus vero templũ maximum, (in quo Diuæ illius ſtata ac ſolennia celebrantur) & Veſperarum hora, (ad quas Hector cum regiis ac cætero magiſtratu de more curiæ acceſſurus erat) deliguntur, & inter ſacra ipſa & ædem tanquam victimas ad cædem ſingulos deſignant. Conuentu dimiſſo, Squarcialupus cuncta parare, multa moliri, inſidias tendere, ac ſociorum vnumquenque quotidie nõ ſegniter hortari pergebat. Iamque fere coniurationis fama totam vrbem tenebat, atque adeo non obſcurus rumor percrebuerat. Neque interim vrbs præſidio muniebatur, neque vrbis portæ militibus armatis (vt par erat) cuſtodiendæ tradebantur: ſed neglectis remediis ſegnities tenebat omnes. Fama rei patrandæ vires in dies acquirebat, ita vt nunquam ego mirari deſinerem, cur Hector adeo manifeſtæ ac propinquæ

ſeditio-

seditioni non occurreret. Illucescente præterea profesto Diuæ Christinæ die, Franciscanus quidam ex eorum familia quos Iesuanos Siculi appellant, qui rem a Vincentio Benedicto Christophori Benedicti vnius ex coniuratoribus fratre sub sacramento acceperat, clam Hectori coniurationem aperit, & ne ad vesperas de more accedat hortatur, periculumque exponit. Qua Hector cognita non ad sacra de more pergit, neque vrbem prȩsidiis firmat, nec portas vrbis claudit, custodesue apponit: sed intra regiam metu atque horrore perculsus cum Consularibus omnibus sese continet. Erat eo anno vrbis Præfectus (quem Capitaneum vulgo appellant) Ioannes Vincentius Incorberius Misilindini Dominus, qui & ipse vulgata iá coniuratione Præfecturam Francisco Alliatæ suo Iudici commiserat, atque fuga saluti suæ consulens vrbe excesserat. Interea iam constituta dies & hora aduenit, iam Squarcialupus cum coniuratis omnibus armis accincti vrbem immunitam & absque præsidio pene desertam per portam nouam ingrediuntur, atque ad ædem Diui Iacobi a Massara pergunt: vbi curatis corporibus, & ad facinus a Squarcialupo paucis hortati, ad templum maximum statuta hora accedunt, rati Hectorẽ ibi & Consulares se reperturos. Sed magistratu minime inuento vbi se delusos animaduertunt, ira perciti in Paulum Chagium vrbis Archiuarium, virum mansuetum, qui sacris tum forte intererat, irruũt, atque inter sacra ipsa trucidant. Mox per vicum marmoteum ad regiam domum pergunt. Eram ego tum vndeuiginti natus annos, qui audita vrbis a paucis inuasione, cœnobio egressus, vt rem curiosius perueſtigarẽ, ad macelli forum & ipse perrexi. Eo vt primũ applicui, e vestigio Squarcialupus, Barresius, Septimus, Rosa, ac cæteri (quorum supra memini) cõiurati, qui vix ad viginti duos numerabantur, (quorũ capita equestres, cæteri vero pedestres erant) ex Cassaro ad mercatorum forum (quod Logiam appellant) pergebãt, Panormitanos amicos, quoscunque obuios habebant, ad facinus frustra inuitantes. Quos cum vidi, obstupui, eorum ausus temerarios admiratus, qui cum pauci & inermes essent, vrbem tantam inuadere ausi fuissent: remque perridiculam mihi videre sum visus. ac multo magis Pignatelli socordiam cõtemplabar: qui vrbem desertam prædæque expositam reliquisset. Interea Squarcialupus cum coniuratis ad aream maritimam pergebant, mortem Hugonis studiosis editis vocibus comprecantes. Hos ego, vt rerum euentum conspicerem, a longe sequebar. Eo cum venissem, in ædibus Nicolai medici ex eo hominum genere qui sagena piscari solẽt, (quæ postea in nobiliorem. D. Mariæ cui a Cathena cognomẽ est, templi partem, quam chorum & maiorem tribunam appellant, abierunt) Squarcialupum vel magnitudine rei quam erat aggressus, vel quia plebẽ longe a suis ceptis (quod nõ putarat) & satis alienam vidit, metu exanimatum ac humi collapsum offendi, cæteris coniuratis non modo animo consternatis, sed incerto gressu amentium more palantibus. Quod cum vidissem, tametsi hinc nonnihil misericordia commouerer, inde tamen Pignatelli ignauiam ac socordiam cum meo comite ardentius reprehendere cœpi, qui paucos coniuratos Duce eorum iam pene exanimi paruo negotio trucidare cum posset, domi se contineret, atque in latebris esset. Cæterorum vero primatum nullus in vrbe videbatur: sed vrbe deserta, suos singuli tuebantur penates. Sed posteaquam exanimis per horæ spatium iacuit, fronte aceto perfusa, & aliis adhibitis remediis, Squarcialupus bonæ valetudinis habitum recuperauit, ac firmitate recepta equum insiliens vix cum viginti coniuratis, quorum maior pars pedestris erat, ad Regiam domum (quæ Doana est hodie) hora diei. 22. accessit: Pignatellum editis vocibus ab area appellat, Comites a rege trucidatos mentiendo queritur, ac Consulares & Iudices, qui secum in regiam se receperant, authores illorum necis, vel ob idipsum ad mortem exposcit. Cui Pignatellus e festra respondit Comites viuere, vtque paci studeret, edixit. Cumque Squarcialupus repetitis vocib. identidem, vt plebem (quæ Comitum erat studiosissima) incenderet, congeminaret, & Pignatelli monita frustra audiret, Hectore eo relicto, sese a conspectu eripiens in ædium penetralia recepit. Plebs quoque vbi manifeste coniuratos vrbem tenere, nullumque ad obsistendum partesque regis tuendas accessisse videt, simulatæ Comitum necis vlciscendæ ac prædæ auida, cũ tertia noctis

hora processissẽt, ad Regiam armis accincta concurrit. Regiæ igitur foribus igne iniecto, ac magna vi effractis, coniurati ingrediuntur, scalas ascendunt, ac Pignatellum primum seruato decore Regio capiunt, extra Regiam egredi iubent, atq; ad Palatium alterum Regium, quod in vertice vrbis situm est, mittunt: mox Regiæ penetralia perue stigant, Nicolaum Cãnarellam, patria Palazolien sem, Syracusanum incolam, & Ioannem Thomam Paternionem Catanen sem Iureconsultos, duos ex magnæ regiæ curiæ Iudicibus, reperiunt, ac statim cæsos & veste nudatos e fenestris in aream præcipites deiiciunt, plebe telorum cuspide eos excipiente: spectaculũ sane horrendum, immane, nouum, atq; ob crudelitatem ab amicis aduersariisq; iuxta damnatum. Post hos Gerardum Bonannum a ratione magistrũ, sordida veste amictum, ac rusticum simulantẽ, per posticum regia clam egressum, ac pedestrem fuga salutem sibi per domos vicinas quærentem corripiunt, abscisisque pudendis crudelissime necant: (rarũ profecto ac pene inexcogitatum sæuitiæ genus) statimq; ad regiam prædandam plebs omnis conuertitur. Hæc nocte illa misere sunt patrata. Illucescente vero Priamum Capozium Lilybitam Iurisconsultum, ac Poetam non contemnendum, quem Aduocatũ Fliscalem vocabant, duos quæsitũ dies, tandẽ non longe ab æde. D. Ioannis a Tartaris in domo cuiusdã mulierculæ inuentum, tota vrbe raptatum, ac pluribus cõfossum vulneribus occiderunt. Blascum Lanzam Catanẽsem iuris item peritum insignẽ, vel ob id quod Hugonis causam obnixe coram Rege cõtra Panormitanos & Comites tutatus fuerat, ardentius etiã per latibula & sepulchra cœnobii. D. Dominici perquisitum cum nõ reperissent, plura ibi diripiunt, ac præsertim pretiosam Hugonis supellectilem Ferdinando Falco Theologo, ac cœnobii illius Priori, creditam, prædantur. Blasci deinde ædes ac bibliothecam incendunt. Ioannes Luna Calatabilottę Comes audita vrbis coniuratione sibi timens, vel ob id quod Hugonis etiã partes secutus fuerat, Panormo cũ filiis egressus in Alcamum oppidum, quod Panormo. 30. p.m. abest, se recepit. Post hæc coniurati custodes addiderunt, vt studiosi Hugonis qui euasserant, interciperentur. Hæc cũ in reliquis Siciliæ ciuitatibus & oppidis nuntiarentur, animos hominum ad consimilia peragenda excitarunt. Nam Catanæ inter Hieronymum Gorrerium & Franciscum Paternionem Radusæ Baronẽ magna dissensione exorta, tota ea vrbs in seditionem abiit. Agrigenti quoq; inter Petrum Monteapertũ & Balthassarẽ Nasellũ Yhomisi Dominũ, ac plures populares, adeo exarsit ferocia, vt insigni Petri æde ac lapide quadrato extructa igni cõbusta finẽ habuerit. Drepani inter Simonẽ Sanctum Clementẽ & Iacobũ Fardellũ cædẽ rixæ exortæ, vrbẽ in duas factiones crematis etiam Iacobi ædibus diuiserũt. Thermitani Himerenses nõ solum magnos in oppido motus excitarunt, sed eodẽ quoque furore perciti ad Trabiam arcẽ (quæ Blasci Lanzæ ditionis erat) progressi, arcem, agros, ac cuncta fœdarunt incendiis. Hæ itaq; vrbes fœdera cũ coniuratis ineunt, oppidanos socios sibi asciscunt, noua moliuntur. Sola Messana huius calamitatis expers fuit. Nã Messanenses ita eorũ vrbẽ in fide continuerunt, vt nihil omnino inique in ea sit perpetratũ. Dũ hæc Panormi geruntur, fœda ac plane deplorãda vrbis facies cernebatur. Nã ius legesq; iam plane refrixerant, auaritia, rapinæ, superbia, vrbem inuaserant. Quicunque præterea impudicus, adulter, ganeo, latro, sacrilegus, vel qui alea, manu, ventre, pene patrimonium dissipauerat, quique alienum æs conflauerat, quo flagitium aut facinus redimeret: præterea omnes vndique parricidæ, sacrilegi, conuicti iudiciis, aut pro factis iudiciũ timentes: ad hæc & quos manus linguaue periurio, aut ciuili sanguine alebat: postremo omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Scorcialupo & coniuratoribus proximi ac familiares erant, & de ciuitatis, magistratus, rerumque omnium mutatione cum eo tractabant. vbique hominum popularium agmen armis telisque accincti astabant, & (quod nulli nisi nobis qui hæc vidimus credibile est) nihil sibi reliqui non ad prædam, non ad crudelitatem fecere, sacra prophanaque, diuina atque humana omnia in promiscuo, nihil pensi neque moderati habebant, publice impuneque rapere, delubra spoliare, sacra prophanare ac polluere licebat. Erant eo tempore Panormi germani fratres duo, Franciscus & Nicolaus Bononii, viri

Princi-

Principes cum Squarcialupo affinitate coniuncti, qui statum hunc Reip. plurimũ perhorrebant: cumque priuatas inimicitias gererent, fidissimos secum milites ducere solebant. Hi cum vrbem ad prædam relinqui in dies conspicerent, Squarcialupum sæpius admonuerunt, ne tam fœde patriam opprimi a seditiosis permitteret. Quibus ille ea omnia ad hostium terrorem, & sociorum obsequium facta esse respondit. Cumque id malum in dies latius serperet, Pignatellus, agentibus etiam coniuratis, Guilelmum Vintimilium Ciminnæ Dominum, quem coniurationis participem fuisse vulgi fama prædicabatur, Præfectum vrbis ad sedãdos scelestorum ausus instituit. Interea coniurati postquam vrbe sunt potiti, tot demum successibus freti, ad oppugnandam maritimam arcem animos adiiciunt, rati si venia ab Rege non impetrata ab illius Imperio deficerent, & se tueri in ea arce facillime posse, & mœnibus: quod quibusdam figmentis commentisque plebem iam motibus agitatam, & ad noua molienda præcipitem ad tantũ facinus impellere sese arbitrabantur. Indictus est itaq; ab eis dies concionis festus Natiuitatis Mariæ Virginis: qui dies est. 6. iduum Septembris. Locus ad ea omnia decernenda deligitur tẽplum Annunciatæ, quod e regione cœnobii Sanctæ Zitæ, & intra vrbis mœnia ad portam Sancti Georgii situm est, in eius ampla porticu, vbi sacra concio haberi solet. Dum in hoc rerum turbine res essent Panormitanæ, Pompilius Imperatorius, Franciscus Bononius, Nicolaus Bononius eius germanus frater, Petrus Afflictus, Alfonsus Saladinus, Hieronymus Imbonettus viri patritii, cum exhaustam iri propemodum vrbẽ animo cernerent, labanti patriæ succurrere cupientes, seditionis authores de medio tollere statuunt: neque id tamen absque Pignatelli cõsilio gerere audent. Cum Pignatello igitur rem conferunt. Sed ille, vt natura meticulosus erat, facinus dehortatur, vel certe non nisi maximo consilio amplectendũ esse respondet. Mox illi subiungunt, vt fidos, quos in vrbe haberet, eis socios adderet. Cumque Pignatellus nullos se habere respondisset: illi eum, vt Guilelmum Vintimilium Ciminnæ Dominum, & quem iam vrbi præfecerat seditiosis acceptissimum, accerseret, illique rem hanc committeret, admonent. Huius audito nomine Pignatellus obstupuit: cum ille seditiosorum hominum longe studiosissimus haberetur. At Pompilius, qui (vt a quibusdam suspicatum est) rem iam cum Guilelmo prius tractauerat, Pignatellum, vt ea suspicione omissa virum ad se accersat, atque cum eo cuncta componat, hortatur, orat. Pignatellus his verbis animo erectus, Guilelmum ad se clam vocat: in quo discrimine vrbs esset, apertit, gloriam nominis, patriæ libertatem, præmiũ Regis, simul & veniam criminum omniũ ei proponit. Guilelmus paratissimũ se ad omnia offert, egregiũ facinus, etsi arduum quidem, se aggressurũ promittit. Interea cõcionis dies appropinquabat. Quo Pignatellus motus, proceres vt caute sibi consulant, monet: futurum enim vt coniurati Proceres omnes sibi aduersantes cædãt. Quo cognito proceres maturare facinus pergunt, atq; in ipso concilio seditiosos de medio tollere statuunt. Iamq; proximus rei patrandæ, cum hæc agerentur, aderat dies. Coniuratores ex altera parte consilia parare, vota suffragiaque exquirere, Pignatellum ad idem hortari, vt Reip. statum in meliorem formam consilio reduci pateretur, non desinebant. Pignatellus simulato ore ad omnia se promptum coniuratis exhibet. Verum hinc a Squarcialupo paratis omnibus ad concilium prima luce congregandum opportunis, & inde a Guilelmo ad coniuratos ibidem cædendos: nocte sequenti Pignatellus veritus ne fortuna rei gerendæ nõ faueret, clam naui ascensa Panormo Messanam versus discessit. Illucescente cognito Pignatelli discessu, magnus in vrbe tumultus exoritur. Squarcialupus eum palam criminatur, fœdifragũ appellat, quod gesta in concilio decernenda approbaturũ se spopondisset, nunc vero clam discesserit: vrget tamen socios, vt nihilominus concio habeatur. Plebem igitur aduocat: quisque ad ædem Annuntiatæ vt pergat, solicitatur. Guilelmus idem, & cæteri simulant: coniuratores hortantur vt concilium accelerent, vrbi regendæ, ne ad peiora quoque relabatur, modum imponant, animo interim ad facinus gerendũ inhiantes. Igitur sub lucem diei octaui Septembris Squarcialupus, Alfonsus Rosa, Christophorus Benedictus coniurati, atq; ex plebe sexcenti prope viri, ad ædem

Annuntiatæ, atque ad eam partem vbi concio ſacra haberi ſolet, accedunt. Guilelmus itẽ Vintimilius, Franciſcus & Nicolaus Bononii, Põpilius Imperatorius, Alfonſus Saladinus, Imbonettus, Afflictus, & cæteri eiuſdem factionis adſunt. Hi dũ cæteram nobilium multitudinem, & ſimul plebem veſanam præſtolãtur: Iacobus Cribellus Caccamenſis Dominicanus Diuæ Zitæ cœnobii ſacerdos, miſſam celebraturus ad aram acceſſit. Coniurati ad dexteram columnam proximiorem hærebant, & non procul inde Guilelmus cum confœderatis. Vix ſacerdos rem diuinam inchoarat, cum Guilelmus dato ſigno ſocios ad facinus aggrediendum hortatur. Tum repente omnium primus Nicolaus Bononius enſe euaginato in Chriſtophorum Benedictum irruens, ipſum occidit. quem deinde Pompilius ſecutus, Squarcialupum aggreſſus, cum eum thorace amictum reperiſſet, pugione confodit. Petrus Afflictus ante ora cum Alfonſum genuflexum haberet, interfecit. Nec minus cæteri ſocii nudatis gladiis contra rebelles, proditores & latrones, pro rege, pro patria, pro liberis, pro aris, pro focis audendum atque dimicandum editis vocibus ingeminabant. (Ita coniuratores dignum moribus factiſque ſuis exitum vitæ inuenerunt) Trucidatis in templo his tribus, qui ſoli ex coniuratoribus eo tum conuenerant, e veſtigio Guilelmus equum paratum aſcendens, ad vicorum anguſtias tuendas procurrit, cæteros coniuratos & plebem cohibiturus, vitamq; regi & Reginæ, Reip. vero hoſtibus mortem editis vocibus comprecatus: quem pedeſtres Pompilius, Imbonettus, Saladinus, Afflictus, & Bononii ſequebantur, quib. Hercules Infuxa arcis maritimæ Præfectus, cum pluribus militibus Hiſpanis obuiam ex arce egreſſus, animos plurimum auxit. Vulgata Squarcialupi cæde ignara plebs animo ſuſpenſa nihil noui moliebatur, ſed anxia quærebat, ac Squarcialupi necis authorem admirabatur, cum paſſim per totam vrbem Guilelmus eius ſtudioſiſſimus obequitaret. Inter eundum Vincentium Rizam fabrum ferrarium plebeium, ex coniuratis vnum, obuium ad ædem Diui Petri martyris habent: quẽ ſtatim occidunt, ſubinde aream maritimam petunt. vbi Franciſcum Barreſium ex coniuratis nobilibus primarium armatura indutum forte offendunt. in quem cum regii irruere vellent, ob datam ei a Guilelmo fidem in arce maritima carceri traditur. Subinde Albergariam concedunt: ibique Petrum Spataforam ex coniuratis vnum inuadunt: ſed ille equo ſtimulato celeri fuga ſalutem ſibi extra vrbem quæſiuit. His geſtis cæteri coniurati metu perculſi, & animo fracti, ſimili fuga ſibi quoque conſulunt. Guilelmus poſt hæc & ſocii bellica inſtrumenta ex publico armamentario proferunt, eaque in Regiam domum aſportari iubent, ibi ſeſe tuentur, eam plurimorum militum præſidio muniũt, ac milites cuſtodeſque per vicos, ne ſeditio aliqua oriatur, diſtribuũt, eos quoque quos futuræ ſeditionis ſuſpectos habebant, capiunt & in carcerem tradunt. Sacerdos qui rem diuinam coniuratorũ nomine facturus erat, repentina illorum cæde exterritus, non modo a celebrando deſtitit, ſed die octauo terrore intra viſcera coacto mortem oppetiit. Trucidatis coniuratoribus per certum nuntium Pignatello Meſſanæ agenti Guilelmus ac cæteri ſocii proſperum rerum euentum perſcribunt. Quo Pignatellus cognito, peditatus Hiſpanorum militum milia quinque Ferdinando Larcona Duce, equitatus vero circiter mille exercitum, quos Ioannes Iuarra Potentiæ Comes ductabat, Neapoli ad ſe accerſit. Igitur in excidium ſeditioſorum ob regiæ maieſtatis contẽptum acrius animaduerſus, copiis munitus Meſſana mouet, Randatium oppidum pergit: vbi ſeditioſos plures morte mulctauit. Catanam poſtea profectus portam vrbis clauſam ter ictu enſis feriit, vt vi a ſe captam oſtenderet. Vrbem ingreſſus in Franciſcum Aſmarium, Matthæum Tortoretum, Ioannem Arenam capitis pœna animaduertit: plebeii vero generis viros viginti duos furca ſuſpẽdit: multos capite damnauit, nonnullos proſcripſit. Thermas ſubinde venit, ac demum Panormum: vbi Franciſcum Barreſium, Bartholomæum Squarcialupum Iureconſultũ, & Ioannis Lucæ germanum fratrem, & Iacobum Squarcialupũ capite plexit, illorum ædibus ſolo æquatis, (quarum quædam adhuc quoque proſtratæ iacent) & bonis Regi addictis. Hieronymum Faſſarum, Vincentium Zazarum, Iulium Ianſiccum, cum triginta ferme plebeii ordinis ſeditioſis furca ſuſpendit. Peditatus & equi-

& equitatus Hispanorum, ad Siculos coercendos, ne noua aliqua vlterius molirẽtur, Thermas Himerenses vrbem plures menses incoluit, ac postea Marsalam. quã prorsus eorum diutina habitatione exhaustam cum reliquissent, Carolus rex paulopost militiæ vacationẽ, & plures immunitates, quo celerius restitueretur, ei cõcessit. Tum Petrus Cardonius Golisani, & Fridericus Patella Cameratæ Comites, a Carolo rege liberantur: Pignatellus Siciliæ Prorex constituitur: Pompilius, Saladinus, Bononii, Afflictus, & cæteri qui coniuratores interfecerant, muneribus decorantur. Hoc pacto motus Siculorum, quos vidimus, post annos tres & menses sex sunt sedati. Nec diu post Hugo Montecatinus classis regię anno salut. 1519. Præfectus deligitur, & mense Decembri cum Didaco Dauera & 12. Hispanorum milibus Marsalam venit. vbi per totos menses sex, amissa magna exercitus parte, & oppido disiecto, redintegrato ex Italis exercitu, Gerborum insulam æstate magna vi aggressus, ad deditionem Sarracenos, ac ad annuum. 12. m. aureorũ tributũ Carolo regi persoluẽdum compulit. & paulopost Neapolitanus Præses institutus, Francisco Gallorum rege Neapolim Duce Lutrecho anno salutis. 1528. obsidente, dum contra Francicas triremes sua classe fortiter dimicat, occubuit. Petrus Cardonius antea ad Papiam contra Franciscum Gallorum regem pugnans, plumbea pila tormẽto excussa in oculo percussus occiditur. Sed Friderico Patellæ Comiti qd aduersi acciderit, libet hic causis paulo altius repetitis enarrare. Sedatis in Sicilia eo pacto motibus, nõ diu post quorundam ex eo tempore exorta contra regẽ coniuratio anno salutis. 1523. patefacta est: quæ his initiis cœpit. Exulauerant Sicilia Ioannes Vincentius, Fridericus & Franciscus cognomento Imperatorii Panormitani germani fratres, genere clari: sed Ioannes Vincentius & Fridericus ob Scorcialupi seditionem, Franciscus vero ob inflictum Ioanni Cangeloso conterraneo suo vulnus. Cũq; a Carolo rege nihilominus in patriam reditum impetrare potuissent, Romam ad Cæsarem alium germanum eorum fratrem Pompeio Columnę Cardinali obsequentem conueniunt, rati eius tum consilio tum auxilio se finem exilio imposituros. Sed cum frustra aliquandiu ob id laborassent, animo a Carolo rege alienati, Siciliam Francisco Gallorum Regi, Marci Antonii Colunnæ copiarũ Francisci regis in Italia Ducis auxilio, tradere constituunt. Venerant Romam per id tempus ex Caroli curia Nicolaus Vincentius Leofantus, Siciliæ Thesaurarius, & Ioannes Sanctus Philippus Panormitanus Legatus: quos facile Ioannes Vincentius Imperatorius ad sui facinoris consilium pertraxit. Hi simul omnes Marcum Antonium, qui tum forte Romæ agebat, adeunt, rem proponunt, cunctaq; cum eo ad facinus opportuna componunt. Sed cum re nummaria ad rem transigẽdam, & pro classe paranda simul & copiis instruendis indigerẽt, Ioannes Vincentius Imperator, & Nicolaus Vincentius Leophantus in Siciliam nauigant. Quam cum Squarcialupo & cæteris seditiosis occisis, sedatisq; motibus quibus hi longe plurimum fidebant, pacatam inuenissent, animo deiiciuntur. Interea quoq; Leone decimo Romano Pont. (qui Francisci regis studiosus erat, cuius quoque suppetiis ad rem patrandam coniuratores nonnihil confidebant) ad Carolum Cæsarem inclinante, & Marco Antonio Roma ob id Frascatum (oppidum non longe ab vrbe distans, quod suæ ditionis erat) petente, coniurati spem omnem amittunt. At cum paulo post Iacobus Spatafora Messanensis ex Procetibus vnus Romam venisset, Cæsar & Franciscus rem ei credunt, quem ad se facillime pellexerunt. Hoc socio rursus animis eriguntur, Marcum Antonium assidue pulsant, Panormum ac Messanam vrbes Siciliæ principes illi offerunt. Marcus his auditis Francisco regi rem scribit. Cui ille post receptum Mediolanum, quod paulo ante duce Leone ab eo ad Carolum desciuerat, classem contra Siciliam suis se auspiciis paraturum pollicetur. Interea cum rex Carolus Ioannis Vincentii & Friderici Imperatorii iam exilio finem imposuisset, Panormum hi duo redierunt. Cæsar igitur firmatis cum Marco Antonio rebus Panormum venit, Friderico fratri Thesaurario & Nicolao Vincentio, & Hieronymo Leophanto illius germano fratri, & Gaspano Pipi Agrigentino populari, quæ cum Marco Antonio firmauerat, credit. Friderico quoq; Patellæ Camaratæ Comiti cum res Thesaurario referente non ignota esset,

esset, facile eum assensum vel ob id aiunt præbuisse, quod cum Comitatus Motycę ius sibi ex Manfredi Claromontani filia, & Ioannis Patellæ sui ataui vxore, debitū pluries a Ferdinando Catholico Rege popposciſſet, nunquā sibi ob Admirati Castellæ iure vxorio Motycani Comitis cum Rege affinitatem, ius factum fuerit, sperabat facta defectione a Francorum rege Comitatum sese adepturū. Per hunc modum patefactis rebus, & cunctis adstipulantibus, constitutum est vt classe Francica in conspectum Panormi exposita, Hispanos omnes milites qui in ea vrbe tum erant, excitata plebe interficerent. Sed rebus paratis fortuna non arrisit. Nam paulo post. M. Antonio e viuis sublato omnia sunt turbata. At Cæsar Imperatorius Romā reuersus, & Pyrrhucium Iuenium Catanensem nobilitate præclarum, ingentis spiritus adolescentem, qui pro Marchionatu Castri Leonis cum suo gentili litē apud Romanam curiam gerebat, offendit. Hunc igitur cum Francisco fratre, & lacobo Spatafora, qui adhuc Romæ erat, aggreditur, rem aperiunt, tandemque eū in facinoris societatem trahunt, atque Franciscum ipsum Imperatorium ad regem Galliæ nuntium mittunt, eique Panormum, Messanam, & Catanam offerunt. Igitur Franciscus Imperatorius anno salut. 1522. 6. id. Maii cum literis Volaterrani Cardinalis Regis Gallorum studiosissimi, & Nicolai Renzi Regis eiusdem a secretis, cum Ioanne Hieronymo Cardinalis ipsius familiari, in Galliam proficiscitur, Siciliam Regi offert, classemque cum Duce Italo, & pro comparandis militibus tria aureorum milia postulat. Rex maximo bello, quod pro repetēdo Mediolano cum Carolo Cæsare gerebat, implicitus, rem in aliud tempus differendam respōdit, eique ducentos aureos pro commeatu dari iussit. Dum hæc in Gallia cum Rege Franciscus agit, Pignatellus in Sicilia pro nummario regio munere, quod tertio quoque anno insula Regi iam pridem dare consueuit, conuentum cum Proceribus Regni Panormi habiturus, aulam regiæ domus parauerat. Quo motus Fridericus Patella Cameratæ Comes, vt Siculorum beneuolentiam sibi conciliaret, eorūque animos ad se deflecteret, palam non a plebe, sed Proceribus vectigal id Regi persolui debere sibi videri prædicabat. Adhærebant Friderico Comiti Nicolaus Vincentius Leophantus Thesaurarius, Fridericus alter Patella Cephalæ Dominus, pluresque alii Proceres. Quo rescito Pignatellus veritus ne infecta tandem euaneſceret, soluta aula regia, conuentū a Panormo ad Messanam transtulit, vbi sperabat rem ad votum magis succeſſurā. Publicato igitur Messanæ conuentu, eoque Proceribus omnibus, (quos Barones vocant) & vrbium ac oppidorum Legatis conuenientibus, Fridericus quoque ipse Comes magna stipatus caterua illuc perrexit. Vbi cum in aulam Regiam peruenisset, vna cum Thesaurario Nicolao Vincentio Leophanto statim nihil tale metuens comprehensus vinctusque, a Pignatello vt seditiosus nauigio impositus, ac Neapolim deportatus, arcto carceri in arce noua traditus est. Capto Friderico Pignatellus in conuentu a Siculis vectigal de more impetrauit. Dum hæc in Sicilia geruntur, Romæ Franciscus Imperatorius rursus a Cæsare germano fratre & sociis, qui iam animo Siciliam Frāciſco Regi tradere constituerant, ad Regem mittitur. Verum ante discessum Petro Augello Siculo sibi coniunctissimo, ille item Cæsari Graphæo conterraneo meo nobili viro, rem credit. Sed Graphæus & Augellus proditionem statim spe muneris allecti Suessano Duci Caroli Cæs. apud Leonem. 10. Romanum Pontificem oratori indicant. Interea Franciscus Imperatorius cum literis coniuratorum Romā ad Gallorum Regem iter ingressus, Castellum nouum (18. p. m. ab vrbe distans oppidum) anno salut. 1523. mense Aprili venerat: vbi paulo post ab insidiis sibi a Duce Suessano paratis intercipitur. Captus authores germanos suos, socioſque ac ordinem statim Duci confitetur. At Cæsar germanus eius frater, qui Cardinali Columnensi adhuc Romæ obsequebatur, vbi hæc resciuit, sibi consulens, fugā maturē arripuit. Suessanus coniuratione accepta, Franciscum cathenis vinctum Neapolim primum, deinde ad Pignatellum in Siciliam deferendum curauit. Franciscus Roma discedens Claudium Imperatorium, ex Ioanne Vincentio fratre nepotem spurium, Panormum ad germanos de sua captura admonendos, & ad vrbem seditionibus commouendam destinat. Claudius rusticum mentitus Panormum secundo

cundo vento nauicula speculatoria quinque dies antequã hæc Pignatellus cognosceret, applicat, capturamq; Francisci Imperatorii auunculis defert. Quo cognito Fridericus & Ioannes Imperatorii, ac cæteri coniurati fugam capessunt. Pignatellus acceptis Suessani Ducis literis, & facinore cognito, Nicolaum Vincentiũ Thesaurariũ, & Franciscũ ipsum Imperatorium Messanam ad se deportari iubet. Qui statim vt appulerunt, rem oẽm & coniuratos indicarũt. Pignatellus mox reliquos, qui iam fuga sibi cõsuluerant, intercipere annititur. Capti omnes præter Pyrrhucium Iuenium, & Hieronymũ Leophantum, coniurationem oẽm vi tormentorũ confessi sunt. Igitur Fridericus Imperatorius, Ioannes Vincentius eius frater, Ioannes Sanctus Philippus, & Iacobus Spatafora, Messanæ. 16. Cal. Iunii anno sal. 1523. parato in area maximi tẽpli theatro, & publicata eorum coniuratione, vltimo supplicio sunt addicti, & mox ad forum. D. Ioannis ducti, suffocati atq; in frusta dissecti sunt. quo die & Vincentius Benedictus ob auxilium quod fugienti Friderico Imperatorio dederat, & Claudius Imperatorius ob delatum auunculis nuntium, exilio apud Xatiuã relegatorum in regno Valentiæ formidatam arcem sunt mulctati. Eodẽ quoq; theatro Nicolaus Vincentius Thesaurarius, Fridericus Cephalæ Dominus, & Franciscus Imperatorius, tametsi capitis pœna dãnati, trucidati tamen non fuerũt, sed eorũ mors ad Cameratæ vsq; Comitis e Neapoli aduentũ dilata est. Interea peste Messanæ sæuiente Pignatellus cũ curia. 8. Cal. Iulii Mylas secedere cogitur. Vbi dum ageret, Fridericus Patella Comes, Neapoli vinctus adductus, etsi facinus primum negauerit, tormentis tamen actus descitioni se & tractatui consensum præbuisse, ac Franciscum Impironem Barcinonensem regis Quæstorem (qui ei in Portulanatus munere, quod Comes exercebat, satis fuerat infestus) Neapoli Romam proficiscentem per Petrum Spataforam & Andream Susinum interfeciſſe affirmauit. Verum cum postea ad supplicium producendus sacramento confessionis auricularis Fratri Ioanni Falco Dominicano, piissimo ac religiosissimo viro, piacula sua de more detegeret, negauit se perduellionis crimini vnquã consensisse: quod etsi tormentorũ vi, quæ sustinere diutius non poterat, lõge a vero ab se excussum diceret, vltimo tamen supplicio æquo iudicio ob patratã a se Francisci Impironis necẽ addictũ fuisse (id Ioanne Comitis iussu Proregi & populo palam, sed frustra enarrante) asseruit. Igitur. 6. id. Iulii eiusdem salutis anni 1523. parato ad forum Mylarum oppidi theatro, Comes morti addictus, sed in theatro postea ante maximum templum capite plexus, & perduellionis pœna dãnatus, in æde. D. Francisci de Paula absque capite tumulatus est. Nicolaus Vincentius Leophantus, & Franciscus Imperatorius laqueo suffocati, & in partes dissecti sunt. At Fridericus Patella Cephalæ Dominus ob inconstantiam verborum, & incertam suæ confessionis fidem, morte eo die non est plexus, sed paulo post tamen apud Pactas vrbem. 18. Calen. Augusti. eiusdem anni, vltimum ipse quoque supplicium pertulit. Quorum omnium capita ad iustitiæ seueritatis exemplar ad verticẽ regiæ Panormitanæ domus a Pignatello laternis affixa, etiam hodie cernere licet, eorum bonis omnibus regi adiudicatis. Interea Pyrrhucius Iuenius, qui intra Francofontinæ arcis latebras Ferdinandi Montecatini vxoris germanæ suæ ope sese decem & octo menses continuerat, cognita tot Procerum cæde, veritus ne & ipse in Pignatelli potestatem veniret, salutem sibi fuga extra Siciliam quærere statuit. Igitur nauem in portu Augustano paratam inscendit: verum ab insidiis paratis exceptus carceri traditur. Capti mox & exilio mulctati Ferdinandus ipse Montecatinus, & Ioannes Baptista Barresius Militelli Dominus Pyrrhucii auunculus, vel ob id quod ei ad fugam auxilio fuerant. Ioannes Baptista vero in arce maritima Panormi morbo præreptus interiit. Pyrrhucius omnibus tormentis actus excruciatusq;, nihil eorum quæ sibi opponebantur confessus, tandem mirante tota Sicilia, ac non modicis eum laudibus efferente, quod solus atque adolescens inter tot regulos perduellionis sibi obiectum crimẽ negauerit, liber dimissus est. Hũc igitur Siciliæ turbines, quos Caroli regis Principatus initiis nostra vidit ætas, finem habuerunt. Sed iam ad Carolum redeo. Qui Isabellam Emanuelis Portugalliæ regis filiam cum duxisset vxorem, ex ea Ferdinandum in cunis præmortuum,

Philip-

Philippum, & Mariam liberos ſuſcepit. Vigeſimum vero attingens annum, in Romanum Imperatorẽ Franciſco Gallorum Rege obſiſtente deligitur: ac primã quidem Imperii coronam Aquiſgrani ſuſcepit: quo tempore maximi quoque in Hiſpania motus emerſerant. Regis nanque abſentis imperio a plebe vniuerſa detrectato, Proceres ſoli Regias tuebantur partes. Quibus ſedatis, Carolus anno ſalutis. 1525. 5. Calend. Martias, ipſo ſuo natali die, Franciſcum Gallorum Regem cum nonnullis Principibus Papiam vrbem magna vi obſidentem, duce Carolo Borbonio (qui a Franciſco Rege deſciuerat) & Ferdinando Auolo Piſcariæ Marchione vicit, cepit, ac captiuum in Hiſpaniam duxit. Anno vero. 1527. pridie nonas Maii, vrbem Romam, ac Clementem ſeptimum Romanum Pont. eius coronationi diutius reluctantem, eodem Borbonio Duce etiam cepit. Eodem anno. 13. Cal. Iunias, Dominico die, Panormi domus Georgii Bracchi, quæ areæ monaſterii Cancellarii imminet, (vbi tum præſente Hectore Pignatello Prorege, Proceribuſq; ac matronis pleriſq;, Eliſabethæ Ioannis Montecatini Siciliæ Iuſtitiarii filiæ, cum Ioanne Vintimilio Geracii Marchione, nuptiæ celebrabantur) aula inſueto multitudinis pondere prægrauata, repente corruens, mulieres ac viros circiter ducentos oppreſſit. Anno deinde. 1528. Lutrechus Franciſci Gallorum regis Præfectus magno ex Gallis, Venetis, Pontificiiſq; exercitu comparato, dura obſidione Neapolim ad mẽſes plurimos cinxit. Verum peſtilenti aere oppreſſus, cum toto ſexaginta milium militum exercitu ibidem periit, vt ne nuntius quidem vllus tanto numero ſuperuixerit. Lutrechio Neapolim adhuc obſidente, Petrus Landus Venetus, qui poſtmodũ Reip. Dux præfuit, cum triremibus viginti ſeptem, atq; vndecim onerariis, Neapoli Auguſtam venit, oppidum occupat, rem omnem frumentariam horreis perfractis, ſoluto egregia fide duorum aureũm in ſalmas ſingulas frumenti pretio, Neapolim aſportat. Carolus ſequenti anno. 1529. a Clemente ſeptimo Ro. Pont. Bononiæ Imperii coronam ſuſcepit. Poſt hæc in Sicilia eodem anno ſalutis 1529. die. 20. mẽſis Iulii, Sigiſmundus Luna, Ioannis Lunæ Calatabellotæ Comitis primogenitus, milite ac vexillis inſtructus, Saccam vrbem contempto Caroli imperio occupat, atque ob priuatas inimicitias Hieronymũ Statellã Catanenſem militiæ Regis Præfectũ, apud Stephanũ Laurum non longe ab æde. S. Cataldi diuerſantem, interficit. mox ædes Iacobi Perolli Portulani veteris arcis monumẽtis impoſitas obſidione quatriduo cingit, expugnat, ac demum diripit & incẽdit, Iacobo ad domum mulierculæ cuiuſdã non longe a porta. S. Eraſmi fugam fruſtra meditãte. Nanq; ab hoſte repertus & captus, miſere trucidatus eſt. Qua deſcitione Carolus in Sigiſmundũ Romã fugiẽtem inuehitur, ac eum perpetuo exilio mulctat. Petrum filium poſt Ioãnis mortẽ, intercedente Clemente ſeptimo Ro. Pont. Comitẽ, patre priuato, declarat: cæteros vero cõiuratos vel capitis pœna vel exilio plectit. Anno poſtea. 1532. Carolus Solymanũ Turcarũ Regem Viennam Auſtriæ vrbem quadringentis & eo amplius armatorũ milibus dure ſecũdo obſidentẽ, exquiſitiſſimis Germanorũ copiis centũ ferme miliũ virorũ numero occurrens, cæſis Turcarum quinquaginta milibus, valde repreſſit. Qua adhuc obſidione perſeuerante, Andreas Aurea claſſis Caroli Præfectus, Coronen Peloponneſi vrbem natura munitam, a Turcis diu occupatam, ex improuiſo adortam paruo negotio cepit: quam tamen non diu poſt pro alterius in Pannonia oppidi commutatione (quanquã Solymanus in fide nõ perſtiterit) Turcis Carolus ipſe reliquit. Solymanus ſub ea tẽpora claſſem ingentẽ, cui Ariadenus Barbaruſſa præerat, contra Tunetum miſit. Ariadenus Byzantio ſoluens, Meſſanæ fretum ingreditur, Calabriæ ac Neapolitanam oram legens littoralia quædam oppida, S. Nucitum, Citrarium, Capreã, Prochytam, Sperlõgam, & Fundos vrbẽ populatur. Pontiã poſtea traiicit, atq; inde celeri curſu Biſertam, & Vticam, & Caput Carthaginis, & Gulettam, ac Tunetum ipſum paruo labore dedẽtibus ſe Tunetenſibus, ac fugato Mulei Aſſen eorum Rege, capit, & Solymani Regis nomine communit, quod eam vrbem Siciliæ atq; Italiæ occupandæ ſatis accommodatam putaret. Quo cognito Carolus vt tanti incẽdii initia extingueret, anno ſalut. 1535. trecentarum & ſexaginta ferme triremium ac onerariarum claſſe Tunetum magna vi aggreſſus, Gulettam prius arcem maritimam,

timam, mox vrbẽ ipsam Barbarussa fugato mense Iulio recepit: eamq; Mulei Assen Sarraceno regi, compositis inter se legibus restituit, Guletta arce a fundamentis instaurata, ac munitissima in præsidium Christianorum reddita sola retenta. Fugatus terrestri itinere Ariadenus, nihilosecius ac si victor inde discederet, inuictũ animum gerens, conscensa duodecim triremium classe, quam ad Hipponam subduxerat, cum reliquiis suis exercitus habitum atque insignia Christianorum mentitus, Minoricam alteram Balearium insulam adnauigat, atque ab omnibus incredibili studio, errore simulatorum insignium fraudeque Punica deceptis, exceptus est: a quo vrbs tota populata, & ciues in captiuitatem abducti sunt. Carolus deinde per duces suos Vticam, Hipponam, Sfacem, & alia littoralia Sarracenorum oppida Tuneto vicina, præter Aphricam vrbem, expugnauit. Per hæc ferme tempora AEtna mons per duos annos igneos globos emisit, & varii sonitus per totam Siciliam exauditi: de quibus exacte superiori decade commemorauimus. Corleonis, ac Caltagironis quoque oppidorum dehiscente terra pars magna corruit. Capto Tuneto Carolus in Siciliam nauigans Drepanum venit. Vbi quatriduo moratus, terrestri itinere Montemregalem petiit. Ibique cum octo circiter dies quieuisset, Idibus Septembris Panormum hora fere. 24. ingressus, templum maximum inuisit, terque ibi priuatas vrbis ac Siciliæ totius leges iureiurando se seruaturum sanctissime de more pollicitus est. Vnde statim egressus, per celeberrimam vrbis viam ad ædes Guilelmi Aiutamechristi hospitio suo paratas regio more accessit. Panormi triginta ferme dies cum fuisset, conuentu cum Proceribus habito, ac nummario munere ab eis persoluto, pridie id. Octobris Thermas primo, ac deinde Politium, Nicosiam, Troynam, mox Randatium, Tauromenium, atq; inde ad Diui Placiti cœnobium venit. Vbi duos dies cum quieuisset, Messanam tãdem ingressus, Regio a Messanensibus honore magnisque muneribus est exceptus. Paucis ibi diebus emensis, ac Ferdinando Gonzaga Siciliæ Prorege cõstituto, Neapolim terrestri itinere pergit, ac triumphantis more in vrbẽ introductus est. Romam inde accessit. Vbi plures dies cum egisset, contra Massiliam Gallorum præsidium mouens, amissa magna corrupti aeris morbo exercitus sui parte, Genuam se recepit. Post hæc anno salut. 1538. Carolus iunctis cum Venetis viribus, instructisque centũ & quadraginta triremibus, onerariisq; octoginta, ac pluribus aliis nauigiis, contra Solymani classem, numero quidem inferiorem, cui Barbarussa præerat, Andrea Aurea præfecto soluit: atque apud Actium Epiri promontorium collatis vtrinque signis infeliciter a nostris pugnatum est. Nam fusa fugataq; Caroli ac Venetorum classe, sex triremes, totidemq; onerariæ milite cõpletæ, immisso igne ab hoste sunt combustæ: reliquæ vero Corcyram trepide appulsæ. Inde vero Caroli classis, Castellum nouum (Solymani Græcum oppidum) adorta per deditionem accepit, tribus veteranorum militum Hispanorum milibus præsidio ibi relictis. Sed eam paulo post mense Augusto Solymanus Duce Barbarussa terra mariq; obsessam, cæsis ad vnum præsidiariis militibus, vi recepit. Anno deinde salut. 1541. mense Octobri Carolus Cęsar cum classe triremium onerariarumque ducentarum ingenti, & vigintiduobus peditum milibus, absque equitatu Genua soluens, Cirtam Numidiæ vrbem (Alzer vulgo hodie dictam) a Turcis Barbarussaq; Ariadeno ad ignominiam Hispanorum Regum in faucibus occupatam detẽtamq;, atq; Hispanicæ oræ infensissimam, nauigat. Ad eius oram appulsus, ac in altissimis asperrimisque montibus vrbique imminentibus collocata prima Hispanorum acie, ne Turcæ inde nostros lædere possent, secunda vero in collibus qui mõtibus subsunt, tertia acies iuxta littus est constituta: atq; exercitu quidem in hunc modum disposito, vrbem Cæsar circumuallatam obsidere pergit. Nãq; ea ab vno latere mari concluſa, in aliis duobus exercitu circumfuso, nullam fere in externis copiis spem habebat. Compulsis igitur in vrbem hostibus, & rebus omnibus prudentissime a Carolo Cæsare comparatis, inclinata die, vigiliisq; dispositis, dum lætitiæ omni sese exercitus daret, antequam e nauibus omnis miles esset emissus, vel cõmeatus ac tormenta ænea in terram exposita, repentina quædã ac plane deploranda calamitas, quæ vitari omnino non potuit, classem nostram inuasit. Imbrium

enim vis vehemẽtissima prima vigilia coorta nullam noctis horam intermisit: quã etiam par ventorũ vis est consecuta. Cumq; militibus nec amictus esset vllus, quo pluuię a se iniuriam propulsarent, nec tentoria, ad quæ profugere possent: factum est vt imbre perpetuo madefactis, assiduoque vento concussis, vires prorsus atque animi deficerent. Eodem quoque tempore supra quam cuiquam credibile est, intumuit mare atque efferbuit: vt multæ naues, quæ sæuitiã ferre non poterant, fractis funibus ancorariis ad littus alliderentur: alię vero fluctibus degrauatę, naufragium ingens non sine hominum cibariorumque iactura fecerint. Illucescente vero venti atq; imbres in tantam sæuitiam creuerunt, vt vix quisquã pedibus cõsistere posset. Turcæ atq; Numidæ occasionem pugnandi neutiquã prętermittunt, sed in acies omnes cõfertim magno agmine irruunt. Igitur venti, hostes, pluuia & mare, nostros durissime exagitabant: terra siquidem infeliciter ab eis pugnatum est, mari vero naues omnes longæ vehementer afflictatæ. Nam vis ventorum ita mare commouerat, vt cũ naues incuteret, neq; ancoræ neq; funes obstarent quominus ad terram magno impetu eiicerentur. quod si quę funium multitudine retinerentur, tãta vi concutiebantur, vt aquis demum completæ obruerentur: ex quibus triremes quatuordecim longo maris conflictu diuulsæ in terram eiectæ sunt. Porro Turcæ ad littus magno numero cõuenerunt, vt quos fortuna in terram exportaret, eos ibidem opprimerẽt: adeo vt ad littus ne eiici, an submergi præstaret, incertum fuerit. Itaque naufragium factum est insignius. Nam ex hac tempestate centũ triginta naues desideratæ sunt, & cum nauibus magna frumenti, farinæ, panis, leguminum, vini, olei, carnium sale conditarum, ac totius rei penuariæ copia, tormentorumque quæ vel ad nauale præsidium, vel ad vrbis oppugnationem cõportabatur, amissa est. Milites triduo inedia atque imbribus madefacti, exhausti viribus exanimatique passim corruebant: quanquã terra adeo cœnosa erat, vt neque in ea recumbi, neq; commode quoque incedi posset. quo tempore ob cõmeatus defectum, qui tempestatis causa e nauibus exportari nequibat, equis (quos iam ante in littus exposuerant) interfectis milites sunt refecti. At cum Turcæ agmen tormentis ex vrbe infestarent, eorum aliquot quibus cum Cæsar verba faciebat, quosq; adhortabatur, sustulerunt. Interim Cæsar neq; vllum timoris signum edidit, neque orationem suam intermisit, aut vultum mutauit: sed ea animi fortitudine ac præsentia, qua in maxima tranquillitate vsus fuerat, quo cæteris metum adimeret, omnem fortunæ iniuriam tolerauit. Atque ita Deus Sarracenis tum fauere est visus, vt propter iuges pluuias, vimque tempestatis ac procellarum ingentem, nostrorũ naues annona onustæ, & maxima hominũ multitudo tempestate interierint. Reliqui autem iumentis equisque, ac cæteris animalibus, quæ noua fœdaque in eorum vsum necessitas vertit, absumptis, virgulta postremo ac stirpes, & internatas saxis herbas vellentes, miseriarum & patientiæ ostenderunt documenta. Carolus Cæsar vnus omnium aduersus omnem sæuientis fortunæ vim animo inuictus, sibi atque aliis eo die summus fuit Imperator: qui desperatis ac perditis prope rebus opem non paruam attulit, eaque demum causa vrbem eo tempore aggredi non est ausus, sed in sequentem æstatem oppugnationem differens, qui ex naufragio superfuerunt, aliis alio concedentibus, in Hispaniam ipse contendit. Sed antequam solueret, dum Bugiæ animi angore premeretur, trium dierum supplicatione decreta, expiatisque confessione peccatis, panem sacrum religiosissime edidit: quem omnes aulici imitati, iram Dei deprecati sunt. Hoc naufragio periere milites ad decem milia, classis tota ferme disiecta, præter paucas onerarias, & triremes circiter quadraginta. Carolus sequenti anno in Germaniam profectus, Durim in Sicambris vrbem magna vi cepit: ac deinde contra Lutheranos cum Paulo tertio Romano Pont. Tridenti synodum indixit. Nec diu post Germanos Principes ac populos, qui a se desciuerant, sæuiente hyeme magnis instructus copiis, Henrico Saxoniæ, & Mauritio Ducibus, atque Lantgrauio Hessiæ illorum capitibus captis, Germaniam ipsam totam perdomuit: quod nulli antea Principi aut Imperatori contigisse hominum memoriæ proditum est. Eodem ferme tempore anno salutis. 1542. quarto idus Decembris, hora. 23. terræmotus ingens totam Sici-

Siciliam, ſed eam præcipue partem quam Neeti regionem vocant, concuſſit. Syracuſæ nanque vrbs tota propemodum quaſſata eſt: Epiſcopale palatium concuſſum: campanariæ turris, quæ ſuper maximum templum erecta eſt, pars ea quæ Leontino aduentantibus prima ſeſe offerebat, quæque reliqua etiã & tota ipſa vrbe celſior erat, ad verticem vſque eſt diruta: quæ ab incolis paulo poſt inſtaurata eſt, vt eius inſcriptio indicat. Domus item plurimæ in tota vrbe, & in ea præſertim regione quæ a turri Maniacis nomen habet, & in Melphitanorum vico, ſunt proſciſſæ. Arcis Maryhetti, quæ ad iſthmum ſita eſt, parietes prope omnes ſunt diſiecti. Arx etiam Caſanoua dicta tota quaſſata. Arethuſa fons, & vrbis putei, aquas plus ſolito ſalſas diebus aliquot emiſerunt. Sortini oppidi arx ex improuiſo corruens, Beatricem oppidi Dominam, & Guidonem filiorum eius natu maximum, cũ pluribus aliis miſere oppreſſit: nec niſi poſt aliquot dies eorum cadauera ſub lapidum congerie excauata reperta ſunt. Marius Aiutus Sortinenſis ſub tanta ruinæ mole, trabium quarundam veluti crate obtectus, toto corpore fracto, ſolus inter tot cadauera viuus poſt triduum eſt repertus. Menæi oppidi arx ſimul & ædes cõplures diſciſſæ ſunt. Bizinis etiam oppidi arx tota, & Licodiæ arcis pars editior corruit. Milillis oppidulum omne prope funditus deletum: nec minus Ochula aliud oppidulum. Leontinum vrbs maxima ſui parte proſtratum. Tota nanque ea regio quam Caſtellum nouum appellant, arce ac cæteris ædibus priuatis diſiectis, ſolo æquata eſt. Altera quoque regio Tyronis nomen habens, cum ſuprema Triquetræ arcis parte euerſa: cæteræ præterea vrbis partes, celſiores præſertim, ruinam maximam paſſę ſunt. itemque Catana, Auguſta, Neetum, Caltagironum, Militellum, atque alia his vicina ad triginta oppida, ſciſſis muris, acclinatiſq; parietibus ſunt labefactata. Panormus ac Drepanũ, & plura alia in regione Mazaræ oppida, nonnihil ſunt conuulſa. Poſt hæc anno ſalutis. 1544. Franciſcus Gallorum Rex, cum eo tempore & in Hiſpaniæ, & Flandriæ finibus, atq; Inſubria bello Carolum premeret, conſpiceretq; ſe Carolo claſſe multo inferiorem, a rege Turcarum auxilia petens, fœdus cum eo contra Carolum iniit, impieq; Turcas ad communem Chriſtiani nominis perniciem euocauit, ſeq; hoſtem non iam obſcure, ſed aperte Chriſtianæ religionis pronuntiat. Igitur Solymãnus Turcarum rex centum quinquaginta triremium claſſem Franciſco Byzantio auxiliarem mittit, cui Ariadenus Barbaruſſa præerat. Is fretum Meſſanæ ingreſſus, Rhegium vrbem ab oppidanis metu perculſis deſertam incendit, diuorũ imaginibus fœde prophanatis, mortuorum cadaueribus e ſepulchris ad aurum perquirendũ extractis, arceq; obſeſſis per deditionem libertate donatis accepta. Subinde Maſſiliam verſus nauigans per annum in Tolonis portu conſtitit, & inde Niceam oppidum a Maſſilienſibus olim in littore conditum præter arcem expugnat, diripit atque incendit. Sub idem tempus, quo Ariadenus legendo Italiæ oram Francorum regi præſidio erat, Mulei Aſſen rex Tunetanus, quem ſupra regno a Carolo reſtitutum memorauimus, in Siciliam traiecit, eo animo vt Carolum ab Hiſpania Genuam aduenientem conueniret. Panormi regio honore ad ædes Aiutamechriſti ciuiũ munificentia exceptus, Neapolim inde nauigat, ibidemq; a Carolo Cæſare ſubſiſtere iuſſus eſt. Vbi dum moraretur, per certum nuntium ex Africa veniẽtem didicit Ameth filium ſimulata patris morte, quam Chriſtianorum lauacrum præceſſiſſet, regnum Tunetanũ inuaſiſſe, arcemque occupáſſe. Quibus cognitis extemplo in Africã Hiſpanis militibus, Neapolitaniſq; exulibus pecunia conductis inſtructus traiicit, atq; explicatis vexillis Tunetum iter intendit. Vbi infeliciter pugnans, in facie ictus captuſque ab Ameth filio lumine priuatus eſt. Atq; inde diffugiẽs Gulettam primum, ac mox Panormum iuſſu Caroli ſuo ſumptu alendus traiecit. Romam poſtea profectus eſt, vnde rurſus Panormum venit. a quo plura de eius progenie didicimus, quæ ab annalibus Maomethanis a vero quam longiſſime diſſita poſtea comperimus, in primisq; illud quod eius ſtirps per nongentos circiter annos Tuneti non interciſa regnauerit: cum per annales Sarracenorum, Tunetum Regni titulum quingeteſimo ferme ab hinc anno, & rerum incrementa ſuſcepiſſe, liquido conſtet. In Africam poſtmodum Aſſen rediẽs fato functus eſt. Sed ad Barbaruſſam redeo. qui

e Tolone Constantinopolim regressurus, Neapolitanam oram atque Isclam populatur. Subinde Liparam insulam ad expugnãdam Calend. Iun. nauigat. Liparẽses cognito Turcicæ classis appulsu, vrbis mœnia curare, custodes apponere, tormenta ænea, ac sulphureum puluerem, & cætera omnia quæ ad obsidionem tolerandam necessaria sunt, parare pergunt, freti præsertim vrbis situ. Lipara etenim vrbs in parte insulæ quæ oriẽtem respicit, summo in colle vndiq; prærupto octingentos ferme passus in ambitu habente, cuius radices maris fluctibus alluuntur, sita est. Collis vnicum habet accessum, quem pauci custodire possunt. Quod si mœnia in vniuersum solo æquarentur, nihilominus naturæ munimentis esset circumseptus. Ad radices collis, qua occidentem spectat, suburbium in planicie frequens ac celebre habet. Liparenses igitur suburbium deserunt, & in vrbem omnes sese recipiunt. Atq; in oppido quidem hęc gerebantur. Interea Barbarussa portum ingreditur, oppidum obsidet. Liparenses per nuntium, vt de deditione cum eis agat, appellat. Quibus rem detrectantibus, machinas, tormenta ænea, cæteraque ad vrbis excidium opportuna, ac positis tentoriis militem omnem in terram exponit. Locum castris aggeribus excitatis ad oppugnandam vrbem iuxta templum. D. Bartholomæo sacrum nactus est aptissimum. Deinde paratis rebus, quid quisq; cumret, singulis imperat: ac demum dato signo missilibus ac bombardis vrbem summo labore triduum lacessendo oppugnat. Oppidani mœnia haud impigre tutantur: sed vi maxima obsistunt. Interea dum Lipara obsidetur, triginta Turcarum triremes Pactas in Sicilia vrbem aquatum veniunt, & populatam prius vrbem totã incendunt. Liparenses interim animo deiecti pro deditione quatuor legatos ad Barbarussam mittunt. Sed cum ille centum aureorum milia posceret, recusantibus, Barbarussa machinamentis omnibus admotis, cum genus oppugnationis nullum prætermitteret, vrbem maxima vi infestabat. neque enim decorum sibi aut honorificum inde discedere fore arbitrabatur, nisi vrbem expugnaret, quæ semel obstitisset. Liparenses quoq; audacter suis hostibus obsistebant, vniuersi cum liberis & coniugibus vrbem e mœnibus & propugnaculis defendebant: nec erat tam inutilis ætas, quæ pugnare pro patria recusaret. Grauis igitur oppugnatio: grauissima ac pertinacissima propugnatio. Obsessi vnica spe freti, nimirum vrbis situ, animo erigebantur: quo ad multos dies se remorari posse hostium impetum confidebant. Quam ob rem Barbarussa indignissime ferens paruum oppidũ spe subsidii vndique destitutum classi Othomannicæ, cuius ipse Præfectus esset, obstare, gloriamque ab eo inuicti nominis quærere, oppidum maiori nisu cum Turcis premunt, vrgent, comminus eminusque exterrent, spatium respirandi, animosque plane colligendi quanquam labore fessi adimunt: muros hinc tormẽtis quassare, deiicere, sternere: illinc præsenti audacia, scalis, ascensu, immemores vulnerum, obliti periculorum, mortis contemptores, omnino euadere contendunt. Vix decimus obsidionis dies pertinaciæ finem dedit: quem certe non dedisset, si Petrus Toletanus Neapolitanus Prorex, cuius regimini Lipara suberat, optimo milite & armis vrbem præmunisset. Neque dubium erat quin sequẽti die pari conatu oppugnatio repeteretur: cui cum se oppidani impares sentirent, expugnato deterrimum oppido a nullo temperatum iri, cæsis puberibus, impuberibus, viris, fœminisque, iudicabant. Inter hæc muri pars bombardis hostium euertitur, collis pars altera subruitur, & ciues vulnerati sunt plurimi. Erat in vrbe Iacobus Camagna vir nautica arte & authoritate præcipuus. Is cum funestum patriæ statum, atque in summo discrimine res versari cerneret, neque ciues suppetias sperare, neque nuntium literasque mittere neque recipere posse, circumsidentibus terra marique, ac omnia custodiẽtibus & explorantib. Turcis, fessosq; iam suos, audentiores vero hostes conspiceret, Barbarussæq; amicus vel ob id esset quod, vt tuto cum sua rate nauigare posset, a rege Turcarum literas, quibus tutus a piratis Turcis redderetur, impetrauerat, concionem de vrbe dedenda ad populum habuit. Liparenses in partes rapiebantur varias. Erant enim non pauci ex inquieta ferocique iuuentute, qui nullo pacto adduci ad deditionẽ poterant, sed mori satius quã in manus Turcarũ venire iudicabant. Demũ suadente metu ad deditionẽ inclinantur. Camagna igitur

igitur secreto cũ Barbarussa colloquitur, deditionisq; formulam facit, cũque ex pacto sexaginta ciuibus cum omni supellectili abire permissum esset, vndecimo obsidionis die vrbem Barbarussæ tradidit. Nec defuere qui Camagnæ patriæ proditionem impingerent: cuius hæc prodebantur indicia: vetusta eius cum Barbarussa necessitudo, seorsum sæpe repetita cum hoste collocutio, & sui suorũq; liberatio. Porro Barbarussa, Dei hominumq; iuxta contemptor, vrbem ad diripiendum militibus concessit. Turcæ igitur ingressi vrbẽ, Liparensiũ bona diripiunt, omnia profanant: in tẽplo maximo Diuorũ imagines abradunt, Iesu Christi crucifixi humani generis Seruatoris statuã luto cœnoq; conspersam proiiciũt, ciues oẽs iniuria contumeliisq; affectos ad naues seruos deducunt. Virorum itaq; ac mulierum circiter octo miliũ præda Byzantium transuecta, vrbem Liparã pluribus diebus incendũt, incensamq; deserunt. Sed Carolus Cæsar eo Hispanorum missa colonia oppidum (suburbio solo penitus adæquato) instaurans, rursus cultum munitumq; reddidit. Barbarussa victor Lipara discedens, animoq; erectus fretum ingressus ad Catunæ littora milites exponit: qui mediterranea ad. p. m. quindecim ingressi multa Calabrorum milia capiunt. Qui ad naues reuersi, Rhegiumq; regressi, quod supererat, igne absumunt, ac Cõstantinopolim redeunt. Anno deinde. 1549. Drahuttus Sarracenus pirata multis in nostros maleficiis clarus, cũ Aphricam vrbem Mahdiam a Sarracenis vocatã sibi auspiciis Solymanni regis occupasset, vt inde Siciliam excursionibus vexare posset: Carolus Cæsar anno postea. 1550. Duce Ioanne Vega Hispano Siciliæ Prorege, & Andrea Aurea Genuensi classis Præfecto, eam fugato Archipirata magna vi expugnatam suo adiecit imperio. Quã deinde anno. 1554. Iulio mense ob frequentes Hispanorum militum, qui contra Sarracenos ibi in præsidiis erant seditiones, & incertam gentis fidẽ, veritus ne illorum incõstantia rursum in Turcarum potestatem oppidũ relaberetur, funditus deleuit. Solymãnus, qui per ea tẽpora quinq; annorũ inducias cũ Carolo Cæsare pepigerat, Mahdia amissa, occasione hinc fœderis rumpendi contra Carolũ sumpta, classem centũ quinquaginta ferme triremiũ anno sal. 1551. parat, militeq; delecto instruit, eiq; Senen Bassa Duce præfecto in Siciliã mittit. Classis fretum Messanæ ingressa ad fossam. S. Ioãnis (quæ quidem. p. m. 8. a Rhegio distat) constitit, ac per internuntiũ a Ioanne Vega Messanę tum agente Mahdiam induciarũ tempore captã sibi restitui postulauit. Cui cum Ioannes eã vrbẽ in pacto Caroli fœdere haud contineri, vt pote nõ a Solymanno, sed a Drahuto pirata omnia deuastante occupatã respõdisset, Senẽ prætextu rupti fœderis Catanam vrbẽ oppugnaturus, indignabundus a littore soluit. At ventorũ impulsu Catanã præternauigans Augustam oppidũ viris desertũ incẽdit, arcemq; infirmo præsidio nostrorũ incuria munitam capit ac diripit. Melitam postea nauigans nouã Ioannitarũ vrbẽ & arcem octo diebus frustra obsidet: mox aruis omnibus, vinetis, oliuetis, ac pagis veteris vrbis incendio fœdatis, Gaulõ (quã Gozũ vulgo appellãt) vicinam insulã adoritur, eamq; triduum acerrime oppugnat, arceq; tormentorũ vi disiecta per deditionẽ accipit. Indeq; quatuor ferme hominũ milium promiscui sexus præda abducta, cõbustoq; oppido discedẽs, Tripolim (quã etiã Ioãnitæ tenebãt) nonis Augusti petit, excitatoq; ab occidẽti aggere arcem tormentis oppugnare cœpit. Sed cũ ea parte munitissima esset, irritos Turcarũ oẽs conatus reddebat. Erat in arce ianitor quidã Francus genere, qui duobus ante annis cũ Amuraga Sarraceno Taiuræ domino clam fœdus pepigerat. Is arce noctu egressus, Turcas, vt eã ab oriẽte, qua immunita erat, oppugnẽt, admonet. Turcæ eã aggressi, magna vi tormentis cõcutiunt. Gaspar Iãbalis, genere & ipse Frãcus, arcis Præfectus, auaritia atq; perfidia extrema insignis, oratorũ Henrici Francorũ regis suasu, qui cũ Turcis erant, ducentis secũ libertate donatis, 18. Cal. Septemb. arcem Turcis militibus prodidit. Ita pudenda deditione tradita Tripoli, quadringentisq; trucidatis Hispanis, Ioãnitæ, & qui arci pręerãt, triremi Turcica Melitã sunt dimissi. Vbi statim Gaspar ipse a magno Ioannitarũ Magistro ob sacrilegũ facinus & proditionẽ in tetrũ carcerẽ est coniectus. Anno deinde sal. 1552. mẽse Iulio Solymãnus classem centũ viginti triremiũ, cui Rustanus Bassa pręerat, Hẽrico Francorũ regi ad Neapolim sibi, si quo modo posset, subigendã auxiliarẽ misit. Fretũ igitur in-

greſſa turrim Phaream, & ædem. D. Mariæ a Grutta incendit: cæteram populatu-
rus oram, ni Antonius Amodeus Panormitanus, Baro Vallis longæ, cum equitatu
eidem occurrens obſtitiſſet. Oram deinde Calabriæ, Rhegium, Scaliam, Polyca-
ſtrum, Piſſotum, Prochytam inſulam, Molam, Traiectum, & pleraque alia oppida
populata, incendio quoque abſumpſit. Tum deinde ad Pontiam inſulam Turcæ
milites conſtiterunt, præſtolantes quorſum Ferdinandi Sanſeuerini Salernitani
Principis, qui a Carolo Cæſare iam deſciuerat, & Neapolim ad certam diem Fran-
corum Regi tradere cum coniuratis conſtituerat, cõſilia euaderent. Interea An-
dreas Aurea Caroli Cæſaris Præfectus quadraginta cum triremibus, & quatuor
Teutonicorum milibus Genua ſoluens, hiſce motibus occurſurus Neapolim na-
uigat. Cũque ad Pontiam inſulam appropinquaret, cognita ac temere ſpreta Tur-
carum claſſe, inter centum & viginti hoſtium triremes extrema ſenectute cũ qua-
draginta triremibus nauigare auſus, ſeptem triremes Teutonicis militibus cõple-
tas amiſit, cæteris in fugam verſis: quarum duæ ſalutem quærentes Panormum ſe-
ptimo die Auguſti applicuerunt. Interea Neapolitana coniuratione per Cæſa-
rem Morminum, qui coniuratorum vnus ferebatur, Carolo Cæſari detecta, Tur-
cica claſſis domum eſt reuerſa. Quo cognito Salernitanus Princeps triginta cum
triremibus Francis Conſtantinopolim ad ſolicitandum claſſis eius in Italiam redi-
tũ nauigat. Vbi toto ferme anno conſumpto tandẽ anno ſalut. 1553. cum claſſe Tur-
cica octuaginta ferme triremium numero, quibus Drahuttus præerat, reuerſus in
Siciliam venit: atq; ex improuiſo Alicatam vrbem cũ Turcis aggreſſus expugna-
uit, diripuit, & templis omnibus ac ædibus fœde combuſtis, celerrimo curſu Saccã
populaturus perrexit. Ad cuius littus quinque ferme horas moratus, arte & ſtrata-
gemate Antonii Amodei Vallis longæ Baronis, (cuius ſupra meminimus) militiæ
Præfecti, fœde inde diſcedere compulſus eſt. Nam etſi vrbs immunita eſſet, ac viris
deſerta, Amodeus tamen patefactis vrbis portis, & Caroli Cæſaris per murorum
pinnacula pluribus erectis inſignibus, ac tympanis per vicos ſonantibus, vt omni
metu ſolutus videretur, & cum paucis, quos ſecum habebat, equitibus extra mœ-
nia egreſſus, per condenſas oliuarum arbores hoſtibus ſe ea parte oſtentabat, quo
militiæ equitatum peditatumque ingentem ibi adeſſe hoſtibus perſuaderet. Quo
oſtento territi Turcæ, intentata intactaque vrbe diſceſſerunt, atque ad Bilicim fl.
aquatum venerunt. Mox recto curſu Pantallariam inſulam profecti, oppidũ &
arcem ceperunt, atque rerum omnium milleque hominum præda capta Allerdã
Italiæ inſulam inde nauigant. Vbi captis mille fere hominibus vicatim habitanti-
bus, Portum ferratum fruſtra plures dies obſident & oppugnant. Corſicam inſu-
lam, quæ Genuenſium erat ditionis, nil tale metuentem ſubinde aggreſſi, eam ca-
pto per deditionem Bonifacio oppido in præciſa admodum rupe ſito natura mu-
nitiſſimo, & totius gentis capite, Francorum Regi ſubiiciunt. Capta Corſica claſ-
ſis Turcica menſe Octob. per fretum Meſſanæ Conſtantinopolim, vnde venerat,
rediit. Poſt hæc Carolus Cæſar tot rebus egregie geſtis, ac victoriis ingentibus,
quæ raro aut nulli Rom. Principi antea obtigerunt, perpetuo factus inſignis, annũ
agens 56. atrabili oppreſſus, morboque prægrauante cum minus ad imperandum
eſſet idoneus, anno ſalutis. 1556. menſe Ianuario, regnis omnibus ſe abdicat, eaque
Philippo filio Anglorum Regi, 30. tum annos nato, viro & pace & bello
illuſtri, renuntiat: atque in Hiſpaniam reuerſus, inter
religioſos viros cœlibem vi-
tam ducit.

THOMÆ FAZELLI DE REBVS
Siculis poſterioris decadis finis.

ELI-

ELISABELLAE GONSAGAE MVLFETTANORVM PRINCIPI,

Cl. Marius Aretius.

QVum diu cogitassem, prudentissima princeps, tot populos, tot ciuitates, tot denique huius insulæ Siciliæ oppida, quæ toti fere terrarum orbi ornamento fuere, temporum varietate, atq; belligerantium sæuitia, tum deleta, nouaq; erecta, tum etiam quæ cum priscis illis haud faciũt, mutata nomina: mœrore quodam, ac potius pietate adfectus tãdiu steti, donec amicorum multi, qui meorum studiorum erant conscii, aliquid de Sicilia scriberem, persuaserint. Quare eius situm, primordia, & conditores; rursus & clades, perstrictiore stylo memoriæ commendare decreuimus. Quippe si aliquando nitendum, pro patria potissimum: pro qua labores iucundi, morsq; vita futura est, & his præsertim qui virtutis studio moti, vitam non modo viui honestam, verum & post mortem monimentis literarum assequi cupiunt, nitendum est. Cæterum id vbi deliberatum, prolatumq; opus in lucem, haud cui dedicarem diu cogitaui. Tibi enim, quæ splendidis natalibus orta, cuius forma insignis, & florentissima ætas, animi constantia & moderatio maxima, vni duntaxat inscribendum succurrit. præsertim quod nostra respublica Ferrando Gonsagæ coniugi tuo omni virtute, omnique militari disciplina prædito, domi a Diuo Carolo quinto Cæsare, post captum Tuneta, regenda ac gubernanda, quæq; militiæ quoque gerenda forent, tradita sunt: vt Siculis omnes sub tanto duce, optima disciplina vbi instituti, Turcarum tyranni, si quæ paratæ, reiiciantur insidiæ. Superest demum vt tu, quæ maximis quibusque rebus digna es, tenue opus, nec candidum quidem politũque, tanto tuo nomini dicari permittas. Nam si permittes, vbi naturæ deerit beneficium, ibi grauitas, atque tui nominis aderit autoritas. Vale.

ELISABELLÆ
SINGVLARIS EXEMPLI PRVDENTIÆ ET PVDICITIÆ PVELLÆ,
FERRANDI GONSAGÆ MVLFETTANORVM PRINCIPIS, SICILIÆ PROREGIS, ET EXERCITVS IMPERATORIS STRENVI
CONIVGI, PERPETVÆ SECVRITATIS PIGNORI,
S. P. Q. MAMERTINVS F.

Cum ingressa est Messanam, in quodam arcu.

CL. MARII ARETII

VIRI PATRICII SYRACVSANI,

DE SITV INSVLÆ SICILIÆ LIBELLVS.

SITVM insulæ Siciliæ scripturus, oppidorum ac ciuitatum quæ a Sicanis & Siculis primis conditoribus constructæ, licet cæteras antiquitate præcedant, eo quod aliquid haud reperitur monimenti (nullus enim illis esset, scribendi vsus) quo rerum gestarum memoria superne, eorumque successoribus, Polybium, Thucydidē, & Strabonem imitatus, qui hoc ordine de Sicilia plura memoriæ commendarunt. Sicilia insula Scyllæo freto, Siculo pelago, Africa etiã, ac Tyrrheno clauditur. Eius tria promontoria, quibus Trinacria & Triquetra appellata. Pelorus vnum, ad Italiam & aquilonem vergens, contra Scyllam, decē miliaribus ab Messana distat, a Peloro Annibalis nauis gubernatore, nomen sortitum: qui eo delatus, dum inuium pelagus, seseque delusum putaret, ilium interfeciſſe fertur. Est in promontorio turris recens, non quod maris defendat angustias, sed procul venientibus, qua transeant, vadū ostendat. Scylla scopulus in continenti, vbi oppidum Scyglum, Scyllæum a Plinio adpellatum. Charybdis vorticosum mare, Galofarus, quasi Calofaros, a nostris nūcupatū. Ibi enim faces noctu accenduntur, nautis portum petentibus signum. Vorticibus terra ipsa, qua Messanæ portus efficitur, (Brachium sancti Rainerii hodie) resistit. Vtrunque nauigiis exitio. Mulieres has & meretrices fingunt, in monstra canesque marinos versas, quorum audiri latratus, ac morsibus attrahi naues. Alteri Pachynus ab aeris crassitudine nomen, nunc Caput Passarum, a Pachyno ipso deductum nomen. (omne promontorium Caput nautæ vocāt) Cuius duo sunt, ad ortum vnum, alterū quod ad austrū spectat. Pachyni inter vtrunque portus. Ad meridiē Odyssiā, siue Vlyssiam Ptolemæus collocat: Cicero Odyssæ portum, nos Portum de Palis vocamus. Tertium est Lilybæum, Africæ & Libyæ oppositum, a puteo cui nomen tunc Lilybæo: nostra ætate Caput Boei, pro Lilybæi, dicunt: centum miliaria non amplius, a Mercurii promontorio, haud longe a Carthagine ad orientem, quod hodie Caput Bonum nominant, remotum: Strabo licet, & cum eo Plinius, aliter sentiant. Memoriæ proditum, quēdam e specula prospicientem, naues Carthaginis portu egredientes Lilybætanis renunciasse. Strabo a Peloro ad Cumas tractum esse igneum tradit. Trinacria igitur sub quarto sita climate, vt continens primum, ita maris dein auulsa impetu, insula facta: ac in valles tris a nostris discreta, singulæ singulum adsignantibus promontorium. Nemorum vna, quorum plena: quæ Pelorum complectitur. Altera Noti vallis, frumentariis tum campis, tum nemoribus læta, pecorūque fœcunda, Pachynum continet. Tertia Mazaræ frugiferarum arborum prope impatiens, messibus armentisque abundans, Lilybæum sibi vendicauit promontorium. Ambitus haud indiligenter facta mensione, sexcentis ac sexdecim miliaribus definitur: a Peloro ad Pachynum centum quinquaginta: hinc ducentis & quatuor ad Lilybæum: rursum ad Pelorum ducentis sexaginta duobus. Fretum, quo a continenti diuisa, quodque super nantem bouem Herculem transiisse in fabulis scripsit Diodorus, tribus fere milibus passuum, a turri quam supra diximus, ad scopulum Scyllæ, continetur. Latera duo concaua, tertium autem a Lilybæo ad Pelorum proueniens, quod cæteris est maius, curuū. Prima omnium Romanorum prouincia Sicilia, ac cella penuaria, Romanæq; plebis

bis nutrix. Populi omnes (præter paucos, qui paruos vicos habitant, & in Valle Mazaræ potissimum, Græco adhuc sermone vtentes) lingua, moribus & institutis hodie non differunt: apud veteres suæ cuiusque ciuitatis legibus agebantur. Verum qui primum eam incoluissent, nemini compertum. Cyclopes ipsos (hi fabricam ferream, vt autor est Plinius, inuenerunt) & Lestrygones indigenas tradunt, minimeque aliarum gentium aduentibus & hospitiis mixtos, AEtnam eiusq; cãpos habitasse. Omnes enim qui succedere, classibus aduectos, multi probant. Horum autem nulla memoria, liber nullus est, qui doceat originem, nisi quod his mõstris Siciliam detentam crudelissimis, carnemque edentibus humanam, memorãt. Cyclopes a rotundo oculo, a latrociniis dicti sunt Lestrygones. Eorum campi (vt apud Strabonem legimus) inter Catinã & Leontinum a pelago surgentes. Post hos AEolum, atque OEnopionem Orionis patrem, in Sicilia regnasse, pariter & Italũ, de cuius nomine Italiam dici fabulosis prædicãt narrationibus. At Sicanos (quorũ Rex Sicanus Cereris coniunx) Hispaniæ citerioris populos (ii Sicorim amnem, a quo nominantur, nũc Sergã, iuxta Ilerdam tenẽt) suis sedibus extorres, inq; Siciliã adpulsos, terram aspectu pulchram, salubrem cœlo, felicem ac cultu fœcundã, primos omnium inhabitasse constat: eamq; potissimum partem quæ ad occasum pertinet: nomẽq; illi Sicaniæ indidisse. Item Troianorum multi post captam Troiam, vbi nauibus illuc profugi deuenere, dictique Elymi, loca iuxta Sicanorum fines, nullis positis ædificiis insidentes, Erycem & Egestam statuere ciuitates. Phocenses quibus adcessere, Libyam primum, mox in Siciliam delati. Eryx in montis vertice (Montem sancti Iuliani hodie vocant) Drepanum prospicientis, per id tempus ab Troianis, qui Ilio euerso in Sicilia suas fixerunt sedes, conditur. Fabulæ ab Eryce Veneris filio conditore, qui ibi fanum, quod toto fere orbe veneratione ac mulierum frequentia notissimum fuit, faciendum matrique dicandum curasset, eam dici fingunt. Fani ædificium Romam ante portam Collinam transuectum, vocatũq; Veneris Erucinæ templum, porta a sale hodie Salaria nominatur. Horum quoque Egesta, siue Segesta, Troianorum ædificium, sicuti Eryx: & quod a comitibus Amphilochi erectũ, fabulosum puto, Ciceronis accedens opinioni, qui in Verrem, Segestam peruetus oppidum, AEneam a Troia fugientem, atque in hæc loca venientem, condidisse ait. Quod cum maritimum, nec procul ab Eryce ad mare Tyrrhenum, Diodorus & Thucydides collocassent, id esse credimus quod dirutũ penitus, Conterrana vocitatur. Ad lęuam hodie diui Viti fanum in scopulo quotidianis miraculis insigne. quo mortales confugiunt, canum rabiosorum morsibus adcepto vulnere, mortis periculũ euasuri. In dextro littore Segestanorum celebre emporium, quod Strabo triginta a Panhormo miliaribus disiunxit, falcato sinu inflectitur: Castrum ad mare de Gulfo hodie vocatum. Erat Segestæ ex ære simulachrum Dianæ, tum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Cuius in basi P. Scipionis Africani nomen incisum, virtutis & victoriæ monumentum. Quod dum C. Verris ministris exportaretur, Segestanas matronas & virgines omnes magno cum luctu & gemitu, multis cum lachrymis & lamentationibus conuenisse constat, thure odoribusque incensis vsque ad agri fines prosecutas esse. AEmilio Censorino Segestanorum tyranno Aruntius quidam, Paterculus nomine, equum ex ære factum, in quo cruciandi includerentur, obtulit: qui ab ipso tyranno in æreum iniectus equum, periit. hæc Plutarchus in Parallelis apud Aristidẽ se legisse ait. Iuxta emporiũ de quo diximus, fluuius in proximum Tyrrhenum mare effunditur: quo riuus calidus propè oppidum ruinis adfectum, Calatamet nunc dictum, vbi thermæ sunt, hauritur. Fluuium Bethim, oppidum Scheram antiquitus appellari coniectura docet. Calatafimis supra fluuium ad orientem oppidum, recens nomen, vt reor. Quo haud procul Cereris templum, cui stantibus columnis, parietes omnes desiderantur, Ceretisque nomen hodie. Mons Bonifati (vulgo Bonifacii) oppido imminet: in vertice vrbs est diruta, quæ an sit Acesta (Acestienses siquidem populos Caius Plinius citat) dicere quis posset? Quis Alcamenis vicinum oppidum cõdiderit, nisi velimus ab Alcamo Thrace, qui (vt Dares Phrygius scripsit) Priamo auxilio venerat, conditum,

ditum, incertum omnino est. Nec de Corilione, seu Coriglone, atq; Partanna oppidis (nisi pars Ennæ, quasi statutum esset ab Ennensibus, sit legendum) aliqua sit coniectura. Aliquot deinde post annis Siculi, qui Latium insederunt, duce Siculo, quum domi potētes essent, virtute ac militari disciplina cæteris omnib. præstarent, forti cum manu in Siciliam traiecere, pro certo habentes facile fore totius insulæ imperio potiri. Dionysius tamen Halicarnaseus fugam his causam aduentus fuisse autumat. Qui quibus præliis, quo ve labore voti cōpotes, nec vnquam memini me legere. omnes etenim quorum de Sicilia aliquid scripti relictum est, a Siculis Siciliam occupatam, Sicanis prælio victis, atque ad eam remissis partem quæ ad meridiem & occasum pertinet, eorumque ante Græcorū aduentum annis prope trecentis fuisse, proque Sicania Siciliam appellasse, tantum protulerunt. Siculos eam plagam mediterraneam vbi Centuripis est (Trinacini quibus vicini, & genere cognati) occupantes, quamuis ob temporum hominumque ignauiam, quæ & quando, omnes (vt ante dictum) lateat, oppida tamen & vrbes statuisse, verissimo constat argumento. Nam a successoribus non condita quidem, sed his pulsis eorum oppida detenta, Polybius & Thucydides testimonio sunt. Græci postmodum nauibus profecti, omissa protinus deinde nauigatione (vt iidem autores scripsere) Motyam, Soloentem, & Panhormum vrbes Elymorum finitimas construūt, eorum freti societate. Igitur Motya ab his conditur, quæ vbi loci fuerit, argumento & coniectura vtentibus tantummodo constat. Porro inter Pachynum & Lilybæum parum a mari distat Modica (Motucam quod Ptolemæus vocat) oppidum nostra ætate haud quidē ignobile. Item alterum in media fere Sicilia euersum penitus, hodie Moxinis: quorum neutrum (quum Diodorus libro tredecimo Motyā nec a mari, nec a Panhormo multum seiunxisset, sinumque dixisset habere maritimum, & Thucydides Elymis finitimum statuisset) Motyā esse arbitramur, sed tumulum qui nec procul est a Panhormo occasum versus, quem Mundellum dicūt. Sunt etenim haud procul ruinæ in prædio (Feudum recentiores vocant) cui Capacis nomen. Soloenti iisdem erectæ vrbi (vt autor est Thucydides) quæ Panhormū haud multum refugit ad orientem (Solantum nostri vocant) præter turrim ad nauium factam commoditatem, quæ vt frumento onerentur, in ea conueniunt loca, domus nonnullæ sunt. Sunt quoque pauca vestigia in montis cacumine, montem Catalfarum nominant. In eius mari thynnorum ingens captura. Eius campi Eleuthero fluuio, vbi pons ruptus, (sic eum vocant) ad dexteram iacentes infunduntur. Vrbem Panhormum ab his cōditam supra dictum est: cuius ea tantummodo pars erat qui Cassarus dicitur. Noua deinde illi addita fuit, qua vetus a maris littore diuisa, Neapolis nomine, vt Polybius est autor. Fœlix in præsens vrbs, omniumque maxima Sicilienſium, in amœna ac fœcunda valle sita, ad septentrionem spectat, pelagoque abluitur Tyrrheno, muris septa perquam altis, quod opus est Federici regis. plures quibus cæmenticios aggeres latis focis cinctos augmēto ac ciuium securitati in præsentiarum addunt. Secundum mare arx est, quæ nostra tempestate amplificata, quod Castrum ad mare nominant. Huius arcis præfectus hodie Hieronymus Fuxa Panhormita, homo patricius, qui dies octo æstiuo tempore agit sine potu. Tres item antiquæ ciuitatis portæ, & veteres muri multis cum turrib. lapide quadrato constructi, & nunc manēt. Patitillorum vna, vbi lapides literis inscripti: quibus Noæ tempore fuisse Panhormum plane constat: Obscura altera nomenata. Tertia est quæ Bosuemis porta ab ipsis nūcupatur, ad eam vergens vrbis regionem quam Brigariam, Vulgariam antiquitus, vocant. Supra murum ad occidētem Rogerius Comes, Tancredi filius, victis Pœnis Turrim Rubeam, quam vocāt, faciendam curauit: alteram Chirimbrim nomine, Vilielmus Rex, cognomento Malus: tertiam dēmum (Turrim Pisanam hanc vocant) qua palatium perfectum, Vilielmus filius quem Bonum appellarunt. Intus sacellum marmoreum ædificiū totum, diuo Petro dicatum, pulcherrimum & religiosum, cuius parietes Porphyrite Parioque marmore, vermiculatis ad hominum & animalium effigies crustis, punctisque aureis vestiti, pauimentumque structum. Ibi subterraneus carcer, quo primariæ nonnullæ mulieres anno millesimo post Christum ducētesimo quadra-

gesimo

gesimo secundo, mense Martio, quod plurimi reguli tumultum fecerant, ab Federico Imperatore coniectæ, nec vnquam deinde visæ: quæ antiquo vulgi prouerbio, Donnæ quæ male venerunt, vocatæ sunt. Ducẽtos post atque nonaginta quinque fere annos, quum locum fabricandi gratia homines confoderent, tria earũ cadauera nulla putredine viciata, integris cum vestibus, sericisque calanticis inuenta sunt. Templũ quoque est ingens Panhormi, exteriores parietes multo pulcherrimi, a Gualtherio Archiepiscopo Vilielmi Regis adfine dedicatum. Ibique quatuor sunt ex Porphyrio marmore sepulchra, opus sane cunctis spectabile, Siciliæ Reges in quibus sepultos aiunt: quorum medium locum tenet marmoreũ quoddam, vbi Constantia regina condita. Sacellum item diuæ Christianæ parietibus marmoreis, atq; auratis laquearijs extructũ. Ipso in templo cautum est in statutis, ne priuatorum quisquam sepeliatur: regibus nanque duntaxat & Episcopis concessum. Prope est ad orientem ferme celebre Hospitale, nec multum ante patrum nostrorum memoriam ædificatum. cuius ministris curandi ægros, atque infantes alendi quos vel paupertas, vel mulierum verecundia clam exposuerit, maxima cura. Altera parte est locus, quod Toccum adpellatur, vbi aut vetere consuetudine, aut regia gratia aureas coronas reges accipere consuescere, ipsi Panhormitæ euulgant, adducuntque illos qui ibi regio diademate donati, Rogerium, vtrunque Vilielmum, Tancredum, Henricum Imperatorem Cæsarem, Federicum filium, Mãfridum, & Petrum Aragonum regem. Insignis erat Pãhormi regia ab Andrea Claramonte (tempore quo plures reguli a regia fide defecere) ipsius defectionis autore extructa, (Sterium tum vocarunt) quæ nostra ætate in mercium horreum, (Doanam hodie appellant) vbi portitores ad regis vectigalia exigenda disponuntur, mutata est. Curia item est prætoria, vbi duæ statuæ ex marmore antiquissimæ, nec cui quidem dicatæ, scire possumus: sunt enim nudæ, atque alteram manum mortalium incuria mutilæ. Et prope fanum vetus, sacrum e marmore, punctisque aureis, licet vetustate deletis, factum. Marturanam Panhormitæ vocant: ibi virgines plures deo perpetuo dicatæ. Auctæ postea ciuitati Tancredus primi Vilielmi spurius pomœrium protulit. Et Rogerius Comes ædem, quæ Diuo Ioanni sacrata est, eorum hospitium qui elephantia vitiati, trans Orethi amnis ostium (flumen Miraglæ Panhormitæ vocant) vbi pons est lapideus insignis, ædificauit. Flumen in Panhormitana valle oritur, inq; agro Parco nomine. Ipsa Panhormi vallis pluribus irrigatur fontibus. Inter Soloentem & Panhormum fons est, Buccuti nomine, cuius latices emolliendi aluum purgandiq; virtutem habẽt. Et fons Miselemire (vulgo Misilmeli) fere ad orientem in planitie ortus. Et ex rupe multis vndique factis scatebris: qui quod stagnum propemodum facit, Mare dulce nominatur. Et iuxta fons Ambler nomine. Inque Montis regalis radicibus Sanctæ Dominicę fons magnus. prẽter quem in ipsis quoque radicib. duo, maior & minor Gabriel: e quibus maior est quem Nixum vocant, quo Zizæ ager infunditur. Ziza Punicum nomen, estque suburbana domus hortis ac viridarijs amœna, Afroque more extructa. Sũt prẽter hanc duę, maior & minor Cubba, eodem artificio eademque Pœnorũ colonia, quibus tum Sicilia occupata, ędificatę, habentque hortos ad omnem vsum ferme & voluptatem ex omni parte consitos, ac fontium etiam riuulos: loca quippe amœna & voluptuosa, quibusuis tristissimis prorsus exterminandis curis per quam apta. Sunt prẽterea fontes Baida, Xarabus, Siccharia, Ainisindis. Et iuxta mœnia Chamberlingus versus occidentem. Intus quatuor, Bonriposus, Guilla, & tertius sine nomine, sub porta Obscura in pilam influẽs: ac demum celeberrimus, omniumque longe notissimus, Garrapphus. Panhormi thynnorum multi piscãtur. Diocles Panhormita cognomento Phimes, illustris summusque orator fuit. Antonius Bononius Panhormita, nobili ortus genere fuit, homo quidem bonarum literarum valde peritus, Alfonso regi gratissimus. Dulcium arundinum, quarum ex recocto succo fit saccarum, fertiles in Panhormitano agro fiunt messes. Quod sic faciunt: Principio campum non multum a mari remotum (pruinę sed enim messibus officiunt) bene pastinant, inque paulo eminentiores disponunt sulcos. Martio deinde mense arundinum dulcium nodos, qui ad summum pertinent, foliis libriſque

briſque exutos ita conſerunt, vt ſulcorum latera tribus aut quatuor cum geminis fruſtis vno ictu perforentur. ſicque implent omnes campi ſulcos. irrigatur terra æſtate, ſimul & a luxuria aſſidue purgatur. brumale demum prope ſolſtitium, radicibus tantummodo pro altera ſatione (biennium durat) relictis, franguntur arundines. Quarum ex maturis dulciſſimiſque nodis in minuta inciſis fruſta, eo artificio, quo oleum, elicitum ſuccũ vno ex tribus in hypocauſto diſpoſitis aheno purgatur, ac vili percolatur panno. Colati mox ſucci partem (ſic enim recoquunt) in alterum coniiciunt ahenum, & hinc rurſus in tertium reponunt confeſtim, verbe-rantque feruentem: vnde extractum ſubnigrum erit ſaccarum. Idem deniq; itidẽ ſemel iterum & tertium ſi fuerit recoctum, candidum elegantiſſimumq; fiet. Alte-ra vero illis ex radicibus meſſis, niſi menſe Maio ſtercoretur campus, vix emerget. Quatuor miliaria ad occidentem a Panhormo abeſt Mons Regalis ciuitas nec in-vaſto colle ſita, quam Vilielmus rex Bonus ſtatuit. Ibique nobile templum Diuæ Mariæ dei matri fecit: cuius pars quæ a medio ad altare vſque ſurgit, albo marmó-re, Porphyrite, ac Lacedæmonio, guttiſque aureis & lineamentis ad diuerſarũ re-rum imagines quum eſſet ſtructa, non vlli quidem in toto fere orbe comparan-dum. Vbi ipſius Vilielmi conditoris ſepulchrum. Et hos, qui modo Carinim, Ceta-riam olim tenuiſſe non longe a mari ſitum oppidum, exiſtimo. Vltra Panhor-mum plurimæ gentes agunt. Earum oppida, quæ ad orientem pertinent, Ciminna Soloenti proximum, Caccamus, & multo remotiora Barrafranca, Calataniſſetta, quod a Petrapertia oppido Himeræ amnis vada dirimunt, Bonuicinus noſtra pro-pemodum tempeſtate erectum oppidum. Caſtrum nouum propinquius. Et Vica-ris: quod mediterraneum quanquam & Himeræ vicinum Ptolemæus & Thucy-dides collocaſſent (Hyccaram ipſi vocant) Diodorus tamen ſcribit ab Athenien-ſibus Hyccaram maritimum vicum expugnatum, Laidemq; puellam (quæ in Pe-lopõneſum deinde adducta formoſiſſima meretrix fuit) inter captiuos captã. Et op-pidulum, Mezuiuffiſus nomine, prope Vicarim ad occidentẽ. A Panhormo haud longe fundus (hodie Feudum, a fide dictum) cui Cifala nomen, oſtenditur, aquæ vbi calidæ ægrotis admodum ſalubres. Nunc de Græcis dicendum, qui ad Sici-liam adpulſi, leges ac viuendi ritus, moreſque homines docuere. Theocles Athe-nienſis vento in Siciliam forte delatus, viſa terræ virtute & ſolitudine (nõ enim tota plena id temporis) Athenas reuerſus eſt, atque Chalcidenſium ex Eubœa, Ionum-que & Dorienſium, Megaratium pariter magno numero comparato, illuc rurſus nauigans, Naxum obtinuit: aramque Apollini conſecrauit Archegetæ, vbi ante-quam e Sicilia oracula petituri ſoluerent, ſacra facere conſuerant. Vrbe (locũ vbi tum erat, Schiſon vocant) poſtea a Dionyſio inferiore tyranno euerſa, Andoma-chus Timæi hiſtorici pater, homo diues, (vt Diodorus tradit in Philippo) Taurum collem propinquum, iis qui excidio ſupererant, coadunatis, inhabitauit, vocauit-que Tauromenium. quæ inter Catinam & Meſſanam aperto pulſatur mari, & ſole inſpicitur oriente, vbi pars vetuſtiſſimi amphitheatri adhuc extat: ac duæ ciſternę, quarum altera ruinoſa, altera duabus cum fornicibus octo quadratis ac cæmenti-tiis fulcitur columnis, (Stagnonem ipſi vocant) cuius longitudo centum fere & tri-ginta pedibus, triginta ſex latitudo, ac triginta demum altitudo continetur. Ad de-xteram Tauromenius amnis, (Vibius Sequeſter eſt autor) nunc Cantaræ fluuius nuncupatus. ibi enim põs erat, quem Alcantaram Punici vocant. Timæus orator & hiſtoricus, Andromachi (quem ſupra nominauimus) fuit filius. Altero poſt Naxum anno Archias Corinthius, quem ab Hercule traxiſſe originem aiunt, eam Syracuſarum partem, quam Inſulam vocamus, Naſon & Ortygiam nonnulli, pul-ſis Siculis inſedit, eamque ſuæ gentis colonia auxit amplificauitque. Quicquid au-tem de Archia & Myſcello ſcripſerit Strabo, fabulis mixtum pro certo habemus. Vrbem igitur Syracuſas maximam pulcherrimamque, ac triplici ſeptam muro, o-pibus & viribus potentem fuiſſe, multi ſunt teſtes. Ea capta prædæ tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuiſſet, cum qua viribus ęquis certabatur. Et Dionyſius tyrannus centum viginti peditum, equitumque duodecim millium exercitum, ac naues ad quadringentas ex vrbe vna eduxit Syracuſis. Quæ cũm manu

manu munitissima, tum loci natura erat: & portus adhuc habet duos: qui quum diuersos inter se aditus habeant, in exitu sunt coniuncti, quorum coniunctione insula ipsa disiungitur. Ea tanta fuit, vt ex quatuor tunc vrbibus constaret: quarum vna, ea est quam dixi Insula, quæ duobus illis portubus cincta (magnum & paruum vocant) quæque impræsentia, cæteris solo adæquatis, tantummodo stat. In faucibus portuū, vbi nunc Castrum Marker est, arx erat tyrannorum, Hieronisque regis domus, qua prætores postea vti solebant, thesauro plena, ac (vt Plutarchus ait) armorum copia ita munita, vt hominum septuaginta milia illis armarentur. ibi mea tempestate & pons lapideus (quo Insula ipsa adiungebatur) & obrutum propter temporum iniuriam, ac vrbium euersionem, arcis inuentum ædificium, multæque statuæ, & caput e marmore his literis inscriptum, EXTINCTORI TYRANNICÆ. Hanc arcem, quia Tyrannorum receptaculum, a Timoleone Corinthio deletam, quis restituisset (prætores enim, vt a Cicerone probatur, dein vti solebant) mihi haud compertum quidem. Fuit iterum ab Romanis euersa, & in ruinis Castrum Marker (de quo supra dictum est) erectum. Nec eorum quidem accedo opinionibus & argumentis, qui Labdalum (de quo statim fiet mentio) tyrannorum fuisse receptaculum adfirmant. Habitare in ea Insula (est enim locus quem vel pauci possunt defendere) M. Marcellus Syracusanum neminem post vrbem Syracusas captam permisit. In ea Insula ædes erant complures, sed duæ quæ longe cæteris antecellebant. Dianæ vna, quæ modo diruta nihil exhibet, præter vestigia pauca, domo inclusa, in ea regione quam Resalibram dicunt, contra Sancti Pauli ædem. Altera Mineruæ, ante C. Verris aduentum ornatissima, nunc antistitis sedes tredecim ex omni latere striatis ex lapide vastis cum capitulis, abacisque & trabibus, columnis suffulta. In qua pugna erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta, quibus tabulis interiores templi parietes vestiebantur. Viginti præterea tabulæ pulcherrimæ pictæ, in quibus erant imagines Siciliæ regum & tyrannorum, quæ non solum pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum & cognitione formarum. Erat & Medusæ caput pulcherrimum cinctum anguibus: valuæ item magnificentiores ex auro atque ebore, & in eis bullæ auro graues, & miro artificio cælatæ. Eius tectum anno post Christum Deum millesimo centesimo corruit. quam ob rem qui sacris faciundis in altari incumbebant, saluis tantum, mortales omnes quorum ædes ipsa fere plena erat, periere. Arx est pulchra in ipsius magni portus introitu, a Georgio Maniaco lapide quadrato ædificata, Castrum turris Maniaci nominata. In maiore porta duo erant ænei arietes, hodie in ædicula Castri ad mare Panhormi positi sunt. Atque altera parua in parui portus ostio, quam quia recens ædificium est, Casam nouam vocant. In hac Insula est fons cui nomen Arethusa, tunc incredibili magnitudine, plenus piscium: qui fluctu totus opertus fuisset, nisi munitione ac mole lapidum a mari fuisset disiunctus, dū hinc atque inde dulcis salsaue præda arundine capiebatur. Arethusam nympham Dianæ comitem poetæ assignant, quæ ab Alpheo Peloponnesi fluuio adamata, ac subter mare vsque ad hanc insulam fugiens, in fontem sui nominis mutata est. Diodorus fontem Arethusæ, nymphas Dianæ produxisse, eiusque pisces sacros fuisse, refert: quæ omnia fabulosa. Eius ante os Alpheus ipse mediis in fluctibus placidus emergit, quem Oculum Zilicæ nostri vocant. Arethusa ergo, quamuis non ea magnitudine, e rupe tamen veluti e ciuitatis latere vsq; in hunc diem in portum magnum effunditur. A quo non multum distat Alpheus, qui (vt dictum est) ante ipsius os e salsis vndis caput erigens, impetu cum magno ita erumpit, vt aut cymbas, aut nantes homines sese vix adire permittat. Est & alter fluuius in portum magnum influens, vulgo Alpheus dictus. Hic Anapus est, de quo Thucydides aliique plures meminerunt. Ortus eius ad fontem Gufferam, iuxta Baxemam recens oppidum. Hic vallem, qua ab eo quod diximus oppido, Paciorus, nunc Palazolus, diuiditur, præterfluit, aditque Cacyrum, hodie Cassarum, (sunt hæc mediterranea a Ptolemæo citata oppida) & Feralensibus, recentioribus vti reor, ad læuam relictis populis, Sortinum, cuius ab his qui de Siciliascripsere, nulla facta mentio, abluit. Fontibus denique pluribus absorptis, agrū

Syracusanum ingreditur, quo Cyanes latices celeberrimi notique fontis, duobus prope ante ostium miliaribus hauriuntur. AEneus fluuius haud procul a Neto ciuitate fundum (nunc Feudum dicunt) cui nomen Cardinalis, patris mei, domusque Aretiorum multis ante interluit: statimque, vbi ad eius finem ventum, in profunda valle facto stagno absorbetur, peritque totus, simul ac per vndecim fere miliarium spacium in Syracusano agro iuxta Anapum, non longe ab ipso fonte Cyane, rursus ex immensæ profunditatis emergit lacu, inque Anapum clementer, ac mirabili lenitate decurrit. Lacum, quam Piscinam prius, deinde Pismam nostri vocarunt, in eo loco, vnde Ditis cum abrepta Proserpina exiuit, existere antiquitus putauere. Quapropter Syracusani ibi dies festos anniuersarios agebant, celeberrimo virorum mulierumque conuentu, propter huius opinionis vetustatem, quod eorum in his locis vestigia & prope incunabula deorum reperiri dicebant. autor idoneus est Cicero in Actionibus in Verrem. Fontem item Cyanen, hodie Cyrini Pismam appellatum, nympham ipso Anapo dilectam fuisse, inque sui nominis fontem resolutam, tradunt. Tres, præterquam de quibus diximus, fontes in Syracusano agro Plinius commemorat, Temenitem, Archidemiam & Mergeam, quorum cum recentioribus non faciunt nomina. Iouis Olympii fanum mille & quingentis ab Syracusis passibus, cum oppido Olympieo euerso nunc, e paruo tumulo Anapum respicit, vbi Athenienses, multis post annis, deinde & Romani (vt Thucydides & Liuius scripserunt) castra posuere, cuius adhuc extant columnæ. Nec longe ab Olympieo Acarnaniam, quæ in præsentia nihil penitus ostendit, vrbem statuit Cicero. Locum hodie in ea, qui Pantanus dicitur, regione, Carranum vocant. Per paludem ad Olympieum, quam Lysimeliam Thucydides, nos Pantanellam appellamus, via magnis instructa lapidibus nostra ætate reperta (cuius lapides Carolo quinto imperatore regnante vrbi muniendæ maxime profuere) pergebant. Palus hybernis aquis, multoque cœno fœdata nullum præbet adeuntibus adcessum, donec veris nouæque æstatis calore desiccata. Trans Anapi ostium via Elorina, nunc Calorina dicta, ad meridiem & Plemmyrium promontorium distenditur. Plemmyrium, de quo Vergilius meminit, promontorium, & ibi oppidum eodem nomine, quod Gylippus Corinthius Syracusanis ab Athenienſibus obsessis auxilio profectus (ibi enim hostes munitiones fecerant) hostiliter depopulatus est. promontorium hodie Massaoliuerem contra Insulam, portus magni ostio diuidente, appellant. Alterum iuxta promontorium Raiscansir Afro nomine. In ipso portu Plemmyrium spectat parua insula. Supra sexto prope miliario Longũ promontorium, modo Lognina, & statio parua. Et mediterraneus ager, Longarinus nũcupatus. Ibique nec a mari remotæ Therſones, hodie Thiresæ, ruinæ, Giartis ager, quem Dionysii tyranni fuisse, Plutarchus scripsit in Dione, qui tum campestrium rura, tum saltus ac vertices montium, iugumq; ad occidentẽ extensus continet, nunc Caua Georgiæ nũcupatus. Altera Syracusarum pars, cui Neapolis nomen est, Insulæ propinquior, de qua, quod postremum ædificium, postremo verba facienda duximus. Est igitur parum eminens ager, duas qui Syracusarum vrbes Achradinam & Tycham complectebatur, Neapoli ab Insula diuisus. His duabus vrbibus nulla vel pauca Romanorum prouidentia remanent antiquitatis vestigia. Ager post ruinã ac damnum a Cn. Pompeio factum, Terratychæ, Terrachati postea vocatus est. Nũc vt quomodo paulo ante Insulam, sic Achradinam & Tycham sequar. Achradina igitur mari propinquior, cuius murus fluctu abluebatur: autor est Liuius. Forum in qua maximum, vbi C. Verres filii nudam, suamque in equo statuam posuerat. Ibique Concordiæ ara, vt idem Liuius scripsit. Pulcherrimæ item porticus, ornatissimũ Prytaneum (locus ad quem iudices conuenerant) & in hoc Sappho erat, quæ epigrãma Græcũ habebat in basi. Amplissima erat Curia, locũ ipsum Buleuterium vocabant. Templumq; egregium Iouis Olympii. Erat præterea turris in extrema parte vrbis, quæ ad septentrionem spectat, quam Galeagram antiquitas, nostri Scalam Græcã vocant. Et sub hac Trogilum oppidulum suburbanum, (locus in præsens Targia dicitur, vbi turris proximis annis ędificata) atq; Trogilorum portus, de quo Liuius fecit

fecit mentionem, Statio, hodie Stinctinus dicta. Tertia est vrbs, quæ quod in ea parte erat vbi fanũ Fortunæ fuit, Tycha nominata est: in qua locus eminens & præruptus a superficie Epipolæ dictus. Et ibi arx Labdalum, quod Liuius Hexapylum vocat, nostri vero Montem Bellisim, modo eruta ingentem lapidum aceruũ, veluti suii imaginem, ostendit. Iuxta Epipolas locus erat, cui Pentapylum nomen, vbi illustre Dionysii horologium fuit. Gymnasium quoque erat amplissimum, quod superioris domũ Dionysii fuisse, libro duodecimo scripsit Plinius. AEdes præterea AEsculapii, & in ea Pæanis signum præclare factum, sacrum tum & religiosum. Aristæi alterum in æde Liberi. Iouis quoq; Imperatoris in ea templum erat, vbi notissimum simulachrum. Etenim tria Iouis Imperatoris signa vno in genere ferebãtur in orbe terratum: vnum illud Macedonicum, quod Romæ in Capitolio posuerat Flaminius: alterum in Ponti ore & angustiis: tertium quod in hoc templo erat. In radicibus ipsius Tychæ Timoleonis Corinthii suburbana domus, illi a senatu populoque Syracusano tãquam de republica bene merito donata: vbi iam senior & cęcus ipse habitauit. Domibus modo ruinosis, templum est paruũ Diuo Petro dedicatum, atque fons perennis, nostri Trimiliam vocant. Portæ Agragariæ prope erant, quas iuxta sepulchrorum copia. Pyramis porta vergebat ad meridiẽ. Quarta autem erat vrbs, quæ quia postrema (vt ante dictũ est) ædificata, Neapolis nominabatur, & in eo loco qui nunc Muragli dicitur. quam ad summam Theatrum in hunc diem est maximum, ex ipso saxo inciso factum: cui nil quidem desideraretur, nisi scena deesset, ex cuius fundamẽtis superiori anno lapides extracti. A quo haud procul Amphitheatrum, qualem formam cõtinens, quod euersum iam, pauca ostendit vestigia. id tum Granatorum fossam, tum Coliseum nuncupant. Fons qui Theatrum abluit, Galermis: qui Amphitheatrum, Paradisus hodie vocatur. Hi maximo hominum labore amplis. cæciſque factis meatibus, in hæc loca erumpunt. Duo item tunc templa egregia. Ex his vnum Hiero superior Cereri, alterum Libero dicauit. Signumque erat Apollinis, qui Themistes vocabatur, pulcherrimum & maximum. Columnarum capita quæ Syracusarum in templis erant, Romæ in Pantheonis templi vestibulo, (nunc Diuæ Mariæ vulgo rotundæ) vt Plinius censet, a M. Agrippa posita. Menetides erant portæ, per quas ab Anapo Achradinam Dionem ascendisse narrat Plutarchus. Et Plinius signũ fuisse Syracusis claudicantis pueri, cuius vlceris dolorẽ etiam spectantes sentire videbantur. Latumiæ (quas Taglatas nos vocamus) sub terra carceres, quæ (vt Varroni placet) & Lapicidinæ dicuntur: opus est ingens ex saxo in mirandam altitudinem depressum, & multorum operis penitus excisum. in has si qui publice custodiendi erant, etiam ex cæteris oppidis (autor est Cicero) deduci imperabantur. sunt adhuc quinque insignes, omnes carentes testudine præterquam vna ad meridiem conuersa, Syracusanis Antrum Sancti Nicolai nominata, vbi carcer ille qui a Dionysio tyranno factus fuit. Alterum huic adhæret antrum (Grotta quæ Fauellat hodie dicitur) eo factum artificio, quo loquentibus Echo ita dictiones singulas, & syllabas accentusque omnis reddit, vt quẽquam serio incluſum omnino crederes. Tres item specus in hac vrbe memorabiles sunt, dictuque mirabiles. Vna in Diui Ioannis æde, quæ cæteris est maior. Hæc viis latis, multisque transuersis, vti oppidum subterraneum, diuisa cõtinetur: cuius in parietib. sepulchrorũ multa ex inciso saxo sunt. Altera ad Diuæ Luciæ martyris fanũ, quod locũ esse vbi ipsa tormenta passa fuit, Syracusani volunt, quæ nõ natura quidem, sed mortalium manu & artificio factæ sunt. Tertia aũt est specus in templi ortis quod deiparæ Mariæ Iesu dicatum, eo per angustũ hiatum passibus propemodum duo de viginti descendentibus: perq; cæcũ rursus callem triginta fere orientẽ versus pergentibus lacus aquæ dulcis occurrit. Est Syracusis loci natura cœliq;, vt nullus vnquã dies tam magna turbulentaq; tẽpestate fuerit, quin aliquo tempore solem eius diei homines viderent. quod etsi Cicero ipse affirmat in Verrinis Actionibus, nos tamen non semper id vsu venire dicimus. Syracusarum ædificia omnia, publica, priuata, sacra & profana, quibus M. Marcellus posteaquam vrbem illa tempestate ferme omnium pulcherrimam subiectam oculis vidit, humaniter pepercit, præter pauca, quæ Romam asportata sunt in ædẽ

Honoris & Virtutis, Cn. Pompeius penitus delenda curauit. Insulam dein, quam nunc habitamus, Augustum restituisse Strabo commemorat. Supra ad meridiē duodecimo fere miliario, vltra Longarinum agrum (de quo diximus) Cacyparis est amnis, (autor est Thucydides) Cassibilis hodie nuncupatus, & statio vicina quas Fontanas Blancas appellant, Plinius Naustathmum portum. Enimuero nullus inter Syracusas & Pachynū, præter stationes reperitur portus. Erineus vltra sex miliaria fluuius, Miranda nunc dictus, qui campis, vbi arundines fiunt dulces, quum hauriantur latices, nullum prorsus in præsentia facit ostium. Ad eius fontes Auola oppidum, quo ex alto colle Pachynum prospectat. Et Syracusanorum victoria insigne Asinarus tum flumen, nunc Falconara: Athenienses quoniam, & Nicia eorū dux, hîc a Syracusanis intercepti, præter qui capti atq; in Latumiis labore consumpti, ad vnum omnes trucidati: ob quam causam eo in loco ad nonū calendas Iunias diem festum celebrabant quotannis. Oritur iuxta Netū antiquā vrbem, hodie Notū: quæ ab Auola, de quo diximus oppido, sex miliaribus, ab Syracusis autē quatuor & viginti, supra Pachynum octo fere miliaria, natura ipsa ab omni parte munita, distat. Flumen ipsum omnium ferme arborum probatissimos præbet fructus. A quo Elorina ciuitas ad Elori amnis ostium deleta penitus, sex miliaria abest. Elori ostiū Pachyno proximum, hodie Labisum. Pachynum hunc fuisse amnem aliqui autumant. Ac rursus parte ex alia quæ ad septentrionem pertinet, Bidenos populos parum a Syracusis remotos statuit Cicero, oppidum tenue Bidis nomine, nunc Bigenis ager, inter Tapsum & Euryalum, vbi pyramis est semidiruta. Euryalum tumulus, & in eo arx, vt autor est Liuius, Belueder nunc dicta, quæ vtrunque mare prospicit, Tapsi hinc, illinc Syracusanū portum. Contra mons est præceps ex rupe vtrinq; excisa, cuius frons ad ipsum Euryalum, dexterum latus ad Anapi amnis vada, læuumque ad Tapsum vergit. Vertex Lepas a Thucydide, hodie Mons Crimitis nominatur. Et Leo locus erat (vt idem autor ait) vno fere miliario ab Epipolis: Liuius Leontiam vocat, munitum locum, quinque milia passuum ab Hexapylo. locus in præsens nec vestigia, ruinæq; vllæ vbi fuisset, demonstrant: quapropter, sicut & cæteri de quibus aliquod haud potest fieri argumentum, relinquitur. Tapsus in præsentia insula de Manchisi dicta, peninsula (vbi antiquitatis nihil extat) portu ab occasu munita, quatuor ab Achradina distat miliaribus. Idem Thucydides iuxta Syracusarum muros Sicam oppidulum collocat: modo agrum esse Sineccham nomine, qui prope Sicam est, ipsa docemur coniectura. Officinam C. Verres maximam fecit Syracusis, artifices in qua fere omnes, cælatores ac vascularios conuocari iussit. Lex fuit Syracusis (autor est libro vndecimo Diodorus) quam Petalismum appellarunt. Causa ferendi legem Tyndarides, dives iuuenis & incautus, variisque illecebris potens. Hic conuiuiis & comessationibus aduenas cunctos ac seditiosos ita sibi aggregauerat, vt senatui suspicioni fuerit, veluti qui ex industria illorum vteretur consuetudine, vt pessimis confisus viris publicam occuparet libertatem. Inclinatis ob id iam omnium ad credendum animis, hominem obseruant, eūdemque nequissimorum quorumcunque stipatum agmine circumsistūt. Tum comprehensum nituntur socii eripere: quibus, quum dispares essent viribus, trucidatis, vinctum coniectis catenis temerarium, ac damnatum pœnam sequi oportuit. Et confestim procerum consilio aduocato, Tyndaridis inuidia & audacia, ac communi periculo recitatis, quibus ille merita adfectus pœna, legem conscribunt, vt eius qui tyrannidis suspicionem tulisset, oliuæ folium inscriptum nomine illi daretur: scire propterea se exulatum ire quinquennium oportere. Lex ab oliuę folio, Petalismus appellata, Athenienſium exemplo, qui quod in latere nomen scribebant, Ostracismum eādem vocarunt. Petalismo igitur lege multi ex primoribus quum in exilium acti, eorumque diminutus numerus, atq; ob hanc causam in plebeiorū arbitriū, qui ciuitatis statū multifariam distractum, cæca confusione atq; multiplici miscebāt seditione, esset respub. declinata, eandem confestim abolere. Altera quoque lex Syracusis (vt refert Cicero in Verrinis Actionib.) de religione, quæ in annos singulos Iouis sacerdotē sortito capi iubebat: quod apud Syracusanos ampliſſimum sacerdotium putabatur. Cū suffragiis ex tribus generibus creati erant,

erant, res reuocabatur ad sortem, vt quot essent renunciati, tot in hydriam sorte coniicerentur: cuius nomen exisset, vt is haberet sacerdotium. Hieronia præterea lex, de Hieronis nominè dicta, quæ decumas vendendas (vt idem autor scripsit) iubebat. Mos fuit Syracusis, vt si qua de re ad senatum relatum erat, diceret sententiã qui vellet, nominatim nemo rogabatur, & tamen vt quisque honore & ætate antecellebat, ita primus solebat sua sponte dicere, idque a cæteris ei concedebatur: si quãdo tacuissent omnes, tunc sortito cogebatur dicere. Magistratum annuũ quẽ Famulatum vocarunt, quemque trecentos ferme post annos (vt in Philippo scripsit Diodorus) ipsi Syracusani abolere, Timoleon victo inferiore Dionysio instituit. Ac etiam de viris illustribus, aliqua dignis memoria, quos vrbem Syracusas peperisse reperimus. Lygdamus Syracusanus tertia & trigesima Olympiade victor fuit in stadio: cuius ossa medullis carere fama vulgauit. Asylus & Hisbio, ille septuagesima quarta, hic nonagesima nona Olympiade in stadio quoq; victor. Hermocrates dux & orator summus. Callicrates animo & militari arte præstantissimus. Is & Lamachus Athenienſis Syracusis singulari certamine icti cecidere. Heraclides homo bellicæ virtutis peritus, leuis tametsi & instabilis. Eurycles vir clarus & illustris. Menandrum Syracusanum ephebum ab elephante adamatum refert Plinius. Mentor in Syria cum claudo leone congressus, blandientis ex illius pede surculum extraxit. Xenagoras, qui sextum remorum ordinem inuenit. Diocles legum lator, legem conscripserat, in qua nequis forum cum armis adcederet, cautum erat: verum cum esset domi gladio adcinctus, in hostes impetũ facturus, audito parui momenti tumultu, domo egressus est. cui quidam ex ciuibus, Tuam, inquit, ipsius negligis legem. At Diocles, Minime, ait: imo eam ipsam confirmabo. & stricto gladio necem sibi illico consciuit. Theocritus Syracusanus, quem Vergil. imitatus est, bucolico carmine illustris. Epicharmus poeta comicus, trium literarum inuentor, zeta, xi, psi: quem Plautus est imitatus. Horatius in Epistolis: Plautus (inquit) ad exemplar Siculi properare Epicharmi. huius sentẽtia, vt Cicero scripsit in Tusculanis quæstionibus: Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo. Eius socius Phormus Geloni gratissimus. Dinolochus Epicharmi discipulus. Et ille Philemon, qui vnum supra centum vixit annum. Eiusque filius Philemon, vterque poeta. Corax, (Latine Coruus) orator præstantissimus. is Tisiam Syracusanum pacto docuit precio. cui discipulus petenti mercedem, Si tibi Corax, ait, persuasero, non soluam: sin minus, veluti qui a te artem minime edoctus, etiam non soluam. At Corax, Si tibi, inquit, Tisia persuasero, certe solues: si vero id efficere non potero, dignus ero mercede, quod me doctiori discipulo id persuadere nequeo. Quibus iudices, (quod prouerbium fuit) Mali Coracis malum ouum. Antiochus Syracusanus (vt Dionysius Halicarnasseus refert) historicus, qui Italicos vetustissimos conditores scripsit. Lysias Gorgiæ discipulus, orator summus. Bion autem orator: & Cimias philosophus. Nicolaus, (vt ait Diodorus libro tredecimo) qui duobus filiis orbus, pro victis Athenienſibus, quorum manibus interfecti erant liberi, orationem, vt illis parceretur, habuit. Et poeta diuinus Sophron, cuius poema Platoni admodum placuisse ferũt. Philemon Alexandri tempestate comicus poeta, a quo nonaginta sunt editæ comœdię: qui vbi totidem vixit annis, tisu vehementi animã effudit. Sosiphanes Syracusanus Philippi Macedonici ætate, ex septem Tragicis vnus. Theodorus orator qui de re militari scripsit. Themistogenes historicus, a quo de Cyro plura edita. Athenagoras orator: & Achæus poeta Comicus. Duo præterea fratres Epicydes & Hippocrates, & armis & literis præditi. Dion vir illustris, Platonica disciplina eruditus. Cuius soror Aristomacha, Dionysii superioris tyranni coniunx. Dionysius Syracusanorum tyrannus a puero institutis & artibus ingenuis eruditus, musicorum studiosus: quem acrem fuisse & industrium, natura maleficum & iniustum, eiusque in victu maximam temperantiam, cumque fugitiuis barbaris & facinorosis vixisse, apud Ciceronem scriptum accepimus. Mater eius quum prægnans eum in aluo contineret, somniauit se peperisse satyriscum: cui interpretes portentorum (Galeotæ hi in Sicilia dicebantur) responderunt, eũ quẽ illa peperisset, clarissimum fore. Item paulo ante quam regnare cœpit, in agro Leõ-

tino quum equum flumine summersum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit. At quum aliquantulū progressus esset, hinnitū exaudiuit, atq; equū alacrem aspexit, cuius in iuba examen apū consederat. Quinque & viginti cōpleuerat annos cum tyrannidē occupauit, regnauitq; duodequadraginta. Filias Dionysius, ne tonsori collum committeret, tondere docuit: adultas vero, ferrum earū manibus remouens, candentibus carbonibus capillum & barbam adurere. In carcerem demum quodammodo ipse se inclusit, atq; ex turri alta concionabatur. Hic tunicam & gladium, quum pila ludere vellet, adolescentulo quem amabat, tradidisse dicitur. cui quidam familiaris iocans, Huic, ait, vitam tuam committis: ille vtrunque iussit interfici. Damocles assentator propter eius opes, atq; rerum abundantiam beatū Dionysium assidue in sermone commemorabat, cui Dionysius, Vis ne igitur, inquit, o Damocle, sic te esse beatum? quumque ille velle dixisset, hominem Dionysius in aurea sede collocari iussit, mensasq; instrui conquisitissimis epulis, pueros delectos consistere: iussitq; rursus fulgentem gladium a lacunari seta equina appensum demitti. Damocles itaq; gladium suspiciens, nec plenum artis argentum, nec pulchros administratores aspiciebat, nec manum porrigebat in mensam: exorauit denique tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Damonem & Pythiam ea amicitia coniunctos ferunt, vt quum alteri Dionysius diem necis destinasset, alterum vadem mortis acceperit, donec ille causa cōmendandorum suorum profectus reuerteretur: qui vt vadem suum liberaret, præsto fuit ad horam morti destinatam. Quorum fidem admiratus tyrannus, eos dimisit: Atque vtinam ego, inquit, tertius vobis amicus ascriberer. Aristides filiarum vnam in matrimonium petenti Dionysio respondit, Mortuam mallem, quam tyranno filiam nuptam aspicere. Anus quædam quum diis immortalibus pro Dionysii vita preces assiduas funderet, quumq; eam Dionysius interrogaret cur sola ita faceret, Ne tibi, inquit, extincto deteriorem tyrannum suffectum videam. In Acarnania vrbe Iouis Olympii signum grauis ponderis aureo pallio vbi spoliauerat, atque laneo induerat, illud neutri dixit, idque vtrique esse aptum tempori. Idem e fano quodam quum mensas aureas, quæ bonis diis inscriptæ, subtrahi iussisset, dixit bonitate deorum vti. Aureas pateras, quas porrectis manibus simulachra quædam sustentabant, substulit, Admodum, inquiens, vnumquenque decere quod dii porrectis manibus offerunt, accipere. Apollinis simulachrum Epidauri absque barba, barbatūque AEsculapii, quem Apollinis filium fingunt, vidēs, auream barbam, illius allectus pondere, accepit: non licere affirmans imberbem patrem, filium vero barbatum esse. Locris Proserpinæ fano spoliato quum inde soluisset, secundo vento spirante, Videte, ait, nauigationem, quæ a diis immortalibus ipsis sacrilegis conceditur. Aristippus philosophus & facetus, cuius consuetudine tyrannus vtebatur, ad Diogenem philosophum, qui vitam agebat solitariam, vna cum Dionysio accessit. Cui, quia olera lauantem offenderat, submissa voce, Si Dionysio, ait, obsecutus esses, olera non comederes. At Diogenes, Si olera, inquit, comederes, Dionysio non obsecutus esses. Dionysius pedibus tractum tyrannum, non insidentem equo, (vt ait Liuius) relinquere tyrannidem debere, dicebat. Dionysius item huius Dionysii filius, philosophus quoque & tyrannus, qui Syracusis expulsus, Corinthi ludum aperuit, pueroſque docuit: ad vltimum vero sordidissimam agens vitam, popinas & lupanaria dum frequentaret, de minimis quibusque rebus vulgo insertus disceptabat. Nisæus, qui eo tempore quo alter Dionysius exulauit, principatum Syracusis obtinuit. Et Cephalus (vt scripsit Diodorus) per id tempus legum conditor. Agathocles humili progenie ortus, rex deinde Syracusanorum. Cuius filius Eudoxus poeta comicus. Callias historicus, is qui ipsius Agathoclis gesta scripsit. Philistus poeta & historicus, homo diues, Dionysii superioris amicus, qui armis, nedum literis insignis: quem doctum hominem & diligentem fuisse testatur Cicero in lib. quem de Diuinatione scripsit. Philiscus philosophus. Monimus quoque philosophus. Hiero rex prudens & strenuus. Polydorus legum conditor. Polyænus orator, eiusdem regis tempore. Et ipsius Hieronis gener Andronodorus orator, cuius vxorem Damaratam, interfecto Hieronymo, Syra-

Syracusani trucidarunt. Scopias (vt Vitruuius scripsit) Syracusanus Mathematicus multas res organicas & gnomonicas, numero naturalibusq; rationibus inuētas atq; explicatas, posteris reliquit. Hippocrates & Epicydes, duces perquam strenui, vt apud Liuium inuenimus. Archimedes insuper vnicus spectator cœli siderumque. Is (vt Cicero in Tusculanis quæstionibus tradit) lunæ, solis, & quinque errantium motus in sphęra alligauit. Bellorum item machinator, tormētorumque vnicus inuentor. Hic quum se terræ globum mouere posse gloriaretur, rogante Hierone rege, procul assidens nullo corporis nixu (autor & Plutarchus) nauem onerariam adduxit. Hiero præterea quum auream coronam votiuam diis immortalibus in quodam fano constituisset ponendam, immani precio locauit faciendam. Opifex autem ad tēpus opus manufactum subtiliter regi approbauit. Postea quā iudicium factum est, dempta auri parte, tantundem argenti coronę addit. Indignatus Hiero, neq; inueniens qua ratione id furtum reprehenderet, rogauit Archimedem vt in se sumeret sibi de eo cogitationem. Tunc is quum haberet eius rei curā, casu venit in balneum, & eo quum descenderet (balneum paruo dolio erat simile) animaduertit quantum corporis sui in eo insideret, tantum aquæ extra effluere. Qua de re quum eius rei rationem explicationis ostendisset, domum reuersus duas dicitur effecisse massas æquo pondere quo & fuerat corona, vnam ex auro, alteram ex argento: quæ quidem licet æquo pondere, non tamen æquo corpore. etenim maioris erat corporis argentea, quū sit aurū maioris pōderis. Quūq; ita fecisset, vas amplum ad summa labra impleuit aqua, in quo demissa argentea massa, multum aquæ extra vas effluxit: qua exempta, vas iterum impleuit: in quo rursus aurea massa demissa, vti minoris erat corporis, quanquam eodem pondere, nō tantum effluxit aquæ. Quum id esset, rursus aureā pleno vase demisit, ac ea exempta, repletoq; vase, coronam quam opifex fecerat demisit, inuenitque plus aquæ in coronam, quam in auream massam eodem pondere. Et ita ex eo quod plus defluxerat aquæ in corona, quam in massa, ratiocinatus reprehēdit argenti in auro mixtionem, & manifestum furtum. Archimedes persæpe balneum ingressus super vncto corpore vnguento Geometricas figuras, liniamentaque sui ipsius oblitus, digito describebat. Amicos item, vt sphæram cum cylindro post mortem sepulchro imponerent, orasse fertur. quod aliquot post annis ad Agragarias portas cum cylindro & sphæra, in cuius basi epigramma erat, se Cicero reperisse gloriatur. Postremo captis Syracusis in tanto tumultu Archimedem intentum formis, quas in puluere rescripserat, ab ignaro milite quis esset, interfectum esse constat. Cui M. Marcellus sepulchrum faciendum curauit. Vilielmus Pernus Syracusanus proauus meus maternus, vir patritius, iuris consultissimus: a quo plura edita. Et Thesta mulier Syracusana superioris Dionysii soror, Polyxeni (qui vnus ex primoribus) coniunx, fratri arguenti quod viri fugam minime nunciasset, respondit, Adeone Dionysi vilis & abiecta visa tibi sum, vt si coniugis mei fugam ipsa præsciissem, eiusdem nauigationis comes & fortunæ particeps esse noluissem? Apud Plutarchum in Apophthegmatibus interrogatam Hieronis vxorem cur sibi, quod os fetaret, nunquam nunciasset? viro respondisse legimus, Ita omnes olere viros existimabam. Et duæ quoque Syracusanæ mulieres animo etiam in morte præstantissimæ, Harmonia inferioris Gelonis filia Themistii coniunx, quum seditiosis, qui omnem prorsus regiam stirpem tollere conabantur, alteram puellam regali cultu ornatam a nutrice expositam intueretur, puellæ haud interitum pertimentis admirata fidem, exclamauit se esse, & non illam Harmoniam: quo vtraque vnius horæ momento periit. In Parallelis refert Plutarchus, autorem adducens Dositheum, Cyanippum Syracusanum Baccho sacra facere negligentem, ebriumque ob hanc causam factum, Cyanen filiam inuitam violasse: eandem patris annulum, criminis indicium, subripuisse. Pestilentia postea sæuiente, vt impietatis autor diis immortalibus immolaretur, responsum esse a Pythio: Cyanen idcirco patrem violatorem necasse. Septimo post anno Theocles & Chalcidenses e Naxo profecti, Leontinum vrbem fere omnium fœcundissimam, & Catinam, prælio perdomitis Siculis tenuere: Polybio

nihilominus quinto post Syracusas anno id fuisse placet. Leontinum igitur (modo Lintini) populosa ciuitas & diues, muro tunc cincta, (nam quæ deinde addita, nouam ciuitatem appellarunt: autor est Diodorus in historia Philippi) paludibus fœda & humidior, duobus collibus, tribusque contenta vallibus, Catinam atque Ætnam respicit montem. Ibi turris adhuc tribus angulis ædificata ad nostrum vsque tempus, quasi posteris seruatum monimentum. Et murus ruinis quoque actus, domus Gorgiæ Philosophi. Vrbi altus imminet collis, Hieropolis nomine. Hieronis Polum hunc antiquitas appellabat: cuius in verticis planitie plura plumbea frustula aratoribus inueniuntur. Campi porro omnium quæ ad victum humanum pertinent, rerum, longe feraciſſimi. Tritici enim omnisque leguminum generis lætissimas ferunt segetes, ita vt ibi arare terram, ac frumentum ab fœca mortales extorquere Cererem docuisse crederent. Quare Leontini rei frumentariæ principes appellabantur. Ibi quoque armentorum copia & pecudum, aucupii etiam maxima commoditas. Circa Leontinum fluuius prolabitur, qui ex duobus fit fontibus: quorum vni Gleppi nomen, alteri Passanito prope Francum fontem oppidum, & Hydram ab Ptolemæo citatum oppidum, vbi turris tantum hodie rotunda, sex fere miliaribus ad occidentem a Leontino: nostri Cadram vocant. Et fons hic, de quo diximus, oppidum Militellum, haud antiquum quidem alluit. Iuxta Leontinum ex his vnus fit fluuius, vbi pons, quem Reginæ pontem vocant, cuius serio (admissis prius maris fluctibus) obturato ostio, lacus, qui Pantanus nominatur, piscosus admodum efficitur. Vltra pontem, lacus est alter milia prope duo a ciuitate manufactus, non multum ante patrum nostrorum memoriam, cui Bifarium nomen. Ex quo piscium, quos mari captos minutissimos eo alendi gratia coniiciunt, incredibilis multitudo expiscatur, ac in omnes ferme Siciliæ partes mittitur. Aliasque complures habet Leontinum paludes, quibus pernicioſa propemodum cœli temperies. Hic nundinæ ab omnibus fere Siculis magna hominum ac mercatorum frequentia circiter calendas Maias celebrantur. Locus erat antiquitus in Leontino agro, Phoces nomine, & Bricinnia arx. Gorgias Leontinus philosophus & orator summus, Socratis magister, qui (vt ait Cicero in Rhetoricis) omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimauit, centum & septem compleuit annos, nec vnquam a suo studio atque opere cessauit: qui quũ ex eo quæreretur, cur tam diu vellet esse in vita, Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem. Hic primus hominum, & auream statuam, & solidam Delphis in templo sibi posuit. Herodicus Gorgiæ frater medicus quam celebertimus. Icetes a Syracusis oriundus, Leontini ortus, Leontinorumque princeps, vir admodum inquietus & audax. Supra Leontinum, Hydra oppidum, de quo paulo ante diximus. Nec plus sex miliaria Boccherius recens oppidum, vbi fons aquę lacteæ quem Birigeim vocant. Bideni antecedunt populi, quorum oppidum nunc Bizinis haud ignobile. Et proximum Licodia. Cæterum altera ex parte Murgantium, octo fere milibus passuum a Leõtino ad Symæthi amnis ostium, ciuitas affecta cladibus tota, a Murgentinis Asiæ populis vt erecta, ita a Carthaginensibus postea deleta: Murgus nostra tẽpestate nuncupata, turrim tantum frumenti emporium in ipsius Siculi maris littore continet. Symæthi ortus ex quinq; fontibus. Nomina autem recentiora Mucuba, Luchula, vbi casæ: Canalis calcagnus, & Fõs ferratus. quibus vicina est Nea vrbs antiqua (Neas Diodorus lib. 11. vocat, Menas Ptolemæus, nos Minium: populos vero Menaninos Plinius, Cicero Menenos qui potior est autor) in alto est sita colle, eandemque a Ducetio ciue in planicie translatam volunt: locus nunc Burgus dicitur. Inter hanc Symæthique vada, Stagnum Palicorum ipsis diis Palicis sacrum, Symætho tamen quam vrbi propinquius, cui iusiurandi numen inesse antiquitus credebant. Thaliam nympham iuxta Symæthum ab Ioue compressam ferũt, terraque absorptam, ne in iram incideret Iunonis, maturi demum partus tempore duos peperisse Palicos. Stagnum (de quo Aristoteles mentionem fecit in eo libro quem de mirabilium auditu scripsit) quamuis non vastum, quod sulphureum assidueque feruens, ac magno cum impetu vbi emerserit, passibus duodecim non amplius hiatu quodam absorbetur, horribile tamen.

men: vbi fanum erat olim. Pœni Siciliæ dominantes Naphthiam (quod est malus odor) nomen huic indidere. Et iuxta alii quoque exigui visuntur crateres. Palica item oppidum, quod Paliconiam hodie vocant, (ab ipsis Palicis nomen) Stagnũ haud multum refugit, ab eodem Ducetio (vt idem Diodorus scripsit) conditum. Duo præterea fluuii ad diuersorium Gutterram Symætho hauriuntur: vnus Buffaritus, recens nomen, qui non longe a Plutia oppido: (Cicero de quo in Verrinis Actionibus fecit mentionem) alter ab ipsa Paliconia capit initium. Plutia, nunc Plaza, vrbs populosa, & amœna arboribus, ac viretis referta. Hanc & oppidum haud multum remotum Daidonem, Cisalpinos Gallos (nunc Lombardos) a Placentia vrbe adducta colonia, habitasse, quod eorum vtuntur sermone, ipsi credunt. His opulentissima satisque prospera vicina est ciuitas (Calatagironem hodie vocant) celso in monte posita. eam ipsam coniectura vtentes Calatam fuisse, seu Calinactẽ a Ducetio conditam opinamur: Cicero Calatinos populos appellat. Duo ciues Calatini memoria dignissimi, Thales orator, & Demetrius historicus. Rursus ad Leontinum dilapsus Symæthus amnis (Leontini agros Symætho allui Thucydides, Strabo Catinenses Leontinis coniunctos Symætho infusos probat) nomen Sancti Pauli, cum ipso ponte, sibi vendicat. Ad cuius ostium ager, vsque ad hanc ætatem est Symæthus nomine. Quo haud procul in prædio Sigonia vocato, fontes ex rupe manant calidi. In radicibus AEtnæ montis Catinam vrbem, ac ea in ora sitam quæ ad meridiem pertinet, hi qui Leontinum, quorum agri limite diuiduntur, (Euarchum quamuis ipsi huius coloniæ autorem fecerint) fusis Siculis incoluere, a septentrionibus AEtna monte (qui frugiferum omnium ferme arborũ, ac vini nobilissimi exuberantiam præbentium vinearum plenus) maxime vallatam. Orientalia eius Siculo atque Ionio mari pulsantur. Hanc Diodorus Siculus, cuius opinioni accessit Strabo, tum priscos illos amisisse incolas commemorat, simul atque agris sorte diuisis ab Hierone superiore eo deducta colonia detentam, AEtnamque pro Catina appellatam, nec multis post annis Hieronis tumulum solo adæquasse, eiectaque colonia vrbem & nomen rursus obtinuisse. Erat in hac vrbe sacrarium Cereris olim eadem religione, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario fuit signum Cereris perantiquum. Aditus ad id sacrarium nullus viris. sacra enim per mulieres ac virgines confici solebant. Hoc signum noctu clam C. Verris serui substulerunt. Erat & Gymnasium prope vrbis mœnia, non multum a maris littore remotum, quod M. Marcellus post captas Syracusas ædificandum curauit, cuius hodie testantur ruinæ. Theatrum item ad orientem conuersum pulcherrimum, nigro quadratoque lapide structum. Extra vrbem Amphitheatrum prope Stesichori Himerensis poetæ sepulchrum, vbi nunc vetus ædicula deiparæ Mariæ, Bethlem nomine, hortique sunt ciuis, cui Nicolao Marum cognomẽto est, iuxta Stesichoream portam, quam Acidis seu Iacis portam appellant. Aquæ ductus præterea adhuc est maximus, qui tunc aquam per structiles fornicatosque canales intra mœnia ad diuersa immissaria ducebat. Memoriæ insuper proditum, thermas cum columnis & epistyliis e marmore fuisse, vbi nunc templum est Diuæ Agathæ virginis Catinensis. Est & nostra tempestate Catinæ Gymnasium omni scientia frequens. Charonda philosophus legum lator Catinensis: hic Chalcidensibus, qui in Sicilia erant, legem constituit. Mamercus Catinensis tyrannus locuples, armisque potẽs Timoleonis tempore. Nicolaus quoque Tudusscus, cognomento Abbas, proximis ante annis iuris prudentissimus, qui multa scripsit, Catinæ claris ortus natalibus, Archiepiscopus Panhormitanus. Galeoctus Bardaxis Catinensis patritius, ad gigantis prope staturam accedens, humani corporis nostræ ætatis vires excessit. Is, vt multi qui eum viderunt referunt, asinum lignis oneratum manibus a terra subleuabat: equumque absque fræno velociter currentem, transuersum lignum amplexus, coxis cruribusque sistebat. Tres fluuii Teriam faciũt piscosum amnem, quo Catinenses agri diuisi, vt autor est Thucydides. (vocãt hodie Larrectæ fluuium) Duo Montixoro monte effusi iuxta Brontem oppidũ coeunt. Tertius Ciramim, Agyram, & Recalbutum abluit. Hi vbi AEtnam montem ad ortum relinquunt, antequam Adranum ventum,

in

in ipsius montis radicibus confluunt: hincq; Teria est, qui primo ad meridiē, mox in orientem per planiciem in Siculum mare, inter Symæthi ostium & Catinam deuoluitur. Chrysas qui Teriam auget, hodie Dictainus, notus Siciliæ fluuius. Huius fontes duo sunt apud agrum cui nomen est Taui, vnus: alter sub Ennam vrbem oritur: qui iuxta Asserum coeunt, ac vnus factus Chrysas, Gurgalongam fluuiolum excipit, moxque a Teria excipitur. At de his de quibus diximus oppidis, quæ mediterranea sunt, ac AEtna quoque monte. Nicoxia, nomen incertum esset, nisi cōiectura, quam Herbitam antiquitus appellabant, honestam & copiosam ciuitatem, esse doceret. Philenus Herbitensis nobilis & orator. Alii a proximo loco Casalinis nomine illuc eam translatam aiunt. A qua haud procul Sperlinga arx in rupe ex vna parte in excelsa altitudine excisa, oppidum vbi antiquitus fuisse (quod ruinæ, atque antiquitatis adhuc visuntur vestigia) vicini populi testantur. Eiusque incolas Siculis tunc Gallos, qui Siciliam opprimebant, trucidantibus tantum assentire negasse. vnde prouerbium, Quod Siculis placuit, tantum Sperlinga negauit. Engium peruetus & exiguum oppidum, nostra tempestate Gangem, inter mediterranea Ptolemæus numerat. Accolas Enginos Marcus Tullius vocat: apud quos Matris Magnæ fanum, in quo loricas galeasque æneas cælatas opere Corinthio, hydriasq; grandes P. Scipio posuit, suumque nomen inscripsit. Conditores Leontinos fegrūt. Diodorus scripsit in Philippo, Leptinē Enginū tyrannū a Timoleone expulsū inq; Peloponesum migrare coactū. Porro oppidū a Federico rege anno Christianę salut. ducēteſimo nonageſimo nono supra mille ditutū, quarto rursus post anno ab eodē restitutū, in ipsius oppidi annalib. inueni. A frōte Politium vrbem magnificā hodie excipit, nihil de qua memoriæ proditū. Ipse a Palicis diis, siue a Polluce nomen sortitam crediderim. Medio fere itinere Petraleium oppidum occurrit, a Petra de qua fons manat, ex cuius vnda oleum elicitur, quasi Petra olea. Petralia in præsens. Oleo post annum ad animalium curandas ægritudines vtuntur. Duo hoc nomine vicina oppida. Inferius id quod nominauimus, superius alterum. Populi horum duum Petrini olim, vt refert Cicero. A tergo Nicoxia, de quo ante dictum, & mox ad orientem in excelso AEtnæ æmulo ac vndique prærupto monte Trahina vrbs constituta. Vlpianus de Censibus Trahinopolim hanc vocat. Huic proximum Gaglanum oppidum, quod Agyra ille amnis quem supra nominauimus, seperat. Galeria antiquitus appellatum: populi Galerienses, autore Diodoro in Philippo. Ipsa Agyra, vt plura Siciliæ oppida, ita in montis cacumine sita, nunc Sancti Philippi miraculis insignis: (in eius siquidem die festo spiritus quos Diabolos vocamus, ab obsessis mortalium corporibus expelluntur) Samphilippus Agyrionis modo nuncupatur. Hic Herculem pro ciuium meritis lacum effodisse, eiusq; boues saxis vestigia impressisse, Diodorus narrat in fabulis. Hæc ipsius Diodori, qui vir fuit in scribendis historiis quam celeberrimus, patria. Tiberii nanq; Cæsaris tēpestate historias in libros triginta digestas, quam Bibliothecam appellauit, de AEgyptiorum antiquitate, Siciliæ, ac aliarum insularum, deque Troiano bello, Alexādri, atque Romanorum gestis ad suam vsque ætatem scripsit. Ciramis de quo nemo mentionem fecit, oppidum contra Trahinam, versus Aquilonem, Ptolemæus Capytium dixit, quod nos Capitium, Capytinam Cicero. Ingenti frigore infestatur Randatium vrbs, propterea quod sub ipso fere AEtnæ monte posita, ad septentriones maxime vergit: olim Triracium quam vocari credimus, Plinio quoniam de Triracinensibus facta est mentio. Gurridam appellant fluuiolum quinque miliaria non amplius distantem ad occidentem: quem specu quadam absorptum fama est illum esse, qui Catinæ pluribus in locis scaturiens mortiferam induxit cōtagiem, atque Iudicellus Catinensibus appellatur. Brontes quoque antiquum oppidum, ad fontem (de quo supra diximus) amnis, de Brontis Cyclopis Vulcani socii nomine, de quo Vergil. meminit. Nam in nemoribus est quæ inter Randatiū & Adranum medio loco claudūtur. In montis radicibus AEtnæ, & in ea parte quæ ad occidentem pertinet, Adranum, nostra ætate Aderno, adhæret supra Teriam amnem: ab Adrano deo deductum nomen, quem Siculi prope omnes maxima celebrabant religione. Et mox alterū Paterno nomine, siue quod ipsum sit Adranum,

num, siue de eius nomine: vbi Fons aquæ ferreæ: qui feruens, nec foras erumpens, linteum aut pannum trita galla prius cũ aqua infectum, mox nigrum reddit. Maimonis fontem hunc appellant. Et nunc ad Ennam vetustissimam vrbem venio, Castrum Ennæ, dein Castrumianni vocatam. Quæ quia in medio est insulæ, vmbilicus Siciliæ nominatur. Enna igitur in loco est præcelso atque edito, quo in summo est æquata agri planicies, & fons aquæ perennis, tota vero omni aditu circũcisa atque dirupta est. Quam circa, & in ea plaga quæ ad meridiem pertinet, est lacus antiquitus Perguſa nomine, quo non piscium quidem pleno, sed colubris, ad linum molliendum duntaxat, cuius magna ibi copia, Ennenses vtuntur. Ennam (vt autor est Strabo) Eunus quidam multis fugitiuorum comitatus, adeo latrociniis & populationibus affecit, vt vix Romani eum loco expulerint. In hac vrbe deam Cererem, & Liberam filiam, quam Proserpinam vocant, natas, raptumque ipsius fuisse Proserpinæ, ideoque ipsis consecratam, non tantum Siculis, verum etiam mortalibus omnibus, tum persuasum fuit. Etenim prope est spelunca quædã conuersa ad aquilonem infinita altitudine, qua Ditem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, & subito non longe a Syracusis penetrasse. Hæc eadẽ Ceres antiquissima, & princeps fuit omniũ sacrorũ quæ apud omnes gentes nationesque fiebant. Atqui Cererem Siculorum regiam constat, ac leges statuisse, frumenti item vsum homines docuisse, eiusque filiam Proserpinam ab Orco Molossorum rege, quem Ditem dixerunt, raptam. Erat in templo, cuius pars adhuc stat, simulachrum Cereris e marmore, & in altero Liberæ. Præterea quoddam ex ære modica amplitudine, ac singulari opere cũ facibus perantiquum. Ante ædem in aperto ac propatulo loco signa duo erant: Cereris vnum, alterum Triptolemi, pulcherrima & perampla: insistebat in ipsius Cereris manu dextra simulachrum pulcherrime factum Victoriæ. Philonides Ennensis medicus fuit celeberrimus. Oppidum vicinum hodie Calathasibetta, vallè ingenti ab Enna discretum. Asserum olim ampla ciuitas fuit, nunc Azarum. In ipso Chrysa amne (de quo paulo antè mentionem fecimus) & in ea via qua Assero itur Ennam, erat fanum tunc singulari religione Chrysæ consecratum (is apud Asserinos habebatur deus) & in eo ipsius Chrysæ simulachrum præclare factum e marmore. AEtna mons (Mongibellus hodie dictus) suis mirus incendiis, quum sit materia plenus sulphurea, quæ humidis generatur nutrimentis, veluti in Hephæstiis Lyciæ montibus, (vt Plinius tradit) intra fistulas cauernasque ventorum incluso impetu, & euri potissimum, subsolani, boreæque, quibus ipse plus quam cæteris patet, accensos ignis globos exesis vndique ex crateribus eructat. Thucydides in tertio de bello Peloponnesiaco libro, ab eo tempore quo Græci Siciliam tenuere, ad bellum quo Syracusani ab ipsis seditiosis acciti Messanam ceperunt, tres AEtnæ ignis inundationes commemorat. In sexto Strabo, superioribus annis ait campos AEtnæis cineribus sparsos omnium prope rerum maximam exuberantiam præbuisse, atque Anapiam & Amphinomum fratres flammas eructante AEtna, parentes humeris ex flagrantibus extraxisse ignibus. Quibus ciues sepulchrum fecisse, piorumque locum vocasse. Aliquot post annis deinde huiusmodi ignem ex AEtnæ hiatu emanasse legimus. Orosius præterea refert, Seruio Fuluio Flacco, & Quinto Calphurnio Pisone cõsulibus, arsisse AEtnam, & eo quoque anno bellum fuisse seruile in vniuersa prope Sicilia præter Messanam. Et M. AEmilio, Lucioque Oreste etiam cõsulibus, horrendis cum sonis flammas eundem eructasse montem. Ac Lucio denique Cæcilio, & T. Quintio Flaminino consulibus, his maiorem ignis cladem: quam ob rem Romanos decennio tributum Catinensibus remisisse. Arsit & altero post Sanctæ Agathæ Catinẽsis martyrium anno, qui fuit ducentesimus, quinquagesimus quartus post Christum, mense Februario. Millesimo itẽ, centesimo, ac sexagesimo quinto, Februario quoq; mense, eiusdem montis sonantibus ruinis terra adeo concussa, vt ipsius Diuæ Agathæ domorum lapsu sacerdotes omnes obruti. Iunio præterea mense, anno vero post Christum natum millesimo trecentesimo vicesimo nono, (quo etiam solem defeciſſe legimus) quatuor factis profundissimis hiatibus magnũ pro-

prorupit ignis flumen. Ac denique priore anno, & hoc quoq;, quo ipse scribo, millesimo quingentesimo tricesimo septimo, mense Maio, incredibilis magnitudinis igneam massam de incenso sulphure factam, ex ipsius Ætnæ nouis factis crateribus prolapsam, quæ ab aere aliquantulum condensata superficie, non velociter quidē, sed passim ruebat, colles, nemora, saxa ac rupes, pagos etiam duos (mons pagos multos continet) Mompiler vnum vocant, alterum vero Licolosim, combussisse vidimus. ac denique montis cacumine flammis continuis vna ex parte prolapso, ampliorem factum craterem. Ipse ignis globus, quem incensum sulphur esse constat, interdiu subnigrum, noctu autem igneum totum horrendumque sese spectā- tibus ostendit. Tonitrus plurimis diebus continuos, mortales terrentes, exaudiri, atque adustis nigrisque cineribus non Siciliam modo, verum & Calabriæ partem opertam, cœlumque totum infestissimo fumo, nos qui has insedimus terras, testimonio sumus. Ætna rursus plenus est nemorum, fructusque elegantissimos producentium arborum, cinctusque oppidis, quæ radicibus sparsa. Versus meridiē Catina est in planicie, ad Eurum vero arx in scopulo, quæ cum suo pago denomine Acidis fluminis, Iacis nuncupatur. Inter vtranque Vlyssis portus, nunc Logninç portus, paruus admodum, quem Ætnæis ignibus accensa materia vastatum Catinenses pro certo affirmant. Cyclopum tres Scopuli (de quibus Plinius meminit) contra Xiphoniam promontorium, parum a Sicilia diuisi. scopuli Pharagloni, promontorium Caput Malinorum hodie appellantur. Ora autem, quæ ad orientem & mare Ionium spectat, partim nemora, partim planiciem habet, quam Mascaris planiciem, eodem nomine & oppidulum vocant. In hac regione Ætnam ciuitatē collocant ad Tauromenium spectantem. In planicie flumen nomine Frigidum, quod Acis flumen antiquitus fuit, non longe a Taurominii amnis ostio in mare prorumpens. Acidem Galateæ Siculæ puellæ adamatum puerum, saxoque ab Polyphemo Cyclope contritum, atque in flumen mutatum, in fabulis scriptum est. A cuius ortu non distat Calabianum oppidum, arundinum dulcium a fronte stipatū messibus. Et alterum exiguū in nemoribus Ætnæ remotiori in loco Linguagrossa. Ad Tauromenii (quē nominauimus) amnis fontes, situm est Francauilla, & Castiglonum: quæ ab oppido tenui Lamotta, cognomento Camastra, ipsum dirimit flumen. Hincque ad spacium duodecim miliarium in circuitu Ætnæ Randatium, & Chisaro: medio vero in itinere Ruchella, ac inde rursus ad Adranum, & Catinam. Sub AEtna Enceladum gigantem Vergilius constituit, Typhoeum Ouidius. Selurus quidam quum sese AEtnæ filium faceret, ac latrociniis assiduis campos fere omnes infestaret, missus tandem Romam, in gladiatorum foro beluarum morsibus laniatus. Est Recalbutum oppidum inter Agyram AEtnamque, cuius nomē vnde, siue a quo sit deriuatum, me latet adhuc, nisi coniectura vtendo Alcæum esse velimus. Alcæos nanque Centuripi vicinos populos multi constituere: ciues tametsi ipsi, quod ædiculam, quam nunc demonstrant, a quodam rege voto dicatam ferunt, Regale votum vocari maxime contendant. Amplissima Centuripis tunc ciuitas, AEtna antiquitus appellata, (vt autor est Strabo) in valde edito loco, prope AEtnæ radices in ea plaga quæ ad occidentem pertinet, tum sita, nunc Centorbis vocata, a Cn. Pompeio diruta, quāuis ab Augusto dein restituta, (vt idē autor scripsit) tamen non casis sed omni prorsus carens ædificio, paucis iunco & palea contextis tuguriis contenta. Per id fere tempus quo Chalcidenses Leontinum & Catinam obtinuerunt, Lamis Megarensis a Peloponnesо adducta colonia secundum Pantagium fluuium, medio in itinere quo Syracusis itur Leontinum, Portilum oppidum condidit: quod Trotilum Thucydides, nostri Curcuracim (id quoniam esse reor) appellant, vetustate & ruinis affectum: quamuis Herbesum inter Leontinum & Syracusas nec procul a Megara constituat Liuius. Ipsum Pantagiū, cui ingenti murmure olim sonanti Cererem, dum filiam Diti raptam accensis facibus, quas ex AEtnæ fornacibus sumpserat, mœsta perquireret, silentium imposuisse fertur, nullo in præsentia indito nomine fluuiū in Syracusarum passu: ostium vero Marcillinum vocant. qui a fonte Lafauara, inter Sortinum & Leontinum ortus, haud multū peragrans, in Megaræ portum diffunditur. Prope Sortinū oppidū,

de

de quo supra diximus, vetusti oppidi apparent vestigia, locus saltibus & nemorib. difficilis, atque flumine propemodum septus, Pantalica nomine, longo tractu ab ipso Pantagio diuisus. Millia flumen inter Leontinum & Syracusas, (vt ipse Liuius est autor) flumen Sancti Iuliani hodie. Non multis sane post annis idem Lamis a Leontinis loco pulsus, Tapsum peninsulã positis ibi ædificiis incoluit, insulã Manghisis (vt dictum est) nunc appellatam, portu ab occidente munitam, atque ab Syracusis quatuor remotam miliaribus. Quo extincto eadem e Tapso profecta colonia, Hyblone rege duce, Megaram & Hyblam occupauit, de cuius nomine Hyblæi dicti sunt. Megaram Hyblamque vnam esse multi scribunt. nobis vero eam esse Megaram, quæ Augusta nuncupatur, ab Augusto Cæsare instaurata, magis placet: quum a Cn. Pompeio (vt Strabo refert) fuisset deuastata, atq; a Marcello (vt Liuius ait) ante direpta: & Hybla supra ipsam Megaram a pluribus autoribus collocatur, nũc Milillis, quasi mel Hyblæ. Megara peninsula ab occidente portum insignem habet, distatque duodecim a Syracusis miliaribus ad Aquilonem, a Federico secũdo arce immensæ magnitudinis munita, ad nostrum vsque tempus in ipsius vrbis aditu posita, tametsi parua in præsentiarum, nomenque illi Augusti Cæsaris maneat. Eius ciuis Theon poeta fuit. Quam inter & Murgantium (de qua satis dictum est) Turris est ad Ionium spectans, recens, quam Brucam nostri appellant. Tauro promontorio, quod caput Sanctæ Crucis nominant, interiecto, frumenti nobile emporium. Centum post annos his Megarensibus noua adcita colonia Selinis misso Pammilo, qui eam tenebant, pulsis Phœnicibus, medio ferme itinere inter Lilybæum & Thermas occupatur. Selinis nomen de fluminis nomine, quod adhuc a salis copia, Selinis nuncupatur, ipsam alluens vrbem: quæ modo Mazara dicitur, ab altero flumine Mazaro prope ipsam ciuitatem, ad occidentem. Egion hæc a Plutarcho appellatur. Ptolemæo, horum mutatis fluminum nominibus, alterum pro altero descriptum. Hinc ad Himeræ ostium salsas propemodum esse aquas fateamur oportet, quod & Strabo ipse autumat. Illi autem quibus Megara detenta, centesimo quadragesimo quinto anno postquam Pammilus Selinim obtinuit, a Gelone Syracusanorum tyrãno sedibus expulsi sunt. Supra Selinim amnem Selinis extat oppidum, Salemis nostra tempestate, a mari remotum, frugiferis arboribus insigne. Thermæ duæ vrbes maritimæ, ad Tyrrhenum vna, de qua dicemus: altera vero ad Libycum mare spectat iuxta Selinim. Quam (vt ait Diodorus) fortissimi quique a Carthaginensibus delecti, missique antequam exercitus ad explorandam insulã mitteretur, coluere, atque ab aquis calidis Thermas vocauere. (Xaccam eam hodie appellamus) Thermæ nanque ibi probatissimæ, quæ omnibus fere morbosis locum petentibus præsentaneum præbent beneficium. Fons est cuius aqua in vase quibusuis liniamentis fabrefacto reposita triduo densatur, fitq; lapis illis liniamentis inscriptus. Erat inter vtranque Pentia vrbs mari proxima, Lipulici nunc vocata, in qua Pollucis templum, vbi multa, licet vetustate deleta, visuntur monimenta. Hincque ad lapicidinas quæ mille passibus a Selini distant, vnde templi columnæ exemptæ, nostra ætate Ramaxara nomine, via est miro labore, ac immensæ magnitudinis structa lapidibus. Extant adhuc Entellini vicini populi antiquam colentes Entellam, ab Entello Acestis socio sic dictam: quam Castrum Entellicum deinde vocatam apud Siciliæ annales inueni, hodie vero Castellumueteranum. Antecedunt Lilybætani occidentem versus. Et vrbs Lilybæum, quam nostri Marsalam vocant, in ipso Lilybæo (a quo nomen sibi vendicauit) collocata promontorio. Ad dexterã portus, cuius fauces ab Romanis cum Carthaginensibus belligerantibus, magna lapidum ac cæmentorum iniecta materia obstructæ, promontorium inter vrbem & portum haud multum in pelago proiectum. In ruinis domus adhuc, quæ perantiquæ ac nobilis ciuitatis apparet testimoniũ, semidiruta, vbi in quadã fornice inscriptus his literis est lapis,

I. CÆSAR FL. VALENTINI.
PIO FELICI SEMPER AVGVSTO
M. VALERIVS QVINTIANVS V. C. CON.

DDD

P. S. CLEMENTIÆ PIENTIQVE.
EIVS SEMPER DICATISSIMVS.

Domus præterea e marmorei draconis ore manante aqua orti irrigabantur. Aquæductus cæmentitius sex ab hinc miliaribus. Complures item fistulæ subterraneæ paruo itineris spacio in vrbem ducuntur. Nec multum quidem distant a mœniis magnitudine admirabiles lapicidinæ, vnde lapides excisi quibus (vt ipsi Lybætani aiunt) Carthaginis muri instructi sunt. Domusque altera duo miliaria abest, quæ nullam habens domorum similitudinem aliquibus cum scalis & fornicibus, obscura admodum, paruo labyrintho maxime est similis. hanc Abbatiam vocant. Ad aquilonem autem vergens fons est iuxta. Item & puteus templo incluſus antiquo, (id Sancto Ioanni Baptistæ modo consecratum, instructumq; pauimento crustis diuersorum colorum distincto) cui nomen Lilybæo, de cuius nomine & vrbs & promontorium nomen sortiuntur: Sibyllam vbi quandā habitasse, sepultamque deinde, Iulii Solini verbis persuasi adhuc credunt. Probus philosophus Lilybætanus præstantissimus, quem Porphyrius vltro Lilybæum auditurus venit. Mediterranea oppida huic vicina lateri, quorum cum priscis aliqua non faciunt nomina: Sutera, Chiusa, Sanctus Stephanus, Prizis, Palatium Adrianum, Calatabilotta. At Bibonam fontibus compluribus arboribusque ornatum, Proserpinam petiisse fama refert. Camarata, nomen (vt mea fert opinio) a Cametina dictum: quamuis Cammarum nonnullis placeat id nominari. sal eius rubeus. Et a Iulio Cæsare oppidum Iulianam adeptum nomen credimus. cuius finibus insederuntur, Busachinus, Villa Franca, Gibillina, Sambuca, inter Selinim & Panhormum, quod ab organi machinæue genere quodā nomen duxit. Sub Eryce monte Drepanum exiſtit. quam ab Lilybæo promontorio, decem circiter & octo miliaria sepositio, Acithius amnis diuidit, qui ex duobus in loco Marcanza nomine, vbi pons est, vnus fit. Nomen non a Saturni falce deductum, (quod fabulosum est) sed a curuo littore, veluti Rhium promontorium in Peloponneso: quia curuum, Drepanum vocatur. Medio loco inter vtrunque Caput Sancti Theodori, antiquitus AEgitharsus promontoriū in Sardoo pelago protensum: Ptolemæus nomen quoquē ciuitatis fuisse ait. Igitur in falcato posita littore, quo portus efficitur vastus, pulchra vrbs ac diues, etiam spectat ad occidentem. Insulæ in prospectu, quæ veluti munitiones ad portus augmentum serio factæ maxime surgunt, quatuor sunt. parua vna atque propinquior, Columbaria vocata, vbi inexpugnabilis arx. reliquæ Probatia, AEgusa, & Sacra: hodie Fauignana, Maretimum & Leuasum vocatæ. Ea & portu & salsis stagnis (quæ solis ardoribus deficcata, incredibilem salis emittunt copiam) prope consepta, expugnatu est valde difficilis. Quadrageſimo dein a Syracusis conditis anno Rhodium & Antiphemum Cretenses Polybius scripsit, Thucydides tamen Antiphemum e Rhodo, & Entimum e Creta, icto inter se se fœdere, suæque gentis in Siciliam ducentes coloniam, agros qui Lindii dicebantur occupasse, vrbemque a flumine Gelam nuncupatam statuisse autumat. Gela barbarum nomen, Latine Caligo. flumen idem fuisse quod Himeram puto. Igitur vrbs in tumulo erat Lalicatæ oppido maritimo (quod ad meridiem vergit iuxta Himeræ amnis ostium) imminente, cuius nomen Gelæ adhuc, (mons Gelæ nanque vocatur) distatque ab Agrigento miliaribus quatuor fere & viginti: ita vt ex Gelæ ruinis illud constructum affirment. Amplificatum nonnulli credunt ab Acate: nomenque deductum. Diruere Athenienses deinde, Gorgus ex Chio profectus restituit: quæ ante Phalaridis tempestatem gesta reor. Stagnum Geloum vbi fontes duo olim natura diuersi. vnius nanque vnda steriles, alterius autem fœcundas mulieres reddebat. qui fabulosi etsi, hodie tamen non extant. Signum ante vrbem erat Apollinis prægrande, quod victores Carthaginenses Tyron miserunt. Timagoras Gelensis philosophus Theophrasti auditor. Supra Gelam Mactorium (quam Ptolemæus Macharinam appellat) vrbem constituit Herodotus: Cicero Macharensem agrum dixit, hodie Mazarinum. Sinistro Gelensis maris littore Heraclea (quæ & Minoa, vt Liuius tradit) ad notum vergens allutitur: vulgo licet Terranoua, in publicis

blicis tamen rationibus Terra Heracleæ dicitur. Minoa, quia ibi Minos Dædalum vestigans occisus creditur. Herodoto tamẽ Camicum eam vocari vrbem, vbi Minos interfectus, placet. Strabo ait hanc Cocali tyranni regiã fuisse. P. Rupilius prætor noua amplificauit colonia, legemq; illis de cooptando senatu conscripsit. Cõdidisse vero Dorieum Lacedæmonium Diodorus narrat in fabulis. Ad læuam Ispa fluuius, Lapriſa apud eos vocatus. Ad occidentẽ lacus Lafalconara nomine. Vltra lacum Butera oppidũ haud longe ab Himera amne, quod Buterium in noſtris annalibus dictum inuenimus. Ptolemęus Heracleam magis ad occidentem, quam Agrigentũ & Gelam declinantem deſcripſit: quod falſum eſſe conſtat. Poſt centeſimum & octauum annum Geloi & ciuibus & opibus aucti in eodem latere Agragantem (Agrigentum, ſiue, vt noſtri vocant, Girgentem) vrbem a flumine Agragante, autorib. Ariſtone & Pyſtilo, condiderũt, vt Polybius ait. Duo ſunt fluuii ipſo in exitu cõiuncti, quibus antiqua vrbs ſepta eſt. Draco vnus vocitatus, Sãcti Blaſſii alter nomẽ ſortitus: qui vbi cõfluunt, vnus erat Agragas. Nec vana quidem mihi videtur opinio quibus horum alterum, cui Draco nomen, Agragãtem fuiſſe placet: vt Agragas primum, vulgari deinde pronunciatione Dragas, poſtremo aũt Draco diceretur. Platina amnis, qui viginti milibus paſſuũm ab Agrigento labitur, iuxta Caſtrum nouum ortus, vbi Suteram & Cammaratam abluit, in pelagus diffunditur: quem Lycum fuiſſe, Diodori Siculi (in eo libro quem de Philippi Macedonum regis geſtis ſcripſit) verbis adducti exiſtimamus. Flumen fontem excipit Oeſtrũ mõte Sanctangelo effuſum, qui ob præcipuum Muſarum cultum, Fons Muſarum antiquitus appellabatur. Muxarum poſtea agrum dixerũt per quem fluit. Eſtq; haud procul Lafauara oppidulum. Nec deſunt tamen quibus ab Agragante (hodie Mõte ſicco, qui magnanimũm nutritor equorum a Vergilio appellatur) Agrigentum appellari placeat. Vrbem ergo cæteris ditiorem (Syracuſanorum etenim diuitiis cedere neſciebant) multis poſt annis Carthaginẽſes deleuere. Megellus poſtea atq; Feriſtus ab Helea Lucaniæ vrbe venientes inſtaurarunt. quæ demum a T. Manlio prætore omiſſis ruinis (vt M. Tullius in Verrinis Actionibus ſcriptũ reliquit) & illis qui ſuperſtites, coadunatis, atq; ex vicinis adducta colonia, in colle, vbi in præſentia eſt, Athenæo nomine translata. Ita vt duo Agrigentinorum genera, vnũ veterum, alterum colonorum fuerint. Cautum nãq; erat in ſenatu cooptando in Scipionis legibus, ne plures eſſent colonorum numero, quam ex vetere Agrigentinorum. In foro recentioris vrbis lapis eſt marmoreus his inſcriptus literis:

CONCORDIÆ AGRIGENTINORVM SACRVM
RESPVBLICA LILYBETANORVM: DEDICANTIBVS
M. HATERIO CANDIDO PROCOS. ET L.
CORNELIO MARCELLO Q.
PR. PR.

Plura erant in illa vetere templa egregie facta, vnum Æſculapii illa tempeſtate religioſiſſimum, in quo ſignum Apollinis erat pulcherrimum, Scipionis monumentum, C. Verris furtum, cuius in femine literis minutis argenteis nomen Myronis ſtatuarii erat inſcriptum. Alterum Palladis, vt lib. 13. ſcripſit Diodorus: vbi Gellia Agrigentinus, patria iam capta hoſtium violentiam euaſurus, ſe cum multis receperat, atque furente tumultu, moriendum eſſe potius quam hoſtium in manus incidendum ratus, templum cum his qui aderant combuſſit. Agrigentini turrim Puellarum appellant. item & Sanctum Gregorium alterum, quod adhuc ſtat. Tertium Iouis templum fuit. cui Carthaginenſium bellum finem prohibuit. longitudo (vt idem autor refert) trecentis & quadraginta pedibus, ſexaginta latitudo, altitudo autem centum & viginti continebatur. Idq; omnibus quæ tunc in Sicilia erãt, multo fuit maius. Ædificium eo erat artificio, vt columnæ rotũdam exterius, interius autem quadratam formam oſtenderent. Et in porticu quæ ad orientem conuerſa, Giganteũ bellum ingenti magnitudine, miroq; artificio ſculptũ. Altera vero parte Troiana clades, cui domus Phalaridis tyranni adhærebat. Lapicidinæ (nunc la Cauetta) prope vrbem, vnde a Carthaginenſiũ magno captiuorũ numero columnæ & lapides exempti ſunt. Item & aquæductus ab his plures ſubterranei

fabricati memoria digniſſimi, Phæaci, qui de cuiuſdam Phæaci nomine dicebantur. Vna erat piſcina (quam alibi Diodorus portum vocat) ad ciuium commoditatē manufacta, piſcium plena. Ambitus eius mille ferme paſſus, profunditas ſexaginta pedes continebat: cycnorum vbi multos nantes erat videre. Quæ mortaliū deinde incuria, cæno referta, in agrum tādem, vbi plantarum ingens fuit copia, mutata eſt. Ager item ad ſpacium ſex prope miliarium Aquilonem verſus, albus ſolo, qui neque herbarum nec graminis quicquam patitur, multaq; continet foramina lutum liquidum vomentia, ac abſorptam (ſi coniicitur) virgam magno cum impetu foras retorquentia, Machalubam Agrigentini nominant. Mos erat illis, equos plures per virgines domi ac pueros alere, adeo vt Exænetum Agrigentinum, nonageſima ſecunda Olympiade in ſtadio quum fuiſſet victor, trecentæ bigæ (autor eſt Diodorus) quæ ab equis agebantur albis, in ciuitatem cōduxerint. Plinius quoque plurimorum Agrigentinos equorum tumulis pyramides erexiſſe teſtatur. Nec multum abſunt mirandæ naturæ ſalinæ (Cantarellæ ſalinas hodie vocant) quæ ſalem, qui in igne ſoluitur, denſaturq; in aqua, gignunt. Iuxta antiquam vrbē ex cuiuſdam fontis vnda, Aqua ſancta appellata, oleum elicitum aluum perpurgat. Horū omnium diuitiis pares erant deliciæ, propterea quod dum a Carthaginenſibus (vt idem autor commemorat) continua obſidione maxime premerentur, lege fuit cōſtitutum, ne eſſet excubantium cuiquam culcitram amplius vnam, vnum linteū, pelliciamque veſtem noctu habere permiſſum. Id nanque maximum incommodum putantes decreuerunt. Diuitiæ, Antiſthenis & Gelliæ ciuium luxu atq; opulentia probantur. Ille in filiæ celebrandis nuptiis non modo his qui domi erant ciuibus, ſed etiam aduenis cunctis ſpectatum qui venerant, lautiſſimam cœnā ſubminiſtrari iuſſit. Gellia vir nobilis, prudēs imprimis atq; diues, ita fuit magnanimitatē præditus, vt pueri quos in vrbis portis ipſe diſpoſuerat, peregrinos omnis domum conducerent. Centum præterea e Gela armati equites quum repentina tempeſtate correpti, noctu Agrigentum appulere: quib. hoſpitio exceptis veſtes Gellia omnibus præſtitit madefactis. Hic ad Centuripinos orator ab Agrigentinis miſſus, illis hominem ſtatura puſillum deformēq; ridentibus dixit, Agrigentinos ad claras ac formoſas vrbes proceros pulcherrimoſq; legatos, ad infimas vero puſillos ſibiq; ſimiles mittere conſueſcere. Acron Agrigentinus philoſophus & medicus ante Hippocratis ætatē Athenis vixit. Empedocles omni prope laude dignus, veluti omni ſcientia clarus, qui animum eſſe cenſuit cordi ſuffuſum ſanguinem. Et de eius nomine nepos Empedocles tragicus poeta. Archinus quoq; tragicus poeta, cētum & quinquaginta edidit tragœdias. Metellus muſicus, Plato a quo muſicā doctus. Moſchus orator, diſcipulus & auditor Gorgiæ. Phalaris Agrigentinorū tyrānus, qui primus poſt Theſeū tyrannidē exercuit: autor eſt Plinius. Huius matrem viſam eſſe videre in ſomnis aiunt ſimulachra deorum quæ ipſa domi conſecraſſet: ex his Mercurium ex patera, quam dextra manu teneret, ſanguinem viſum eſſe fundere, qui cum terram attingeret, referueſcere videretur ſic vt tota domus ſanguine redundaret. Phalaris Laodamantis Cretenſis filius, prima infantia parentib. orbus, vxore Erithia ducta, Paurolam filium genuit. Inde ob ſeditiones domo profugus, in Siciliam commigrauit, atq; Agrigenti principatum obtinuit: vir prudēs inter omnes, domi militiæque clarus, literis ac liberalitate inſignis. Steſichoro Himerenſi poetæ, qui coniurationis conſcius, ob diuina eius carmina pepercit, fatoque extincto in AEtnæ radicibus ſepulchrum poſuit. Perillus huic Athenienſis faber plura opera miro artificio cælata dederat. qui pluribus ob id donatus muneribus, taurum rurſus æneum naturali ſtatura maiorem obtulit. ipſe nondum reſerato artificio, quod homo qui morti deſtinatus eſſet, tauro incluſus, ſuppoſitis flammis non humanam vocem, qua tyranni ſæuitia leniretur, ſed tauri mugitus ederet, donum benigne accepit. Artificium inde doctus, Perillum, qui tale excogitauerat tormentum, omnium ſæuiſſimum, ac illo cruciatu dignum exiſtimans, eundē faceret periculum adegit. Taurus Carthaginem dein adductus, atq; a P. Scipione Africano multos poſt annos reſtitutus. quē taurum Scipio cum redderet Agrigentinis, dixiſſe dicitur, æquum eſſe illos cogitare vtrū eſſet Siculis vtilius, ſuis ne ſeruire,

ſeruire,an populo Ro.obtemperare,quum idem monumẽtum & domeſticæ crudelitatis & Romanæ manſuetudinis haberent. Mediterranea quæ Agrigentum haud multũ refugiunt oppida.Siculiana,nomen a Siculis deductum:Recalmutus, Muſumellis & Sutera cæteris remotius. Narus magnifica ac populoſa ciuitas, cuius nomẽ cum antiquis nulla ſimilitudine comparatur. ab oriente Mons clarus cũ arce pelagus proſpiciente. hic venam habet rubei ſulphuris. Trinacriam vrbem nobilem fuiſſe (quanquam vbi loci, nemini compertum) ſimul & a Syracuſanis euerſam plane cõſtat. Zancla vnius miliaris ſpacio a falcato littore (Polybius licet vnius diei dixiſſet) portuſque ſinu (vbi nunc pagus eſt Chiera nomine, quod poſt vrbis euerſionem, vbi fuiſſet innuere volentes, Hîc erat, dixerunt: deinde Chiera) a Siculis condita, atq; a falce Zancla nominata, anno mundi 3434. Siculi enim (vt Polybius & Thucydides ſcripſerunt) tunc falcem Zanclam vocabant. Strabo Naxiorum ædificium fuiſſe ait. Et Diodorus in fabulis Zanclotũ regem ibi regnãtem ædificaſſe, deque ſuo nomine appellaſſe narrat. Poſtea vero atque per id tempus quo Ariſtonus & Pyſtilus Agrigentum tenuere, Perieres Cumanus, & Cratęmenes Chalcidenſis nauibus prædandi gratia in Siciliam ſemel appulſi, mox iterum ſuæ gentis eo deducta multitudine, Siculos vbi eiiciunt, vrbem ſuæ adigunt ditioni. His denique eiectis, Samii & Ionii Medos fugientes vrbe potiti. Ex quibus vnus Cadmus Cous vir integer, omnique propemodum virtute præditus. Syracuſani his adhæſere ob ſeditionem exules, qui Melchidæ dicebantur: quibus ſociis ipſi Zanclæi Himeram obtinuerunt. Anaxilas Cretinis filius, Rheginorum tyrannus, non multis poſt annis eos pepulit, vrbemque diripuit, nouamque erexit, deque ſuæ patriæ nomine Meſſanam appellauit (Meſſana vrbs Achaiæ) promiſcua lingua inter Doricam & Ionicam frequentem reddens. Hæc igitur a portus ſinu, vbi naualia ſunt, & palatio regis Federici ædificio, portaque caſtelli ad mare (quod ibi arcem antiquitus fuiſſe pro certo affirmat) vocata inſurgebat, muroque ædibus incluſo (qui Malfitaniam vicum a deiparæ Mariæ egregio ac pulcherrimo fano, Sanctique Laurentii ædicula dirimit, tenditque ad Diui Antonii vſque portam) præcincta: adeo vt quicquid domorum extat, formoſiſſimæ impræſentiarum ciuitati augmento additum deinde fuerit. Cæterum quum vita functo Anaxila Micythi ſerui tutelæ filii puerilem ducentes ætatẽ crediti eſſent, Micythus, quem ſancte geſſerat, poſtea quam ex ephebis exceſſere, illis reddidit principatum. Quæ omnia geſta ſunt ante Mamertinos Campaniæ populos, quos ſub Agathocle Syracuſanorum rege militantes, ſitu vrbis & opulentia allectos, rupta fide (quia per amicitiam recepti erant) illis omnibus pulſis Meſſanam occupaſſe diuiſis inter ſe agris, nulli dubium. Meſſana igitur vrbs hodie ſatis proſpera, ſatiſque pollens, ab Italiæ finibus Charybdis freto, portuque natura ipſa facto diſcreta, ab occaſu collibus munita, tritici meſſibus (quia montibus clauditur & pelago) caret, nemoribus abundat: ſed tota prope eius meſſis in mororum foliis conſiſtit. Probatiſſima enim a Meſſaneis lana ſerica in multas Europæ partes mittitur. Portus tutiſſimum diuerſorium qui Charybdis Scyllæque rabies ſuperare pertentant, eam vrbis partem alluit quæ ad orientem pertinet. Pars antiquiſſimi aquæ ductus ante ædem diui Franciſci apparet. Fons eſt in ipſa ciuitate perennis, atque ſaluberrimæ aquæ iuxta portum, quem Leonis puteum ipſi vocant. Ac etiam inſignis pila, nec ante patrum noſtrorum memoriam facta, quo potum equos agunt (Biuiratoram hanc vocamus) omnibus quæ in toto fere orbe pulchrior. Longitudo eius pedibus trecentis ferme & viginti ſeptem, duodecim latitudo continetur. Ipſam vna maior, atque altera minor ſtrix cingit. In capite pila quadriformis ingens conſtituta: e cuius centro columna ſuper leonibus quatuor marmoreis inſurgit, & ſuper ea altera rotunda pila cum columella & extrema pila, qua ſuper Meſſana ipſa e marmore habitu muliebri, cuius in pectore Siciliæ inſignia ſculpta. Aqua autem perennis ad extremam per ſubterraneas fiſtulas decurrens, vbi ducitur quaſi de caſtello, per foramina vſque ad quadriformẽ (quam diximus) pilam defluit. Hinc rurſum ad omnibus his ſeiunctã per foramen defluit pilam, atque per cæcos meatus confeſtim in magnam ex marmoreæ ſirenis colubrum in manibus tenentis

vmbilico decurrit. Altera vero parte puer nudus e marmore ſupernante delphino, qui ex naribus aquam emittit, cum lyra, cantanti ſimilis. Effigies lapideæ duæ Scipionis & Annibalis antiquitate fere corroſæ in maioris templi porta viſuntur. Sanctæ Prophoniæ templum Caſtoris & Pollucis (vti ferunt) antiquitus fuit. Extra vero vrbem Veneris ædiculam, quæ prope portam gentilium mœnium nominatam in radicibus montium, Sanctæ Veneræ religio dicauit Chriſtiana, quam hodie diruunt. Ac etiam fama eſt Neptuni id fuiſſe templum, quod Diui Nicolai in lingua Phari ruinis propemodum affectum hodie vocant. Domuſque erat regia tribus milibus paſſuum ab Meſſana ad meridiem, cuius adhuc extant veſtigia: locum regis Caſtagnitum vocant, vbi fons. Latus vrbis quod vergit ad meridiem, amœnis ac locupletiſſimis pagis ſtipatur. per Valeriam viã (autor eſt Strabo) Meſſana Lilybæum pergebatur. Fuit Meſſaneus quidam Eius homo nobilis maxime locuples, minimeque auarus, cuius domus erat optima Meſſanæ, quam modo vetuſtate affectam contra propemodum Antiſtitis palatium eſt videre, & in ea ſacrarium perantiquum in quo ſigna pulcherrima quatuor. vnum Cupidinis marmoreum Praxitelis opus: parte ex altera Hercules egregie factus ex ære, quẽ Myronis fuiſſe fama vulgabat. Erãt præterea duo ſigna ænea non maxima, verum eximia venuſtate, virginali habitu, quæ manibus ſublatis ſacra quędam repoſita in capitibus ſuſtinebant. Canephoræ ipſæ vocabantur. Sacrarium, hodie vetus eſt ædicula Diuo Michaeli dedicata. AEdes in ea vrbe (vt ſupra memorauimus) Sanctæ Mariæ, quæ proximis annis pulcherrima columnis, celebrique pauimento extructa: inſignis Archiepiſcopi ſedes. Symmachus Meſſaneus ſeptuageſima octaua Olympiade victor fuit in ſtadio, in duodecimo libro vti ſcripſit Diodorus. Leontiſcus Meſſaneus fortis ſupra hominum vires, cognomento Acrocherſites. Euhemerus omni fere ſcientia eruditus, qui de deorũ natura ſcripſit. Dicæarchus Peripateticus philoſophus, & orator ſummus Meſſaneus Ariſtotelem audiuit, ſitum moreſque Peloponneſi ſcripſit, ſuiſque legem edidit. hic, quia difficilis erat animi, quid aut qualis eſſet, intelligentia, nullum omnino animum eſſe dixit. Ariſtoteles Siculus Meſſaneus de morali ac naturali philoſophia decem ſcripſit libros. Ibycus poeta lyricus & hiſtoricus. Hic a latronibus iam interceptus, antequam interficeretur, grues volantes ſuſpiciens, illis, Vos, inquit, ſaltem meæ mortis vltrices eritis. Paucis poſt diebus forte euenit, vt ſedentes latrones in theatro ſpectandi cauſa, volantes grues conſpexerint, atque ſubmiſſa voce alter alteri, Ecce, ait, grues Ibyci. quod ſecus ſedentes vt audiuere, prætori renunciarunt: quapropter capti latrones, ac iudicio conuicti, laqueis crimen luerunt. vnde prouerbium in re certa, Grues Ibyci. Lycus, Latine Lupus, cui & Butheras tum nomen, hiſtoricus, a quo de Sicilia multa ſcripta relicta ſunt. Polycletus Phalaridis tempeſtate Meſſaneus, diuinæ mentis medicus. Colam cognomine Piſcem, naturam piſcium habentem cunctos mirari oportet: quoniam ad ima deſcendens maris, biduo vti piſcis cibum capiens inter mortales illæſus deinde viſus, tametſi Charybdis voragines cauernaſque ſemel & iterum ſcrutatus, primorũ precibus tertiũ tentare auſus nunquam eſſet egreſſus. Ioannes Gatius paucis ante annis Meſſaneus Cephalœditanus epiſcopus, philoſophia noſtræque Chriſtianæ religionis ſcientia longe eruditiſſimus: amicis ſæpe dixit, ſacros libros, ſi forte amitterentur, ob firmam ſuam memoriam ſe poſſe reſcribere. Andreas Barbatius iuriſperitus Meſſaneus. Oppida caſæue plures inter Meſſanam & Tauromenium in montiũ ſaltibus diſpoſitæ. Quæ ſupra fretum, Fortia, Limina, Salecta, Stala, Sauoca, Caſale vetus, Ali, Mandanichi, Locadi, Giudimandri, & Lipaglara. Flumen Eniſes, nunc flumen de Niſe, cum oppido eodem nomine, quod Phaonem habitaſſe volunt. Venæ hic, quæ aurum, argentum, Porphyriticumque marmor gignunt, paſſim reperiuntur: ſed quæ alumen, cæteris omnibus abundantior. Argennum poſtmodũ promontorium, quod apud Siculos Caput Sancti Alexis dicitur, quatuor & viginti a Meſſana miliarib. diſtat, ſex a Tauromenio vrbe. Parte ex altera haud procul ab ipſo Peloro duo ſunt lacus. alter horum minor: quem, quod ibi anguillæ quæ in Scyllæo piſcantur freto, nec prægrandes quidẽ, ſed guſtu cunctis

cunctis elegantiores capiuntur, perfossa terra fluctus admittere crediderim. Circa Messanam & Mylam aresceere fontes hyeme, æstate vero scaturire, Plinius testatur. Ad Pelori lęuam Falacrium promontorium, Rasoculmum a nostris nuncupatur: secundum quod Farum, Sāmichelis, Sangeorgius, Gibisum oppidula. Et montana Castanæa & Lamassa. & vltra in maris littore turris Diuetus vocata, Dymethus a Ptolemæo. Sed antequam ad Mylam ventum, montosa oppida Carbarusa, Babusa, Saponara, Sammartinus: & post torrentem Vineticum, & Ramecta: supra item alia existunt, Rocca, Mauroiannis, & Monfortis, inter vtrunq; torrens. Et mox Gualterius oppidum, & Tyrrheno littori propinquus Condro, cum flumine eodem nomine. Nec multum distat fluuius, simul & vastus torrens sine nomine. Verum medio in loco oppidum Sancta Lucia. Et mox Myla vrbs, Mylazū modo nuncupata: quam & mari & portu prope cinctam, vi capi difficile esset. Zanclęis hanc detentam Strabo commemorat. Phocylides in ea ortus ciuitate, Theocriti Syracusani tempore poeta. Et a littore parum remota oppida recentiora, vt opinio mea fert. Castrum Regale, a quo octo miliaria non amplius Fons Veneris distat sulphureus, quem Sanctæ Veneris fontem vocant, atque eo quia scabiosos sanat, miraculosum credunt. ibique fluuius oritur. Item in montibus Tripis, Raccuia, Samperis, & Monsalbanus Rinaldi Villænouæ sepulchrum. Ad fontem autem Heliconis fluminis Noara: ibidem Furnaris est. Heliconis superato ostio Tyndaris vrbs in paruo tum sita tumulo, mari imminebat, nunc penitus euersa, quam a Tyndaro Ledæ patre conditam ferunt. Veruntamen a P. Scipione hostium spoliis ornatam omnino constat, inter quæ Mercurii simulachrum pulcherrime factum. Tyndarū hodie locum vocant, Diuæ Mariæ vbi ædicula, ac nundinæ anniuersariæ celebrātur antiquitatis monumentum. Fama est ad hæc loca cum Dianæ Fascelis simulachro Orestem appulisse. Mox ad occidentem Timethus fluuius. Vltra ostium Pactæ vrbs contra AEolias insulas passibus mille a mari posita, antistitis decorata dignitate: de qua quod ab autoribus nihil in scriptis relictum est, nec a Tyndaride ad Agathyrsum vllos populos habitasse legimus, eandem siue ex Tyndaridis ruinis erectam, siue recentem esse censemus. Suntque vicina parua oppida, Librizis, Giusaguardia, Montagna, Casale Pactarum. Inque fœcundis nemoribus, nec pelago procul Aluntium accessu difficili, Sanctangelum nostri appellant. Populi tum Aluntini, autor est Cicero. Medio in loco oppidum recens, vt reor, Lasicarra nomine: paruumque alterum Pilainus, & supra Limartini oppidulum: & quidam amnis, qui nullum apud iuniores sortitur nomen. cui proxima arx iuxta littus Brolus nomine. (ad Tyrrhenum hæc spectant vsque ad Drepanum) Iuxta fluuium Sinagra, Vchria, & Nesus nunc Nasus, a Nesia regione iuxta AEtnam sic dictum haud ignobile, milia quatuor a mari seiunctum. de quo Ouidium, cum dixit, Nesiades matres, Sicelidesque nurus, fecisse mentionem magis, quam de Nisa arbitramur. quippe est ad orientem ædicula parum distans, quæ sancta Maria Nasida nuncupatur. Huius finibus oppidum Castanæa, atque Longi oppidulum inseruntur, & mox Mistretta: quæ Amastra antiquitus fuit. Sunt & montuosa plura oppida, nemorosaque vsque ad Cephalœdim & Himeræ ostium: Galatis oppidum, Galata a Plinio vocatum, Galateæ patria. Turturicis, cuius ciues conflandi metalla peritissimi artifices. suo cum fluuio, & trans fluuium Myrtus oppidū, quod a mari sex distat miliaribus, cum suis pagis, Myrtilone, Saluatore, vtroque Crapi, Belmonte, & Frazanone. Item Sammarcus, & Chyda flumen memorabile, Rosmarini flumen vocatum: Militellus, Sanfradellus duobus fluuiolis oppida diuisa: & oppidulum Alcara. tumulus qui est inter Tyrrhenum littus Sanfradellum, quod nominauimus, oppidum, (in quo trium fratrum, Alphii, Philadelphi, & Cyrini martyrum hodie fanum est) antiquissimæ vrbis plura continet vestigia: quam Agathyrsum fuisse prædicant, propterea quod a Tyndaride triginta millibus passuum Strabo reposuit, ac Ptolemæus etiam id sentire videtur. Ierenses ac Pithienses a Plinio citati populi, oppida Giracis atque Pithinæum. Circa Giracim Sanctus Maurus & Castellutius. In iugo Halesa ciuitas, quam Halesinam Marcus Tullius vocat, modo vt tantum suadet coniectura Catonia:

nisi quis id esse mallet quod Colisanũ. Halesinis pro multis & magnis in remp. Romanam meritis atque beneficiis decreuit senatus vt C. Claudius Appii filius Pulcher de senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius leges dedit, in quibus multa sanxit, de ætate hominum, de quæstu, de censu, deque cæteris rebus: quæ apud illos diu valuere. Dio Halesinus fuit nobilis & diues, a quo C. Verres sextertia decies centena milia auferenda iussit. Vltra duo fluuii sine nomine. Ad fontes alterius oppidum Lamotta, cognomento Fermo. Tusa inter duos fluuios a mari duobus miliaribus sepositum. Et Pollina, cum flumine, quod Aleten fuisse, nisi de Apollonien sibus Cicero dixisset, pro certo haberem. Oppidum est paruum, a mõtis cacumine densisque nemoribus mare prospectans, quod Timoleon Corinthius Leptine tyranno victo libertate donauit. Monali ostium inter Cephalœdim & id de quo diximus oppidum, medium locum obtinet. Et ipsa sub alta rupe Cephalœdis, altisque montibus constituta pelago alluitur Tyrrheno, hodie Ciphalu. In ea pedes sacra, quæ antistitis est sedes, a Rogerio maiore dedicata. Cephalœditano pelago thynnorum magna captura, quorum oua stringunt premuntque, ac salsamẽto condunt. In montibus oppida Castellum bonum, Gracteris, Asinellus, quod an ab Asine flumine, de quo Plinius meminit, traxerit nomẽ, dicere non possum. Himeræ amnis insulam diuidentis (vt Liuius scripsit) duo sunt ostia diuersa. vnum Cephalœdi proximum ad Tyrrhenum erumpit: prope Gelam alterum in Libycũ effunditur mare: Flumen salsum hodie vocant. Eodem nomine Himera vrbs a Zanclæis, Euclide, Simo, & Sacone coloniam ducentibus detenta: quibus Chalcidenses plurimi, ac Syracusani exules ab altera factione superati, auxilio venerũt. Distabat a Thermis octo fere miliaribus, in paulo eminentiore loco posita, amnis ostio eas diuidente. Structura omnis lateritia propter lapidum penuriam. Eius templa Gelo Syracusanorũ tyrannus Carthaginensium spoliis ornauit. quorum manibus multis post annis ea deleta, hi qui excidii calamitatib. superstites fuerant, ad Thermas se receperunt, exhausti oppidi in alterum transfundentes reliquias. quam ob causam Thermæ Himeræ ab hinc nuncupatæ. Cicero in Verrinis Actionibus est autor. In ea signa erant ex ære plura: quæ, Carthagine victa, vt P. Scipio reportauit, sic Verres postea substulit. In illis mira pulchritudine ipsa Himera in muliebrem figuram habitumque formata, quæ cornu in manibus floribus ac spicis plenum tenebat, quæ adhuc sunt ciuitatis signa. Stesichori etiam poetæ statua senilis, incurua cum libro. Stesichorus Himerensis poeta, sacrum quem & scientia clarũ, Musarumque eruditũ appellat Phalaris. Et Plinius in Stesichori ore infantis lusciniã auẽ ceciniſſe refert. Horatius Flaccus graues Stesichori Camœnas vocat. Fama est Stesichorum in Helenæ vituperationem carmina edentem ab Castore & Polluce infensis oculis priuatum: postea Apollinis responso monitum, in laudes eiusdem scripsisse, ac eo quod amiserat, restitutum beneficio. vita huic functo templum a Phalaride dedicatum, sepulchrumq; in Ætnę radicibus contra Catinam erectum. Thermæ Himeræ (vt dictum est) vltra amnis ostium hodie Termini vocantur, frumenti nobile emporium. in alto colle sita est: cuius pars quæ mari imminet, in rupe, & ibi arx in præsentia. Aquæ ex rupe manant calidæ iuxta littus ciuitatis, a quibus nomen adepta, vbi etiam nunc perantiquum sane ac structile suis cum cõcamerationibus ædificium, vbi ægroti multi conueniunt. In fabulis legimus, fontes calidos Mineruæ Hercule veniente nymphas aperuisse. Quæ in hũc diem sunt antiquitatis fragmenta. Aquæ ductus, aliquibus cum pontibus, torrentes sub quib. nonnulli in mare erumpebant, plumbeæque fistulæ, & aquæductus etiam plumbeus semidirutus: Amphitheatrum ruinis fere affectum cum scalis compluribus quadrato instructis lapide. Pyramis vna marmorea multis statuis incisa. Estque in vestibulo recentioris templi marmorea tabula fixa parieti, his inscripta literis,

G. MAESIO AQVILIO
FABIO TITIANO CV. COS.
OPTIMO CIVI, AC PATRONO BENEMERENTI, ORD. ET POPVLVS SPLENDIDISSIME COL. AVG. HIMERÆORVM THERMIT. PECVNIA SVA POSVIT.

Pars

Pars quoque Astenii domus, vbi marmor his literis inscriptum, ASTENII ÆDES. Astenius homo primarius & diues, qui ante C. Verrem prætorē multis propter suas diuitias, postea propter suam calamitatem atque prætoris iniuriam omnibus fuit notus. Signum Cupidinis huius Astenii nomine inscriptum argenteū cum lampadea Thermis ad Veneris Erycinæ fanum translatum fuit. Madunia mons ab Himera ad Politium vsque distensus, cuius pascua pascentium ouium dentes auratos faciunt. Is Nebrodes est, vti reor, vbi damarum copia, a quibus nomen habuit. Flumina duo prope Thermas Panhormum versus collocant: Agateriam vnū hodie nomine, & Teresiam alterū, quod fontem Trabiæ esse opinamur. In iugis mediterranea oppida, ac recentiora quidē, Calatauulturus, paruumq; Sclafanis. Cacamus (de quo supra diximus) Thermis propinquius, quod Soloētem & Panhormum non multum refugit. Acræ (de Acrensibus populis meminit Plinius) & Casmenæ a Syracusanis habitatæ sunt: Acræ septuaginta annis post Syracusas, viginti Casmenæ post Acras. quæ vbi fuissent, nullum docet argumentū: nisi sit Acræ Claramons oppidum, vt principio Acræmons, postea Claramons esset appellatū. Cui vicinum oppidum recens hodie Mons rubeus nomine. Casmenas autē Comisum vocamus, vbi fons vberrimus. Ii quoq; Syracusani centesimo ac trigesimo quinto anno post Syracusas ab Archia amplificatas, Dascone & Menecolo autorib. Camerinam vrbem inter Pachynum & Lilybæum (de qua Vergilius) condidere: hodie Camarana dicta, cum flumine, prorsus euersa. Conditores eam postea delere, restituitque Gelo: (Thucydides Hippocratem Gelæ tyrannum restituisse ait) rursus idem Gelo diruit, ac etiam demum nouam deducens coloniam erexit. Est vicinus amnis Dirillus modo nuncupatus, ab occidente qui apud Bidenos ortus, a Libyco tandem excipitur mari. Inter vtrunque oppidulum paucis contentum casis, a nostris Lobiscaris appellatum. Nunc de his quæ inter Camerinam & Pachynum sunt, dicendum. Palus igitur, quam desiccatam ferunt, quaque vrbem captā, ab ipso stagnante fit flumine. Fons item est iuxta Camerinam cuius ostium Graphuscolarum vocant. Alter vero fons Dianæ in agro Sanctæ crucis, modo Paradisus nuncupatus, de quo Iulius Solinus fabulose meminit. Ac vrbs affecta clādibus, cui in præsens Longobaldo nomen est iuxta mare, quam Bruccam antiquitatem appellasse mihi persuasum est. Mox flumen Limaguni appellatum, apud Ciratanos populos, quorum a Cicerone facta est mentio, qui Ciratanam incolunt oppidum, nostra ætate Iarratanam, oritur: ac Raguſam (quod est recens nomen) interluens, mare haud statim ingreditur, quod Hirminium antiquitus fuisse existimo. Plinius inter Camerinam & Pachynum reposuit. Et medio ferme itinere inter hoc & Motucanum amnem Annælucatæ fontis ostium exiguum, qui littus parum refugiens an ab Achate lapide nomen sibi vendicasset, quis nouit? cōtra, aquæ dulcis scaturigines in salsis videntur vndis. In dextro maris littore turris recens, Puzallus nomine. atque fons deinde Fucallus nuncupatus. Motuca oppidum mediterraneum quamuis, non multum tamen ab Afro pelago remotum, populosum valde: Modicam quod nos vocamus, ad amnis fontes situm. Quarto supra id oppidum miliario puteus Prunorum dictus, vndam hyberno tempore pedibus fere duodecim sursum emittit. De Muticensi agro Cicero in Verrem fecit mentionem. Amnis vbi Xiclim longe amœnissimum oppidum (quod Siculum tunc dictum puto) adit, sese in pelagus effundit. Nec mediocri quidem magnitudine fontes tres inter hūc & Elorina stagna, medium locum obtinent, ostia omnes, duo tantum piscosos lacus facientes. Samueli vni hodie nomen, alteri Sancti Pauli fons. Lacum autem non eodem nomine. nam Circhurim vocant. Tertius est in planicie Lafauara dictus, iuxta Spaccafurnum exiguum oppidum, quod Ispicæ fundum, ab Ispa flumine deducentes nomen, in publicis vocant rationibus. Ispa flumen, quod a Motuca quatuor milibus passuum oritur, (locum Ispicam dicunt) raptis secum multis fontibus, postquam Spacafurnum ipsum relinquit: piscoso fāo stagno Busaitono nomine, in mare Libycum diffunditur. Et mox ipsa Elorina stagna iuxta Pachynum.

Præterquam ea de quibus supra diximus, plura erant in Sicilia oppida, quæ modo

modo non extant. partim enim defecere. Strabo quæ inter Catinam & Syracusas fuerant, defeciſſe, multa quoque meridionali in latere ab Carthaginẽſibus deleta memorat. Nec hodie quidem Megara peninſula, atque parum a mari remotis Hybla & Leontino exceptis, inter Catinam ipſam & Syracuſas aliqua inueniuntur. Partim vero in noua translata, priſca illa penitus amiſerunt nomina. Quapropter illis indagandis quo magis operam nauamus, quum nulla eorum quæ extant, vel ſimilitudo, vel vicinitas, vbi loci fuiſſent, arguat, eo minus quę ſint quęque fuerint, explicare poſſumus. Veruntamen operæ preciũ eſt, vt apud autores inuenta ſunt, ita ea deſcribere. Callipolim a Naxiis erectam, atq; Eubœam a Leontinis, apud ipſum Strabonẽ legimus. Plinio de Turpinis facta eſt mẽtio, & itẽ de Nepinis, Edinis, Herbolenſibus, Mutuſtratinis, Magellinis, Paropinis, Semellitanis, Tiſſinenſibus, Triocalinis, quorũ ciuitas Triocla Ptolemæo appellata eſt. Ipſe inſuper Ptolemæus ciuitates numerat Abacęnam, Tiſſam, Aguriũ, Sergentium, Legũ, Acrillas vrbem, flumenque Anatim dixit. Lex erat in Sicilia, quæ ſenatores vel gratis vel ſuffragiis faciendos iubebat. Prætor per triennium durabat. Bini Cenſores in ſingulas creabantur ciuitates. Conſuetudo præterea erat, quod ſuos dies menſeſq; congruere volebant cum ſolis lunæque ratione, vt nonnunquam ſi quid diſcreparet, eximerent vnum aliquem diem, vel biduum ad ſummum ex menſe, quos illi Exęreſimos dies nominabant: item nonnunquam vno die longiorem menſem faciebant, aut biduo. autor eſt Cicero libro quarto Verrinarum Actionum.

Cæterum quia pleroſque audimus illis qui vrbem Syracuſas tantæ fuiſſe potentiæ narrant, tum inſtanter aduerſari, tum leniter, quaſi timide credentes, annuere, de his pauca facienda verba iucundiſſimum fore iudicauimus. quippe & regali poteſtate, & magiſtratu totius inſulæ Siciliæ Syracuſanos imperio potitos, facile probabitur. Gelo igitur Syracuſanorum rex Carthaginenſibus bello iam profligatis, vniuerſæ Siciliæ dominatum obtinuit: quem Hieroni fratri (hic ſuperior fuit Hiero) poſtmodum ex teſtamento reliquit. Victo item aliquot poſt annis Thraſybulo tyranno cæteras Siciliæ ciuitates libertate ipſi Syracuſani donarunt, hincque pax alta ad Dionyſii vſque tempeſtatem: quare Ioui liberatori ingentem ſtatuam dedicarunt. Aduenas item complures, qui in ciues aſcripti belli neceſſitate fuerãt, officio quocunque fungi minime poſſe lege ſanxerunt: autor eſt Diodorus libro vndecimo. Idem autor, cæteris iam in poteſtatem redactis, Trinacrinos, qui obtẽperare recuſabant, ab ipſis Syracuſanis victos, vrbemque direptam fuiſſe, in ſequẽti libro teſtatur. Strabo præterea reliquos Siciliæ populos Syracuſanorum ditioni adactos, in ſuis ſcriptis reliquit. Et Dionyſius demum ſuperior, vniuerſæ Siciliæ imperio occupato, forti cum manu in Italiam copias traduxit. Ac vbi Romanorum prouincia Sicilia facta eſt, Syracuſis prætoriam domum, ibidem qui ius dicebant, iudices manſiſſe, nemo eſt qui improbet. Cicero enim libro quarto in Verrem, de Sopatro quodam loquens: Citatur, inquit, reus, cauſa agitur Syracuſis. In eodem Sthenium Thermitanum dum defendit: Edicit, ait, ſtatim, vt calendis Decembris adſit Sthenius Syracuſis. Ibidem quum de Cenſoribus faciundis diceret: Concurritur, inquit, vndique ad iſtum Syracuſas: flagrabat domus tota prætoria ſtudio hominum & cupiditate. Item libro ſeptimo ait, eo tempore (de C. Verre loquendo) ad luxuriam libidineſque ſuas domo ſua regia, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores vti ſolent, contentus non fuit. Fuiſſe igitur vrbem Syracuſas omnium Sicilienſium facile principem fateamur oportet.

Sed nunc de principatu dicendum. Phalaris primus, eodem tempore quo Tullus Hoſtilius regnabat, Agrigentinos domuit. Ad cuius ætatem, niſi ſeculorum imperitiæ vicio demus, omnium rerum famam, eo quod nihil memorabile compertum, per ſilentium veniſſe arbitramur. Tametſi AEmilium Cenſorinum Segeſtæ tyrannum fuiſſe in Parallelis Plutarchus memoret: & Anaxilam Meſſanæ regnaſſe, vt ſatis dictum eſt, multi autores probent. Telemachus deinde & Eumenides filius. Is AEneſidemum creat Theronis patrem. Therone Terillus ortus. Cleander item Patareus Gelæ tyrannus a Sabyllo interfectus: cui frater ſuccedens Hip-

Hippocrates ad Hyblam Siculis bello illato morte occubuit. Cuius filiis imperio, quo nondum maturi erant, fraudatis, Gelo, qui equitatum duxerat, regnauit Gelæ ortus, a Telo insula oriundus. Hic id temporis quo Xerxes Persarum rex, facto in Hellesponti angustiis ponte, in Græciam traiecit, Syracusanorum rex creatus. Hiero postea frater principatum accepit, is qui Catinæ eodem tempore extinctus quo ad Cremeram (vt Diodorus scripsit) trecenti Fabii vna die cecidere. Thrasybulus frater huic successit: qui Syracusis tandem eiectus, apud Locros misere vixit, obiitque misere. Ducetius Menaninus Siculorum tyrannus, & Dionysius superior, non modo Syracusanorum, verum & totius insulæ Siciliæ dominatum obtinuit. Dionysius inferior illius filius, qui exul Corinthi ludum aperuit. Agathocles sordido genere ortus rex deinde Siciliæ. quo morbo implicito, atq; demortuo, Pyrrhus Epirotarum rex, quum iam esset in Italia, a Syracusanis accitus, rex appellatus est. Hiero rex Syracusanus, qui etsi ab Gelonis stirpe, natus tamen ex ancilla. Hic cum Romanis, quia Appium Claudium Mamertinis auxilio Senatus populusque Romanus miserat, (quæ prima Rom. nauigatio fuit) fœdus pacemque fecit. Cui Hieronymus nepos puer successit. Qui quum moribus multum dispar esset, Leontini confossus vulneribus occubuit. Ex prætoribus deinde Romanis P. Cornelio, & Octacilio, postea M. Marcello Sicilia decernitur, a quo vrbs Syracusæ capta. Senatui dehinc populoque Romano, atque Imperatoribus Sicilia vniuersa obtemperauit, donec Georgio Maniaco, & mox a Pœnis occupata. Multis deinde post annis Rogerius Tancredi Normanni filius, victis eiectisque Pœnis eandem obtinuit: cui filius anno post Christum millesimo centesimo tertio Rogerius rex successit. Duo Vilielmi, Malus & Bonus postea regnarunt. Tancredus Vilielmi spurius, Constantia sorore, quæ legitimo orta matrimonio, in cœnobio religionis sacris dedicata. Hæc demum illinc exempta, Henrico Romanorum Imperatori in matrimonium data, in sua propemodum senectute Federicum genuit, quo Corradus, & Manfridus spurius creati: quorum demum altero demortuo, Manfridus regnauit fratris filiorum tutor. quē Carolus, qui Comes prouinciæ dicebatur, occidit, occiditq; Corradinū Corradi filiū. Quā ob rem Galli Siciliæ annos ferme decem & septem dominati. quibus a Siculis fere omnibus anno 1282. trucidatis, Petrus Aragonum rex decernitur. huic etenim Cōstantia Manfridi filia in matrimonium ducta: qui Alfonsum, Iacobum, & Federicum crearunt. Ex quibus Iacobus, Federico fratri natu minori relicto regno, in Hispaniam remeauit. Federico Petrus natus est: Petro Lodouicus, qui regnum accepit. quo vita functo, Federicus frater Mariæ pater, & Martinus eiusdem Mariæ coniunx, moxque Martinus pater. Et post hunc Ferrandus, quem Castellæ Infantem vocauerunt. Quo Alfonsus & Ioannes orti. Alfonso, filiis duntaxat spuriis relictis, Ioannes frater successit. Ioanne Ferrandus natus cognomento Catholicus: Ferrādo Ioanna, qua Carolus quintus Imperator optimus maximus.

CL. MARIVS ARETIVS
Andreæ Arduino Cæsaris Consultori.

Etsi grauioribus negociis impeditus, ab aliis quibusuis curis iure optimo abstrahi deberes: Aristotelis tamē vti initiatus documentis, qui intelligētem quencunq; quadā propemodum necessitate etiam phantasmata speculari oportere dicebat, tot rerum sarcinis aliquando remissis, ad nostra iucūdissima studia tua cū dignitate te humanissime cōfers: quod Ciceronē, quodque Cæsarē feciſſe constat. Quum igitur res huius insulæ Siciliæ nequaquā satis explicatę essent, eo quod nemo primordia, cōditores, simul atq; ruinas ad nostrū vsq; tempus vno perstrinxit volumine: tu omnis scientiæ, omniſq; antiquitatis diligentissimus indagator, quū vna toties cū amicis essemus, quorū consuetudine familiarissime veteris, qui primū Siciliam inhabitassent, quiq; ciuitates & oppida erexissent, atq; ea quæ deleta, diruissent, a me peraccurate quæsiuisti, quasi persuadens, vt de

his

his quicquam memoriæ commẽdarem. Quamobrem ipſe tua autoritate motus, quæ apud plures autores inueni, atque vno perſtrinxi faſciculo, in lucem protuli: ac demum Eliſabellæ diuinæ prope mentis mulieri, Ferrandi Gonſagæ coniugi Mulfettanorum principis, qui Cæſaris in Sicilia vicem gerit, tua ipſius perſuaſione inſcripſi. Proinde ſi id totum quod legiſti, minus apte aut candide ſcriptum tibi cæteriſque in hoc genere ſcribendi diſertiſſimis autoribus videretur,

non mihi quidem attribuenda erit culpa, ſed tibi,
qui graue opus mihi perficiendum
præcepiſti. Vale.

P. BARTHOLOMÆI PYRRONIS.

Qui cupis, & veterum ſequeris monumenta virorum,
Et cui Sicaniæ noſcere cura locos:
Hunc lege, quem Marius ſumma dedit arte libellum,
Ingenio Marius clarus, & arte potens.
Quæ ſint, quæ fuerint vrbes, ac oppida, & arces,
Quæ fortuna, ſitus, nomen, origo, refert.
Arma ducum, conſulta patrum, furioſa tyrannûm
Supplicia, & regum mitia ſceptra, leges.
Quæ multi multis igitur ſcripſere libellis,
Exiguo Marius codice cuncta dedit.

FRANCISCVS MAVROLYCVS.

Sicanicam Marius (veterum figmenta recedant)
Hiſtoriam tetris protulit e tenebris.
Scire operæ precium eſt populos, vrbeſque, viroſque
Egregios armis, viribus, ingenio.
Littora, ſtagna, lacus, arces, iuga, flumina, ſyluæ
Non veniunt picta clarius in tabula.
Nunc imitare ducum generoſa inuenta tuorum,
Militiam, mores, geſta, feros animos.

SICILIAE INSVLAE

DESCRIPTIO, EX DOMINICI MARII NIGRI GEOGRAPHIÆ COMMENTARIO OCTAVO.

SICILIA insula eadem quõdam appellatione, ad oriẽtem Sardiniæ sita est. quæ & antiquitate & rerum claritate, nec beatitudine minus cæteras antecedit: ex quo nullam fere toto mari celebratiorem fuisse constat. Centum mil. pass. interuallo a promontorio Aphricæ quod Mercurii vocant, & a Caralitano Sardiniæ, 190. ipsa ingens, tribus promontoriis in diuersa procurrens. Pachynus vocatur quod Græciam spectat: Lilybæum, quod Aphricam: Pelorus, quod Italiã, Scyllę aduersum. Cuius ambitus circiter 700. mil. pass. colligit. Latus enim quod a Peloro ad Lilybæum vsq; est, 285. mil. pass. occasum respiciẽs extenditur, marique Tyrrheno abluitur. Aliud a Lilybæo ad Pachynum ducenta & quadraginta continet, inq; austrũ versus mari Aphricano expositum est. Tertiũ Pachyno ad Pelorum centum septuaginta quinque expansum, orientẽ solem excipit: Adriatico pelago (vti Ptolemæo placere diximus) imminens, quibusdam Siculo, aliis Ionio. Ad septentrionem (quo angulo insula se magis acuit) mare est Charybdis: quæ quum tanta sit, minus tamen mille pass. intercapedine, alii stadiorum duodecim, alii septem, vnde heptastadium vocari fretum: aliquando hexastadio prohibetur ne sit continẽs, & (quod fertur) matutini volucrum cantus transmittuntur. Esset nanque Italiæ quemadmodum Græciæ Peloponesus, nisi isthmum qui illam continenti annectit, huic ab vtroque latere tempestatis vis, siue (vt alii) terræ motus, quandoque abstuliſſet: qua peruium factum mare, ex peninsula, vna cum cæteris Italiæ adiacentibus insulam reddidit. quod probat Plinius, Terræ motu facto, dicens, insulam rerum natura fecit Siciliam Italiæ. Quamobrem Siciliam nihil magis quam recisum ab Italia fragmẽtum esse volunt. atque ab hoc descendere argumento ait Thucydides quod Rhegium Græci nomen oppido in margine Italiæ sito, ideo quod abrupta, dedere: cui etiam loco, antequam oppidum ibi ædificaretur, Rhegium (id est, scissura) nomen fuit. Est enim terra ipsa (vt ait Trogus) ibi tenuis ac fragilis, & cauernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, vt ventorum tota ferme flatibus pateat. quam diuisionẽ Silius quoque suis carminibus describens inquit:

Ausoniæ pars magna iacet Trinacria tellus
Vt semel expugnante Noto, & vastantibus vndis,
Accepit freta cæruleo propulsa tridente.
Namque per occultum cæca vi turbinis olim
Impactum pelagus laceratæ viscera terræ
Discidit, & medio perrumpens arua profundo
Cum populis pariter conuulsas transtulit vrbes.

Idque Virgilius meminit. Sed longe diuerse Hesiodus. qui sicut in extrema Hispa-

nia Hercules, ità & hîc Orionem uiam mari aperuiſſe putat, quũ dicat, aperto mari promontorium quod iuxta Pelorum eſt exaggeraſſe: idque & alia opera feciſſe multa, amore laudis. ex quo fama eſt, apud Siciliæ fretum Calpen alteram ab ea quæ in Hiſpania eſt columnam eſſe. Quod tantæ olim admirationis ſimulque terroris tranſeuntibus factum eſt, quum aſpectus loci non tranſitus ſed maris potius ſinum præbere videretur, vt nautæ anguſtiam illam nauigare diu abſterriti ſint. videbatur enim, quum accederent, promontoria inter ſe prius cohærentia diſſilire, viamque maris aperire: quumque ſe retro aſpicerent, concurrere iterum ac ſe iungere. quod oppoſita inter ſe promõtorium facie ſimilitudo oſtentat. Quæ quũ exeſis atque cauis ab ea præſertim parte ſaxis cincta ſit, aſperrimiſque promineat cautibus, & duobus maribus hinc Tyrrheno, hinc Auſonio breuiſſimum collidatur fretum, latratus canum, abſorptio nauium, marina monſtra, & alia huiuſmodi fabulamenta orta ſunt. mare nanque anceps alterno curſu, modo in Tyrrhenum, modo in Auſonium pelagus profluit, atrox, ſæuum, & Scyllæ Charybdiſque inuiſis nominibus inclytum. Scylla ſaxum eſt: Charybdis mare: vtrumque noxium appulſis nauibus. Charybdis fœmina fuit voraciſſima: quæ quia boues Herculis rapuit, a Ioue dicitur fulminata, & in maria paululum a Meſſana deiecta. vnde naturã priſtinam ſeruat. nam quum plena nauigia ſorbuerit, naufragia reiectare dicitur, & contortas fundo rates Tauromenitanis litoribus fragmenta exponere. Scylla ſaxũ ingens cauernoſum prope Bruttium litus, deſuper humanam præbens figuram. ad cuius radices in mari plures reſecti ſunt ſcopuli: quos quum æſtus maris illidit, & ab iiſdem refractus, veluti canum latratus tumultuoſum ſonum reddunt. ex quo poetæ finxerunt, illic Scyllam virginem canibus cinctam eſſe, illique hoc ira Circes eueniſſe tradunt. Quare Trogus, Nec mirum ſi fabuloſa eſt loci huius antiquitas, in quem res tantæ coierunt miræ. primum quod nunquam alias torrens fretum, nec ſolum citato impetu, verum etiam ſæuo, neque experientibus modo terribile, verum etiam procul videntibus. vndarum porro in ſe concurrentium tanta pugna eſt, vt alias veluti terga dantes vorticibus in vnum deſidere, alias quaſi victrices in ſublime ferri videas: nunc hinc fremitum feruentis æſtus, nunc illinc gemitum in voraginem deſidentis exaudias: & item alia nonnulla atq; miranda quæ a ſcriptoribus, poetis præſertim de hoc freto narrantur. In eo (vt fabulæ omittuntur) murænas ſaporis optimas piſcari, quæ ad piſcinas vrbis accerſebantur, Varro author eſt. quas manu etiam capi aiunt, quum præ pinguedine fluitent. ex quo Iuuenalis,

Vironi muræna datur quæ maxima venit
Gurgite de Siculo.

Hæc inſula olim Trinacria ab eius forma primum a Græcis eſt dicta, propter tria acra, id eſt promontoria: poſterius Trinacis appellata, translato conſonantiorem in vocem vocabulo, quod ſcribit Strabo. Sicania poſtea ab Iberis iuxta Sicanum Hiſpaniæ flumen accolentibus huc nauibus aduectis. alii a fluuio Sicori, qui etiam in iiſdem locis eſt: Solinus a Sicano dicit rege inſulam nomen accepiſſe, qui diu ante Troiana bella huc aduectus cum ampliſſima Iberorum manu eſt. Poſtremo ab Italis qui Siculi dicebantur in inſulam traiicientibus, Sicilia eſt cognominata. Nec non Triquetra a triangula ſpecie vocitata. Græcæ enim literæ imaginem quæ delta dicitur, efficit. Quæ ea tempeſtate qua Græci Italiam colebant vna cum ipſa Magna Græcia (vt in Italia meminimus) nomen ſortita eſt. Verum quo amplius dictæ gentes manifeſtentur, altius aliquantulum repetendæ a nobis ſunt. Legimus enim apud Thucydidem, incoluiſſe Siciliam ab initio atque tenuiſſe permultas gentes, quarum feruntur antiquiſſimæ in quadam duntaxat inſulę parte habitantes Cyclopes, atque Leſtrigones, quos Leſtrigones Formias quoque in maritimis Italiæ habitaſſe nos ſcripſimus: quorum neque genus, neque vnde venerint, neque quo abierint, nobis dicere eſt: tantum apud poetas mentio eſt. Nam Homerus, Cyclopes crudeles diis immortalibus freti, neque arbores ſerunt, neque arant: & alia ſimilia de ipſis enarrat, quoſque in altorum montium verticibus cauas ſpeluncas incolere, iuſque ſingulos in vxores ſuas

ſuas & filios habere, nec alterum eſſe alteri impedimento. Poſt hos Sicani primi demonſtrantur hanc terram incoluiſſe, quos iam diximus a Liguis inde propriis eiectos ſedibus. quod probat Silius dicens:

Poſt durum Antiphatæ ſceptrum & Cyclopia regna
Vomere verterunt primum noua rura Sicano;
Pyrene miſit populos, qui nomen ab amne
Aſcitum patriæ terræ impoſuere vacanti.

Poſtea ex Italia Siculi fugientes Aborigines, ſiue (vt quidam) Opicos, in hanc inſulam traiecerunt magno cum exercitu, victis prælio Sicanis & in partes quæ meridiem & occaſum ſpectant fugatis, fecerunt vt pro Sicania, Sicilia inſula vocaretur, & eius optima quæcunque loca incoluerunt. idque multo ante Græcorum in Siciliam aduentum. Per eam tempeſtatem Phœnices quoque inſulam paſſim habitabant, occupatis ad mare promontoriis & paruis circa inſulis, negociandi cum Siculis gratia: qui (quum Græci in inſulam traieciſſent) omiſſa nauigatione, finitima Elymis oppida ſedibus ibi poſitis incoluerunt, freti tum Græcorum ſocietate, tum quia exiguo in Carthaginem traiectu diſtabat. non enim ante propter barbarorum crudelitatem inſulam habitare audebant. Cæterum capto Ilio quidam Troianorum dum fugiunt Achæos, nauibus in Siciliam appulerunt, & collocatis ſedibus in finibus Sicanorum, vniuerſi ſunt Elymi appellati. His accoleæ acceſſerunt nonnulli Phocenſes Chalcidenſeſque, & ex Ionia complures: qui vrbes in inſula ſparſim condiderunt: quod Strabo etiam tradit. At enim Ellanicus Lesbius, aliter atque iſti ſentire videtur, quum tribus ante res Troianas ætatibus huc ex Italia gentem tranſportatam dicat non Siculorum, non Auſoniorum, neq; Elymorum, ſed Ligurum fuiſſe, a Siculo Itali F. (ſub illius namque dominatu ac ductu erant) Siculos vocitatos. cuius meminit Silius, poſtquam dixit Sicanos ex Hiſpania veniſſe:

Mox Ligurum pubes Siculo ductore nouauit
Poſſeſſis bello mutata vocabula regnis.

Timæus vero hiſtoriæ diligentiſſimus perſcrutator, ſcriptorum inſcitiam arguens (nam remotis fabulis illis Cyclopum, Leſtrigonumque velamentis, Sicanos illos vocat, neque conuenas, verum etiam inſulæ indegetes eſſe affirmat) & multa gentis antiquitatis argumenta ferens, inter quæ, priſcis temporibus in montibus natura munitis, in quibus vrbes latronum metu ædificaſſe, nullique regi ſubieciſſe, ſed cuique ſuum vrbi ineſſe principem. Hi primum vniuerſam tenuere inſulam, agros colentes ex quibus vitæ cibū ſumebant. Poſtmodum AEtna ignes (qui proximas regiones vrebant) eructante, quum plures annos id incendium patriam vaſtaret, timore acti, omiſſis orientalibus locis, partes quæ ad occidentem vergunt petiuere. Multis deinde ſæculis, Siculi ab Italia in Siciliam profecti, loca tenuerunt a Sicanis relicta. opibus deinceps ac viribus potentes, propinquis agris occupatis quotidie magis imperium augebant, quoad bello ſæpius cum Sicanis moto, certo poſtmodum fœdere agrorum fines inuicem ſtatuerunt. Vltimo vero loco a Græcis coloniæ in inſulam deductæ ſunt, vrbeſque maritimæ conditæ. Mutua dein conſuetudine illi Græcam linguam omiſſa barbara didicere, Siculiq; omnes ſimul appellati ſunt. Fuere quoque inter eos Morgetes, qui huc vna cum Siculis ex Italia nauigauerunt. cuius meminit Silius: *frondoſis Morgentia campis.*

Hactenus cultorū Siciliæ. quæ quidem inſula naturæ multo diſſimilis eſt, quū & ignibus & frugibus large ſcateat. Nam (vt diximus) cauernoſa eſt, flatibus & marinis motibus expoſita vndique, nec non ſoli ipſis generandis nutriendiſq; ignibus naturalis materia: & (vt ſcribit Trogus) intrinſecus ſtratum ſulphure & bitumine dicitur. Quæ res facit vt ſpiritu cum igne interiora luctante, frequenter & compluribus locis nunc ignes, nunc vapores eructet. ex quo calidarū aquarum ſcaturigines multis in locis exiſtunt: e quibus Selinuntiæ ad Imeram quæ ſalſæ ſunt, Egeſtanæ vero potabiles. Frugibus vero adeo benigna atq; copioſa, vt Cato ille ſapiens, cellam penariam reipublicæ, nutricemq; Rom. plebis hanc inſulam eſſe dixerit. Omitto M. Tullii in Verrinis, omitto Diodori, omitto Flori, Solini & aliorum

magnificas & excellentes huius insulæ laudes, qui non penariam cellam, Romanæue plebis nutricem, verum etiam ærarium atque animam vrbi Romæ fuisse, certare inter se contendunt. nam sine vllo populi Rom. sumptu coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos eius populi exercitus induit, aluit, armauitque. Ex quo proditum ex antiqua ab incolis fama, Siciliam Cereri ac Proserpinæ sacratam esse. Fabulantur poetarum quidam, post Plutonis ac Proserpinæ nuptias, hanc insulam ab Ioue Anacalyptræ nymphæ traditam: has simul deas primum in Sicilia vineas plantauisse: frumentum vero terræ bonitate ortum. siquidem in agro Leontino, multisque aliis insulæ locis, etiam nunc triticum agreste oritur: ac præter ea melle, croco, lana, & cæteris eiusdem generis abundat. Quæ tandem bellorum variis incursionibus pene relicta atque in solitudinem redacta, in potestatem Rom. deuenit. qui quum deletas vrbes, & campestria plurima cernerent, vt Strabo attestatur, (tres quippe & 70. in se colonias continebat) equorum pastoribus, bubulcis, & opilionibus fruenda præbuerunt. Quæ etsi multa adhuc eius tempestatis neglecta in ea iaceant, multa etiam nunc instaurata florent, quemadmodum in particulari descriptione videbimus. Non enim colono vt olim viduata, quum multas habeat vrbes, atque cætera loca populosissima, neq; frumento, vino, reliquisque frugibus exhausta. nam & sæpius eius annona Italicæ vrbes fame oppressæ subleuantur. Similiter quæ ad mercaturã pertinent, abundare. quod nauium ingens copia indicat, quæ ad eam frequenti cursu applicant. Quocirca haud minus nunc quam antea inter alias nostri maris insulas optima atque clariss. habetur. Cuius circumscriptio ad hunc modum se habet. Pelorus promontoriũ est quod sic etiam nunc appellant, freto imminens, Italiæ aduersum. Causam nominis Mela & alii nonnulli fuisse Pelorum gubernatorem dicunt, ab Hannibale ibidẽ conditum, quem ipse ex Aphrica profugus, & per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videntur continua esse litora, proditum se arbitratus occiderat. Hinc ora occidentem spectans excurrit, quam Tyrrhenũ abluit mare, vbi insula Cænys iuxta Pelorum. Vnde statim post Pelorum Phalacrium promontorium est, quod exaggerasse Orionem Hesiodus author est: quem & corporis proceritate & robore heroas excessisse, & venatorem sagacissimum fuisse tradit: in quo promontorio templum Neptuno, quem incolæ præcipuo honore colerent, fabricasse. quod opus quum consummasset, ad Eubœam diuertit. Iuxta quod Mylæ ciuitas cũ fluuio extiterat. nunc locus Milazum dicitur. In ea antiqui boues Solis fuisse memorant, Vlyxisq; somnium. quam scribens Silius ait:

Et iusti quondam portus, nunc litore solo
Subsidium infidum fugientibus æquora Mylæ.

Circa quam vrbem atque Messanam, hyeme in totum inarescere fontes ait Plinius, æstate exundare, amnesque facere. A qua haud longe Elicon fluuius in mare it, a superioribus mõtibus duodecim mil. pass. fere. Huic litori Hiera adiacet insula, cæteris eius loci grandior. in qua collis est nocturnas euomens flammas, quẽ terræ motu ascendisse Aristoteles author est. tandem multo stridente sonitu erũpens spiritus plurimum fauillæ emisit: adeo vt ad quasdam Italiæ partes conspargerentur, quum 70. mil. passuum qua proximior est, interuallo distet. de qua Virgilius:

Insula durata Vulcani nomine sacra.
Pars tamen incendii maior refrixit, & alto
Iactatas recipit classes, portuque tuetur,
Quæ restat minor & dines satis vbere terra est.

Hæc ex Liparæis est vna. septem nanque hoc nomine insignitę sunt, prius AEoliæ, dein Arnæ, postea a Græcis Ephæstiades denominatæ, a nostris Vulcaniæ, quum eas ardere dixit Plinius. nec solum Ephęstiades, sed & Plotæ vocitatæ sunt, quod ait Dionysius Alexandrinus. sigillatim vero, Strongyle, Euonymos, Didyme, Phœnicodes, Sacra, Vulcania, Lipara: quas suis disponemus locis. Igitur Vulcania Deo ipsi consecrata est, atque eius domus dicitur: saxosa tota, deserta, ignita, quum sæpe flammas eiactet. nam sociali bello per aliquot dies vna cũ ipso mari eam

eam arsisse Plinius tradit. vtque Eutropius scribit, ea repente in mari edita, eo tempore quo Scipio Aphricanus mortuus est, quum antea non fuerat. Prope quam ad septentrionem Lipara est, quæ sic etiam nunc dicitur, Thermissa antea, Meligunis a priscis teste Plinio dicta, vigintiquinque mil. pass. ab Italia, octodecim a Sicilia, ipsa circuitu paulo minor quinque. Sed quum ad has tum desertas Liparus Ausonis regis F. a fratribus descendens ex Italia, aduecta secum militum copia adnauigasset, in quam primo descendit, ab eo Lipara appellata est: vbi sui nominis vrbem condidit, reliquas sane etiam insulas excoluit. quo & Gnidii postmodum coloniam deduxerunt. fertilissima insula, & quæ primitias sæpius Apollini Delphico misit. Hic bitumen gignitur & sulphur, scaturigineſque aquarum calidarum sunt, sicut & in cæteris AEoliis. neque minus metallo celebris quod alumen nuncupant. Præterea mare circa se omnigenas pisces abunde præbet. In hac ignis nonnunquam deficit, verum in septimo redintegrari anno Xenophanes perhibet. & Silius de eadem:

At non æquus amat Trinacria Mulciber antra.
Nam Lipare vastis subter depasta caminis
Sulphureum vomit exeso de vertice fumum.

Inter has duas dictas insulas, parua quidem ac deserta iacet Euonymos nomine, id est sinistra. sic autem appellata, quoniam e Lipara in Siciliam nauigantibus sinistra offertur. nunc autem Strombolinus dicitur. Postea ad septentrionem Dima, siue (vt alii) Didyme iacet, a forma dicta, id est gemella: ideo duæ a quibusdam putantur. modo Alendi a iunioribus nominatur. Cui propinqua Hicesia est, Saline nũc. Postmodum inter septentrionem & solis ortum sexdecim mil. pass. a Lipara Strongyle vel Onostrongyla insula est, priscum retinens nomẽ: quam a figura, id est rotunditate, vocant. vnde Virgilius:

Insula cui nomen facies dedit ipsa rotunda.

Quæ vna cum iam dictis ignibus scatet, sed flammarum quidem vi minor, lumine vero maior: in qua AEoli domicilium fuisse authores tradũt. hic est ille AEolus ad quem fabulæ Vlyxem errantem diuertisse memoriæ prodiderunt, iustum ac piũ hominem, & erga hospites perhumanum, & qui velis vti nautas docuit, obseruatione neque fumi, qui venti futuri essent, (teste Diodoro) prædixit. quod & Varro tradit. ipsumque harum insularum fuisse regem post mortem Boeti fratris. quare quum ventorum potens dicatur, ait Virgilius:

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris,
AEoliam venit. Et Silius:
Quid referam AEolio regnatas nomine terras,
Ventorumque domos atque addita claustra procellis?

Qui AEolus postquam regnum accepit, patriam omnem a matris nomine Arnen, populos appellauit a fratre Boetos. In hac ex terræ hiatu ventus erumpere solet, & fœtor ingens, harenam quoque eructare, lapideſque igneos permultos, quemadmodum & AEtnæ accidit. Postea (vt ad Siciliam reuertamur) Tyndarium ciuitas nobilissima in litore ad ostium Timethi amnis fuit, cuius dimidia quondam a mari deuorata est. Ibi nunc Oliuer castellum iacet. Inde Agathyrium vrbs ab AEoli F. vocitata, qui ei parti imperauit: cui adiacẽs ora Agathyris est dicta, vbi nũc Pati. Mox Alontium oppidum fuit, cum fluuio Chyda nomine. Post Calata oppidũ aliud, nunc Chalora. Cui ad occasum Phœnicodes siue Phœnicusa insula est, quinquaginta milibus pass. ab hoc litore distans, quæ nunc Filicudi a nautis appellatur: quam ita prisci ab arbustis nominauerunt, Aristoteles Phœnicodem appellatam dicit, propterea quod in ea mirabilis quædam dactylorum multitudo nascitur. quæ ad pascua olim omissa fuit. Inter quam & Siciliam, Ericodes seu Ericusa insula est. eam etiam ab arbustis, quemadmodum Phœnicodem, illi appellarunt: quæ similiter pascuis est omissa. distant ab inuicem decem mil. pass. Hinc in Siculo litore Alesa siue Alesia vrbs in promontorio ab Archonide Herbitæ vrbis quæstore condita, ex quo Archonidæ cognomen habuit. nunc Siffalum vocant. ad quam Monalus fluuius in mare it. Sunt qui dicant a Carthaginensibus ex-

tructam. quæ ſucceſſu temporum clara atque potens effecta eſt, quum opibus tum maritimis negotiis, tum immunitate ſibi a Romanis conceſſa. quod indicat Cicero. ait enim, Siciliæ ciuitates multæ ſunt ornatæ atque honeſtæ: ex quibus in primis numeranda eſt ciuitas Aleſina. nullam enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut authoritate grauiorem. Poſtea Cephalœdis oppidulum fuit. ac inde Himera oppidum nunc deletum, ad amnem ſui nominis. illud Zanclæi Mylarum incolæ condiderunt. quod quum Hieron cepiſſet, Himerenſes omnes iugulauit. inde noui deducti ſunt coloni, qui ad annos vſque quinquaginta octo progreſſi. Carthaginenſes vrbem a ſtirpe euertere, ciueſque omnes qui a cæde ſuperfuerant ipſi quoque iugulauerunt. quæ diu poſtea penitus deſerta permãſit: poſtmodum Carthagine capta, ex iis qui tum inuenti fuerant, Thermis ſeſe collocarunt, neque longe ab oppido antiquo: ex cuius aduentu Thermæ Himeræ ciuitas appellata eſt, nunc vero Thérmene. eam prius coloniam in Siciliam a Carthaginenſibus deductam iuxta aquas calidas conditam: quam Thermas ab aquarum caliditate, quæ ſalſæ ſunt, placuit appellari. cuius amnem Liuius per mediam fluere Siciliam dicit, & in duo diuidi, vno oſtio in Libycum, altero in Tuſcum mare deuenire. Verum oppidum Himera in primis Siciliæ clarum fuit, atq; æreis ornatum ſignis complurimis: ſed mira in iis pulchritudine (vt atteſtatur Cicero) ipſa Himera in muliebrem figuram habitumque formata, ex oppidi nomine & flumine. Inde eſt Olulis oppidum in promontorio, nunc Sorãtum vocant. Mox Panormus colonia Rom. nomen adhuc retinens, triginta mil. paſſ. ab Himera. prope cuius mœnia Eleutherus flumen currit, quod nonnulli Helorum vocant, ex cõcauitate montis haud procul a mari magna aquarum vi proſiliens. ex quo illud: *clamoſus Helorus*. qui ad imitationem Nili ſuperfunditur campis harundinibus refertis quibus educitur mel, quod hæc ætas excoquendo in ſaccharum vertit. de flumine ait Virgilius:

Exupero præpingue ſolum ſtagnantis Helori.

Ciuitas ipſa a terra munitiſſima eſt, ab alto portum habet vſque mœnia patentem. Inde Cetaria portus eſt, in quem Acis fluuius intra viridantes ripas delabens irrũpit, nomen a iuuene Aci deducens, quem Polyphemus ibi in Galateæ ſinu, auulſo e monte ſaxo, occidit: quod ſcribit Ouidius. Silius tenues liquefactum in aquas euaſiſſe. fontes in AEtna monte habet, alii in Eryce, quod verius eſt. Imminet huic portui locus natura munitus, quem præciſæ rupes vndique cingunt, ſummitas vero habet planitiem culturæ aptam, non minori circuitu quam decem mil. paſſ. In ea tumulus inſurgit, qui ſpeculę ſimul atq; arcis locum obtinet. Hunc ex aduerſo inſula eſt, ſed admodum lõge, (quinquaginta enim millib. paſſ. fere in pelago iacet) Vſtica & priſco & recenti nomine. ſupra quam Ptolemæi deprauatores AEoli inſulam ponunt, quum non ibi ſit. Circa dictum vero locum, neque longe ab Eryce monte, vrbs Motya ſita fuit, Carthaginenſium colonia: quem locum iam pridem ipſi delegerant idoneum maxime opportunumque ad inuadendam infeſtandamque reliquam Siciliam. erat vrbs illa in quadam inſula poſita procul a cõtinenti ſtadiis ſex, a qua per anguſtam quandam viam manu & arte inter vndas aggeris in modum eductam, ad litus perueniebatur. Poſt Drepanum ciuitas eſt, eiuſdem adhuc appellationis, nõ procul ab Eryce monte, ſic ab ipſa re dicta, quod in curuato litore poſita ſit, vel (quod fabulæ narrant) Saturnus poſt amputata virilia Cælo patri, illuc falcem proiecit, quæ Græce Drepanon dicitur. portũ pulcherrimum habet, cuius fauces Romani, ne Carthaginenſes ibi ſtatiua haberent, obſtruere conati ſunt, vbi & onerarias quamplures naues ſabulo onuſtas, & ſaxorũ ingentem modum in profundum dimiſerunt. In eo mari coralium ſpecioſiſſimum gigni fama eſt. In conſpectu iacet inſula longe circiter duodecim millib. paſſ. Panconia olim, nunc Leuica. dein Segeſtanum emporium fuit, quæ prius AEgeſta teſte Feſto dicebatur. ait enim, Segeſta quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia videtur AEneas condidiſſe, præpoſito ibi Aceſto qui eã AEgeſtam nominauit a matris nomine. ſed præpoſita eſt ei littera, ne obſcœno nomine appellaretur. cũ quo ſentit Cicero. Itẽ Virgilius, qui quũ de ea re verſus aliquot prius ceciniſſet, inquit:

Inter-

Interea AEneas vrbem designat aratro,
Sortiturque domos, hoc Ilium & hæc loca Troiæ
Esse iubet: gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitq; forum, & patribus dat iura vocatis. Item & Silius.

At Strabo non ab AEnea, sed a comitibus Philoctetæ conditam fuisse, qui Crotonem commigrarant, quos Philocteta vna cum AEgesta Troiano transmiserat in Siciliam. Dionysius vero Halicarnasseus, Elymus & AEgestus ante AEneam parata classe egressi sunt ab ora Troiæ huc delati, vbi vrbem AEgestam & Elymam condiderunt apud Criniſſum fluuium. Poetæ Acestem Criniſſi fluuii fuisse F. perhibent. A Carthaginensibus aliquando capta atque deiecta est, ac omnia quæ ornamento ibi esse possent, Carthaginem sunt deportata. Huic quadraginta milib. pass. fere in mari obiacet insula Phorbantia tunc nomine, nunc Maretemo. Inde promontorium est AEgitharsus nomine. Huic AEgatis insula præiacet, AEgusa a quibusdam, Fangiana modo dicta, Carthaginensium clade nobilis. Cui ad Aphricum ventum circiter viginti mil. pass. insula est quæ tum Sacra dicebatur, nautæ nunc Chelbo vocant. sunt enim circa illam quidam scopuli. Post AEgitharsum in insulæ angulo aliud Lilybæum, in quo eiusdem nominis oppidum sitū fuit ab Hannibale conditum, vbi castra habuit: nunc Marzara promōtorium & locus, quod in splendidiſſimam ciuitatem creuit, mœnibus fossisque munitiſſimam, præterea etiam stagnis quibus nauigantibus in portum cursus est, difficilisque admodum ingressus, nec nisi peritis expertisque obtinendus. vnde illud Virgilii:

Et vada dura lego saxis Lilybæia cæcis.

In cuius vrbis litore (vt refert Polybius) turris quædam erat sita Aphricanum pelagus spectans, in qua signum ignis a tribus ostendebatur noctibus, vt portum recta discurrentes mare obtinerent. quam vrbem Solinus decus esse Sibyllæ sepulchro dicit. Post Lilybæum sequitur litus quod meridiem spectat, quæ ora Strabonis ætate tota pene vsque Pachynum relicta erat, priscarum tantum habitationum (vt ipse inquit) vestigia seruans, in cuius initio Acithius flumen (a quibusdam Acius) in mare vadit. Inde Selinûs, ad cuius ostium oppidum eiusdem nominis fuit, quod Megarenses indigenæ condiderunt, Hannibal funditus diruit, frequenti populo inhabitatum: post excidium Hermocrates Syracusanus aliqua ex parte restituit, in cuius agro palmæ complures nascuntur: ex quo illud, *Palmosa Selinis*. Amnis pestifer antea, cuius fœtore pestis sæpius vrbem inuadebat: in quem tandem alii duo vicini fluuii immissi, pestis sedata est. Inde est Mazarus amnis, antiquum nomen retinens. cui propinquum oppidulum est Pintia quondam, Siaca modo. Mox alius amnis Soſſius nomine. Item alius Isburus: cuius in ostio Heraclea vrbs fuit, ab Hercule denominata, qui quum ex Hispania rediret, condidit. quam deinde Minoam vocauerunt. Postea Dorieus Lacedæmonius auxit: & quum breui creuisset opibus, Carthaginenses euertere. Sequitur flumen Hippa siue (vt alii) Hipha exiguus, & qui transiri facile potest. Dein Acragātinum emporium, ab eiusdem nominis fluuio appellatum, cui appositum est. Post Isporus fluuius in mare ad radicem Brucæ promontorii cadit. Cui promontorio in parte orientali Caucanæ portus est, in quem Motychanus amnis exit. vbi Lichata nouum oppidum. Inde fluuius Salsus nomine (insipidam enim aquam fert) magnus sane, & qui longe interius ab orientali regione hoc loco in mare it. Dein oppidum Terranoua ab re ipsa, & Odyssia siue Vlyxis promontorium. cui ad auroram stagnum est angusto ore. vbi in marginibus sal æstiuis solibus conficitur. irriguum enim est marinis æstibus. Post illud Pachynus, a nautis modo caput Passera, vnum ex tribus maximis insulæ promontoriis extollitur. nam poeta:

Hinc cautes altas proiectaq; saxa Pachyni
Radimus.

Ab aeris crassitudine cognominatum, quo Apollo Libystinus eximia religione celebrabatur. causa cognomenti fuit: Libyes inuasuri Siciliā classem huc appulerūt.

Apollo ab incolis inuocatus, immissa hostibus peste, & pene cunctis subita morte interemptis, Libystinus appellatus est. Iuxta quod promontorium ingens thunnorum copia vagari solet: vbi larga semper captura eorum piscium fit. Cæterum in hoc monte sal translucidus effoditur. Præterea (sicut in magna parte insulæ) palmarum agrestium multitudo inest. Hoc itaque promontorio circumflexo, orientale insulæ latus aperitur, Siculo ad vsque Cretæ promontoria ablutum pelago, quod Ausonium prius vocitabatur. Vbi primus Puniceus editur portus, in quē Erineus amnis vadit. Promontorium deinde Longonum, vbi & Longanus fluuius per agrum Hyblæum serpens in mare infunditur, contra quod Longonis est insula. Postea est Chersonesus cui nomen quondam Tapsus, tenui collo in altum prominens, (quare nonnulli pro insula ponunt) par pene fluctibus: ex quo dictum de ea est, *Tapsumque iacentem.* Mox Plemmyrius amnis, quod vndosus sonat, in mare contra Ortygiam insulam cadit. Hinc autem in sinu Syracusæ colonia Græcorum vrbium maxima atque omnium pulcherrima, quæ & situ egregie munita est, quum propter camporum inæqualitatem (muros enim per colles ductos habet) tum propter adiacentium paludum frequentiam, & maris propinquitatem, portum in se complectens adeo natura atque arte tutum, quo neque Carthaginensium neque Romanorum classis penetrare vnquam potuit, præter Athenienſium sola trecentis instructa nauibus duce Eurymedonte, quę victa ac dissipata ab ipsis Syracusanis est. quam vrbem (vt Thucydides & Strabo attestantur) Archias ab Hercule oriundus e Corintho nauigans condidit. quæ diuitiis in tantū excreuit, vt ex ea Dionysius exercitum peditum centum & viginti, equitum duodecim milium cōfecerit. naues magnas partim triremis, partim quinqueremis ad quadringentas ex vno duxit portu. Capitur deniq; a Romanis Marcello duce, in qua vna tota Sicilia superata est: grande illud etiam ante id tempus inuictū caput, cui triplex erat murus, totidemque arces. quibus captis tantum prædæ fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, vt Liuius scribit. Successu vero temporis quoniam Pompeius præter alias ciuitates hanc vastarat, Cæs. Augustum eo missa colonia magnam vetusti oppidi partem restituisse Strabo author est. constabat enim olim quinque vrbibus, mœnia duorum & viginti mil. pass. continens. totum quidem ambitum explere non oportuit: partem vero quæ Insulam spectans Ortygiam colitur, habitatoribus complere, satius esse censuit, quam pons marmoreus terræ coniūgit. ea fontem habet Arethusam in pelagus fluuium statim emittentē. hunc ipsum Alpheum esse traditum est fabulis, qui quum in Peloponeso sumat originem, per mare subter terram vsq; ad Arethusam fluenta perducat. neq; hoc solum a Strabone, sed ab Aristotele, Plinio, Seneca, & aliis scriptoribus proditum est. in quo emergitur quicquid iactum in Alpheum Peloponesiaco litori infusum dicunt. Quod etiam Virgilius his notauit carminibus:

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur vndis.

Idemque in Siluis Statius, atque in suo Silius. Diodorus, Nymphæ in Dianæ gratiā fontem Arethusam produxere, inquit, piscibus abundantem, sacris quippe, ideo ab hominibus intactis. quod siqui edere ausi sunt, deūm ira magnas calamitates subierunt. Sed præter Arethusam alii quoque fontes mentione digni celebratiq; a poetis in Syracusano agro sunt: vt Thermilis siue Temenitis, Archidemis, Magea, Myline, Cyane. hic ex lachrymis nymphæ sui nominis Proserpinæ comitis ortus, fabulæ vt ferunt apud Ouidium. Neq; etiam solum hoc loco Arethusæ fons reperiri dicitur, sed aliis quoque locis, vt ibi ostēdemus. Syracusis crassum ac morbidum aerem autumni tempore imminere certum est: sed quū lepidissima hyberna, & nullum diem sine interuentu solis habeat, grauis & insalubris æstas hyberni beneficia cœli corrumpit, quod Liuius scribit. Locus a Syracusis trigintaquinque mil. pass. interuallo (vt est apud Diodorum) qui Nouem turres dicebatur, mirę magni-

magnitudinis opus. Erat hoc in agro vxoris Gelonis Syracusanorum regis mortui, qui illic conditus erat, vbi populus illi sepulchrum elegans mirifici operis extruxit, tituliſque heroicis Gelonis nomen commendauit: quæ a Carthaginensibus dirutæ. tum Agathocles per inuidiam erutas turres solo æquauit. Post autem Syracusas, Alabus fluuius in mare vadit, quem Anapum quidam vocant. in eum Cyane fons exoneratur, leni labentem cursu, quod Ouidius meminit. Sed aliquantum a fonte lapsus per saxa currens, fit clamans. Hinc est Augusta nouum oppidum in Chersoneso situm, nobilem portum sub se habens: vbi Pantachus siue Pantagia amnis mare influit: quod nomen Latine sonorum indicat: (saxa enim rotat) qui postea a Cerere, quum quærenti filiam obstreperet, tacere iussus est. Mox Bruca castrum, & Amasenus amnis, cuius ripa præceps, & cauus alueus, plenus in hyeme ac citus multasque harenas voluens, in æstate tamen aret. Sequitur Catina seu Catana vrbs, quæ sic ad hoc tempus appellatur, Naxiorum siue (vt aliis placet) Chalcidensium colonia illustris quidem: quam aliquando Hiero Syracusanorum tyrannus, quum noui incolæ in eam inducerentur, AEtnam voluit appellari, quum in ea interiens, titulis & monumentis heroicis eius memoria ornata est: quippe qui eam vrbem condiderat, inscribi iussit, HIERO PATER CONDITOR ÆTNÆ. Post cuius obitum redeuntes Catanenses (eiecerat enim veteres habitatores) inquilinos expulerunt, & ipsius tyranni tumulum solo prostrauerunt. quam vrbem postmodum bellorum varietate dirutã Cæs. Augustus refecit. Cui adhærentes campi Lestrigones dicebantur: a qua parte colles imminent qui aliquando alto exundant AEtnæo cinere: ex quo ager omnis ac vineta præsertim, singulari bonitate vberiora redduntur. Inde pecudes tantum pinguedinis herbarum dulcedine contrahunt, quod nisi cruor quatuor aut quinque per dies ab auribus eximatur, subfocari ea dicunt. Prope vrbem Simæthus rapidus amnis in mare fluit: circa quem Palicos deos Iouis & Thaliæ nymphæ filios habitasse atque aras habuisse a poetis enarratur. vbi stagnantes aquæ odore malo ac putido iis locis scaturiunt, quibus aïunt Thaliam Iunonis timore se occuluisse cum Iouis iussu exortæ fuissent. Quem locum Ouidius describens ait:

Perque lacus altos & olentia sulphure fertur
Stagna Palicorum rupta feruentia terra.

Hinc in mare iuxta litus scopuli tres sunt, Cyclopum dicti: vbi & Vlyxis portus est. Post Simæthum, Tauromenium colonia est, priscum adhuc nomen seruans, habens in ingressu portus arctas fauces, illustris olim, priores Naxum vocauerunt: quæ in monte sita est, Tauro nomine, asperrimo quidem, ex quo appellata est. Ait enim Diodorus, Siculi ex prælio fugientes, hunc locum satis per se munitum occupauerunt, mœnibusq; circumductis vrbem condidere: quam, quod ab iis qui in Tauro mansissent constructa fuisset, iuncto vocabulo Tauromenium appellari placuit. In cuius litus naufragiorum fragmenta Charybdi attractorum deuolui dicuntur, quod ab huiusmodi casibus Coprian, id est fimum, appellant: ex quo Plinius, Omnia plenilunio maria purgantur, quædam statuto tempore. fimo similia expuuntur in litus purgamenta, sicut circa Messanam: vnde fabula est Solis boues ibi stabulari. Iuxta Tauromenitanum litus inter alios pisces optimi capiuntur mulli. Inde ad Argennum promontorium (quod & Drepanum dicitur) Achates fluuius in mare it, in cuius ripa lapilli eiusdem nominis reperiuntur: quos reddere fluminum species, nemorum, iumentorum & hederæ, scribit Plinius. Iuxta quod promontorium in freto Messana vrbs in Pelori sinu est, distans interuallo a Rhegio mil. septem cum dimidio, quæ sic etiam nunc appellatur, ab Anaxila Messenio condita, Zancla antea vocitata, a Zancloto ibi regnante: Diodorus autor est. Strabo a curuitate litoris in quo iacet, vt illi curua omnia Zanclia vocant: Naxiorumque primo ædificium. Item Thucydides, sed altius aliquantulum initia vrbis repetit. a latronibus ait e Cumis profectis inhabitatam, (quod asserit Silius, quum Cumæ Campanorum sit, qui Osci antea vocitabantur, dicens:

Incumbens Messana freto minimumque reuulsa
Diuecta Italia, atq; Osco memorabilis ortu)

post-

posteaque a Græcorum multitudine superueniente repletam. ager ferax, vini præcipue, quod Mamertinum nuncupant. namque Messanam aliquando Mamertini habitarunt. quam Himilcon Carthaginensium dux cepit, murisque spoliauit, ac mandauit militibus vt ædificia cuncta diuerent, atque solo æquarent, & quæ igni obnoxia essent consumerent. quod breui peractũ est, atque adeo deleta omnia & cõminuta sunt, vt vix illa diu deinceps habitationis vsquã vestigia decerni possent.

Hactenus Siciliæ maritima ora, nunc ea quæ in mediterraneo insulæ habentur. vbi quãuis mõtes multi atq; alti sint, altissimi vero atq; nota dignissimi aliquot enumerantur, inprimisq; tum fama, tum admiratione ac magnitudine AEtna est, quem sic adhuc vocant, cui nomen dederunt populi ex AEtna vrbe, id est Catana, ejecti, quum ad hunc locum inhabitandum transiissent. quem initio tenuisse Cyclopas fertur, assiduis ignibus flagrantem: in quo campus planiss. est, cineroſus tortus, & in eo erectus collis, vnde caliginosus antea fumus, ac dein flammæ eructantur: quæ deuoluta, veluti angues tortuoso volumine sese in mare proripiũt. simulque ignitos lapides vti fauillas efflare, tanta equidem vehementia, vt Tauromeniũ & Catinam vsque feruentes perueniant. (est enim AEtna decem mil. pass. a tergo vrbis Catinæ situs) de quo Virgilius, vt scriptores alios omittam:

Sed horrificis iuxta tonat AEtna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo & candente fauilla,
Attollitque globos flammarum & sidera lambit.

Radices tamen montis sylua arborum diuersi generis cingit, & campus ille cinereus locaq; omnia circumcirca per hyemem niue operiũtur. Præter autem vnũ AEtnam, alius est mons Eryx, qui omnes Siciliæ montes magnitudine excedit, mari imminens inter Drepanum & Panormum, magis tamen Panormo appropinquãs: in cuius vertice planities est, vbi Erycinæ Veneris templum omnium illius loci opulentissimum atque ornatiss. habebatur, vt ait Polybius: quod Eryx Veneris ac Butæ regis cuiusdam indigenæ filius matri condidit, singulari quidem veneratione, apud Romanos præsertim. nam Senatui eius deæ honor atque cura præcipua fuit, statuit enim in eius honorem Siciliæ vrbes septemdecim numero aurum Veneri conferre: milites quoque ducenti ad eius templi tutelam deputati sunt: vbi & muli erum frequentia, deæ ministerio dicatarum a parentibus non ex Sicilia solũ, verum etiam ex regionibus externis, fuit. Cui monti vocabulum Eryx ab Hercule occisus dedit, in quo sepultus est. In hoc etiam monte Anchises dicitur tumulatus, licet secundum Catonem ad Italiam venerit. At Maro:

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloq; sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.

Cæterum paulo infra verticem vrbs fuit quam idem Eryx ædificauit, & ex suo nomine Erycem dixit, præclaram quidem, a qua Venus Erycina est dicta. Mons est præterea in medio ferme insulæ, magis tamen ad occasum, neque a Panormitana regione longius, qui Cratas vocatur, nonnulli Aërium. neque tamẽ vnus, licet singulari vocabulo proferatur. quos loci natura tanquam continua æstate amœnos atq; vberes reddit. In quorum radicibus inter frequẽtiam arborum fontes existũt aquas præter cæteras dulces emanãtes. vbi & domesticæ arbores & vineæ permultæ, copiaq; ingenti mala nascuntur, adeo vt ex earum arborum fructibus aliquãdo Carthaginensium exercitus permagnus, fame superueniente abunde nutriretur. Diodorus author est. Essequ in hac regione syluam admodum amœnam in quã diuertebãtur nymphæ: vbi ex Mercurio & nympha Daphnidem natũ tradunt, qui a laurorũ multitudine, qui in ea frequẽtes sunt, appellatus est Daphnis. Est & alius præter hos Neptunus nomine, in quo monte spelunca aperitur, in Tuscũ pelagus exiens. Item mons Nebrodes, cui damarum copia nomen dedit. de quo Silius:

Nebrodes gemini nutrit diuortia fontis,
Quo mons Sicania non surgit ditior vmbræ.

Oppidorum vero, & quæ maxime ad occidentalem plagam vergunt, vnum est Abacæ-

Abacæna in monte positum. a quo haud procul Adra ciuitas est, quam & Peloridē vocitabant: in cuius agro croci copia ingens nascitur. Post Tissa fuit, in cuius nunc loco Randazum ciuitas in colle, quam Micythus Rhegii & Zanclæ dominus condidit. Neatum olim vrbs, quā Ducetius Siculorum rex (eius patria fuerat) in æquum translatam campum constructit, Neasque vocauit. Mox Capitium castellum in saxo. Et aliud Emichara quondam, modo Nicosia ciuitas in mōte sita. Hinc e regione Thermæhimeræ, Lydia ciuitas, nunc Fontana murata, in planitie sita, vbi iuga montium terminantur, in quibus dicta iam oppida iacent, æquo pene tractu cum maritima ora, qui montes a mari circiter duodecim mil. pass. absunt. Inde Alete oppidum deletum. Sub quo Herbessus oppidum alterum, nunc Bichari dicitur, ciuitas in arduo monte sita, aliquando horreum populi Romani, vt aiunt scriptores: graue sustinens cœlum, quod loca sunt pleraque in ea regione palustria: quare pestilentia sæpius laborat. Post Asserus ciuitas non minus ampla, nunc Monreal a iunioribus vocatur, in colle sita, quam meminit Cicero. Chrysas est amnis qui per eius agros fluit, qui apud illos habebatur deus, & religione maxima celebrabatur, vbi phanum propter ipsam viā erat, & in eo Chrysæ simulacrum præclare factum e marmore. Postea Patiorus oppidum. Et in extremo pene insulæ angulo Entella vrbs modo diruta, ab Entella (vt nonnulli dicunt) Acestis coniuge ibi mortua denominata: quod Silius voluisse videtur, vbi ait:

Centoripæ, largoque virens Entella Lyæo,
Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ.

Magis autem ad meridiem in media regione sub AEtna monte Engium antiquissimum oppidum, non longe a mari, quod Cretenses hoc loco defuncto Minoe absque imperio inuicem diffidunt, quorum pars per litus errans locum munitum condendæ vrbis elegit, quam a fonte in vrbe fluente Engium appellauerunt, haud magna, dearum religione celeberrima. nam in ea Matris Magnæ phanū fuit a Cretensibus ædificatum: in quo Meriones, Vlyxesq; ac dein P. Scipio arma fixerunt. Post Dimitius castellum fuit, nec ab eo longe: sub quo Leontium, Herapilus antea dictum, oppidum exile olim, nūc satis amplum, quod Lentini modo vocant, in cōcauo montis vertice situm, quod fluuius medium secat, latum habens agrum dulcibus respersum herbis. quod si pecora ad satietatem ex ea carpserint, nimia pinguedine intereant. quocirca sero diei agere oues ad pascua pastores loci solēt, quo minus capiant pabuli. Quod oppidum Naxii superatis prælio Siculis, pulsisq; ex iis locis, condidere, coloniamque suæ gentis in eam deduxere, condidereque oppidum Callipolim, quod nullibi nunc extat. Diodorus, Xuthus AEoli F. ei parti imperauit, inquit, quæ ad Leontinos vergit. quę ad sua vsque tempora Xuthia ab eo est dicta. Silius Lestrigonas ibi habitasse videtur velle. ait enim:

Prima Leontinos vastarunt prælia campos,
Regnatam diro quondam Lestrigone terram.

Dein Menæ oppidum, modo ciuitas Caltagirone in mōte posita. cui planities subiacet ad Catinam vsque ac montem AEtnam quadraginta mil. pass. diffusa. Mox ad occasum Herbita vrbs, a qua paulo ex eius interitu Chiaza modo oppidum renatum est, in excelso monte positum. Item Centoripæ vrbs supra Catinam Ætnæis propinqua collibus fluminiq; Simætho, ipsa in alto monte sedet. quam, quū diruta iaceret, Aug. Cæs. restituit. Fuitq; Palice vrbs, quam Ducetius Siculorum rex iuxta templum earum quę Palicæ appellabantur ædificauit, cui a dearum nomine vocabulum dedit. quæ paulo post euersa est. Et sub Centoripis Sergentium oppidū fuit. ac occidentē versus media inter Syracusas & Erycē Ætna vrbs clara, non ab Hierone (vt quidā dicunt) cōdita, sed ab inquilinis (vt scribit Strabo) a Catana expulsis, qui inde Innesam (sic enim montanā Ætnæ oram vocant) habitandā tenuerunt, & locum Ætnam appellauerunt, & eius authorē habitandæ Hieronem diuulgarunt. a Catana decem mil. pass. abest, in colle eminet circumstantibus cāpis, hodie Caltanuceto dicitur. quam quidem & eam insulæ partē Cyclopes dicūt tenuisse. Hæc antea Centoripæ Strabo dicta est inquit: cuius verba sunt: Centoripæ exile sane oppidum, paulo ante vocatum Ætna. quod negat Ptolemæus, quum

& Cen-

& Centoripæ & AEtna diuerſe, ac diuerſis locis ſtatuat. Item Plinius, Centoripini: & paulo poſt, AEtnenſes inquit, non idem ſint, ſed vt diuerſi, ac ſeiuncti. Enna etiã exile ſane oppidum propinquum Centoripis fuit ad primos AEtnæ montis aſcenſus, ſuper colle: quam Catinenſes bello victi condidere. agro enim & vrbe ſimul coacti ſunt cedere. quæ Enneſia antea appellabatur, teſte Diodoro, modicis ſemper inquilinis poſſeſſa. ſub qua ingens montana planities aratro habilis iacet. Neq; ab vrbe procul Perguſa lacus, lucuſque Cereri matri & Proſerpinæ cõſecrati ſunt: quod Silius his carminibus notat:

Enna Deũm luci ſacra dedit ardua dextra.
Hic ſpecus ingentem laxans telluris hiatum
Cæcum iter ad manis tenebroſo limite pandit.

Item & Ouidius: quod Claudianus in raptu Proſerpinæ diffuſiſſime perſequitur. in pratis enim iuxta vrbem deæ raptum fuiſſe authores ferunt. ea namque liliis, variiſque floribus dea dignis ornata ſunt, vbi propter odorum fragrãtiam ſagaces canes odoratu carent, naturam ſenſus florum odore ſuperante. Huic Petra oppidum ſubiacet, in colle eleuatum, nunc Petrapartia illi vocant. Sub quo Megara colonia (Mazarinum iuniores modo appellant) in monte poſita. eam Lampus e Megaris in hunc locum deduxit, ſuperque flumen Pantagiam loco cui nomẽ eſt Trogilum incolas collocauit, qui ob vicinitatem Hyblæ oppidi, Hyblæi cognominati ſunt. a Gelone poſtea Syracuſanorum rege ex vrbe & agro eiecti ſunt. a Romanis diruta. Eſt haud procul hinc Dædali opus, Lymbethra dicitur. ex quo inſignis fluuius Alabos in propinquum mare effluit. Inde Hybla oppidum eſt: vbi, vel circa eum locum, nunc Auola: quum illud euanuiſſe Strabo dicat, ab Hyblone tum rege Siculo denominatum: quod Megara dictum ait Strabo, cui neq; Ptolemæus, neque Plinius aſſentiunt, quum diuerſa inter ſe poſitione differant. cuius nomen apud ſcriptores propter mellis præſtantiam, quod ibi fiebat, celeberrimũ eſt. Poſt autem dictam iam Petram ad occaſum in radice montis Cratidis in colle Oena oppidum eminet, quod nunc Belizi vocant incolæ. Sub quo ad eurũ ventum Agyriũ: & ad auſtrum Cortica olim vrbs, & ad occaſum Schera. Sub quibus haud procul a mari, ab Syracuſis quatuordecim mil. paſſ. Motuca ciuitas in monte, nunc Palazolum appellatur. Et ſub ea Ina, quæ vna cum aliis corruit. Sub qua ad Aphricum ventum Camarina vrbs, Syracuſanorum colonia, (modo Raguſa a iunioribus dicitur) in colle ſita. cui palus eiuſdem nominis adiacet, quæ palus Heſperia prius dicebatur. quod ſi quando areſceret, peſtilentiam regioni inuaſuram eſſe ab oraculo Camarinenſibus reſponſum eſt: quibus neque eam diſperdere fas erat. Et poſt illam verſus promontorium Pachynum Elorus ciuitas ab Elorо amne dicta, ſupra petram poſita, quæ nunc Modica nuncupatur. Supra autem Camarinã, Acreæ vrbs fuit 5. mil. paſſ. ab Antia amne, & Caſmena, a Syracuſanis inhabitatæ. Et ſub Acreis occaſum verſus Gela vrbs dephia in monte arduo, & qui ab omni pene parte inacceſſibilis eſt, ſita, quam Antiphemus ex Rhodo, & Entimus ex Creta ſuam vterque coloniam ducentes pariter condiderunt, impoſito a flumine Gela vrbi nomine. is eam præfluit. ex quo Virgilius:

Immaniſque Gela fluuii cognomine dicta.

Et item Silius. Qui fluuius ſic dictus eſt, quia generat multum pruinæ. Gela enim Siculi pruinam vocant. Eam magnam vrbem fuiſſe Plutarchus atteſtatur, quam Carthaginenſes deleuiſſe ait. Poſtea Gorgus e Coo adnauigans reædificauit. vnde ſylua ſuberis arboris vſque ad mare extenditur, qua complectitur ſtagnum ſuperius a nobis memoratum, in quo ſal fieri diximus tanti ſplendoris vt imaginem recipiat. Hinc ad occaſum Cacyrum oppidum fuit. & ſub eo Phinthia, nũc Drilum in conuallibus duobus mil. paſſ. a mari. Poſtea Agragas vrbs, quæ deinde Agrigentum Ionicũ (ab Ioniis conditum) dicta fuit, cuius emporium ad mare ſupra oſtendimus, modo Naro a iunioribus dicitur. quam Geloi anno prope octauo a Gelæ vrbis initio incoluerunt: eã a fluuio Acragante appellantes, cuius ſitus mons eſt muro cinctus, in cuius ſumma parte oppidum eſt. hanc Dædalum ædificaſſe Diodorus author eſt, atque effeciſſe, vt ne expugnari poſſet, munitiſſimam. cuius aſcenſum via ita arcta

arcta difficilique reddidisse, vt aditus tribus aut quatuor viris custodiretur. in hac Cocalus regia constructa thesaurum omnem in ea tanquã inexpugnabili condidit. magna quidem atque ampla vrbs, in qua Laertio teste octingenta hominũ milia habitarent, cuius Empedocles ciuis fuit, in quo vno viro totam insulam nobilitari Lucretius his carminibus voluit, dicens:

Quæ quum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visendaque fertur
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi,
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis & mirum carumque videtur.

Quæ diu post a Carthaginensibus euersa est. tunc reædificauerunt eam Megellus & Pheristus ex Elea venientes. Cæterum Agrigentinus ager totus innata vbertate præstans. vbi lacus sunt, gustum quidem maris habentes, naturam autem discrepantem. iis enim quæ nequaquam natabilia sunt, nullo pacto demergi contingit, imo in lignorum superne modum fluitant. quo ait Strabo complurium equorum tumulos, pyramides habentes inquit Plinius. quod munus supremis meritis datum fuit. nam legitur apud Pindarum, Agrigentini equos ad agones Græciæ mittebant, qui inde victores reuertebantur. Item in Cappadocia quum greges equorum periissent, Delphici Apollinis responso adduxerunt equos de Agrigento, & reparauerunt meliores. quare Virgilius:

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Post itaque dictam vrbem Triocala fuit seruili bello vastata, sub qua Ancrina oppidum est, & aliud Elcethium nomine, & eo Letum in ardua petra situm. quorum ad occasum Segesta vrbs fuit, cuius ad mare eiusdem nominis emporium diximus. cuius in agro aquæ calidæ sunt ad potandum bonæ.

FINIS.

MICHAELIS RITII

NEAPOLITANI, DE REGIBVS SICILIÆ EORVMQVE ORIGINE ET SVCCESSIONE,

Liber Primvs.

REGES Siciliæ (quos & Neapolis appellant ab eorum regia, totiusque regni principe ciuitate Neapoli) genus a Normannis habuisse constat. Nam post imperii Romani fractas opes, pars illa Italię cui Sicilia attributa erat, Gothis aliquādo paruit & Alarico regi eo nomine secundo, quem diximus in alueo Basendi (qui fluuius vrbem Consentiæ præterfluit) esse conditū: sed in Longobardorum ditione partim fuit, vt Beneuenti Ducum, Salernitani Campaniq; Principum: Apulia vero Calabriaq; Constantinopolis Imperatoribus adusque Michaelis Cathalaici tempora paruerūt. Obtinebat in Italia Guilielmus cognomento Ferrabat origine Normannus oēm fere Romandiolā, (quam Galliæ togatæ partē Flaminiā prisci vocant) amissoq; Tancredo patre duodecim fratres habuit, armis & ingenio præstanti viros, & in his Robertum cognomento Biscardum, Drogonem, Vnfredum, Gothfredum, Ricardumq; & Rogerium. Cumque Siciliam Carthaginēses occupassent, & ipse ad aliquod præclarum facinus animum adiecisset, inita societate cum Salernitano Campanoq; principe, & Malocho Gręco, qui Constantinopolitani Legatus Imperatoris Apuliæ & Calabriæ præerat, in insulam coniunctis copiis traiecerunt, his conditionibus icto fœdere, vt omnis præda quatuor in partes diuideretur, insulæque fines, si quos ab hoste recepissent, paribus auspiciis & in communi tenerentur. Confecto demum bello reque feliciter gesta, cum totam insulam redegissent in potestatem, Malochus violato fœdere præsidiis suis oppida firmauit, eaque regenda magistratibus ab Imperatore suo missis cū supplemento tradidit. Hāc iniuriam Guilielmus pro tempore dissimulandam sibi putauit, redeuntibusq; ad sua Campano Salernitanoq; principibus, ipse per Apuliam circūduxit exercitum, obiterque Melphim vrbem natura loci munitissimā circumsedit, oppidanosque ad deditionem pellexit. Eo nuntio perculsus animo Malochus, primo quoq; tempore castra posuit ad Melphim, neq; Guilielmus intra mœnia se continuit, longoq; itinere fessos Græcos atq; incompositos adortus, longeque pepulit, ex eoq; prælio bona regionis parte potitus, e vita migrauit, eiq; frater Drogo successit. Is Drogo non ita multo post a Melete, quem Constantinopolitanus Imperator in locum Malochi suffecerat, omni fere Apulia primo statim aduentu cedere coactus est. Exinde male nouis auctus copiis, instaurato prælio Græcos acie superat, amissaq; in Apulia recipit. Interea a prouincia decessit Meles, eamque Bubagano tradidit Imperatoris Catipano: magistratus id nomen est. Agebaturque salutis annus octauus ad millesimū cum Pœni hostiliter in Italia, occupata Capua, Barum oppugnabant, eoq; potituri videbantur ni Petrus Orseolus Venetorum Dux subsidio venisset. Capuā Campaniamq; recuperauit Henricus Bauariæ Dux anno

anno duodecimo ex quo Romanorum Rex appellatus est, cum Romam tum primum venisset, vt a Stephano octauo Pont. maximo coronaretur. Ipsumque Bubaganum, quẽ Saracenis fauisse compererat, acerrimo bello persequitur, vrbemq; Troiam Græcorum coloniam circumsedit, opportunitate loci ductus. Inde nanq; Græcos simul Apulosque in fide contineri, Græciamq; & Romanorum fines infestari posse intelligebat: quatuorque mensibus interpositis, oppidanorum deditione Troia potitus, acceptis obsidibus in vrbem rediit, inde protinus in Germaniã. Per idem tempus a Normannis Apulia, a Græcis Calabriæ pars ea quam Brutii tenent occupatur. Henrico deniq; vita functo, Conradus origine Sueuus, qui sub eo duxerat ordines, occidentis imperio præficitur, orientis autẽ Cathalaico Michael Etheriacus, cuius principatu Græci cum Drogone Normanniſque congressi, maxima clade affecti sunt ad Ausidum. Drogo tamen in acie desyderatus optatam victoriam suis reliquit. Drogoni, quia nihil in vita liberorum suscepit, frater successit Hunfredus, qui Comitatum tenuit Apuliæ per annos septem in eo quo acceperat statu. nam neque fines ampliauit, nec diminui passus est. Exinde Gothfredus Apuliæ rem tenuit, eodemque tempore Guamarinus Salerni Princeps a suis interfectus est, & in eius locũ Gisolphus frater subrogatus. Is oppidum Beneuenti (quod est in clientela fideque Romani Pont.) aperto bello adortus, in potestatem redigere tentauit, ac antequam subsidio venturus Henricus is qui Conrado successerat, Alemannos deduceret a præsidio Vercellarum, Gisolphus auxilio Gothfredi Beneuenti potitur, ipsumq; Leonem nonum Romanum Pont. apud Teate (quod oppidum Marrucinorum Ciuitam vulgo vocant) cum copiis occurrentem superant, viuumq; capiunt: in summo tamen habent honore, deduciq; in vrbem curant prosequentibus eius iter omnibus Beneuenti sacerdotibus. Interpositisq; paucis dieb. hominem Gothfredus exiuit. Moriens Gothfredus Belagardo filio principatũ reliquit, cum summa Roberti cognomento Biscardi indignatione. Nam moris antea fuerat in locum defunctorũ fratres Apulia potiri, quippe quam paribus auspiciis & sumptibus in commune quæsissent. Itaq; Belegardo vi exacto Biscardus Apuliam sibi vendicat, amissaque vxore Abderada quę Boemundũ sibi pepererat, alteram superduxit nomine Giliardam Gaimarini filiam Gisolphi principis Salernitani fratris. A Nicolao primo Romano Pont. per legatos petiit vt ad res Apuliæ Calabriæq; componendas animũ adiiceret. Quã nactus occasionem Nicolaus ad comprimendum quorundam tumorẽ perfidiamq;, qui se duces ecclesiæ professi, (quos Capitaneos vulgo vocant) imperii sui fines vexabãt: in Apuliam cũ legatis ad Biscardum se contulit, inductaq; censura qua prius eũ notauerat, vt ecclesiasticæ regionis incubatorẽ, Calabrię Apuliæq; Ducẽ declarauit, recepto prius ab eo Beneuenti oppido, conceptisque verbis iuramento, quotiens vsus veniret, auxilium Romanis Pont. allaturum. Itaq; socius stipendiarius ecclesiæ Romanæ factus, partem copiarum cum Pontifice misit ad domandos (vt iactabat) ecclesiæ subditos, qui imperata facere recusarent. sed eas ab humanis exempto Pont. continuo reuocauit, & Materam Tarentumq; (quæ Græcorum iuris erant) ad deditionem pellexit. Interposito tempore cum Pontifex esset Alexander eius nominis secundus, æmulũque dignitatis haberet Cadolum, quem sibi componebant ecclesiasticæ seditionis autores & schismatici, Constantinoque Dioclizi Constantinopolis Imperatore vita functo, priusquam Romanus cognomento Diogenes in eius locũ suffectus Imperii rem constituisset, ipse Biscardus Kyriacum Catipanum (sic enim legatus Imperatoris in Italia vocabatur) incautum adortus, apud Vestam Apuliæ in sinu Gargani oppidum opprimit, parique celeritate Montem pilosum vrbem Lucaniæ nõ procul ab Apulia positis castris obsedit, eiq; obsidioni præposito fratre, maioribus ipse copiis Barolum petit, Adriatici sinus oppidum, tertioq; post annolõga obsidione fessos, in potestatem recepit. Interea Rogerius Biscardi frater, terra mariq; Brundusium premebat, & Biscardus agmẽ a Barolo duxerat in Rhegium Brutiorum, breuiq; potitus oppido, transiit in Siciliam, obsessoq; terra mariq; Panormo, cum res in longum protraheretur, fratrem castris præfecit, ipse reuersus in Apuliam, Tranum cœpit oppugnare. Eodemq; tempore, salutis anno mille-

simo septuagesimo tertio, mēse Ianuarii, Biscardus Trano, frater Panormo potitus est. Interea Ricardus alius Biscardi frater, eiusque filius Guilielmus, partitis inter se copiis, alter Capuam adortus, alter Beneuētum, repulsique ab oppidanis, exercitum reduxerunt. Alexandroque Pont. quem demonstrauimus, ab humanis exempto, Gregorius septimus in eius locum successit. is inauguratus habito Lateranensi cōcilio Biscardum Normanosque diris per omnium sacerdotum religiones execratus est, per causam quod ii quæ iuris erant ecclesiæ contrectarent in agro Piceno, (quam Marchiam nunc Anconitanam vocant) oppidaque nonnulla firmata præsidiis obtinerēt: quoue testatior ea deuotio foret, in acta retulit: in eos tamen arma non sumpsit, intentus componēdis Alamannię rebus, vt Henricus secundus Romanorum rex, pace domi parta, copias in Italiā ducere posset, & Normannorū ferociam compescere. Biscardus interea Consentiam sanctamque Seuerinam, (quæ Brutiorum sunt oppida) sub ditionem suam misit. Vxoris suę fratrem Sisulphum Gisolphi principis Salernitani filium, qui patri successerat, adortus, incautum prælio superat, industriaque Michaelis Dioclizi, qui impar opibus Nicephori exactus ab imperio Constantinopolis, ad Biscardum confugerat, ecclesiæ reconciliatus est, omnique nisu contendebat vt Michaelē restitueret imperio: sed eius conatus Veneti, qui Nicephoro studebant, impediuerūt. vrbem Dyrrachii tamē obsidione cinxit, cui Boemundum filiū præfecit. Ipse contractis quascunque potuit copiis Romam ire pergit, vt Gregorio Pont. subsidium ferret, ab Henrico Romanorum rege in arce Crescentii obsesso: exemptoque ab obsidione Gregorio pristinam dignitatem restituit. Sed is absente Biscardo Romæ tutum se fore non ratus, abeuntem Salernum prosequutus est. Vnde Biscardus, qui non tā reducendi Michaelis quam occupandi imperii consilia agitabat, magnam instruxit classem, qua cum Venetis Græcisque bis admodum prospere pugnauit. cunq; inclinante ad eum cum fortuna hominum studio Dyrrachium pluraq; finitimæ regionis oppida subegisset, ecce in ipso rerum cursu mors intempestiua victoriā de manibus eripuit, anno salutis millesimo septuagesimo septimo, mense Iulii, dum esset apud Cassiopen Epiri oppidum Molossis attributum.

E duobus Roberti filiis Apuliæ principatum Rogerius obtinuit, quū Boemundus in Dalmatia cum copiis esset eo tempore quo pater excessit. In Sicilia tamen aliquot vrbes a Rogerio desciuerunt. Interea Boemundus indigne ferens nullā paterni principatus ad se partem peruenisse, deductis ab oppidis quę subegerat in Dalmatia prę sidiis, instructaq; classe venit Hydruntem: eiusq; discessu Alexis Grę cus Imperator Dalmatiam nactus vacuam facile recepit. & Rogerius vrbē Capuā obsidione pressam compulerat ad deditionem, quū Boemundus ductis in eū copiis ad prę lium prouocauit: nec per Rogerium stetit quo minus acie dimicaretur, sed qui in vtroq; exercitu ducebant ordines, auspiciisq; Biscardi stipendia fecerāt, impetrauerunt a Rogerio vt permissa Boemundo Apuliæ parte, a bello discederet. acerbum enim videbatur, vt qui toties sub imperio Biscardi, pro iisdem signis in prælio steterant, inter se decertarent. Itaque rebus compositis Vrbani Pont. indulgentia, frequenti apud Melphim patrum sacerdotumq; concilio Rogerius Apuliæ Calabriæq; Dux appellatus, in verba Pont. iurauit. exinde profectus in Siciliā Syracusas vrbem, quæ mortuo Biscardo defecerat, iterū recepit in fidem, Pontifexque ex Melphi Troiam petiit: at Boemundus eam nactus occasionē Melphim occupat. Ea res a Sicilia Rogerium reuocat. Habito nanq; delectu conductisq; Pœ nis traiicit in Italiam, raptimq; ducit agmen in Boemundū, qui munitionib. oppidi fretus obsidionem tolerabat. Interea Ricardus dissidentium germanorum opportunitate vsus, Capuā, vnde eiectus a Rogerio fuerat, recuperauit. Per idē tempus in concilio quod Vrbanus apud Claromontem coegit anno salutis millesimo nonagesimo quarto, actum est de recipiēdis Hierosolymis, indictamq; expeditionem pleriq; Christiani principes sequuti sunt, & in his Podiensis, vel (vt ab aliis appellatur) Anicien sis episcopus, Hugo Magnus Philippi frater, eius nominis primi Francorum regis. Quibus iter per Apuliam facientibus honesta ductus æmulatione Boemundus, ne tam sanctæ glorioſæq; expeditionis expers esset, vrbe Melphi

Rogerio

Rogerio fratri cessit, ac in ea militia se ducem professus, cum duodecim milib. armatorũ nomen dedit. Ipse quoq; Rogerius potestatem militibus suis fecit, vt si qui vellent eũ sequerentur. In eo bello Boemundi virtus enituit adeo, vt Antiochia capta, cõmuni nostrorum consensu, princeps in ea constitutus, Constantiam Philippi Francorũ regis vxorem duxerit. Rogerius a Boemũdi discessu Siciliæ Comitem se per epistolas & diplomata nominauit, eodemq; fere anno mortuus est, expugnata prius vrbe Canusii, quo notam deleret cladis illic acceptæ a Romanis: in qua in eodem cum Boemundo fratre conditorio iacet, vt indicat epitaphium. Nec plane constat ex Antiochia ne Boemundi corpus in Apuliam relatum sit, an ipse adhuc in vita eo redierit.

Apuliæ principatum Guilielmus excepit Rogerii filius: oppida Siciliæ cesserunt in Rogerii potestatem, Rogerii superioris ex fratre nepotis, eius qui Pascali secũdo Pont. sex aureorum milia dono dedit aduersus Antipapã Gibertũ, pacemq; ab eo impetrauit. Ipse quoq; Guilielmus Alexi Cõstantinopolis Imperatore vita functo Caloioannis sororẽ duxit, eam quæ nupta fuerat Alexidi: confarrandoq; cõnubio Constantinopolim profecturus, Apuliam Calabriamq; Calisto eius nominis primo, qui Pascali successerat, abiens commendauit. Eius absentiã Rogerius opportunam suo consilio nactus, Calabriam vi redegit in potestatẽ. Cumq; Callistus subsidio Beneuentum venisset, eiusq; exercitus aduersam valetudinem magna ex parte contraxisset, ipse quoq;, vel insueto labore, vel ex animi sollicitudine, morbo implicitus, in vrbem lectica relatus est. Ea res occasionem Rogerio dedit, vt occupatis omnibus quæ Guilielmi iuris erant, appellationem regis Italiæ non veritus sit vsurpare. Callistus diris & execrationibus effundens iram, prius morte præuentus est quam minas ad rem conferret. Sed Innocentius eo nomine secundus, in locũ Callisti suffectus, inito statim Pontificatu, contra Rogerium mouit, incautumque aggressus ab oppido sancti Germani Cassinum compulit, Castellumque Gallucii circunsedit, quo se Rogerius ex fuga receperat. Interea Guilielmus Rogerii filius qui se Calabriæ Ducem scribebat, cum auxiliaribus interueniens copiis, obsidione patrem liberauit, ipsumque Romanum Pont. nonnullosque Cardinalium cepit, habitosque in honore dimisit, impetratis a Pont. quæcunque voluit, excepto Regni titulo. Sed ad famam capti Pontificis, Petrus Petri Leonis filius ciuis Romanus, qui Pontificatus comitiis Innocentio succubuerat, inuadit Pontificatum indito sibi Anacleti nomine. cuius impar factioni, sibi putauit Innocentius in Galliam confugiendum ad Philippum secundum cognomento Adeodatum. Interea Anacletus Rogerium pellexit, vtriusque Siciliæ concesso regni titulo, vt se Põt. saluaret. Innocentius ex Gallia reuersus vna cum Lothario, quem Germani principes Romanorum regem creauerant, amissam dignitatem recuperauit: euocatoque rursus in Italiam Lothario bellum suscepit in Rogerium, nec multo post eum regno Neapolis exegit. In insulam Siciliæ compulso Rogerio, quicquid in Italia Rogerius obtinebat, imposito Rainone Lotharii nepote, quem prius Apuliæ Ducem declarauerant, præsidiis firmauerunt. Innocentio vita functo non eadẽ fuit in Rogerium voluntas Cælestino Lucioq; deinceps eius successoribus. Itaque Rogerius amissa (dubium ignauia an indulgentia Pontificum) recepit omnia, tantum titulo regis Italiæ abstinuit, contentus in posterum Siciliæ rex appellari. Bellum suscepit aduersus Pœnos, eosque tot affecit cladibus, vt regem Tunetis iniquis conditionibus impetrare pacem compulerit, pacto solutoque stipendio circiter annos triginta. Cumque Constantinopolis Imperator Emanuel eius nominis secundus appulsos in Asiam Christianos male acciperet, Rogerius ex Aphrica reducta classe eum bello persequitur, Corcyramq; & Eubœam insulas, Corinthum Thebasque vrbes, expugnatas diripuit, suburbiaq; Constãtinopolis igni ferroque vastauit. In Italiam rediens incidit in classem Imperatoris atq; Venetorum. amissis triremibus vna & viginti vix elapsus est. Exinde non diutius in humanis fuit, anno salutis supra millesimum quinquagesimo secundo vita functus. In eius locum subiit Guilielmus filius, qui statim inito principatu cum per Anastasii quarti mortem Pontifex esset Adrianus & ipse quartus, ecclesiæ rem contrectare cœpit, oc-

cupatisque Beneuenti Babucinique suburbiis ab Adriano diris execrationibusque deuotus in discrimen venit. nam quum Pontifex stipendiarios Guilielmi socios ab omni iuramento, quod ei conceptis de more verbis vt regi præstiterant, absolutos censeret, aliquot ex Apulia Calabriaque proceres, & in his Ricardus Capuæ princeps, a fide defecerunt, autoresque fuerunt Adriano, vt copias in Guilielmū duceret vsque Beneuentum. Cumque Guilielmus imperata facturum se pollicerētur, & quicquid occupasset ecclesiæ restitutum ire, Pontifex quorundam patrū suasu conditionem respuit, eo magis quod a Palæologo secundo Constantinopolis Imperatore, qui successerat Emanueli, legatus Anconam cum mandatis venerat, auxilio fore Palæologum cum omnibus copiis aduersus Guilielmum, si Pontifex ei tres Apuliæ maritimas vrbes ex fœdere traderet. Itaq; cū Guilielmus apud Brundusium conserta manu Græcos & Apulos, qui pro Pontifice stabant, ingenti prælio fudisset, agmenque raperet in ipsum Pontificem, pacis conditiones, quas antea respuerat, vltro Pontifex obtulit, iterumque in sua verba iuratum Guilielmum vtriusq; Siciliæ regem declarauit. isque mox apud Panormum decessit, anno salutis millesimo centesimo sexagesimo sexto. Ab eo regnauit, & ipse paterno nomine Guilielmus secundus, Alexandri tertii Pontificis maximam gratiam promeritus, quod ab AEneobarbo Federico post illatam Romanis in agro Tusculano ciadem, in vrbe obsesso Pontifici, triremes subsidio misit, eumque pecunia rebusque obsidioni tolerandæ necessariis obnixe iuuit. in Asiam præterea quadraginta triremes aduersus Saladinum misit, a quo Christiani premebantur. excessit e vita Panormi sine liberis. Vnde Clemens tertius Alexandri successor in ius ecclesiæ regna tentauit asserere. sed vtriusque Siciliæ proceres in defuncti locum regem sibi creauere, Tancredum eius patruum, Rogerii ex pellice filium. Sed qui Clementi mortuo successit Cælestinus tertius, Henricum AEneobarbi Federici filium, Siciliæ regē declarauit, eius qui cum iam Syriam teneret a Barbaris receptam, in amne quodā lauans, clausis vitæ meatibus expirauit: vnde Germani principes Henricum in patris locum suffecerant. Henrico Constantia nupsit Guilielmi secundi soror ex parthenone furtim deducta, permissuq; Pontificis resecrata, cū rite capta iurasset in verba religionis. Excepit etiam Clemens vt Henricus a Tancredo regnum suo sumptu reciperet, censumque ecclesiæque quotannis stipendium solueret.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI, DE REGIBVS SICILIÆ,

Liber Secvndvs.

HENRICVM Constantiamque Neapolim obsidentes ingens coorta pestis exercitum deducere coegit, ac in Alemanniam reuerti. verum non ita multo post Tancredo Rogerioq; eius filio apud Siciliam vita functis, in Italiam redierunt, cum Federico filio, quem Constantia præter omnium spem grandior ætate pepererat: paruoque negocio Regno Neapolis insulæque Siciliæ potiti sunt. Autore Cælestino tertio Pontifice, classem lectissimis quibusque militibus, omnique bellico apparatu instructam, Duce Saxoniæ, & Archiepiscopo Maguntino præfectis, in Asiam misit. Et iam vita functo Cælestino patrum suffragiis Innocentius in fastigium Pont. euectus est. is e Britannia Simonem de Monteforti, virum rerum gestarum gloria clarissimum, per literas & certos homines euocatum cum mediocri Gallorum manu, subsequi Henrici classem iussit: sed vtrunque fortuna deseruit, nec in Asia quicquam memoria dignū gesserunt. Interea apud Messanam ab humanis exempto Henrico, Federicus imberi adhuc ætate successit in regno, tutore Philippo patruo, quem moriens Henricus im-

eus Imperatorem teſtamento inſtituerat. Ad hunc nuncium Archiepiſcopus Maguntinus,& Dux Saxoniæ rebus in Aſia nondum confectis e veſtigio redierunt, indignũ rati Philippũ Germanis imperare ex Henrici tabulis.itaq; nõnulli Germani principes Othonẽ Saxoniæ Ducis fratrẽ, eius qui nuper ex Aſia redierat, Imperatorem declarant,alii Philippo ſtudent. Federicus adhuc impubes ab Othone nõ paucis affectus incommodis eſt. Otho nanque cum coronatus eſſet ab Innocentio tertio, quæ iuris erant eccleſiæ,nõ veritus eſt attrectare,multaq; regni Siciliæ partim gratia, partim vi ſibi vendicauit oppida, nec inde poſcente Pontifice præſidia deducere voluit. Hinc Innocentius eos qui deficerent ab Othonis imperio ſolutos omni noxa,neq; ſacramento teneri iudicauit.Ea res aliquos impulit vt ab eius fide deſciſcerent.Ipſi Germani principes,ad quos Imperatorem ſpectat eligere, ſuaſu Philippi Francorum regis Adeodati, Federicum de quo nunc agimus Romanorũ regem declarauerunt.Is annũ vigeſimũ tunc inibat,& ſuſpectum habebat Othonem,ne ſuppetias Angliæ regi ferret auunculo ſuo contra ſe.propterea pro ſua virili parte ſtudebat eius opes infringere.ſed cũ Pont. Imperii nollet inſignia Romæ ſibi tradere, profectus in Alamanniam Philippus apud Maguntiam ab eius vrbis Archiepiſcopo diadema accepit,iniitque fœdus in oppido Vallis coloris iuxta Moſam fluuium cum Ludouico huius nominis ſeptimo,qui Philippo patri ſucceſſerat,in quem bellum gerens Otho prope Tornacum ingenti prælio victus, ex animi mœrore in morbum lapſus, paucis exinde diebus obiit, eccleſiæque Romanæ Fundos oppidum,quæque Fundis attributa ſunt, ex teſtamento reliquit. Othone mortuo Federicus ab Honorio tertio facile impetrauit vt inſignibus Imperii Romæ decoraretur. Vxorem præterea duxit filiam Ioannis de Bregna nouiſſimi Hieroſolymorum regis,ex Iole priore coniuge: per quam ius Hieroſolymitani regni cedente ſocero conſequutus eſt. Ex quo Federicus & qui deinceps in regno Siciliæ ſucceſſerunt, Hieruſalem reges appellati ſunt. ex huius puellæ connubio Federicus Henricum ſuſtulit & Conradum,cum prius ex pellice duos haberet,alterum Henricum,quem Sardiniæ regem conſtituit,alterum Manfredum. Cumq; propter improbos eius in eccleſiam conatus decreto Pont. abſtentus, hoſtiſq; iudicatus eſſet:imperio timens,Henricum,quem ex iuſto matrimonio genuerat,annum vix agentem decimum,Regem Germanis impoſuit. Exacerbauit eius factũ pax data Soltano, legatis vltrõ citroque miſſis. vnde Gregorius nonus Honorii decretum confirmauit , & Federicum iure diris execratum cenſuit,cum præſertim recuſaret expeditionem pro recuperanda terra ſacra ſuſcipere, ſicut ex voto tenebatur, in Aſiamque ſimulata profectione per eius ſatrapas agri Piceni fines adortus eſſet.Intellecta fraude, Pontifex Ioannem Federici ſocerum, quem Romandiolæ præfecerat, euocauit, habitoque delectu contractiſque tumultuarie copiis eccleſiaſtici iuris omnia recepit, partemque regni Capua tenus in ditionem ſuam redegit.Ob eamque rem Federicus ex Aſia reuerſus equitum magiſtrum Prutenorum Meſſanæque Archiepiſcopum legatos ad Pontificem miſit, vt ab eo veniam ſupplices impetrarent,oblatas a Pontifice cõditiones accepit, vt imperio recepto rex Alemanniæ Siciliæq; tantum diceretur,& quicquid amiſiſſet ex regno Neapolitano nouo quodam iure poſſideret,acceptumq; Põtificum collegio referret: auri præterea centum viginti milia perſolueret vnciarum , quot in eius belli impenſas Pontifex erogauerat.In ea tamen fide non diu perſtitit. In Alemanniam nanq; profectus, vbi prope diem rediit in Italiam, vrbem Vincentiam ſubito oppreſſam diripuit incenditque:Henricum quoq; filium,quem relegauerat in Apuliam quod ab eo defeciſſet,publicitus in carcerem detruſum necari curauit. multaq; auſus in Gregorium Pontificem parum reuerenter & impie, patrum decreto in die cœnæ domini abſtentus,& diris ex formula deuotus eſt,ipſique eius ſtipendiarii ſocii ſacramento ſoluti ſi quid in eum moliri vellent.Eo nuncio Federicus accepto,quum diem dominicæ reſurrectionis apud Patauium feſto tranſigeret, animi mœrore diſſimulato ſtatim veluti furore percitus in Venetos agmen rapuit, quos audiebat cum Pontifice fœdus iniiſſe contra ſe. Sed inde nulla memorabili re geſta, mouit in Etruriam,receptuſque Piſis,execrandis Guelforum Gibellinorumq; fa-

ctionibus initium dedit. Singulas enim ciuitates oppidaque circumiens, animos hominum pertentabat, & quos sui studiosos inueniebat, hos Gibellinos: quos aduersarum partium Pontificisque, Guelfos appellauit. vtrunque Barbarum Germanicumque nomen est, & primum Pistorii (vt rumor est) auditum. Copias in vrbem duxit fiducia ciuium, quorum magna pars a Pontifice dissidebat. ex quo Pontifex in subsidium non parum multos ex his qui crucis insignia gestabant euocauit: quorum si quos in potestatem Federicus redigebat, omnib. in eos exemplis sæuiebat. Ea spe destitutus in Campaniam secessit: & inde Samnium profectus, Beneuento non aperto Marte, sed dolo potitur, vrbem diripuit ac inflammauit, sed in euentus belli sibi receptaculum, mœnibus munitam relinquit. Expeditione cõtra Picenos admodum non successa, omnem iram effudit in sacerdotes & omnes initiatos eius regni: Siciliæ templa spoliauit, & ea maxime quæ curationis erant Hierosolymitanorum militum, Cassinensisque cœnobii. Euocatos insuper ex Aphrica Pœnos & nostræ religionis hostes, in summo apud se habuit honore, magistratusque per Italiam Siciliamque gerere voluit amplissimos, vrbemque Luceriam habitandam dedit, electis populariter Christianis. Exemptoque Gregorio Cælestinus quartus in eius locum subiit, initumque Pontificatum non amplius quam duos & viginti dies obtinuit: exindeque anno vno, mensibusque nouem, interpontificiũ fuit, & Apostolica sedes vacauit, donec adnitente Balduino Constantinopolis Imperatore, Raymundoque Comite Tolosano, Sinibaldus eligitur, ex gente Fliſca Ligur, Innocentius deinde quartus appellatus. Is cum pacis æquas a Federico conditiones impetrare non posset, nocte vrbe excessit, magnisque itineribus ad Centum cellas & inde Genuam profectus, aduerso tandem Rhodano Lugdunum peruenit, ibique coacto concilio Federicum damnauit, Electoribusq; Germaniæ (quos appellant) potestatem fecit vt alium Romanorum regem crearent. Vnde Federicus Guelfam factionem bello persequutus, ipse quoque grauiter ab eis agitatus est, excessitque anno trigesimo secundo ex quo declaratus est Imperator. In genere mortis autores abierunt diuersi. Nam quidam Panormi morbo solutum scribunt, alii apud Ferenzolam (quod oppidum est Apuliæ) a Manfredo eius notho filio elisis faucibus interemptum malunt, cum ab ægritudine iam conualesceret.

Habenas imperii susceptit ex eo natus & Iole Ioannis filia regis Hierosolymorum, Conradus. in cuius absentia Manfredus occupare regnum studuit, per causam quod in locum fratris magistratum gereret, eiusque personam precario sustineret. Imperata facere Neapolitani negabant. inde Manfredus in eos bellum sumpsit. Interea Conradus ex Alemannia reuersus, oratione Manfredi captus, Neapolitanos apud se maiestatis reos agit, quod Manfredo portas clausissent. eiusdem criminis affines habuit & Campanos, quod vna cum Neapolitanis in Manfredum consensissent. obsessam Neapolim fame domuit, octauoque mense ad deditionem compulsa, muros nonnullasque publicas & priuatas ædes solo æquauit. eadem Capuæ pœna illata. Cumque potitus esset omni Sicilia, altero post eius aduentum in Italiam anno, diem clausit, non absque suspicione dati veneni ab eius medicis, a Manfredo pecunia corruptis. Instituit ex asse hæredem Henrici fratris sui filium Conradinum, eius quem Federicus in carcerem coniectum necauit, vt demonstrauimus, eique nominatim tutores ex Germania dedit, qui Siciliæ res impubere Conradino moderarentur. Eius testamenti tabulas a Manfredo suppressas aiũt, e medio clam sublatis testibus, & iis qui scribendis interfuerunt: nihilominus ad Conradini fidem populos hortatus est. Innocentius interea quartus, qui nouennio iam Lugduni fuerat, in Italiam rediit, & Perusii se continebat. Audita Conradini morte contractis tumultuarie copiis, quibus Neapolitanos quosdam præfecit equites, Neapolim venit, ibique & a Manfredo Tarenti principe, cæterisq; regni proceribus fere omnibus, honorifice exceptus ac salutatus est. Interiectisque paucis diebus obiit, anno salutis ducentesimo quinquagesimo quarto supra millesimum, mense Ianuarii, illatusque est in templũ Neapolis cathedrale. Manfredus autem quum primum Pontificem morbo sensit implicitum, Tarentũ secessit, & inde

de Luceriam, quam Federicus Aphris habitandam dederat. Hos Manfredus immisit in Pontificis copias, quæ Fogiæ nihil hostile suspicantes hybernabant. itaque a Pœnis omnib. spoliati sarcinis, maiori ex parte cæsi sunt. ipse Manfredus omnia regni loca, quæ Conradini tutorum nomine tenebantur, accepit in potestatem præsidiisq; firmauit. Alexander itaque quartus Innocentii successor Neapoli excessit Anagniam, ibique Manfredum diris execrationibus in publica concione deuouit, ac Octauianum quendam sedis Apostolicæ nomine legatum, Neapoli reliquit ad impetus Manfredi continendos. Is quia mœnibus sese continebat, ideo pauciores imparatioresque copias habebat, & opera Manfredi atrati quidam ex Germania nuntii venerant, qui flentes affirmarent ab humanis exemptum Conradinum. Manfredus simulato mœrore, quo mēdacio fidem faceret, exequias vt mortuo Conradino celebrauit, appellarique continuo rex edicto iussit, omnemq; regiam gazam, quæ iam olim Panormi seruabatur, ex ærario trāsferri ad se voluit. cuius vi pleroſque copiarum ductores ecclesiæ sibi iunxit, auxiliaque misit extoribus Florentinis, & Gibellinis Senensibus, iique Guelfos apud amnis Arabiæ pōtem commisso prælio fusos in fugam verterunt. Ob eamque rem fugatis aduersarum partium ciuibus Florētia Manfredi militibus occupata est, omniſq; fere Etruria Manfredo paruit. ipsos quoque Picentes imperata facere Manfredus compulit. etsi Pontifex Vrbanus quartus Alexandri successor, euocatis ex Gallia militibus ex eo genere qui crucis insigne gestant, ad comprimendos illius conatus obnixe studeret: irritis tamen omnibus auxiliis & Altisiodorensis episcopi, Robertiq; filii Comitis Flandriæ, & Ricardi Comitis Vindomensis, ad Carolum confugere coactus est, Ludouici Francorum regis eius nominis octaui (qui mortuus in cælū relatus est) fratrem, qui Comes Andegauensium prouinciæque Narbonensis erat. eique vtriusque regni Siciliæ concesso iure mandat, vt incubatorem Manfredum vi deturbet. Expeditionem parante Carolo de medio sublatus Vrbanus vacuam Clementi sedem reliquit, ei qui quartus est cognominatus: quem rumor est e Gallia sub habitu religiosi mendicantis in Italiam venisse. Huius Pontificatu Carolus e Massilia cum triginta triremium classe soluens, ingressus ostium Tiberis cum Beatrice coniuge Romam venit, aurique nummūm annuis sexaginta milibus Romanæ pactis ecclesiæ Siciliæ reges appellati Carolus & vxor, apud Lateranum a Pontifice coronati sunt, terrestribusque copiis regni fines ingressi, statim Manfredum oppido sancti Germani lociſque finitimis adusque Beneuentum cedere compulerunt. vbi commisso prælio tantis animis vtrinq; pugnauerunt, vt ipse Manfredus in acie occubuerit.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI, DE REGIBVS NEAPOLIS ET SICILIÆ

Liber Tertius.

TAQVE Carolus quem Neapolitani primum vocant, amisso duce facile fugauit hostes, oppidoque Beneuenti potitus, alia breui quoque redegit in potestatem, præter vnam Luceriam, quam tenebant Aphri, vt demonstrauimus. Cumque frequens rumor esset, aduentare cū copiis in Italiam Conradinum, quē Manfredus falso mortuum iactauerat, icto cū Pœnis ad Luceriam fœdere, imperatoq; graui tributo, suis legibus & moribus vti eos permisit, ipse in Etruriam proficiscitur ad restituendos Guelfos, quos Manfredus ciecerat. occupatoque Carolo obsidione Bonitii (castri nomen id est) Federicus Alphonsi Castellæ regis eius nominis decimi frater, Henrici motus autoritate alterius eius fratris, qui pulsus ab Alphonso in vrbe Roma Sena-

tor

tor erat, cum classe Pisanorum, conductoq; Pœno milite, traiecit in Siciliam, omnem pene insulã recepit in fidem Conradini Constantiæ sororis eius filii, præter Messanam, Syracusas, & Panormum, quæ portas ei clauserunt. Eodemque tempore qui Luceriam tenebãt Aphri, violato fœdere longe lateq; prouinciam ferro ignique populati sunt, & vxor Caroli Beatrix obiit Neapoli, quod ab Etruria Carolum reuocauit ad sua: qui primo quoq; tempore Luceriam cœpit expugnare, & ecce nuntius adesse Conradinum regnique fines ingressum adfert. vnde Carolus agmen aduersus hostem rapere coactus, ad lacum Fucinum prospere pugnauit in campo quem dicunt Palentinum. Plurimum profuit ad victoriam Carolo militaris astus & stratagema Alardi Neapolitani qui stipendia apud eum faciebat. Itaque Carolus anno ducentesimo sexagesimo octauo supra millesimum, fusis fugatisque hostium copiis, Cõradinum quoque viuum redegit in potestatem. qui post acceptam cladem octauo demum die Neapolim perductus ad Carolum, publico iudicio rei capitalis damnatus securi percussus est. Ipse Carolus omnia quæ Federicus eiusque legatus nomine Capitius occupata præsidiis firmauerant, paruo negocio recepit, hyemeq; exacta Romam rediit, oblatamq; a Romanis Senatoriam dignitatem non respuit, integerrimeq; & splendide administrauit. In gratiam deinde Ludouici Francorum regis eius fratris expeditionis aduersus Aphros socius fuit: vnde amisso fratre reuersus, ad obsidẽdam Luceriam intendit animum. Insequuto tẽpore nostrę salutis anno millesimo ducẽtesimo octogesimo primo, Sicoli conspirauerũt in Gallos. Initium defectionis a Panormitanis est factum: vno eodemque die quicquid in Sicilia Gallorum fuit, ad internicionem per exquisitos etiam cruciatus trucidatum: continuoque a Carolo ad Petrum Aragonum regem defecerunt. Et iam Carolus obsidebat Messanam cũm Hispanæ classis aduentu territus, in Italiam se recepit, ipsumq; Petrum ad singulare certamen prouocauit. apud Burdegalam locus ad dimicandum dictus est ab Angliæ rege vtriusq; necessario, qui tunc Burdegalam proximosque fines habebat in potestate. Carolus cum venisset ad statutum diem, Petrum non reperit. sed is postea causatus est ad conditum venisse, Caroloq; non reperto discessisse. Interea morante in Gallia Carolo, Carolus eius filius Salerni princeps indigne ferens a Rogerio Dellora, qui classis Petri præfectus, Almiratum Siciliæ Aragonumq; se iactabat, Neapolis infestari portum, spreta Cardinalis Parmensis legati autoritate, cũ Rogerio nauali prælio conflixit, amissaque nauium parte viuus in hostium potestatem venit, atque in Siciliam primo, mox inde in Aragoniam deductus est. Interim Carolus eius pater ex Gallia Neapolim rediit, vrbem trepidam confirmat, ipse cum copiis in Apuliam se confert, vt contractis vndique nauibus in Siciliam traiiceret. Sed inter apparatum belli subita vi morbi correptus, interiit. Carolus autem Salerni princeps, is qui custodiebatur Aragoniæ, defuncto patre egit cum Carolo Valesii Comite, Philippi cognomento Pulchri regis Franciæ germano fratre, vt in Italiam copias mature duceret, Cardinalique Parmẽsi, quem Martinus quartus Pontifex Romanus legatum regni finibus imposuerat, quiq; regnum cõtinuerat in fide Caroli, subsidio adesset. Interea Philippo Francorum, Petroq; Aragonum rege vita functis, Odoardus Angliæ rex vtriusque necessarius autor pacis Burdegalam venit, vt res componeret his conditionibus, vt Carolus Salerni princeps, ad quem iure successionis regnum Siciliæ pertinebat, e carcere dimitteretur. idque effecisset, nisi noua belli incendia apud Siciliam exarsissent. Nam cum legatus, Valesiique Comes, insulam adorti magnas accepissent clades a Rogerio Dellora qui se gerebat Almiratum pro Iacobo secundo genito Petri, quem superius mortuum demonstrauimus, omissa mentio pacis est ad annos duos. Demum per ipsum Angliæ regẽ durioribus quam a principio oblatæ fuerant conditionibus data pax. Carolus enim Salerni princeps inter cætera curaturum se recepit, vt ipse Iacobus insulæ Siciliæ rex institueretur. id si triennio non confecisset, vltro rediret in custodiam. quæ vt rata forent, obsidem dedit Carolus eius filium natu maximum, cui cognomentum Martello fuit: qui per matrem Vngariæ regno potitus est, ex Maria Stephani quinti filia natus, auoque materno, eiusque filio Ladislao quarto defunctis, Andreæ tertio,

lio, Andreæ secundi nepote, qui regnum vi occuparat, auxilio Ro. Pontificis expulso, Vngariæ se regem constituit: etsi nonnulli sentiunt nõ Carolum Martellum, sed eius filium paterno nomine Carolum, rerum in Vngaria potitum. obsidem quoque dedit alterum filium Loysium, qui minorum dogma professus, Episcopusque Tolosanus inauguratus, adeo sancte vixit, vt moriens Pontificis patrumque decreto consecratus & inter diuos relatus sit. Rebus ita compositis Carolus eo nomine secundus a Iacobo dimissus, aliquandiu moratus in prouincia Narbonensi, per mediam Italiam Perusium se contulit: quo patres & collegium Cardinalium mortuo Nicolao quarto Pont. conuenerant, vt alterum sufficerent in eius locum, quum duobus annis & tribus mensibus interpontificium fuisset, & ecclesia sine pastore. Cardinales adhortari non destitit vt aliquem tandem declararent: sed eo præsente, nihil ex Caroli sententia gestum: post eius abscessum omnium studia inclinauerunt in Petrum de Murono, qui vitam ducebat anachoretæ in finibus Sulmonis apud Montem Maiellæ, qui Cælestinus tertius appellatus est, & ad Caroli preces Neapolim venit. vbi tandem inuito & dissuadente Carolo Pontificatu se abdicauit. vnde Cardinales in eius locum Benedictum Caietanum ex Anagnia oriundum Neapoli suffecerunt, isque Bonifacius octauus est dictus. Habuit Carolus ex Maria vnica regis Vngariæ filia, præter eos de quibus ante diximus, melioris sexus liberos quatuor, & in his Robertum Calabrię Ducem qui mortuo patri successit in regno: puellas autem quinque, quarum duxit vnam Ludouicus cognomento Vtinus Francorum rex, alteram Iacobus Aragonius Siciliæ rex, tertiam Federicus Iacobi frater Aragoniæ rex, quartam Marchio Ferrariæ. Nec affinitas Aragonum Carolo fuit impedimento, quo minus spreto fœdere post Iacobi mortem recipiendæ Siciliæ cõsilia agitaret: eoque cum copiis Robertum Calabriæ Ducẽ, eius filium misit, & Philippum alterum quoque filium Tarenti principem cũ paratissima classe, fratrem subsequi iussit: & primo statim aduentu Catina vrbe potiti, cum Siculi tumultuario milite classem diripuissent, vt ægre paucæ triremes fuga euaserint, Philippusque agmen ad recuperandam Catinam protinus ex victoria ducentibus occurrisset, inito prælio victus in potestatem hostium venit, vinctusque Panormum deductus est. ipse Robertus cum triremib. quæ paucæ superfuerant ex aduersa pugna, relicta Catina vrbe Neapolim rediit. Interea Federicus qui Iacobo successerat, habito delectu copias parabat, quas subsidio Siciliæ mitteret. Cumque maritima classe instructa, impositisque militibus, Catalonia soluisset, de victoria Siculorum certior factus in Calabriam duxit, eaque regio breui in eius potestatem redacta est. Sed Carolus Vallesius Philippi cognomento Pulchri iam tum defuncti frater, & patrui Ludouici Vtini, qui Philippo patri successerat, eius cui Roberti sororem nomine Clementem nupsisse demonstrauimus, anno salutis millesimo trecentesimo, cum Bonifacius octauus Iubilæum indixisset, in vrbem venit, vt patrum fauores colligeret ad recuperandum Constantinopolis imperium, quod eius vxori Catharinæ debebatur, vltimi Balduini Flandrensis vnicæ filiæ Constantinopolitani Imperatoris. Cumque aliquandiu Romæ desedisset, inde Florentiam profectus, ad componendas Etruriæ seditiones, cum Pontifici a quo missus erat haud quaquam satisfaceret, ex Etruria per Marsos in Apuliam cum omnibus copiis se contulit, & imperata Caroli facere Calabriam coegit, autorque pacis inter eum Federicumque fuit, vt restitutis hinc inde prælio captis Federicus in vita Calabria potiretur. Exinde Carolus obiit anno salutis millesimo trecentesimo octauo Neapoli conditus in æde Diui Dominici. Robertus itaque Calabriæ Dux Auinionem profectus ad salutandum Pont. patrum decreto rex appellatus, in Italiam constituto regno reuersus, apud Bononiam Pelaguram Cardinalem offendit Pont. legatum, qui Ferrariam receperat a Veneto & Frisco Azonis filio, eamque Roberto pro Pontifice gubernandam dedit. is Decum de la racta cũ cohorte Aragonensium Ferrariæ præfecit. Cumque Henricus Luximburgus Imperator esset electus, oratoresque Florentiam destinasset, Robertus qui Federici formidabat aduentum, multa comminatus ex Bononia Florentiam venit. vbi aliquandiu commoratus, omne per Etruriam Guelfum nomen ad pristinam

cum

cum Florentinis ineundam ſocietatem compulit,eorumq; ſe caput principemque conſtituit. Et iam Henricus ad obſidendam Florentiam pertendebat, neque Florentini diutius effugere poſſe videbantur quin inopia rerum domiti infenſo Imperatori deditionem facerent, cum præſertim Robertus auxilia non ſubmitteret præter ea quæ a Bononia Ferrariaque aduenerant. itaq; Florentini Henrico porrectas aperuerunt,ſalutem tantum pacti,& ne exules aliquo tempore per quamcunque cauſam reduceret. Imperator vt in Robertum iure ageret, Piſas acceſſit: vbi ſeruato iuris ordine cõtra Robertum proceſſit, Aretiique poſtea pro tribunali pronunciauit Robertum regno priuandum videri. Sed hanc eius ſententiam Clemẽs quintus irritã iudicauit,extatque etiam nunc Clementina,cuius initium eſt Paſtoralis, ſub rubrica De re iudicata. Nec ita multo poſt Imperator apud Boncouentũ diem clauſit hauſtu veneni, quod rumor eſt in Euchariſtia propinatum a quodam fratre Prædicatorum,a Florentinis ſubmiſſo. Mortis eius accepto nuncio Federicus Aragonenſis qui violato fœdere,Rhegio vi capto, Brutios infeſtabat, copias in Siciliam reduxit. Verum nec Henrici quidem morte bella in Etruria ceſſauerũt, ſed ab Vgutione Fagiolano Gibellinarum factionum duce Philippus Tarẽti princeps, & Petrus Grauinæ Comes, qui fratris eorum Roberti copiis præerãt, Guelforumque partes tuebantur, in acie profligati ſunt.vnde Ferraria pulſo Deco de la racta, a Roberti fide defecit ad Eſtenſes anno ſalutis milleſimo trecenteſimo duodeuigeſimo. Ex eoque tempore Ferraria conceſſit in Eſtenſium ius, cum prius in ea Pontificis legati fuiſſent, & vicarii. Tot cladibus impar Robertus Florentinis pacem dedit. quorum fidem cum ſuſpectam haberet, agitabat animo grauiter in eos animaduertere: ſed Ludouico Bauaro Gibellinorum partes excitante,cum Guelfos ex Genua pellere conarentur,impareſque aduerſæ factioni Guelfi(qui tũ ciuitatem moderabantur)auxilium Roberti imploraſſent, oblata vrbis poteſtate nihil cunctatus Genua Sauonaque potitus eſt, anno ſalutis milleſimo trecẽteſimo trigeſimo.filium quoque Carolum petentibus Florentinis dominum dedit, vt Caſtrutii tyranni Lucẽſis vim conatuſque reprimeret. Is deinde Carolus, cum patri ſubſidio veniſſet a Bauaro timenti bellum, ſubita vi morbi correptus interiit. Nõ euaſit Robertus Ioannis vigeſimi ſecundi cenſoriam notam.nam quum fœdus iniiſſet cum Vicecomitibus Eſtenſibus,Gonzagis,Carrarienſibus & Scaligeris aduerſus Boemos, quibus fauebat Pontifex, omnes ab eo diris execrationibus deuoti ſunt. Ioanne vita functo,Iacobus Toloſanus titulo ſanctæ Priſcæ Cardinalis in eius locum ſubrogatus,& Benedictus duodecimus appellatus eſt. poſt quem,Põtificatum geſſit Clemens ſextus,anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo,quo tempore Robertus exceſſit, ſuperſtitibus duabus ex Carolo ſeptimo iam defuncto neptibus. Ex iis Ioanna natu maior,quæ viuente Roberto nuptum tulerat Andreæ Vngaro ſobrino ſuo, ſucceſſit in regno. virumque Andream apud Atellam (quæ nunc vrbs Auerſa dicitur) ſuſpendio tollendum curauit,ac Ludouico Tarentino principi Philippi filio regis Roberti fratris, iterum nupſit: auditoq; Ludouici Andreæ fratris aduentu,ſceleris conſcientia viribusque ſuis diffiſi, Ludouicus & Ioanna Narbonam profugerunt, regni cuſtodia commiſſa Carolo patruelí ſuo, ducis Dyrrachii Comitiſque Grauinæ Petri filio. Ludouicus Vngariæ rex ingreſſus regni fines, Sulmonenſes imperata facere recuſantes, ex itinere domuit, Ducem Dyrrachii captum vltimo affecit ſupplicio, regnum quo potitus præſidiis firmauit. Incrudeſcente per Italiam peſte, tertio demum menſe in Vngariam rediit. nec ita multo poſt adnitente Clemente ſexto, (qui per Guidonem Lemouicenſem Ludouici neceſſarium, Portuenſem Cardinalem in Vngariam legatum hoc ab eo contendebat) pax a Ludouico Ioannæ data his conditionibus eſt, vt regnum Ioannæ reſtitueretur, eiuſque vir Ludouicus ſolo Tarentini principatus titulo contentus eſſet. Verum Clemens accepto a Ioanna Auenione,ſpecie vẽditionis, maiori parte remiſſa ſtipendii, quod pro regno Neapolitano debebatur, ipſum Ludouicũ regiis ornauit inſignibus. Per idem tempus Gregorius vndecimus ex Auenione Romanam curiam cum reuocaſſet, Cardinaleſque Benedictũ Neapolitanum Archiepiſcopum Barii Pontificem declaraſſent, Vrbani ſexti indito

dito nomine, Cardinales Galli, quibus electio nõ placuerat, Anagniam primo per cauſam vitandi caloris egreſſi, inde Fundos acceſſerunt: vbi reginæ opibus freti Cardinalem Genebenſem in Clementem ſeptimum elegerunt. Hac iniuria permotus Vrbanus Vngariæ regem ſollicitauit, vt eius auxilio bellum contra Ioannam repararet. Inductus autoritate Põtificis Vngariæ Rex Ludouicus, Dyrrachii Ducẽ Carolum, eius filium quem in priori expeditione vltimo ſupplicio affecerat, vel (vt alii ſentiũt) Andreæ fratris a Ioanna necati filium nomine Carolum, qui bellũ contra Venetos gerebat in finibus Taruiſinis, in Ioannã regnũq; mouere iuſſit. Itaq; ſalutis anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo, Carolus ingreſſus regnum, Ioannæ exercitu variis ſuperato pręliis, ciuiũ deditione Neapoli potitus eſt, ipſamque Ioannã circumſedit in arce noua. Clemens aũt ſeptimus Andegauenſem Ludouicum Ioannis Francorum regis filium, & Caroli quinti fratrẽ, (qui Caroli ſexti tutor eius ex fratre nepotis adhuc impuberis Galliæ res adminiſtrabat) euocauit. iſq; poſthabitis omnibus ad opem ferendam Ioannæ venit, vt electo Vrbano Pontificatum Clementi vindicaret. & iam per annum bellum geſſerat, cum Carolus Francorum rex Ludouici nepos equitum turmas immiſit, qui Aretium in Etruria occuparunt, arcemque Guelforum præſidio munitam obſederunt. Interea Ludouicus Andegauenſis obiit, & ipſe Carolus Dyrrachius vniuerſo regno potitur, captamque Reginã coniecit in carcerem, nec ita multo poſt eliſis faucibus ibi ſtrãgulandam carnifici dedit. Vrbanus omneſq; patres ad eum gratulatum venerunt. Ipſe Pontifex, cũ a Carolo non potuiſſet impetrare vt eius nepotem Capuæ principem crearet, indignatus, aperte in regem minabundus abiit, tanta vtriuſq; animorum offenſione, vt ex regia diſcedenti Põtifici Carolus cuſtodes adhiberet, ne quid in eum moliretur. Vrbanus iniuria diſſimulata, Nuceriam ad æſtiuandum ſibi patribuſque a rege impetrauit, oppidoq; munito contra Carolũ iure agere quæſtionemq; habere cœpit. Cui cum diem dixiſſet, facete reſpondit Carolus, ſe non per aduocatum, ſed per ſe affuturum: copiiſque tumultuarie coactis, Nuceriã contendit, vrbeque obſeſſa, potiturus ea cum Pontifice videbatur. ſed Raymundus eius filius Nolæ Comes, is qui poſtea Tarenti princeps euaſit, cum ſtipendia ſub rege faceret, Vrbanum ſeruauit. nam deductus ad litora Salerno proxima, paratas Ligurum triremes conſcendit, & Genuam cum tota curia petiit. Interea Ludouicus Vngariæ rex abſque ſobole deceſſit, ipſeq; Carolus a principibus Vngariæ per legatos euocatus ad regnum, profectus eo trucidatus eſt in quodam conuentu quem celebrabat, Ladislao Ioannaque ſuperſtitibus impuberibus, quos apud vxorem Margaritam Neapoli reliquerat. Per eoſdem dies Auinione defuncto Clemente ſeptimo, Petrus de Luna ſuffectus in eius locum Benedictus tertiuſdecimus. Vrbanoque ſexto Romæ mortuo Bonifacius illi nonus ſubrogatur. Ladislaus itaque Caroli filius adnitente Bonifacio Pont. nono, regis nomen & inſignia Caietæ adhuc impubes accepit a Cardinale Florentino Pont. ad eam rem copiis ſuis omnibus Albricum Cunii Comitem prefecit, magnumque regni Conſtabulum creauit in locum Ioannis Galeatii, ſub quo ſtipendia merebat Albricus: eoſque regni fines quos Andegauenſis Ludouici filius, eius quem mortuũ demonſtrauimus, ſtudio partium tenebat, occupatos recuperauit. Itaq; toto regno potitus, ab Vngariæ principibus populiſque euocatus, Iaderam ab obſidione exemit, allatoq; nuncio nõnullos in eum Neapoli coniuraſſe, vel (vt alii tradunt) quod Sigiſmundus rex emiſſus e carcere, ſui regni iura contrectabat, Iaderam Venetis vendidit, ipſe Neapolim continuo reuerſus, in multos animaduertit, & in primis in Sanſeuerinates: rebuſque regni cõſtitutis in alios exercitum, quem habebat electiſſimum, duxit. Ex Marſis agroq; Piceno & Vmbris multa occupauit, obſeſſaque Florentia lapſus in ægritudinem, paucis interpoſitis diebus ex ea Neapolim reuerſus, occubuit, hærede relicta Ioanna ſorore, cui poſtea cognomentum ſecundæ fuit. Quæ Cheldriæ Duce, cui nupta fuerat, amiſſo, certior facta de morte fratris & teſtamẽto, ad ineundam hæreditatem Neapolim rediit. Cumque cuidam Pandulfello elegantis formæ viro vſque ad infamiam nimis indulgeret, hortatu principum ſecundo nubere ſtatuit. itaque Iacobum Marchiæ Comitem ex familia Burbo-

num, eius quidem, sed longo stemmate necessarium, certis conditionibus sibi iunxit, & in primis ea, ne titulum regis vsurparet, aut personam gereret, Tarenti principatu contentus, eiusque vectigalibus, regni administratio libera Ioannæ remaneret. Cæterũ regni principes, quiq; apud exercitum erant cum imperio & ordines ducebant, odio in Pandulfellum Sfortiamq; inducti, certos homines obuiã Iacobo miserunt cum mandatis, vt regium nomen animumq; afferret, non defutura sibi auxilia. Appulsumq; Manfredoniam, quos dixi, nuncii regem salutarunt, excepto Sfortia: in quem Iacobus, siue ea de causa, siue inde sumpta occasione, iure egit, eumque coniecit in carcerem arcis Beneuenti, omnesq; qui sub eo stipendia faciebant exarmauit, diripiendosq; militi suo concessit. Vt vero Neapolim peruenit, summo omniũ plausu exceptus vt rex, arce quam Castellum vocant nouũ, præsidii præfectique perfidia potitus, in Pandulfellum capitali supplicio animaduertit. In ipsum quoque Sfortiam omnia parabantur exempla: quæ tamen in aliũ dilata sunt diem, opera Michelecti Laurentiiq; Attendulorum. Iacobus exclusa Ioanna ac Italis, omnia cum Gallis administrabat. Iniuriám Regina dissimulanter tulit, vt apud virum fidem autoritatemq; sibi compararet, & egredi ex arce per eum liceret. Voti compos vbi tempus opportunum putauit, communicato consilio cũ Octino Caraciolo & Annichino Morinoli, remansit in vrbe, populoque ad arma concitato, subito impetu in Iacobi præsidia magistratusque facto, Sfortia refracto carcere emittitur. Galli passim trucidati, partim capti spoliatiq;, partim excedere ex vrbe permissi, nonnulli quoque in custodiam traditi. Ipse Iacobus renouatis cõditionibus quibus aduenerat, cum Regina aliquandiu vixit: mox in arcem quæ dicitur Oui, coniectus, exeundi potestatem non habebat. omniaque per Marinum Boffam gerebantur, qui post opera Seriannis Caracioli (qui sequuto tempore Melphis Dux, & senescalcus regni fuit) Sfortiæq; opibus eiectus est. Haud ita multo post cum Seriannes aduersus Sfortiam procederet, ille cum vna legione Neapolim ingressus, populum ad libertatem contra Seriannem Christophorumque Caietanum Fundorum Comitem concitauit: sed res multo aliter quam sperabat euenit. Nam cum vicum Corregiarum (quem nunc appellant coronatam) cum copiis occupasset, Reginæ iussu populus arma corripuit: Sfortiamq; nihil tale suspicantẽ ex improuiso adortus, legionem adeo dissipauit, vt ægre Sfortia cũ sexcentis equitibus via Puteolana Acerras se receperit ad eius vrbis Comitẽ Reginæ infensum. Inde hostilia quæque in Neapolitanos moliri cœpit, iactans id ab se non odio Reginæ fieri, cuius imperata facturum se diceret vt clientem, nõ Neapolitanorũ, quos summopere diligeret, sed eorum tantum qui summæ rerum præessent. Iis incommodis adducti Neapolitani Reginam frequentes adeunt, & fœdus cum Sfortia facere compellunt his conditionibus, vt incommoda belli resarcirentur a Regina, literæque darentur ad principes de fide & integritate Sfortiæ, quem multis antea literis apud principes insimulauerat. Est etiam cautum ne Seriannes esset in vrbe Neapoli, sed in certum præscriptumq; locum relegaretur. Eodem forte tempore Martinus quintus, a Ioanna per legatos contendit vt Iacobus eius vir e vinculis emitteretur: idque facile impetrauit a Regina, quæ odio flagrabat in Sfortiam ob eiectum Seriannem, eamque rem perniciosam Sfortiæ fore intelligebat. Itaque Ioannis Arcolani cõsilio Sfortia curauit vt Seriannes ab exilio reuocaretur, eoq; modo cum Regina redit in gratiam. Vnde Iacobus desperatis rebus suis de fuga cogitare cœpit, naueq; Ligustica, quæ forte stabat in anchoris, clam conscensa Tarentum delatus est. Vbi circumsessus a Ioanna cum laboraret, vrbem Ioanni Antonio Vrsino accepta ab eo pecunia tradidit, e vestigioque in Galliam profectus, apud oppidum Bisuntium religioni initiatus, interiecto tempore diem clausit. Nondum Ioanna a Pontifice regia acceperat insignia. quare missis tribus equitum millibus ad eiiciendos Tyrannos, qui opes ecclesiæ minuerant, a Martino Pontifice quinto coronata est, negociumque Sfortiæ datur vt ecclesiæ res assereret. Is in Brachium Montonensem ducto exercitu, cõmisso prælio superatus est in agro Viterbiensi. Ad nuncium cladis Regina Seriannis hortatu cum Brachio fœdus icit, vt exilii iniuriam vlciscereturtur. autor enim Sfortia fuerat vt Seriannes a Neapoli excederet,

cederet, vt demonstrauimus. Eam rem (vt debuit) indigne Pōtifex tulit, nullam habitam sui vel ecclesiæ rationem. Quare Martinus Brachio quibus potuit conditionibus pacem dedit, ipsamque Reginam iudicauit indignam quæ res ecclesiæ teneret, ac Ludouicum Andegauensem eius nominis tertiū Siciliæ regem declarauit. Sfortia vero Pontificis ope, collecto nouo milite in regnū rediit, quæque a Ioāna vt copiarum dux signa acceperat, ei restituit, bellūq; indicit. Quo metu perculsa Alphonsum regem Aragonum adoptauit in filium, qui forte eo tempore soluta a Bonifacio oppido Corsicæ obsidione, Siciliam cum peteret, audita Reginæ legatione, Neapolim venit. adiunxit Alphonso Regina Brachium, qui paribus auspiciis opibusque Sfortiam repellebant. Vnde Sfortia diffidens rebus suis, per Brachium Reginam sibi conciliauit. ea pax Alphonso suspecta fuit, animoque reputans, quanta in ea muliere esset inconstantia, sibi putauit arces vrbis expositas mari præsidio firmandas: conjectoque Serianne in carcerem, Reginam circumsedit in arce Campana, quæ Neapoli sic appellatur. His ita coacta difficultatibus a Sfortia auxilium implorat. qui nihil cunctatus subito venit, Alphonsumq; soluere coegit obsidionem, initoque prælio fudit, in fugamq; vertit: ipsam Reginam ex arce eductam Auersam perduxit incolumem. Alphonsus interea ex arce noua quo se receperat, sæpe cum Neapolitanis eruptione facta pugnauit, vrbeque demū studio partium potitus, aduersæ factionis ædes ad mare vergentes diripuit. ob eamq; rem Ioanna Ludouicum Andegauensem, qui a Martino Pontifice accitus Romæ substiterat, abdicato Alphonso, adoptauit in filium. Vrgebatur itaque Alphonsus hinc a Regina ac Ludouico qui Martini innitebantur opibus, hinc a Sfortia qui rem bellicam administrabat, nec alium militem quam Aragonensem habebat, & vnius auxilia Brachii, quem Sfortia apud Lauzanum cum semel acie fudisset, iterumque apud Francauillam, dum fugiētes Brachianos insequi, Aternumq; fluuiū (quem Piscariam vulgo vocant) traiicere contendit, aquarum vortice raptus occubuit: cuius obitu Aragonenses conuersa fortuna victores euaserunt. isque belli finis extitisset, nisi Philippus Mediolanēsium Dux validissimam a Genuensibus instructi classem imperasset, qua & Reginam Neapolitanis restituit, & Reginæ maritima omnia loca. Vnde Alphonsus regno excedere coactus, parata noua classe Massiliam delatus, ex improuiso vrbem adortus, vi expugnatam diripit atque incēdit. Post paucos inde menses Alphonsus indigne ferens a Martino Ioannam Ludouicumque Andegauensem contra se adiutos, antipapam in Panisculo mortuo Benedicto erexit. vnde Martinus Alphonsum anathematis affinem pronunciauit. Eoq; paulo post ab humanis exempto Gabriel Condelmarius genere successit patria Venetus, qui mox Eugenius quartus est appellatus, eiusque pontificatu Ioanna diē clausit. Hinc variæ contentiones ortæ. nam Pontifex episcopum Racanatensem, quem Patriarcham creauerat Alexandriæ, legatum Neapolim misit, vt eius regni oppida redigeret in ecclesiæ potestatem. Principes autem regni ciuesque Neapolitani legatos ad Renatum defuncti Ludouici fratrem mittunt, qui nuncient illū a Ioanna supremis tabulis hæredem scriptum, atque ad regni possessionem capessendam inuitent. Legatorum numero fuerunt Pulcini, Nolæ Casertæque Comites, Io. Cicinellus, Octinus Caraciolus, & Marinus Boffa. Ex altera parte Ioannes Antonius Marazanus Suessæ Dux, Christophoruſque & Rogerius Caietani, (quorum alter Protonotarius, alter magnus erat Camerarius) Comes item Laureti, atque Franciscus Pandonus, is qui postea Venafri Comes est appellatus, ad Alphonsum nuncios in Siciliam miserunt cum mandatis, mature Neapolim veniret: sese curaturos vt omnia concederent in eius potestatem. Iacobus autem Caldola, Peligni Marsique qui colunt Aprutium, inita societate decernunt, eum se pro rege habituros quemcunque Pontifex daret, & ab optimis quibusque regni probaretur. Interim Patriarcha, cum Neapolitani portas sibi clausissent, aperire viā ferro statuit. At Alphonsus oblatam recipiendi regni occasionem nequaquam neglexit: Ænariāq; delatus insulam, (quæ nunc Iscla nominatur) inde Sueſſam venit: ibique quam maximas potuit copias comparauit, vrbemq; Caietam circumsedit auxiliatorib. Antonio Columna Salerni principe, Christophoro Rogerioque Caietanis,

Franciſco Vrſino Comite Conuerſani, Ludouico Columna, Franciſco Pandono, & Comite Campibaſſi, qui coniurauerant in Neapolitanos. Erãt forte Caietæ cõplures ex Liguria mercatores, qui coemptis rebus quas Genuam importarent, re ab hoſtibus tempeſtatibusque pacatum expectabant. Cumque Alphonſi claſſes nauium onerariarũ vndeuiginti, triremiumq; vndecim, & vnius biremis, quæ portu Caietæ ſtabant, eos exitu prohiberent, Genuenſes ſimul de periculo ſuorũ ſolliciti, ſimul ægre ferentes in Catalanorum poteſtatem regnum redigi, Philippo Anglo Mediolanenſium Duci, qui Renato regi fauebat, facile paruerunt, vt claſſem nauiũ duodecim tectarum, triremium trium, biremiſque vnius, obſeſſis Caietanis ſubſidio mitterẽt. Id vbi comperit Alphonſus, terreſtres copias nauibus impoſuit, paucis ad continuandam obſidionem relictis: ipſum quoq; Tarenti principem reuocauit ex Capua, quæ tũc illi parebat. Cumque ex littore Caietæ ſoluiſſet, ad inſulam Pontiam vna velificatione peruenit. Ibi cum noctu ſtetiſſet in ancoris, poſtridie cum luce Genuenſium claſſis in conſpectu fuit, initoq; nauali prælio victoria ad Ligures inclinauit. captis Aragonenſium pleriſque nauibus, Alphonſus, eiuſque duo fratres multique regni principes, qui claſſem cum eo conſcenderãt, in hoſtium poteſtatem venerunt, inuitiſque Genuenſibus ad Philippum Mediolani Ducem perducuntur. Ad nuncium cladis qui remanſerant in caſtris Alphonſi ad Caietam, omiſſa obſidione in loca quiſque tutiora domum ſe receperunt. Alphonſus & cum eo capti Principes apud Philippum in ſummo habiti honore, pluribus magnificiſque donati muneribus in patriam remiſſi ſunt. Id eo cõſilio a Philippo factum dicunt, vt quos tanto ſibi beneficio obſtrinxerat, eos adiutores in occupanda quam affectabat Italiæ dominatione, ſocios haberet. Ob eamque rẽ Genuenſes a Philippo ſe neglectos rati, quod ſe inconſultis Alphonſum liberaſſet, ab eo defecerunt. Legati vero quos ad euocandum Renatum demonſtrauimus, vbi illum cuſtodiri a Philippo cognomento Bono apud oppidum Diuionenſe compererunt, Hiſabellam coniugem cum duobus liberis in Italiam Neapolimque menſe ſeptembri deduxerunt. ea cum Caietam ex itinere diuertiſſet, vrbemque in poteſtatem Mediolanenſium Ducis eſſe redactam nouiſſet, mutatis magiſtratibus omnem regni curam per ſe geſſit. Alphonſus autem dimiſſus octobri menſe cum Ioanne Antonio Tarenti Principe Duceque Sinueſſæ, & Ioſia Aquauiua maiores quam vnquam antea parauit copias. Per idem tempus Alphonſi frater Petrus Infans claſſem, quæ ſuperfuit ex prælio apud Siciliam, refectam, ad transferendũ fratrem ex portu Lunæ, (qui nunc Veneris appellatur) deducebat. is cum prædandi ſtudio deſcendiſſet ad Caietam, oppidani qui rerum omnium inopia laborabant, exiſtimantes Alphonſum Ducis Mediolani Ligutumq; viribus auctum adeſſe, deditionem continuo fecerunt, antequam de Ligurum defectione quicquam reſciſſent. Eugenius aperto ſtudio Renati partes amplexus, auxilia ſubminiſtrabat, ab eoque miſſus Patriarcha Aquilã primo recuperauit, inde pulſo præſidio Franciſci Minicuci Aquilani, Ritiiq; Montiſclarenſis, qui ſtipendia ſub Alphonſo faciebant, omnique demum tractu aduſque Saltum Caſſinenſem hac prima expeditione potitus eſt. Eo ſucceſſu elatus in ſequentem annum copias in Alphonſum iterato duxit, confeſſionemque timoris intra mœnia Capuæ compulſo expreſſit. Ipſe Patriarcha pugnæ copiam non faciente Alphonſo, cum Tarenti principe manum conſeruit ad Beneuentũ, victumque acie viuum cepit. a quo cum omne ius hoſtis abſtinuiſſet, eumque nimis humane accepiſſet, animum Iacobi Caldolæ, qui graues & profeſſas inimicitias cum Tarenti principe exercebat, abalienauit. Itaq; Patriarcha deſertus a Caldola, qui prius Alphonſum prouocabat, impar eſſe cœpit: Alphonſoq; premente coactus eſt intra Salerni mœnia ſe recipere. vbi cõmeatu intercluſus, ab Alphonſo inducias petere neceſſe habuit: idq; non ægre ab Alphonſo impetrauit, qui omni ſtudio ferebatur ad delendum Caldolam. qui grauatus Alphonſi victoriam, Patriarchæ rurſum ſe coniunxit, communicatoq; cõſilio proxima Alphonſi caſtra dominici natalis nocte dolo opprimere ſtatuunt: ſed ſpe fruſtrati non diu perſtiterunt in male ſarta gratia. quare Patriarcha dimiſſis imperio Laurentii Attenduli copiis, ipſe vetuſtam conſcendit triremem apud oppidum Vigi-

Vigilias, & primo Venetias, inde Ferrariam se contulit ad Eugenium. Per idem tempus emissus e carcere Ducis Burgundiæ Renatus Liguſtica cum classe Neapolim venit, opibus Attenduli Michaelis & Caldolæ fretus: sed res longe aliter euenit. nam Genuensium naues nulla magna re gesta e vestigio domum redierunt, & Renatus quanquam potitus arce quam Nouam vocant, vnde Catalani maximis assidue cladibus affecerant vrbem, tamen Alphonsum prohibere nõ poterat quo minus graui obsidione Neapolim premeret: vt ægre Renatus & sui tolerarent inopiã commeatus, quem Ligurum naues importabant. Interea Pontifex per Florentinum Cardinalem ad eam rem legatum, cum vtroque egit, vt æquis conditionibus pacem componerent. qua negata ad annum duntaxat inducias impetrauit, intra quas Iacobus Caldola correptus apoplexi diem clausit extremum: in quo vno magnam fecit iacturam Renatus. Eo nanque mortuo, Alphonsus Acheras primum, deinde Auersam fame domuit, & vi cepit. Ea re commotus Hisabellam Renatus vxorem Neapoli reliquit ad spem simulandam: ipse ad Antonium Caldolam confugit, vnicum rerum suarum præsidium: quem cum Iacobi morte fluctuantem confirmasset, ab eo Raymundoque, & vtroque adnitente, ab Aquilanis, ac cæteris, qui in Aprutio Apuliaque in eius fide perstiterant, impetrauit vt eum pecunia iuuarent: ex qua paruas copias reparauit. Dũ hæc ita fiunt, Alphonsus adeo Neapolim premebat, vt vacua ciuibus ob inopiam rerum sine externo milite defensari non posset. Eo tempore Renatus oppidum Puteolos loci natura tutum tantummodo tenebat. ad equitum quatuor milia in armis habebat, & in iis Antonium Raymundumque, & Traianum Caraciolum Auellini Comitem. quæ tanto silentio duxit in Alphonsum, vt prius in conspectum venerint quam ille quicquam sentiret. Existimantque nonnulli, si Renatus hostem subito adortus esset, eũ potuisse deleri: sed rei bene gerendæ occasio amissa est, Antonii Caldolæ cunctatione, qui dum dubitat vtrum manum cõsererent, Alphonso locum dedit vt a periculo sese reciperet in tuta, hostique viam daret. Res adeo Renato suspecta fuit, vt Antonium custodiæ traderet in arce Neapolitana quasi perfidiæ reum. Sed Antonius errorem, imprudentiamque & incertum rerum euentum excusans, pœnam deprecatus, ea facilitate, qua coniectus in vincula, continuo dimissus est. Antonius hac iniuria permotus, vt primum nactus est occasionem, quinto a Neapoli lapide in loco tuto castra communit. Ab Alphonso deinde per legatos impetrat inducias dierum quinquaginta, tutumq; per hostilia loca transitum. Renatus ab Antonio desertus, impar adeo deinceps Alphonso fuit, vt ægre Neapolis mœnia tueri posset. Antonius autem Raymundusque Pontificis stipendio meruerunt. Eo tempore Pontifex in Neapolitanos hac vsus esse liberalitate dicitur, vt obsessis tres Ligurum naues onustas frumento miserit, idque pauperibus metiri gratis, ditioribus haud magno precio venundari curarit. Alphonsus igitur vrbis expugnatione fame vel vi propemodum desperata, se conuertit ad dolos. Itaq; nõnullos ex his qui purgare reficereque consueuerant aquæductus per quos aqua in vrbem deducitur, pecunia corrupit, iisque ducibus milites per aquæductus intempesta nocte in vrbem penetrare iubet. Ii per puteum quendam publicum qui est in ea quam summam plateam memorant, scalis admotis fastigium putei superant, albescenteque die portas vrbis adeunt, signumque dant sociis quos Alphonsus extra vrbem locauerat: obtruncatisque portarum custodibus, claustra portarum refringunt, agmenq; ex Alphonsi castris intromittunt. ad eum nuncium Renatus equo vectus, concitato cursu in arcem nouam se recepit. Alphonsus itaq; nostræ salutis anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, die secunda Iunii, Neapoli potitur, & paulo post arce noua certis conditionibus a Renato tradita. Excedente Renato, qui partes eius sequuti fuerant, diffisi rebus suis, ad Alphonsi clementiam confugerunt, quibusque potuerunt ab eo conditionibus pacem impetrant.

Alphonsus & clemens in victoria fuit, & deinceps, adeo vt eius principatu tranquillissima pacatissimaq; tempora fuerint.

MICHAELIS RITII NEAPOLITANI, DE REGIBVS NEAPOLIS ET SICILIÆ,

Liber Qvartvs.

ALPHONSVS ergo subacto pacatoque regno, rebusque ex sententia compositis, immutauit ac in maius auxit stipendia. nam pro singulis quibusque laribus & foco septem nummos argenteos imperauit, ex eo genere quos vulgo Carlenos appellant, cũ prius vnaquæque ciuitas oppidumue pro numero amplitudineque & opibus stipendia penderet per collectas, vt aiunt. Ad hæc ostiatim per singulas domos emere modium vel (vt Neapolitani vocant) tumulum salis, vnumquemque patrem familias, in quinq; Carlenos compulit. Arcem Neapolis eam quam nouam memorant, a fundamentis instaurãdam suo ære curauit, opus & substructione & argumento magnificum planeq; regium. Cum liberis ex iusto matrimonio careret, aliquando cogitauit hęredem scribere Nauarræ principem Ioannis eius fratris filiũ, qui iure necessitudinis Alphonso successurus erat in cæteris: mutata deinde sententia Ferdinandum, quem suscepérat ex pellice, Ducem Calabriæ declarauit in spem successionis: cuius res vt validius constitueret, Hisabellam de Claro monte Ducis Venusini filiam, neptemq; Ioannis Antonii Tarentini principis, ei matrimonio iunxit, sororemque Ferdinãdi, & ipsam quoque obliqui generis & notham Ioanni Antonio de Marzano Duci Sinuessæ collocauit, vrbe principatuq; Roxani velut in dotem tradito. Eugenio vero quarto Renati rebus studente, legatos ad concilium Basileæ misit Alphonsus, Ludouicum Pontanum clarissimum iureconsultum, & Nicolaum Panormi Archiepiscopum, iuris põtificii peritissimum: quorum opera concilii suffragio iussus abdicare se Pontificatu Eugenius est, in eiusque locum substitutus Amadeus Sabaudiæ Dux, is qui se Felicem transnominari voluit. Sed adnitentibus Florentinis, & aliis Italiæ prouinciarumque ciuibus, Eugenius eo rem perduxit, vt Felix in ordinem Cardinalium redactus, acceptaq; perpetua legatione, summo sacerdotio cesserit, Eugenius certus vnusque Pont. ab omnibus habitus sit. Fama tenuit, Eugenium, quo sibi conciliaret Alphonsum, ius ei Ferdinandoq; eius ex pellice filio prius legitimato, posterisque eorum possidendi regni concessisse: indeque factum vt Franciscus Sfortia ab agro Piceno, quem opibus Alphonsi occuparat & obtinebat, a Pontifice expelleretur auxilio (vt quidam sentiunt) Alphonsi: quod ita recepisset in cõditionib. pacis Eugenius, vt ager Picenus ecclesiæ restitueretur. Haud ita multo post Elionoram regis Portugalliæ filiam, quam pepererat eius soror, Imperatori regi Romanorum nuper appellato, Federico de Austria, despondit. vnde Federicus in vrbẽ cum venisset, acceptis imperii regniq; insignibus, inde Neapolim transiit, vt connubii ius cum vxore vsurparet, vel (vt vulgo dicunt) matrimonium consummaret. nam Elionora apud auunculũ morabatur. Exceptus est ab Alphonso splendidissime, institutis in eius honorem ludis, venationibus, epulisque nuptialibus, quam maximo potuit apparatu, tanta pompa quantam nulla hominum memoria illa ætate nouerat. Exinde contra Plumbini regulum suscepto bello Ferdinandum Calabrię Ducem cum copiis aduersus eum misit, mox ipse subsequutus est. Cumque diu circa oppidum natura atque operibus munitissimum frustra cõsedisset, infecta re discessit. In senium iã vergebat Alphonsus cum Lucretiam de Allanio præstanti forma nec obscuro genere puellam deperire cœpit, adeoque impotenter ardere, vt ætatis eiusque fastigii oblitus propemodum videretur. nam, vt omittam quantopere cæteris in rebus ei semper indulsit, illud certe incredibile videri potest, quod ab ea legatos ad Pontificem mitti sustinuit, vt eius nomine peterent, Alphonso liceret eius vxorem Mariam dimittere per causam sterilitatis, vt quæ nihil vnquam liberorum pepererat, & ipsam Lucretiam matri-

matrimonio sibi iungere. nam quod eius necessarios & sanguine coniunctos ad summas opes euexerit, ingensque auri pondus intempestiuus hic amor absumpserit, in tanta notitia referre superuacaneum foret. Erat enim liberalis Alphonsus a natura, mitisque, nec alienus a religione. verum quoties eum pecunia deficiebat, a suis extorqueri per iniuriam non grauate ferebat instituto nouo magistratu, quem pecuniæ præsidem Neapolitani gentiliter appellant, eique consiliarios adiunxit. Ii neminem re vel fama diuitem relinquebant intactum. Alphonsus autem non modo exactam, sed etiam quam magistratus in posterum putabat exacturos, temere profundebat, reddendi iuris adeo studiosus, vt concilium constituerit quod omnes appellarent ex toto suo regno, cui præfecit episcopum Valentiæ, (qui postea Nicolao quinto successit, & Callistus est appellatus) cum prius ad vicariæ tribunal, aliosque minores regni iudices confugere cogerentur, & inde ius petere. Ætate ingraueſcente febre correptus, anno salutis millesimo quadringentesimo duodesexagesimo, mense Iunii fato functus est in arce Lucullana, quam vulgo vocant Oui, cum Neapoli regnasset annis sedecim. Ferdinandus itaq; Calabriæ Dux Alphonso patri successit, appellatusque Rex a Neapolitanis e- uestigio recepit arces vrbis. cum vero pestis Neapoli sæuiret, Capuæ procerum populorumque habere conuentum statuit, vbi coram vel per legatos rex omnium consensu salutatus, eos in sua verba iurare compulit. Interea Tarenti Roxanique princeps, aliique præterea nonnulli quibus maxime confidebat Alphonsus, ob initam secum necessitudinem, Ioannem Lotharingiæ Ducem Renati filium (de quo superius in Alphonsi rebus facta mentio) per literas & certos homines accersierant, vt paternum decus acciperet, ac regnum capesseret. Nec ille cunctatus, instructa duodecim triremium classe delatus ad Lirem prope Suessam descendit, ipsasque naues e vestigio redire domum iussit, vt sublata spe fugæ, aut victoria potiretur, aut honestam mortem oppeteret. Eodem ferme tempore Galeatius Pandonus aliquot oppida Venafrani Comitis ex eius fratre vi capta obtinebat, indeque præsidia deducere iussus a Ferdinando, fretus opibus principis Roxani facere recusauit imperata. Ferdinandus eum bello persequi statuit, idque initium tumultus in regno fuit. Itaque Ioannes aliquandiu Suessæ (quo eũ venisse demonstrauimus) ac in proximis eius finibus commoratus, in Apuliam contendit: vbi multos in suam fidem pellexit, cum Ferdinandus in Brutiis esset, & Consentiam nondum peruenisset. Vbi primum intellexit hostis aduentum, iter retro conuertit, Neapolimque magnis itineribus, inde profectus in Apuliam, Baroli coronatus est a Cardinale Rauennati Pii secundi legato. Lotharingus Apuliæ multis oppidis, atque ex omni regno receptis, coactoque non contemnendo exercitu, socio Tarenti principe, cæterisque suarum partium ducibus, Nolam primo, deinde Sarnum venit, in quo oppido a Ferdinando Sfortiæque copiis est obsessus. Franciscus enim Sfortia, quod Hippolytam Mariam eius filiam collocarat Alphonso Ferdinandi natu maximo, copias auxiliares ei miserat, idemque fecerat & Pont. Pius affinitate cum Ferdinando contracta. nam Picolomineus Antonius ex fratre Pii nepos, ex pellice Ferdinandi filiam duxerat, Amalphiæque Dux ab eo declaratus, ingentia munera consequutus erat. Vrbem Ferdinandus expugnare contendebat: ipse Lotharingus in aciem prodiit, magnoque animorum ardore vtrinque pugnatum, donec Aragonensibus in fugam versis adeo laboratum sit, vt ægre Ferdinandus Neapolim se receperit, & frequens sit opinio potuisse Aragonenses ea die deleri, si Tarenti princeps vti victoria permisisset. Lotharingus ex Sarno Stabias accedit, vbi sancti Marci Dux, & sancti Seuerini Comes ex familia Sanseuerina tum per legatos in Lotharingi verba iurauerunt, diu tamen in fide non perstiterunt. id enim feciſſe dicebantur Ferdinandi consilio, quo victorum hostium euaderent impetum. Lotharingus ex Stabiis in Apuliam rediit, interiectoque tempore Ferdinandus per ocium reparauit exercitum, quem paulo post in expeditionem deducit. Aretium oppidum primo obsedit, eoque tandem expugnato, conuersus in Comitem Ceretanum imperata facere compulit, victorq; Vrsariam vsque peruenit, quod in finibus Apuliæ est oppidum. Lotharingus

in Apuliam irruenti Ferdinando ad Troiam vrbem seſe obiecit, vbi diutinũ bellum pertæsi, manum conserere statuunt. Itaque datis vtrinque signis, acri prælio commisso, victoria penes Ferdinandum fuit, ex qua non tantum Troia, sed Apuliæ maiori propemodum parte potitus est. eodemque tempore agi cœptum de pace cum principe Tarentino : rebusque compositis apud Altammuram Tarenti princeps eueſtigio fato functus est. inualuitque opinio a quodam eius aulico magnis largitionibus a Ferdinando corrupto, lacinia lodicis elisis faucibus extinctum fuisse. Ac vt rem paucis expediam, Troiana victoria Ferdinandi res extulit. nam Lotharingus per Marsos & Pelignos, vel (vt vulgo dicunt) Aprutinos, Sinuessam regressus, ibi paululum commoratus, Ænariam vel in Isclam traiecit insulam, indeque in Narbonensem prouinciam se recepit ad patrem. Ferdinandus autem conuersus ad expugnandum qui pertinaciter in Lotharingi fide perstabant, rem celeriter confecit, eorumque nonnullos extorres egit, pleroſque coniecit in carcerem, & in iis Roxani principem, Iacobumque Picininum : quos æquis cõditionibus & spe promissorum pellexerat ad deditionem, mox incautos oppressit. vterque in vinculis effudit animam. Pacato iam regno nuptias Alphonsi filii atque Hippolytæ Sfortiæ celebrauit, Elionoram filiam Herculi Estensi Ferrariæ Duci, Beatricem Matthiæ Pannoniæ regi collocauit. Liberi præterea Ferdinando fuerunt, Alphonsus natu maximus, Federicus, Ioannesque, & Franciscus ex iusto matrimonio : quorum Federicum Scyllacii principem primo declarauit, mox Altæmuræ. nam Federicus ex Gallia Neapolim regressus, amissa quam ibi duxerat vxore Sabaudiæ Ducis filia, ex qua puellam tantum susceperat, desperato reditu Neapoli substitit, ac ne esset inglorius, a patre Scyllatio donatus est, & aliis præterea multis. Cumque plerique omnes regni principes a Ferdinando defecissent, vt res ficta pace componeretur, Tarenti princeps a patre creatus est, vxoremq; duxit Hisabellam principis Altæmuræ filiã, eius quem Ferdinandus in vincula coniecerat : itaque Federicus Altæmuræ princeps in locum soceri constitutus est. Ioannẽ vero rebus diuinis initiatum, patrum collegio cooptandum curauit, Cardinalemque declarari. Franciscum quoque ex Vngaria reuersum, vbi apud sororem aliquandiu fuerat, Sancti angeli ducem fecit ad montem Garganum. sed Ioanni Franciscoque & Elionoræ superstes ipse pater fuit. Alphonsus autem natu maximus ex Hippolyta Ferdinandum, Petrũque, & Hisabellam suscepit. ex his Petrus mature decessit, auo patreque superstitibus : Hisabella Ioanni Galeatio, Galeatii Mediolanensium Ducis filio, qui mortuo patre, sub Ludouici patrui tutela rem administrabat, in matrimonium data. Habuit & alteram Ferdinandus vxorem Ioannam, Ioannis Aragonum regis filiam, sobrinam suam, ex qua vnicam filiam sustulit. In vrbem Ferdinandus ad Sixtum quartum Pontificem Maximum venit, indeque regressus statim cum Florentinis in Etruria bellum exarsit. nam cum Sixtus sancti Georgii Cardinalem adhuc adolescentem cum Pisano Archiepiscopo Florentiam misisset, inita cum plerisque Florentinis in necem Laurentii Medicis, eiusque fratris Iuliani coniuratione, qui Florentiæ res ex libidine moderabãtur, vt eius vrbis dominatum Hieronymus Cardinalis frater, quem multi Sixti filium suspicabantur, occuparet : cumque statuta die Franciscus Saluiata Pisanus Archiepiscopus de ritu Christianæ religionis ad altare rem diuinam faceret, ii qui coniurauerant arma corripiunt, ipsumq; Iulianum, quem sors obtulit, obtruncãt : Laurentius accepto graui vulnere, fuga salutem quæsiuit. eam rem Florentinus populus indigne tulit. Itaque quoscũque facinoris affines comperit, vltimo supplicio affecit, & in iis Archiepiscopum Pisanum carnifici tradiderunt, elisisque faucibus ex alta feneſtra suspendio strangulatus est, per causam quod lorica tectus solennia celebrasset. Ex ea re Laurentio maior accessit autoritas apud suos. Sixtus eam nactus occasionem, quod in Pontifices inauguratosque sacerdotes animaduertissent, ipsumque Cardinalem diui Georgii custodirent, ecclesiæq; censurã cõtemnerent, bellum Florentinis indixit, auxilio Ferdinandi fretus. is autem Alphõsum Calabriæ Ducem, eiusque liberũm natu maximum cum copiis in Etruriam misit. ibi cum bellum prospere gessisset, oppidaq; Florentinorum nonnulla venissent

sent in eius potestatem, Laurentius diffisus opibus suis, per Diomedem Carrafam, qui plurimum gratia apud Ferdinandum valebat, a Rege pacem impetrat: ad quam firmandam Laurentius Italięque principum legati Neapolim conuenerunt. Ea pax aliis quam Sixtus voluisset data conditionibus, in regis odium Pontificem accendit, adeo vt aperte bellum minaretur, vt Ferdinandus dicere solebat: inde ad euertendos eius conatus, in eum copias emittere coactus sit: Alphonsusq; Ferdinandi filius ante aliquot oppida ecclesiæ occuparit, quam Sixtus exercitum cõtrahere potuerit. Sed Alphonsus cũ non longe ab vrbe Roma castra haberet, a Roberto Ariminensium principe ecclesiæ duce, Venetorumque auxiliis fusus fugatusque est. in quo prælio pleriq; ex nobilitate regni capti sunt: sed eos benigne acceptos, paulo post incolumes dimisit. Cumque Alphonsus Senensem rempublicã, quam sui studiosissimam bello Florentino cognouerat, occupare niteretur, (quibus artibus, quorumue consilio proditioneque nondum constat) Maumetus Turcarũ rex Hydruntum in ora Apuliæ oppidum, per classiarios inuadit expugnatque, omnibusque oppidanis ad vnum trucidatis, suo præsidio firmauit. Vnde tam crebras longinquasque excursiones eius equites faciebant, vt necesse Ferdinando fuerit, Alphonsum filium ad compescendos Turcarum impetus ex Etruria primo quoque tempore reuocare. Itaque Senensi Reip. sua libertas mansit. Alphonsus terra marique obsesso Hydrunto Sixti nonnullorumque præterea principũ opib. adiutus, Turcas ad deditionem compulit, audita Maumeti morte, desperatoq; subsidio perterritos, triumphauitq; Neapoli de hostib. nõ aperto marte victis, sed quibusdam certis conditionib. eius fidei se cõmiserant. Insequuto tempore, cum Veneti bellum suscepissent in Ducem Ferrariæ Ferdinandi generum, Sixtus eorum spreta amicitia cũ Ferdinando & Ludouico Sfortia, (qui pro fratris filio Mediolanensibus imperabat) fœdus iniit ad tuendum Ferrariæ Ducẽ. Alphonsus itaq; omniũ sociorum consensu summæ rei bellicæ præfectus est. Eum vt ab incepto Veneti reuocarent, classe in sinum Tarentinum missa, Callipolim Neritonq; (maritimas vrbes) aliaq; complura intus oppida occuparunt. In quos industria Franciſci Copulæ celeriter instructas naues Ferdinandus misit. sed inter eos nauale prælium committi non potuit. Etenim Ludouicus Sfortia cum Veneti maioribus in dies viribus premerentur, a societate belli decciuit, autorq; cæteris fuit vt idem facerent. vnde reb. vtrinque compositis, quas vrbes in regno Veneti tenebant, eueſtigio restituerunt. Interea mortuo Sixto Io. Baptista Cibo Ligur, Melphectæ Cardinalis, in eius locũ suffectus, Innocentius octauus appellatus est. Alphonsus vbi primum a bello Ferrariensi Neapolim rediit, in eos aperte minatus est, qui hostili in se fuissent animo. Subditos permissu patris nouis vectigalibus sollicitare, quosdam non obscuro loco natos in vinculis habere, quorundam bona indicta causa publicare cœpit. vnde Franciscus Copula, quem Ferdinandus Sarni Comitem declarauerat, Antonellusque de Petruciis, qui Policastrum Lucaniæ Calesque Ausonum primo oppidũ Romanam deinde coloniam Comitis & ipse titulo tenebat, veriti ne quid in se grauius moliretur Alphonsus: Antonellum Hieronymumque Sanseuerinates, (alterum Salerni, alterum Bisiniani principem) Pyrrumque de Baultio, qui princeps erat Altæmuræ, Petrum quoque de Guiuata, Andreamque Matthæum Aquauiuã, Betuntorum, illum Vasti Aimonis Marchionem, sollicitarunt vt secum coniurarẽt in Ferdinandum. quod vt alicuius autoritate fulcirent, Innocentium Pontificem sibi adiunxerunt. Itaq; fœdus inter se percusserunt apud Melphim in nuptiis Troiani Caracioli filii Ducis Melphis, initumque consilium, statutũq; tempus rei perficiendæ. Sanseuerinatibus hærebant Mileti Lauriæque Comites, Altæmuræ principi Neritonis Dux, eius frater, ipsiusq; Ducis plerique filii. Cumque bello necessaria in suis quisque finibus parauissent, in metum adductus Ferdinandus, mittendis legationibus eos ad sanitatem reuocare tentauit. idcirco cum Alphonsus cũ exercitu occurrisset Roberto Sanseuerinati, qui coniuratis auxilio veniebat, ad eos Federicum filium misit. apud Milionicum in conuentu coniuratorum de pace agit cœptum, in primisque a Ferdinãdo petitum, vt eius autoritate liceret quædam regni statuta in cõmunem omnium vtilitatem reformare, eiusq; pacis custodem

dem Federicum designauerunt, adiecta conditione, vt eum pater Tarenti principem constitueret: eamque rem Ferdinandus non ægre concessit. Sed illi quidem dictis non steterunt. nam cum rursus apud Salernum conuenissent, Copulaque & Antonellus vltra bellum prosequendū negarent, Antonellus Salerni princeps anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo sexto Federicum, qui per id tempus apud eos erat, custodiæ tradidit, & Antonellum de Petruciis. At illi paucis post diebus ope cuiusdam militis ipsius Antonelli principis aufugerunt. Qua die Federicus ab Antonello captus est, Innocentii Romani Pontificis vexilla sustulerunt, passimque toto pene regno, vno tempore bellum exarsit. Nam Ioānes de rure præfectus vrbis, admota modica Pontificis manu Beneuentum Samnitesq; vexabat, Salerni princeps Lucanos, Altæmuræ princeps & Marchio Bituntorum Apulos, Marchio Vasti Marsos, Princeps Bisiniani Brutios: ipse vero Dux Melphis, etsi belli consilia cum iis communicabat, (vt quidam sentiunt) aperto tamen studio neutri parti fauebat. Inter hos tumultus Alphonsus Insubrium Florentinorumque confirmatus auxiliis, nō modo Robertum Sanseuerinatem regni finibus arcuit, sed etiam Romani iuris oppida populabatur. qua de re necesse fuit Innocētio Ferdinādo pacem dare, quæ conditionibus his Augusti mense pacta est, vt per eum liceret Alphonso Robertum Sanseuerinatem ab ecclesiæ ditione reiicere. Facta potestate Alphonsus Robertum coniecit in fugam, continuoq; reductis in regnum copiis coniuratos ad deditionem compulit. Itaque pacato regno Ferdinandus coniuratos omnes in carcerem coniecit, anno salutis octogesimo septimo supra millesimum quadringentesimū, quarto Iulii, præter Antonellum Salerni principem, qui priusquam in conspectum regis veniret, abeundi potestatem ab eo impetrauerat: quartoque demum mense ex quo comprehendit, omnes ad vnum sententio noctis carnifici tradidit ad supplicium, violato iureiurando pacisque conditionibus: inter quos etiam Io. Antonius Marzanus, quem triginta quatuor annos in vinculis habuerat, interemptus est. Animaduerterat ante iam Ferdinandus in Franciscum de Petruciis Antonelli filium, quem Comitem Calenum vocabant, eiusque fratrem Io. Antonium Policastri Comitem: neque simplici morte contentus, in frusta fœdissime secari iussit: Antonellumque eorum patrem, ipsumque Franciscum Copulam in propugnaculis arcis Nouæ securi percussit, eorumq; bona confiscauit. Ex omnibus principis Bisiniani filios sedulitas materna seruauit. eius enim industria noctu clam conscensa nauicula in fines Columnensium iuris in agrum Romanum se receperūt. Ii cum Salerni Principe (de quo dictum toties est) aliquandiu in Italia commorati, per Alemaniam se contulerunt in Galliam. Ludouicus interim Sfortia qui diu Mediolanensium gubernator, creari & euadere Dux affectabat, Alphonsiq; verebatur opes, qui oppressa coniuratione victoriaq; elatus aperte denunciabat in Ludouicum copias ducturum, ni Ioanni Galeatio eius genero debitam principatus administrationem restitueret, Carolum Francorum regem eius nominis octauum in Italiam multis largitionibus, atq; promissorū spe euocauit, vt regnum Neapolis ex Andegauensium successione sibi debitum repeteret. In ipso belli apparatu Ferdinandus obiit anno trigesimo septimo sui principatus. Alphōsus Calabriæ Dux omnium faustis acclamationibus eo die quo pater naturæ concessit appellatus, exequiis & pompa funeris adeo magnifice celebratis, vt neminem antea regum Neapolis tanto apparatu elatum fuisse constet, diem quo regni nobilitas populorumque legati Neapolim conuenirent, vt in eius verba de more iurati de communibus commodis agerent, edixit. His rebus peractis in maximo Neapolis templo a Cardinali Montis regalis Alexandri sexti Pontificis legato coronatus est, maiori pompa quam alius vnquam Neapolitanus rex. Vbi vero Carolum aduentasse Romam cognouit, facinorum conscientia perturbatus, quod a morte patris Comitem Caputaquensem, Comitemque Compsæ, multosque præterea non obscuro loco natos in carcerem coniecisset, vltro se regia potestate abdicauit, Ferdinandumque filium pro se regnare iussit. Ipse cum secessisset in arcem quam dicunt Oui, paucis exinde diebus in Siciliam traiecit. vbi nō ita multo post e vita decessit, cum vix integrum regnasset annum. Ferdinandus autem

autem, cui viuens Alphonsus regno cesserat, a Carolo Francorum rege duobus fere mensibus exactus est. Sed de Caroli Ferdinandiq; successibus alibi copiosius exposuimus. Ipse vero Carolus Neapoli non diu regnauit. etenim Neapolitani in Galliam profecto iam Carolo, redeunti Ferdinando portas aperuerunt. Isque post multa variaque certamina, cum Gallos in oppidum Lucanię Atellam compulsos, duce Montispenserii domino fame domitos, in fidem recepisset, abeūdi potestate facta, regnum pacauit, vxoreque ducta Ferdinandi sororis eius aui filia ex secunda coniuge regis Castellæ sorore, non ita multo post absque sobole Neapoli diem clausit, quum duodeuiginti mensibus regnasset. Itaque Neapolitani Federicum Ferdinandi patruum ab obsidione Caietæ redeuntem, in regnum admiserunt. Is Gallorum reliquias, si quæ adhuc in regno substiterant, imperata facere compulit.

LIBRI QVARTI DE REGIBVS NEAPOLIS ET SICILIÆ FINIS.

HVGO-

HVGONIS FALCANDI IN SVAM DE REGNO SICILIÆ HISTORIAM PRÆFATIO AD PETRVM Panhormitanæ eccleſiæ theſaurarium.

DE CALAMITATE Siciliæ.

STATVEBAM, Petre chariſſime, poſt hyemis aſperitatem clementioris auræ beneficio mitigatam, lætum aliquid ac iucundum ſcribere, quod tibi quaſi quaſdã renaſcentis veris primitias dedicarẽ. Sed audita morte regis Siciliæ, intelligens ac mecum reputans quantum hæc rerum mutatio calamitatis afferret, quantum illius regni quietiſſimum ſtatum vel hoſtilis incurſus procella concuteret, vel grauis ſeditionum turbo ſubuerteret: repente conſternatus animo cœpta deſerui, verſaque in luctum cithara malui flebiles modos & lamẽtationum lugubre carmen ordiri: licet repurgati cœli blanda ſerenitas, & hortorum ac nemorum amœna facies importunam animo lætitiam ingerentes, ad aliud me conentur abſtrahere, & flendi ac lamentandi propoſitum impedire. Quis enim lamentationi locus eſt, aut querelæ: aut quis intempeſtiue fluentibus non offendatur lachrymis, vbi iam annus pruinoſæ ſenectutis deterſa canitie, gratæ denuo iuuentutis puberſcit in florem: & hybernis frigoribus ſuccedens verna temperies, feriatas auiũ fauces ad intermiſſæ ſuauitatem modulationis inuitat? Verum quia difficile eſt in morte nutricis alumno perſuaderi ne lugeat, non poſſum (fateor) lachrymas continere, non poſſum deſolationem Siciliæ, quæ me gratiſſimo ſinu ſuſceptum benigne fouit, promouit, & extulit, vel præterire ſilentio, vel ſiccis oculis memorare. Intueri mihi iam videor turbulentas Barbarorum acies, eo quo feruntur impetu irruentes, ciuitates opulentas & loca diuturna pace florentia metu concutere, cæde vaſtare, rapinis atterere, & fœdare luxuria. Ingerit ſe mihi, & lachrymas a nolente futuræ ſpecies calamitatis extorquet. Occurrunt hinc ciues, aut reſiſtendo gladiis intercepti, aut ſe dedendo miſera ſeruitute depreſſi. Illinc virgines in ipſis parentum conſpectibus conſtupratæ: matronæ poſt varia & precioſa capitis, colli, ac pectoris ornamenta direpta, ludibrio habitæ, & defixis in terra oculis incõſolabiliter deplorantes, venerabile fœdus coniugii fœdiſſimæ gentis libidine violari. Nec enim aut rationis ordine regi, aut miſeratione deflecti, aut religione reueri Teutonica nouit inſania: quam & innatus furor exagitat, & rapacitas ſtimulat, & libido præcipitat. Hæc autem in Apulia viciniſque prouinciis geri, licet horrendum ac triſte ſit facinus, & multo cum mœrore deflendum, vtcunque tamen tolerabile putaretur ſi in Ciſpharinis tantum partibus Barbarorum immanitas deſeuiret. Quod ſi beatam illam inſulam omnibus quidem regnis & præclaris dotibus & me-

& meritis amplioribus præferendam vis procellæ sæuientis irrumpat, si iucundum ocium & quietē omni voluptatis genere gratiorem armorum fragor importunus exturbet, quis iam animo poterit imperare, ne dolendi modum excedat? quis non totus in lachrymas defluat, cum iam apparere cœperint vastitas vrbium, ciuium cædes, fœdata puluere senū reuerenda canities, matronæ pro sericis, saccis indutę, pueri puellæque Barbaræ linguæ stridore perterriti, omnesque omnino indigenæ de multa rerum copia ad vltimam egestatem, de gaudio ad mœrorem, de gloria ad ignominiam, de summo felicitatis culmine ad extremæ miseriæ dispendia deoluti? Atque vtinam Constantia cū rege Teutonico Siciliæ fines ingressa, perseuerā-di constantiam non haberet, nec ei daretur copia Messanensium agros aut Ætnęi montis confinia transeundi. His enim in locis aptissime gens illa consistat, vbi & cū crudelitate piratica Teutonum confligat atrocitas, & inter ambustos lapides & Ætnæ flagrantis incendia, gens dura & saxea sæuientis iracundiæ flammis exæstuet. Nā interiora Trinacriæ loca, eam maxime partem quam nobilissimæ ciuitatis fulgor illustrat, quę & toti regno singulari meruit priuilegio præminere, nefarium esset & monstro simile vel Barbarorum ingressu pollui, vel irruentium terrore percelli, vel prædonum rapinis exponi, vel omnino peregrinarum legum barbarie conturbari. Nunc mihi velim edisseras, ad quem intelligis finem rem in tanto discrimine peruenturā, quoue putas Siculos vsuros consilio? vtrum ne regē sibi creandum existimēt, & collectis viribus contra Barbaros dimicandum? an vero rei diffidentia & insueti laboris odio tempori seruientes, malint quamlibet durū seruitutis iugum suscipere, quam famæ & dignitati suæ, & patrię libertati consulere? Ego quidem hæc tacitus dubia mente pertractās, dum variis hinc inde rationibus distrahor, mecum ipse dissentio, nec satis liquet vtrum horum eis censeam eligendum. Certe si regē sibi non dubiæ virtutis elegerint, nec a Christianis Sarraceni dissentiant, poterit rex creatus rebus licet quasi desperatis & fere perditis subuenire, & incursus hostium, si prudenter egerit, propulsare. Si enim amplioribus stipendiis militum sibi fauorem conciliet, si collatis beneficiis animos plebis alliciat, si ciuitates oppidaque maritima diligenter præmuniens, in Calabria quoque præsidia per congrua loca disponat: Siciliam Calabriamque tueri poterit, ne in ius & potestatem transeant Barbarorum. Nam in Apulis qui semper nouitate gaudentes, nouarum rerum studiis agūtur, nihil arbitror spei aut fiduciæ reponendum: quos si coactis copiis ad pugnam iusseris expediri, ante fugere plerunque incipiunt, quā signa bellica conferantur: si munitionibus seruandis præficias, alii quidem alios produnt, & hostes ignorantibus aut resistentibus sociis introducunt. At vero quia difficile est Christianos in tanto rerum turbine, sublato regis timore, Sarracenos nō opprimere, si Sarraceni multis illorū iniuriis fatigati, ab eis cœperint dissidere, & castella forte maritima, vel montanas munitiones occupauerint, vt hinc cum Teutonicis summa sit virtute pugnandum, illinc Sarracenorum crebris insultibus occurrendum: quid putas acturi sunt Siculi inter has depressi angustias, & velut inter malleum & incudem multo cum discrimine cōstituti? hoc vtique agent quod poterunt, vt se Barbaris miserabili conditione dedentes, in eorum se conferant potestatem. O vtinam plebis ac procerum Christianorum & Sarracenorum vota cōueniant, vt regem sibi concorditer eligentes, irruentes Barbaros totis viribus toto conamine, totisque desideriis proturbare contendant. Hei miseræ conditionis & damnatæ sortis insula, quæ sic alumnos nutris & prouehis, vt cum in optatum robur excreuerint, prima ex te virium suarum experimenta capiant, & vberum tuorum pinguedine saginati, viscera tua recalcitrādo discerpant. Sic olim plurimi tuo in sinu tuisque in deliciis enutriti, multis te postmodum iniuriis, multis præliis afflixerunt. Sic & Constantia primis a cunabulis in deliciarū tuarum affluentia diutius educata, tuisque instituta doctrinis & moribus informata, tandem opibus tuis Barbaros ditatura discessit: & nunc cū ingentibus copiis vicem improbam tibi repensura reuertitur, vt pulcherrimæ nutricis ornatus violenter diripiat, & mundiciam tuam qua regnis omnibus antecellis, barbarica fœditate contaminet. Age nunc Messana, ciuitas potens & multa ciuium nobilitate præpollens, quo putas in-

columitati tuæ prospiciendum consilio, vt possis Barbarorum primos conatus elidere, & hostiles copias a Phari transitu prohibere? Expedit tibi mature deliberare quid agas. Nam quia transeuntibus in Siciliam prima post traiectũ ratibus Pharum occurris, primos etiam pugnantium impetus sustinere, primaque bellorum auspicia cogeris experiri. Certe si ciuium tuorum virtutẽ & audaciam, senes tuos maturãdis aptos consiliis, iuuenes rebus bellicis assuetos, murorum etiam ambitũ densis turribus circunseptum inspicias, si vires tuas quibus sæpe Græcorum superbiam contriuisti, quibus Africam Hispaniamque depopulãs, ingentem inde prædam & opima sæpe spolia reuexisti diligenter attendas, multum hinc tibi roboris & fiduciæ, multum spei ac securitatis accrescet. Nihil tibi ergo formidinis, nihil terroris incutiat turbulentæ gentis barbaries, cuius si primos incursus fortiter resistẽdo sustineas, poteris durissimum de ceruice tua iugum excutere, & immortalem tibi gloriam nomenque celebre propagare. Væ tibi Catinensium ciuitas, quæ aduersantem toties experta fortunam, nullis vnquam cladibus eius sæuitiam mitigare aut compescere potuisti. Nam si veteres Annalium reuoluimus historias, ingueniemus te frequenter & pestilentibus exhaustam nebulis, & atroci bellorũ clade consumptam, ignemque in te aliquoties de cauernosis Ætnæ fornacibus in modum fluminis emanasse. Quod si nostri temporis mala, & quæ ipsi vidimus, volumus recensere, nuper te vehemens terræ motus tanta cõcussit violentia, vt cunctis ruentibus ædificiis, haud facile numerabilem vtriusq; sexus multitudinem lignorũ ac lapidum moles oppresserit. Nunc autem, vt vel sic fortunæ lentescat improbitas, post multa & varia calamitatum genera turpissime tandem addiceris seruituti. Iam te Syracusana ciuitas, diuturnæ pacis pertædeat, iam si potes ad bellũ tibi vires instaura, & ea qua florere soles eloquẽtia, ciuiũ tuorũ mentes erige, murorũ ambitum propugnaculis densis attolle, & angustum illud spacium quod duobus portib. interiectum, insulæ tibi nomẽ inuidit, extructis turribus præmunire festina, si forte Barbarorum possis incursibus obuiam ire. Verum ad hoc tibi (pro dolor) vires non suppetunt, & conatus tuos tam inopia ciuium quam paucitas bellatorum elidunt. Seruire Barbaris iam cogetur antiqua illa Corinthiorum nobilitas, qui patriis olim relictis sedibus in Siciliam transeuntes, & vrbi construendæ locum idoneũ perquirentes, tãdem in optima & pulcherrima parte Siciliæ inter inæquales portus mœnia tua loco tutissimo construxerunt. Quid tibi nunc prodest philosophorum quõdam floruisse doctrinis, & poetarum ora vatifici fontis nectare proluisse? Quid iuuat Dionysii sibique similium de ceruice tua iugum improbum excussisse? Satius quidem tibi esset ac tutius, Siculorum adhuc tyrannorum sæuitiam pati, quam Barbaræ fœdęque gentis tyrannidem experiri. Væ tibi fons celebris & præclari nominis Arethusa, quæ ad hanc deuoluta es miseriam, vt quæ poetarum solebas carmina modulari, nunc Teutonicorum ebrietatem mitiges, & eorum seruias fœditati. Ideone solum natale fugiens & immersa maris spacia longis tractibus subtertabens in ciuitate Syracusana caput attollis, proximoque mari influens Alpheum quem ante fugeras in maiori portu se tibi immiscentem offendis? Longe melior Cyane conditio tua, quæ paulatim fluẽdo deficiens in eundem portum vix modico riuo decurris, aquas tibi furtim occulteque subtrahens, ne contactu barbarico polluaris. Quid autẽ futuram Agrigentinorum calamitatem defleam? quid imminentẽ Macarienſium cladem recenseamus? Prætereo Cephaludi noua mœnia, miſera turpiq; seruitute damnanda. Taceo Pactensium agros furentis populi rapinis expositos. Ad te mihi veniendum est vrbs famosissima, totius regni Sicilię caput & gloria: quam etsi digne laudare non valeo, tacere tamen omnino non possum, tam accepti memor beneficii quam singularis gloriæ tuæ miraculo prouocatus. Quis enim tanto non succumbat oneri, vel quem ingentis ausi aliquando non pœniteat, si Panhormum laudibus extollere, & eius gloriam verbis æquare contendat? Quia vero semel conceptum verbum intra pectoris clausira continere nõ possum, tentabo facultate qua valeo, pauca de laude ipsius breuiter succinctęq; perstringere, vt ex hoc ipso appareat quanta sit lamentatione deflenda, quæ tantis fuerit dotib. glorioſa. Hæc ergo ciuitas in plano sita, maris ex vno latere crebris insultib. fatigatur:

tur: cuius tamen fluctibus retundendis vetus palatium (quod dicitur Maris caſtellum) muroſque multa turrium denſitate munitos opponit. Alterius vero lateris partem oppoſitam Palatium nouum inſedit, mira ex quadris lapidibus diligentia, miro labore conſtructum: exterius quidem ſpacioſis murorum anfractibus circumcluſum, interius vero multo gemmarum auriq; ſplendore conſpicuũ: hinc habens turrim Piſanam theſaurorum cuſtodiæ deſtinatã, illinc turrim Græcã ei ciuitatis parti quæ Kemonia dicitur imminentem. Mediũ vero locum pars illa palatii quæ Ioharia nuncupatur, plurimũ habens decoris, illuſtrat: quam multiformis ornatus gloria præfulgẽtem, rex vbi ocio quietiq; indulgere voluerit, familiarius frequentare cõſueuit. Inde per reliquum ſpacium vatię ſunt circunquaq; diſpoſitæ mãſiones, matronis puelliſq; & eunuchis, qui regi reginæq; ſeruiunt, ædificatæ. Sunt & alia ibidem palatiola multo quidẽ decore nitentia, vbi rex aut de ſtatu regni cum familiaribus ſuis ſecretius diſſerit, aut de publicis & maioribus regni negociis locuturus proceres introducit. Nec vero nobiles illas palatio adhærentes ſilẽtio prętereriri conuenit officinas, vbi in fila variis diſtincta coloribus ſerũ vellera tenuãtur, & ſibi inuicem multiplici texendi genere coaptantur. Hinc enim videas amita, dimitaque, & trimita minori peritia ſumptuque perfici: hinc hexamita vberioris materiæ copia condenſari. Hic diarhodon igneo fulgore viſum reuerberat. Hic diapiſti color ſubuiridis intuentium oculis grato blanditur aſpectu. Hic exarentaſmata circulorum varietatibus inſignita, maiorem quidem artificum induſtriam & materiæ vbertatẽ deſiderant, maiori nihilominus precio diſtrahenda. Multa quidem & alia videas ibi varii coloris ac diuerſi generis ornamenta, in quibus & ſericis aurum intexitur, & multiformis picturæ varietas gemmis interlucentibus illuſtratur. Margaritæ quoque aut integræ ciſtulis aureis includuntur, aut perforatæ filo tenui connectuntur, & eleganti quadam diſpoſitionis induſtria, picturati iubentur formam operis exhibere. Porro ex ea parte quæ vrbem reſpicit palatium ingreſſuris Capella regia primum occurrit, ſumptuoſi operis pauimento conſtrata, parietes habens inferius quidem precioſi marmoris tabulis decoratos, ſuperius autem de lapillulis quadris partim auratis, partim diuerſicoloribus veteris ac noui teſtamenti depictam hiſtoriam continentes. Supremi vero faſtigii tabulatum inſignis elegantia cælaturæ, & miranda picturæ varietas, paſſimque radiantis auri ſplendor exornant. Sic ergo diſpoſitum, ſic ornatum, ſic omnimodę voluptatis gratia delibutum palatium, tanquam caput reliquo corpori, ſic toti ſuperemineret ciuitati. Quæ trina partitione diſtincta, tres in ſe particulares, vt ita dixerim, continet ciuitates. Quarum quæ inter extremas media collocatur, nobiliori ædificiorum ſtructura prępollens, ingenti murorum altitudine ab vtraque dextra lęuaque ſeiungitur, latitudinis parum habens, in longum vero ſpacio maiore porrecta: vt ſiquis duas æquales æqualium circulorum minores portiones ad chordam vnã coniungat. Hanc item tres viæ diuidunt principales, quæ totam eius longitudinẽ metiuntur. Harum media quæ Vicus marmoreus nuncupatur, & rebus occupatur venalibus, a parte ſuperiori viæ coopertæ ad palatium Arabũ, indeque ad inferiorẽ portam iuxta forum Sarracenorum directe protenditur. Alia quoque a turre Piſana per viam coopertam ad domum Archiepiſcopi iuxta maiorem eccleſiam, mox ad portam ſanctæ Agathes deincepsque per domos Maionis Admirati ad prædictum forum Sarracenorum pertranſit, ibidem viæ marmoreæ coniungenda. Tertia ſane ab aula regia quæ palatio ſubeſt, per domum dicti Sarraceni ad ędes Syluęſtri comitis & Capellam Georgii Admirati porrigitur, & inde ad propinquã vrbis portam obliquata deflectitur. At vero dextra pars ciuitatis a monaſterio ſancti Ioannis prope palatium in Kemonia conſtituti habens initium, muris vſque ad mare circunductis includitur. Pars autem ſiniſtra ab ipſius item palatii confinio, ad caſtellum ſe maris extendens, ibidem finem ſortitur, ingenti nihilominus murorum vallata circuitu. Spacium quoque quod inter mediam ciuitatem & portum extenditur, vbi duæ reliquæ partes vrbis conueniunt, Amalfitanorum continet vicum, peregrinarum quidem mercium copia locupletem, in quo veſtes diuerſi coloris ac precii tam ſericę quã de Gallico contextæ vellere, emptoribus exponũ-

tur. Quis vero præclaræ huius vrbis miranda ædificia, quis fontium passim ebullientium suauissimam vbertatem, quis semper virentium arborum amœnitatem, aut aquæ ductus ciuium abundanter vsibus seruientes, satis mirari sufficiat? Quis inclytæ planitiei gloriam, quæ inter vrbis mœnia montesque, quatuor fere milibus patet, laude congrua prosequatur? O beatam cunctisque seculis prædicandam planitiem, quæ intra gremium suum arborum fructuumq; genus omne concluſit: quę quicquid vsquam est deliciarum, sola prætendit: quæ voluptariæ visionis illecebris cunctos sic allicit, vt cui semel eam videre cõtigerit, vix vnquam ab ea quibuslibet possit blandimentis auelli. Illic enim mireris vineas tam fœcundi cespitis vbertate quam præclari germinis generositate gaudentes. Illic hortos aspicias mirabili fructuum varietate laudandos, turresque ad hortorum custodiã, & voluptatis operatura præparatas: vbi & rotæ volubilis obsequio descendentibus, itemq; ascendentibus vrceolis puteos videas exhauriri, cisternasque adiacentes impleri, & inde aquã per riuulos ad loca singula deriuari, vt irrigatis areolis vegetẽtur & crescant citroli angusta breuitate contracti, & cucumeres tractu longiore producti, meloneſque ad formam magis sphæricam accedentes, & cucurbitę per arundines connexas latius euagantes. Hinc si conuertas oculos ad diuersas arborum species, videbis mala punica vel acetosa, vel dulcia granis interius occultatis, exterius cõtra intemperiẽ aeris duro cortice præmuniri. Citros quoque triplici substantiæ diuersitate distingui, cum cortex exterior colore simul & odore caliditatis præferat argumentũ: quod autem circa cẽtrum est, acetoso liquore frigiditatis præstet indicium: mediũ vero inter vtrũque temperatius comprobetur. Videas ibi & lumias acetositate sua condiendis cibis idoneas, & arãgias acetoso nihilominus humore plenas interius, quæ magis pulchritudine sua visum oblectant, quam ad illud vtiles videantur. Hæ quidem ab arbore sua etiam cum maturuerint, difficile cadunt, & nouis superuenientibus veteres cedere dedignantur. Nam & tertii anni poma iam rubea, & iucundi adhuc virentia, & præsentis anni flores in eadem possunt arbore pariter inueniri. Hæc autẽ arbor continue iuuentutis pollens insignibus, nec fit hyemis sterili senectute deformis, nec ingruente frigoris asperitate frondibus spoliatur, sed virentibus semper foliis veris temperiem repræsentat. Quid vero nuces amygdalæ, aut ficuum diuersa genera, vel oliuas cõdiendis cibariis, & lucernarum fouẽdis ignibus oleum ministrantes enumerem? Quid loquar siliquarum vaginulas & fructum ignobilẽ insipida quadam dulcedine rusticorum ac puerorum gutturi blandientem? Mireris potius palmarum procera cacumina, dactyloſque detonsæ arbori summo vertice dependentes. Quod si in partem aliam visum deflexeris, occurret tibi mirandarum seges harundinum, quæ Cannæ mellis ab incolis nuncupantur, nomẽ hoc ab interioris succi dulcedine sortiẽtes. Harum succus diligenter & moderate decoctus in speciem mellis traducitur: si vero perfectius excoctus fuerit, in saccari substantiam cõdensatur. Communes autem fructus & qui penes nos habentur, his adiungere superfluum existimaui. Hæc igitur breuiter perstringẽdo descripsi, vt ex paucis multa, ex paruis maiora, solliciti prudentia lectoris intelligat, simulque vt quemadmodum dictum est, liquidum fiat quantis lamentationibus quantaq; sit opus copia lachrymarum, vt digne ciuitatis huius calamitas defleatur. Viuas diu Petre chariſſime, diuque gaudeas, & de statu regni tuoq;, vicarias pro te literas mihi mittere non graueris.

DE TYRANNIDE Siculorum.

REm nunc eam mẽ scripturum propono, quæ sui ipsius atrocitate satis abundeq; sufficeret vel omnino fidẽ excludere, vel suspectã reddere veritatem: nisi certe in Sicilia nihil miraculi esset ea monstra scelerũ perpetrari, quæ potius tragœdorum sint deflenda boatibus, quã historicæ veritatis ordine contexenda. nec enim alibi rotam fortuna torquet celerius, aut maiori mortalium ludit discrimine. Itaq; loci ipsius inhumanitas,

nitas, eorũ quæ dicturus sum fidẽ faciet: eritq; operæprecium tam atroces quã repentinas rerũ commutationes memoriæ tradere posterorum: vt qui fortunæ finib. alligati, suam ex rerum affluẽtia gloriã metiuntur, aliorũ casu moniti, beatos se desinant prædicare: ne toties miseros rursus se clamitent, quoties aut a dignitatis gradu deciderint, aut opimi acerui quomodolibet fuerint imminuti. Ad id quoq; nihilominus operam sum daturus, vt pauci quorũ inter tot ac tanta pessimorũ flagitia memorabilis fides enituit, meritis nunquam possint laudibus defraudari, perpetuisq; in æuum successibus virtutis gloria propagetur. Quæ sicut præclaris ab initio factis virens, vt ita dixerim, enitescit, sic in posterum taciturnitate consenescens elabitur. Ita fit vt gloria quam ingenti quisque labore, summa industria, multisque periculis sibi ipse pepererit, in breui fauillatim decidens euanescat. Interest ergo multorum si qua fortiter acta sunt, ea posterorum cognitioni transmittere. Hinc enim accidit, non solum viros fortes meritum laboris fructum percipere, verum totius quoque posteritatis commodo prouideri: præsertim cum ad virtutem plerunque liberi patrum prouocentur exemplo, patriæque probitatis velut quædam in filios transfusa scintilla licet in quibusdam sopita sit, & quasi præmortua, facile tamen hæreditariæ virtutis memoria conualescat. Si qui vero suopte ingenio ac natura perpetuandi nominis amorem conceperunt: ipsa tamẽ patrum recordatio, eorum foueat desiderium, ac proposito robur adiiciat ad maturandum id quod sperauerint, eos vtique faciens promptiores. Hinc nimirum antiquitus Romani patrum domi cõseruabant imagines, vt antecessorum eis acta semper occurrerẽt, puderetque degenerem sequi lasciuiam, ac turpi languere desidia, & amplectendę virtutis quasi quandam necessitatem haberent præ oculis. Nec igitur inerti situ patiar eorum oblitterari memoriam, quę non sine multorum peticlitatione nuper in regno gesta Siciliæ partim ipse vidi, partim eorum qui interfuerant, veraci relatione cognoui. Non tamen id ago, vt omnia bellorum discrimina, militumque congressus aut quid in singulis vrbibus oppidisue gestum fuerit, sigillatim expediam: satisfecisse videbor proposito, si qui laude digni fuerint, eos non taceam: si maiora rerum momenta breuiter ac succincte transcurram, in his maxime quæ circa curiã gesta sunt occupandus.

PRIMVM igitur satis constat quod cum Rogerius Comes Siciliæ, frater Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ, reb. excessisset humanis, Rogerius eius filius totam primum Siciliam ac partem Calabriæ iure successionis obtinuit. Postmodum vero consanguinei sui Gulielmi Ducis Apuliæ morte cognita transiens in Apuliam, postquam vniuersis ciuitatibus ac principibus qui ei resistendum putauerant, expugnatis, ad suum cũcta redegit imperium: tandẽ Ducatum suscepit Apuliæ, minusque ratus idoneum tantam ac tam late diffusam potentiam in dignitate nominis coartari, Regẽ se maluit appellari quam Ducem, exindeque Siciliam regnum esse constituit. Placet autem, nec a proposito quidem dissidet, de moribus eius pauca summatim perstringere, cum satis inciuile sit tanti viri mentione habita, virtutem eius silentio præterire. Inter alias ergo naturæ dotes, quibus ingentis spiritus virum ipsa ditauerat, promptissimus erat ingenio, nec vnquã adeo sibi diffidens, vt de qualibet re cõsultus, vel modicam responsioni moram innecteret. Quoties tamen ad maiorum rerum examinationem ventum erat, contracta curia non pudebat eum singulorum prius opiniones audire, vt ex eis potiorem eligeret. Siquid autem ei super eodem negocio subtilius aut examinatius occurrebat, suam vltimus proferebat sentẽtiam, ratione statim subiuncta cur hoc ei potissimum videretur. Cumque vigilantissimus viri animus altiora semper appetens, nullum inertiæ segnive ocio locum relinqueret, nihil tamen inconsulte aut ex præcipiti agere instituerat, ingentisque motus animi discretio temperabat adhibita: vt in consultissimi regis operibus nulla prorsus leuitas appareret. nec erat facile cognitu, vtrumne consultius loqueretur, an ageret. Ingens illi studium erat, & præsentia caute disponere, & ex præsentibus futura sollicite præmetiri: idque curabat vt non magis viribus quam prudentia & hostes contereret, & regnum suum productis finibus ampliaret. Tripolin nanque Barbariæ, Africam, Faxum,

Capsiam, aliasque plurimas Barbarorum ciuitates multis sibi laboribus ac periculis subiugauit. Aliorum quoque regum ac gentium consuetudines diligentissime fecit inquiri, vt quod in eis pulcherrimum aut vtile videbatur, sibi transsumeret. Quoscunque viros aut consiliis vtiles, aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutē beneficiis inuitabat. Transalpinos maxime, cum ab Nortmannis originem duceret, sciretque Francorum gentem belli gloria cæteris anteferri, plurimum diligendos elegerat, & propensius honorandos. Postremo sic iustitiæ rigorem, vt nouo regno perneccssarium, studuit exercere, sic pacis ac belli vicissitudines alternare: vt nihil quod virtutem deceret omittēs, neminem regū aut principum temporibus suis parem habuerit. Porro quod quidam pleraq; eius opera tyrānidi dant, eumq; vocant inhumanum, eo quod multis pœnas grauiores & legibus incognitas irrogauerit, ego sic existimo, virum vtiq; prudentē, & in omnib. circumspectum in nouitate regni ex industria sic egisse, vt neque flagitiosi quilibet de scelerum sibi possent impunitate blādiri, neq; bene meritos nimia seueritas absterreret: quibus ita mitē se præbuit, ne tamē ex nimia mansuetudine locus superesset contēptui. Ac si forte in quosdam durius animaduertisse visus est, quadam ad id necessitate compulsum intelligo. Nec enim aliter rebellis populi ferocitas conteri, aut proditorum poterat audacia coerceri. Is vbi post multos labores ac pericula, pacem regno quoad viueret peperit inconcussam: ingentes etiam thesauros ad regni tuitionē posteritati consulens præparauit, ac Panhormi reposuit. Exinde iā ocio quietiq; deditus, faustaq; se prole felicē existimans, filiis suis, Rogerio Duci Apuliæ, Amphulsoq; Capuæ principi, (in quibus verissima paternæ virtutis reddebatur effigies) regni sollicitudinem participandam crediderat. Qui postea nō sine dolore patris incredibili, totiusque regni luctu maximo, fati debitum agnouere, superstite Gulielmo Tarenti principe, quem vix pater eodem dignū principatu censuerat. Huic igitur quando iam alius nullus supererat, regiū diadema patter imposuit, regniq; fecit participē. Nec multo post ipse tum immensis attritus laboribus, tum vltra quā bona corporis exigeret valetudo, reb. assuetus veneriis, immatura senectute consumptus cessit in fata. Cui succedens Gulielmus eius filius, quem adhuc viuens regem fecerat, palatiū ac thesauros obtinuit, regnique curam suscepit. Eo tempore regnū Siciliæ strenuis & præclaris viris abundans cū terra mariq; plurimū posset, vicinis circumquaq; gentibus terrorē incusserat, summaq; pace ac tranquillitate maxima fruebatur. Verum breui temporis interiecto spacio, sic tranquillitas omnis elapsa repēte disparuit, vt facile quidē ex hoc intelligas regnorū fortunam ac statum virtuti parere regnantiū, tantumq; regni cuiuslibet gloriam ampliari posse non dubites, quantū in principe virtutis esse cognoueris. Gulielmus enim rex cum patriæ solum potestatis, non etiam virtutis hæres existeret, in tantam est primū efferatus amentiam, vt optimi patris acta contemneret, suaq; industria curiæ statum in melius reformatū pessum ire permitteret. Vnde & quos familiares pater habuerat, eos partim condemnauit exilio, partim carcerū conclusit angustiis. Maionem quoque Barensem humili ortum genere, qui cum primū in curia notarius extitisset, gradatim ad Cācellariatus peruenerat dignitatem, magnū Admiratum instituit: monstrum vtique, quo nulla pestis immanior, nulla ad regni perniciem ac subuersionem poterat efficacior inueniri. Nam ingenium illi promptum erat ad omnia, facundia non dispar ingenio, simulandi ac dissimulandi quæ vellet summa facilitas: præceps in libidinem animus, nobilium maxime matronarum ac virginum concubitus expetebat, & quas honestius viuentes audierat, earum vehementius pudicitiam attentabat. Dominandi quoque semel accensus desiderio, multa voluebat in animo, multis mentem fatigabat consiliis, & continuis scelerum stimulis agebatur: sed æstuantis animi tempestatem vultus serenitate celabat. Huic igitur maxima collata dignitate, totiusque regni cura & administratione commissa, in breui sic actum est, vt rex plenam verbis eius fidem adhibens, nihil alii cuipiam credere, nihil prorsus ab alio vellet audire. Cæteros omnes excludens, cum illo singulis diebus solus habebat colloquium, solus regni tractabat negocia, regisque animum quocunque libuerat inclinabat, cum falsa pro veris

inge-

ingerens, tum adulationibus illius temeritatem demulcēs. Subit inde ſpes animū, efficere velle & conari quod mente conceperat. viſaque temporis adeſſe opportunitas, vt maturet conſilium: & quem regnandi libido præcipitem agit, moram omnem damnoſam exiſtimat. Nulla interim animo pax datur, nulla tranquillitas, omnia circuit, omnia præmetitur, omnia diligenter explorat, quo conſilio, quibus artibus regnum obtineat. Multaque diu præcogitans, intelligit viros nobiliſſimos quibus adhuc regnum florebat Siciliæ, ſuum impedire propoſitum. Præ cæteris autem ei metum incutiunt Robertus Comes Lorotelli, regis conſobrinus: Simon Comes Polycaſtrenſis, Ebrardus Comes Squillacenſis: quorum illi virtus haud dubia erat, ſciebatque fidem eorum nulla fraude, nullis vnquam præmiis corrumpendam: nec, ſi ſupereſſent incolumes, ſperabat rem poſſe procedere. Viſum ergo primū aliquid ad eorum machinati perniciem, in eoque ſceleris ſui primitias prælibare. Placuit etiam, & ad id totis viribus nitebatur, vt Hugonem Archiepiſcopum qui tunc Panhormitanæ præerat eccleſiæ, ſociū ac participem eius haberet conſilii: cuius fretus auxilio ad id quod ſperauerat maturius perueniret. Sciebat enim illum prudentem, prouidum, ſummæque virum eſſe induſtriæ, & ad quaslibet machinationes aptiſſimum. cæterum elati quidem erat animi, gloriæ cupidus, libidinique deſeruiens. Huius primum Admiratus pedetentim pertentat animum, dehinc confidentius mentem aperit, propoſiti partem exponit, regnandi tamē diſſimulat voluntatem. Nec difficile perſuadet, vt amoto rege inutili, ipſi tutelæ munus ſubeant, regnum pueris conſeruantes incolume, dum pubertatis annos impleuerint. In hoc ambo conſentiunt vt regem deponant: cætera Maio reticet, ne facti ſocium atrocitate deterreat, ſperans ſi tutor poſſit fieri puerorum, nullius ſe decætero ad obtinendum regnum indigere conſilio. Dictum eſt præterea, quod ii iuxta conſuetudinem Siculorum fraternæ fœdus ſocietatis contraxerint, ſeſeq; inuicem iureiurādo aſtrinxerint, vt alter alterum modis omnibus promoueret, & tam in proſperis quam in aduerſis vnius eſſent animi, vnius voluntatis atque conſilii, quiſquis alterum læderet, amborum incurreret offenſam. Hac inita ſocietate, præfatus Archiepiſcopus inſtinctu & cōſilio Maionis in familiaritatē regis admittitur, vt quicquid Admiratus regi ſuggereret, ſocii teſtimonio confirmaret. Dū hæc inter eos Panhormi verſantur conſilia, rex Pharum tranſire inſtituit, ac primo Meſſanā, dehinc paucis poſt diebus Salernū proficiſcitur. Cumq; ex diuerſis Apuliæ & Terræ laboris partibus ad videndū regem proceres multi concurrerent, Robertus Comes Lorotelli eadem ratione perſuaſus Salernum iter ingreditur. Cuius aduentu præcognito, ſic erga Comitem Maionis aſtutia regis animū immutauit, vt neq; loquendi cum rege copiam impetraret, eoq; non viſo triſtis iratuſq; diſcederet. Ibi rex aliquanti temporis interuallo conſumpto, pauciſque nec dignis memoria geſtis negociis, Panhormum rediens, deinceps ac ſi humanos horreret aſpectus, inacceſſibilem ſe præbuit: niſi quod Admirato ſingulis diebus, Archiepiſcopo plerunq; ſui copiam faciebat, audiens ab eis regni ſui negocia non qualia erant, ſed qualia ipſi propoſito ſuo conformabant. Sub id temporis Anſcotinus Cancellarius, & Comes Simon cum magno exercitu in Apulia erant, vt Alamannorū Imperatori, cuius aduentum fama prædixerat, obuiarent, ſimul & ne quid ibi turbinis accideret prouidentes. Omnia enim iam timoris ac ſuſpicionis plena erant, nec ſatis liquebat qui Regis, quiue Admirati eſſent: ita in incerto ambiguoque res erat. Nam Admiratus per totum regnum propoſiti ſui multos iam habebat participes & fautores: eiuſq; nomen haud aliter quam regis ipſius ab omnib. timebatur. Eoq; ipſo ſpe ſubnixa regnandi cupiditas, acriores viro ſtimulos ingerebat. Scribit itaq; Cancellario vti Robertum Comitē Lorotelli tanquā ad audiendū regis imperiū, Capuā euocet: idq; modis omnibus agat, vt eundem captum ſub fida cuſtodia Panhormum tranſmittat. Vt enim rex idem vellet, multis perſuaſionibus effecerat, aſſerens quod ipſe Comes ad regni ſubreptionem plurimum aſpiraret, ipſumq; regnū ad ſe iure diceret pertinere: eo quod Rogerius rex auunculus eius in quodā teſtamento ſuo præcepiſſe diceretur, vt ſi quidē Gulielmus eius filius inutilis aut parū idoneus videretur, Robertū Comitē, cuius virtus haud dubia erat, regno præficerēt.

Comes ergo acceptis literis Cancellarii, cognitoque per amicos quid fraudis intẽderet, animaduertit eiusmodi sibi expedire consilium, vt neque regis imperio contumaciter obloqui videretur, & propositos sibi laqueos euitaret. Itaque cum quingentis fere militibus optime armis instructis Capuam veniens, extra vrbem in plano figit tentoria. Cancellarius vbi hunc venisse comperit, ilico denunciat ei, vt omissis militibus suis ipse cum paucis in vrbem veniat: velle se cum eo secrete loqui, & regis aperire mandatum. Ad id Comes, se vrbem non ingressurum asserit: si quidem Cancellarius exeat, paratum audire quicquid ex parte regia sibi præceperit. At ille contra spem suam Comitem dolos intelligens præsensisse, egressus est ad eũ, dicens voluntatem regis hanc esse, vt vniuersos milites suos, prout feudum suũ exigebat, Boamundo Comiti assignaret. Quod quidem molestissime Comes tulit, respondit que indignum & contra consuetudinem esse, vt milites sui ducem alium sortirentur: ac si ipse proditor, aut bello videretur inutilis. Cumque instaret Cancellarius, persuadens vt regiæ satisfaceret voluntati, adiecit Comes, aut nõ sani capitis, aut proditoris istud esse mandatum. Ideoq; se nullatenus id facturum. Sic inani spe delusus Cancellarius Capuam rediit, Comes in Aprutium iter cõuertit. Nec multo post in exercitu inter milites Cãcellarii & Comitis Simonis orta seditio eousque processit, vt in dominos quoq; militum iniuria redundaret, multaq; hinc inde verba minæque discurrerent. Quod vtrum industria Cancellarii factum sit, casuve contigerit, parum constat. Verisimile tamẽ est Maionis interfuisse mandatum, ipsumque Cãcellarium in optimo Comite non videntem quid crimini daret, in excitanda lite id habuisse consilii, vt inde maledicendi causam eliceret. Nam & super hoc literis curiæ destinatis, rem non tam vere quam hostiliter expressit, & maiori Comitem quam res exigeret criminatione pulsauit: dicens eum in exercitu crebras suscitare discordias, milites suos ad seditionem hortari: Comitem etiã Robertum eius indicio propositas insidias effugisse, nuncios inter eos discurrere, nescio quid eos fouere propositi, satis periculose deinceps ei creditum iri exercitũ. Hæc & huiusmodi plurima regi magnus Admiratus suggerens a Cancellario sibi transmissa, subiunxit, fidem plenissimam eisdem literis adhibẽdam. Nam se quoque dudum audisse quod Robertus Comes cum plerisq; aliis contra regem conspirauerit, Comitemque Simonem eius ipsius factionis esse participem, quod claris nunc apparebat indiciis. Inde maturandum censet, vt emergentis mali periculum euitetur: sero carnem putridam resecari, cum vicinas partes corruperit. Id eo facilius regi persuasum, quod propinquos omnes consanguineosq; habebat suspectos. Comes igitur literis regiis citatur ad curiam, aliusque in eius locũ Comestabulus subrogatur. Sed eidem venienti neq; suam purgare licuit innocentiam, nec obiectis ordine iudiciario respondere. Statim enim non sine multa Maionis inuidia, captus & in carcerem est retrusus. His eo modo gestis, ita rex deinde suã omnibus auulsit præsentiam, vt per multum temporis spacium, excepto Maione Admirato, & Hugone Archiepiscopo, nulli penitus appareret. Quæ res argumento fuit vt a plerisque mortuus putaretur. Erãt qui venenum ei ab Admirato dicerent propinatum: nec erat difficile creditu, cum id eum machinari dudum audissent. Multi quoq; cum ex diuersis Apuliæ partibus venissent ad curiam, videndiq; regem, prout consueuerat, eis copia negaretur, certissimos de morte eius rumores per totam Apuliam detulerunt, nihil hæsitandum super hoc quod fama prædixerat, asserentes. Tunc Apulorũ incõstantissima gens, libertatẽ adipisci frustra desiderans, (quã nec adeptam quidẽ retinere sufficeret, vt quæ nec bello multũ valeat, nec in pace possit esse tranquilla) capessit arma, societates contrahit, castellis muniendis operãdat. Alii, quia iam diuturnæ pacis pertæsum erat, sola raptantur inconstantia. Alios prædæ spes trahit ad bellũ: pleriq; ea ratione concitantur ad arma, quod regis mortẽ censeant vindicandam. Multi tamẽ Admirati causam armis tuendam suscipiũt. Sic vbique re turbata tumultuque exorto, dubiis euentibus hinc inde sæpe confligitur. Comes Lorotelli pleraſque maritimas occupat ciuitates. Imperator etiam Græcorum a Comite rogatus auxilium, speque ductus recuperandi Apuliam, nobilissimos ac præpotentes viros cum maxima pecunia mittit Brundusium.

In

In Terra vero laboris non minori turbine cuncta cerneres agitari, alioſque ab rege deficere, alios ſtare cum rege. Robertus Surrentinus a Capuanis ſuſcipitur, & hæreditario ad ſe iure pertinentem occupat Capuæ principatum. Hæc vbi Panhormi cognita ſunt, inopinata res Admirati pauliſper animum conturbauit, non tamen vſque adeo vt vultum quoque ſufficeret immutare. Nam in maximis quoque periculis ex induſtria dignitatem oris integram conſeruabat: ne ſi quoties timendum erat, vultus id fateretur indicio, hoſtibus quidem ſpem ingerens, ſuis nihilominus metum incuteret. Quod ergo ratus eſt optimum in tanta perturbatione conſilium, eos qui nondum rebellauerant, literis regiis ſuiſque crebrius exhortatur, vti virtutis ſuæ memores cum proditoribus audacter dimicent, habitamque de ſe hactenus opinionem ratam faciant, meminerint virtuti præmia laudēq; proponi: contra vero, pœnas & perpetuæ notam infamiæ proditoribus irrogari. Ipſe interim Panhormi quoſcūq; poteſt ſibi conciliat, propoſitū ſuum eis de morte regis aperit, cenſetq; hoc maturius peragēdum: timens ne ſi forte rex id eum ſceleris machinari perpenderit, crimine ſibi maieſtatis obiecto, capitali ſupplicio addicatur. Erat tunc Panhormi Gaufredus Comes monois Caueoſi, vir vtique ſummæ liberalitatis, armis eximius, admodumque conſulti pectoris: ſed mobilis erat ingenii, fidei vacillantis, nouitates rerum ſemper exoptans. Huius opem Admiratus plurimum ſibi fore putans neceſſariam, ita commodiſſime ſibi eum allici poſſe perſpicit, ſi prius odium ei regis incutiat. Habebat autem ipſe Comes oppida quędam in Sicilia, Notum, Sclafanum, Calataniſſetum: ſed Notum cæteris ſpecialius diligebat. Nam idem caſtellum tum virorum frequentia, tū natura loci munitiſſimum erat, & defenſioni locum præbebat aptiſſimū. Primū ergo regi Maio perſuadet, vt hanc ſibi munitionem accipiat, dicens nō ſine periculo eam a Comite poſſideri. Dehinc, vbi Comitē ex amiſſione oppidi ſatis cōperit indignatū, ſecreto eū ad ſe præcipit accerſiri: iurat vltra quā credi facile ſit, hac de re ſe dolere: regiq; cū hoc præciperet, plurimum reſtitiſſe: ſed tantam hominis eſſe temeritatem, tantā inſaniam, vt neque cuiuſpiam conſilium iam admittat, nec ab eo quod ſemel dixerit, qualibet poſſit perſuaſione deflecti: quodque indignius eſt, Salomonem etiam parum ſciſſe commemorans, ipſe cū ſit mortalium ſtolidiſſimus, ſibi ſoli prudētiam, ſibi virtutem aſcribat. præterea tyrannum hunc verius quam regē, neſcio quid ſceleris in animo gerere. facile ex verbis eius poſſe coniici, ſi diutius regnauerit, breui futurum vt virorum nobiliū paucos ſupereſſe contingat, qui non aut ſupplicijs deſtinētur, aut carceri. Nec immerito, inquit, deteriora nobis contingerēt. nam, ſi quidem viri & non fœminis molliores eſſemus, ſi ratione vtētes, & nō brutorum ſimiles animantium, huius tantæ peſtis exitio dudum querelas eiuſmodi ſopiſſemus. Sed forte ad interitum fata nos trahunt, & imminentis mali neceſſitas cæcitatē nobis inducit. Certe fatum hoc temeritas noſtra eſt, quæ iam ad extrema nos periculorum adduxit. Tūc Comes quid hæc ſibi vellet oratio ſatis intelligēs, ſubiungit in hac omnes opinione verſari, quod abſq; ipſius Admirati cōſilio nihil omnino rex gereret, ideoq; huius rei culpā penes eum eſſe, qui regis inſanias & tyrānidem publicare deberet: nec alienam in ſe criminationē transfundere, ſed ad omniū vindictam ſingulos exhortari. facile ei oēs obſequi, ſi voluntatem eius cognouerint: ſeſe quoq; ad primum eius imperium ſanguinē regis hauſturū. Ad hæc Admiratus Comitis laudare prudentiam, virtutem ad cælum tollere, ipſumq; cœpit amplecti, referens ei quod Archiepiſcopus aliiq; quamplures in id cōſenſerint, vt interfecto rege ipſum Admiratū ei ſubſtituant. Inde magis tentandi gratia, quā ex animo ſubiungit, indignū ſe eſſe qui tanto regno præeſſe debeat: ſanius ſibi videri conſilium vt regis filius patri ſuccedat. Sed & quo id animo dixiſſet, Comitem Gaufredum non latuit, reſponditque hoc ſe nunquam paſſurum. Nam de ſemine tyranni nihil vnquam niſi tyrannicum procreari, impioque patre genitos paternæ quoque futuros impietatis hæredes. Hoc vnum ſe laudare, hoc velle, vt Admirato regia dignitas conferatur. Subinferente illo, ſic futurum, ſi quidem ipſi placuerit, Comes ei ſuum ad hoc ſpondet auxilium: & vt nutantem adhuc animum certiorem efficiat, illi ſe iureiurando aſtringit. Exinde iam Admiratus

perpe-

perpetrando sceleri locum ac tempus quærebat idoneum, existimans Comitem Gaufredum sibi per omnia fore subsidio. Comiti vero longe alia mens erat, aliudque voluebat in animo. Iam enim plurimos Barensium qui tunc Panhormi morabantur, ipse sibi iurare fecerat: erantque cum eo Simon Sangrensis, & Rogerius filius Richardi, pluresque alii nobiles & factiosi milites, per quælibet eum pericula secuturi, quibus indignum, turpe, miserumq; videbatur, vt cuius pater oleum Bari vendere consueuerat (sic enim dicebatur) eum regnare permitterent. Sed neque displicebat eis regem interfici ob tyrannidem quam in viros nobiles exercebat. Erat autem hoc eorum consilium, vt quum primum regem Admiratus occidisset, ipsi statim in eum tanquam interfecti regis vltores irruerent, nec sua diutius proditione gauderet, regisque filium maiorem natu patri substituerent hæredem. Ita Comes aduersus dolos Maionis fraudulenter agere instituerat: plurimũ interim ipsi blandiri, rogare ne rem tantam negligendo differret: paratos semper habere secum milites: præstolari de die in diem, vt Admiratus quod proposuerat adimpleret. Vbi segnius eum videt rem gerere, tepidumque languere propositum, fidẽ suam illi suspectam esse, sibique parum credi certis colligit argumentis. Posthabito igitur de morte regis consilio, Maioni parat insidias, & vel in præsentia regis (si quidem aliter non possit) eum sibi destinat occidendum. Quod quadam die non secus ac prouiderat accidisset, nisi quod iam in palatium percussoribus introductis, subito nunciatum est de partibus Apuliæ galeas aduenisse. Ea re tunc ab incepto milites absterrente, Maio fortunæ beneficio liberatus euasit. Comes autem videns id quod gestum erat celari non posse (nam & multi milites cum armis viderant introductos) pro tempore consilium capit, & cum Admirato secretum habẽs colloquium, narrat ei ordine quid sibi acciderit, & quanta sit spe frustratus. Nam hodie, inquit, ad curiam optime venimus præparati, vltimumque vitæ tyrannus diem clausisset, nisi galea Callipolitana, quam applicuisse audiuimus, impedimento nobis fuisset. Admiratus autem frustra eum timuisse respondit. nam Callipolin totam ei iurasse, & vnius secum esse propositi. Eadem die suggestum est ei a pluribus amicorum, quod Comes Gaufridus cum armis curiam eum interfecturus intrauerit. Quibus ille hæc omnia scire se dixit: suo totum id actum consilio. regi timendum fuisse, non sibi. Interea iam incipiente turbari Sicilia, Bartholomęus de Garsiliato cum quibusdam aliis Buteriam occupat, locum vtique munitissimũ, & aduersus quoslibet obsidentium impetus prærupti montis beneficio facile resistentem. Ad quem plures alii confluentes, cœperunt ex agris finitimis prædam agere, loca vicina populari, cum plerisque potentibus viris societatem contrahere. Ea res Maionem ad vltimum fere desperationis compulit, adeo quidem vt inceptum facinus necessario crederet differendum: nec aliter inualescentis mali posse dispendiũ euitari, nisi regi ipsi, dum adhuc ad debellandos hostes vires suppetunt, rem totam aperiat: alioqui totam Siciliam in breui defecturam ad hostes. Quod vbi regi cognitum est, primum negligendo rem distulit, dicens non tanti viros esse momẽti qui perseuerare audeant, vltro ab occupata munitione nuperrime discessuros. Id enim regi consuetudinis erat, vt difficile palatio vellet exire: sed vbi necessitas eum compellebat egredi, quanta prius torpuerat ignauia, tanto deinceps impetu, non tam audacter quam indiscrete ac temere raptabatur, quantislibet se periculis obiecturus. nec quid sibi, quid aduersæ parti virium esset attẽdebat, paran impar hostes adoriretur parum sollicitus. Mox vbi comperit eos qui erãt Buteriæ ab incepto nolle desistere, sed acrius vrgere propositum, Comitem Ebrardum ad eos legatum mittit, vt scisciteturab eis quo consilio, qua mente castellũ suum occupauerint, quid se deinceps acturos existiment. At illi non aliter id se dicturos respondent, quam si Comes eis iureiurando se obliget, vt quicquid ei dixerint, ipse regi seriatim exponat. Præstito deinde quod petierant a Comite sacramento, dicunt se contra regem nihil agere aut egisse, sed eo duci consilio, vt Maionis Admirati, & Hugonis Archiepiscopi proditionem detegant, impediantque propositum: quos aduersus regem certissime nouerant conspirasse, ipsumque Maionẽ ad regnum totis viribus anhelare. vltro se Panhormum ad regios pedes venturos, si

de

de proditoribus ſupplicium ſumptũ audierint. Cum igitur hæc omnia Comes Ebrardus, (vt erat incorruptæ vir fidei) non tam efficaciter quam audacter ad regis pertuliſſet notitiam, rex primum nouitate rei attonitus mirari cœpit, dehinc inhumanũ ratus vt crederet eum ſibi mortem moliri, quẽ tanta ſublimauerat dignitate, quicquid ei Comes dixerat, retulit Admirato, ſubiungens nunquam ſe de illo tale quippiam crediturum. Admiratus exinde Comitem Ebrardũ ſuſpectum habens, atrox in eum odium exercebat, ſed id prudenti diſſimulabat conſilio, donec vltioni tempus congruum inueniret. Interim Comes Gaufredus Buteriam trãsfugit, per aliquot caſtella ſua militum relicto preſidio. Tũc vero Panhormi tumultus ingens exoritur, vbique ciuitatis timor & indignatio, tota plebs aduerſus Maionem fremit ac murmurat: Comitem Simonem iniuſte captum, omnes vnanimi voto depoſcunt. Admiratus autem videns murmur inualeſcere, nec iam facile poſſe compeſci, niſi plebis ſatisfiat deſyderio, perſuadet regi vt Comes Simon extrahatur de carcere. Quo ad iuſſionẽ regis educto, ita ſubito ſtatus ciuitatis immutatus eſt, vt cum eo pax & tranquillitas vrbi reddita videretur. Rex itaque vt in tanto neceſſitatis articulo nullum videt ſupereſſe locum ignauiæ, nec dilationis cauſam idoneam, vix tandem inſtinctu Maionis educit exercitum, Buteriam obſidet. vbi, niſi Comitem Simonem ſecum duxiſſet, non parum fuerat temporis conſumpturus. Cum igitur aliquandiu caſtellum totis viribus oppugnaſſet, oppidani vero nihilominus audacter ei reſiſterent, & ad deditionem eos cogi fere iam impoſſibile videretur, demum hortatu & conſilio Comitis Simonis res eſt in tranſactionem deducta: Comitique Gaufredo, & ſociis eius ab Admirato, Archiepiſcopo, ac pleriſq; Comitibus in animam regis iuratum, quod eos rex incolumes libere ac ſecure & abſque impedimento extra regnum ſuum ire permitteret. Sic oppido recepto, totaque iam quieſcente Sicilia, paucis poſt diebus Meſſanam proficiſcitur, in Apuliã tranſiturus. Eodem tempore Cancellarium ad curiam venientem Comes Simõ inſtigante Maione multis pulſauit criminibus. Qui cum ſingulis audacter ſe diceret reſponſurum, ſuis ei allegationibus vti nõ licuit. nam captum ſubito damnatũq; carcer excepit. vbi etiam poſt aliquot annos diem vitæ clauſit extremum. Rex itaq; Pharum trãſiturus, Comiti Gaufredo, qui parata iam naui, cæteriſque ad trãsfretandum neceſſariis, Meſſanæ morabatur, tranſitum interdici præcepit, & ipſum vſque ad reditum ſuum diligenter obſeruari. Multiplicato dehinc exercitu Brunduſium venit. vbi cum Græcis conflicturus, ad pugnam iubet milites expediri. Græci vero, vbi Comitis Roberti, cuius præſtolabantur aduentum, vident ſe defraudatos auxilio, quod vnicum reſtabat conſilium, fortunam eligunt experiri. Anceps in principio pugna fuit: inde Græci non valentes amplius hoſtiles impetus ſuſtinere, fuſi cæſique ſunt. magna pars eorum cum ducibus ſuis Panhormũ tranſiecti. Ea rex potitus victoria, Barum traducit exercitum, ibique populum eiuſdem vrbis inermem obuium habet, vt ſibi parcatur orantem. At ille caſtelli ſui quod a Barenſibus dirutum erat ruinas aſpiciens, Iuſto, inquit, vobiſcum agam iudicio: & quia domui meæ parcere noluiſtis, certe nec ego veſtris ſum domibus parciturus. vos tamen oẽs libere cum rebus veſtris abire permittam. Dantur ergo eis duorum dierũ inducię: vt interim exeuntes omnia ſua ſecum aſportent. Quod vbi factum eſt, muris primum æquatis ſolo, totius inſecutum eſt excidium ciuitatis. Ita præpotens Apuliæ ciuitas, fama celebris, opibus pollens, nobiliſſimis ſuperba ciuibus, ædificiorum ſtructura mirabilis, iacet nunc in aceruos lapidum transformata. Huius rei fama Comitem Robertum alioſque qui rebelles extiterant, valde perterruit: præſertim cum viderent de totius Apuliæ ciuitatibus ad regem omnes confluere. Nec iam facile tantis erat viribus reſiſtendum: omnemque ſpem veniæ crudelitas regis excluſerat. Relictis ergo caſtellis, oppidis, vrbibuſq; quas poſſederãt, multi regni terminos exierunt. Plerique cum Comite Roberto in terram Aprucii transfugerunt. Robertus Surrentinus Capuæ princeps cum nihil ſibi fuga tutius comperiſſet, per terram Comitis Richardi de Aquila ſecure tranſiens, in tranſitu fluminis ab eodem capi iuſſus, regique traditus eſt. Quem Admiratus Panhormi nõ multo poſt in vincula coniectum, oculis fecit priuari. Eo facto Comes Richardus

dus cum regem antea plurimum offendisset, gratiam eius promeruit: sed nec infamię notam penitus euitauit. Nam a multis crimini datum accepi, quod idem dominum suum summæ nobilitatis ac mansuetudinis virum, cui sacramentũ quoque fidelitatis præstiterat, turpiter prodidisset. Rex autem Græcis deuictis, fugatoque Comite Roberto, reliquos hostes suos persequens, cum omnes ante faciem eius fugitarent, totius Apuliæ ac Terræ laboris tumultum compescuit. ac demum prospere gestis omnibus Pharum transiẽs Panhormum rediit. Interea Comes Gaufredus, cui Phari transitus interdictus fuerat, suadente Maione priuatus oculis, carceri datur. Comes Simõ qui Polycastri remanserat, ob idem accersitur ad curiam, vt quam primum venerit capiatur. Sed in ipso procinctu itineris felici morte præuentus est. Præterea Comes Gulielmus Alesinus, & Comes Boamundus Tarsensis, cum pluribus aliis Panhormi iam in vinculis tenebantur: inter quos erat & Robertus Bouensis Comitis Ebrardi, vt ferebatur, auunculus, vir quidem armis strenuus, sed parum habens fidei, quem Francorum rex ob proditionem quam ibidem perpetrauerat, ad tempus iusserat exulare. Filii quoque Ducis Rogerii, Tancredus & Gulielmus nobilissima matre geniti, ad quam Dux ipse consuetudinem habuerat, intra palatii septa seruabantur inclusi. Nec dum tamen Maionis quiescit animus, aut nefandum cessat propositum, cum tot præclaris ac nobilibus viris carceres pleniores aspiciat, quorum aliis oculos fecerat effodi, alios cædi fustibus, quosdã in teterrimis locis cum serpentibus habitare. Vxores quoque ac filias eorum e domibus suis abstractas diuersis clauserat in locis: aliasque suæ deseruire libidini, alias inopia cogente vænalem passim formam compulerat exhibere. His omnibus proditoris rabies expleri non potest: nihil actum putat, quia Comitem Ebrardum superesse videt incolumem. Sed neque satis scit quid tanto viro criminis possit intendere, cuius fides omnibus euidenter apparet. Iam tunc ergo omnia Comitis facta dictaque subtiliter explorat, vt detrahendi causam inueniat. Cũ ergo quadam die Comes cum paucis venatum exisset, Admiratus ilico Regem adit, nunciatque Comitem Ebrardum absque licentia curiæ cum multitudine militum recessisse: rebellandi hoc esse satis euidens argumentum: eum, si quidem abire libere possit, multos eiusdem propositi socios habiturum. suadetq; missis absque dilatione nunciis Comitem ex itinere reuocari. Comes autem regis mandatum audiens, omissa venatione redit Panhormum, subitoque vocatus ad curiam, ibidẽ retentus est & in vincula coniectus. Cui primum effossis oculis, non multo post Admiratus linguã quoque fecit abscindi. Iamque viris fortibus quoscunque sibi timendos Admiratus putauerat, aut captis, aut in exilium compulsis, totius regni tumultus quieuerat. Videns autem Maio superesse iam neminem, qui suæ possit vel audeat contradicere voluntati, ad perpetrandum quod necessitate cogente distulerat, facilius rursus accingitur. Sed ita facillime sperat id posse fieri, si populi prius amorem sibi conciliet, si propinquis & affinibus suis maximas regni conferat dignitates, quorum auersus nobilitatis superbiam sese tueatur auxilio. Simonem ergo Seneschalcũ maritum sororis suæ toti Apuliæ ac Terræ laboris magistrum capitaneum præficiens, Stephanum quoque fratrem suum stolii constituit Admiratum. Ipse interim indigentibus multa largiri, omnibus præbere se facilem, legatos vndecunque venientes plurimum honorare in animum induxerat. Strenuos bello milites Longobardos ac Transmontanos indifferenter plurimis sibi largitionibus alliciens, clericos quoque magnis sæpe promouebat honoribus, prout cuiusque dignitas exigebat. Ita modis omnibus sollicitus erat, vt nihil omitteret quod ad alliciendum plebis animos vtile videretur. Dum hæc in regis perniciem præmoliens Admiratus callide suum occultaret propositum, regnum aliquãdiu visum est quieuisse, nisi quod Comes Robertus Terram Aprucii, vicinasque partes Apuliæ crebris adeo fatigabat incursibus, vt in Apulia necessario teneretur exercitus, vbi variis est sæpe pugnatum euentibus. Richardus de Mandra Comitis Roberti Comestabulus, interim cum episcopo Tetino captus est, & Panormum deductus. Per idem tempus cum Imperatore Græcorum fœdus initum est, paxque firmata. Græci Constantinopolin dimissi, qui post Brunduſinum bellum in vinculis tenebantur. Iam itaque omnem

omnem rei difficultatem Maio superauerat: iam ad id peruenerat potestatis, vt nõ tam Admirati quã regis videretur prẽditus dignitate. Iam regis ipsius aperte prẽdicabat insanias: iam stultitiam eius publice deridebat: & siquid tyrannicum aut inhumanum rex eo suadente præceperat, velut innocenti cuipiam oculos erui, linguam abscindi, vel aliquid talium perpetrari, ipse sua postmodũ auctoritate prohibebat id fieri, dicens non omnia quæ tyrannus inconsulte aut delirando iusserit, statim effici oportere, alioqui innocentium vitam periclitari sæpissime. Nam ad hoc nitebatur vt in regem plebis exasperaret animos, & omniũ ei conflaret inuidiam. Eam plerique causam fuisse existimant, vt idem Africam a Sarracenis capi permitteret. Cum enim in partes Hispaniæ misso stolio, Masmudorum rex potentissimus Africam obsedisset, idque nunciatum esset in Sicilia, placuit ad auxilium Africæ stolium reuocari: cui tunc præerat Gaitus Petrus eunuchus: isque, sicut & omnes eunuchi palatii, nomine tantum habituque Christianus erat, animo Sarracenus. Erant autem galeæ circiter CLX. Quæ cum ex Hispania redeuntes e stationibus Masmudorum possent iam conspici, cœperunt milites qui Africæ erant, resumptis animis clamorem tollere, insultare hostibus, & venientes galeas ostendere. Cõtra vero Masmudorum rex inopinato galearum aduentu perterritus, intra castra cogebat exercitum, qui tamen præ sui magnitudine regi vix poterat. At vbi iam terræ stolium propinquabat, ingens in vrbe cum lætitia militum clamor exoritur: & si quidem (vt arbitrabantur) stolium ex vno latere, ipsi apertis portis ex alio in hostes irruerent, ea die victus fususque Barbarorũ cessisset exercitus. Sed secus actum est. nam Gaitus Petrus magister stolii totum id præuidens, cum iam pleriq; vela deducerẽt, vltro mirantibus cunctis in fugam conuersus, carbasa ventis exposuit. Cæteræ quoque galeæ fugientem ducem, prout quæque poterat, sequebãtur. Barbari vero, quos proditoris dolus non latuit, LX. galeas armantes, quas ad terrã metu stolii prius eduxerãt, persecuti sunt ilico fugientes. Septem galeæ captæ sunt a Masmudis: reliquæ turpiter misereque regesta in Siciliam peruenerunt. Ea res & Barbarorum animos plurimum extulit, & obsessis desperationem incussit. Nam & pauci quidem, sed inuicti bello, milites erant, & cibi premebantur inopia: quicquid tamen in tanta rerum angustia virtus poterat, effecerunt. Nec enim solũ tantæ multitudinis creberrimos impetus viriliter sustinebant, sed & singulis fere diebus egressi, Barbarorum proturbabant exercitum, non nisi post multam stragem hostium reuertentes. Rex itaque Masmudorum consumptis omnibus quę ad obtinendam vrbem sibi crediderat expedire, iam obsessorum militum audaciam cõsyderabat attonitus, eorumque virtutem & constantiam mirabatur, & nullis vrbẽ iam sperabat posse viribus expugnari, vltroque, nisi famis intolerantiam perfugarum indicio cognouisset, ab obsidione amoturus erat exercitum. Sed vbi contra cõsuetudinem humanam nec equis iam parci, nec a canibus aliisque immundis animalibus abstineri cognouit, cœpit milites ad deditionem hortari, dicens, frustra suam eos indigentiam occultare: quæ patiebantur, sibi non esse incognita. e Sicilia nihil venturum auxilii. nam se literas eunuchorum palatii nuperrime recepisse, quibus rei veritatem plene didicerat: denique nihil spei reliquum esse, vt euasuros se putent, sed eorum virtuti velle se parcere, & si quidem regis Siciliæ tyrannidem metuentes secum morari maluerint, largissima eis, quotquot fuerint, stipendia se daturum: sin autem in Siciliam redire præelegerint, datis quæ sufficiant nauibus liberum eis transitum permittendum. At illi super hoc habentes consilium, paucorum dierum inducias petiere, vt missis in Siciliam legatis postularent auxilium: quo non impetrato, tum demum conditioni starent propositæ. nec idipsum eis negatum est. Sed cum eorum nuncii Panhormum venientes vrbis suæ periculum & famem exponerent, omnia iam se passos quæcunq; summa necessitas indixisset, peterentque frumentum saltem eo transmitti: nihil tamen multis persuasionibus effecerunt. Nam Admiratus falso regi suggesserat, frumentum Africæ quod per totum annum sufficeret, se iubẽte fuisse repositum: foris aũt publice prædicabat in ea regem esse sententia, vt diceret si caperetur Africa, nihil se damni passurum: eamq; ciuitatẽ plus oneris sibi esse quam honori, cũ in stipendiis militũ, aliisq;

ad vrbis tuitionem neceſſariis maximos quidē ſumptus faceret, vnde nihil vnquā emolumēti ſperaret. Hoc aūt ab Admirato, ſicut dictum eſt, eo fiebat animo, vt inſani capitis eſſe regem oſtenderet: qui nobiliſſimæ ciuitatis amiſſione regnū ſuum mutilari iacturam non duceret, cū eidem poſſet facillime ſubueniri: nec animaduerteret rei turpitudinem, aut quod inde Siciliæ periculum immineret. Igitur vbi Africæ cognitum eſt legatos eluſos eſſe, cum iam nihil ſperarent auxilii, ſed neque fames vltra poterat ſuſtineri, prius oblatæ cōditioni ſtari placuit: ac tum demum Maſmudis vrbe tradita, acceptiſq; nauib. quæ ad transfretandū ſufficerent in Siciliā tranſierūt. At vero Maionis propoſitū amplius tegi nō poterat, aut diutius occultari: nec erat dubium quin regnandi libidine traheretur: nemo tamen tā impiæ machinationis index erat, nemo tam apertam proditionē audebat regi detegere. Sciebant enim oēs id eum minime crediturū, memores quid inde Comiti Ebrardo, aliiſque quam plurimis contigiſſet. Præelegerant ergo ſilere quam ſubire periculum, attonitiq; rei exitum expectabāt. Iamq; totā fere Siciliā varii ſuper hoc diſſoniq; rumores impleuerant: paſſimq; vulgatū erat Admiratū diademata quędam aliaq; regis inſignia quæ ſibi præparauerat, multis familiaribus ſuis oſtendiſſe: nec deerant qui reginam hæc ei de palatio dicerent tranſmiſiſſe. Nam & eius conſenſu totum hoc fieri, eamque Maioni putabant inhoneſti contractu fœderis obligatā. Pleriſq; falſo videbatur id dici. Alii quoq; nihilominus aſſerebant notarium Matthæum Maionis familiarem Alexandro papæ qui tunc Romanæ præſidebat eccleſiæ, multam pecuniam detuliſſe: idque conſilio & ope Iohannis Neapolitani (qui vnus erat cardinalium) impetraſſe vt amoto rege Siciliæ, Admiratus in eius locum ſuccederet, ad exemplum cuiuſdam regis Francorum cui depoſito, eo quod inutilis videretur, Romanus pontifex Pipinū Caroli patrem ſubſtituit. Hæc & huiuſmodi plurima totus iam triuiatim populus loquebatur. Quidam in ipſo palatio regem gladio feriendum, multi claudendum in monaſterio prædicebant. Erant & qui in aliquam inſularum crederent deportandum. Hæc eadem in Apulia iam diuulgata erant, omniumque mentes aduerſus Maionem indignitas rei commouerat. Melfenſes igitur qui primis ſemper conſueuerant rumoribus excitari, decernunt in primis, vt nulli deinceps Maionis mandato pareant, nec in vrbe ſua quemlibet eorum recipiant quos Apuliæ capitaneos idem præfecerat. Comites etiam aliiq; viri nobiles, quibus præcipue Maionis erat ſuſpecta potentia, conſilio ſuper hoc habito ſibi inuicem iurauere, quod Maionis mortem totis viribus totoq; ſtudio perquirerēt, neq; parerent deinceps curiæ, aut ab ea ſocietate diſcederent: niſi prius illum aut interfectum eſſe cognoſcerent, aut extra regnum fugiſſe. idemq; iuſiurandum propoſuerant per totum regnum vel a ſpontaneis accipere, vel ab inuitis nihilominus extorquere. Iamq; multæ ciuitates oppidaq; quamplurima eorū ſe ſocietati coniunxerant. Circuibant ergo totam Apuliam ac Terram laboris cū ingenti militum multitudine, vt vniuerſos ſibi iurare compellerent. Erant autem in ea ſocietate Comes Ionathas, Comes Richardus de Aquila, Comes Rogerius Acerranus, aliiq; Comites ac potentes viri: cum quibus erat & Comes Gilbertus conſanguineus reginæ, cui rex nuper ex Hiſpania vocato Grauinæ dederat comitatum. Marius quoque Burrellus vir eloquentiſſimus Salerni habita oratione ad populum, ſatis efficaciter perorauit, maximæque parti ciuium perſuaſit vt Comites reciperent, in eumque modum quo & ipſi iurauerant ſacramentum eis præſtarent. Per idem tempus Andreas de Rupe canina, qui tunc in Campaniæ partibus exulabat, vidēs tanto ſchiſmate regnū diſtrahi, congregatis militib. Aquinū cepit, oppidoq; ſancti Germani (quod Caſſino mōti ſubiacet) occupato, dehinc Aliphias vſq; pertranſiit. Sed paulo poſt ab eiſdē ciuib. qui eū ſponte receperant circūuentus, cū paucis militū ſuorū vix euaſit, tutiuſq; potuerat vrbes hoſtiū expugnare, quā expugnatas deſerere. Interim dū in hunc modū Apulia turbaretur, adhuc Sicilia quieſcebat, nec vllis agitabatur tumultibus. Licet enim vtraq; gēs infida, mobilis, ꝓnaq; ſit ad quodlibet facinus perpetrandū, Siculi tamē cautius diſſimulando celāt propoſitū, & quos oderūt blandis adulationib. demulcēt, vt improuiſi lædāt atrocius. Sed nec in Sicilia quenquā Admiratus reliquerat cui ad audendū animus ſuppereſſet.

pereſſet. Nam Comes Sylueſter hominum timidiſſimus, quanquam Apulorũ cõ-
ſilium approbaret, quibus etiam ſeſe modis omnibus ſpoponderat futurum auxi-
lio, ſuam tamen nullis audebat indiciis detegere voluntatem. Comes etiam Roge-
rius Creonenſis, cuius filiam Maio virginitate priuauerat, iniuriam ſuam patienter
diſſimulans, vindictam Apulis reſeruabat. Admiratus vbi contra ſpem ſuam ani-
maduertit Comitum vires in immenſum excreſcere, primum Amalfiam, Surren-
tum, Neapolim, maritimas ciuitates quæ nondum defecerant: dehinc ex altero
mari, Tarentum, Hydruntum, Brundufium, Barolum, literas ex parte regis trãſmi-
ſit admonens vt nullis mouerentur rumoribus, neq; falſis Comitum vaniſque ſer-
monibus crederent, aut ſe proditorum turbæ miſcerent. (Sed eo res deuenerat, vt
regis literas nemo ſuſciperet. dicebatur enim per manus proditoris eas fieri, neque
regis in eiſdem, ſed Maionis exprimi voluntatem) Stephanum quoque fratrem
ſuum, qui militibus in Apulia præerat, vt Comitis Roberti crebros impetus ſuſtine-
ret, ſæpius admonens hortabatur, vt amplioribus ſtipendiis militum ſibi mẽtes al-
liceret, eoſque tam muneribus quam promiſſis ad reſiſtendum Comitibus inuita-
ret. nam Simonem ſeneſchalcum in quoddam munitiſſimum oppidum ſe rece-
ptare Comitum timor compulerat. Placuit etiam Maioni Mazarienſem epiſcopũ
Melphiam mitti legatum, vt ciuium animos mitigaret, & eorum indignationem
compeſceret. At ille non ſolum ab incepto Melfenſes reuocare non ſtuduit, verũ
etiam amplius eorum mentes exaſperans, plura de proditione Maionis & atrocio-
ra quam audiſſent eis narrauit. Sed & Calabria iam ingruentibus Apuliæ procellis
quati cœperat, cuius antea fides difficillime conſueuerat vacillare. Ea res Admira-
to plurimum terroris attulit, viſumque eſt mature talem eo mitti oportere legatũ,
cuius facile perſuaſionibus fides habeatur a Calabris. Huic aũt legationi neminem
magis quã Matthæum Bonellum putabat poſſe ſufficere. Nam & genere nobiliſſi-
mus integræq; apud oẽs opinionis erat, & eũ pleriq; nobiles viri Calabriæ propin-
quitatis linea contingebant. ſed & eum Admiratus non aliter quam filium dilige-
bat. Videns enim eundem adhuc ætate iuuenem, vt qui prima lanugine genas ve-
ſtiret, ſumme nobilẽ, forma pulcherrimũ, corporis præſtantẽ viribus, vltra quã id
ætatis exigeret, optimam quoq; terram in Sicilia poſſidentem: filiam ſuam adhuc
paruulam illi deſponderat. Idem vero militibus multa largiens, omnibuſq; ſe præ-
bens affabilem, & in equeſtribus ludis (quæ vocant haſtiludia) nemini poſthaben-
dus, militum ſibi gratiam magnumq; nomen pepererat. Cæterũ inconſtans erat a-
nimo, facilis a propoſito reſilire: quod perſuaſum eſſet, audax promittere: vbi ad rẽ
ventum erat, tepidior. Is autem cuiuſdam filiæ regis Rogerii ſpuriæ, quæ Hugonis
Comitis Moliſini vxor fuerat, forma captus, deſpõſatæ ſibi puellulæ, eo quod igno-
bilis eſſet, cœperat nuptias abhorrere. Sed & hoc moleſtiſſime ferebat, quod Ad-
miratus re cognita palatium eiuſdẽ Comitiſſæ diligentius cuſtodiri præceperat,
vtriuſque votum impediens. Cum igitur legatione ſuſcepta Pharum tranſiſſet, &
quibuſdam potentibus viris Calabriæ qui ad loquendum ei cõuenerant, aduentus
ſui cauſam exponeret, Maionis innocentiam modis omnib. aſſeuerans, Rogerius
de Marturano, qui tunc in Calabria magni nominis erat, omnium qui aderant vi-
ce reſpondit, ſatis ſuperq; ſe mirari quo conſilio ad id temeritatis deuolui potuerit,
vt nefandiſſimi proditoris mandatũ exequens, contra omniũ opinionẽ eum oſtẽ-
dere velit innoxium, adeoq; cauſam Admirati tuendã ſuſceperit, vt eiuſdẽ conſpi-
rationis non immerito particeps æſtimetur. Nam alios (inquit) Maionis delira-
mẽta ſectari, eiuſq; negociis ac ſceleribus immiſceri æquiore tulerim animo, nec tanta
dignũ admiratione crediderim. Quoſdã enim tenue patrimonium & rei familia-
ris anguſtia cogit honeſtatẽ negligere, dum ſuã quolibet pacto tolerabilem faci-
ant ante geſtatem. Alios obſcuritas generis altum aliquid ſperare non ſinit, eoq; miſe-
riæ traducit, vt potentioribus adulando deſeruiant, ſummã beatitudinem æſtimã-
tes, ſi poſſint vel nobilium pedibus inhærere, eoque pacto quibuslibet ſe non ve-
reantur obiectare periculis, nec vllius reatum ſceleris pertimeſcant. Differunt itẽ
ab his, ſed non diſpari laborant inſania, qui cum ignobiles ſint, nullaq; genus virtu-
te redimant, ſublimia tamen ſperare præſumunt, potentiũ virorũ patrocinia multis

ementes periculis, vt abiecti generis possint ignominiã diffiteri. Pleriq; nobiles criminosis actionibus bonam famam demeriti, fas & nefas æqua lance trutinant, nihil se deinceps sperantes acturos, quo possint semel inflictam notam infamiæ propulsare. Nonnulli quoque de proditorum semine procreati, patrum eligunt sequi vestigia. Eiusmodi quidem homines haud indigne ferendum est Maionis parere mandatis, eiusque limina frequentare. Te vero summæ nobilitatis & integerrimæ famæ iuuenem, amplissimis ditem patrimoniis, nulla permittit ratio lucris turpibus inhiare. Præ oculis habe qui te parentes genuerint, & omnem tibi delinquẽdi viã obstructam intelliges, aspernandique sceleris necessitatem indictam. Certe si neminem videres proditoris huius obuiare sceleribus, tu saltem nobilitatis, quam idẽ atrocissime persequitur, vindex esse debuerãs. Nunc autem cum omnes aduersus eum vnanimiter moueantur, tu solus eundem prædicas innocentem? Cuius dum asseris innocentiam, suspectum te facis: verendumque tibi ne famæ dispẽdium ac læsionem incurras. Quis enim eo putandus nocentior, qui bonorum omniũ sanguinem sitit, qui nemini nocet nisi quem innocentem cognouerit: qui demum ei fraudulenter quærit regnum subripere, per quem in hanc eminentiam potestatis euasit? Tu consilium hoc innocentiam vocas, tu propositum hoc approbas, tu regem occidi consenties, aut honore priuari, cũ ei sacramento fis fidelitatis astrictus, aut eo deposito notarium hunc regem fieri dudum olei venditorem? At eo regnãte secundus eris a rege, summis fulgebis honoribus, optio tibi dabitur quem velis Comitatum eligere. Sic tibi iam nisi fallor de futura prosperitate blandiris. O perditissimi virum ingenii. puta iam regem depositum. Quid ergo? Maionẽ regnaturũ existimas? Eadem certe die qua regnum occupauerit, cum omnibus his qui eius familiaritati adhæserint, etsi ferrum nusquam compareat, saltem lapidibus obruetur. Adde quod vnus es in Sicilia cui virtutis aliquid vendicetur. te solum omnes respiciunt. Quicquid egeris, obscurum esse non potest. Elige virtutem tuam malis, an scelera publicari. Pudeat te quidem omniũ expectationẽ deludere: pudeat inter primæ iuuentutis auspicia malarum artium rudimenta suscipere. Aspernare socerum, cuius affinitatis contagio tua sit nobilitas polluenda. Respue si sapis vxorem liberos tibi parituram degeneres, prolemque generis biformitate patri dissimilem. Adquiesce tandem amicorum consiliis, & ad communem omnium vindictam accingere, teque pariter & id nobilitatis quod supereſt, in libertatem vindica, nec patere truculentissimam hanc beluam in nostram pernicie diutius debacchari. Experiatur certe virtuti, licet innumeris eã persecutionibus oppressam atriuerit, ad vindictam tamen scelerum audaciam & vltores gladios nõ deesse. Regis quidem ipsius incolumitas, regnique salus ac libertas in manibus tuis est. Nam cæteris omnibus huius tam præclari facinoris impotentia condemnatis, tantæ laudis cumulũ fortunę tibi benignitas reseruauit. Nec ad id cuiuslibet procrastinationis dilatio necessaria est, aut temporis opportunitas expectanda. Adeo enim suis fraudibus ac dolis circumuentum existimat, vt neminem alium putet iam familiarius admittendum. Siue igitur eidem armatus, siue inermis, solus, an militum multitudine stipatus occurras, nihil ex hoc ei timoris, nihil suspicionis innascitur. Vnde & eũ secure potes vbicunq; libuerit obtruncare. Quo semel occiso, nihil tibi vrendum est, ne quempiam ad vindictam sui superstitem derelinquat. Age ergo iuuenis enitere vt gradum hunc felicitatis attingas. quo te virtus vocat sequaris intrepidus, nec poscenti fortunæ tuum deneges obsequium. Quod si te facturum non dubia nobis pactione spoponderis, præter eam quam inde consequeris immortalem gloriam, non deerit etiam mutua grataque meriti compensatio. Nam id modis omnib. perquiremus & impetrabimus, vt Comitissa Catacensis matrimonii tibi fœdere coniũgatur, & omni dubietatis sublato scrupulo, huius te pactionis reddemus certissimum, seu iurisiurandi religione malueris esse contentus, seu quolibet alio satisdationis genere tibi prospiciendum esse putauerimus. Quantum autem eadem Comitissa nobilitate tibi præemineat, quam potentium virorum nuptias recusauerit, non attinet dicere, cum nihil horum tibi putem incognitum. Hæc eo dicente, cœperat iam animus iuuenilis, vt facile mouebatur amore laudis,

laudis, accendi, ipsiusque Maionis detestari scelera, iamque eius affinitatem plurimum abhorrebat: quadam tamen adhuc velut hæsitatione suspensus. Mox autem dum paulisper secum deliberans, hinc desponsæ sibi virginis genus obscurum, patris eius infamiam, & quod ei periculum imminebat, inde pactas sibi Comitissæ nuptias animo metiretur, puduit eum super hoc hæsitasse, cœpitque in eodē proposito plenius roborari. Nec diutius moratus, Rogerio de Marturano aliisque qui aderant nobilibus viris respondit ea se quæ persuaderent cōfidenter ausurum, plenaque peracturum fiducia, si pactioni starent propositæ. Sic vbi visum est vtrique parti nihil eorum penitus quæ promiserant immutare, ipsaque etiam postmodum Comitissa, necnon & eius propinquis prędictum fœdus matrimonii ratum habentibus: vtrinque præstito sacramento pactum ipsum mutuo roboratur, mortiq; Maionis terminus certus præfigitur. Additque etiam Matthæus Bonellus, si temporis interim occurrat opportunitas, nequaquam id sibi esse animi vt præfixam diem expectet: nec per se staturum quin illud quam mature possit perficiat. Nec minus alibi quoque fortunam tantis Admirati fatigatam successibus, iam ab eius obsequio desciuisse perciperes. Cum enim instaret iam dies quem interficiendo regi idem prouiderat, placuit ei cum Archiepiscopo secretum habere colloquium. Cumque de rege maturius amouendo, de sedandis populi motibus, regnique statu mox futuro deliberantes inuicem disceptarent, suborta est inde controuersia de thesauris, ipsiusque regis filiis, vtrius deberēt custodiæ committi. Dicebat enim Admiratus puerorum tutelam ac thesauros, totumque palatium sibi debere cōmitti, quoniam oporteret regni negociis insudare, maximeque thesauros necessarios esse ad tumultus rebellantium comprimendos, & arcendos exterorum incursus hostium: nec sine magnis sumptibus emersuras dissensiones & intestina bella posse cōpesci. Archiepiscopus autem aiebat id se nunquam passurum: nam ex ea puerorum tutela plurimum posse suspicionis innasci, maximeque roborari præcedentem plebis opinionem: tunc omnes fore certissimos nihil illum aliud quam regnum appetere: tunc aduersus eum modis omnibus asperandos. Suspectum enim tutorem pueris dari nec iura permittere, & si datus sit, remouendum censere. Sanius autem esse consilium, vt archiepiscopis, episcopis, aliisque venerabilibus & religiosis personis, de quibus nulla posset haberi suspicio, puerorum ac thesaurorum custodia crederetur. Nam & reditus totius regni sumptibus faciendis suppetere: & si necessitas exigeret, ab ipsis eum thesaurorum custodibus quantum sufficeret acceptūrū. Sic igitur alternis disceptationibus ea controuersia diutius protracta, cum Archiepiscopus a prædicta non posset auelli sententia, eademque Maioni penitus displiceret: (quippe quam suis nouerat machinationibus obuiare) tandem iratus subintulit non ita se de Archiepiscopo meruisse, vt suo debuerit aduersari proposito: sed nunc compensationem sibi mutuam reponi, quod eum sola gratia socium & consilii participem asciuisset, cum eius non indigeret auxilio, & eo quidem ignaro, aut etiam reluctante, facile posset quod proposuerat adimplere. Verum hanc ad præsens nihil obfuisse discordiam: nec enim esse iam dubium quid in tali socio spei sibi debeat reseruare. Præterea iam se pœnitere propositi, animumque suum ab incepto penitus auertisse, nec vnquam deinceps tale quidpiā admissurum. Tūc Archiepiscopus, licet hæc eum ex animo dixisse non crederet, optimum quidem ait & satis approbandum consilium: nam & me quoque facti deterret atrocitas, nec absque salutis & famæ nostræ periculo posset hoc fieri. In hunc modum contracto dudum societatis fœdere dissoluto, Maio discessit, totis iam se nisibus præparans vltioni. Ac primo quidem erga socium ita regis animum spe lucri (vt erat cupidissimus) irritauit, vt septingentas ab eo auri vncias extorqueret. At ille quanquam eiusmodi iactura satis efficaciter ad doloris eum impatientiam permouisset, pudore tamen & indignitate rei vehementius exæstuās, totum ad eius rei vindictam ingenium transtulit. Cumque prius tanto pacis ac dilectionis fœdere tenerentur astricti, vt se fratres inuicem appellarent, nunc hostes atrocissimi, sed occulti, in exitium suum plenis operabantur affectibus, non iam fortunas alter alterius petituri, sed vitæ dispendio, pœnæque capitis imminentes. Admiratus enim pestifera

veneni potione meditabatur illum extinguere, ad idque locum ac tempus præstolabatur idoneum. At ille detestabile Maionis facinus tam per se quam per familiares suos multis detegens, ad vindictam eos tanti sceleris hortabatur, & iam conceptã de se suspicionem remouens, aduersus illũ plebis animos irritabat, multos etiã milites ac nobiles viros plurimis sibi persuasionibus alliciens. Sub ea tempestate Nicolaus Logothetus, qui tunc in Calabriæ partib. iussu curiæ morabatur, Maioni scripsit epistolam, vbi quicquid a Matthæo Bonello gestum fuerat, pactaq; inter eum & Comitissam Catacensem habita, prout relatu didicerat amicorum, breuiter enarrauit. Ea res primo dubiam viri mentem longa deliberatione suspenderat, nec dũ fide dignum censebat eũ suis refragari cõsiliis, quẽ summa promotũ diligẽtia tanquam filium educarat. At vbi multis id asserentibus pleniorem fidem adhibuit, iã de vindicta secum deliberans, ad id operam dabat, ne factũ hoc impunitas sequeretur. Matthæus autem Bonellus ita re gesta, reuersus in Siciliam iam Thermas peruenerat, quod oppidum ab vrbe Panhormo xx. milibus distat. Ibi quendã militem suum obuium habens, quem in Calabriam profecturus Panhormi reliquerat, mentem ac propositum Maionis eiusdem persensit indicio, quodque iam sibi venturo carcerem præpararet. Et quanquã Admirati literis crebrius citaretur, nec longam temporis angustia deliberationem admitteret, prudenti tamen consilio statuit non prius Thermis abscedere, quam missis nunciis animum illius præleniat. Literis ergo Maioni directis narrat opera sua sedatos esse Calabriæ tumultus: Calabros omnes de inimicis amicissimos ei factos, & ad peragendum quicquid iniunxerit expeditos, nihilque iam aliud quam eius imperia præstolari. Additque suam ipsius fidem hac in re maxime satis abundeque spectatam, qui tanto studio tantaque sollicitudine negocia gesserit Admirati, licet semper eius nihilominus voluntati diligentissime fuerit obsecutus, suæ per omnia iussioni deseruiẽs, ea spe quidẽ ac fiducia, vt quem suis videret insudare negociis, eum ampliori beneuolentia crederet amplectendum, pactasq; sibi filiæ nuptias non differret. verũ hoc in contrarium cessisse. Nam pro gratia potius ingratitudinem compensationis vice sibi repositam, iamque se longa promissionis expectatione suspensum diutius cruciari, suoque fraudari desyderio. Nũc id se rogare, id plenitudine votorum exposcere, ac per si quid de eo bene meruerat obtestari, vt qui timorem eius in gaudium commutasset, qui timendum ac triste belli principium ad lætos exitus perduxisset, eum redeuntem promissi coniugii lætitia muneraret. Has igitur literas Admiratus inspiciens familiaribus suis eas ostendit, illisque præcipue qui aduersus Matthæũ Bonellum eius indignationem cõmouerant, dicens palam esse nunc eorum falsitatem, quę sibi dicta fuerant: iniquum esse tanti criminis eum argui, qui filiæ suæ nuptias tanta prece tantisque votis expetereret, nec se deinceps creditutũ si quis de eo mali quippiã sibi suggesserit. Dehinc illi quã maxima celeritate rescribit, vti securus veniat, & conceptam deponat sollicitudinẽ: suo quamprimũ venerit satisfactum iri desyderio, eumq; nuptias quas tam affectuose postulauerit, adepturum. At ille visis eiusmodi literis, tanquã ea nuptiarũ promissione lenitus, læta fronte Panhormum ingreditur: ibiq; ab Admirato benigne & cum honore susceptus, gratias ei agit, rogatque vt promissionem suã celeri prosequatur effectu. Hinc Archiepiscopum febribus laborantem secretius adit, eique quod gestum fuerat totum expediens, ab eodem plurimum admonetur, vt omnibus modis acceleret, & dilationis impedimentum omne submoueat: rem enim tantam non sine periculo iam differri. Interim ergo Matthæus Bonellus perpetrando facinori tempus idoneum sollicite perquirebat. sed & huic eius sollicitudini fortuna non defuit, quę quasi pœnitentia ducta, quod virum ignobilẽ tantis horrendũ flagitiis in summo fere rerum culmine collocasset, iam ei præcipitium minabatur, & volubilis circuli supereminentiam sensim detrudens ad infima, circunductis anfractibus rotam cœperat obliquare. Cum enim iam Admiratus ipsi Archiepiscopo per manum cuiusdam familiaris sui, quem donis ac promissis allexerat, venenum propinari fecisset, mirabatur eũ tardius mori, diuque languere: & curis ingentibus angebatur, timens ne forte posset pristinæ sanitati restitui. Idque ex impotentia veneni præuidens

dens accidisse, præparat aliud multo vehementius ad nocendum & amplioris malitiæ. Quod secum deferens die quadam circa horam vndecimam, Archiepiscopũ inuisit, eiq; assidens primo de valetudine eius interrogat: inde subiungit, eum facile, si consilio amicorum crediderit, euasurum: rogatq; vt facilem & expertissimam ad hoc genus ægritudinis medicinam accipiat, quam ipse in præsentia sua diligentissime fecerat præparari. Ad hæc Archiepiscopus tantum se iurat pati fastidium, tanta membrorum debilitate vexari, vt neq; sine magno periculo corpus ita debile possit amplius inaniri, & ipse quamlibet medicinam solo visu abhorreat, sed & cum summa difficultate cibos accipiat. At Maio ne videretur importune instare, eoque ipso suspectus fieret, præparatam iubet potionem in diem aliam reseruari: dehinc illi familiarius assidet, & blande super hoc eum redarguens, hortatur ne cõsilium amicorum tam negligenter audiat, neque suæ semper obtemperet voluntati, cum sciat eam esse legem ægritudinis, vt animus nociua frequentius appetens, ea quæ prosunt nihilominus aspernetur: vim sibi, si sanari desyderet, aliquoties faciendam: seque de illius vt propria salute, iurat perinde esse sollicitum. nam si quidem eum mori contigerit, nescire se quid deinceps sit acturus, quo se vertat, quam expetat societatem, cuius fidei se committat. nihil enim in alio quoquã spei aut fiduciæ sibi repositum. At ille gratias ei referens, impotentiam suam excusat, fidemque laudat amicitiæ. Ad singula prolixius respondendo, aliisque insuper de rebus verba multiplicans, mittit ilico qui Matthæo Bonello dicat, vt, si quidem vir est, nunc acceleret, & ad peragendum quod promisit viriliter accingatur, milites suos occulte faciat armari, armatos congruis ipse disponat in locis: interim se Maionẽ variis sermonum ambagibus detenturum. Matthæus ergo Bonellus, prout ei imperatum fuerat, in secretiore domus parte militibus conuocatis, rem eis totam exponit, pauciſque admonet vt audaci fortique sint animo, sine metu, sine periculo facillime posse rem fieri. Siue enim nesciens hoc sibi periculum imminere securus exierit, non esse dubium quin omnis ei fugiendi aditus obstruatur: siue re cognita timens exire, aliud quicquam machinari voluerit, itidem eum in ipsis ædibus nihilo segnius obtruncandum, nec ei deliberandi spacium indultum iri. Nec vero longis erant persuasionibus onerandi, quos ad id perpetrandum & sacramentum astrinxerat, & Maionis dudum inflammauerat odium, & lucri spes vehementius accendebat. Inter hæc occasui solis iam succedente crepusculo, totam vrbem subitis incertisq; rumoribus videres attonitam, ciuesq; hinc inde turmatim dispersos incedere, & quidnam esset rumoris quod vrbem repente sic attonuerat, a se mutuo sciscitari. Alios autem obstippo quidem capite, sed arrectis auribus per plateas vrbis conuenticula facientes, varias super hoc dissonasque proferre sententias. Plurimorum tamen circa id versabatur opinio, vt Maionis instinctu regem ad Archiepiscopum ea nocte vẽturum, in ipsaque via crederent occidendum. At Matthæus Bonellus vbi videt militum sibi promptam audaciam non deesse, Maionem ab Archiepiscopo satis cõmode detineri, noctem interim nihilominus opportune suas mundo tenebras iniecisse, primum in via Cooperta ab eisdem Archiepiscopi ædibus ad palatium regis protensa, qua Maioni fuga sperari poterat, pleroſq; militum per congrua loca disponit, dehinc eam qua transiturus erat occulte præmunit insidiis, ac ficubi forte per venulas (vt vulgo dicitur) in vias alias lateraliter effluebat, easdem militibus suis prouide distribuit obseruandas. turbæ quoq; quæ Maionẽ sequebatur, quosdam suorũ præceperat immiscere. Ipse cum paucis ad portam sanctæ Agathes exeuntem præuenire constituerat Admiratũ, eumq; locum putabat opportunum insidiis, eo quod ibi via plurimũ coartata, deinceps sese dispergebat in triuiũ, & præcedentis culpam angustiæ, dilatatione prodiga redimebat. Itaque vbi iam Admirato visum est re parum bene gesta discedere, iubet Archiepiscopus fores diligentissime quamprimum exierit obserari. Cum igitur, episcopo Messanẽsi qui eius lateri adhærebat colloquens, prope locum insidiarum, in viæ iam angustias incidisset, subito Matthæus notarius eius familiaris, & Adenolfus camerarius vix sequentis turbæ multitudinẽ transeuntes, ad eũ peruenerũt, eiusq; auri immurmurant, Matthæũ Bonellũ cũ pleriſq; militib. armatis visum esse in insidiis, ipsum-

que ab eodem (ſicut audierant) debere interfici. Tunc Maio ſtans ac ſubiti mali rumore turbatus, Matthæum Bonellum ad ſe præcipit accerſiri. At ille ſentiēs ſe vocari, ſuaque Maionem iam non latere conſilia, proſilit ex inſidiis, ſtrictoque gladio terribilis ei repente ſuperuenit: & Ecce, inquit, adſum, o proditor, peſſundatæ nobilitatis vltor vel ſerus, vt nefandiſſimis ſceleribus tuis modum imponam, vnoque ſemel ictu in te tam Admirati quam Regis adulterum nomen abradam. At Maioni cum nec orandi veniam indulgeretur ſpacium, nec in extremo tamen vitæ diſcrimine fatigatum defecit ingenium. Nam in alteram partem defluens, & ſublati enſis ictum euaſit, & ferientis violentiam in irritum aliorſum reflexit. At eiuſdē fortius redeuntis impetum euitare nō potuit, acceptoque letali vulnere ad terrā corruit moribundus. Hi vero qui ſequebantur eum, ſubito diſparentes, qua quiſq; potuit, aufugerunt. Matthæus notarius vix inter noctis tenebras grauiter vulneratus euaſit. Matthæus ergo Bonellus, eiuſque Comites ita rē geſta, timentes Panhormi diutius immorari, cum incertum haberēt quo id factum animo rex erat accepturus, ipſa nocte Cacabum quoddam eius oppidum deuenerunt. Tota vero ciuitas, quæ prius ambiguis erat ſuſpenſa rumoribus, proditoris morte cognita, ſic exhilarata eſt, vt tunc primum in Maionem plebis odium appareret. Nam alii cadauer in media via proiectum pedibus conculcabant, alii barbæ pilos proteruius euellentes, eius faciem conſpuebant. nec vero deerant qui Maionem putarent adhuc viuere, tantique virum ingenii nunquam adeo conſilii fuiſſe inopem, vt ſic interfici potuiſſet: eum autem qui iacebat exanimis, aliquem ex militibus ſuis fuiſſe aſſererent. Eadem nocte rex inſolitum e palatio vulgi tumultū audiens, mirabatur quid in vrbe turbinis accidiſſet, videnſque Odonem magiſtrum ſtabuli, qui ob id ipſum nunciandum ad palatium accedebat, rem ab eo totam edidicit, indignatusque eſt plurimum tam audacter id iniuſſu ſuo quempiam præſumpſiſſe. Nam etſi contra regiam maieſtatem Admiratum aliquid machinari conſtaret, ad ſe tamen primo referri debuiſſe, ſibique reſeruari vindictam. At regina mortem Maionis multo moleſtius, nec adeo patienter audiuit, & in Matthæum Bonellum eiuſque ſocios maiori quidem impetu indignationis exarſit. Interim ergo ex mandato regio delecti ſunt qui ciuitatem tota nocte peruigiles circuirent, ne forte ex ea occaſione inter ciues ſeditionis aut diſcordiæ quidpiam oriretur. Plerique etiam domus Admirati cuſtodiæ delegati. Propinquorum enim & affinium eius domos, quia facile plebs inhiberi non poterat, permiſſum erat licite deprædari. Sequenti die rex Henricum Ariſtippum archidiaconum Catanenſem manſuetiſſimi virum ingenii, & tam Latinis quam Græcis litteris eruditum, familiarem ſibi delegit, vt vicem & officium interim gereret Admirati, præeſſetque notariis, & cum eo ſecretius de regni negociis pertractaret. Cum igitur hic & Comes Sylueſter Admirati dolos ac propoſitum regi plenius indicarent, & erga Matthæum Bonellum tentarent eius animum mitigare, nullis tamen aſſertionibus illius indignatio poterat emolliri, niſi quod in theſauris Maionis regia quædam inuenta diademata, ſcelerum eius fidem fecere, tandemque rex ſe deceptum non dubiis comperit argumentis. Eadem ergo die capti ſunt Stephanus Maionis filius, eiuſdemque frater Stephanus, vterque Admiratus, cum notario Matthæo qui plurimum illi familiaris extiterat. Theſauris aūt eius quotquot inueniri potuerunt, ad curiam ſine dilatione translatis, cum Andreas eunuchus ac plerique alii tortoribus traditi cogerentur indicare quicquid de rebus Maionis ſcirent, vel alicubi ſecretius occultatum, vel apud amicos depoſitum, multaque eorum indicio fuiſſent inuenta, tādem Stephanus eius filius multis terroribus & minis adactus, iurabat ſe nihil amplius ſcire quod curiam ſuper hoc edoceret, niſi quod olim patrem (vt ſibi videbatur) dicentem audierat, epiſcopum Tropeenſem ab eo depoſiti nomine prope trecentas auri vncias accepiſſe. Epiſcopus ergo vocatus ad curiam, iuſſuſque reddere prædictas vncias auri, quas apud eum Maio depoſuerat, reſpondit plura ſe quam peterent redditurum, domumq; reuerſus ſeptingenta milia Tarenorum hoſtiariis qui cū eo miſſi fuerāt aſſignauit. His ita geſtis miſſi Cacabum legati, qui Matthæum Bonellum accerſirent, regemque nunciarent Admirati mortem poſt comperta eius ſcelera lætis

auribus

auribus accepisse, præstitoque etiam sacramento metum omnem ac periculi suspicionem excluderent. At ille quanquam eiusmodi iuriiurando parum crederet, sciens tamẽ regem in se nihil ausurum, tum ob fauorem plebis, tum quia Comites omnes qui ob id ipsum rebellauerant, totamq; Calabriam sperabat sibi futurã auxilio, cum vniuersis militibus suis Panhormum securus accessit. In ingressu vero ciuitatis plurima tam virorum ei quam mulierum turba obuiam exierunt, cum ingenti eum gaudio vsque ad portam palatii prosequentes. Ibi benigne susceptus est a rege, & in eius gratiam integre restitutus. Dehinc a maioribus curiæ sub eadẽ est frequentia plebis domũ suam perductus. Eo igitur tam famoso facinore Matthæus Bonellus non solum in Sicilia, verũ trans Pharum quoq; per totam Calabriam, Apuliamq; ac Terram laboris, adeo sibi plebis nobiliumque mentes allexerat, vt eius vniuersi virtutem & audaciam laudantes extollerent, nec in remotissimis quoque regni partibus eius ad quenquam inefficaciter literæ peruenirent: Comitesq; ipsi ac ciuitates Apuliæ cum omnibus qui eis confœderati erant, rebellandi iam causa sublata, eius deinceps voluntatem & consilium expectabant. In Sicilia vero, Panhormique maxime, totus iam aperte populus conclamabat, quisquis Matthæo Bonello nocere tentasset, hostem eum publicum iudicari, seseque etiam aduersus regem, si quidem ob Admirati mortem in eum seuerius animaduertere præsumpsisset, arma sumpturos. Nã ei debere omnes obsequi, qui publico regni sublato periculo, libertatem omnibus reddidisset. At eunuchi palatii, quibus flagitiosus animus ac scelerum conscientia potentiam illius suspectam fecerat, eo quod & ipsi machinationum Admirati cõscii fuissent & participes, ad id operam dabant vt aduersus illum regis indignationem & odiũ cõcitarent. Itaq; reginæ ipsius freti cõsilio, sollicitudinis suæ regi causas aperiunt, asseruntq; non negligendum eius capiti (nisi mature præcautum fuerit) periculum impendere. Nam Matthæum Bonellũ ob id quod ei nuper acciderat, in tantam elatum superbiam, vt neminẽ sibi iam in regno viribus vel potentia parem existimet: cumq; quadam ductũ temeritate totũ ad se videat populum confluentem, viros etiam nobiles suis per omnia parere consiliis, & iussionibus obsequi, nihil eorum quæcunq; animus imperauerit putet illicitum, nec a plebe solum, verum & ab ipsis curiæ magnatibus eandem sibi velit reuerentiam exhiberi. Interim eum sibi oẽs astringere sacramentis, & ignotis pactionum fœderibus obligare. His accedere quod vniuersi Transpharini proceres (quibus hoc ipsum desperationem incusserat, quod eatenus regem offenderant, vt cum sibi crederent implacabilem) literis suis iuuenilem animum crebrius hortabantur, vt, si quidem plenam consequi gloriam affectabat, si nulli deinceps subiacere periculo, eniteretur quatinus integram & regno libertatem, & sibi securitatẽ acquireret, (quam adipisci rege viuente non poterat) neque fallaci curiæ promissione seductus, æstimaret eum tam facile sibi placatum, cui manum dexteram amputasset. Sic enim regẽ opinari, sic dicere interfecto Maione manu se dextera mutilatum. His ergo persuasionũ stimulis auidum gloriæ iuuenem plurimum incitatũ, promptumque audere & experiri omnia, & nisi citius eiusmodi consiliis prouide fuerit obuiatum, quocunq; feruor animi, & iuuentutis impetus eum traxerit, facile secuturum, nulloq; coercendum metu periurii. Satis quippe vecordem esse & improuidum, quisquis existimet fidem eum cuipiam seruaturum, qui tam iurisiurandi quã affinitatis iure posthabito, socerum suũ, quem vice patris habuerat, cuius etiam opera patrimonii sui restitutionem impetrauerat, tantis ingratus beneficiis prodiderit, interfecerit innocentem. falsum enim quicquid ipse cædisq; factæ socii aduersus Admiratum confinxerant: nec illum inuenta in thesauris eius diademata sibi præparasse, sed regi, vt eadem in Calendis Ianuarii strenarum nomine iuxta consuetudinem ei transmitteret. verũ nunquã ob id solum a Matthæo Bonello tot contracta fœdera, tot societates initas, vt Maionẽ interficeret. aliud eum maius ambire, altiusq; fouere propositũ, ad quod eiusmodi principio viam sibi commode censuerat præparandã. Hæc & huiusmodi plurima sæpissime regis auribus inculcantes, id effecerant, vt neq; iam Matthæum Bonellũ inter familiares admitteret, neq; Maionem ob aliam causam ab eo crederet interfectum, nisi vt communicatũ

cum

cum quibuſdam proditoribus de morte ſua conſilium, liberius poſſet compendioſiuſque efficere. Sed huius rei vindictam, vix iam (vt erat ad puniẽdum facilis) moras ſuſtinens, in tempus congruum neceſſario differebat, dum populi tumultu cõpoſito, nouitatis feruor & impetus quieuiſſet. Interim tamen LX. milia Tarenorum tam ab eo quam ab illis qui pro ipſo fide iuſſerant repeti iubet, quos idem olim, vt patrimonium ſuum reciperet, curiæ ſpoponderat ſe daturum. eorum autem ſolutionem Admiratus genero parcens ignorante rege diſtulerat. Itaque Matthæus Bonellus ex improuiſo repentina debiti veteris exactione pulſatus, ſimulque videns ſolito rarius ad curiam ſe vocari, neque iam vti ſolebat admitti, mirabatur quid hoc nouitatis portenderet. Sed & hoc eius animo non parum metus ac ſuſpicionis iniecerat, quod Adenolfum camerarium plurimum poſſe videbat in curia, qui ſummum amicitiæ locum apud Maionem obtinuerat, & tam hunc quam alios hoſtes ſuos audacius atque apertius in ſe odium exercere, eo quod eum Archiepiſcopi viderent ope & conſilio deſtitutum, qui diuturna fatigatus ægritudine nuperrime mortem obierat. Hæc autem omnia non ſine conſenſu regis exiſtimabat fieri, nec vnquam viros eiuſmodi aduerſum ſe quicquam auſuros, niſi regis animum erga ſe crederent immutatum. Nam eo furoris & audaciæ ventum erat, vt Philippus Manſellus nepos Adenolfi cum militibus armatis viam Marmoream noctu perambulans, a pleriſque viſus fuerit domum Matthæi Bonelli tardius pertranſire. Quod vbi Matthæo cognitũ eſt, ſequenti nocte militibus ſuis armatis primum circa domum ſuam per congrua loca diſponens inſidias, reliquos militum præcepit per viam Coopertam vſque ad portam Galculæ replicato frequenter itinere tranſeuntes, ante domum Adenolfi morari diutius, ſperans ita Philippũ poſſe & eius milites, ſi quidem ea nocte ſicut in præcedente exierint, vel ab iſtis per viarũ tranſitus inueniri, vel ab illis qui in inſidiis erant intercipi: ſimulquẽ vt oſtenderet eorum ſe non ignorare conſilia, neque ſibi militum deeſſe copias, aut virtutem, vt eos poſſet ad vnum omnes delere, niſi regis timor eiuſmodi facultatis licentiam refrenaret. Sic mediam fere noctem ducentes inſomnẽ, demum infecto negocio redierunt. Matthæus autem Bonellus cum his atque aliis pluribus rerum indiciis voluntatem ac propoſitum regis agnoſceret, aliter interim ſibi prouidendum exiſtimans, nondum deliberandi libertate ſublata, Matthæo de Sancta Lucia conſobrino ſuo, & quibuſdam aliis nobilibus viris Siciliæ, qui literis eius citati Panhormum conuenerant, omnia pandit ordine quæ ſibi acciderant: quodque hoſtes ſui cum eunuchis ſocietatem inierant, vt in ſe regem exaſperent, eoſque facile quod voluerint effeciſſe. Iam enim ſe ab ipſo rege ad veteris debiti ſolutionem vrgeri, a quo conſeruatæ ſalutis præmium expectabat. Dehinc rogat eos obſecrans per fidẽ amicitiæ fœderiſq; nuper inter eos habiti ſanctionem, vti hac in neceſſitate ſibi nõ deſint, qui pro ſalute totius regni periculum iſtud ſubierit, neq; ſe communi quiſquam oneri fraudulenter conetur ſubtrahere. Admonetque id mature capiendũ eſſe conſilii, vt hoſtium dolos regiſque deliramenta præcaueant. Si quidem vnius fuerint animi, & in vna firmiter voluntate permanſerint, vt omnem fortunam cõmunicato velint periculo ſuſtinere, nunquam ſibi plebis animos, nunquam militũ gratiam defuturam. ita quicquid aggreſſi fuerint, facile peracturos. Quod ſi diſſimulando ſubterfugere quiſque maluerit, neminem eorum qui in mortem Maionis conſenſerit euaſurum. At illi rumorum nouitate permoti, cum mitarentur & grauiſſime ferrent inde ſibi periculum & ingratitudinem emerſiſſe, vnde ſe bene meritos æſtimabant, maxime tamen indignabantur Adenolphum camerarium eo præcipitatum audaciæ, vt in Matthæum Bonellum manifeſtas auderet inimicitias exercere. Neque vero putabãt tantam rem deinceps habendam neglectui, aut eiuſmodi regis tyrannidem & inſaniam oportere diutius ſuſtineri: erantq; qui iam tunc in ipſum Adenolfum, vbicũque eum inueniri contingeret, impetum faciendum, neq; tantæ eius ſycophantiæ vindictam vlterius protelandam cenſerẽt. Nam quicquid ab eis inchoatum foret, plebem auide ſecuturam. Alii vero rem inceptam moderatius & cum cautela dicebant felicius prouenturam: neque nunc Adenolfi morte periculum minui, ſed augeri, ſi flagitiorum caput, quod ante præcidi

cidi debuerat, relinqueretur incolume: ad id dandum operam, vt malorũ origine
ſublata cætera facile ſubſequantur. fontis enim ſcatebra prius conſumpta, ſine dif-
ficultate deinceps riuorum copiam exiccari. Hoc igitur apud eos præponderan-
te conſilio, placuit eiuſdem rei ſibi ſocios adhibere, Simonem Comitem, Rogerii
regis filium ex conſuetudinaria matre progenitum, Tancredumq; filium Rogerii
Ducis, ingenio magis & induſtria quam corporis virtute præſtantem, cuius etiam
ſupra meminimus. Sciebant enim eos, quicquid aduerſus regem decretum foret,
facile conſenſuros. Nam idem Simoni principatum Tarenti, contra patris teſta-
mentum abſtulerat, dicens patrem in multis erraſſe ſpuriorum amore deceptum.
Ducatum enim Apuliæ, Tarentique & Capuæ principatum legitimis tantum filiis
debere concedi. Ad Comitatus autem aliaſq; regni dignitates non indignum eſſe
liberos etiam naturales admitti. Tancredum vero, ſicut prædictum eſt, intra pala-
tii muros tenebat incluſum: cuius etiam frater Gulielmus ibidem non ſine magna
regis inuidia nuper obierat, adoleſcens vtiq; pulcherrimus: qui cum fere xx. ætatis
annum ageret, neminem militum viribus ſibi parẽ repererat. Hos itaque ſibi Mat-
thæus Bonellus iureiurando, ſeque illis inuicem obligat, multoſq; præterea mili-
tes & potentes viros, in quibus & nobilem adoleſcentulum, Rogerium Comitẽ A-
uellini, regis conſanguineum, non diſſimili pacto ſibi confœderat. Erat autem eo-
rum hoc propoſitũ, vt in primis regem caperent, captũ in qualibet includerẽt inſu-
larũ, vel in alio quolibet loco iuxta quod omniũ communi decerneretur aſſenſu:
dehinc eius maiorem filiũ Rogeriũ Ducẽ Apuliæ nouennem fere puerum regem
crearent: id exiſtimantes populo gratũ fore, ſeq; videri nihil animo malo ſcelera-
toq; gerere, ſi tyranno ob facinora ſua ſublato, filiũ eius ipſi ſubſtituant. Ad hoc aũt
facillimus putabatur aditus præparari, ſi Malgerium caſtellanũ palatii quibuslibet
poſſent promiſſionũ pactionibus irretire, vt idem ab eo iuſiurandum quod inter ſe
fecerant, extorquerent. Nam aliter inchoata parum procedere videbantur, cũ ille
trecentos fere iuuenes ſecũ haberet aſſidue, ipſius palatii cuſtodiæ præfectos: qui
ſic erant per portarum anguſtias diſtributi, vt quantũuis numerũ militũ ab ingreſ-
ſu facile ſubmouerent: & ſi furtim aliquos ingredi contigiſſet, certum erat ibidem
eos ſine ſpe ſalutis intercipi, redituris exitu non patente. Verũ id eorum deſyderiis
obſtabat, quod idem Malgerius multæ auſteritatis homo erat, nec facilis vlla per-
ſuaſione quopiã inclinari, aut huiuſmodi ſe negociis immiſcere. Timebant ergo rẽ
ſecretiſſimã illius fidei, preſſi hac ambiguitate, cõmittere, indeq; ad aliud neceſſa-
rio diuertere cõſiliũ, ſperantes idem ſe per Gauarretũ palatii tutius effecturos. Ca-
ſtellanus enim, vt diſcurſandi crebrius neceſſitatẽ & laborẽ ſubterfugeret, oneris
ſui difficultatem in eum traiecerat, & totam ei cuſtodiendi palatii curam credide-
rat. Ad huius quoq; ſpectabat officium, eos qui per diuerſos carceres tenebantur
incluſi, frequẽter inſpicere, eorumq; ſtatũ mitius aſperiuſue, prout ei viſum fuerat,
commutare, & prout vellet cuſtodes ſingulis deſignare carceribus. Confidebãt aũt
cupiditatẽ illius ſpem lucri non difficile ſecuturam: quodq; nõ multũ votis eorum
viri facilitas repugnaret, præſertim cum iam pleriq; amicorũ eius in eadẽ confœ-
deratione ſacramento tenerentur aſtricti, quorũ iudicio res ei ſecure poterat ape-
riri. Primũ itaq; ſenſim eius animo pertentato, dehinc eiuſdẽ certius agnita volun-
tate, quod ſperauerant voto plenius aſſecuti, ſpontaneũ ab illo iuſiurandũ accipiũt;
imperata ſe ſine fraude & vt ipſi diſpoſuerant impleturũ. Modus autẽ diſpoſitionis
hic erat, vt ad præfixam diem incarceratis omnibus, quos etiam ab hac ſocietate
placuerat non excludi, vinculis relaxatis aperiret, carceres armaque ſingulis pro-
uideret, & ipſi dato ſigno quiſque de loco ſuo promptius exilirent. In ipſo enim pa-
latio circa campanarium, eamque partem quæ turris Græca vocabatur, carceres
erant diſpoſiti. His ita diſpoſitis, Matthæus Bonellus Miſtretum profectus eſt, vt
eo frumentũ armaq; conuehi faceret, cæteraque oppida ſua rebus neceſſariis prę-
muniret. Receſſurus tamẽ ſocios ſuos diligenter præmonuit, vt vſque ad reditum
ſuum prudenter & circumſpecte ſe haberent, neque ſecretum illis creditũ teme-
rẽ publicarent. Siquid interim præter opinionem cura dignum emergeret, ſuis
eũ literis euocarent. nam ſi res expoſceret, cum ingentibus militũ copiis ſperato ci-

tius

tius adfuturum. At illi non eam quam promiserãt super hoc adhibentes diligentiã, secura rei principia periculoso satis exitu cõcluserunt. Quidam enim eorum cum amicissimũ sibi militem eiusdem conspirationis optaret esse participem, quicquid actum fuerat, ei seriatim exposuit, iusiurandumque de non propalando consilio negligenter omisit, siue fidem illius ex sua metiens, siue rei periculum vt minus discretus parum intelligens. Sed & tempus ad hoc præfixum, reique auctores illum edocens diligenter omnia perscrutantem, demum expertus est verum esse quod dici solet, superabundantem nõ nocere cautelam. Miles enim præfatus gratias illi referens quod rem sibi perutilem indicasset, tanquam ad deliberationem in crastinum postulatis induciis, ad alterius amici sui notitiam audita pertulit, tã horrendum inquiens scelus non oportere dissimulando celari, quod si perpetrari cõtigerit, perpetuam Siciliæ sit allaturum infamiam, nec immerito Siculos omnes proditores deinceps appellandos. Verum id se præcauturum ne accidat, curiamque quantum mature poterit, & auctores sceleris, & conspirationis socios edocturum. Ille vero, cum & ipse de coniuratorum esset numero, proditores eos appellans, simulabat super his se plurimum indignari: laudansque viri propositum, qui noluisset eorum consentire sceleribus, quam primum auelli potuit ab eo, Simonem Comitem aliosque cõfœderationis principes adiit, referens quid per sociorum negligentiam accidisset: hortatusq; est eos vt ea nocte sibi consulerent. nam ad aures regis die crastino quicquid egerant perferendum. At illi rem audientes plenam periculi, cum Matthæum Bonellũ non pateretur angustia temporis accersiri, statuerunt per se susceptum implere negocium. Præmonitus ergo Gauarretus, vt, quia statutum tempus expectari non poterat, sequenti die, prout ipsi decreuerant, incarceratos educeret, spopondit omnia prouide se facturum, totamque rei difficultatem facile submouendam: eos tantum oportere circiter horam tertiam præparatos affore, vt cum e palatio rex in ampliorem locum exiret, vbi cum Archidiacono Catanẽsi singulis diebus solebat de statu regni disserere, sine tumultu, sine clamore posset ibidem intercipi. Hæc igitur tam certæ promissionis fiducia labantes eorum animos in spem erexit, quibus inopinata res formidinis & diffidentiæ non parum attulerat, tum propter absentiam Matthæi Bonelli, cæterorumque qui cum eo recesserant, tum quoniam id quod cum summa cautione futurum prouiderãt, quasi turbatim raptimque fieri superingruens cõpellebat necessitas. Sequenti vero die Gauarretus nihilo segnius aut imprudentius quam disposuerat, promissionem suam celeri prosecutus effectu, viros nobiles quos iam armis præmunierat, e carceribus eduxit, sociis eorum prius in palatium introductis. Illi vero Simonem Comitem sequentes, qui cum in palatio nutritus fuisset, anfractus viarum cognouerat, ad eum locum vbi rex Henrico Aristippo colloquebatur venerunt. Qui cũ primo fratrem suum fratrisque filium Tancredum ad se venientes aspiceret, indignatus est eis aditum patuisse, mirabaturq; quid eorum sibi vellet aduentus. At vbi vidit cum armis reliquos insequentes, rem vt erat mente concipiens, fugæ se territus præparabat. Sed vniuersis repente concurrentibus comprehensus est ab eis, cũ in angulos & occulta palatii se recipere conaretur. Blandius tamen tyrannidis suę causas ab eo sciscitantes, verbisque minus asperis eius arguentes insaniam, spem effugiendæ mortis ei reliquerant. Mox autem cum videret Gulielmum Comitem Alesinum virum atrociſſimum, Robertumque Bouensem notæ nihilominus crudelitatis hominem, strictis ensibus venientes, rogabat eos a quib. captus fuerat, ne eum ab illis interfici paterentur, cum vltro se regno cuperet abdicare. Arbitrabatur enim tam crudeles hostium manus se nullatenus euasurum, eaque non fallax fuisset opinio, nisi Richardus de Mandra quorundam in eum irruẽtium impetus propulsasset, vetuissetque regem occidi. Huic igitur omnium communi prouidentia custodibus assignatis, deinceps ad interiora palatii progressi forib. proturbatis cœperunt singula loca disquirere, rapere, prædari quod cuique potissimũ videbatur: alii gemmas annulosque, quia paruo loco concludi poterant: alii purpuras vestesq; regias auidius appetebant: quidã aurea argenteaque vasa Tarenis implentes, porrigebant amicis domum interim deferenda. nonnulli quoque per feneſtras palatii in ple-

in plebem quæ foris ſtabat Tarenos abundantiſſime diſpergebãt. nec deerant qui puellarum pulchritudinem crederent lucris omnibus præferendam. Sic homines ætate, moribus, genereque diuerſi, variis nihilominus diſſoniſque rerum ſtudiis agebantur. Eunuchorum vero quotquot inueniri potuerunt nullus euaſit. Plures autem eorum in initio rei ad amicorum domos confugerant, quorum pleroſq; repertos in via milites occiderunt, qui de Caſtello maris exierãt, aliique qui iam cœperãt per ciuitatem diſcurrere. Multi quoque Sarracenorum qui vel in apothecis ſuis mercibus vendendis præerant, vel in duanis fiſcales reditus colligebant, vel extra domos ſuas improuidi vagabantur, ab eiſdem ſunt militibus interfecti. Poſtea vero Sarraceni perturbatione cognita, viribus ſe quidem ad reſiſtendum impares arbitrati, cum eos præcedẽti anno Admiratus omnia arma ſua curiæ reddere coegiſſet, relictis domibus quas pleriq; eorum in ciuitate media poſſidebant, in eam partẽ quæ trans Papyretum eſt, ſeceſſerunt: vbi Chriſtianis in eos impetum faciẽtibus aliquandiu fruſtra conflictum eſt. nam illi ad introitus & anguſtias viarum noſtris tutius reſiſtebant. His ita geſtis Comites eorumq; ſocii Rogerium Ducẽ maiorem regis filium educentes de palatio, per totam vrbem equitare fecerunt, oſtendentes eum omnibus, plebiq; dicentes nequaquam alium deinceps regem aut dominum appellarent: hunc eorum eſſe dominum: hunc aui ſui Rogerii regis auſpicio regnaturum: hunc totius populi communi conſilio coronandum: nihilq; aliud expectari quam Matthæi Bonelli præſentiam, quem eo ipſo die vel craſtino non dubium erat venturum. Galterius quoque Cephaludenſis archidiaconus præceptor pueri, conuocata virorum multitudine regis tyrannidem publice prædicabat, & iuſiurãdum exigebat ab omnibus, quod Simonis principis (ſic enim eũ vocabat) parerent imperio, multique monitis eius perſuaſi iurabant. Alii vero minus fideliter dicebant eum agere. nam ſi ſacramentum ea tempeſtate cuipiam eſſet præſtandum, Duci potius oportere iutari, quem regem futurum eſſe ſperabãt. Sic illis ad libitum cuncta diſponentibus, nemo iam erat qui vel auderet, vel vellet eis reſiſtere. Nam & ipſi epiſcopi vel eorum facta publice laudabant, vel diſſimulantes ſilentio confirmabant. Plebs autem cum Matthæi Bonelli conſilio geſtum audiſſet, eius præſtolabantur aduentum. Cum vero iam in diem tertium ſuſtinentes, eum neque veniſſe cognoſcerent, neque venturũ quibuslibet indiciis perſentirent, cœperunt inuicem murmurare dicentes, indignũ eſſe ſatiſq; miſerabile regem a paucis prædonibus turpiter captum in carcere detineri: neq; populũ id debere pati diutius, cum theſauros etiam ad regni defenſionem multis laborib. optimiq; regis induſtria conquiſitos aſportari videant & penitus exhauriri. Quod vbi a paucorum (vt accidit) confabulatione profectum in vulgi multitudinem emanauit, repente quaſi diuino cõmonerentur oraculo, aut ardentiſſimi ducis impetum ſequerentur, omnes ad arma concurrunt, palatiũ obſident, regemq; ſibi reddi depoſtulant, interminantes ſi diutius eum tenuerint, ſe quidem ſcalas aliaſq; ad expugnandũ palatium machinas illaturos, ac de ipſis non ſecus ac de proditoribus ſumpturos ſupplicium. At illi tam ſubita mutatione rerũ attoniti, primo tamen inſtantes acerrime per muros diſtributi depellunt, neque propius accedere patiuntur, miſſis eos deſuper molibus proturbantes. Verum & pauci admodum erant, ambituſq; caſtelli diffuſior ad defenſionem ſui multo maiorẽ virorum copiam expoſcebat. Hoc igitur præuidentes, tentabãt populi furentis iram & impetũ mitigare, rogantes eos vt interim ab armis diſcederent, & Matthæum Bonellum cæteroſque proceres quorum id conſilio geſtum fuerat, expectarent. Sed eorum ſemel excitata rabies facile ſedari nõ poterat, eoque magis inſtabant acrius comminantes, niſi regem eis oſtenderent. Illi vero tametſi viderent ad defenſionem palatii ſe nequaquam poſſe ſufficere, tem tamen ex induſtria protrahere conabantur, ſperantes Matthæũ Bonellum interim affuturũ. Hoc aũt vt opinati fuerant minime procedẽte, tandem ad vltimũ deſperationis adducti, populo ſpondent eorum ſe voluntati ſatisfacturos: regẽq; adeũt, & cum eo paciſcuntur, vt ſaluos eos & incolumes abire permittat. dehinc ad Iohatiæ feneſtras eum perducunt. Tunc vero viſo rege totius multitudinis clamor & tumultus ingens exoritur: portas ocyus poſtulant aperiri,

censentq; non oportere proditores euadere. Rex autem manu silentium indicens, iubet eos quiescere, satis inquiēs ad promerendū fidelitatis titulum sufficere, quod eorum sit opera liberatus: deinceps arma deponant, eosque libere sinant egredi quibus ipse quo maluerint, eundi concesserit libertatem: alioqui eos posse gratiam suam quam integre promeruerant, iterum demereri. Sic igitur tumultu plebis vtcunque sedato, reseratis foribus exeuntes, Cacabum transfugerunt. Hæc autem licet subita repentinaq; rerum varietas, magnam tamē malorum seriem intra breuissimi temporis angustias contraxit, totiq; regno non parum attulit detrimenti. Non solum enim plurimæ nobilitatis amissione debilitatum est, & exhausta thesaurorum parte non minima fuit attritum, sed & aliam irreparabilem quidem in multa tempora iacturam sustinuit, interfecto Rogerio Duce, cuius supra meminimus: qui tam aui quam patrui moribus vltra quam id ætatis exigeret, iam euidentissime cœperat insigniri: & alterius quidem prudentiam, alterius vero benignitatem cū vtriusque nomine præferebat. Expediret quidem Siciliæ perpetuo regem carcere detineri, vel certe capitalē subiisse sentētiam, ne tam felicis indolis auspicio priuaretur. Verum hæc insula ne tyrannis quandoq; careat, eam sibi circa regū filios consuetudinem vindicauit, vt morti meliores primum obiiciat, eos sibi reges constituens, per quos in ea perpetuæ possit tyrannidis priuilegium conseruari. Sic olim Rogerium Ducem Apuliæ vnicæ benignitatis ac dulcedinis virum præmatura morte sustulit, vt Gulielmo regnandi non deesset occasio: qui quantum eius frater prudentiam & mansuetudinem auide fuerat amplexatus, tantum crudelitati studuit & ineptiæ deseruire. sic & nunc Rogerio Duce sublato, Guliel. distulit vt regnaret: quos eorum secuturos vestigia quorum nomina sortiti fuerant, nemō qui vtrumque nouerit, ignorabit. Hic autem puer dum eos qui palatium obsidebant per fenestram minus caute prospiceret, sagitta percussus est: nec eius rei satis certum auctorem fama produxit. communis tamen omnium opinio tanti sceleris culpam in Darium hostiarium refundebat. Alii vero qui secreta palatii fatebātur se plenius agnoscere, negabāt eius efficaciæ fuisse vulnus acceptū, vt mortem inferre sufficeret, ipsiq; regi putabant eius atrocitatē criminis imputandam. Cū enim (vt aiebant) liberato patri puer applaudens occurreret, pater indignatus quod illū quasi sibi prælatū hostes sui regē appellauerant, repulit eum a se, & calce percussum quanto potuit impetu proturbauit. Vndē vix ille digressus, ad reginam quæ passus fuerat pertulit, nec multū postea superuixit. Rex itaq; tā acceptis incōmodis, q uā rei pudore vehementissime perturbatus, abiecta veste regia suæq; dignitatis immemor, humi sedebat flens inconsolabiliter, & in stupore ex dolore conuersus, eatenus malis quæ sibi acciderāt memoriā hebetemq; mœrore mentē infixerat, vt neq; sui curā gereret, neq; quid sibi capiendū esset consilii, cū eius hostes vndiq; secus imminerent, ad animū reuocaret. Apertis etiā & inobseruatis palatii foribus oēs ad se venientes benigne ac familiariter admittebat, illis dolorē & luctus causam insinuans, vt a multis etiam qui prius eum oderāt lachrymas extorqueret. Tandē vero monitus & rogatus ab episcopis aliisq; qui ad consolandū eum venerant, descendit in aulā quæ palatio coniuncta erat: iussitq; populum conuocari, eo quod amplitudo loci capiendæ multitudini vulgi sufficeret. Ac primū fidem illorum cōmendans gratiasq; referens, quod eū de proditorum manibus abstraxissent, dehinc exhortatus est vt in ea qua cœperant fidelitate permanerēt: siquid aduersus eum deinceps hostes suos moliri contingeret, nō satis certum inquiens quo se contulissent, aut quos haberent in Sicilia fautores, quorū freti consilio, tantū facinus perpetrassent. Adiecit etiā id sibi meritis suis exigentibus ob multa mala quæ fecerat accidisse: & hoc se quidem cognoscere, hoc fateri, deinceps q; sic acturū, vt inflictum sibi diuinitus correctionis flagellum, nequaquam obstinato videatur animo percepisse. Si quid a subiectis sibi populis quod iuste dari debeat postuletur, non difficile concessurum: consuetudines etiam suis introductas temporibus, quæ vel iustam populi libertatem minuere, vel eos iniquis prægrauare videantur oneribus, placere sibi penitus antiquari. de cætero enim malle se diligi quā timeri. Hęc & his similia quę rex nō sine lachrymis demissius loquebatur, Electus Syracusanus

sanus vir literatissimus & eloquens ad populum referebat. Vt autem illorum sibi plenius conciliaret gratiam, portarum eis immunitatem concessit, vt omnes ciues Panhormitani victualia sua vel empta, vel ex agris & vineis suis collecta libere possent inferre, nihilq; ab ipsis quis exigeret. Quod plebi gratissimum fuit, rem se nunc adeptos esse quã diu desyderatam nunquam potuerant impetrare. Interea Panhormi nunciatum est Simonem, (quem Principem appellabant) Tancredũ Ducis filium, Gulielmum Alesinum, Alexandrum Conuersanensem, Rogerium Sclauũ filium Comitis Simonis spurium, aliosq; quotquot in captione regis consenserant, cum Matthæo Bonello Cacabi esse, plurimamq; militũ multitudinẽ illis adiunctã. Placuit igitur ad ipsum Matthæum mitti legatos, vt scisciteretur ab eo quid erga regem gerat animi, quid hæc velit militum cõcursio, quidve se facturum proponat: dicantq; non oportuisse illum proditorum consiliis immisceri, vel eos post audita quæ perpetrauerant scelera recepisse. Hac autem legatione fungentib. ille respõdit, nunquam eorum se quos proditores appellent sceleribus consensisse, nec eorũ scisse aut approbasse consilium: sed tyrannicũ & crudele fuisse tot viros nobiles ad se confugientes non recipere, capitalibus periculis exponendos. Enimuero regẽ si sua facta discutiat, magis debuisse mirari quod regni proceres velut in seruitutem se redigi tandiu sustinuerint, quam quod aduersus eũ multis iniuriis prouocati vix tandem impatientia doloris exarserint. Vt enim cętera quæ perpessi fuerant omittantur, miserrimum esse vel apud seruilis conditionis homines, filias suas innuptas domi toto vitæ tempore permanere. Nec enim inter eos absq; permissione curiæ matrimonia posse cõtrahi, adeoq; difficile permissionem hanc hactenus impetratam, vt alias quidẽ tunc demũ liceret nuptui dari, cũ iam oẽm spẽ sobolis senectus ingruens sustulisset: alias vero perpetua virginitate damnatas sine spe coniugii decessisse. Nunc aũt totius regni viros nobiles, seq; cũ illis hoc regẽ postulare, hoc requirere, vt his aliisq; pernicios is legib. antiquatis, eas restituat consuetudines quas auus eius Rogerius Comes a Roberto Guiscardo prius introductas obseruauerit, & obseruari præceperit. alioqui si cõtra antecessorum statuta niti voluerit, hoc eos minime diutius perpessuros. Hæc ad regẽ legatis deferentibus, respondit malle se regno priuari, vel morti (si necesse sit) audacter occurrere, quã ab eo metu vel minis indignum se pactum eliciant. Quod si depositis armis dimissisq; proditorib. ad se pacifice venientes aliquid postulauerint, facilius eos quod petierint adepturos. Quod vbi Cacabi relatum est, displicuit vniuersis qui aderant, & Matthæi culpantes ignauiã, persuaserunt ei vt ad obsidendam vrbem accederet. Quorum ille consiliis acquiescens, Panhormum profectus est, tribusq; fere milib. procul ab vrbe cũ militibus suis consedit. Rex aũt interim Messanam mittit nuncios ad strategotum populumq; ciuitatis, vt quotcũq; galeas possent viris armisq; diligenter instructas quam ocyssime sibi transmitterent. At vero Panhormi militũ aduentu præcognito, videre erat desolatæ miseræq; faciem ciuitatis, ciues trepidos, pauentes, attonitos, omnemque famæ strepitum arrectis auribus hauriẽtes, & auditis animum cõmittentes rumoribus. alii Matthæo Bonello quumprimum veniret sese dedere cogitabant, alii quia socios eius offenderant, timebant se suaque prædam fore militibus. Nemo ciuium in armis spem posuerat, nemo de ciuitatis defensione sollicitus erat. His accedebat quod annonæ deficientis inopia futuræ famis intolerantiã minabatur. nec enim iam frumentũ eo poterat de locis finitimis comportari, cũ ex omni parte viarum trãsitus milites custodirent. Igitur in vrbe perturbata erant cõfusaque omnia: &, si quidem Matthæus Bonellus inoffenso pergẽs itinere propius accessisset, poterat vtique nemine prohibẽte ciuitatẽ ingressus occupasse palatiũ, ipsumque regem in vincula coniecisse. Sed alio fretus consilio Cacabum rursus iter instituit. Sed & multi milites ex interioribus Siciliæ partibus ad auxilium regis confluxerant, quantũque illi roboris accrescebat, tantũ aduersæ parti diffidentiæ ac formidinis accedebat. Statuit ergo resumpto spiritu cum fortuna respirãte progredi, & humilitate legationis abiecta, regiam in verbis prætendere dignitatem, cũ nihil illi facilius esset quam ab humilitate ad superbiam transuolare. Rursus itaq; ad Matthæum Bonellum legatum misit Robertum de sancto Ioanne Panhormi-

tanum canonicum, præclari nominis & examinatæ fidei virum, quem nulla coniuratorum vnquam societas, nulla persecutionis procella, cum totum sæpe regnũ concuteret, ab eo cui semper inhæserat proposito fidelitatis auulsit. Nunquam eũ blanda fortuna sic extulit, vt innatæ semel modestiæ superbiæ quicquam aut tyrannidis admisceret: nunquam sic aduersa deiecit, vt fidem suam vellet potentiũ virorum gratia vel cuiuslibet dignitatis precio nundinari. Hinc eum Archiepiscopus latenti odio persecutus, parum profecit, cum multas aduersus eum consiliorum machinas erexisset. Hinc Admiratus ei, cum aperte non posset, occulte parans insidias obfuit quidem, sed nec omnino quod optabat effecit. Cum enim rex a nemine rogatus vel monitus in id incidisset voluntatis, vt prædicto Roberto cancellariatum dare decerneret, idque Maio cognouisset ipsius regis indicio, laudauit eius super hoc voluntatem, dicens hoc æquitati congruere, & regnantis maiestate dignum esse propositum, vt qui fideliter ei diuque seruierint, tandem regiæ liberalitatis beneficio non fraudentur. Verum quia legatos Venetiam curia mittẽdos esse prouiderit, & ad hoc ipsius Roberti fidem & industriam constet esse perutilem, expedire vt hanc prius legationem obeat, quatinus & regi promotionis eius causa vberior suppetat, & ille peracta legatione diuturni fructũ seruitii post laborem gratius amplectatur. Quod vbi regi persuasum est, ilico scripsit Petro de Castro nouo qui tunc in Apulia capitaneus erat, vti Roberto de sancto Ioanne Venetiam transituro nauem fragilem & vetustate dissolutam, nautasq; maris inscios, inertes, & improuidos assignaret: vt & putrida nauis ad quoslibet vndarum insultus fathiscens non sufficeret sinum Adriaticũ transmeare, nec ille nautarum peritia posset incolumis conseruari. Qui traiecto Pharo cum in Apuliã peruenisset, Tranensis archiepiscopus ei non solum hoc verbis exposuit, sed & ipsius ostendit literas Admirati. At ille prudenti consilio non veritus salutẽ suam auro redimere, propriis sumptibus nauem nautasque conduxit, & licet multis fatigatus periculis, insidias tamen Maionis euasit. Hic igitur Cacabum profectus post multas variasque disceptationes & controuersias, eo fine eõctus sit negocium, vt rex omnibus his qui ad Matthæum Bonellum confugerant, galeis quæ sufficerent assignatis, extra regni fines eos faceret saluos & indemnes perduci: ipsum vero Matthæũ omni quæstione remissa, tanquam fidelem suũ benigne susciperet, suam ei gratiam plene restituens. Quod postquam est ex parte regia sacramentis præstitis roboratũ, Matthæus cum ingenti plebis alacritate Panhormum veniens tranquillitatem vrbi restituit. Alii fere oẽs ad galeas producti, regni terminos exierunt. Pepercit autem rex consanguineo suo, Rogerio Comiti Auellini, quod in aliis crimen atrociſſimũ iudicabat, in eo putans ob ætatis lubricũ errorem debere nõ facinus appellari, simulque prece motus & lachrymis Adeliciæ consobrinæ suæ eiusdẽ Comitis auiæ, quæ cũ alium hæredẽ superstitem nõ haberet, nepotẽ suũ tenerrime diligebat. Richardum quoq; de Mandra tanquã de se bene meritum Panhormi retinens, militibus suis comestabulũ eũ præfecit. Erant eo tempore familiares regis per quos negocia curiæ disponebat, Richardus Syracusanus Electus, Syluester Comes Marsicensis, Henricus Aristippus, quem tamen rex habens suspectum, latens adhuc odium dissimulabat, credens eum coniurationis in se factæ fuisse participem. Sed & idem capto rege quasdam palatii puellas in domo sua per aliquot dies tenuerat, quod maxime regis aduersus eum indignationem commouerat. Cum autem eis terrarum feudorumque distinctiones rituſq; & instituta curiæ prorsus essent incognita, neque libri consuetudinum (quos Defetarios appellant) potuissent post captũ palatium inueniri, placuit regi, visumq; est necessariũ, vt Matthæum notariũ eductũ de carcere in pristinũ officium reuocaret: qui cum in curia diutissime notarius extitisset, Maionisq; semper adhæsisset lateri, consuetudinum totius regni plenã sibi vindicabat peritiam: vt ad componendum nouos defetarios eadem prioribus continentes putaretur sufficere. Dum hæc ita Panhormi geruntur, Rogerius Sclauus cum Tancredo Ducis filio, paucisq; aliis qui prius a Matthæo Bonello discesserãt, cum viderent eum ad iniqui pactiones fœderis inclinari, Buteriam, Placiam, cæteraque Lombardorum oppida, quæ pater eius tenuerat, occupauit. & a Lombardis

bardis gratanter auideque susceptus, cum se promitterent per quantalibet eum pericula secuturos, multique etiam ad ipsum milites confluxissent, in Saracenos prima iussit armorum auspicia prælibari. Lombardi vero nihil vnquam libentius audituri iussionis eius non tardi sunt executores effecti, & in loca finitima repentinos impetus facientes, tam eos qui per diuersa oppida Christianis erant admixti, quã eos qui separatim habitantes villas proprias possidebant, nullo sexus aut ætatis habito discrimine perimebant. Eius tunc gentis haud facile numerabilis cecidit multitudo, paucique qui vel fuga furtim elapsi, vel Christianorum assumentes habitũ propitiam sensere fortunam, in australem Siciliæ partem ad tutiora Sarracenorum oppida cõfugerunt, & vsque nunc adeo Lombardorum gentem exhorrent, vt nõ solum eam partem Siciliæ deinceps habitare noluerint, verum etiam accessum eius omnino deuitent. Sed & adiacentem Syracusanorum & Catanensium regionem Rogerius Sclauus crebris incursibus perturbabat, tantumque virtus & audacia viri circumiectis populis terrorem attulerat, vt neq; regii comestabuli possent eius impetum sustinere, cum assidue numero militum inferior eis congressus victoria potiretur. Ea res denuo curiam repentino terrore concussit, nec id arbitrabatur Syluester Comes absque Matthæi Bonelli consilio geri, eo magis timendum illum existimans, quod curiæ familiarius adhæreret. nam apertos hostes posse facile deuitari: familiares autem inimicitias difficilius quidem nec sine periculo præcaueri. Suspicabatur autem illum (vt erat natura timidus) sibi primum insidias paraturum, eo quod ad auxilium regis veniens videretur illius impedisse propositũ, & nunc quoque nihilominus impedire. Cum ergo rex præcepisset stipendia militibus dari, contra Rogerium Sclauum eiusque socios educturus exercitum: persuasit ei Comes vt Matthæum Bonellum prius captum carcere coerceret, quem si secum duceret, se quidem hostibus suumque traditum iri exercitum: nec ad palatium decætero rediturum incolumem. neque vero seruandæ iurisiurandi religioni locum esse, vbi absque periurio non possit mortis periculum euitari. quod timore mortis admittitur, facile veniam promereri. Placuit ergo regi quod vltro se facturum decreuerat, hoc ab alio præmoneri, Comitisque laudauit consilium, idem sibi dudum placuisse testatus. Sciebat autem ipsum Matthæum extra palatiũ capi non posse, neque tantæ quempiam temeritatis futurum, vt hoc plebi saltem persuadere niteretur. Nam illum & in ipso palatio non sine periculo captum iri, totiusque ciuitatis perturbationem factum hoc necessario secuturam. Verũ eiusmodi popularis impetus hanc esse cõsuetudinem, vt vbi res peracta fuerit, in seipsum rursus deficiat, nec difficile compescatur: ideoque motum hũc populi contemnẽdum, neque rem propositam inde segnius peragendam. Itaque constituto quidẽ ab eis die Matthæus Bonellus ad curiam vocatus est, nec defuit eius lateri qui rem ei totam ediceret, Comitisque dolos & consilium aperiret. Sed confidebat ab hac immanitate regem metu periurii deterrendum, nec æstimabat eum, etsi iusiurandum contemneret, hoc ausurum, cum eo facto regnum amplius perturbatum iri cognosceret. Ita neglectis amicorum consiliis ad palatium securus ascendit. Sed antequam ad regem accederet, a castellanis exceptus est, & teterrimo carcere circunclusus. Moxque non solum palatii, sed & omnibus Galculæ portis diligentius obseratis, armati quoque viri per murorum ambitus sunt dispositi, vt si necessitas ingrueret, primos plebis impetus propulsarent. Quod vbi malorum audax prænũcia per populum fama dispersit, ilico plurima plebis multitudo cum ipsius Matthæi militibus concurrentes, ad palatium recto tendebant itinere, vt eum inde vi eximerent, Comitemque Syluestrum tanquam proditorem meritis pœnis afficerent. Qui cum portas clausas vndique reperissent, omnemque viderent aditum prohiberi, cogitabant ignem portis immittere, magnam ibidem lignorum congeriem extruentes. Cumque nihil ita possent proficere, & huc illucque aliquandiu sine certo proposito discurrerent, tandem ex desperatione cœpit animorum feruor tepescere, timore regis præcipitem audaciam coercente, subitoque cum fortuna vultum auertente conuersi (quod cognatum est Siculis) maluerunt tempori seruire quam fidei, quantaque prius diligentia Matthæi Bonelli gratiã appetebãt,

tanto elaborabant ſtudio ne viderentur illius amicitias coluiſſe. Neque tamen defuit tot amicis fortunæ diſparentibus, qui virtutis nomen auderet amplecti, & qua ſe libertate periculi contemptor animus ad promerendam gloriæ diuturnitatem euehat, experiri. Nam Iuo quidam ex militibus eius cũ videret Adenolfum camerarium a curia redeũtem, memor inimicitiarũ quas in Matthæũ exercuerat, ſimulque dolore ſtimulatus, audacter in eũ irruit, & equi velocitate fretus altius enſem ſublatum cerebro fugientis immerſit: ac deinde nemine prohibente per medium ciuitatis elapſus, cum iam ab vrbe longius abſceſſiſſet, a militibus regis cõprehenſus eſt, & Panhormũ reductus, iuſſitq; curia manũ ei dexteram amputari. Matthæus autem Bonellus effoſſis oculis, neruiſque ſuper talũ inciſis, ſublatus omnino ſo- lis aſpectui, in horrendũ detruſus eſt carcerẽ, tam ſuis quam loci perpetuo tenebris obuolutus. Matthæus quoq; de ſancta Lucia eiuſdem conſobrinus, Ioanneſq; Romanus eius ſeneſchalcus priuati oculis, diuerſis ſunt carcerib. incluſi. His ita peractis velut vniuerſis iam difficultatibus ſuperatis, rex educens exercitum aduerſus Rogerium Sclauum, rapto contendit itinere, primumq; Placiã (nobiliſſimũ Lombardorum oppidũ in plano ſitum) euertit penitus ac deſtruxit: vbi cum inter Sarracenos & Chriſtianos in exercitu orta fuiſſet ſeditio, plurima Sarracenorũ multitudo cecidit acriter in eos irruentibus Chriſtianis, neq; metu vel interminatione regis ceſſantibus, cum & ipſe miſſis ad auxilium Sarracenorum comeſtabulis prohiberet eos occidi. Inde Buteriam (quo ſe poſt auditũ eius aduentũ hoſtes contulerant) obſidione vallauit. At Rogerius Sclauus vbi ſe vidit obſeſſum, primũ breuiter ſocios cohortatus, dehinc oppidanos admonuit, vt vnius eſſent animi, neq; diuerſa ſentirent, aut regis formidarẽt exercitũ. nam ſi paucis dieb. æquanimiter ſuſtinerent, maximã partẽ Siciliæ totamq; Calabriam eorũ ſecuturã exemplũ. patris etiam in eos quamplurima beneficia recenſebat, ſimulq; regis exponebat atrocitatem & tyrannidẽ in ſubiectos. At illi conſtanter & audaciſſime ſpoponderunt ſe nunquã eius defuturos imperio, neq; difficultatẽ aliquam aut periculum quominus ei pareant cauſaturos. In exercitu vero tædio iam cœperant affici pleriq; militum: quia videbant regem in obſidione diutius moraturũ: neq; ſpes erat oppidũ captum iri, niſi fames ingruens (quod vix in multum tempus accidere poterat) ad deditionem cogeret oppidanos. Nã & loci natura munitiſſimũ erat, nec ad ſui defenſionem virtute vel audacia ſub Rogerio Sclauo, aut ſub Tancredo prudentia conſilioue poterat indigere. Ita crebri conatus obſidentium hoſtibus nihil obẽrãt, illiq; licet audacter magnaq; vi ſæpe deſcenderent, nihil aut parum lædebant exercitũ. Rex enim cum ſciret Tancredum fratris ſui filiũ aſtrologicis rationib. dies tã obſeſſis quã obſidentibus vtiles præuidere, ipſe quoq; cũ aſtrologis ſuis eoſdẽ dies diligentius attendebat, indicans familiaribus ſuis diem quo deſcenſuros eos præuiderat, vt aduerſus repentinas eorum eruptiones exercitum præmunirent. Sic aliquandiu re protracta, difficultatem hanc ſoluit, inter proceres & plebẽ in oppido nata diſcordia. Nã Rogerii Tancrediq; voluntas & conſiliũ erat, totius oppidi frumentum adunatum tam militibus quam oppidanis per æquas portiones diſtribui. Plebs vero negabat victualia ſua publicatum iri, volebantq; ſingulis oppidanis ſingulos milites aſſignari, vt eis in domibus ſuis neceſſaria prouiderent. Quod militibus ſuſpectum quidem & fidei vacillantis indicium videbatur. Cœpit ergo plebs a militibus plurimum diſſidere, adeo quidẽ vt ſe regi dedere militeſq; regios in oppidũ latenter introducere molirentur. Sed vbi Rogerius Sclauus & qui cũ eo erant hoc illorum percepere conſiliũ, rebus omnib. iam diffidentes, ſtatuerunt ipſi quoq; paciſci cũ rege, vt oppido recepto ſaluos atq; incolumes eos abire permitteret. Quod eis facile rex conceſſit, cum neq; ſe tam mature ſperaret oppido potiturum, & neceſsitate cogente proponeret in Italiam ſine dilatione trãſire. Robertus enim Comes Lorotelli, dum Siciliam fortuna crebris tumultibus fatigaret, maximam regni partẽ inuadens, Orgeolũ vſq; peruenerat, (quod in Apuliæ Calabriæq; confinio ſitum eſt) omneſque Comites qui primum ob Admirati ſcelera rebelles extiterant, poſtmodũ de regis gratia deſperantes, illi ſe coniunxerant, præter Gilbertum Grauinæ Comitem, qui regis gratiam conſanguineæ ſuæ reginæ precib. im-

impetrarat,& relicta ſocietate Comitum exercitui præerat in Apulia,Roberti Comitis impetum quantum poterat moraturus.In Calabria quoq; Comitiſſa Catacẽſis ad eũ defecerat,Tabernamq; (caſtrũ fortiſſimũ) tam militib. quã aliis rebus neceſſariis præmunierat, vt ſi regem Pharũ tranſire contingeret,eo ſe cum matre ſua poſſet ſecure recipere. Rex itaq; iuxta quod pactũ fuerat, dimiſſis hoſtibus receptaque ac deſtructa Buteria,deinceps eam habitari prohibuit. Ac non multo poſt auctoexercitu in Apuliam tranſiturus Tabernam obſidere conſtituit.Prius tam ẽ ne quid in Calabriæ partibus improuiſi reperiret obſtaculi,Rogerium Marturanẽſem,qui non paruæ tunc auctoritatis apud Calabros habebatur,in Siciliam euocatum, cum proditionis eum argueret, in carcerẽ retrudi iuſſit,oculiſq; priuari,neq; conuictũ,neq; ſolenniter in iure cõfeſſum,prout ordo iudiciarius expoſcebat.Cũ ergo Tabernam exercitũ traduxiſſet,iniquã loci poſitionẽ & conſcenſum arduum conſpicatus,cum omnes fere de captione oppidi deſperantes cenſerent in Apuliã ad maiora negocia properandũ,interimq; Tabernam omitti debere vſq; ad reditũ, nec ibi multum tempus inefficaciter conſumendum,conſtanter aſſeruit non prius inde ſe quam oppidum captum fuerit abſceſſurum: ipſaq; die tam milites quam pedites armari præcepit,& ad oppidum oppugnandum impetu facto conſcendere. Oppidani vero deſuper miſſis molaribus, etiam dolia quæ præacutis armata clauiculis ad murum ſuſpenderant, per præcipitium dimittentes, obrepentium multitudinem proterentes facile proturbabant. quorum plurimis interfectis, reliqui fruſtra multumque fatigati, plerique etiam affecti doloribus & vulneribus, ad exercitum redierunt.Paucis autem interiectis diebus, iubente rege denuo viros armari tentarique fortunam , omnes ad buccinarum ſonitum vnanimiter irruentes,primo tumulum quendam magnis occupauere conatibus, arduum quidem,ſed modica ſuperius diſtentum planitie,qui ex vno latere muris oppidi contiguus adhærebat:dehinc illatis ſcalis, primo muros impetu non ſine rei periculo tranſcenderunt. Neque ſatis video quî tam facilis in oppidum irruptio fieri potuit, niſi quod oppidani loci fortitudini temere confidentes, muros negligẽtius obſeruabant. nec enim ibi proditione vel oppidanorum diſcordia quicquam accidit, & militum eis virtus ac copia ſuppetebat, ducesque bellicarum rerum expertiſſimi, quibus & ad audendum animus, & ad prouidendum conſilium non deeſſet. Hoc vtique conſtat,quod miſere turpiterq; captum oppidum milites deprædati, Comitiſſam & matrem eius,ipſiuſque rei principes Alferium & Thomam eiuſdẽ Comitiſſæ iunioris auunculos ad regem cum aliis pleriſque militibus perduxerũt. Quorum Alferius ibidem iuſſu regis eſt ſupplicio deſtinatus, Thomas vero Meſſanæ ſuſpenſus: reliqui milites partim abſciſſione manuum, partim oculorum amiſſione mulctati. Porro Comitiſſa cum matre ſua Meſſanam, inde Panhormum tradu&a eſt carceri mancipanda. Quod vbi nunciatum eſt Comiti Lorotelli, Tabernam præter ſpem & opinionem omnium ſubito captam atque deletam, licet equitum peditumque numero longe regis anteiret exercitum, metuens Longobardorum fidem ancipitem,quam nõ ſine magno periculo damnoque ſæpe prouauerat,maluit cedere quam belli fortunam cum infidis militibus experiri: Tarẽtumq; reuerſus aliquot ibi milites ad vrbis præſidium dereliquit. Inde quædã oppida veluti cohortandi roborandique cauſa peruadẽs,cœpit paulatim in Aprutiorum terrã iter deflectere. Eiſdem diebus Ioharius eunuchus magiſter camerarius palatii,cum in exercitu multas a rege præter meritum (vt aiebat) iniurias pertuliſſet ac verbera,cum ſigillis regiis ad Comitem Lorotelli transfugiens,in itinere captus eſt,& ad regẽ perductus. Quem rex impoſitum lintri, deduci iuſſit in pelagus, ibique ſubmergi. Inde Tarentum peruenies,cum vrbem facile recepiſſet, quoſdam milites Roberti Comitis,quos ei ciues reddiderant, extra ciuitatẽ ſuſpendit: totamq; dehinc Apuliã ac Terram laboris pertranſiens, vniuerſa recepit quæ prius hoſtes inuaſerant.Quantũ enim inconſulte dudum ab eo deſciuerant, tanta nunc ad eum leuitate pariter confluebãt. Vniuerſas etiam ciuitates & oppida quæcunq; Comitẽ Lorotelli receperãt,vel aliquatenus ei cõſentiendo viſa fuerant recepiſſe, certã pecunię quantitatẽ redẽptionis nomine ſibi pendere cõſtituit,volẽs ea pecu-

nia quod de thesauris suis imminutum fuerat, resarcire: simulq; iustum existimãs, vt qui domos & possessiones suas, hostibus se dedendo, debuerant rigore iuris amittere, leui saltẽ eas precio redimere cogerentur. Prætera Ionathas Comes Cõsanus, Richardus Comes Fundanus, Rogerius Comes Acerranus, Mariusq; Burrellus, & alii qui societatem eorum sequuti fuerant, regis aduentu perterriti, partim in Aprucium, partim in Campaniam transfugerunt. Rogerius quoque Comes Auellini, regis iram censuit declinandam, eo quod nuper iniussu curiæ filiã Phœniciæ de sancto Seuerino duxisset vxorem: cuius etiam filius Gulielmus de sancto Seuerino cum Comite fugiens furorem regium declinauit. Comitissa vero cum obsessum castellum defendere niteretur, capta est, & cum matre sua Phœnicia Pãhormum transuecta. Dum hæc in Italia gererentur, interim fortuna Panhormi nouo inclementiæ genere sæuiebat, regisque discessum e Sicilia multorum est pericliatio consecuta. Nam Gaytus Martinus eunuchus, quem rex ad custodiam ciuitatis ac palatii Panhormi reliquerat, cum in captione palatii fratrem suũ a Christianis sciret occisum, nec eius facti certos reperisset auctores, in omnes Christianos atrociter occulteque desæuiens fratris mortem omnibus imputabat. Cum ergo plerique ciuium accusarentur, quod palatium cum proditoribus ingressi multã inde pecuniam abstraxissent, idque iuxta curiæ consuetudinem accusatores monomachia se probaturos assererent, eorum probationes tam prompte quam libenter admisit, & victores quidem tanquam de rege bene meritos collaudans, pœnas victis atrocissimas irrogauit: nactusque tempus ad vlciscendum fratrem idoneum, quod a paucorum temeritate fuerat inchoatum, ad multorum traxit perniciem. Hortabatur enim iuuenes & propositis præmiis incitabat, eos maxime quib. nullum aut tenue patrimonium erat, quosque virtute corporis partã gloriam affectare cognouerat, vt eiusmodi ciuium accusationibus audacter insisterent, dicens ob idipsum eos efficacissime regis posse gratiam promereri: & si quidem eos vinci cõtingeret, nihil mali passuros, cum regis ipsius causam agere viderentur. Tantaque iam vrbem rabies & furor incesserat, vt quisquis aduersus quempiam vetus odium exercebat, vel cum alio forte litigans in verborum proruperat contumeliam, statim ad Gayti Martini prætorium conuolaret, qui semper ad huiusmodi suscipiendas actiones paratissimus, omnibus sui copiam faciebat, his de rebus maxime cognituru. Eorum autem quos vinci contigerat, alios videntibus Sarracenis & illudentibus suspendebat, alios diuturnis cæsos verberibus, diuersis afflictebat tormẽtis, & in his accusationibus admittendis summam diligentiam adhibebat: sed cum in campum pugnaturi descenderant, sua parum interesse censebat, vter eorum victoria potiretur, dum fratris mortem posset in altero vindicare. At vbi iam contenuis malis & pœnarum atrocitate perterritis ciuibus, ratus procedebat accusator qui monomachiæ vellet subire discrimen, placuit mulierum quoque non solum honestarum & quæ integræ erant opinionis, verum impudicarum etiam & infamium delationes admittere: statuit seruos nihilominus & ancillas super eiusmodi licite postulare. Quorum sæpe suggestionibus vice probationum admissis, multorum quidem & opinionem læsit & fortunas exhausit, & corpora pœnis affecit. Interea rex totius Apuliæ rebus sedatis tumultuque composito Salernum accessit. Cuius aduentu præcognito, maxima pars eorum qui dissensionis principes fuerant, (quos Salernitani Capiturinos appellant) fugerunt, eo quod Comitibus Marrioque Burrello iurauerant. Cum autem Salernitanorum maiores regi vellent occurrere, rogaturi vt vrbem ingrederetur, simulque vt coniurationis principes vniuersos fugisse nunciantes, eos qui remanserant excusarent, ille nec vrbẽ ingredi voluit, & eos a conspectu suo submoueri præcepit. Nam aduersus Salernitanos plurimum indignationis conceperat, & exemplo Bari totam decreuerat destruere ciuitatem. Sed Matthæus notarius familiaris curiæ, cum & ipse Salernitanus esset, alios regis familiares, Richardum Syracusanum Electum, & Syluestrum Comitem multis precibus exorauit, vt modis omnibus eniterentur ne tanta tamque nobilis ciuitas deperiret. Henricus enim Aristippus antequam in Apuliam peruenisset, iubente rege captus fuerat, & Panhormum reductus: qui etiam in carcere

post

post non multum temporis, miseriæ simul & viuendi modum sortitus est. Electus ergo Syracusanus & Sylvester Comes diu multumq; regi supplicãtes, multis ei rationibus persuadere conabantur, vrbem famosissimam totique regno non parum decoris afferentem, ob paucorum scelera non oportere destrui, cum omnes ex vrbe proditores aufugerint. ac si forte quospiam illorum remansisse contigerit, eorum incumbendum suppliciis, neque populum immeritum ob aliena crimina puniendum. Rex autem cum difficile primum huiusmodi persuasiones admitteret, demum tamen multis assertionibus emollitus ab vrbis excidio se temperaturum spopondit, præcipiens Strategoto & iudicibus vt quotquot de numero conIo iuratorum in vrbe remanserant, ad se vinctos perducerent. At illi paucos ei viros quasi dissensionis principes tradiderunt: quos ipsa die iussit suspendi. Inter eos autẽ vir quidam eidem est supplicio proiectus, iudicio totius fere ciuitatis innoxius: qui (vt communis ciuium erat assertio) non modo contra regem nemini præstiterat iusiurandum, sed nec vnquam in vrbe visus fuerat seditiose quicquam egisse: verum Matthæus notarius iurgiorum iniurias ab illo propinquis suis illatas atrociter vlciscI desiderans, falso suggesserat regi, totius eum mali quod Salerni gestum fuerat, caput & principium extitisse: cuius statim innocentia manifestis est indiciis declarata, & euidenter apparuit aliquid fuisse cõtra iustitiam perpetratum, quod iusti rerum omnium iudicis oculos offendisset. Cum enim adeo serenus esset aer vt nullum prorsus in eo nubis vestigium appareret, tanta repente tempestas exorta est, tonitrua, coruscationes, & imbrium inundatio subsequuta, vt per totum exercitum instar rapidissimi torrentis, aqua decurreret, & tam ipsius regis quam cęterorum omnium tentoria paxillis auulsis, ruptisque funibus procella subuerteret: tantusque regem & vniuersum exercitũ terror inuasit, vt rerum omniũ iactura posthabita cogerentur de salute propria desperare. Illud etiam ad eius rei vindictã plerique referunt, quod postmodum Matthæi notarii propinquis accidit, non sine totius dispendio ciuitatis. Nam cum idem Matthæus adolescentem quendam neptis suæ nuptias recusantem, auctoritate metuque curiæ coegisset, & ad contrahenda sponsalia corrogati de maioribus ciuitatis cum vxoribus plurimi conueniIo sent, repente corruens domus, viros nobiles ac mulieres circiter LX. cũ ipsa puella quæ nuptui tradebatur, oppressit. Ea res Salernitanorum animos non aliter conturbauit, quam si Barbaris irruentibus captę iam vrbis viderent excidium immineré. Mulieres huc illuc sparsis crinibus discurrentes, vicos & plateas vlulatu complebant. Ciuium autem quidam extrahendis de ruina corporibus operam dabant. alii domestica lugebant incommoda, vel amicorum mœstitiam solabantur: nonnulli quoque miseram desolatæ ciuitatis fortunam mirabantur attoniti. Nam & apothecis clausis contractus nulli fiebant, & scholæ velut indicto silentio quiescebant, ipsosque iudices miserandum vrbis ac triste iustitium ab examinandarum litium cognitione suspenderat. Tota ciuitas luctui vacans Matthæi notarii detestaIo batur scelera, qui tanti causam præstitisset incommodi. sed & de rege nihilominus, vbi iam supra metum dolor excreuerat, inconsulte plurima loquebantur. Verum hæc eatenus præoccupasse licuerit, ne maiorem euagandi licentiam turbulẽtanarrationis series consequatur. Itaque rex vbi sedata vidit omnia, neque iam hostes vspiam comparere, (quorum alii transfretarant in Græciam, alii cum Comite Lorotelli ad Imperatorem Alemannorum confugerant, plerique rerum omnium inopes in Campania morabantur) reuersus in Siciliam palatio se concluSit, & ocio quietique vacare post laborem instituit, confidens non facile deinceps in regno quicquam turbinis emersurum. Nec multo post moriente Sylvestro Comite, Syracusanus Electus & Matthæus notarius soli consilio regis intererant, & regni Io disponebant negocia. Quibus socius datus est Gaytus Petrus eunuchus, qui post mortem Gayti Ioharii fuerat magister camerarius palatii constitutus. Matthæus ergo notarius cum iam plurimum posset in curia, constituerat Admirati ritus & consuetudines imitari, omnibusque se præbens affabilem, eis maxime quos oderat arridebat, ipsumq; regẽ adulationibus iã cœperat demulcere, sciens ob id ipsum Maionem ei maxime placuisse. Largitatẽ vero Maionis auaritia præpeditus

imitari

imitari non poterat, nec illi se, cum impeditioris esset linguæ, facundia similem exhibere. sed & abiectus generique concors animus in eam quæ Maionem foueratregnandi spem, non sufficiebat illum attollere, licet totis nisibus affectare & perquirere videretur, vt solus regia præditus familiaritate locum Admirati plenius obtineret, cum nomen efficaciter rege viuente sperare non posset. Neq; vero Syracusani Electi collegę sui fidelius amicitiam excolebat, aut alio venerabatur affectu quam Admiratus Panhormitanum olim Archiepiscopũ diligebat. Electus autem non multum eiusmodi versutiis & simulationibus operam dare decreuerat, ipsique regi maiori quadam fiducia loquebatur: indignum honestate sua iudicans, eatenus illi blandiri, vt vel occultaret veritatem, vel falsa pro veris impudenter ingereret. Eo tempore post subactos hostes & pacem integre restitutam, cum rex nihil vltra sibi crederet formidandum, repentinus eum casus edocuit, ita fortunam plerunque mortales eludere, vt vbi minus quis præcauerit, citius damnum aut periculum incurrat. Pauci namque viri, qui diuersis ex causis adhuc in carcere tenebantur, ne palatium quandoque nullum tyrannidis prætenderet argumentũ, cum iam de venia desperantes viuendi tædio vexarentur, fortunæ se commissum ire decreuerant, vt vel ea fauente cœptis euaderent, vel aduersante, morti potius vellent occurrere, quam eiusmodi miseriis affligi diutius, perpetuis horrendorũ carcerum pædoribus cruciandi. Itaque custodibus carcerum multis promissionũ pactionibus prius corruptis, nacti tempus congruum quo post distractam curiam palatium inobseruatum remanserat, cum pauci quidem essent numero, sed virtute præstantes, impetu facto primum ad portam palatii descenderunt, eo consilio vt Ansaldo castellano, quem ibi sedere cognouerant interfecto, facilius reliqua perpetrarent. At ille cum eos subito respexisset iam eis sublatis ensibus imminentes, nihil ex timore perturbato consilio, extra portam quæ semiaperta erat, tã prouide quam prompte desiliens, eandem toto conamine post se retractam venientibus illis opposuit, inter extrinsecam intrinsecamque portam loco tutissimo cõstitutus. Illi vero spe frustrati ad inferiorem ingressum palatii se transtulerunt, siue vt ad regem indeflexo gressu contenderent, siue vt ibidem in scholis regis filios inuenirent, quos eorum præceptor Galterius Cephaludensis Archidiaconus in campanarium primis rei motibus præcognitis asportarat. Acciderat autẽ Gayto Martino post primam ianuam in introitu sedenti viros quosdam assistere, quorum vnus irruentibus illis obuium se dedit, & primos ictus excipiens, eorum impetum retardauit, spemque sustulit. Interim enim Gaytus Martinus foribus obseratis intra palatium se recepit. Ita cum nihil eorum quæ sperauerant effecissent, subita virorum multitudine circunuenti, quæ cum Odone magistro stabuli repente confluxerat, ad vnum omnes interfecti sunt. Cadauera eorum proiecta canibus, prohibuit curia sepeliri. Rex autem vt eiusmodi casus discrimen in posterũ amputaret, & quod ei bis acciderat non oporteret euenturum denuo formidari, omnes incarceratos e palatio censuit remouẽdos: quorum alios iussit ad Castellum maris transferri, alios per diuersa Siciliæ castella distribui. Robertus autem Calataboianensis magister Castelli maris, vltimæ crudelitatis homo, cum esset eunuchorum amicissimus, & eorum omnino deuotus obsequiis, quoscunque Christianorum captos ad eum perduci contigerat, ingentibus cathenis oneratos crebris torquebat verberibus, & eos in noua quædam detrudebat ergastula: quæ, vt anteceſſorũ videretur tyrannidem superasse, plena fœtoris ac formidinis ipse construxerat. Ciues etiam multis afficiebat iniuriis, quotiesque aduersus eorum aliquem priuatum habebat odium, aut eius domum, vineam, hortum, vel omnino talium quidpiam affectabat, accusatum apud Gaytum Petrum, iussumque capi tandiu fame, siti, pœnisque variis affligebat, donec rem suam, vt euaderet, gratis dare, vel minoris quã valeret distrahere cogeretur. Volens autem plenius eunuchorum gratiam promereri, falso suggessit Gayto Petro, multos proditorum per Siciliam, maximeque per Lombardorum oppida remansisse, qui & opibus affluerent, & largissima prædia possiderent: impetrauitque vt eosdem liceret ei capere, & quantam posset ab eis pecuniam extorquere. Ea præditus potestate, multos viros innoxios per diuersa loca

loca Sicilię condemnauit: quibus hoc ſolum obfuit, quod vnde mitigari poſſet eunuchorum cupiditas inexpleta, penes ipſos contigit reperiri. Sed & Bartholomæus Periſinus, aliique iuſtitiarii, ſtrategoti, camerarii, catapani, Gayti Petri patrocinijs innitentes, innumeris plebem rapinis & iniuriis atterebant: hoc in omnibus iudiciis præcipuum attendentes, vt ab vtralibet partium, vel ab vtraq; ſi fieri poſſet, pecuniam extorquerent. Per totam autem Apuliam & Terram laboris in eos plurimũ qui minus poterant, redemptionis exactio ſæuiebat, expediretque regno Siciliæ hoſtilibus adhuc incurſibus fatigari, ne domeſticis populandum prædonibus traderetur. Cum ergo regnum ab externis tumultibus aliquandiu quieuiſſet, rex autem interim ocio quietique vacaret, timens ne quæuis occaſio voluptuoſum ocium impediret, familiares ſuos præmonuerat, vt nihil ei quod mœſtitiã aut ſollicitudinem poſſet ingerere nunciarent: ac ſe totum deinceps voluptati deuouens, cœpit animo latius vagari, cogitans vt, quia pater eius Fauariam, Mimnernũ, aliaque delectabilia loca fecerat, ipſe quoque palatium nouum conſtrueret, quod commodius ac diligentius compoſitum, videretur vniuerſis patris operibus præminere. Cuius parte maxima mira celeritate non ſine magnis ſumptibus expedita, antequam ſupremam operi manũ imponeret, dyſenteriam incurrens cœpit diuturno morbo diſſolui: ac duorũ fere menſium ſpacio, protracta valetudine denuo conualeſcens, cum iam eum medici crederent euaſurum, repente recidiuo morbo conſumptus interiit. Qui cum adhuc in extremis ageret, magnatibus curiæ cõuocatis, & archiepiſcopis Salernitano Rheginoque præſentibus, vltimam voluntatem ſuam exponens, Gulielmum maiorem filium poſt ſe regni ſucceſſorem cõſtituit: Henricum vero principatu Capuæ, quem dudum ei conceſſerat, voluit eſſe contentum. Reginam autem præcepit totius regni curam & adminiſtrationem (quæ vulgo balium appellatur) tandiu gerere, dum puer eius prudentiæ eſſet quæ negociis prouide diſponendis ſufficere putaretur. Electum quoq; Syracuſanum, Gaytum Petrum, Matthæum notarium, quos ipſe ſibi familiares elegerat, in eadẽ iuſſit familiaritate curiæ permanere, vt eorum regina conſilio quæ gerenda viderentur diſponeret. Nec multo poſt ingruente mortis articulo, communi iam luce defungens, præſentibus illis atque flentibus, regno vitaque ſe pariter abdicauit. At illi metuẽtes ne ſubito diſperſus rumor in populo motus quoslibet excitaret, iuſſerunt eum interim in ipſo palatio ſepeliri, ſimulantes eum adhuc viuere, donec ad curiam proceribus euocatis, quæ ad coronandum regem putabantur neceſſaria, præpararent. Quod vbi paucis diebus peractum eſt, primum in palatio more lugubri funere conclamato, repente totius luctus ſubſequutus eſt ciuitatis. Moxque proceres cum epiſcopis & magnatibus curiæ de loco vbi ſepultum fuerat, in capellam corpus regium tranſtulerunt. Vniuerſi quoque ciues nigris induti veſtibus vſque in diem tertium in eodem habitu permanſerunt. Per totum autem hoc triduum mulieres nobileſque matronæ, maxime Sarracenæ, quibus ex morte Regis dolor non fictus obuenerat, ſaccis opertæ, paſſis crinibus & die noctuque turmatim incedentes ancillarum præeunte multitudine, totam ciuitatem vlulatu complebant, ad pulſata tympana cantu flebili reſpondentes.

At vbi dies tranſierunt luctui publico deſignati, Gulielmus qui iam fere XIIII. annum ætatis attigerat, ſub ingenti plebis gaudio rex creatus per vrbem ſolenniter equitauit. Qui cum pulcherrimus eſſet, ea tamen die neſcio quo pacto pulchrior apparens, & auguſtiorem quandam in vultu præ ſe ferens venuſtatem, adeo gratiam & fauorem omnium promeruit, vt etiã hi qui patrem eius atrociter oderant, neque putabantur fidem vnquam eius hæredibus ſeruaturi, dicerent, humanitatis eum terminos tranſgreſſurum, qui aduerſus puerum hunc aliquid impie moliretur. Sufficere enim malorum auctorem ſublatum eſſe de medio, nec innocenti debere puero patris tyrannidẽ imputari. Erat autem eius puer pulchritudinis, quæ facilius quidem parẽ excludere videretur, quã ſuperiorẽ admittere: Itaq; regina, vt plebem ac proceres ſibi filioq; gratos efficeret, ſtatuit eorum gratiã copia meritorũ elicere, & fidẽ, ſi fieri poſſet, immenſis ſaltẽ beneficiis extorquere.

Ac

Ac primum vniuersa recludi iussit ergastula, plurimamq; multitudinem virorum tam in Sicilia quã in adiacentibus insulis liberauit. Inde redemptionis onus importabile, quæ totam Apuliam Terramque laboris vltima iam desperatione cõcusserat, omnino censuit amouendum: scripsitque magistris camerariis, vt a nemine deinceps quicquam nomine redemptionis exigerent. Familiares autem curiæ nõ in eo gradu quo fuerant aut dignitatis æqualitate voluit permanere. Nam Gayto Petro summa rerum omnium potestate concessa, super omnes eum eminentiori loco constituens, Electum Syracusanum, Matthæumque notarium præcepit, vt eius coadiutores, interesse quidem cõsiliis & familiares appellari, sed eius in omnibus imperio subseruire. Idem autem Petrus, licet parum consulti pectoris, & incõstantis esset animi, mansuetus tamen, benignus, & affabilis erat, & nullum in actibus suis mali animi præferens argumentum. Largitatem quoq; præ cunctis amplectens virtutibus, dare quam accipere beatius æstimabat: vnde & milites eum plurimum diligebant, & eius per omnia voluntatem & imperia sequebantur, & nisi gentile vitium innatam viri mãsuetudinem præpediret, nec eum pateretur Christiani nominis odium penitus abiecisse, regnum Siciliæ multa sub eo tranquillitate gaudebat. Erant eo tempore Panhormi circa curiam commorãtes Archiepiscopi quidem Rumoaldus Salernitanus, & Rogerius Rheginus: episcopi vero, Gentilis Agrigentinus, & Tustanus Mazarienſis. Quorum Gentilis Agrigentinus episcopus ob timorem regis diu simulatæ religionis vmbram amplexus, sub eius obtentu, popularis laudis gloriam venabatur, & diuturnis ieiuniis satagebat fauorem regium promereri: post obitum vero regis sublato iam metu cœpit velut excusso fræno liberius euagari, & omissis ieiuniis dissolutiorem vitam agere, conuocatisque militibus crebra conuiuia splendidissime celebrare: interim inter epulas loqui plurimũ, & (quod ei familiare semper fuit) de rebus notissimis audacter mẽtiri: vt, qui consuetudinem eius iam habebant expertam, ipsius impudentiam deriderent: qui vero minus eum nouerant, miratentur apertissimam falsitatem episcopum tam impudenter astruere. Tum genus suum, operaque sua magnifice loquebatur: tum se spondebat, si familiaris esset curiæ, malas omnes consuetudines abrasurum: neque sub se notariorum & hostiariorum, cæterorumque officialium curiæ rapinis & exactionibus locum fore, sed ad certum mensurę compendium omnia restringenda. Electoque Syracusano maxime detrahens, multorum ei conflabat odium, & apud plebem procereſque, eius opinionem lædere conabatur. Ad obtinendam enim Panhormitanæ sedem ecclesiæ totis ambo nisibus anhelabant. Hic igitur archiepiscopo Rhegino (viro inexpletæ cupiditatis & auaritiæ, qui vt propriis sumptibus parceret, alienæ mensæ nidore facile trahebatur) crebris ac splendidis inescato conuiuiis, aduersus Electum Syracusanum animum irritauit, eumque sibi socium adhibens, archiepiscopum Salernitanum eiusdem veneno conspirationis infecit, dicens Electi Syracusani superbiam iam vlterius sustineri nõ posse, satis eum superque de rapinis pauperum ingentem coaceruasse pecuniã, & inferendo multis iniurias, nec ipsis quidem episcopis peperciſſe. nunc elaborãdum vt a curia separatus tandem intelligat alicuius eos esse momenti, quos in familiaritate regia constitutus, erecto collo rigentique ceruice grandia verba trutinans, tanquã sibi subiectos despexerit, nulloque dignos honore putauerit. Matthæo quoque notario non difficile persuasum est, vt eidem se societati coniungeret, quem aduersus Electum inuidiæ stimulus incitarat. Occulte tamen id se facturum promisit, ne crudelitas nimia videretur, in eum repente sine manifesta causa patenter irruere, cuius diu socius extitisset. Timebat enim ne forte res aliorsum ac opinabantur vergeret: ideoque se nõ audebat hostem apertum ostendere. Enimuero præter eas quæ dictæ sunt, priuatas singulorum inimicitias, alia quoque causa subera quæ in odiũ Electi satis eos efficaciter inducebat. Aiebant enim Transalpinæ gentis superbiam, quæ hactenus potestate prædita curiæ, fretaq; regum amicitia Longobardos impune multis exacerbasset iniuriis, deinceps a curia penitus excludendam, si prius Electum amoueri contigerit. Eo namque semel expulso, nec eius gentis quempiam in curia remansurum, ipsumq; regem cũ ad ætatẽ discretã peruene-

peruenerit, eos habiturum familiares inter quos nutritus fuerit, & quos eum vsus longæuus consuetudoque docuerit, neque peregrinis & aduenis, quorum mores vt ignotos abhorreat, dignitates curię collaturum. Cœperunt itaq; cum Gayto Petro equitare singulis diebus, frequenter ei assistere, & honorem ac reuerentiam vltra quam episcopalis pateretur dignitas, exhibere. Inde familiarius eum admonēt, vt notos & amicos circa se semper habeat, nec ignotum quempiam ad se patiatur accedere. nam Electum Syracusanum, cum in curia superiorem pati non possit, cū quibusdam aliis inisse consilium vt ipsum interfici faciat: ideoq; dandam operam vt illius possint insidiæ præcaueri. Ille, vt erat pronus quicquid sibi suggestum foret credere, collaudās eos, rem ad amicorum transfert notitiam: quorū cōsilio statuit, non solum a curia Syracusanū Electum expellere, verum etiam eligere viros qui eū in ipsius ingressu palatii gladiis exceptū confoderent. Interimq; regis militibus eorumque comestabulis denunciari præcepit, vt nullus eorum cum Electo deinceps equitare, vel ad curiam euntem sequi præsumeret. Electus licet multorum relatu quæ facta fuerant agnouisset, neque se tamen aduersus eorum consilium aliquatenus præmuniuit, neque segnius ob hoc ad curiam singulis diebus ascendit, vt, quicunq; periculū rei cognouerant, securitatem illius & fiduciam mirarentur. Cūque sæpe palatium ingressus propositas insidias offendisset, eo viso Gaytus Petrus, vt erat natura mitissimus, ad eius salutationem statim mutabat cōsilium, & a perpetrādo scelere milites auertebat: illoque recedente, crebris episcoporū stimulationibus denuo incitatus, spondebat se proculdubio quod suaderent facturū: vbi ad rē ventum erat, rursus a proposito decidebat. Videntes autem episcopi Matthæusq; notarius rem inutiliter diu protrahi, persuaserunt ei vt, si vellet pius in impium esse, bonumq; pro malo reddere decreuisset, saltem illum a curiæ familiaritate semotū ad episcopatum suum transmitteret, eiusq; loco Salernitanum Archiepiscopū subrogaret. Quod ille se facturum promisit, parumque diligenter rem exequens, eorū animos expectatione longa speque dubia suspendebat: cæteriq; iam dilationis tædio fatigati, ab eo quod inceperant facile destitissent, nisi Archiepiscopus Rhegi-
nus continuis eos persuasionum stimulis incitasset. Summo namque mane domos illorum incipiens circuire, ad perficiendum susceptum negocium singulos incitabat, & ne deficiendo tepescerent hortabatur: increpansq; desidiam illorum, & inertes eos appellans, eiusmodi exhortationibus totum diei spatium consumebat, & diffidentes animos in spem iterum erigebat. Adhuc enim ob sanctitatis opinionē omnes eum venerabantur, & eius libenter admittebant consilium, nondum ipsius hypocrisi denudata. Erat autem ętate iam vergens in senium, statura procerus, vltima consumptus & extenuatus macie, vocem adeo debilem habens, vt quasi sibilus audiretur. faciem vero totumque corpus nigredini mixtus pallor infecerat, vt sepultis quam viuentibus videretur affinior, habitumque mentis color extrinsecus indicaret. Laborem nullum difficilem æstimabat, vnde lucri quidpiā speraretur: famis ac sitis vltra morem humanum patiens, vt sumptibus parceret: domi nunquam inter epulas lætus, in alieno nunquā tristis conuiuio: totos sæpissime dies ieiunus pertransiens, expectabat vt eum aliquis inuitaret. frequenter enim consueuerat eū vocare episcopus Agrigentinus, aliiq; qui consuetudinem eius cognouerant. Huius indesinenter monitis Salernitanus archiepiscopus eiusq; socii, velut quibusdam stimulis incitati, multas aduersus Electum Syracusanū machinationū adinuentiones & versutias consumebant. Regina vero nihilominus eisdem consentiebat consiliis, nec illius ipsi persecutio displicebat, eo quod adhuc viuēte marito suo, cum pro quibusdam negociis suis aliquoties Electo preces porrigeret, ille (vt in prosperis semper elatus, contemptorem induebat animum) superbe nunciis mordaciterque respondens, nunquam eius petitiones efficaciter admittebat. Sed & Ioannes Neapolitanus ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui forte tunc aderat, videns eo schismate curiā laborare, partes suas interponere studuit, & Gayto Petro consentiens, Electum a curia nitebatur expellere. Quod eo consilio facere putabatur, quia Gayto Petro deincepsque per eum reginæ persuaderi posse credebat, vt Panhormitanam ecclesiam ei regendam committerent: ipsoque sperabat

dissensionis auctores ob inuidiam Electi facile consensuros. Dum ita Syracusanus Electus graui persecutionis turbine quateretur, nunciatum est Panhormi Gilbertum Comitem Grauinẽsem, reginæ consanguineum, post auditam regis mortem ad curiam venientem Pharum transisse. Quo permoti rumore persecutores Electi, paulisper ab inceptis machinis quieuerunt, ad aliam necessario deliberationem traducti. Constabat enim ob hoc venire Comitem, vt totius regni Magister capitaneus esset constitutus, negocia curiæ post reginam principe loco disponeret. Sed neque Reginæ sic ferebat animus, vt Gaytum Petrum quem plurimum diligebat, secundo post aliquem loco poneret, nec ea Comes venerat præmunitus manu militum, vt ipsa nolente cæteros posset a curia familiares excludere. Electus ergo missis ad eum occulte nunciis, persecutionem suam & quas passus esset iniurias illi aperuit, monuitque, vt circumspecte se habens Siculorum præcaueret fallacias, sciturus a Gayto Petro cæterisque sociis eius proculdubio sibi paratũ iri insidias. Ad hæc Electo Comes rescripsit, vt securus decętero permaneret: nam se diligenter super his omnibus eius ipsius cõsilio prouisurum. Cum autem Panhormum venisset, cœperunt ad eum Gayti Petri fautores crebrius conuenire, studium eius & prudentiam laudare, quod audita regis morte sine dilatione reginam consolatum venerit: dein assentantes illi blandiri, & se suaque voluntati eius exponere. Interim ei latenter apud reginam tum per seipsos, tum etiam interposita Cardinalis auctoritate detrahere. Nam & ipsa postmodum prodente cognitum est Iohannem Neapolitanũ ei suggessisse, & paratum fuisse iurare, quod Comes illi baronum & omnem imperãdi facultatem auferre, sibiq; transsumere conaretur. Comes vbi certius expectationem suam animaduertit eludi, neque bonum erga sereginam animum gerere, statuit asperioribus cum ea verbis agere: eamque præsente Gayto Petro secretius alloquens, cum de rebus illam plurimis cõuenisset, subiecit rem omnibus dignam videri miraculo, quod non aliter curiam ordinaret, cum in eo statu non posset diutius permanere. Iã enim vniuersos proceres indignari, quod omissis Comitibus aliisq; viris prudentibus, quorum oportebat consilio curiã regi, toti regno seruum effœminatum præfecerit. Nec enim regem sanum habuisse consilium, aut eius debere super hoc iussionem impleri, qui viros contemptibiles, immo deuiratos homines, ad regimen regni putauerit posse sufficere. Sed & hoc insanius esse, quod aduersus Electum Syracusanum, virum prudentem regnoque necessarium, ob quem solum inconsulta regis decreta videbantur aliquatenus excusari, nescio qui conspiratores eam mouerint, & ipsum a curia censeant amouẽdum. At illa respondit, regis vltimam voluntatem, quam maxime deceat obseruari, sua nunquam infirmatum iri opera. Quod si Gaytus Petrus ad administrationẽ regni parũ sufficiens putabatur, ipse cũ eo familiaris in curia remaneret, vt auctoritate & prudentia sua quod deerat curiæ suppleretur. Tunc indignatus Comes, Bene, inquit, honorem mihi debitum vt consanguineo detulisti, præclare mihi locum reseruaueras dignitatis, quæ seruo tuo parem me facere disponebas. At ego mores ingeniumque tuum cognoui, neque me latet consilium tuum: scio te quidem facturam vt ab administratione regni turpiter expellaris. Iam enim per totã Apuliã opera tua fama dispersit: iã hic etiam quod plenius ibi dicta corroboret intellexi. His aliisq; non mitioribus eam verbis aggressus, deincepsq; paulatim in apertam verborum contumeliam prorumpens, tandem ad lachrymas coactam, nihilo tamen segnius eius proposito reluctantem deseruit, iratusq; domum reuersus est. At Gaytus Petrus cum aperte Comitis animum ex ipsius dictis vt præsens aderat cognouisset, arbitratus ei viribus resistendum, cœpit animos militum beneficiis sibi largisq; donis allicere. Erãt tunc consiliorũ eius participes duo viri nobiles, in quib. maxime confidebat, Hugo filius Atonis, vir tã prudens quã armis strenuus, quẽ militib. suis ipse præfecerat, & Richardus de Mandra magister comestabulus, qui cum Roberto Comite Lorotelli rebus diu bellicis insudauerat, audaciæ plurimũ habens, prudentiæ parũ. Proceres ergo cæteriq; viri nobiles quicunq; prædia vel feudorũ quidpiã possidebant, Comitem malebant præesse curiæ capitaneũq; cõstitui: milites vero stipendiarii cũ comestabulo suo præter paucos trãsmõtanos,

Gayti

Gaÿti Petri munera sequebantur. Qui cum Richardi comestabuli fidem multis sibi non ambigeret beneficiis obligatam, eo tendebat vt eundem factum Comitem quasi propugnaculum quoddam aduersus Comitem Grauinensem erigeret, vt velut ex æquo deinceps Comes Comiti plena posset auctoritate resistere. Quod non difficile porrectis super hoc reginæ precibus impetrauit. Hic itaque non sine multorum indignatione Comes creatus, tubis, tympanis, cymbalisque de more solenniter præeuntibus, Bouianum, Venafrum integreque vniuersa oppida quæ ad Comitatum Molisii pertinebãt, obtinuit. Cœpit interea Gaytus Petrus frequẽter cum ingenti multitudine militum hostiariisque sagittariisque præcedentibus equitare, vniuersis ad se confluentibus multa largiri, & sibi quos poterat sacramẽtis astringere. Comes autem Grauinẽsis hæc omnia velut negligere dissimulando, paucorum comitatu contentus esse, eoque ipso Gayto Petro suspectior fieri. Coniectabat enim notæ virtutis industrię callidum dissimulare propositum, & occulte cum Electo Syracusano magnum aliquid machinari. Ex ea demum suspicione timorem concipiens, Comitis consilium per amicos diligentius inquirebat. Cumque multi nihil esse timendum assererent, & addita spe niterentur labãtem eius animum roborare: plures ad eum secretius accedentes, parari sibi latenter insidias astruebant. Ita variis dissonisque concussum rumoribus eo desperationis impulerant, vt non aliter se quam nocturna fuga speraret manus Comitis euasurum. Itaque sagitteam quanta potuit celeritate faciens præparari, nautis, armis, cæterisque rebus necessariis eam præmuniit. Cumque thesauros suos fecisset illuc sub noctis silentio comportari, sequenti die post occasum solis fingens se nouum adire velle palatium, (quod in ea parte ciuitatis quæ vocatur Kemonia nuper construxerat) cum paucis eunuchis quos secum decreuerat abducendos, ad mare perrexit: ibique dimissis equis nauem conscendens, ad Masmudorum regem in Africam transfretauit. Quod cum summo mane fama per populum dispersisset, eorum qui partes eius sequuti fuerant animos inopinatæ rei perturbauit euentus: Gilbertum vero Comitem eiusque fautores in amplioris spei fiduciam extulit, arbitrantes propositum suum nullo posse deinceps obstaculo præpediri. Dicebant autem plerique, & hæc erat plebis opinio, quod Gaytus Petrus præter immensi ponderis aurum (de quo dubium non erat) plurima quoque secum abstulerat regiæ dignitatis insignia. Quod tamen regina constanter denegãs, asserebat nihil eum penitus de thesauris regiis attigisse. Cum ergo post hæc ad palatium episcopi, Comites, & familiares curiæ conueniissent, diuque super eo quod acciderat inuicem disceptantes, causam modumq; rei disquirerent, subintulit Comes Grauinensis, hæc & deteriora se prius quam acciderent timuisse. nam insanum fuisse consilium, seruum Sarracenum, qui stolium quoque dudum prodiderat, in tantam attollere potestatem. Illud quidem maiori dignum miraculo, quod non latenter introductis Masmudis in palatium regem ipsum cum omnibus thesauris fecerit asportari. Quod profecto decreuerat se facturum, si quidem ipsi liceret ea quam vsurpauerat vti diutius potestate. Hæc & his similia Comitis dicta moleste ferens Richardus Comes Molisii, respõdit Gaytum Petrum seruum quidem (vt aiebat) fuisse, sed in testamẽto regis solenniter manumissum, eamq; libertatis dationem noui quoq; regis & reginæ priuilegio roboratam. Quod si vel ipse, vel alius quilibet in eam prorumpere velit audaciam, vt eundem Gaytum Petrum proditionis arguat, paratum se defensionem eius suscipere, & singularis pugnę iudicio fidem absentis astruere. Qui cum instans periculum, & paratas insidias aliter euitare non posset, nihil mirandum si timore mortis aufugiens quocunque pacto vitæ cõsuluit: in eum culpam refundi debere, qui minis eum & terroribus adactũ fugere compulisset. His itaque velut quibusdam litigandi iactis seminibus, alterna responsione Comitum eo vsq; res processit, vt Richardus Molisii Comes eo quo loquebatur impetu Comitem Grauinensem timidum appellaret, indignumq; cui regis committeretur exercitus: & nisi qui aderant sese medios iniecissent, inter eos orta discordia non sine partis alterius graui dispendio sopiretur. Tunc iussu Reginæ precibusque magnatũ curiæ remissis hinc inde verborum iniuriis, ad concor-

diam sunt reducti, quæ tamen inter eos deinceps perfecte nunquam potuit solidari. Interea regina persuasionibus Richardi Comitis & aliorum qui Gayto Petro fauerant, adquiescens, occasionem sibi desiderabat congruã exhiberi vt Gilbertũ Comitem a curia remoueret, ita tamẽ ne quid eius odio facere videretur. At Matthæus notarius, qui cæteris omnibus astutia præeminebat, ad Maionis artes cõfugiens, famam excitat aliquanto iam tempore quiescentem: rumores dispergit in populo, literas falsas conscribit Imperatoris Alemannorum aduentum certissime continentes, easque velut a remotis regni partibus regi transmissas coram omnibus euoluit ac recitat. hoc enim ad eius officium pertinebat. Hinc opportune regina quæsitam occasionem eliciens, Comiti Grauinensi præcipit, multumq; blandiens exhortatur, vt, quia non negligenda necessitatis ingruat difficultas, cui potissimum ipse videatur sufficere, maturet in Apuliam proficisci, aduersus Imperatorẽ exercitum præparet, ciuitates ne dubia fide vacillent admoneat, castellaq; faciat præmuniri. Atque ille, tametsi non ambigeret hos aduersum se machinationum riuulos de Maionicis fontibus emanasse, videns tamen se contra reginæ voluntatem nihil in curia profecturum, operæprecium ratus est eorum non aduersari consiliis, ne si, quod occulte se facturos sperauerant, viderent secus accidere, posthabitis simulandi fallendique consiliis, aperte iam eum licet reluctantem vt-pote fortiores expellerent. Igitur Apuliæ Terræque laboris capitaneus constitutus, cum filio suo Bertranno, cui nuper Andriæ Comitatus datus fuerat, Pharum transiit, & in Apuliam reuersus est. Eius autem loco regina Richardum Mandrensem Molisii Comitem, eo quod Gaytum Petrum fidelissime dilexisset, curiæ familiarem constituit, & maiorem ei quam cæteris familiaribus contulit potestatem. qui cum ob familiaritatem curiæ, tum ob præcipitem eius audaciam, tum etiam quia militibus adhuc velut comestabulus præerat, ab omnibus maxime timebatur. Interea litem aduersus Electum Syracusanum, quæ timore Comitis aliquanto tempore sopita fuerat, episcopi rursus instaurant, reginæ suggerentes illius opera factum vt Gaytus Petrus aufugeret. nam Gilbertum Comitem eiusdem literis ad curiam euocatum, & in via clandestinis nunciis quid agere deberet edoctum. Satis eum impune reginam totamque curiam offendisse, perturbasse, magnisque obiectasse periculis: neque mirum, cum ipsa facinorum impunitas audendi quicquid libitum fuerit præstet illi fiduciam. Quod si solum ipsa consenserit, facile se facturos vt literis pontificis Romani citatum oporteat eum Romam proficisci, nec in ea super hoc possit culpæ quidpiam retorqueri, cum nec eius factum videatur consilio. Post consecrationem vero suam velut iam curiæ familiaritate priuatum, ad episcopatum suum recto tramite reuersurum. Assentiente regina, idque sibi gratum fore modis omnibus attestante, die cõstituto Ioannes Neapolitanus harum machinationum princeps, vocatur ad curiam, paucisque de negociis ecclesiæ Romanæ pro quibus venerat verbis ante habitis, Papæ literas demum ostendit, præcipientis vt omnes Electi Siciliæ quorum ad Romanum Pontificem spectat consecratio, Romam pergerent consecrandi. His in præsentia regis ac reginæ totiusque curiæ perlectis, adiecit sibi Papam præcepisse, vt quod literis deerat ipse suppleret, & præfatis Electis ex parte sua, certum quo consecrari deberent terminum præfiniret. Ad hæc Electus respondit paratum se mandatum Papæ libenter quamprimum potuerit adimplere, sed neque terminum quẽ Cardinalis ipse præfixerit, recepturum, nec omnino siquid præter literarum tenorem superaddere velit facturum. His aliquanta disputatione protractis, cum Electus prudenter ad singula respondendo spem Cardinalis aliquatenus elusisset, magna diei parte consumpta simul e palatio descenderunt. His diebus Gulielmum regem quem viuentem velut atrocissimum tyrannum oderant, plurimi mortuum deflere, videntes priuatis inimicitiis regni postponi negocia, thesauros multis artibus inaniri, & contra dignitatem curiæ regnique priuilegia plurima perpetrari. Electus quoque cum aliquando multis præsentibus vellet eiusdem regis mortem damnosam innuere, Catonis dicta præsenti tempori coartabat, qui Pompeii morte cognita

Ciuis

Ciuis obit, inquit, *multum maioribus impar*
Nosse modum iuris, sed in hoc tamen vtilis æuo.

Nec illud reticẽdum arbitror, quod cum ad Cardinalem magnates curiæ die quadam, cæterique proceres & episcopi conueniſſent, aderat inter eos notæ loquacitatis & vrbanæ quidam inſaniæ, qui ob ſtultitiam ſuam libere quidem & nimis quandoque mordaciter in ipſos etiam familiares inuehi cõſueuerat, & aſſidue curiam ſequebatur. Hic cum vniuerſos ſolitis verborum contumeliis afficiens ad riſum ſingulos permouiſſet, tandem omiſſis cæteris Ioannem Neapolitanum intuitus, Quot, inquit, o Cardinalis, videtur tibi miliariis Panhormum ab vrbe Romana diſtare? Cumque reſponſum eſſet xv. dierum itinere: At ego, inquit, te videns toties tamque ſecure tanti difficultatem itineris quaſi negligendo diſcurrere, non ampliori ſpacio nos ab Romanis abeſſe quam xx. miliariis arbitrabar. Nunc autẽ intelligo, quia ſpe lucri ductus pericula tanta contemnis, ſentiens in manus ſtultorum theſauros palatii deueniſſe. Quod ſi Gulielmus ſenior viueret, neque Romam redires ita ſuffarcinatus auro Siciliæ, neque Panhormum toties recurreres, vt contentiones & rixas in curia ſuſcitares. Hoc illius dictum cum aſtantibus placuiſſet, ſubito diſperſum in populo, multam aduerſus Cardinalem plebis inuidiam excitauit, verſumque eſt in prouerbium, Iohannem Neapolitanum ab vrbe Romana vſque Panhormum xx. miliaria computare. Ille tamen nihilo ſegnius Electum Syracuſanum contemptus arguens, propinquum ei terminum aſſignabat, vt maturius iter arripere cogeretur. Electus autem videns illum in propoſito pertinacem, timenſq; ne ſi contra Cardinalem aduerſante regina quæ iura regni tueri debuerat, aperte libereque velit contendere, Romani pontificis offenſam incurrat, ad aliud ſe transfert conſilium, & Richardi Comitis qui plurimum apud reginam poterat, multa perſuaſionum inſtantia largiſque muneribus gratiam ſibi conciliat, & cum eo firmat amicitiam, cæterorum deinceps odia paruipendens. Cum ergo rurſus omnes ad curiam conueniſſent, cœperunt fictis rogare precibus Cardinalem, vt maiores Electo daret inducias. Qui cum id ſe facturum negaret, reſponderunt eius oportere fieri voluntatem, nec Electum debere vel poſſe Romanæ curiæ iuſſionibus obuiam ire. Tunc Richardus Comes ex abrupto (vt erat impetuoſus) in verba prorumpens, Miror, inquit, vos vtilitate regni poſthabita, in eo fixos conſilio vt Electum Syracuſanum, virum prudẽtem & curiæ neceſſarium, velitis expellere, cui rex & dum viueret præ cæteris familiaribus honorem exhibuit, & in extremis agens filios ſuos præ cunctis vnice & attentiſſime commendauit. Ego certe neque conſilium iſtud adprobo, neque ſalua fidelitate regis id fieri poſſe perſpicio. Sed neque regina pati debet, vt idem vel conſecrationis cauſa, vel occaſione qualibet a curia ſeparetur. Ad hæc verba Comitis mirantibus aliis atque tacentibus, cum eũ Cardinalis poſt conſecrationem ſuam ſtatim diceret reuerſurum, regina mutato conſilio reſpondit, Electi præſentiam curiæ neceſſariam eſſe, nec eum in præſens poſſe quopiam proficiſci, alias iturum cum temporis opportunitas pateretur. Sic hoſtium machinis diſſolutis, & conſiliis redactis in nihilum, Electus in curiæ familiaritate permanſit. Per idem tempus Richardus de Sagio Panhormum veniẽs, vxorem ſuam ſororem Bartholomæi Periſini ſecum adduxerat, vt ea dimiſſa neptem archiepiſcopi Capuani nobiliſſimam meretricem, cuius amore dudum captus fuerat, matrimonio ſibi coniungeret. Hic cum Apuliæ diu capitaneus & magiſter comeſtabulus extitiſſet, toties aliis rebellantibus fidem inconcuſſam retinens, nunquam ab rege defecit. Quem regina benigne ſuſcipiens, dedit ei Comitatum Richardi de Aquila Fundani Comitis, qui ſine ſpe reditus in Romanorum finibus exulabat. De ſoluendo quoque matrimonio præcepit curiæ familiaribus, vt conuocatis epiſcopis aliiſque perſonis eccleſiaſticis, & auditis vtriuſque partis allegationibus, quod inde dictaret æquitas expedirent. At illi rogauerunt Cardinales, vt eiuſdem intereſſent examinationi negocii, eo quod ipſi promptiorẽ harum rerum haberent notitiam, cum Romana curia frequenter ſuper huiuſmodi cauſis cognoſceret. Ioannes ergo Neapolitanus eorum facile petitioni conſenſit. Epiſcopus autem Hoſtienſis vir honeſtatis non dubiæ, cum ſocium ſuum vidiſſet

muneribus & gratia esse corruptum, eoque ipso recte iudicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit vt eorũ vellet iudiciis interesse. Causa vero propter quam prædictus Richardus putabat oportere dissolui coniugium, hæc erat, quod se dudum ante contractum matrimonium cum quadam vxoris suæ consobrina rẽ habuisse dicebat. Cuius rei testes processerant duo milites, hoc se vidisse certissime protestantes. Quod cum aduersa pars denegaret, essentq; qui falsum eos perhibere testimonium probaturi assererent causam eiusmodi crederent, & si cõstaret ad soluendum matrimonium posse sufficere, sed vt obiecti consanguineę suæ criminis iniuriam propulsarent, Cardinalis rem breuiter satagẽs definire, prædictos testes iurare præcepit. Inde soluto matrimonio, & ab vtraq; parte de non coeundo deinceps præstito sacramento, Richardo potestatem dedit ad secundas nuptias licite transeundi: illam autem iussit sine spe cõiugii permanere. In quo licet eum ecclesiastici viri qui aderant, Richardi de Sagio & amicorum eius gratiam secutũ fuisse non ambigerent, illud tamen propensius mirabantur, quod viro qui deliquerat absoluto, mulieri quæ nihil admiserat, perpetuam continentiam indixisset. Cumque latenter eius impudentiam arguentes, tentandi gratia quærerent ab eodem, vtrum in causis paribus idem ius consequenter admitterent, respondit sibi licere quod eis non liceret, neque nunc id se fecisse vt id consequendum aliis traderetur. Tunc etiam Panhormi morabatur quidam reginæ frater, qui morte regis audita, nuper in Siciliam ex Hispania transfretarat, multosque milites Hispanos spe lucri secum adduxerat. Quem (vt eorum pleriq; qui cum ipso venerant asserebant) rex Nauarrorum nunquam filium suum vel esse credidit, vel dici voluit, indignum existimans, eum quem mater multorum patens libidini vulgo concepisset, regis filium appellari. Hunc ergo regina cum antea Rodericus diceretur, idque Siculi nomen abhorrentes velut ignotum & barbarum irriderent, Henricum appellari præcepit, & ei Montis Caueosi Comitatum integre dedit, oppidaq; Siciliæ quæ cum eodẽ Comitatu Gaufridus Comes olim tenuerat. Idem autem Henricus statura paruus, barbam habens rarissimam, subpallida nigredine cutem fœdatus, indiscretus, elinguis, præter alearum ac tesseræ ludum nullius peritiam vindicabat: nihilque aliud affectabat nisi vt haberet qui secum luderet, & pecuniam quam prodigus indiscrete ac temere posset effundere. Hic aliquandiu Panhormi commoratus, cum immoderatis sumptibus immẽsam pecuniam a regina sibi traditam facile consumpsisset, in Apuliam transire proposuit: venienſque Messanam, multos ibi viros quales affectabat inuenit. Hæc enim ciuitas ex conuenis, piratis, prædonibus adunata, omne fere genus hominum intra mœnia sua concluſit, nullius expers sceleris, nullum abhorrens flagitium, nihil eorum quæ possit putans illicitum. Itaque latrones, piratæ, scurræ, assentatores, cæteriſq; flagitiis inretiti, confluebant ad eum, & diem cõuiuiis extrahentes, totis noctibus tesserarum iactibus insistebant. Quod vbi reginæ cognitum est, diutius eius temeritatem redarguens, scripsit ei vt Pharum sine dilatione transiret. Qui suadentibus sociis vix inde tandẽ auulsus, in Apuliam iter instituit.

Emenso itaque post mortem regis annuo fere spacio, cum paulatim decidẽs procella curiæ resedisset, proceres regni multis euicti reginæ beneficiis interim quiescebant. Vt enim incarceratorum multitudinẽ liberatam, seruos libertate donatos, ciuibus immunitates concessas, consuetudines quæ pernicioſæ videbantur explosas, vt villas oppidaque multis nobilibus viris donata præteream, octo Comites eodem anno creauerat: Richardum Mandrensem, Bertrannũ Comitis Gramitis filium, Richardum de Sagio, Rogerium Richardi filium, Iocelinum, Simonem Sangrensem, Gulielmum Syluestri Comitis filium, Hugonẽ de Rupe forti cõsanguineum suum, hominem omnis virtutis expertẽ, qui de Francia nuper aduenerat: Rogerium quoq; Comitem Accerranum, & Rogerium Auellini Comitem, ab exilio reuocatos, pristinæ restituerat dignitati. His ergo multisq; præterea beneficiis reginæ liberalitatem experti tentabãt ab innata rebellandi consuetudine feroces animos cohibere. Curiæ vero status hic erat: Richardus Molisii Comes cęteris familiaribus potestatis eminentia prælatus, apud reginam postulata facilius impetrabat.

petrabat. Electus vero Syracusanus, & Matthæus notarius cancellarii gerebant officium. Gaytus quoq; Richardus magister camerarius palatii, & Gaytus Martinus qui Duanæ præerat, consiliis nihilominus intererant, & cum prædictis familiarib. negocia regni tractabant. Porro Matthæus notarius cum sciret Admiratum se nõ posse fieri, ob multam eius nominis inuidiam, cancellariatum totis nisibus appetebat. Electus autem in proximo se confidebat ecclesiæ Panhormitanæ regimen adepturũ. Sed regina longe diuersum fouebat propositum, & eandem dignitatem alii reseruabat. Scripserat enim auunculo suo Rotomagensi archiepiscopo, vt aliquem de cõsanguineis suis vel Robertum de Nouo Burgo, si fieri posset, vel Stephanum Comitis Perticensis filium sibi transmitteret. Quorum quia alterum sine dilatione venturum sperabat, interim tam Electi Syracusani, quam Agrigentini episcopi spẽ & desyderium eludebat. Nec eam diu sua fefellit opinio. Paucis enim interiectis diebus fama præcurrente compertum est Stephanum Comitis Perticensis filium in Siciliam venientem ad Comitẽ Grauinensem fratris sui filium diuertisse. Quẽ ipse Comes multis honoratum muneribus, & de statu curiæ diligenter institutum, ad saluberrima Siciliæ loca transmisit, timens eum cum iam æstas ingrueret, ob intemperiem aeris in Apulia diutius detinere, simulq; sciens reginam illius aduentũ summo desyderio præstolari. Cũ igitur transito Pharo Panhormũ accessisset, curiæ familiares, episcopiq; ac milites cum comestabulis illi obuiam exeũtes, ad palatiũ eum vt iussi fuerant perduxerunt. Quem regina multo cum honore suscepit, & astantibus cunctis, Ecce inquit completum video quod plenis semper votis expetii. Nec enim aliter quam fratres proprios diligere quidem & honorare debeo filios Comitis Perticensis, per quem (vt verum fatear) pater meus regnum obtinuit. Nã idem Comes patri meo terram amplissimam cum nepte sua matre mea dotem dedit, quã in Hispania multis periculis ac diuturnis laborib. expugnatam Sarracenis abstulerat. Nec ergo mirari debetis, si filium eius matris meæ consobrinũ, loco mihi fratris habendum censeam, & de remotissimis partibus ad me venientem gratãter excipiam: quem quidem volo iubeoq; vt qui me filiumq; meum diligere se fatentur, propensius diligant & honorent, vt eorũ erga nos ex hoc ipso fidei dilectionisq; quantitatem emetiar. Tunc oẽs id se facturos libenter promptissime responderunt, licet inter eos essent nonnulli quibus illius aduẽtus maxime displiceret. Interea regina volũtatem eius diligenter inquirens, cum intellexisset eum nolle diutius in Sicilia cõmorari, summa ope niti cœpit vt hoc eius propositũ immutaret, & gloriam ei diuitiasq; quas habiturus erat, si remaneret, ostentãs, simulq; Transmõtanorum inopiã ei frequenter obiiciens, socios quoq; ipsius propositis ingentibus præmiis hortabatur vt cũ eo se promitterent remansuros, intelligens nõ posse mẽtem illius aliter ad id quod postulabat inflecti. Quod vbi plurima precum instãtia multisq; promissionibus vix tandem obtinuit, constituto die cunctis qui tunc aderant episcopis proceribusq; conuocatis ad curiam, cancellarium eũ instituit, iussitq; vt vniuersa curiæ negocia deinceps ad eum principaliter referrẽtur. Nec multo post cũ eũ archiepiscopus Saletnitanus subdiaconũ ordinasset, missi sunt qui canonicis Panhormitanis dicerent, regem ac reginam precibus eorũ quas sæpe porrexerant exauditis, liberam eis cõcedere potestatem, vt ecclesiæ suæ pastorem eligerent, & ad palatium venientes, quem sibi putarent idoneũ, iuxta cõsuetudinem in curia nominarent. At illi nulla super hoc inter eos (quod raro contingit) oborta controuersia, concordes atq; vnanimes cancellarium elegerunt, gaudente populo, & quod actum fuerat adprobante Gulielmo Papiensi Romanæ ecclesiæ Cardinali, qui Panhormum nuper venerat, in Gallias transiturus. Itaq; duas regni maximas dignitates adeptus, totius curiæ post reginam onus & honorem suscepit. Domui vero suæ præfecit Odonem Quarrellum Carnotẽsem canonicum, qui remanendi consilium ei dederat, & cum eo duobus annis se spoponderat remansurum, donec amicos in Sicilia probatæ fidei reperisset, aut aliquos de propinquis & amicis suis, quibus æque consilia sua crederet, ad eũ de Francia venire contingeret. Nã eundẽ Odonẽ plurimũ diligẽs, consiliũ illius vltra q̃ expediret ei, in maximis quoq; negociis admittebat. Quẽ cũ neq; literarũ exornaret scientia, neq; prudẽtiæ secu-

laris vtilitas commendaret, tantæ nihilominus cupiditatis erat, vt nec in extorquenda pecunia modum attenderet, & in conciliandis amicitiis virtutis fideique ratione nulla habita, ſolam quantitatem munerum ſequeretur. Cum autem villarũ, redituum, atq; prædiorum ad cancellariatus iura pertinentium multa Syracuſanus diu tenuiſſet Electus, a rege ſibi dudum ad tempus conceſſa, eo quod circa curiam moraretur, cancellarius volens beneficiis eius animum mitigare, quem alia quoque de cauſa ſatis commotum eſſe cognouerat, duas ei villas optimas (quæ Siculi Caſalia vocant) eorum vice quæ tenuerat dari fecit, eo tenore, vt illarum altera quãdiu moraretur in curia non careret, alteram vero eius ſucceſſores imperpetuũ poſſiderent. Sed quanta celeritate curauerat Electi ſpem ac petitionem collato beneficio præuenire, tam mature compenſationis improbæ vicem Electus ei ſtuduit reponere. Quidam enim viri de remotis Apuliæ partibus ad curiam veniẽtes, his quæ poſtulauerant impetratis, cum pro literis ſuis Petro notario conſanguineo Matthæi notarii quod eis iuſtum videbatur offerrent, ille vero multo maiora petens, oblata ſibi reſpueret, rem ad cancellarii notitiam pertulerunt: qui pręcepit vni ex aſtantibus notariis, vt alias literas ſuper eodem negocio ſcriberet, ipſaque die prędictos viros abſolueret. Petrus autem notarius videns eos qui prius importune inſtare conſueuerant ad ſe iam non reuerti, perſenſit illos literas ſuas ab alio notario recepiſſe: aſſumptiſque quot viſum eſt ſociis viam qua tranſituri erãt, obſeruãs, cum in eius inſidias incidiſſent, literas regias illis ablatas rupto ſigillo fruſtatim diſcerpſit, ipſoſque contumeliis & verberibus affecit. Quod vbi cãcellario cognitum eſt, præcepit eoſdem ſibi viros in curia præſentari: vocatoq; Petro notario, & factum negare non poſſet, iuſſit eum in carcerem detrudi. Tũc Electus Syracuſanus nimis mordaciter reſpondit, contra ius & rationem eum ſententiam eiuſmodi protuliſſe, & in Francia forſitan ita ſolere decerni, ſed in Sicilia nequaquã hoc iudicium obtinere: non leuis auctoritatis eſſe notarios curiæ, nec eos opõrtere tam facile condemnari. Ea res non parum cancellarii permouit animum, cum eum cui præter opinionem omnium duo caſalia nudiuſtertius gratis dari fecerat, tanta nunc in ſe videret aſperitate verborum inſurgere, neque ſibi ſaltem in curia deferre, vt eum ſuper hoc ſecretius aut moderatius conueniret. Nihil tamen ei reſpondit, ſed iniuriam ſuam patienter diſſimulans, Anſaldum palatii caſtellanum accerſiit, iuſſitq; notarium Petrum in carcerem ſine dilatione retrudi, donec examinaretur attentius cuiuſmodi pœnæ ſubiacere deberet, quem & contra regni pacem egiſſe, & regiæ maieſtati ſpecialiter iniuriam conſtaret ac dedecus intuliſſe. Poſt paucos vero dies rogatus a familiaribus curiæ liberum eũ abire dimiſit, prohibens tamen ne deinceps notarii fungeretur officio. Hac igitur occaſione primo notariorum enormẽ ſtuduit rapacitatem ad menſuram redigere, certumque modum quid a ſingulis deberent accipere, pro negociorum diuerſitate conſtituit. Sed & ſtrategotorum nihilominus, eorumque qui prouinciis vel ſingulis oppidis præerant, pernicioſam licẽtiam refrenauit, quia plebem impune multis damnis & iniuriis atterebant. iuſtitiæ vero rigorem eatenus voluit obſeruari, vt nec amicis quidem aut ipſis magnatibus curiæ parcendum crederet, nec a potentibus viris ſubiectos opprimi pateretur, nec omnino quamlibet iniuriam pauperis diſſimulando tranſiret. Cuius rei fama totum regnum breui peruadens, plebiſque gratiam & fauorem ei concilians, tanta nomen eius celebritate diffudit, vt omnes aſſererent velut conſolatorem Angelum a Deo miſſum qui curiæ ſtatu in melius immutato aurea ſeculã reuexiſſet. Vnde contigit ad curiam ex omnibus regni finibus tantã virorum ac mulierum turbam confluere, vt & iudices examinandis litibus, & notariorum numerus, licet nuper adauctus eſſet, vix literis ſcribendis ſufficeret. Interea qui ob confirmandam electionem miſſi fuerant, redeuntes, literas Romani pontificis affectuoſiſſimas attulerunt, aſſerentis promotionem ſe cancellarii grato animo audiſſe, & eius electionem modis omnibus adprobatam, velle ratam & ſtabilẽ permanere. Requiſiti ergo ſuffraganei epiſcopi canonicique vt ipſi cancellario ſecuritatis ſacramentum præſtarent, aſſenſum facile præbuerunt. Cumq; Mazarienſis epiſcopus & Maltenſis iuxta propoſitum ſibi modũ iuraſſent, epiſcopus Agri-

Agrigentinus vt affectuosius ex animo videretur iurare, nouis quibusdam & expressioribus verbis ipse sibi iurandi modum instituit. Qui quanto cæteris iurauit expressius, tanto postmodum quod iurauerat deterius obseruauit. Verum hæc alias, nunc ad rei seriem reuertamur. Videntes ergo Panhormitani cancellarium neq; precibus, neq; præmiis aut gratia cuiusquam ab æquitate posse deflecti, multos apud eum accusauerunt apostatas, de Christianis Saracenos effectos, qui sub eunuchorum protectione diu latuerant. Quorum ille neminem, quem tanti criminis reum esse constaret, impunitum dimisit. His animati magna pars ciuium ad accusandum Robertum Calataboianensem audacter prosiliunt: concursus fit ad cancellarium. omnes ingenti clamore deposcunt hominem sceleratissimum meritis obiectari flagitiis. Alii domos, alii vineas iniuste sibi conqueruntur ablatas: plerique fratres aut consanguineos in carcere diuturnis cruciatibus interfectos. quędam etiam mulier filiam suam virginem ab eo dicebat illata violentia constupratam. Nec deerāt qui assererent eum in Castello maris antiquissimum Sarracenorum templum propriis sumptibus renouasse: quod minime testibus indigebat, cū hoc ipsa res patenter ostenderet. Præter hæc autem obiectum est illi, pleroſq; vini venditores quandam ab eo domum enormi precio conduxisse, vt ibidem sub eius patrocinio Sarraceni Christianas fœminas licite constuprarent, & pueris abuterentur impune, cæteraque flagitia perpetrarent, ex quibus inhonesta lucra cauponibus accedebant, cum ipso domus domino diuidenda. Tantorum ille criminum obiectione pulsatus, cœpit primo rem paruipendens negligere, interminari accusatoribus suis, deterius eis postmodum se facturum, sibique facilem huius accusationis exitum polliceri. Dehinc vbi pecuniam oblatam respui, datisq; vadibus rem districtius agi videt, ad eunuchorum patrocinia se conuertit. At illi regis reginæq; pedibus prouoluti cum lachrymis eos exorant, ne patiantur virum regno pernecessarium, qui curiæ semper fidelissime seruire studuerit, condemnari: nihil mirandum asserentes, aduersus eum tumultus eiusmodi suscitari, cum certum sit neminem populo placiturum, qui fideliter curiæ iussis obtēperare voluerit. Harum regina precū assiduitate permota, cancellarium primo rogat, deinde renitenti præcipit, vt neminis aduersus Robertum Calataboianensem accusationes admittat. Rapinas enim & homicidia quæ fecisse dicatur, nō ei, sed Gayto Petro, cuius ea iussu fecerit, imputanda: qui cum præesset curiæ, manifestū quoniam idem Robertus eius nō potuerit iussionibus obluctari. Inter has cancellarius angustias deprehensus, ignorabat quorsum animum inclinaret, aut quid sibi potissimum faciendū eligeret. Hinc enim populus acclamabat, nō oportere sceleratissimū hominem impunitum dimitti, negligenter a cancellario tepideq; rem geri, videri muneribus eum aut gratia corruptū, a bono proposito decidisse. verum hac in re certissime cognitū iri, vtrumne iuris amorē, cuius hactenus formam prætenderit, perpetuo velut innatū debeat conseruare, an ad tempus ex industria simulatum, vt nouæ potestatis auspiciū oculis plebis obiecerit. Hinc illū vrgebat regina, præcipiens vt plebis loquacitate posthabita porrectas accusationes dissimulando negligeret. Sed & curiæ familiares Roberti Calataboianensis partes quantū poterant tuebantur, tā vt eunuchis ipsiq; reginæ præstare viderentur obsequiū, quā vt aduersus cancellariū plebis odiū excitarent. At ille mediam quandā eligens viā, vt & reginæ satisfacere videretur, nec omnino populi spem & expectationē deluderet, reginæ pollicitus est omissurum se quęstiones ad curiam pertinentes quæ pœnam capitis irrogabant: super his autem quæ ad ecclesiæ iura pertinere constaret, exactissime cognoscerū: ipsumq; Robertum, si cōuictus foret, quatenus ecclesiasticæ seueritatis censura permitteret, puniendū. Quod si niteretur ipsa postmodum impedire, facilius quidē se vtraq; priuatū iri dignitate, quam ab hac posse sentētia detorqueri. Cōuocatis ergo curiæ familiaribus & episcopis aliisq; personis ecclesiasticis, Robertus sub multa frequētia plebis introducitur, omissisq; furtis, rapinis, iniuriis, ciuiū homicidiis, & illata cōstupratæ virgini violētia, periurii, incestus, adulterii quęstio ventilatur. Cūq; multis testib. obiectorū veritas patuisset, de iure dictū est Robertū Calataboianēsem publice loris cæsum in carcerē denuo detrudendū, bonis

bonis eius fisco addictis. Sed quoniã per vrbẽ sub voce præconis solenniter circũduci non poterat, eo quod populus omnes viarum angustias obseruabat, vt lapidibus transeuntem obrueret, decretum est vt circum ambitum ductus ecclesiæ populum falleret expectantem. Licet autem illum ensibus accincti milites sequerẽtur & præirent, & ex vtroque vallarent latere, vix tamen potuerunt accurrentis furorem populi declinare. Post paucos ergo dies cum pecuniam quam curiæ sponderat se daturum, reddere nollet, aut (vt aliis videbatur) non posset, ad Castellum maris ductus est, & carceri datus, in quem multos olim ipse coniecerat, vbi diuersis consumptus pœnis interiit. Hoc factum omnibus Siciliæ populis, maximeque Lombardis, quos innumeris ille malis attriuerat, adeo placuit, vt vniuersi faterentur si necesse foret pro cancellario se mortis periculum subituros. Curiæ vero magnates cęterique potentes viri, qui iam non poterant libere solitam in subiectos tyrannidem exercere, cum omnia lucra curiæ viderent ad cancellarium eiusque familiares transiisse, sibiq; de tanta munerum affluentia vix modicos arescentesque riuulos supereſſe, cœperunt familiariter inter se velut inuicem se consolando conqueri, minus caute contumelioſa verba iacere, dicentes indignum esse, puerum hunc alienigenam maximis curiæ dignitatibus occupatis, in tantã prorupisse præsumptionis audaciam, vt neminem sibi socium adhibere dignetur, solus velit tanti regni curam gerere, & singularis priuilegio potestatis omnibus præeminere: se vero qui iam in seruitio curiæ consenuerint, qui difficultates plurimas & pericula consilio suo propulsari vel præcaueri docuerint, nũc humiles abiectosque despici, nulloque dignos honore censeri: Reginam, cum Hispana sit, Francum hunc consanguineum appellare, nimis ei familiariter colloqui, & velut rapacibus eum oculis intueri: verẽdum ne sub nomine propinquitatis, amor illicitus occulretur. Gaytus quoq; Richardus illi cũ cæteris eunuchis infestissimus erat, eo quod Robertum Calataboianensem contra voluntatẽ eius damnauerat. Nec minus Bulcassem inter Sarracenos Siciliæ nobilissimus ac præpotens multam illi Sarracenorum conflarat inuidiam, cum eum ab initio plurimum dilexissent. Indignabatur enim quod Gaytum Sedictum ditissimum Sarracenum, cum quo priuatas habebat inimicitias, cancellarius nimis familiariter admitteret, & eius consilio multa facere videretur: & inde se, cum ei dona plurima contulisset, putabat contemni, nec eius posse gratiam promereri. Cancellarius cum hæc omnia persensisset, cœpit rem dissimulans blandius eosdem ac familiarius alloqui, & multis eos beneficiis attentare, nec interim tamen quod ad tuitionem sui necessarium videbatur omittere. Nam Berengario magistro comestabulo trans Pharum in terram quã ei curia dederat abeunte, Rogerium Tironensem de quo plurimum confidebat, illi substituit. Qui cum multa generis nobilitate polleret, & virtutis esset haud dubiæ, fidem quoque seruare studuit eatenus inconcussam, vt non solum aduersus regem neq; conspirauerit, neque conspirantibus vnquam consenserit, sed amicis quoque semper æque robustam fidẽ seruauerit. Hic igitur & Robertus de sancto Ioanne, (cuius supra mentio facta est) cum plurimos haberent amicos, neque Panhormi facile posset aliquid cura dignum accidere quod non ad eorum notitiam perueniret, cõspirantium machinamenta cancellarium edocebant, & quibus oporteret ea consiliis perpediri. Quorum si quidem ipse monitus Odonis Quarrelli consilio prætulisset, emergentes ab initio motus facile compressisset. Verum tanta cupiditas eiusdem Odonis mentem inuaserat, vt ex sola munerum quantitate fidem omnium metiretur. Inde factum est vt auri gemmarumque splendore seductus, salubre cõsilium amicorum neglexerit, & velut angues in sinu fouens, nonnullos hostiũ valde familiares habuerit. Interea cum Matthæum notarium cursores suos cum litteris ad fratrem suum Catanensem episcopum sæpissime præter consuetudinẽ mittere compertum esset, putabatur ei conspirationis modũ in eisdem literis aperire, & quid eum facturum vellet in partibus Catanensium edocere. Volens autem cãcellarius certis hoc experimentis cognoscere, misit Robertum Bellisinensem cum quibusdam aliis, vt viarum transitus obseruaret, & prædictos cursores quos sciebat nuperrime Catanã fuisse directos, in reditu caperet, eisque literas quas deferebãt, auferr-

auferret. Quo vias negligentius obseruante, qui literas ferebat pertransiit. Socium autem eius tardius subsequẽtem cepit, & cum se niteretur defendere, vulnerauit. Ea re cognita Matthæus notarius illatam cursoribus suis molestè tulit iniuriam, sibi quoque non parum timendum existimans, cum opinionem suam apud cancellarium læsam agnosceret. Nec multo post cũ Robertus Bellisinensis cœpisset febrili molestia fatigari, Salernus medicus Matthæi notarii plurimum familiaris, cuius etiam opera Salernitanæ vrbis iudex fuerat institutus, ipsum cancellarium instantius admonebat, vt illum diligentiæ suæ sanandum committeret. Porro cancellarius ob familiaritatem Matthæi notarii suspectum eum habens, timensque ne sub hac occasione vellet acceptã nuper iniuriam vindicare, noluit vt ad illum accederet, sed alios ei iussit medicos prouideri. Salernus tamẽ contra voluntatem eius latenter ægrum adire studuit, velut in inuitũ beneficia collaturus, summaque diligẽtia domum in qua iacebat perquirens, eum aliquoties visitauit. Quo postea rebus humanis non sine magno cancellarii dolore sublato, mirabantur qui aderãt, videntes capillos eius sponte defluere, cutemque liuidam ad tactum manus auelli, & a carne facillime separari. Dicebant ergo venenum ei fuisse sine dubio propinatũ. Quod cum ad aures cancellarii peruenisset, statuit rei veritatem modis omnibus explorare. Sed quoniam putabatur idem in quibusdam ægritudinibus posse contingere, misit archiepiscopũ Salernitanum virum in physica probatissimum, & episcopum Maltensem, aliosque prudentes & discretos viros, qui rei modũ & causam cognoscerent. Hi autem visa re constanter asserebant nunquam eiusmodi posse corruptionem ex ea quam passus fuerat ægritudine prouenire. Cum ergo quæsitum esset vtrum aliquis ad eum medicus præter eos qui ad hoc delegati fuerant, accessisset, dictum est ab his qui ægro assidebant, Salernum iudicem quiddam ei quasi siruppum in vase vitreo porrexisse. Quorum vnus manum ostendens late patenti vulnere sauciatam, dicebat hoc sibi ex eiusdem siruppi malitia contigisse. Aiebat enim quod forte sociis recedentibus solus in domo remanens voluisset ex eadem potione latenter accipere, (sicut imprudentium quorumdam mos est, velle quæcunque viderint attentare) maxime cum ad expellendam ægritudinem quam passus nuper fuerat, illam sibi crederet profuturam. Quam tamen sic ferente fortuna concauæ manui prius infudit, digito manus alterius ipsam aliquandiu confricando. Cumq; paulo post eam in terram effudisset, cutem dicebat multis læsam apparuisse scissuris, eamque paulatim vt patebat, postmodum decidisse. Sed & Guielmus notarius, qui ante aduentũ cancellarii Matthæo notario seruierat, dicebat quendam ex hominibus eiusdẽ Matthæi sæpius ad se venisse, & causa domini sui rogasse importunius, vt ei domum in qua Robertus Bellisinensis iacebat, ostenderet. Hæc omnia cum audisset cancellarius, conuocatis in domum suã Electo Syracusano, Matthæo notario, Richardo Molisii Comite, Rumoaldo Salernitano archiepiscopo, cæterisq; episcopis, ac plerisque proceribus, rem eis totã exposuit, iussitq; Salernum eorum consiliis accersiri. Qui cum interrogatus esset vtrum ipsi Roberto medicinam aliquam obtulisset, audacter & prompte respondit, nunquam ei quidpiam se dedisse. At vbi productis testibus falsum dixisse conuictus est, adiecit, nihil ei se dedisse quod læsionem posset inferre. Nam siruppum rosatũ simplicem fuisse quem dederat, & eum quidem nõ a se factum, sed emptum ipsa die a quodã apothecario Iusto nomine fatebatur. Vocatus autem Iustus respondit eo toto mẽse qui transierat, nihil ei se penitus vendidisse. Ita Salernus in omnibus quæ dixerat fallax inuentus, obiecti criminis suspicionem magnopere roborauit. Sequenti vero die congregata curia, vocatisq; magistris iustitiariis, cum solenniter accusaretur, cõscientiæ flagitio præpeditus, ita misere respondebat obiectis, vt plenam iudicibus fidem faceret, hoc eum maleficium perpetrasse. Itaq; prolata in eum sententia, decreuere bonis omnibus spoliatum, capitali supplicio subiacere, solum ei viuendi spem in misericordia curiæ relinquentes. Qui detrusus in carcerem multis adactus est minis, & promissionibus attentatus, vt fateretur cuius id prece vel consilio fecisset: sed hoc ei persuaderi non potuit.

Cum hanc in Siciliæ partibus fortuna conspirationis seriem ordiretur, aliam interim

interim in Apulia multorum roboratam confœderatione texuerat. Cũ enim multi proceres indignarentur Richardum Molisii Comitem tantæ subito dignitatis esse culmine sublimatum, Henricum fratrem reginæ Montis Caueosi Comitẽ aduersus illum stimulauerant, dicentes inertem eum a multis & timidum appellari, qui dedecus & iniuriam sibi totique regno simul illatam vel nimis patienter sustineat, vel consentiendo dissimulet. Nec enim ambigi parum honestam intercessisse causam vt regina, quam primum regni balium adepta est, Richardum de Mandra nullius virum consilii nobilissimo Molisii Comitatu donatum præ ceteris omnibus sibi familiarem asciuerit. Quod si ipse, quem res ad vindictam supra cunctos exposcebat, a prædicto Richardo tantæ vellet præsumptionis pœnas exigere, suum ei nequaquam defuturum auxilium. Ad hoc Comes id hactenus se nescisse respondit, ignorantiæ, non timiditati, quod vindictam distulerit, ascribendũ: nunc iam ipsi quid actum iri velint confidenter dicant: prompte se facturum quicquid decreuerint, neque sororis suæ dedecus vltra passurum. At illi Richardum Molisii Comitem vel interfici, vel a curia saltem amoueri censebant: regni vero curam ad eum qui reginæ frater & regis esset auunculus, pertinere. His ille ductus consiliis, multos milites Hispanos, qui partim cum eo venerant, partim ad eum nuper confluxerant, armis præmuniens, quam mature posset in Siciliam transire festinauit, pleroſque etiam procerum, quorum hoc agebat instinctu, secum ducturus. Nam Boamundus Comes Monopoleos vir prudens & facundus, Gulielmus de Gisoaldo, Richardus Balbanensis, aliique plures eum sequi decreuerant: sperantes, si quidem propositum suum adimpleri contingeret, facile se per eum quod a curia peterent adepturos. Nec dum enim, cum huiusmodi consilia pertractarent, cancellarii potestatem eo peruenisse cognouerant, vt omnibus in curia præmineret. Quod vbi paulo post fide non dubia perceperunt, primum ab incepto paulisper absterriti, deinde resumptis animis ad propositum nihilo segnius peragendum accincti, tandem in Siciliam peruenerunt. Quorum aduentu comperto, causaque simul aduentus præcognita, Richardus Comes cancellarium adit, Henrici Comitis & Apulorum ei consilium aperit, rogatque obsecrans ne patiatur hominem insanum, & eos qui cum ipso venerint sola stimulatos inuidia temeritatis suæ votum explere. si quidem enim in curia eis seditiones impune liceat excitare, & in eos qui curiæ seruiunt, conspirationibus factis licite debacchari, ipsi culpam oportere specialiter imputari, & in eum iniuriam redundare, qui cum administrationem regni susceperit, improborum debeat contumaciam coercere. Cancellarius autem, licet illum sibi suspectum multorum feciſſet opinio, ne tamen ipse contemni videretur, aut ea regnum occasione perturbari contingeret, seditiosos a curia tumultus arcere constituit, & improbis Apulorum consiliis occurrere. Missis itaq; literis regiis Henrico Comiti qui iam Thermas vsque peruenerat, iussum est ad vrbem eum accedere, Boamundum vero Comitem, aliosque qui cum eo erant, Thermis interim mandatum curiæ præstolari. Venientem ergo Comitem cancellarius benigno vultu suscepit, & post multam colloquutionem blandioribus eum verbis aggressus, hortari cœpit ac diligentius admonere, ne rebellandi multis occasionẽ daturus, haud facile reparabilem regni quietem quibuslibet seditionum motibus exturbaret, nec Apulorum fabulis traheretur, quorum in eo semper hæsisset consiliũ, vt regnum aliquatenus perturbarent: nihil esse quod eum exasperare debeat, cum & opes ei affluenter suppetant, & inter maximos regni proceres, loco sit non impari constitutus: id ei maxime cauendum, ne reginam offendere præsumat, aut contra voluntatem eius quidpiam agere, per quam hæc adeptus fuerit, & maiora putetur nisi per eum steterit, adepturus. Ita multis assertionibus ex illius animo cõceptum in Apulia furorem eliminãs, vixque tandem ad innatæ stoliditatis simplicitatem eum retrahens, indignationem eius compescuit, & Richardum Comitem accersiens, pacem inter eos & concordiam renouauit. Reginæ quoque nihilominus erga eundem Comitem animum mitigauit, quam plurimum quidem offenderat, multis in Apulia perperam ac temere contra mandatum curiæ perpetratis. Promisit autem se deinceps consilium in omnibus habiturum cancellarii, nec vlterius

terius reginæ voluntatem in aliquo transgressurum. Tum demum cancellarius literis suis Boamundum Comitem, eiusque socios qui Thermis morabantur, accersiit: eisq; benigne susceptis, cũ aduentus causam inquireret, dixerunt id sibi principale fuisse propositũ, vt visitarent eũ, optantes ab eo cognosci, & inter fideles eius milites accenseri, simulq; vt per eum quædam quæ petituri erant, apud maiestatẽ regiam obtinerent. At ille sibi gratum esse quod venerint, opemque suam illis non defuturam respondit: suũ tamen esse consilium ne quid in præsens a curia peterẽt: alias eorum petitionem efficacius admittendam. Sic ergo Panhormi paucis dieb. commorati, videteq; rem secus ac prouiderant accidisse, tandem in Apuliã redierunt. Boamundus tamen Comes (vt erat vir non negligendæ prudentiæ) multa cãcellario familiarius colloquẽdo fauorem & amicitiam eius obtinuit: quã postmodum non ea qua solent Apuli leuitate vel inanib. verbis, sed fide non dubia, certisque rerum argumentis excoluit. Henricus autem Comes cancellarii penitus volũtatem & consilium sequebatur, eiq; tãta se familiaritate coniunxerat, vt cũ eo balneum frequenter intraret, cum eo singulis diebus ad curiam ascenderet, indeque reuertẽtes, magnam diei partẽ secretius colloquendo transmitterent. Qui vero conspirauerãt aduersus cancellariũ, videntes si concordiam illam inter eos perseuerare contingeret, machinationes suas sperato non posse fine concludi, modis omnibus perquirebant, quibus possent artibus eam amicitiam & familiaritatẽ dissoluere: primoq; mentẽ Comitis quibusdam insinuationibus pertentantes, aiebãt non oportere reginæ fratrem in curia quempiã superiorẽ admittere, nec eius frequentare domũ, & inhærere vestigiis, a quo potius ipse debuerat visitari. nã ad eũ potestatis prẽrogatiuã & totius regni curam merito pertinere. Quib. ille, Francorũ se linguã ignorare, quæ maxime necessaria esset in curia: nec eius esse respondebat industriæ, vt oneri tanto sufficeret: cancellario curam hãc rectissime debere committi, qui discretus esset & prudẽs summeq; nobilis, regi quoq; nihilominus ac reginæ non dubia propinquitate coniunctus. Hac illi repulsa non contenti, milites Hispanos quos ei maxime familiares esse cognouerant, cœperunt secretius cõuenire, dicentes multæ mansuetudinis & patientiæ Comitem esse, qui cancellarium, quẽ velut hostẽ deberet persequi, potius diligat & honoret, propensiorem ei reuerentiã exhibendo: & hoc eũ forte videri prudenter agere, quod sororẽ nolens offendere docuerit animũ patienter omnia sustinere, nisi patientiã hanc grauis infamia sequeretur. nũc reliquum quidẽ esse, vt haud inhonestis reginę votis deseruire eredatur, ipsiusq; cancellarii libidini seu potius incestui consentire, aut illicitã eorũ familiaritatem se nescire fateatur. Patere aũt omnibus, hãc esse (vt dici solet) nimis crassam ac supinã ignorantiam, vt quod omnes prædicant, solus ignoret. Hæc igitur a multis frequenter audita milites ad aures Comitis pertulerunt. Qui cum primum mente dubia vacillaret, dehinc ab ipsis rei principibus qui confinxerant ea, cumulatius eadem audiens, plenam his quæ sibi dicta fuerant fidem adhibuit: relictoq; cancellario, consiliis eorũ adhæsit, quod inde suaderent se facturum pollicitus. At illi rem quã multum desiderauerant adsequuti, non distulerunt eum prẽstitis hinc inde sacramentis, quibus visum est pactionibus obligare. Hæc ergo cõspiratio iam eo vsq; processerat, vt amicis cancellarii plurimũ terroris incuteret. Nã Gaytus Richardus magister palatii, quẽ eisdẽ constabat esse sacramentis astrictũ, magnas conspiratorib. vires addiderat. Nec enim contentus militib. suis, quib. ipse stipendia dabat, maximã partem militũ regis & vniuersos curiæ sagittarios ita sibi donis ac beneficiis multis illexerat, vt eius in omnib. volũtatem & imperia sequerentur. At cancellarius aduersus eorum insidias sese præmuniens, statuit non iã oẽs vt consueuerat indifferenter admittere, sed certas horas constituit quib. ad eũ omnibus pateret accessus, militesq; suos eisdẽ horis paratos adesse præcepit. Sed & quinquaginta viros eligens qui post primam ianuam in vestibulo domus cũ armis parati semper assisterent, numerũ quoq; militũ studuit adaugere. Pleroscq; etiã milites transmontanos qui de Francia nuper venerant Hierosolymã transituri, secum detinuit, inter quos erat Ioannes de Lauardino, cuius acta cancellario non parũ attulerunt incõmodi, quemadmodũ sequentia declarabunt. Post aliquantũ vero tẽ-

poris cancellarius cupiens patefactis hostium consiliis ad vindictam accingi, reiq; statum prius diligenter considerans, animaduertit nõdum tantas sibi vires suppetere, vt auderet solẽni iudicio coniurationis principes accusare, ne latentes & occultas insidias in apertam seditionem conuerteret. sed nec oportere rẽ dissimulando diutius occultari, ne, cum amplius virium collegissent, difficile posset eorũ machinationibus obuiam iri. Ad aliud ergo traductus consilium, regi reginæque persuasit, vt Messanam proficiscentes instantem hyemem ibidem transigerent, deinceps si visum foret ad primam veris temperiem in Apuliam transituri. Huius autẽ diem & causam itineris Gilberto Comiti Grauinensi missis literis indicauit, scribens eidem vt negociis omnibus ad præsens posthabitis, quam celerrime posset Messanam veniens Pharum transiret: caueret autem ne, sicut tempore Gayti Petri fecerat, ad curiam inermis accederet, sed ita militibus armisque pręmunitus, ne tamen exercitum ducere videretur. His diebus tanta cõtigerat inundatio pluuiarum, quanta per multum temporis in Sicilia visa non fuerat. Vnde curię familiares occasionem nacti persuadere nitebantur cancellario, vt in proxime venturam æstatem iter propositum differret. Quod cum obtinere nõ possent, sperabant tamẽ regem ac reginam ipsumque cãcellarium ob imbres continuos & itinerum difficultatem ab eo quod proposuerant absterrendos. At ille nihilo segnius misso cum literis regiis hostiario, per vniuersa quæ in transitu erant oppida, iussit dilatari viarum angustias, & abrupta pręcidi, omniaq; transituro regi necessaria iuxta consuetudinem præparari. At vero circa præfixum terminum repente conta spem omniũ cæli facies immutata quanta prius imbriũ horruerat densitate, tantæ serenitatis indicio gratam cœpit deinceps spondere temperiẽ. Itaq; rex XV. die Nouembris, vt constitutũ fuerat, Messanã proficiscitur, relictis Panhormi militibus ad ipsius custodiã ciuitatis. Erat tunc Messanæ Robertus Comes Casertinus cum filio suo Rogerio Tricarici Comite, & regis ibidẽ præstolabatur aduentũ. Audierat enim Gulielmum de Sancto Seuerino consobrinũ suum, qui nuper ab exilio reuocatus fuerat, a Regina multis amicorum precibus impetrasse, vt ei terra sua quam extra regnum fugiens amiserat redderetur: eaque de causa cum aduocatis suis ad curiã venerat præparatus, vt Mõtoriũ & Castrum Sancti Seuerini, cæteraq; oppida quæ prædictus Gulielmus tenuerat, ad se iure pertinere cõtenderet, ipsiusq; Gulielmũ patrem iniuste ac violenter eadem possedisse. At cancellarius cũ neq; Gulielmum, quẽ sibi fidelẽ agnouerat, iacturæ vellet quidpiã sustinere, Comitemq; timeret offendere, ne suspectæ viro fidei malignãdi præberetur occasio, & huic patrimoniũ suum integre fecit restitui, & illi terram aliã in Apuliæ partibus eo tenore concedi, vt ea quã aduersus Gulielmum intendebat actione sopita, nunquam super hoc de cætero controuersiam suscitaret. Paucis aũt diebus post aduentum regis maiores ciuiũ cũ magnis muneribus cancellarium adeuntes rogabant eũ instantissime, vt priuilegiũ eis reddi faceret quod olim Rogerius rex super quibusdam ciuitatis immunitatibus factũ postea pœnitentia ductus eis abstulerat. At ille ratus sua plurimũ interesse vt eorũ sibi cõciliaret animos, noluit oblata dona suscipere, sed eorũ gratis petitionẽ impleuit. Videntes interea Messanẽses de totius regni partibus ad curiã multam virorũ ac mulierũ turbã confluere, neq; suo quempiã iure fraudari, sed in omnibus iudiciis distincte rigorem obseruari iustitię, ad accusandũ Richardum Messanæ strategotum audacter prosiliunt: libellos accusationis conscribunt, eosq; cancellario porrigentes, ingenti clamore postulant iudicio rem cõmitti. Alii rapinas, homicidia, furta, incẽdia, consensu illius asserunt a maleficis accepta pecunia perpetrari: alii vineas aut domos sibi conqueruntur ablatas: multi stupra virginũ, adulteria, pleriq; etiam iudiciorũ ei subuersionem obiiciunt. Cancellarius autem, cum viri prudentiam & ingeniũ agnouisset, arbitratus eum parti suæ plurimũ roboris allaturum, si mentem illius beneficiis sibi posset allicere, tentabat rẽ aliquandiu protrahendo furentis plebis iram cõpescere. Illi vero nihil ex dilatione mutato consilio, videntes cancellarium negligentius ac tepidius respondere, rursus accusationes in scripta redigũt, eaq; a summitatib. harundinũ suspendẽtes, ante palatiũ ingentem clamorẽ attollunt, miserũ esse dicentes cæteris omnib. ius suũ cõsequen-

quentibus, solos Messanenses qui regni fidelissimi semper extiterint, haberi ludibrio, & eorum voces in curia non auditi. Tunc regina clamorem vulgi nõ ferens, cancellario præcipit vt eorum scripta recipiens, negocium hoc sine dilatione definiat. Cancellarius autem magistris iustitiariis causam delegat, præcipiens itidem vt Richardo strategoto diem dicant, & nusquam ab auctoris iuris tramite recedẽtes, controuersiam ipsam legitimo fine concludant. Qui die constituto diligenter allegationibus vtriusque partis auditis, cum post ipsius negocii examinationem strategotus multorum reus criminum patuisset, lata sententia decreuerunt eum post bonorum amissionem carcere vinciendum. Messanenses igitur ob redditum sibi priuilegium, & strategoti damnationem, cancellarii nomen multis laudib. extollentes, eius se beneficio libertati redditos fatebantur, paratos se dicentes ipsius gratia quantælibet difficultatis onus suscipere. Verum exitus rei fidem eorũ ostendit tam Graia perfidia, quã leuitate piratica vacillare. Paulo post enim magna pars ciuium Henrico Comiti suadente Bartholomæo Perisino, qui plurimũ apud Messanenses poterat, occulte iurauit. Multi quoque Calabrorum qui Messanam audito regis aduentu confluxerant, eisdem erant sacramentorum nexibus irretiti: nec incertum erat Gentilem Agrigentinũ episcopum a cancellario defeciſſe, neglecto quod ei præstiterat sacramento. Interea Gilbertus Comes Grauinensis ex inspetato superueniens, coniuratorũ repressit audaciam, & incipientem iam apertis indiciis apparere, cõpulit inter suas iterum latebras occultari. Centum enim milites non dubiæ virtutis secum adduxerat, armis (vt præmonitus fuerat) diligenter instructos, quos de nominatissimis Apuliæ ac Terræ laboris militibus multis cognitos bellis elegerat. Tota vero ciuitas variis iã cœperat rumoribus fluctuare, & plebẽ multosq; milites aduersus cancellarium prẽter eam quæ iam plurimum inualuerat conspirationem, e vicino quoque causa suppetens instigabat. Nuper enim ad eũ de Francia Normanniaq; clientuli multi confluxerant, qui (vt eorũ mos est) in cõtumelioſa verba præcipites, & curiæ patrocinio licẽtius abutentes, Græcos & Lõbardos proditores appellabãt, multis eos iniuriis lacessentes. Hẽricus ergo Comes crebris eorum qui conspirauerant exhortationibus & consiliis animatus, terminũ certum constituit, vt in cãcellarium a curia redeuntem irrueret improuisus, & incautum occideret. Cũque dies instaret quo id sibi faciendum decreuerat, a multis occulte iusiurandum interim exigebat: inter quos Rogerium vnum de iudicibus ciuitatis nocte quadam accersiens, petiit itidem ab eo vt iuraret voluntatem Comitis se facturum. Qui cum respondisset, nequaquam adeo se temere iuraturũ, nisi rem ei manifestius indicaret, Comes ei de morte cancellarii propositum suum aperuit, dicens multos proceres & episcopos, magnamque partem Messanensiũ in idem sacramento sibi præstito consentire, diemque nihilominus ad hoc communi consilio præstitutam eidem exposuit. At ille gratum hoc sibi fore simulans, asserensque nemini sapienti displicere rem tantorum procerum consiliis adprobatam, sed inconsulti ac præcipitis esse animi sine deliberatione rẽ tantam inconsulte promittere, vix tandem in crastinum inducias impetrauit, interposita fide quod creditum sibi consilium nemini reuelaret. Summo vero mane cancellarium adiens, omnia illi verba Comitis enarrauit, multos inquiens aduersus eum Siciliæ proceres coniurasse, mature deliberandum qua via improbis eorum consiliis obuietur, vnius ad hoc diei spacium indulgeri. diem enim crastinum ad peragendum eorum propositum certissime constitutum. Tunc cãcellarius vocatis ad se Gilberto Comite Guinensi, Boamundo Comite Monopoleos, Rogerioque Auellini Comite, quibus maxime confidebat, rem eos ex ordine totam edocuit. At illi periculum imminens attendentes, Rogerio iudici præceperunt vt ad Comitem rediens eius satisfaceret voluntati, ne, si iurare nolens aduersus eum confidentius loqueretur, ex hoc ipso quidpiam illi suspicionis ingereret. Neque vero periurium incurrere vereretur, per quod ipsius regis iniuriam totiusque regni dedecus & opprobrium propulsaret. Id cum ille non secus ac iussus fuerat peregisset: visum est cancellario regem ac reginam supet his conuenire, eosque consilium & acta Comitis edocere. Quod vbi regina cognouit, anxia cœpit distrahi sollicitudine,

multæq; fluctuationis æstibus agitari. Durius enim in fratrem decernere quidpiã, tantãq; præsumptionem animaduersione digna punire, crudele quidem tyrannidique proximum videbatur. Sed & si fratri parceret, intelligebat cancellario non dubium capitis periculum imminere, neque posse proditores ab eo quod cœperãt absterreri: simulque considerabat indignum eum esse cui fraternus exhiberetur affectus, qui sororis despecta reuerentia, qui tot eius beneficiorũ immemor, id solũ agere decreuisset quod ad eius dedecus & infamiam non ambigeret retorquendũ, multisque rebellandi præbẽs materiam, regni pacem & quietem niteretur modis omnibus impedire. Huic ergo deliberationi iusta succedens indignatio, fraternam ab eius animo clementiam exturbauit: placuitque congregata curia Comitem solenni iudicio conueniri, conuictumque vel confessum interim in aliqua munitionum seruari, donec eius indicio cæteri possent proditores agnosci. Missis igitur hostiariis, curiæ familiares, episcopi, Comites, cæteriq; proceres cum magistris iustiariis ad curiam conuocantur. Quibus admissis, cæteri omnes ab ingressu palatii prohibentur, præter paucos milites cancellarii, quos ipse iusserat introduci, timẽs ne tumultus in curia vel seditio quælibet oriretur. Cum enim sciret plerosq; procerum qui aderant Henrici Comitis fauere partibus, timebat ne, si cum eo districtius agi cœpisset, rem in seditionem cõuerterent: ideoq; sub tunica loricam indutus, prædictos milites paratos ibidem adesse iusserat, & a quibusdam clericis suis aliquot enses latenter inferri. Cumque iam omnes in curia consedissent, Henricus Comes, vt a cohortatoribus suis edoctus fuerat, indigentiam suam cœpit exponere, dicens multis se debitis coartari, Comitatum montis Caueosi sumptib. vel angustiis non posse sufficere, petiitq; principatũ Tarenti, vel Comitatum quẽ in Sicilia Simon Comes olim tenuerat, sibi concedi, quasi iustã habiturus aduersus cãcellariũ occasionẽ, si quidem hæc ei petitio negaretur. At Gilbertus Comes Grauinẽsis ex illius verbis oblata sibi copia respondendi, hoc ait, Quæ velut ense stricto preces porrigens timide nũc improbeq; postulas, facile dudũ impetrare potueras, si in animũ induxisses erga regẽ ac reginam te qualẽ oportuerat exhibere. Nũc aũt hanc eorum animis de te non iam opinionẽ, sed firmam stabilemq; sententiam iecisti, vt non solũ indignũ te credant qui ad altiora debeas promoueri, verum etiã id tibi dando quod possides, magnopere se fuisse deceptos existiment, neq; dignũ censeãt in regno suo quicquã a te deinceps possideri. Vt enim immensam pecuniæ quantitatẽ in vsus turpissimos temere prodigeq; consumptam, vt oppida quæ tibi data fuerant domesticis rapinis & iniuriis multis attrita prætereã: ausus es in ipsum regẽ eiusq; matrẽ nequitiæ tuæ venenũ aspergere, vt reginæ consuleres castella sua munire, eoq; thesauros suos dum liceret transferre, dicens incertum esse quẽ erga ipsã animũ rex esset postmodũ habiturus. Regi vero persuadere tentabas, vt regni tibi curã & administrationẽ concederet. Asserebas enim reginã priuatas vtilitates sectantẽ regni statũ in deterius cõmutare, ciuitates oppidaq; large distribuere, regios paulatim exhaurire thesauros: multa demũ agere quæ & regnum euidenter perfundarent, & honori filii derogarent, & maternũ prorsus affectũ excludere viderentur. Rex vero temeritatem tuã agnoscens respondit, vbi matrem suspectam haberet, multo se tibi difficilius crediturũ. Sic inter matrẽ & filium discordiam seminans, tranquillitati regni, quã deflebas perfundari, prouide consulebas. Hei mihi falsitatẽ impudenter conaris obiicere: hæc eorũ me scias indicio cognouisse: ecce præsentes sunt ambo, quod vtriq; dixisti corã vtroq;, nega si potes. Nũc aũt ad aliud deuolutus consiliũ, & proditionis furiis agitatus, eo te sceleris amersisti, vt cãcellarii sanguinem tibi proponens hauriendum: eligensq; tantis non solus inuolui flagitiis, cũ id te facturũ iurasses, multos idem iurare feceris. Velim ergo te palã nũc in præsentia regis edicere quod cãcellario crimen intendas, cuius eũ sceleris arguas, quid demũ causæ sit quod tam atroces in eum inimicitias excitauit. An tibi debitam hæreditatem subripuit, aut patrimonii tui fines inuasit? Nunquid eum tibi damni vel iniuriæ quidpiã intulisse conquereris? An, quod verius est, inuidia stimulatus in eius odium exarsisti? Indignaris nimirũ eius arbitrio curiam regi: molestefers eũ vice regis omnib. regni populis imperare. Si parẽ gloriam affectas, virtute pruden-

prudentiaque illi te parem exhibeas, & ambitam tibi dignitatem vltro concedimus. Quod si temeritatis innatæ præiudicio condemnatus, eo aspirare non potes, neque nos certe patiemur sub rectore temerario regni periclitari fortunã. Sed ad hæc mihi forte respondes, te semper in curia viros prudentes ac strenuos habiturum, & quod industria tua nõ possis, hoc eorum facturũ consiliis. & id quibusdam forsitã vere dicere putareris, nisi terræ tuæ quã opulentissimam recepisti, præsens calamitas argumento nobis esset quid in te sit spei ac fiduciæ reponendum. Quod ergo iure tibi negandum palã non ausus es postulare, id facta coniuratione per te ipsum ausu temerario subripere conabaris. In quo & regni quidem inuentus es perturbator, & contra maiestatẽ regiam contumax ac rebellis: eoq; ipso meruisti non solum terram quam possidebas amittere, sed & capitalem subire sententiã, nisi veniã tibi velit regia benignitas indulgere. Henricus itaq; Comes audiens ex inspecto palã esse cuncta quæ gesserat, tanti se criminis obiectione pulsari, neq; dari sibi copiam vt quãlibet dilationis interim causam opponeret, inter metũ ac stuporẽ anxie deprehensus, tarde timideq; respondit, nunquã se contra cancellarium cõspirasse. At Rogerius iudex productus in medium, quod ille negabat, se probaturũ asseruit, dicens se ipsum minis adactũ nuper ei iusiurandũ de morte cancellarii præstitisse. Quib. verbis adeo Comitis mentẽ & ingeniũ perturbauit, vt nec illius dicta refelleret, nec obiecta purgaret, sed in contumeliæ verba prorumpens Rogerium iudicem proditorẽ appellabat, ac periurũ, qui iureiurando neglecto, consilia sibi credita prodidisset. Ita sua ipsius confessione damnatus intra palatiũ iussus est custodiri, subitoq; nunciatũ est in curia milites Henrici Comitis armatos in domum illius se recepisse, totam vrbem esse in motu, multos ciuiũ ad arma concurrere. Tũc cancellarius milites Comitis Grauinensis suosq; iussit armari, & ante palatiũ conuenire: missiq; sunt per vrbem hostiarii qui ciues ab armis iuberent discedere, populiq; metum sedarent. Inde voce præconis denunciatur Hispanis, vt omnis eadẽ die Pharũ transeant: alioqui in crastino quotquot eorum inuẽti fuerint, in carcerẽ retrudẽdos. At illi relictis armis, vt eis imperatũ fuerat, prout quisq; celerius poterat, in Calabriã transierunt. Græci vero quod Messanæ gestũ fuerat audientes, spe lucri fugientibus occurrebant, & multis eos verberibus affligentes, tandẽ saucios, nudos, omniumq; rerũ inopes dimittebant: quorum magna pars in Solauiæ syluæ niuibus perierũt, hyemis asperitate consumpti. Vrbis ergo tumultu sedato, Bartholomæus Luscensis cancellarium adiens, vltro cõfessus est eiusdẽ se conspirationis fuisse participẽ: veniamq; postulãs & congruã satisfactionẽ offerens, Ægidii Venusini abbatis precibus impetrauit vt extra regni terminos aliquãti temporis sustineret exilium, donec vniuersis proditoribus expulsis, integræq; paci curia restituta, regis eum indulgentia reuocaret, terra ipsius interim ab eodem AEgidio possidenda. Huius sequutus exemplum Rogerius Sorellus, se quoq; manifestauit iurasse cũ aliis, multis persuasionum fraudibus circumuentũ. Sed idẽ venia non impetrata carceri datus est, eo quod id tarde confessus fuerat, cum iam oẽs coniurationis auctores Henrici Comitis indicio proderentur. Hostibus itaq; cognitis, ingens cãcellariũ sollicitudinũ turba concusserat, ambigentẽ cui se consilio potissimũ inclinaret. Amicorum enim eius pleriq; coniuratorum numerum & potentiam attendentes, periculosum æstimabant in singulos vindictã extẽdere, nec eo modo posse malum hoc radicitus amputari, cum certe pluribus eorũ vel omnib. qui conspirauerant captis, semper tamen supereſſe contingeret qui propinquorũ vellent iniurias vindicare. Ideoq; cancellario suadebant vt eos deinceps mitigare potius quam persequi conaretur: eisq; simul ad curiam conuocatis in præsentia regis ignoscẽs, impunitatẽ concederet, & innocentiã suam paucis exponens, adderet se quidẽ ad vindictã viribus vti posse, sed malle vincere beneficiis quã in viros nobiles, quos honorare proposuerat, tyrannice desæuire. Porro Gilbertus Comes Grauinensis, cuius sententia præualuit, his omnino contraria sentiebat, neq; censebat oportere quempiã illorum impunitũ euadere, quos tanti sceleris participes aut conscios esse constaret, maxime cum aduersus Richardũ Molisii Comitẽ, qui eũ a curia dudum expulerat, videret vltionis sibi tẽpus congruũ occurrisse. Alii terræ ipsius cõsuetu-

dinem & tyrannidem plenius agnoſcentes, cum futura diligentius prouiderent, aiebant illos oportere vel omnino non capi, vel captos in pelagus demergi, aut alias latenter interfici, vel membris ſaltem principalibus mutilari. Hoc enim modo Rogerium regem prudentiſſimũ regno ſuo pacem olim integram peperiſſe. Vtilis quidem & ſecuritatis plena ſentẽtia: ſed tantam crudelitatem in miſericordiã pronior cancellarius abhorrebat. Poſt paucos igitur dies cum ad curiam vocati Comites aliique proceres ex ordine conſediſſent, Boamundus Tarſenſis, frater Carbonelli, adoleſcens egregiæ virtutis & nobilitatis præclaræ, ſurgẽs in medio procerũ, dixit Richardum Moliſii Comitẽ inter familiares curiæ regis ac reginæ beneficio conſtitutum, erga eos parum fideliter ſe geſſiſſe, cum his qui aduerſus cancellariũ iurauerant conſenſiſſet. Ipſum enim nõ ſolum ex ore Henrici Comitis eorum agnouiſſe propoſitum, ſed & conſilium adprobaſſe, nec vt debuerat aduerſus eorũ inſidias curiam præmuniiſſe. Quod ſi quidem ipſe negare contenderet, ſe probaturum nihilo ſegnius aſſerebat. Comes autem audacter ei falſitatem obiiciẽs, & oblatam probationem prompta defenſionis inſtantia ſubſequutus, iurabat nunquã ſe contra cancellariũ mali quidpiam cogitaſſe, & (vt erat impotens irę) velut ex indignatione prorumpens in lachrymas, clamabat ſuſceptam cum Boamundo monomachiam ſibi eſſe pro minimo: (nam ſe quidem aduerſus illum alioſque duos ei ſimiles confidentiſſime pugnaturum) ſed hinc eius animo iuſtam doloris cauſam ingeri, quod id de ſe cancellario perſuaderi potuerit, cui deuote ſemper obſequi ſtuduiſſet. Et niſi Comitis ei Grauinenſis obfuiſſet odium, facile potuerat a cãcellario veniã impetrare, cũ nec eum iuraſſe conſtaret, neque iurantibus quicquã virium miniſtraſſe. Dũ hæc aduerſus Comitem agerentur, Robertus Comes Caſertinus adiecit eundem auctoritate ſua dudum in Apulia Mandram, & quædam oppida regis in Troianorum finibus inuaſiſſe, furtimque adhuc eadem ignorante curia poſſidere. Ad hæc ille reſpondit, quod Gaytus Petrus qui tunc præerat curiæ, Mandram ei tenẽdam ad tempus ea lege dederat, vt inde ſingulis annis curiæ certam redderet pecuniæ quantitatem. Oppida vero quæ in partibus Troianorum inuaſiſſe dicebatur, itidem ſibi a Turgiſio terræ illius camerario fuiſſe cõceſſa. Interrogatus idem Turgiſius qui tunc forte præſens aderat, negauit eum hæc oppida ſua licentia tenuiſſe. Iuſſi itaque ſunt proceres omnes præter curiæ familiares in partẽ ſecedere, ſuper his quæ aduerſus Comitem dicta fuerant iudicialem ſententiam prolaturi. Erant autẽ ii qui ad iudicium faciendum ſurrexerant, Boamundus Monopolis Comes, Robertus de Lauro Comes Caſertinus, Rogerius eius filius Tricarici Comes, Rogerius Comes Auellini, Simon Comes Sangrenſis, Rogerius Comes Giracii, Rogerius Tironenſis magiſter comeſtabulus, Florius Camerotenſis, Iudex quoque Tarentinus, & Abdenago Hannibalis filius, qui magiſtri erant iuſtitiarii. Quibus inuicem ſuper his diſceptantibus viſum eſt Richardum Moliſii Comitem antequam Gaytus Petrus fugeret, Mandram, quam ab eo acceperat, licentia curiæ tenuiſſe. Poſt illius autem diſceſſum, cum eam teneret occulte, neq; rem (vt oportebat) ad regis notitiam referret, non iam precario poſſidentem, ſed inuaſorem rectius æſtimandum, vt qui ſua tantum auctoritate, non conſentiente, ſed ignorante curia, poſſideret: eumque de tota terra quam tenuerat, in miſericordia regis eſſe, tum propter id, tum propter prædicta oppida, quæ conſtabat eũ ſua itidem auctoritate contra fidem regi debitam occupaſſe. Hanc ergo ſententiã vice conſenſuque omnium Boamundus Comes (vt erat vir eloquens) in præſentia regis expoſuit. Tunc Richardus Comes exclamauit iniuſte ſe grauari odium æquitati manifeſte præferri: paratum ſe probare quod iniquam falſamque protuliſſet ſententiam. Quibus verbis Boamundus Comitem prohibuit curiæ reſpondere, dicens iniuriam hanc non in eos qui iudicauerant, ſed in caput regium principaliter redundare. Dehinc iniunctum eſt archiepiſcopis & epiſcopis qui aderant, vt in auctorem tantæ contumeliæ, quod æquum eſſet de iuris ſeueritate decernerent. At illi iuxta conſtitutiones regum Siciliæ, decreuerunt, Richardum Comitem non ſolum de terra ſua, verum etiam de membris & corpore regis miſericordiæ ſubiacere, eo quod iudicium curiæ falſum dicere præſumpſiſſet. Captus igitur & militum

militum custodiæ traditus, Taurominium iussus est perduci, & ibidem in castello quod in ardua rupe positum oppido supereminet, summa diligentia custodiri. His itaque duobus viris potentissimis ita captis, nemo iam coniuratorum supererat quem sibi crederet cancellarius formidandum. Episcopus autem Agrigentinus, dum hæc in curia gererentur, præsentiam suam interim curiæ subtrahebat, graui se fingens ægritudine detineri. Nec multo post Ioannes de Sinopoli & Bartholomæus Perisinus eiusdem criminis condemnati sunt, & in principatu Salerni per loca munitissima distributi. Galterius autem Modicensis super eadem coniuratione solenniter accusatus, pacta cum accusatore suo monomachia, datisq; fideiussoribus, diem constitutam iussus est expectare. Interea mortuo Simone Sangrensi Comite, Richardus frater eius illi substitutus cancellarii partem totis viribus tuebatur. Hannibal quoque puer Rainaldi Comitis filius, Comes creatus, integre terram patris obtinuit. Gilbertus vero Comes Grauinensis considerans cancellarium opera sua tot hostium insidias euasisse, omnia sibi prospere cedere, nullumq; (vt æstimabat) iam superesse periculum, in tãtam est præcipitatus audaciam, vt Lorotelli Comitatum a curia postulans impetraret, eligeretq; stabilẽ in quo erat gradũ non dubio præcipitio cõmutare. Hoc facto multorũ in se procerum & ciuitatũ Apuliæ cõtraxit inuidiã, & inexorabiles inimicitias suscitauit. Nã accepto Comitatu Lorotelli, Roberto Comiti (cuius omnes reditum summis desideriis exoptabant) obstruxisse videbatur aditum reuertendi, & spem quæ diu fouerat eos penitus sustulisse. At cancellarius licet nonnullos familiares curiæ alios que multos contra se factæ coniurationi consensisse non ambigeret, tamen erga illos blandius agens eorum facta dissimulare proposuit, ne rem atrocius persequi videretur, simulque sperans eos aliorum pœnis admonitos a sceleſto proposito posse facile reuocari. De Henrico vero Comite montis Caueosi reginæ consilium fuit, vt datis ei mille auri vnciis, in Hispaniam eum ad fratrem remitteret. Iussit ergo VII. galeas armari quæ Odonem Quarrellum in Franciam transiturum, & sub eius custodia Comitẽ vsque in Arelatensium fines transueherent. interim autem in castello Rhegii seruabatur, (quæ ciuitas ex oppositio Messanæ super Pharum in extremis Italiæ finibus sita est) vt inde promptius eum & facilius galeæ susciperent, quam primũ rex Panhormum rediturus ab vrbe Messanensi discederet. His itaque dispositis, XII. die Martii rex iter arripiens, XX. die eiusdem Panhormum peruenit. Gilbertus autem Comes Pharum transiens cum militibus suis in Apuliam reuersus est. Odo vero Quarrellus Messanæ remansit, multum a cancellario instructus & diligẽter admonitus, vt omni dilationis occasione sublata, statim post discessum regis galeas intraret. Interea Gaytus Richardus magister palatii camerarius, Matthæus notarius, & Gentilis Agrigentinus episcopus, aliique quibus cancellarius rem dissimulando scelerum impunitatem indulserat, semel conceptam rabiem nitebantur ad effectum vrgere: nec illius erant beneficiis emolliti, sed ex absentia Comitis Grauinensis considerantes cancellario multum subtractum esse virium, facile suis eũ patere iam æstimabant insidiis, tanquam improuidum & incautum, & velut omnĩ difficultate superata, nihil vltra periculi formidantem. Itaque nouas ex integro pactiones instituunt, mutuisque se rursus obligant sacramentis. Dehinc adimplendo proposito dies certa præfigitur, & iureiurando præstito milites eliguntur, qui dominica in Ramis palmarum vbi rex e palatio iuxta consuetudinem exierit, cancellarium gladiis in ipsa turba confodiant. Sed & multos ciuium tam Panhormi quam in quibusdam aliis oppidis aduersus cancellarium instigauerant, multa dando, multaque polliccendo: quibus non difficile persuaserant cancellarium, si diu perseuerauerit in eo culmine potestatis, vniuersis populis Siciliæ libertatem quam hactenus habuerant sublaturum. Cuius rei magnum illis visum est argumentum, quod Ioannes de Lauardino cui rogatu cancellarii terra Matthæi Bonelli nuper data fuerat, oppidanos suos tantis affligebat iniuriis, vt omnium rerum mobiliũ quas habebant mediam partem exigeret. hanc enim esse suæ terræ consuetudinẽ asserebat. At illi libertatem ciuium & oppidanorum Siciliæ prætendentes, nullos se reditus aiebant, nullas exactiones debere, sed aliquoties dominis suis vrgente

qualibet neceſſitate, quantũ vellent ſponte & libera voluntate ſeruire: Sarracenos autem & Græcos eos ſolum qui villani dicantur, ſoluendis reditibus annuisq; penſionibus obnoxios. Cumq; nihil hęc allegando proficerent, rem ad cancellarii notitiam pertulerunt. Qui Roberti de ſancto Ioanne Rogeriiq; Tironenſis magiſtri comeſtabuli neglecto conſilio, maluit quorundam quos de Francia ſecum adduxerat temeritate ſeduci, qui ſuper hoc nullam illis iuſtitiam oportere fieri decernentes, dicebant intolerabilem hanc eſſe ruſticorum audaciam: &, ſi quidem eos id quod poſtulent obtinere contigerit, multis inde pernicioſum exemplum datũ iri, vt aduerſus dominos ſuos cõtumaces ac rebelles exiſterent. Itaq; nihil eorum quę ſperauerant impetrantes, coacti ſunt iniuriã ſuam patienter interim ſuſtinere. Ea res hoſtibus cancellarii plurimam opportunitatẽ attulit, vt aduerſus illũ multorum ciuium & oppidanorum odia ſuſcitarent, dicentes id eum proponere, vt vniuerſi populi Siciliæ reditus annuos & exactiones ſoluere cogerentur iuxta Galliæ conſuetudinem, quæ ciues liberos non haberet. Cancellarius autem agnitis eorum conſiliis, vbi nulla vidit eos manſuetudine, nullis beneficiis a propoſito reuocari, primo Matthæũ notarium qui cæteris aſtutia præeminebat, congregata curia, iudicio ſolenni poſtulatum, neque defenſionem cõgruam afferentem recipi iuſſit in carcerem. Inde capti ſunt plerique milites, quos de morte ipſius iuſiurandum præſtitiſſe conſtabat. Cumque regina nullatenus conſentiret vt Gaytus Richardus caperetur, qui coniurationis caput erat & principium, vix tandem cancellarius id ſolum obtinuit, ne liceret ei extra palatium egredi, neq; copiam haberet militibus colloquendi. Epiſcopus Agrigentinus captis ſociis nihil ſpei reliquum videns, vt ad peragendum propoſitum facinus tot partibus mutilata conſpiratio conualeſcat, ſtatuit aduerſus cancellariũ vrbis Agrigentinæ & adiacentium oppidorum populos commouere, & apertas in eum inimicitias profiteri, confidens Rogeriũ Comitem Giracii eiuſdem coniurationis ſocium, & eius hortatu multos alios conſiliũ ſuum facile ſequuturos, ſimulq; ſperans Gilbertum Lelucienſem in Calabria iuxta quod inter eos conuenerat, idem facturum. Itaque ſine licentia curiæ cum paucis militibus clam diſcedens occulta quadam via peruenit Agrigentum, conuocanſq; populũ Matthæi notarii & aliorũ eis captionem exponit, dicens hoc eſſe propoſitũ cancellarii, vt omnes Sicilię proceres quotquot ei non conſenſerint, primo capiat: inde veneno regem extinguens regnum ipſe ſibi tranſſumat, cum regina quã propinquã ſuam nunc appellet matrimonium contracturus. eo ventum eſſe neceſſitatis, vt oporteat Siculos oẽs qui fidem regi ſeruare voluerint, vnanimiter aduerſus proditorem inſurgere, & antequam tam deteſtabile perpetretur flagitium conſiliorũ eius machinas præuenire. Hæc & Agrigenti publice concionatus eſt, & Meſſanenſi populo ſcripta dimiſit. Verum Agrigentinis horum nihil perſuaderi potuit, neque ſatis iuſta viſa eſt occaſio rebellandi. Rex autem ac regina fugam epiſcopi cognoſcentes, Burgundium iuſtitiarium cum literis regiis Agrigentum miſerunt, præcipientes Agrigentinis vt epiſcopum tanquam proditorem ſub eiuſdem Burgundii cuſtodia Panhormum tranſmitterent. Qui cum ad curiam veniens, ea quę palam geſſerat quibuſdam niteretur ambagibus excuſare, multorũ conuictus teſtimonio ductus eſt in caſtellum Sancti Marci, (quod in valle Demeniæ ſitum eſt) ibidem interim ſeruandus donec operum ſeries ad Rom. pontificem perferretur. Ita iam metu reique difficultate ſublata, viribus omnino deſtituta conſpiratio, deinceps reſpirare non poterat, niſi nouus denuo caſus emergens nouum induxiſſet periculum, & multorum prudentium virorum induſtria ſopitum extinctumque pene malorum fomitem vnius viri temeritas ſuſcitaſſet. Nam cũ Odonem Quarrellum Meſſanæ diutius morari poſt conſtitutum abeundi terminũ cancellarius comperiſſet, quod futurum erat præſaga mente concipiens, minis & contumeliis plenã ei direxit epiſtolam, præcipiens vt infra triduũ poſt ſuſceptas literas omni lucri ſpe neglecta, omniq; damni poſthabita ratione diſcederet. At ille fatali iam imminente præcipitio, cupiditatis tenebris excæcatus, nullis minis aut precibus, nullo poterat genere perſuaſionis auelli, ob id ſolũ tanto ſe periculo negligenter obiiciens, vt a nauibus in Syriã tranſituris extorqueret pecuniã, nõ aliter eis

eis indulta copia transeundi. Hãc exactionẽ ciues molestissime ferentes cœperunt inter se primũ occulte conqueri, deinde licentius ac manifestius indignari, suamq; ipsorum temeritatem & ignauiam accusare, qui prædones alienigenas paterentur regni thesauros & de ciuium iniuriis conquisitam pecuniam in Franciam asportare. Sed & Odonis Quarrelli clientes, qui per vrbem ebrii vagari consueuerant, forte Græcos in domo quadã ludentes inuenerunt, eorumq; ludos improbe perturbantes, cœpere multis eorum verborũ iniuriis irritare. Qui ob timorẽ cancellarii patienter aliquandiu sustinentes, rogabant eos vt abscederent, vel ab iniuria tẽperarent. At vbi iam ira iugibus accensa contumeliis, propulsato metu patientiã eos dedocuit, raptis fustibus illos aggressi, improbam eorum loquacitatẽ multis verberibus repressерunt. Odo Quarrellus ea re cognita strategotum accersiit, ipsosq; sibi captos Græcos exhiberi præcepit. Strategotus autẽ respondit, variis vrbẽ concussam rumoribus, & ad seditionem pronos ciuium animos non oportere nunc amplius asperari, sed hanc interim quasi negligẽdo dissimulandam iniuriam, & vltionẽ in tempus congruum differendam. Tũ ille (vt semel ad iram motus, nullũ admittebat consilium) subintulit, quicquid acturi essent reliqui, istos impræsentiarũ ob illatum sibi dedecus puniendos, inefficaciter eiusmodi causas prętendi vt factũ hoc sequeretur impunitas, nihil sibi de rusticorũ confœderatione timoris innasci, expedire nunc vt horum exemplo cæteri terrerentur. Cũ ergo strategotus eius voluntati satisfacturus, ad locum vbi res acciderat peruenisset, plurimam ibi Græcorum multitudinem conglobatam inuenit. Quos cum cœpisset asperius cõuenire, responderunt non esse tempus hoc quo strategoti ciuibus debeant minari, sed blãdiri, neq; dicto segnius in eum pariter irruentes, cum equi rapiditate fretus in fugã se verteret, multos post eum lapides proiecerunt. Videntes Latini qui ob nauiũ redemptionẽ in odium Francorũ inducti fuerant, Græcos quoq; aduersus eosdẽ nouis iniuriis lacessitos, cœperũt ad seditionem eos hortari, asserentes Francis id esse animi, vt omnib. Græcis expulsis, ipsi domos eorum, vineas, cæteraq; oppida possiderent: Reginã vero nupsisse cancellario, neq; satis adhuc constare quid regi cõtigerit, sed eum, si quidẽ viuat, magno discrimini subiacere. Itaq; tota iã ciuitas falsis rumoribus perstrepebat, & euidens rebellandi prætendens indicium eo rerum turbine laborabat, vt neque strategotus neq; iudices contra voluntatẽ plebis auderent iuris quidpiam exercere. Quod vbi regi reginęq; cognitum est, falsa ciuitatem opinione delusam, immensis tumultuum fluctibus agitari, Messanensibus in hunc modũ scriptam epistolam direxerunt. Dei gratia rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, vna cũ domina Margarita gloriosa regina matre sua, Andreæ strategoto, & iudicibus, & vniuerso populo Messanensi, fidelibus suis, salutem & dilectionem. Certũ est eos maiestatis crimen admittere, nõ solum si quos tanta vis furoris exagitat, vt ausu nefario vitæ salutiq; nostræ insidiẽtur, verum & quos in familiarium nostrorum necem aliquid clam palamue moliri cõtigerit, quique aduersus eos qui negociis nostris inuigilant, quorum ope & consilio regnum nostrum feliciter gubernatur, impietatis suæ machinas putauerint erigendas. Quod genus hominum cum ad totius regni perniciẽ natum appareat, meritis quidem expedit obtrudi suppliciis, & quod in alios nitebantur atrociter exercere, in caput eorum iustissime retorqueri. Inde est quod Gentilem Agrigentinum episcopum, Gaytum Richardum, Matthæum notarium, quos contra Stephanum dilectum consanguineum nostrum & cancellarium conspirasse manifestis rerum argumentis agnouimus, in præsentia nostra conuictos damnatosq; carcerali iussimus custodiæ reuinciri. Statuit autem maiestatis nostræ serenitas eiusdem Stephani precibus erga eos misericorditer agere, citraque iuris seueritatem punitis viuendi copiam indulgere. Hæc idcirco fidelitatem vestram latere noluimus, ne forte vos fallaci cuiuspiam suggestione deceptos, aut aliis quibuslibet rumoribus perturbatos, contra voluntatem nostram agere, fidemque quam erga nos hactenus inconcussam seruastis, aliquatenus violare contingeret. Itaque nos sanos & incolumes in palatio nostro summa tranquillitate gaudere, omnesq; de ciuitate nostra seditionum motus & occasiones excludite, vt nostrã possitis gratiam vberius

promereri. Has literas recipiens strategotus iussit ad ecclesiam nouam populum conuenire, vt eas faceret coram vniuersis ciuibus recitari. Cumque moram eo faciente populus diutius expectaret, cœperunt incitari, inuicem colloquēdo varias opiniones confingere. Alii Stephanum cancellarium asserebant procul dubio regem factum, & hanc eius epistolam quam audituri venerant regias literas appellari. Nam Gilbertum regem interfectum esse, Henricum fratrem eius cum paucis militib. in castello maris clausum obsidione vallari. Alii, quibus ratione magis vtentibus tam aperta falsitas huius rei fidem subtraxerat, velut moderatius astruebant non ipsum cancellarium, sed Gaufridum quendam eius fratrem regnaturum, & ob hoc Odonem Quarrellum cum ingenti pecunia transiturum in Gallias, vt eius opera ductuque prædictus Gaufridus in Siciliam transfretaret, & Constantiam Rogerii regis filiam vxorem duceret, inde sibi dandā occasionē existimās vt videretur regnū iustius occupare. Cū ergo iā murmur inualesceret, & plebis indignatio multiplicatis rumorib. augeretur, exclamauit quidā ad eius vocē facto silentio, solum hoc in tanto turbine superesse consilium, vt Odonem Quarrellū primo interficerent, dehinc Henricum Comitem qui Messanenses plurimum semper dilexerit liberarent. Tunc vniuersi qui aderant non aliter quam si consiliis illius se paritum ire iurassent, ad expugnandā Odonis Quarrelli domū, neglecto strategoti mandato concurrunt. Sed cum primo impetu nihil agere potuissent, ad portum repente se transferunt, & septem galeas ibi repertas viris & armis cōplentes, Rhegium traiecto Phato perueniunt. Rhegini vero consilio Ioannis Calomeni, qui tūc Calabriæ camerarius erat, portas Messanensibus aperientes, eorum societati se iureiurando præstito coniunxerunt. Inde ad castellum, vbi Comes sub paucorū militum custodia seruabatur, confidentius accesserunt, dicentes militibus qui ad defensionem parati muros ascenderant, vt Comitem sibi redderent: alioqui ipsos, si vi capti forent, tanquam proditores ilico suspendendos. sed nec eos posse quidem euadere. nam si forte (quod vix accidere possit) ea tota die sustinuerunt, in crastino Messanæ LX. galeas armatum iri, seque machinas ad expugnandam turrim necessarias allaturos. At illi primo neglectis eorum minis instantes acerrime repellebāt, & importunitatem piraticam multiplicatis lapidū iactibus proturbabant. Inde vero, se paucos admodū esse considerantes, nec in toto castello tantum esse victualiū quod per triduum eis posset sufficere, Messanensibus instantissime Comitem sibi reddi poscentibus respōderunt, homines ignotos qui sine duce, sine rectore venerint, non oportere super his quæ postulabant audiri. Si vero strategotum, vel iudices, vel omnino quospiam de maioribus ciuitatis adducerent, eorum se verbis facile credituros. Quod illi statim se facturos pollicīti Messanam reuersi sunt, & Iacobum Hostiarium, qui ad armandum stolium a curia missus fuerat, nolentem reluctantemque Rhegium perduxerunt. Milites igitur omni spe fiduciaq; resistendi sublata, tandem illis Comitem reddiderunt. Quo post Phari transitum a Messanensibus non sine totius ciuitatis concursu multaq; plebis alacritate suscepto, iurauerunt omnes Henrici Comitis decætero se per omnia secuturos imperium, nec ei vita superstite defuturos. Interim autem Odo Quarrellus in palatiū regis quod domui suæ proximum erat, cum omnibus rebus suis se contulerat, ibique virorum multitudine circa muros excubantium circumseptus, nec ipse poterat exire, nec; per literas cancellario quod ei contigerat indicare. Nam & palatii custos, cum alter irruentis populi furorem arcere non posset, eum se capitis sui periculo spopondisset seruaturum. Comes igitur missis cum notario suo plerisque ciuium, vniuersam illius pecuniam, aurum, argentum, gemmas, vestesq; sericas scripto consignari fecit, & in interiore parte palatii summa diligentia custodiri: ipsum autem Odonem lintri sub silentio noctis impositum, ad Castellum vetus quod in portu secus ecclesiam nouam situm est, iussit trāsferri. Interea Messanenses veriti ne Comes illum ea spe custodiri faceret, vt eo curiæ reddito veniam impetraret, eorumque societati se fraudulenter subtraheret, optimum arbitrati sunt ipsum Odonem interficere. Hoc enim perpetrato nō posse Comitem erga curiam deinceps excusari. Itaque magna virorum multitudine conuocata Comitem adeunt, postulantes vt

Odonem

Odonem Quarrellum eis traderet puniendum. non enim eo captum fuisse consilio vt incolumis seruaretur, sed vt eo diris excruciato suppliciis, tam regis quã suas iniurias vindicarent. Comes autem, ne videretur eorum ingratus beneficiis, simulq; videns etsi reluctari vellet, plebis tamen oportere desiderium adimpleri, noluit eorum petitioni moras opponere, licet ei plurimum displiceret. timebat enim ne speratum finem non posset res inconsulte cœpta sortiri. At illi repente castellum adeunt, & Odonem Quarrellum a castellano sibi traditum exuentes, asino quẽ ad hoc præparauerant eum imponunt, pedibus eius in anteriorem asini partem porrectis, capite vero in partem cõtrariam acclinato. Dehinc vniuerso populo ad hoc spectaculum confluente, per medium vrbis eum cum ingenti clamore deducunt, contumeliis interim ac verberibus insistentes. Vbi ad portam ciuitatis vẽtum est, quidam eorum cultrum Pisanum quantis potuit viribus illius immergens cerebro, cruorem qui ferro adhæserat sub omnium aspectu lingebat, ad inexorabilis odii magnitudinem exprimendam. Cuius exemplum sequuti cæteri mẽbratim Odonem innumeris cõfossum vulneribus discerpserunt. Caput autem eius affixũ lanceæ per vrbem diutius ostentantes, ad vltimum illud in cloacas publicas proiecerunt, quod inde furtim sublatum est, & traditum sepulturæ. Inter hæc aũt Græci Transalpinos quotquot inuenire poterant occidebant, donec Henricus Comes id fieri cum interminatione pœnæ prohibuit. Messanenses igitur, vt venturo regis exercitui quatenus poterant aditus viarum obstruerent, primo Rimetulã castellũ fortissimum occuparunt, castellani fide promissis facile corrupta. Inde Tauromi-nium tam dolo quam viribus aggressi sunt, vt Richardum Comitem Molisii liberarent: & oppido quidem non difficile potiti sunt, castellum aũt nullis poterat viribus expugnari. Sed & Matthæi castellani fides licet multa præmiorum pollicitatione multisq; minis attentata, nusquã tamen a propositi soliditate roboris excidebat. Demum vero vxoris eius frater a Messanensibus missus exorabat eum cum lachrymis, vt tantæ cõsilio crudelitatis abiecto, miseretur vxoris ac liberorũ, quos in carcerem missos præceperant Messanenses interfici, nisi Richardum Comitem matureredi contingeret. At ille respondit nõ solum necem illorum sibi tolerabilem fore, verum & se ipsum morti paratum audacter occurrere, antequã huiusmodi proditione vitam fœdaret, quam hactenus nullius infamiæ nota respersérat. Tũ is qui missus fuerat cum intelligeret illius animum ab eo quod dixerat non posse deflecti, Gauarreto ipsius castelli quem dudum nouerat, interposita fide multa pollicitus, persuasit vt quamprimum temporis opportunitas pateretur, Richardum Comitem solueret, & hostium ei carceris aperiret. Quadam ergo die dormiente Matthæo castellano, Gauarretus vt spoponderat Richardum Comitem a vinculis expeditum eduxit. Cumque mox ad castellanum itinere recto contenderet, ille ad strepitum pedum excusso somno cum vidisset Comitẽ, repente præterritus ensem arripuit, & sibi paratas insidias in caput illius facile retorsisset, nisi proditor cuius id opera patratum fuerat, amplexus improuidum, ferientis conatũ eluderet, & illi cultro quem tenebat superiorem dorsi partem inter humeros transfixisset: manu tamen Comitis quam ensi sublato prætenderat vulnerata. Ita Matthæo multis confosso vulneribus, Messanenses Taurominii castellum ipsumque Comitem alacres receperunt. Hæc vbi cancellario nunciata sunt, tanto repenteturbatus infortunio, consilium amicorum quod diu neglexerat, tum demũ expetiit, visumque est persuadere regi, vt exercitu congregato Messanam obsessum pergeret: quod ille facile pronaque voluntate concessit, ad educendum exercitũ certo ab Astrologis termino constituto. Interim autem Catanensibus scripsit, vt nihil omnino victualium Messanam deferrent, neque naues Messanensium ibidẽ onerari permitterent, omnesque insuper Catanensium naues ad terram subduci præcepit, singulis earum carinis singulas tabulas subtrahendo. Ea res annonæ comportandæ subtracta copia Messanensibus famis necessitatem indixerat, cum nullum aliunde super hoc solatium expectarent. Calabria enim eius anni sterilitate damnata, vix sibi sufficere poterat. Interea Randacini, Vacarienses, Capiciani, Nicosiani, Maniacenses, cæterique Lombardi, qui cancellarii partes ob multa eius

beneſi-

beneficia tuebantur, haud dubiam proditorum inuidiam ac scelera detestati, legatos Panhormum miserunt, rogantes cancellarium, & ei modis omnibus persuadere nitentes, vt aduersus Messanenses exercitum confidenter educeret. Nam eum quidem de solis Lombardorum oppidis XX. M. pugnatorum vbicunq; præcipere habiturum. Quorum laudata fide cancellarius terminum eis constitutum ad hoc exposuit, iussitque vt interim se rebus necessariis præmunirent. Rogerius autem Giracii Comes, vbi vidit denuo conspirationem multum ex improuiso viriũ collegisse, rebellandi desiderium, quod hactenus dissimulans occultauerat, apertis cœpit indiciis profiteri, castellaque sua muniens, Cephaludium adiit, & cum eiusdem ciuitatis episcopo colloquium habens, persuasit ei vt iuraret nunquam opem suam aduersus cancellarium Messanensibus defuturam, adiecitque vt ab vniuersis ciuibus suis idem iusiurandum acciperent. Cancellarius tamen eiusdem vrbis arcem munitissimam præoccupauerat, cum iam ab initio fidem episcopi dubiam agnouisset, & ad ipsius arcis custodiam Andream hostiarium constituerat. Matthæus autem notarius, cum in palatio clausus teneretur, audiens quod Messanæ gestum fuerat, simulque videns Ansaldum castellanum amicum cancellarii in superiore parte palatii valetudine detineri: ex illius absentia datam sibi perpetrãdi quod optabat opportunitatem agnouit, & Constantinum eius socium penes quẽ solum custodiendi palatii cura tunc erat, multis persuasionibus eo impulit, vt vniuersos palatii seruos (qui fere quadringenti erant) iurare faceret, quod die tertia quam eis præfixerat, cancellarium ad curiam venientem, & cum eo Ioannem de Lauardino, & Rogerium Auellini Comitem inter primam ac secundam portam interficerent. Iam tunc ergo conspiratoribus in spem & audaciam rursus erectis, in partes scissa ciuitas variis assensibus laborabat. Sed & plerique viri rapinis assueti, qui circa viam Coopertam & in superiori parte viæ Marmoreæ commanebãt, videntes rixas & seditiones inter curiæ familiares exortas, societatis inter se fœdus inierant, non quia fauore partis vtriuslibet traherentur, sed lucri spẽ sequentes iurauerant in illum quidem impetum se facturos in quem primum acclamari cõtingeret. Optabant autem eum fore cancellarium, eo quod in domo illius multã arbitrantes cõgestam esse pecuniam, credebant se quod optauerant ibidem vberius & facilius effecturos. Inter has rerum ambiguitates & pericula cãcellarius deprehensus, ab Ansaldo castellano statuit scisciari quid ei potissimum in tanto turbine faciendum decerneret. Cuius consilium fuit, vt neglecto termino quem Astrologi præfixerant, cum militibus suis in aliquam munitionum Siciliæ se reciperet, & tã Lombardos quam cæteros quos sibi fideles nouerat accersiens, quantũ posset exercitum congregaret, ibique regis pręstolaretur aduentum. Nam eum, si Panhormi diutius moraretur, vix tantas hostium insidias euasurum. Præualuit tamen Roberti Comitis Mellenti cæterorumque Francorum sententia, qui proditorũ astutiam & curiæ consuetudinem nescientes, Panhormi morari tutius asserebant, nec oportere cancellarium sine rege quopiam proficisci, ignorantes nusquam aptius insidias quam in ipso palatio præparari, vbi nemini liceat armis se vel militib. præmunire. At vbi iam constituta dies aderat, serui ipsius palatii sperantes cancellariũ mane iuxta cõsuetudinem ad curiam ascensurum, parati ante ianuam consistebãt, vt eum venientẽ cum paucis admittentes, milites eius excluderent. Odo vero magister stabuli, cum eorum intellexisset consilium, repente descendẽs e palatio, cãcellarium, quod ei periculum imminebat, edocuit. Qui paucos amicorum secum retinens, milites & hostiarios, qui ante domum eius conuenerant vt eũtem ad curiam sequerentur, iussit abscedere. Constantinus itaque castellanus vbi spem & opinionem suam elusam animaduertit, mittens plerosque palatii seruos, quos ciuibus notissimos esse cognouerat, per singulas vrbis regiones eos distribuit, iussitque clamare vt vniuersi ciues ad arma concurrerent, & domum cancellarii qui paratis iam nauibus cum thesauris regiis fugere decreuerat, obsiderent. His vrbe commota rumoribus, Herueus Floridus quem non tam familiaritas cancellarii, quam ipse de se plurimum loquens palatinis suspectum fecerat, cum Rogerio Comite Auellini secus palatium equitabat. Quem cum vidissent clientes Gayti Richardi

ac ple-

ac plerique alii viri, qui iam illuc armati confluxerant, irruerunt in eum, & equo deiectum gladiis transfoderunt. Inde Comitem persequentes cum extra portam vrbis in planum quod palatio adiacet peruenissent, fugiendi spe sublata, iam in eũ lanceas intendebant, cum rex vt ad fenestras palatii quid tumultus esset prospectũ venerat, exclamans, multum illis interminatus est nisi sibi viuum illum & incolumem assignarent. Sic eorum impetu vix compresso, cum aliter Comitem liberare non posset, iussit eum in castello maris summa diligentia custodiri. Tunc vero sagittarii curiæ, qui nunquam in seditionibus vbi lucri spes appareat vltimi consueuerunt occurrere, cum his quos superius coniurasse diximus, magnaque præterea confluentium virorum multitudine, domum cancellarii circumuallant. Simõ autem Pictauensis, cuius diligentiæ domus eiusdem cura commissa fuerat, milites peditesque prout locorum opportunitas exigebat, per murorum disponens ambitum, singula loca congrua defensione præmuniuit: militum vero maximam partem repentinus plebis concursus excluserat. Cancellarius vbi rem videt in id discriminis deuenisse, cũ plerisque viris nobilibus, quos a se nõ passus erat discedere, per ecclesiã quæ domui suæ erat contigua, in campanarii fortissimã (vt in plano) munitionem se recipit. Erant aũt qui semper ei familiarius adhęrebant, Carbonellus & Boamundus Tarsenses, Gulielmus de sancto Seuerino, Alduinus Cantuensis, Hugo Lupinus: Robertus quoque Mellenti Comes, cum quibusdã Francis militibus. Interea Rogerius Tironensis magister Comestabulus, cum militibus suis superueniens, viros quos ibi repererat acerrime proturbabat. At vbi iam multitudo populi confluentis in inmensum excreuit, resumptis animis in eum pariter irruentes, tam ipsum quam eius milites fugere compulerunt, domumque cancellarii quæ multo distendebatur ambitu, cœperunt ex omni parte totis viribus oppugnare. Obsessi vero non solum de locis sibi designatis nihilo segnius instantibus resistebant, verum etiam apertis aliquoties foribus erumpentes, totam multitudinẽ audacissime repellebant, longiusque cogebant absistere. Matthæus quoque notarius & Gaytus Richardus de locis in quibus clausi fuerãt exeuntes, pristinæ se dignitati nemine prohibente reddiderant. Qui seruis buccinariis accersitis, præceperunt vt ante domum cancellarii tubis ac tympanis personarent. Tunc vniuersa ciuitas tam Sarraceni quam Christiani signum belli notissimum audientes, iussu regis id fieri crediderunt, moxque cum ingenti clamore ac strepitu concurrentes cœperunt instare vehementius, videntesque diutius insistendo nihil proficere, tãdem ad portam ecclesiæ magna lignorum strue oppositа decreuerunt ignem supponere. Cumque iam redactis in carbones foribus liber patuisset introitus, plærique milites cãcellarii quibus immensa virtus periculi metum sustulerat, opposuerunt se conantibus introire. Ibi diu multumque summa virtute pugnatum est: his quidem vrgentissima necessitate vires & audaciam ministrante, illis autem indignantibus quod pauciſsimi viri tantæ multitudinis impetum sustinerent. Præualente vix tandem multitudine, fatigati se milites in campanarium contulerunt. At illi per ecclesiam in domum cancellarii libere transeuntes, milites peditesque qui muris defendendis operam dabãt, repente captos vinctosque castellanis palatii transmiserunt. quos autem repererant de locis adhuc munitionibus resistentes, vt se dederent bonis conditionibus effecerunt. Inde ad expugnandum campanarium redeuntes, cum iam multis eorum vulneratis acrius instando nihil agerent, variis huc illuc consiliis agebantur. Alii multa lignorum coaceruata cõgerie, supponendum ignem censebant. nam ex eiusmodi saxis constructum esse campanarium, quæ perseuerãte diutius igne facile dissoluantur: alii machinas ocyus inferendas, alii cratibus inuectis suffodiendum ab imo campanarium decernebant. Interea cum rex ad matris petitionem e palatio vellet exire, vt ab obsidione populũ amoueret, Matthæus notarius cæteriq; conspiratores qui aderant prohibuerũt eũ egredi, dicentes non esse tutum illuc accedere. nam sagittarum ac lapidũ circũquaq; turbinẽ agitari. Cũq; viderent nullatenus ea die posse campanarium expugnari, timuerunt ne si res produceretur in crastinũ plebis tepescerent animi, vel pœnitentia ducti desisterent ab incepto, cum id regi displicere cognoscerent. Sta-

tuerunt ergo cum cancellario paciſci, vt abiurato regno Sicilię liceret ei in quā eligeret terram libere tranſmeare. Miſſis itaque nunciis qui hanc ei conditionē proponerent, ita demum inter eos tranſactum eſt, vt armata galea cancellarius cum paucis quos eligeret traduceretur in Syriam, Comiti vero Mellenti cæteriſq; Frācis ad transfretandum nauigia pararentur: nobiles autem viri de regno Siciliæ, qui cum eo in campanario erant, terras ſuas ſecure ac libere poſſiderent, militibus ſtipendiariis indulta licentia vel in curia commorandi, vel ad alium locum quemlibet tranſeundi. hoc ita ſine dolo factum iri iurauerunt, Richardus Syracuſanus electus, Matthæus notarius, Gaytus Richardus, Rumoaldus Salernitanus archiepiſcopus, Ioannes epiſcopus Maltenſis: ipſaque nocte galeam præparari fecerunt. Mane vero cancellarium e campanario cum paucis ſociis extrahentes, ad portum eum Gallicum perduxerunt. Cumque galeam aſcenderet, canonici Panhormitani qui aderant rogabant eum vt a ſacramento fidelitatis eos abſolueret. at ille rem diſſimulans, nihil reſpondit. Tum curiæ familiares cœperunt primo blandius hortari, dehinc acrius & importunius comminantes inſtare, vt electioni renuncians eligendi paſtoris canonicis poteſtatem daret. Ille vero videns armatam circumfremere multitudinem, tumultuari milites, magnates indignari, quod nec dum reuertendi videretur animum abieciſſe, metu compulſus renūciauit electioni. Moxque galeam ingreſſus, iuſſit eam a terra propelli, ſuſpectum habens populum magno illuc impetu confluentem. Itaque curiæ familiares ad cāpanarium regreſſi, Comitem Mellenti cæteroſque Francos eduxerunt, plebiſque ſeditioſos impetus, & aduentum Meſſanenſium formidantes, in duobus caſtellis Parthenico Carinulaque fecerunt illos interim commorari, donec eis ad transfretandum nauigia prouiderent. At cancellarius a portu quam primum potuit auulſus, per Mazarienſium fines auſtralem Siciliæ partem circuiens Lecatulam peruenit, quod caſtellum in finibus Agrigentinorum ſitum eſt. Ibi neceſſario coactus ad terram egredi præmiſit epiſcopum Maltenſem qui dux ei datus fuerat, vt oppidanis ex parte regis præciperet, ne illum aliquatenus impedirent. Iam enim galea procelloſo maris turbine fatigata diſſolutis compagibus naufragium minabatur. Cumque breui tēporis interuallo congrue reſarciri non poſſet, neque ſine certo capitis periculo liceret cancellario triduum ibi tranſigere, nauē onerariā in eodem inuentam littore, a Ianuenſibus emit, eiſdemque nautis conductis in Syriā proſpere transfretauit. Interea Gentilis Agrigentinus epiſcopus, qui in vallem Demenię miſſus fuerat, reuocatur, & curiæ familiaris efficitur. Hēricus Comes mōtis Caueoſi, & Richardus Moliſii Comes, cum pleriſque Meſſanenſium XXIIII. galeis armatis Panhormum perueniunt, viribuſque freti ſtatum curiæ innouant, & x. familiares inſtituunt, Richardum Syracuſanum electum, Gentilem Agrigentinum epiſcopum, Rumoaldum Salernitanum archiepiſcopum, Ioannem Maltenſem epiſcopum, Rogerium Comitem Giracii, Richardum Moliſii Comitem, Henricum montis Caueoſi Comitem, Matthæum notariū, Gaytum Richardum, Galterium decanum Agrigentinum regis præceptorem. In eo ſtatu curia conſtituta decernitur imprimis, vti Gilbertus Comes Grauinenſis, cum filio ſuo Bertranno Comite, pellatur e regno, ſaluus tamen & incolumis, ſi quidem his curiæ mandatis vltro parere voluerit. Quod ſi viribus vti & militibus adunatis reniti præſumpſerit, cum eo deinceps hoſtiliter agi, & tanquam proditorem totius regni viribus oppugnari. Hoc autem negocium Rogerio Comiti Albenſi, Richardoque de Sagio Fundano Comiti delegatur. Qui de totius Apuliæ ciuitatibus immenſum cōgregantes exercitum, Gilbertum Comitē in caſtello quodam, quo ſe cum vxore receperat, obſederūt. nam audito curiæ mandato vniuerſi milites ab eo diſceſſerant. At ille multam in ſe procerū attendens inuidiam, ciuitatum atrox odium, nihilque ſpei ſibi relictum intelligens, elegit ſe Richardo Comiti Fundano cum theſauris ſuis eo pacto dedere, vt liceret ei cū vxore ac liberis in partes Syriæ trāſmeare. Eo ſic expulſo, cogitabāt etiā curiæ magnates Hugonē Comitem Catacenſem, quia cancellarii cōſanguineus erat, expellere. Sed quia nullius cōſilii, nullius audaciæ homo erat, vt vel occulte paraturus inſidias, vel ex præcipiti magnū

auſurus

ausurus aliquid timeretur, maluerunt ei parcere, sperantes eo ipso posse reginæ indignationem aliquatenus mitigari. Post paucos dies Galterius Agrigentinus conducta plebis multitudine, metuque compulsis canonicis, consentiente curia, non tam electus quam violenter intrusus, Panhormitanæ regimen suscepit ecclesiæ. Ea res his qui cancellario fauerãt, ipsique reginæ plurimum spei subtraxit: sperabant tamen Romanum pontificem id quod actum fuerat, ratum non habiturũ, cum non sponte cancellarium, sed capitalibus minis adactum electioni renunciasse constaret. Quod autem vi metuve gestum fuerit, ratum non habere prætorẽ. Eiusmodi vero metum intercessisse qui & in constantissimũ virum cadere posset, nulli dubium erat, neque tam manifesta res vllis testibus indigebat. His accedebat quod Petrus Caietanus Romanæ curiæ subdiaconus certissime promiserat, electionem hanc nihil roboris habituram, septingentasque auri vncias opera studioque reginæ acceperat Romano pontifici deferendas. Pars autem contraria, cuius opinio prævaluit, asserebat in eo statu Romanam esse curiam, vt voluntati procerum Siciliæ non audeat obuiare, neque censeat immensam pecuniam ob firmandam electionem sibi oblatam in eo necessitatis articulo contemnendam. Hoc itaque negocio paucis diebus protracto, ne videretur præcipitari sententia, demum Romanus pontifex electionem ratam habuit, ipsumque iussit electum a suffraganeis episcopis consecrari. Qui tantę dignitatis culmine sublimatus, repente statum immutauit curiæ, summamque sibi potestatem retinens, Matthæum notarium & Gentilem Agrigentinum episcopum sub se familiares instituit. Eodem anno quartâ die Februarii circa primam horam eiusdem diei vehemens terræmotus tãta Siciliam concussit violentia, vt in Calabria quoque circa Rhegium oppidaq; proxima sentiretur. Catanensium opulentissima ciuitas vsqueadeo subuersa est, vt ne vna quidem domus in vrbe superstes remanserit. Viri ac mulieres circiter XV. M. cum episcopo eiusdem ciuitatis, maximaque parte monachorum, sub ruina sunt ædificiorum oppressi. Leontium nobile Syracusanorum oppidum eadem terræ concussione subuersum, oppidanorum pleroſque ruentium ædificiorũ mole consumpsit. Multa præterea in finibus Catanensium ac Syracusanorum castella diruta sunt. Multis in locis terra dehiscens, & nouos protulit fontes, & veterum nonnullos obstruxit: eaque pars AEtnæi cacuminis quæ Taurominium respicit, visa est aliquantulum subsedisse. Syracusis Arethusa fons nominatissimus (quẽ ab Elide Græciæ ciuitate fama est in Sicilia occultis meatib. deriuari) de limpido turbulentus effectus, saporem salsum multa maris admixtione contraxit. Taius, fons quidem aquis vberrimus, (qui de pede montis iuxta Casale Sarracenorum egreditur) quasi duarum horarum spatio manens obstructus, aquas continuit, magnoq; dehinc erumpens impetu, sanguinei coloris latice per vnius spatium horæ mirantium oculis indigenarum exhibuit. Messanæ vero mare cum tranquillissimum esset, in se ipsum primo se cõtrahens, paulisper cessit a littore, deinde pedetentim recdiens præfixas littoris metas transiliit, muroſque ciuitatis alluens, ipsis & se portis infudit. His aliisque prodigiis curiæ familiares eorumque fautores perterriti, arbitrabantur nouitatem hanc rerum magnam Siculis calamitatem portendere. Timebant ergo ne cancellarius ope & consilio Cõstantinopolitani Imperatoris, qui legatos eius (vt ferebatur) benigne susceperat, regnum Siciliæ collectis viribus occuparet. Nec vero dubium erat pleroſque regni Comites ac proceres illius aduẽtum auidissime præstolari. Credebant autem etiam Robertum Comitem Lorotelli reginæ voluntatem & imperium, cuius opera nuper ab exilio reuocatus fuerat, proculdubio secuturum. Dum igitur aduersus ea quæ accidere poterant multis se consiliis & artibus præmunirent, repente de morte cancellarii certissimus ad curiam rumor perlatus, & Reginæ prorsus animum deiecit, & partem contrariam in id roboris ac securitatis euexit, vt nihil sibi deinceps æstimarent difficultatis aut periculi formidandum. Itaque summa regni potestas, & negotiorum cognitio penes Galterium archiepiscopum Panhormitanum erat, qui sibi regem eatenus suspecta satis familiaritate deuinxerat, vt non tam curiam quam regem ipsum regere videretur.

Lectori S.


Geruasis Tornacai prolegomena in Falcandum omittere decreueramus, cum & temporis angustia non admissura videretur, & Fazellus iacturam illam, si qua esset, abunde compensare posset. Nunc iusto temporis spatio concesso, visum est & ipsa sub finem adiicere, ne quis, si omissa forent, mutilum sibi librum obtrudi posset cauillari.

TEMPVS HVIVS HISTORIÆ, ET SERIES seu Comitum seu Regum Siciliæ vsq; ad Fridericum regem vltimum.

Historiam hãc a Rogerio Comite Siciliæ, & Roberto Guiscardo Duce Apuliæ, exorditur hic auctor: quos Nicolao secundo pontifice vixisse legimus. vt satis constare inde valeat, ab anno Domini circiter millesimo ducentesimo sexagesimo hæc auctorem scripsisse, sitque omnino annorum numerus, ex quo hæ quæ nobis supersunt reliquiæ hominis Siculi scriptæ esse possint, annorum fere trecentorum. Scribit autem Raphael Volaterranus in tertio suæ Geographiæ libro, Robertum Guiscardum expulisse Sicilia Sarracenos, qui anno Domini nongentesimo decimoquarto Apuliam, Calabriam, Neapolim & Garganum montem occupauerant. Eũ vero Robertum in Italiam primum ad quærendas nouas sedes venisse, vbi suorum exercitu breui tempore omnem Apuliam colonis paucis & ignauis habitatam, ac Siciliam, Græcis & Sarracenis expulsis, in suam potestatem redegit. Verum vt ab initio regni Siciliæ colligamus, primum Siciliam tenuerunt Syracusani: deinde M. Marcello tertiũ consule subacta Romanis Sicilia in prouinciæ formam redacta est vsque ad Caroli Magni tempora, quando partito inter vtrunque impertium orbe, Sicilia omnis cum Calabria & Apulia Constantinopolitano cessit imperio, vsque ad Nicephorum Imperatorem. Cuius tempore Sarraceni Apuliam, Luceriam, & alia loca nonnulla occuparunt, anno Christi nongentesimo decimoquarto: ac deinde variis excursionibus Calabriam, Neapolin, & multa præterea loca penetrarunt. Sed rursus inde sunt expulsi post centum fere annos aduentu Tancredi Normanni, viri bello armisque strenui: qui suis finibus egressus cum numerosa prole duodecim liberorum venit in Italiam, tandemque adiutus aliquot Normannorum militibus, qui ad expeditionem Hierosolymitanam eo se tempore accinxerant, Siciliam, Apuliam, & Calabriam cepit, circa annum domini millesimum & octauum. Mortuus autem posteros reliquit Siciliæ Comites, quadraginta trium annorum spacio felicitate maxima insulæ imperantes. Tancredo successit filius Robertus, quem Calabriæ Apuliæque Ducem declarauit Nicolaus pontifex Romanus, cui & cẽsuarius est constitutus. Sed Apuliam per se, Siciliam vero per Rogerium fratrem rexit. Obiit aũt circa annũ Christi millesimum ducentesimum septuagesimũ septimũ. Post Robertum Ducem, rerum potitus est Rogerius, post quem mortuum Gulielmus primus successit: qui Constantinopolin profectus vt Imperatoris filiam vxorem impetraret, occasionem per absentiam dedit Rogerio fratris sui filio, vt regnum Siciliæ inuaderet. Ita enim eiectus, & nuptiarum spe frustratus, apud principem Salernitanum mœrore animi confectus extremum diem obiit sine liberis. Sed Rogerius in eo regno quod ita ambierat, varie iactatus, Panhormi obiit, relicto filio Gulielmo secundo successore. qui duodecim annos regnauit, mortuusque hæredem filium Gulielmum tertium cognomento Bonum reliquit: cuius regnum fuit viginti quinque annorum. Ei vero nullus erat filius qui succederet. Itaque proceres regem sibi creauere Tancredum eius patruum, Rogerii ex pellice filium. Quod cum non satis æquo animo ferret Cælestinus tertius Romanus pontifex, Henricum AEnobarbi filium Friderici Imperatoris, Siciliæ regem declarauit, ei Constantiam Gulielmi secundi sororem deo consecratam in cœnobio Panhormitano, sed permissu & auctoritate pontificia a voto professione que religionis liberatam, tradens vxorem, vt vna cum illa ius regni in matrimonium veniret: atque ita primo Siciliam, ac deinde Neapolin recepit Henricus. Tancredum vero bello persecutus Neapoli obsessum interfecit, & vtrunque regnũ Friderico filio ex Cõstantia sublato reliquit. ac tandem res deducta est ad Manfredum Friderici secundi filium, sceleratum hominem & nothum ex ancilla, Ducem prius Tarentinũ: qui Siciliæ regno abdicatus est a pontifice Rom. euocato Carolo Andium Duce, fratre regis Francorum diui Ludouici, cui regnum concessum est hac lege,

lege, vt pontifici quotannis quadraginta milia numûm aureorum penderet. Traiectis igitur Alpibus, Manfredum tandem superatum interfecit Carolus. deinde & Conradinũ Friderici Imperatoris nepotẽ post multa prælia cum toto exercitu etiam sustulit. atque ita superatis hostibus citra vltraque Pharum, regnum Siciliæ sibi vendicauit. Verum Petrus Aragonẽsis pontificis suasu, Siciliam occupauit: in qua asserenda mortuus est Carolus Neapoli, superstite Carolo filio. Neque multo post ipse quoque Aragonensis ex vulnere periit, relictis Iacobo & Friderico liberis. Iacobus autem rex factus tandem Friderico fratri Siciliæ regnum tradidit, in Aragoniam secessurus. Regnarunt post eos Ferdinandus primus, Alfonsus, Ferdinandus illegitimus, Alfonsus secundus, & Fridericus vltimus rex Siciliæ, patruus Ferdinandi qui sine liberis obierat. Is Fridericus post annum sextũ a Ludouici Gallorum regis exercitu in Ænariam proximam insulam pulsus, sponte se in Galliam recepit, regis clementiam experturus. Priusquam regno pelleretur, Ludouicus Galliæ & Ferdinandus Hispaniæ rex iunctis copiis regnum consenserunt expugnare, ac partum inter se diuidere. Verum discordia in diuisione orta, Hispanus Ludouicum prorsus excluſit a portione, in hunc vsque diem Siciliæ & Neapolis regnum sibi retinens. Hunc ordinem regum Siciliæ scripsimus, quem fieri planiorem existimamus hac tabula.

Genealogia regum Siciliæ.



1. Ferdinandus. 2. Alfonsus. 3. Ferdinandus illegitimus.
4. Alfonsus. 5. Ferdinandus. 6. Fridericus vltimus rex Siciliæ.

Cæterum commodius esse reor, ad historiam hominis Siculi nũc reuerti, qui sibi velut certis metis designatum præstituit curriculum, in quo de rebus Siculis ex professo diligentius agitaret. Sit igitur hoc ex autore collectum argumentum.

Argumentum huius libri ex autore collectum.

Rogerius Siciliæ Comes (ortus a Normannis, frater Roberti Ducis Apuliæ, Guiscardi Sarracenorum lingua nuncupati, id est erronis, & quasi per terras vagi) rebus humanis excedẽs, filium Rogerium reliquit toti primum Siciliæ, & Calabriæ parti iure succedentem. Qui deinde morte Gulielmi consanguinei sui Ducis Apuliæ Roberti successoris audita, transiit in Apuliam: ciuitatibusque vniuersis & principibus expugnatis, ad suum cuncta redegit imperium. Assecutus itaque Ducatum Apuliæ, Regem se quam Ducem maluit deinceps appellari: atque inde Siciliæ Comitatus regni cognomen accepit. Valuit is Rogerius consilio, prudentia, & diligentia in negociis omnibus, futura iuxta ac præsentia caute & consulte disponens. Iuris obseruator, bellique ac pacis vices alternans: adeo vt suis temporibus regum vel princi-

pum neminem parem habuerit. præter cæteras gentes, Francos belli gloria omnibus antepo-
nendos plurimum diligens, quos cumulatissimis beneficiis quotidie inuitabat. Post multos de-
nique labores & pericula, pacemque regno suo comparatam, & post ingentes thesauros ad re-
gni communitionem Panhormi repositos, ocio & quieti deditus, fausta prole se felicem existi-
mans, Rogerio Duci Apuliæ, & Amphulso Capuæ principi, regni communem solicitudinem
& potestatem commisit. At illi breui mortui, dolore patrem ipsum incredibili, & regnum to-
tum luctu maximo affecerunt, Gulielmo tantum eorum fratre superstite. quem vix pater ipso
dignum principatu censuerat. Non multo post autem laboribus immensis, & vltra quã bo-
na corporis valetudo permitteret, rebus venereis assuetus Rogerius, immatura senectute con-
sumptus cessit in fata. Successit igitur Gulielmus, quem viuens vel necessitate regni parti-
cipem fecerat, sed qui tamen patris sui acta contemnens, curiæ statum bene prius institutũ &
sibi traditum, pessundari misere permisit. nam patris familiares, alios exilio, alios carcere cõ-
demnauit. Quamobrem stimulatus deo efferata insolentique amentia, Maionẽ Barensem,
hominem vili & humili loco progenitum, patre scilicet olei venditore Bari genito, fecit can-
cellariũ & (vt vocat) Admiratum, quãquam pernicioſissimũ, callidissimũ, & libidinosissimũ
esse nulli ambigerent, totius regni curam & administrationem ei committens, nihil præterea
cæteris nec credens, nec audiens, nisi quod Maionis linguæ plectro fallaci & blandiloquo sibi
insonaretur. pollebat enim Maio facundia, mirusque erat artifex eloquentiæ. Solus ergo cum
eo loquebatur exclusis cæteris, omnes propinquos & consanguineos habens suspectos, cum in-
terim libido regnandi præcipitem & transuersum Maionem ageret vndique: qui post mul-
tas variasque a se clanculum excitatas seditiones & factiones, omniaque delationibus apud
regem turbata, per atrox odium, neque minorem inuidiam nullis non tentatis, ipsum denig;
regem perpetrando parricidio de regno deturbare cogitabat. Eoque tali via res euasit, vt cum
rex nullos præter Maionem ad se reciperet, vulgo crederetur mortuus: vnde grauissimæ or-
tæ sunt seditiones, nusquam cessante Maione Comites nobilesque viros, qui prius in aula va-
luerant gratia, inclementer tractare, cum alios effossis oculis, alios fustibus cæsos in teterrimos
carceres iniiceret, plerunque cum serpentibus exitiosis vitam suam misere tracturos: aliorum
vero vxores & filias ipse insano similis consul præs, & ad eiusmodi inopiam sæpe redigens,
vt ingenuæ castisque moribus antea educatæ venalem formam exponere passim cogerentur.
Viros fortes & nobiles, a quibus aliquid metui posse videbatur, in exilium protrudebat, sese
aduersus eorum inuidiam & vindictam instruens, collatis totius regni dignitatibus propin-
quis & affinibus suis, largitionibus nulla in re parcens, quos sibi quam plurimos obnoxios red-
deret: facilem se & humanum vbique affingens: ac honores denique ecclesiasticos, quibus
libitum erat conferens, vt iam non cancellarii, sed regis præditus dignitate videretur. sic certe
regis excantata & infatuata mente, vt tametsi ille vehementer impia moliretur, nunquam
tamen esset rex vllis de tali monstro delatoribus crediturus. Itaque tot sceleribus iam permul-
tis odiosus, effecit tandem vt Comites virique omnes nobiles qui rei indignitatem ferre am-
plius non poterant, in ipsius necem coniurarent. Vindex igitur tam atrocis & inhumani
portenti extitit eius gener Matthæus Bonellus, quem summa tamen diligentia velut filium
educarat & promouerat. Cum enim ad necem regiam patrandam conatus esset Maio opera
Hugonis Panhormitani archiepiscopi abuti, tandem post amicitiam, quam cum illo ad id fa-
cinus audendum conciliarat, in iustum odium commutatam, insidiis appetitus, dum ex edi-
bus ipsius Panhormitani grauissimo morbo laborantis, noctis crepusculo rediret, a Matthæo
Bonello prosiliente ex insidiis, quas illi rediturο struxerat, gladio districto, terribili & re-
pentino vno atque altero cæsus ictu lethali concidit. Qua morte audita Gulielmus vehemẽ-
ter asperatus est, & multo quidem vehementius ipsa regina, tantumque statim odium, &
tanta coniuratio omnium conflata est, vt de regis animo pessime omnes senserint, quibanc
cædem iustam esse & dignam sibi persuadere non poterat: adeoque iuncti studiis in regem
conspiratum est, vt alii in insulam deportandum clamitarent, alii alio abstrudendum. Ne-
que prius conquiescere tragœdia ea valuit, quam in palatio a domesticis officiariis, & coniu-
ratis, captus & in carcerem missus est. Quo in facto miser tyrannus (sic enim vulgo dictita-
batur) vltro se cum eiulatu asserebat cupere regno abdicare, vt non interficeretur. Eius autem
filius adhuc nouennis puer, Rogerius, Dux Apuliæ creatus, per vrbem ductus, & rex & domi-
nus salutatus est. At vulgi instabilis murmur & studium in varias statim factiones distractũ
est: ad arma concursum, palatium obsessum, rex cum multis interminationibus repetitus,

supplι-

supplicium que velut proditoribus, his qui eum concluserant intentatum. Liberatus est igitur rex a coniuratis, neque tamen prius quam pacto conueniret, nihil se a turba grauius & atrocius regis causa perpessuros. illico enim rege reddito, in oppidum Cacabum transfugerunt salui & incolumes. Multa gessit hic rex in Italia, maxime quidem in Calabria, & Apulia: lōgeque & late bellis seditiosis agitatus est. Sed vbi sedata tandem omnia vidit, nullis iam hostibus reliquis in Siciliam reuersus, palatio sese abdidit, voluptuoso ocio & quieti vacaturus, interim dum regnum ab externis tumultibus respiraret. Denique fato proximus conuocatis curiæ magnatibus & archiepiscopis Salernitano & Rhegino, vltima voluntate Gulielmum maiorem natu filium regni successorem instituit: Henricum vero Capuæ principem, & Reginam Margaritam Hispanam natione (Regis Nauarrorum, vt colligo, filiam) regni & regis pueri gubernatricem, dum puer ætate regno suffecturus adoleseceret. Quibus ad eum modum rebus dispositis, dysenteria morboque diuturno dissolutus interiit. Mortuus autem in palatio sepultus est, donec proceribus euocatis, qui quæ ad nouum regem coronandum necessaria erant procurarent, more lugubri, conclamato funere, totius ciuitatis luctu maximo, de loco sepulchri in id sacellum quod Siciliæ regum Mausolea continet, translatus est. quanquam tēplum esse Panhormi ingens alii scribunt historici a Gualtherio archiepiscopo Gulielmi regis affine dedicatum, opus spectabile, vbi Siciliæ reges sepulti iaceant, priuatorum autem nemo ibi sepeliatur. Verum non ita diu superstes fuit Gulielmus: quem viuentem cum velut sæuissimum tyrannum odissent, mortuum tamen defleuere. De quo Syracusanus episcopus electus Siciliæ, dictum Catonis de Pompeio pronunciabat, mortem eius ceu damni plenam deplorans:

Ciuis obit *inquit* multum maioribus impar
Nosse modum iuris, sed in hoc tamen vtilis æuo.

Igitur regina gubernatrix regni (cuius auunculus erat Rotomagensis archiepiscopus, mater vero neptis Comitis Perticensis) Stephanum Perticensem matris suæ consobrinum ad se Panhormum euocauit: quem splendide & honorifice exceptum, cancellarium instituit, ac Panhormitanæ ecclesiæ pastorem, duabus scilicet regni Siciliæ dignitatibus maximis eum exornans. Hic autem videre est magnas acerbissimasque conflictationes inter cācellarium & fratrem reginæ Henricum, qui priusquam ex Hispania in Siciliam veniret, Rodericus appellabatur: inimicitias, inducias, bellum, & rursum pacem, omniaque adeo varia, incerta & turbulenta, vt nihil magis. Deinde præter varia bella admirabilem etiam regiæ aulæ varietatē, vt se proceres, Comites, Duces, honoris causa mutuo protrudant ac loco deturbent. Sic enim rota est fortunæ illic celerrime agitata (quemadmodum libri initio testatus est de Sicilia) vt nusquam maiori mortalium discrimine lusisse videatur. Nec efficacius dici cogitariue quicquam potest, quo quis esse priuata sorte tenuique conditione contentus debeat, ne dum gradus ambit altiores in præcipitium ruat exitiosissimum. Plebs enim illic insurgit sæpius in reges, in Comites, minis & insultibus omnia conturbando. Et velut in speculo contemplari valeas, quicquid in aulis regum est quod ambitur, sic existimari debere quasi ventus sit liber & vagus, nunc flans, nunc reflans, quem nullus sibi perpetuo retinere & coercere possit. Quare vt semel finiam, plenius is videbit omnes seditiones & turbas tanquam in hydra renascentes, quem non piguerit historiam attentius legere.

De Siciliæ nomine.

Sicilia olim Trinacria ab eius forma dicta est, tribus promontoriis in diuersa procurrens: deinde Sicania, a Sicano Duce, vel (vt aliis placet) a Sicanis populis. Postremo ab Italis in eam vulgo profectis, qui & Siculi dicebantur, Sicilia est vocitata. Octoginta annis ante bellum Troianum scribit Philistus Siculum Itali filium ex Liguribus in Siciliam adpulsum insulæ nomen attulisse.

De eius laude.

Iulius Solinus in Polyhistore scribit, quicquid Sicilia gignit, siue soli siue hominis ingenio, proximum esse his quæ optima iudicantur. Et horreum populi Romani a Cicerone vocatur, quod sæpe maximos Romanorum pauerit exercitus: quæ & ob fertilitatem Cereri &

Bacchofuit consecrata. in melle enim & frumento & croco fertilissima est, ac Italiæ fœcunditatem in aliis etiam superat. Olim Pœnorum Romanorumque victoriis alternantibus fuit insignis. Vrbes eius septuaginta duas Plinii ætas numerauit. Hodie episcopatus hi feruntur, diœcesibus quidem latissime patentes.

In Sicilia tres Archiepiscopi, Panhormitanus, Montis regalis, Messanensis.
Panhormitani tres suffraganei episcopi, Agrigentinus, Mazarensis, Misenitanus.
Montis regalis duo, Sancti Marci, Miletensis.
Messanensis duo, Syracusanus, Catanensis.
Pontifex Romanus in eadem Sicilia habet duos episcopatus, Cephaludensem & Pacem.

Oppidorum Siciliæ meminerunt M. Cicero in actionibus in Verrem, T. Liuius, Salustius, Silius Italicus, Claudianus: & ex recentioribus Flauius Blondus: diligentissime vero libro sexto Raphael Volaterranus: Græcorum Plutarchus, Polybius, Appianus, Diodorus, præter Geographos. Nulla est enim vel nobilitate insula, vel rerum gestarum occasione celebrior reddita Græcis Latinisque scriptoribus. denique Iustini liber quartus nihil aliud fere tractat, quam Siciliæ descriptionem.

De Siculæ gentis vituperio ex hoc autore.

Hæc insula, inquit, ne tyrannis quandoque careat, eam sibi circa regum filios consuetudinẽ vindicauit, vt morti meliores primum obiciat, eos sibi reges constituens per quos in ea perpetuæ possit tyrannidis priuilegium conseruari. Atque alibi, Subito cum fortuna vultum auertente, Siculis cognatum est conuerti, vt malint tempori seruire quam fidei. Aliquanto vero ante de Sicilia & Apulia: Licet vtraque gens infida, mobilis, pronaque sit ad quodlibet facinus perpetrandum, Siculi tamen cautius dissimulando celant propositum, & quos oderunt, blandis adulationibus demulcent, vt improuisi lædant atrocius. Prius vero dixerat Apulos nouitatis studiosos, timidos, proditores, inconstantes, magnaque leuitate amicitiam deserentes. Quemadmodum etiam de Messana vetusta ciuitate Siciliæ, Hæc ciuitas, inquit, ex conuenis, piratis, prædonibus adunata, omne fere hominum genus intra mœnia sua concluſit, nullius expers sceleris, nullum abhorrens flagitium, nihil eorum quæ posſit putans illicitum.

Celebriora loca Siciliæ quæ hic autor attingit.

Panhormum, vel Panhormus, vetustissima est ciuitas, loco amœno & fertilissimo posita, muris septa perquam altis, vbi reges aureas coronas accipere consueuerũt. Constat inscriptione lapidum qui ibi inueniuntur, Nobæ tẽpore iam fuisse. In eius templo maximo reges Siciliæ sepeliuntur & episcopi: priuatorum autem nemo, vt in argumento diximus. Lusit hic autor eleganter & diligenter in eius descriptione.

Syracusæ maximæ, pulcherrimæ, & opulentissimæ fuerunt, triplici muro septæ: agris tritici & omnis generis leguminum feracissimis, in quibus & armentorum ac pecudum copia maxima.

Agrigentum peruetusta & opulenta ciuitas, olim a Carthaginensibus euersa, verum postea instaurata: Acragantem Græci appellant. Vide lib. 6. Geographiam Volaterrani.

Catina, siue Catana, ἀπὸ τῦ κάτω καὶ ἄνω ob ignes Siciliæ: sub radicibus montis AEtnæ sita est, diuæ Agathes templum continens, agro fertili vinoque præsertim in tota Sicilia præstantissimo: tanta vero pascuorum sagina, vt pecora ipsa pinguedine suffocentur nisi sanguine interdum circa aures elicito proluantur.

Messana vetusta ciuitas, hodie nemoribus abundans, sed tritico carens, quod montibus & pelago claudatur.

Apud Messaneos in mororum foliis enutriti vermiculi sericum faciunt, quo non solum homines etiam vilissimi conteguntur, sed canum equorumque stragula & dorsualia contexuntur. Auri, argenti, & porphyritis marmoris venas habent.

AEtna mons plenus est sulphure, nutrimentis humidis generato, ex cuius hiatu flammæ vomuntur impetu ventorum exagitatæ, noctu quidem horrendo spectaculo & interdiu lumine

mine caliginoso, quæ vt nullo frigore temperari possunt, ita nec frigus vllo modo dissoluere.

Arethusa fons in Insula Syracusana, incredibili magnitudine, plenus piscium sacrorū, quos sine deorum ira non est fas comesse. in eum fabulantur poetæ versam Dianæ comitem venatricem virginem. De eo fonte Seneca lib. de consolatione ad Martiam cap. 17.

Cyane fons perennis & ingens, iuxta Syracusas, Proserpinæ sacer, in quem Nympha Sicula versa dicitur. vide Ouidium lib. 5. Metamorphos.

Porro & Cānæ mellis meminit in præfationis calce. Canna mellis autem, vnde fit saccarū, caudex est nodosus, spongiosa plenus materia, cortice tenui, dulci succo, qui sic exprimitur: Caudex totus frustatim minutimque conciditur, deinde torculari appressus succum reddit, qui in cacabum mundissimum dimissus igni supposito concoquitur, & expurgatur. Purgatus vero in figulinis vasis reconditur, vbi cum refrixerit, in saccarum laudatissimum coalescit. nascitur in agro Panhormitano.

De præcipuis regionibus hoc libro citatis.

Tres potissimum Italiæ regiones leges in hac historia, Siciliam, Calabriam, & Apuliam. Comitatus autem qui varii citantur in tota rei expositione, fere sunt ex illis tribus, vel eis vicinioribus locis.

De Sicilia vero & hoc præter superiora dicam, Siciliæ reges Neapolitanos esse vocatos, ab eorum regia, totiusque regni principe ciuitate Neapoli: quæ vetusta & clarissima semper dicta est: olim Parthenope appellata, vt de illa scribit Titus Liuius. magnaque ex parte montuosa est: in qua sermonem plerique affectant Hispanicum.

Apulia inter cæteras vrbes continet præcipuas Brundusium & Tarentum, quæ tibi quoque occurrent in hac historia. Apulorum autem crassior & rudior est sermo.

Calabria desinit in oram Italiæ proximam Siciliæ: a qua Pharo, breui maris tractu, disiungitur. Excelluit autem ea partes omnes Italiæ sua vbertate, frumēto omnis generis, vino, oleo, lana arborea & ouilla, equis bellatoribus, & saccaro, quod est mel ex cannis. Citatur & sæpius ab hoc autore Terra laboris, (vt & ab alius Ager laborinus) quod ingens sit labor in ea excolenda, cum solum habeat aridum, atque ideo cultu difficilius. itaque stipulam tantæ crassitudinis facit, vt ea pro ligno vtantur incolæ: fuitque olim regio illa Magna Græcia appellata, sic vt hodie in ea Græca lingua cum Italica est permixta, corruptior tamen est ibi sermo quam vsquam locorum. Habet insigniores ciuitates Rhegium & Hydruntum, quas etiam hic leges cum aliis nonnullis.

Ne mireris, Lector, voces aliquot paucas non solum ab hoc autore non reiectas, sed nec ab aliis permultis etiam nostri temporis: vt sunt Cancellarius, Comestabulus, Admiratus, Seneschalcus, Capitaneus, Castellanus, Comitissa, Galea, & in quibus (quemadmodum Plautus ait) non atticissat sed siculissat, vt Strategotus, Gauarretus palatii. Sed hæc præfationis appendicula iam sufficiat. Nolui autem quicquam de genuino siue patriæ idiomate, siue autoris ipsius stylo, & phrasi eius temporis immutare. Itaque reliqui suo sæculo prorsus intacta quæ fortasse ætas nostra diligentior, ne dicam morosior, haud ferret. Nec reperi apud quenquam alium scriptorem de autoris vita & conditione: nec ex alio etiam codice licuit vel vnicam vocem conferre, si quid non succurrebat vel obsolescentibus erat extritum literis. hunc vero nobis codicem a tineis & blattis magna ex parte corrosum suppeditauit bibliotheca reuerendissimi Dn. Matthæi, Suessionensis episcopi, omnis generis scriptoribus exquisitis quam optime instructa.

1558.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN THOMAE FAZELLI DECADIBVS VISA SVNT OBSERVATV DIGNIORA.

A Bacænum, pag.71,versu 44
Abdul Mumen, 372,31.415,2
Abegelardus, vide Bagelardus.
Abisus fl. 100,3,33.& 26,40
Abrahamus Africæ rex, 372,51
Abraamus Halbi Caruenirex, 377,15,37
Abron Argiuus, 72,39
Abrotonum Siculum duplex, 16,2
Abysus fl. 26,40.100,3,33
Acarnania, opp. 97,3
Accardus Latinus, 451,32
Accilla, 33,2
Acesines fluuius, 49,14
Acestorides Corinthius, 309,25
Achates lapis, 17,12
Achradinæ descriptio, 81,1
Acis arx, 50,4
Acis fl.49,36,41. insula, 50,1. puer, 49,42
Acithius fl. 28,31.137,41
Acradinæ etymon & descriptio, 81,1
Acræ,32,31. Syracus. colonia,23,38.74, 10.207,53
Acragaregio, 113,12
Acragantis fl. effigies, 113.1
Acragas, vrbs, 27,48.113,7
Acris, Sarac. AEgypt. vrbs, 410,13
Acristia, 213,49
Acron Agrigentinus, 123,11
Actæonis pueri miseramors, 72, 50. vltio, 73,55
Adenolfus Camerarius,419,46.420,16. occiditur,423,43
Adherbal Carthag. dux,340,37. Romanos vincit, 341,35
Admirati Saracenorum, 374,21
Adragnum, 214,16
Adranum, 31,44.189,50
Adranitas liberat Timoleon, 299,5
Adranus Deus, 299,8
Adrianus Constantinop. Imp. præfectus,379, 11. ignauiæ & cunctationis pœnas dat, ibid.55
Adrianus IIII. Pont. Rom. 409.42
Adrymetum, 318,51
Adulterii index fons, 106,25
AEgesta, 141,41.231,21. Vide Egesta & Segesta.
AEgestus Troianus, 141,25,35.230,48
AEgidia, seu Gilla, Caroli Simplicis filia, 384,28
AEgitharsus, 28,44.137,49.140,26 6,47
AEgussa, insula, 199,32
AEgyptii sacerdotes,
AEmilius Cēsorinus, tyrānus Segestæ,142,19
AEmilii prætoris Romani de Pœnis victoria, 338,1.345,11 5,52
AEnaria insula,
AEneæ in Siciliam aduentus, 231,3. profectio in Italiā,231,31. templum,142, 3. Eiusdem suasu conditur AEgesta,141, 25,55 236,3
AEnesidemus Pataicus,
AEolus Hippotæ F. 2,51.227,23. AEoli virtutes, vxor, libert, 227,27,29
AEoliæ insulæ,2,26. cur ardeant, 5,3 16,20.182,48,51
Aerii montes, 324,17
AEschrio Agathoclis dux.
AEsculapio barbam demit Dionysius,281,48 37,12
AEstuum marinorum causa, 245,32
AEthalia, 73,35
AEthiops Corinthius, 306,12
Aetius Valentiniani dux, regio prima
AEtnæ montis descriptio,50,25. pedemontana,50,42. secunda nemorosa,51,14. tertia discoperta,51,35. vertex imminutus,55,47. formā variorians,52,48. frigidissimus,52,6. AEtnæ miracula,19,6. mugitus,55, 44. tonitrua, 55,17,22
AEtnæa incendia an portendant quippiam, 56,33. D. Agathæ velo mitigantur, 53,35. AEtnæi incendii eruptiones memorabiliores,53,1. causæ,55,51,& 53,3
AEtna vrbs,49,52.57,29.58,3.190,15. 244,40 58,2.197,9
AEtnosia vrbs, 72,18
AEtoli Ortygiam condunt, 321,48
Africæ regiones,
Africæ regna a primariis vrbibus denominātur, 371,49. 373,9. sub Saracenis quatuor, 371,44
Africa vrbs,371,5. capitur a Saracenis, 415,40. a Guilhelmo Bono, 432,52. a Carolo V. Imp.569,22. funditus deletur. 569,25 Aga-

Agatharchus Syracuſ. 262,1
Agathoclis ortus, 307,35. 131,5. regnatu-ri præſagia, 308,17. adoleſcentia, 308, 21. tyrocinia, ibid. 29. ad imperium aſcenſus, 310,11. 311,18. res in imperio geſtæ, 311,30. expeditio in Africam, 314, 40. res in Africa geſtæ, 316,19. in Si-ciliam reditus, 323,30. reditus in A-fricam, 324,40. 325,11. fœda in Si-ciliam fuga, 326,7. expeditio in Italiã, 327,41. obitus, 327,54
Agathoclis virtutes, 308,28. 310,7. 311, 19. vitia, 311,33. auaritia & ſacri-legium punita, 327,51. perfidia in Meſ-ſanẽſes, 311,36. in milites, 321,43. 327,31 in Ophellam, 322,26. ſæuitia in Segeſta-nos, 326,36. in Syracuſanos, 326,48
Agathyrium, 30,4. 184,36
Agathyrnam tenent latrones, 362,1
Agathyrſus, AEoli F. 184,41. 227,40
Agnuni emporium, 26,11
Agragas fl. 27,46. 112,48
Agrigenti etymon, 113,10. ſitus, 27, 48. 113,7. conditores, 113,8. 233,19. in-crementa, 113,18. amplitudo, 113,30. fortuna, 120,41. fertilitas, 113, 21. magnificentia, 114,6. Eiusdem aquæ-ductus, 116,30. inſignia, 114,50. pi-ſcina, 116,39. theatrum, 116,34. tem-pla, 114,17. 115,12. tyranni, 117,54. 120,15. ciues illuſtres, 121,33. rui-næ, 121,15.
Agrigentum nouum, 123,30. 124,15
Agrigentinum emporium, 27,47. 113,4. A-grigentinum emporium recens, 125,33.
Agrigentini equi, 117,44. Agrigenti-ni lacus, 124,45. 125,7. Agrigentinæ ſalinæ & fodinæ, 125,22
Agrigentinorum lex poſt Phalaridis cædem, 120,9. luxus, 113,40. Agrigentinorum procerũ liberalitas & hoſpitalitas, 116,49
Agrigentini Pœnorum captiuorum opera præ-claras ſtructuras excitant, 239,50. cum Syracuſanis pacem faciunt, 247,39. Si-ciliæ principatum ſibi vendicare conantur, 319,47. capiuntur a Rom. 334,41. 361,44
Aidoneus, 223,12
Alabaſtri mineræ, 213,30
Alabus fl. 26,21. 69,7,13
Alaimus Leontinus, 453,30. 456,44,55. necatur, 460,30
Albergaria Panormi, 165,32
Albula fl. 85,30
Alcæus, Hercules, 224,20,27
Alcamus Sarac. dux, 377,21,31. 143,3
Alcamum opp. 209,25. 377,36
Alcantara fl. 49,15
Alcaſſar, 154,38
Alcibiades, 252,11,45. Athenienſes ad bel-lum Siculum inſtigat, 252,17. Athenas reuocatus in Peloponneſum abit, 254,20
Alcides, 224,19,27
Aldoynus Vintimilius, 486,10
Aleſa, 29,43. 182,30. 193,10
Aleſus fl. 182,7,18
Alete, 29,38. 181,54
Aleuntium, 29,50. 183,12
Alexander III, Pont. Rom. 410,17. 432,19
Alexander IIII, Pont. Rom. 445,48
Alexicacus Hercules, 225,29
Alexon Achæus, 340,1
Alfonſus Arag. rex, 460,30. moritur, 462,33
Alfonſus I, Siciliæ & Aragoniæ rex, 539,6. a Ioanna Neapol. adoptatur, 540,25. co-pias e Corſica Neapolim traducit, 540,35. iniuriis prouocatus Neapolim oppugnat, 541,8. capit, 541,27. in Gallæciam ad fratrem liberandum auocatur, 541,38. fratre reſtituto Boſpherium Saracenum im-pugnat, 542,5,16. capitur, 543,23. dimiſſus bellum perſequitur, 544,6. Nea-polim recuperat Alfonſus, 544,42. Ve-netos impugnat, 547,2. moritur, 547, 40. Eiusdem ſtudia & virtutes, 539, 10. vitia, 540,2. vxor & liberi, 540,20
Alfonſi Neapol. regis fuga & obitus, 550,51
Algeri obſidio, 565,43
Alicata vrbs, 27,33. 109,39. Alicatæ e-tymon, 17,21
Alicya, 197,11. 198,13
Allampatæ, 38,5
Almericus Centellus, 90,32
Almugauerorum virtus, 473,9
Alontium, 29,50. 183,12. 231,14
Aloyſius, rex Neapol. 505,29. Meſſanam ve-nit, 517,34. Neapolim redit, 520,14. moritur, 528,45
Alphei fluxus ſubterraneus, 78,16,45. origo, 79,14
Aluntium, 29,50. 183,11
Aly, oppid. 46,7
Alymita, 144,44
Amalaſuenta, 366,35. a Theodato necatur, 367,15
Amalthea, 221,35
Amataldæ ferocia, 457,3
Amenanus ſeu Amenas fl. 26,4. 61,19
Ameſtrata, 34,10. 182,22. 193,6
Amethi impietas, 567,43
Amilcaris contra Himerã expeditio, 237,40. cædes,

cædes, 238,55. 239,12. Eiusdem cædem vlciſcitur Annibal nepos, 274,25
Amilcaris II. in Siciliam expeditio, cædes, liberi, 282,21
Amilcar Agathocli Syracuſanos reconciliat, 309,55. perfidus, 311,32. damnatur, 311,55
Amilcar Giſconis F. contra Agathoclem mittitur, 313,24. Agathoclem vincit, 314, 11. Syracuſas obſidet, 214,37. eluditur, 315,30. 318,8, 32. 319,23. occiditur, 319,40. Melitam Romanis dedit, 345,45
Amilcar Carthaginenſium contra Romanos dux, 336,49. vincitur, 337,37
Amilcar Barca Carthaginenſiũ contra Rom. dux, 343,4. pacem cum Romanis facit, 344,5
Amphitheatrum Syracuſ. 84,47
Amphulſus, Rogerii regis F. 409,12. moritur, 409,23
Anacalypteria, 116,7
Anacletus Pont. Rom. 407,33
Anapiæ & Amphinomi monumentum ac pietas, 58,53
Anapus fl. 26,31. 95,52. 96,43. Anapi effigies, 96,41
Anaxandrides, 233,38
Anaxilas Rheginorum tyrannus, 234,46. Samios in Zanclæos concitat, 39,52. Samios cum Zanclæis delet, 39,55. euerſa Zancla Meſſanam condit, 23,31. 235,9. Meſſanam ampliat, 40,16. ab Hierone comprimitur, 242,31
Anaxilæ numiſmata, 17,40. vxor, 235,22. clades & mors, 40,23. Eiusdem filii imperium amittunt, 243,8
Anchiſæ ſepulcrum & templum, 140,19
Ancon, Syracuſanorum colonia, 74,14. 285,44. cur Dorica Iuuenali dicta, 74,18. capitur a Saracenis, 462,26
Andreas Aurea, 564,42. 565,33. 569,21. impingit, 570,8
Andreas Claromontanus, 530,33. deditionem facit, 530,44. capite mulctatur, 531,9
Andreas Panormitanus, 172,22
Andreas Tarantus, 519,31,51
Andreas Vngarus, 490,34
Andromachus Naxius, Timæi pater, Tauromenii conditor, 47,18. 285,46. Andromachi humanitas & magnanimitas, 298,28
Andron Catanenſis, 59,38
Andronici Conſtantinop. Imp. ſcelus, 432,38. cædes, 432,47
Andronodorus Hieronymi regis tutor, 347, 26. foro ſe accommodat, 349,16. proditur, 349,43. occiditur, ibid. 45
Anelli cæmentarii ſtratagema, 544,43
Angelus Carmelita, 109,47
Angeli Politiani iudicium de Phalaridis epiſtolis improbatur, 118,51
Angerius Epiſcopus, 60,34,38. 403,42
Angli Meſſanam capiunt, 434,30
Anguillæ Meſſanenſes, 38,2. anguillæ Phari, 18,12
Annibal, 271,41. in Siciliam applicat, 272, 13. Selinuntem capit euertitque, 273, 32. Himeram exurit, 275,36. victor domum redit, 275,43
Annibal & Bomilcar in Siciliam traiiciunt, 302,17
Annibal Carthaginenſium contra Romanos dux, 333,17. Agrigento fugit, 334,33. pene capitur, 335,27. fugit, 335,55. crucifigitur, 336,10.
Annibal Amilcaris nepos, Carthaginenſiũ contra Rom. dux, 340,22. Drepanum nauigat, ibid. 37. ex iuramento bellum aduerſus Romanos redintegrat, 344,35,40
Annibalis portus, 282,54
Annibal Rhodius, dexter & audax, 340,40. capitur, 341,12
Anniceris Cyrenaicus, 280,15
Anſaldi cædes, 420,11
Antæi ſepulcrum & proceritas, 20,33
Antander Agathoclis frater, 314,55. Syracuſas fortiter tueiur, 318,12. 319,25. crudeliter mandato perfungitur, 326,49
Antimneſtus Chalcidenſis, 39,27
Anthropophagi, 218,40
Antiochus hiſtoricus Syracuſ. 92,33
Antiphemus Rhodius, 23,22. 233,15. Antiphemus & Latius fratres, 110,8
Antiſthenes Agrigentinus, 117,25
Antonius Amadeus, 570,27
Antonii Aureæ naufragium, 7,20
Antonius Bononius, 172,25
Antonius Caſſarinus, 98,52
Antonius Fabaga, 531,13
Antonius Luna, 546,39. & 532,19
Antonius Minturnus, 375,43
Antonius Montecatinus, 535,55. Bernardo Craperæ bellum indicit, 537,45
Antonius Panormita, 172,27
Antrum S. Nicolai, 82,27
Apelles Syracuſ. prætor, 245,36
Apianæ vuæ, 15,12
Apii oblatio ominoſa, 303,10

Apibus scatet Sicilia, 15,51
Apocaps Apolofarum imperio exuere nititur, 383,20. cum fratre redit in gratiã, 383, 43. vincitur, 386,2
Apollinis Temenitæ signum, 84,51
Apollocrates Dionysii filius, 294,50
Apollodorus poeta, 111,17
Apolloniades Agyrinensium tyrãnus, 199, 1.305,47
Apollonides Syracus. 350,37
Apolofarus Saracenorũ & Siciliæ rex, 383,6, 18. cum fratre redit in gratiã, ibid. 43. vincitur, 386,2. occiditur, 387,36
Appii Claudii Caudicis in Sicil. traiect. 332,12
Appii Claudii Pulchri in Siciliã expeditio, 341, 29. fuga, ibid. 49. abdicatio, ibid. 54
Appius Claudius Siciliæ prætor, 348,8. 350, 22. Leontiũ oppugnat, 351,7. cũ Marcello Syracusas oppugnat, 352,38
Appulia a Græcis ad Nortmãnos transfertur, 388,41
Apuleius Celsus, 196,48
Aquã subiri & ferri a quib. animalib. possint, 45, 20. aquæ etiã vicinæ cur inter dũ diuersæ, 129,4. aquæ Regis, 144,28. 145,6. aquæ calidæ in Sicilia, 18, 24. aquæ dulces sal generantes, 16,37. aquæ pestiferæ, 63,48. aquæ salsæ potu intereunt milites, 314,19
Aquæductus insignes 83,40
Aquila, opp. 32,15. 206,37
Aquilii industria in subiugãdis seruis, 363,42
Ara Virgilio quid, 6,40
Aragoniæ & Siciliæ regnum a plurib. petitur, 533,41. Aragonensis stirpis finis, 552,24
Arcadius Imp. a Messanensib. asseritur, 42,32
Archadius Saracenus, 385,49
Archagathus Agathoclis filius, 315,18. 317, 20. Lycisciũ interficit, 320,40. patris vices obit, 323,29. 324,2. dira patri machinatur, 325,52. occiditur, 326,15
Archagetes siue Archegetes Apollo, 232,23. Archagetæ Apollinis ara, 48,16. 30
Archetimus Syracus. 93,15
Archias Corintho exulat, 72,38. oraculum consulit, 73,19. Ortygiam occupat, & Syracusas condit, 23,11. 72,33. 73,48. 232, 27. Eiusdem cædes, 73,55. filiæ, 73,52
Archias Corinth. architectus Hieronis, 88,15
Archidemus Syracus. 287,44
Archiepiscopi Messanenses, 44,21
Archimandritatus, 43,24
Archimedes Syracusanus, 93,18. Archimedis præstantia, 93,23. 95,13. opera, 93, 31. 95,11. clauicula machinalis, 88, 26. cochlea, 88,19. 93,35. machinaia iaculatoria, 89, 12. machinationes contra Marcellum, 352,42. cædes, 94, 27. 358,36. sepulcrum, 84,24. 94,48
Archinus Agrigentinus, 123,24
Archonides Herbit. 247,27
Ardentia loca, vide in Igniuoma.
Arduinus, 385,17
Arena fl. 28,17. 135,9
Areta Dionis vxor, 279,44. Timocrati datur inuita, 288,28. Dionem excipit, 295, 1. pro mariti salute laborat, 295,50. in carcere parit, 296,20. necatur, ibid. 23
Arethusa fons, 78,13. 80,40. Arethusæ aquæ, 80,28. magnitudo, 80,9. pisces sacri, 80,26. porta, 80,14. Arethusæ scaturigo quando exaruerit, 80,48
Aretia, Iani vxor, 220,38
Argennum promont. 46,34
Argenteus fons, 83,55
Argyre, 31,40. 198,19
Ariadenus Barbarussa, 564,46. fugatur, 565,1. Minoricam capit, ibid. 4. nostros vincit, ibidem, 32. Liparam expugnat, 568,2
Arietes ærei Georgii Maniacii, 77,35
Aries aureus Veneris Erycinæ, 139,13. 229,6
Arime, inf. 5,52
Aristæus, 82,3. 223,40
Aristo tragœdus, 349,39
Aristonis Corinthii consilium, 262,47. stratagema, 263,10. interitus, 267,31
Aristocles Peripat. 44,30
Aristomaches & Dionysii liberi, 279,41
Aristonous & Pystilus, 233,19
Arreptitii, 200,9,16
Arsa, 220,27
Artabanes Iustiniani dux, 368,33,38,54
Artalis Alagona, 491.43. Claromontanos denuo exacerat, 495,50. cædit, 504,46. 511,27. a Rubeo impugnatur, 515,10. stratagemate superat hostes, 518,34. Leontii obsidionẽ soluit, 521,50. 523,38. Leontiũ capit, 525,34. a Messanensib. & Liparensib. repellitur, 528,5. reginæ Mariæ tutor, 528,44. 529,34. Martinum fugit, 531,19
Arundinum mellitarũ seges, 169,25. 174,40
Aruntius Paterculus digne remuneratus, 142,21
Aryadis proceritas, 20,38
Ascorinus Cancellarius regis in Appulia præfectus, 411,22
Asdrubal in Siciliam mittitur, 338,8. victus fugit, 339,41. Asdrubalis mors & liberi, 282,18
Ased Benforat, 377,38
Asines fl. 49,15

Asinarus fl. 26,28. 97,31. 269,37. Asinari fl. origo, incremẽta, prouentus, 97,33,55.
Asinarium festum, 270,17
Aspis, 318,49
Assen, rex Tuneti, 373,1
Asserus, 32,1
Asinarus fl. vide Asinarus.
Assorũ, 203,1. Assorinorũ numismata, 203,19
Asturi opp. cõustio, 481,37
Asylum Palicorum, 63,24
Atellarus fl. 100,24
Ater humani corporis humor, 200,32
Athalaricus, 366,35. moritur, 367,11
Atharbas Carthag. dux, 324,34
Athenienses Siciliæ inhiant, 248,42. 251,38. Leõtinis auxilia mittunt, 248,48. 249,21. bellum contra Syracusanos suscipiũt, 252,35. Athenienſium ex Sicula clade consternatio, 271,6. Athenienſium a Syracusanis captorum miseria, 270,41. Athenienses Ophellæ auxilia cõtra Pœnos mittunt, 322,9
Athenio pastor, 363,31. pœnas dat, ibid. 46.
Atlas Maurus, 220,47
Attilas, 366,4,8
Attilii Reguli in Siciliam expeditio, 336,41. præclara de Pœnis victoria, 337,29. clades & captiuitas, ibid. 51. Romam ablegatio, 340,12. cruciatus, ibid. 21
Atys fl. 28,9. 131,28
Auaritiæ exemplum singulare, 410,29
Augustæ conditor, 68,28. vastatio, 68,43
Augustam non esse Megaram, 69,27
Augustus Cæsar, vide Octauius.
Aula subterranea Aleonoræ, 502,5
Auricella, 29,28. 179,45
Aurifabri dolum detegit Archimedes, 94,8
Aurifodina, 211,16
Auri penuria maxima, 410,40
Automala, 322,15
Aunla opp. 97,30
Axine cur dicta Lais, 146,49
Aydonum, 205,52

Bactrianos inuadit Ninias, 222,9
Bætica Hisp. pars, 370,46
Bagelardus Nortmannus, 389,19. 400,48
Bailatus, 154,6
Balduinus, Constantinop. Imp. 443,23
Balduinus Musonus, 453,24
Balintium vinum, 15,11
Bapt. Egnatius, 375,33. 376,1
Barbacanes, 435,3
Barbara vrbs, 141,16
Barbaria, Africa, 371,44
Barbati, seu barbatuli, pisc. 18,17. 48,6
Barbauayra Genuensis, 481,16
Barchina factio, 283,12
Barra franca, 32,49. 208,25
Barresia familia, 468,28. Barresiæ familiæ (genealog. 547,45
Barthol. Garsiliatus, 413,17 414,11
Bari excidium, 378,29
Basilius Imp. Constantinop. 382,23
Basilius, Rom. filius, Cõstantinop. Imp. 395,26
Basilius Geracienſis, fugit, 387,41
Basilius Pediaditus, 387,14. 4,9
Basiluzus, inf. 544,29
Bastia, 28,49. 143,47
Bathys fl. 149,36,46
Baych, turris, 29,14. 173,43
Bayharia fl.
Belchanes Saracenus, 390,54. 392,31. Panormum fugit, 393,25. 394,8. Ennã tuetur, (394,20.
Belicis fl. caput triplex, 131,36
Belisarius Iustiniani dux, 366,41. Vandalus in Africa delet, 367,8. Siciliam Gothico iugo liberat, ibid. 39. & 164,39. Gothos Italia exigit, 368,10
Bellerophon Archiæ socius in cõdend. Syracusis, 73,40
Bellonæ fanum, 205,7 41,10
Bellum seruile, 428,27
Beltrandus Andriæ Comes, 481,4
Beltrandus Blascus, 460,29. 468,54
Beltrandus Cannellus, 83,30
Beluedere, 461,33
Beluederi in Calabr. obsidio, 401,24
Benamethi Saraceni strategema, 403,15
Benauir Saracenus eluditur, 402,18. Nicotriũ capit, 402,54. perit, 482,18
Benedictus XII. Pont. Rom. 390,53
Benmeneleri Saraceni cædes,
Bernhardus Caperã, 530,19. dolo Comitatũ Motycæ quærit, 531,1. Siculi regni vicariatũ armis extorquere Blancæ conatur, 533, 21. 535,9. legatorũ monitis neglectis bellũ persequitur, 537,42. capitur, 538,4. lepide irretitur, 538,28. Barcinonem ad regem
Bernard. Sarrianus, 462,21 (mittitur, 538,37 17,26. 192,51
Beryllum fert Sicilia,
Bescaucctus Saracenus, 390,54. 392,31. Cãtera vide in Belchanes.
Bettumenus Saracenus, 390,50. ad Norimãnos trãsfugit, 391,3. Nortmãnorũ ductor, 392,48. Siciliæ præses constituitur, 394, 49. dolose perimitur, 395,2
Bettumenus, Rogerii præfectus, 402,17. perfidiæ pœnas dat, ibid. 26 402,2
Bettuni Saraceni fuga, 64,19. 66,6 15,18
Beuerius lacus, 210,28
Biblinum vinum,
Biccarum, 71,39. 208,47
Bidis, Bier-

Biergostus Lutroci F. 384,19
Bigenus ager, 26,24.71,46
Biuona, 211,10
Blanca Nauarrena Martino regi nubit, 532, 53. Siculi regni vicaria, 533,15. a Bernhardo Crapera impugnatur, 533,21. 535, 9. Bernhardum fugit, 536,38. 537,6. moritur, 538,40
Blascus Alagona, 454,51. in Calabriam mittitur, 462,40. ad Fridericũ redit, 463,29. a Friderico deficere recusat, 463,52. in Calabriam cũ copiis tendit, 464,19. præclarã reportat victoriam, 467,29. Gallos capit Cerratani, 468,34. Gallos vincit, 474, 35. moritur, 476,30
Blascus, Blasci Alagonæ nepos, 480,29. Gallos vincit, 481,20. Passanetũ ad officiũ reducit, 486,50. regis impuberis bailus, 491,6. cõtra Claromõtanos & Palicios se instruit, 491,44. pace facta magister justitiarius instituitur, 495,44. pacem cũ Claromontanis & Paliciis denuo facit, 500,8. moritur, 513,7
Blascus Blasci F. 513,43
Blasius Azettus, 543,49
Boemundus Roberti Guiscardi F. 402,40,49. fratris ditionẽ occupat, 404,28. 405,53. expeditionem Hierosolymitanam suscipit, ibid. 55. moritur, 406,29
Bolco Syracus. 246,41
Bombyces, 16,41
Bomilcar Carthaginensiũ dux, 302,17. 317, 3,34. patriã opprimere conatus pœnas luit, 322,34
Bomilcar Carthaginensium contra Rom. dux, 354,8. 356,43. 355. 357,20. fugit, 357,37
Bonifacium Sicil. opp. 532,36
Bonifaciũ Corsicæ metropolis, 540,37. 570,38
Bonifacius Aragonius, 513,33
Bonifacius Calamandrus, 463,40
Bonifacius Corsicæ Comes strenue Saracenos atterit, 374,31
Bonifacius VIII. Pont. Rom. 462,55
Bonifacius mons, 33,34
Bonifatus mons, 377,34
Boodis fraus, 335,23
Bosferius Tuneti rex ab Alfonso impugnatur, 542,16
Bossus, 384,55
Brachini Saraceni dolus, 400,19
Brachium S. Rainerii, 38,47. & 43,11
Bricinniæ arx, 65,44. 250,45
Brolius Bronzus, 472,42. 473,30
Brontes, 218,54. 219,1
Bruca emporium & Pantagiæ fl. ostium, 67, 29,34
Brucatum, 29,23. 177,27
Brunduſiũ recuperat Guilhel. Malus, 413,54
Bucherium, 32,25. 207,50
Bucólos, 183,6
Bucolici carminis inuentores, 24,48
Bulchar Saracenorum Rex, 381,42
Buleuterion, 81,39
Bulgaricum bellum, 380,32. Bulgarorum legati capiuntur, 381,8
Burganum, opp. 398,11
Buteræ oppugnatio, 413,41. deletio, 424,5
Buterium, 32,47. 208,28. 108,30. Buteriũ an Hybla minima, 70,41
Butes, 139,1. 223,44
Buttigliariæ, 84,8
Buxema, 32,29. 207,51
Buyhutus fons, 100,36

C

Cabiri, 360,23
Cacaumenus 387,26
Cactus, 16,17
Cacyparis fl. 85, 17. 269, 2. Cacyparis fl. ortus & incrementa, 97,19. ostium, 26, 36. 97,15
Cacyrum, 32,10. 111,22
Cadmus Cous, 234,29. 237,29
Cælestinus III. Pont. Rom. 434,41. 436,43
Cælestinus IIII. Pont. Rom. 443,17
Cænys promont. 35,21,27. & 36,16
Cæsaris piscina, 99,49,53
Cæstus, 225,46
Caietæ situs & obsidio, 462,8. 543,7
C. Cannius dolo malo circumuenitur, 86,4
Calabria in Nortmannorum potestatem venit, 390,5
Calacta, 29,47. & 30,1. & 183,45
Calata, 30,1. 183,44. a Caltagirone diuersa, 206,28
Calatrasis, 22,28. 213,9
Calcerandus Rochensis, 553,9
Calidus fl. 141,4
Caliphas, Sarac. pontifex, 370,14
Caliphatus, 371,31
Callæschrus a Phalaride benigne tractatus, 118,20
Callias historicus, 93,6
Callicrates Syracus. 258,2
Callicyrii, 87,9. 236,39
Callimachus poeta Syracus. 92,25
Callimenes, 86,54
Callipolis, 108,9,19
Callippus Athenienſis, 295,33
Callistus Pont. Rom. 406,9. moritur, 406,48
Calopharum, 25,37. & 36,48
Caltabellotta, 213,55
Caltagiron, 32,13. 206,25
Camarana, 27,19. 106,55

Camarata, 210,34
Camarinæ situs, 105,41. conditores, 23,41. 74,11. 105,44. fortuna, 105,52. palus, 106,28,39. salina, 27,22. 107,16. Camarinenses Hippocrati deduntur a Syracusanis, 236,8. Syracusas trãsferuntur, 236, 51. sedibus aliquoties exuti, 23,42
Camera Siculis Curia, 77,38
Camicus, 27,44. 112,20
Camiola Turringa, 487,30
Cammaris. fl. & pag. 43,54,50
Campana ingens, 445,47
Campanellarum insula, 5,20
Campani milites, 271,55. audax moliuntur facinus, 272,55. eorundem in Rheginos perfidia, 328,45
Canalis idem quod ostium fl. 67,30
Canariæ insulæ, 550,45
Canemæ insanum facinus, 550,34
Canna mellis, 15,38. 71,21. cannæ mellitæ trapetum, 167,31
Cantarus fl. 26,21. 69,8. Cantarus fons, 69,9,17
Capenæ conditor, 85,38
Capitaneus, vrbis præfectus, 557,8
Capitium, 191,51
Capiturini, 425,28
Cappadoces vt equinum armentum reparārint, 117,50
Capreæ, insula, 5,18
Caput Siculis quid, 127,32. Caput album, 28,3. 125,50. Caput Boei, 28,27. 136, 54. Caput caballi, 35,28. Caput Milacii, 30,22. 187,6. Caput molendinorum, 49,54. Caput Orlandi, 30,5. 184,50. Caput passarum, 26, 50. 102,28. Caput Phari, 36,5. Caput S. Alexii, 46,35
Capuzzini, 75,20
Carabi, 138,27
Carabus fl. 28,9. 131,28
Carauelliæ familiæ priuilegium, 406,45
Carbo Marianæ factionis dux, 363,51. supplicio afficitur, 364,4
Carceres subterranei, 82,23
Carcinus Rheginus Agathoclis pater, 131,7. 307,37
Cardinalis fl. 85,20
Carinis, oppid. 21,45. 145,45
Caritas frumenti & olei, profusione eorundem mulctatur, 546,23
Carleontium, 65,16
Carnius mensis, 270,10
Carolus Andegauensis Dux ad regnum Siciliæ vocatur, 446,54. diadema accipit, 447, 19. Manfredũ vincit, 447,43. vincit Conradinũ, 448,36. Tuneto tributa imponit, 449,32. Messanã oppugnat, 453,22. in Calabriã se recipit, 455,22. Petrũ Aragoniũ ad duellũ prouocat, 456,33. duelli exspectatione elusus, 457,45. cũ classe Neapolim applicat, 459,3. moritur, 459,23. Eiusdem gloria, 449,50. vxores, 447,16. 449,55
Caroli V. Rom. Imp. & Siciliæ regis parentes & patria, 552,47. literæ ad Siciliæ proceres, 555,30. coronatio, 564,3,26. bella & res gestæ, 564,5, & deinceps. vxor & liberi, 563,54
Carolus VIII. Francorum rex, Neapol. regno potitur, 550,48. pellitur, 551,1 564,7,11
Carolus Borbonius,
Carolus Claudus, Tarenti princeps, 458,21. capitur, 458,44. ad Petrũ regẽ mittitur, 459,17. liberatus vngitur rex Neapolis & Siciliæ, 462,17. pacem cum Friderico facit, 477,18,44. moritur, 477,55 374,12
Carolus Magnus Imper. Rom. 473,54. 474,39
Carolus Marolettus, 461,5
Carolus Martellus, 384,25
Carolus Simplex,
Carolus Francus copias in Siciliã ducit, 476, 44. pacem inter Carolum & Friderici rages facit, 477,18 549,14
Carolus Ioannis Aragonii filius, 19,36
Caroniæ miracula, 97,4
Carranum,
Carthaginenses a Gelone victi, 239,16. pacem petunt, 240,10. ab Hierone funduntur, 242,29. Segestanis auxilia mittunt, 271, 39. a Dionysio reprimuntur, 278,23. Siciliã impetunt, 297,11. 298,4. 302,15. pacẽ cũ Timoleonte faciunt, 305,40. Eorundẽ bellum cum Agathocle, 312,41, 53. 313,20. 326,24. cũ Pyrrho, 329,26. cum Romanis, 332,15. cum Romanis secundum 344 31. clades insignis, 239,16. 304,16. ab Romanis, 337,33. 338,1 370,29
Carthago a Saracenis deletur, 342,30
Carthalo, 370,27. 377,37
Caruenum, 77,24
Casanoua, 26,36
Casiblis,
Casmenæ, 23,38. 74,11. ab Thomiso diuersa, 208,20
Cassarum Panormi, 154,41 27,2. 103,44
Castellatium, 168,22
Castellum ad mare Panormi, 461,29
Castitatis exemplum singulare, 116,11
Castoris & Pollucis templum, 140,48
Castrum ad mare, 466,32
Castrum Leonis, 31,24. 189,29.

Castrum regale, 34,32.194,2
Castrum veteranum,214,29. ab Entella diuersum, 213,31
Catacalonus Cacaumenus, 387,25
Catalani,491,29. infestantur a Paliciis & Claromontanis, 491,33.499,4
Cataldus Russus, 463,21
Catanæ etymon,57,20. situs,57,10. condiores,57,10.232,53. ædes memorabiles, 58,18. aquæductus,58,33. arx,59,17. gymnasium,58,26. portus,58,10. sepulcretum,58,49. theatra,58,13. thermæ, 58,29. Catanæ gloria,58,39. nomẽ mutatũ,57,29.242,11. nomen cũ incolis pristinis restitutũ,57,55.244,41. vastatio, 59,13. munitio,59,23. Catanæ qui clarueriṇt, 58,43.59,37
Catanensis ager,61,27. Catanensium vineæ, 190,9
Catanus, 232,53
Catanzarium, 464,25
Catapultæ inuentores, 24,49
Caua grandis, 97,22
Cauconæ portus, 27,15.105,20
Cancones, 27,15.105,20
Cauda vulpis,promont. 35,21
Causa naturæ duplex, 18,44
Centoripa, 31,50.196,10
Centuripinæ ciuitatis fortuna,196,33. & seq. deletio,441,37.449,20. ruinæ,196,46.
Centoripinus ager, 196,28
Centuplus fructus, 66,20
Cephalœdis,29,30.179,54. Cephalœdensis episcopatus quo casu institutus, 180,8
Cephalus Corinthius, 301,31
Ceratanum, 32,30.207,49
Cerberi figmentum, 224,10
Cercina insula, & opp. 7,15
Cercopithecorum montes & cultus, 324,9
Ceres, eadem Isis, & Io, 221,28.222,29. quamdiu vixerit,222,34. Cereris partes,221,38.222,23. inuenta & munera, 205,26.222,26. imago in pompis solennibus,223,24. effigies in numismatis,205, 33.223,10. sacra,223,16. apud Ennenses cultus,204,29. apud Ennenses templũ & simulacra,203,55.204,43. sacrariũ apud Catanenses,58,19. templum Segestæ adhuc pene integrum,143,3. Cereris tẽpla vbi condi solita, 143,7.223,35
Cerratana, 207,49.32,30
Cetaria, 28,46.140,40
Chalcis vrbs,10,32. Chalcidenses in Siciliã traiiciunt,232,15. Naxum in Sicilia condunt,23,9.48,13. Leontinum occupãt,232,48. cum Zanclæis & aliis Himeram colunt, 23,35
Chalcidicus mons, 332,21
Chamesena vrbs, 221,27
Chameses 220,55.221,3
Chamus Noæ F. 220,49.221,2
Chariclides Syracus. 288,25.291,16
Chariton & Melanippus, 118,22
Charmus,poeta Syrac. 92,8
Charœades, 248,48. occumbit, 249,3
Charondas legisl. 59,40
Charybdis, 25,37. & 36,29
Chem, 220,55
Chemis opp. 221,16
Chersonesus Megarica,26,16.68,23. Mylaitis,30,22.187,7. Syracusana triplex,26, 24,32.74,52
Christophorus Columbus, 550,43
Chromius,57,33. Chromii victoria,100,19
Chrysas,fl.62,21.203,5. Chrysæ simulacrum & templum, 203,7
Chryseus, 225,16
Chrysorhoas fl. 46,14
Chydas fl. 29,47,55.& 183,34
Ciminna, 210,24
Cimmerii,Gotthi, 366,24
Cineas,Pyrrhi orator, 329,18
Cinis AEtnæus lætificat agros, 61,31
Cinerulenta scaturigo,125,14. cinerulentam terram euomens locus, 19,12
Cirtæ obsidio, 565,43
Citatella opp. 26,43.100,52.206,2
Ciuita, Appuliæ opp. 389,9
Ciuitates Romanæ ecclesiæ quæ dicãtur,10,54
Claromons, 32,43.208,10
Claromons bos occiditur, 502,44
Claromõtanæ stirpis in Sicilia autor, 456,15.
Claromontanorũ & Paliciorũ conspiratio cõtra Catalanos, 491,26,50. 497,10. proscriptio,503,26. rebellio,505,10.528,40. ad Fridericum reditus,526,54.528,20,46. simultates cũ Artali,prætextu tutelæ,529, 37. Claromontanum nomen abolet Ludouicus rex, 502,45
Clarus mons, 27,43.112,13
Claudicantis pueri simulacrũ artificiosũ,88,3
Claudus portus, 8,40
Clauicula machinalis, 88,26
Cleander Patareus, Gelæ tyrannus, 110,35. 235,53
Clemens III. Pont. Rom. 434,1
Clemens IIII. Pont. Rom. 447,13. moritur, 449,48
Cleon seruorum rebellium dux, 362,51
Clinon ab Agathocle ad Pœnos deficit,321,15
Clusa, 213,38
Clypea, 337,41

Cn. Pompeius Marianam factionem in Sicilia comprimit, 363,54
Cocalus 228,44. Cocali astus, 229,26
Cocanicus lacus, 107,40
Cochlea Archimed. 88,19.93,35
Cœna cruenta, 77,48
Cola Piscis, 45,3
Colisæum, 47,39.84,48.99,30
Columbara arx, 6,52. Columbara scopulus, 138,13
Columbaria specus, 27,17.105,24
Columella, turris, 35,43.& 36,17
Colysanemas Empedocles vnde dictus, 122,5
Cominus insula, 10,15
Comœdia vbi primum reperta, 178,47
Conciaria, 167,52
Concionatorum sortitiones, 278,2
Concordiæ templum Agrigenti, 115,36
Conductus pulchræ fœminæ, 84,12
Coniugalis concordiæ exemplum, 549,37
Conradinus Conradi F. & hæres, 445,27. cum copiis in Italiam traiicit, 448,2. capitur & securi percutitur, 448,48
Conradinus Saracenorum Rex, 439,48. moritur, 440,35
Coradus Friderici F. Romanorum rex, 441, 30. Neapolim capit, 445,19. moritur, 445,26
Conradus Aurea, 467,49.474,48
Conradus Caputus Antiochiæ princeps, 448, 5,10. occiditur, 449,22
Conradus Lancea, 464,21,25. occiditur, 470,6
Conradus Lancea exulare iubetur, 522,19
Conradus Spathafora, 501,22. occumbit, 519,3
Consaluus Ferdinandus, Magni capitanei nomen promeritus, 551,10
Constantiæ exemplum singulare, 531,14
Constãtia Rogerii regis filia, 162,54.409,13. in monasterium abditur, 409,22. Henrico Imp. nubit, 434,52. Fridericum parit, 436,36. strenue regnum tuetur, 437,30. moritur, 437,34
Constantia Aragonia Friderici I. vxor, 437, 36.438,53.550,23
Constantii Imper. in Italiam expeditio, 373, 21. auaritia & rapinæ, ibid. 29. interitus, ibid. 42
Constantinopolis capt. 24,21
Constantinus, Constãtini filius & socius, 373, 23. patris necem vlciscitur, ibidem, 48. cur Pogonatus dictus, 374,2
Constantinus Leonis & Zoes filius, Imp. Cõst. 380,28.381,35
Constantinus, Romani filius, Imp. Constantinop. 382,32 387,55
Constantinus Monomachus, a Segesta diuersa, 540,51
Conterrana, 140, 35. 142,49 213,34
Contineola, 211,16
Contissa, 157,27
Contubernium, 46,49
Cooperta Panormi via, coralliũ Drepanit. 138,25 91,27
Corallium Siculum, 17,30.
Corax rhetor, 410,32.442,10
Coriacea moneta, 211,24
Corilio, 250,
Corinthii Syracusanis auxilia mittunt, 4.258,41.260,53. iisdẽ auxilia mittunt contra Dionysium, 297,21. Corinthiorum colonia in Sicilia, 232,28 361,15
Cornelius prætor Siciliæ, 15,35
Corniola vua, 240,46
Cornucopiæ Gelonis, 564,42.& 24,24.
Corone capitur, Turcæ, 335,42
Corsicam Gallorum regi subiiciunt 570,36 380,50
Corui nauales, a Gozodina, 9,30
Cosmas Thessalonicus, 21,12
Cosura siue Cosyra insula, 7.39. uersa, 34,16.193,15
Cranium stupendæ capacitatis, 233,29
Crastus, 192,25
Cratæmenes Chalcidensis, 123,5
Cratas mons, 230,
Creon Agrigentinus 23,6
Cretenses Camicum frustra oppugnant, 27. in Sicilia sedes figunt, 83,22,46
Crimitis, Crinisii pictura, 143,28 381,23
Crinisius fl. 28,48.140,51. 179,21
Crinitus Chaldus, 355,10.
Crison Himeræus, 357,3
Crispinus Appii Claudii successor, 196,32
Hippocratem insequitur, 221,29
Crocus Centuripinus, 73,32
Cronia seu Saturnia loca, salubritas, 548, 14.
Crotonis conditor 73,3. F.
Crudelium pœnarum exempla, 553,46
558,13.326,36 157,45,54
Crux rubra viridi vesti insuta, 7,42
Cuba, 233,
Cudia brugiata, 39,12,19.
Cumani Zanclam occupant, 25. Cumanis auxilium fert Hiero, 242,20 Cuni-

Cuniculariæ insulæ, 7,38
Curcuracium opp. 69,6.209,25
Curetis, 217,38
Currentum insula, 103,22
Cyamosorus fl. 331,23
Cyane fons, 26,31. 96,7,30. eiusdem effigies, 96,42
Cyane nympha, 96,18. 226,21
Cyanippus Syracusanus, 96,19
Cyclopes, 218,41. Siciliam olim texuerunt, 20,1.218,32. Cyclopũ habitacula, 219, 5,30,39. scopuli, 50,3
Cymbalum, insula, 7,35

Dacia, 384,15
Dædalus, 139,9. Dædali genus & fuga, 218,46. apud Siculos gratia & opera, 228,55. & sequ. antrum in ora Selinuntina, 129,51
Dæmones, 200,11. præstigiarum autores, 60,10. gesta nuntiant, 379,48. obsident corpora humana, 200,16. dæmonis responsum fallax, 478,44. dæmonũ ludibria, 38,29
Damarata seu Demarata Gelonis vxor, 236, 47. Polyzelo nubit, 241,35
Damarata Andronodori vxor tyrannizat, 349,12. occiditur, 350,2
Damarateum numisma, 240,18
Damas Syracusanus, 308,20
Damascus, Saracenorum regia, 371,29
Damasippus Spartanus, 355,28
Damianus Palicius, 484,14.486,6. insolescit, 486,29.487,54. exulat, 488,55. moritur, 491,10
Damianus Salinpipus, 504,5.507,16
Damocles Dionysii beatitatem gustat, 280,36
Damonis & Pythiæ fidus amor, 281,18
Damophilus siue Demophilus, 362,38
Damyrias fl. 305,4
Dania, 384,14
Daphnæus, 278,30
Daphnis, 183,5
Daphron, 207,6
Dasco & Menecolus, 233,23
Dascon sinus, 265,38
Decatria, 50,10
Decles, 310,22
Defectionis merces, 477,26
Deisin Panormi, 166,16
Delatores Hieronis, 87,20
Deli siue Delli, 63,3
Demarata: vide Damarata.
Demaratus Corinthius, 301,12.303,30
Demetrius Syracus. 306,33
Demini regio seu vallis, 188,35,40
Democratiæ licentiosioris incommoda, 86, 41
Demophilus, 362,38
Demosth. Athenienſium dux, 261,1. delectum militum habet, 262,21. male rẽ gerit, 264,18. domũ redire cogitat, 264, 51. denuo fortunam experitur, 266, 48. domum redire parat, 268,8. capitur, 269,17. necatur, 270,32
Deos ob incolarum perfidiam vrbes & fana relinquere, 274,18. Deos duos vnã habere ædem non posse, 360,55
Dianæ fons, 19,34.106,16,22.208,19. simulacrum Segestanum, 142,26. templum in Syracusarum Insula, 75,51. festum, 76,7.355,41
Dicæarchus Messan. 44,24
Dicæopolis, 142,13.326,46
Dictæinus fl. 62,21,30
Didacus Deuera, 551,47
Didyma insula, 3,53
Dimmaris mons, 45,48
Dinocrates Syracus. 310,45.312,44. capitur, 313,4
Dinocrates, Amilcaris hipparchus, 319,22, 46. in Agathoclem contendit, 323,55. 327,12. cum Agathocle in gratiam redit, 327,36
Dinolochus Agrigentinus, 123,22
Dinomenes Hieronis maioris filius, 243,21
Diocles Syracus. 270,18. legislator, 271, 12. Himerensibus auxilio mittitur, 274, 39. Himera relicta Syracusas petit, 275, 15. eiicitur, 276,30
Diodorus magus, 59,44
Diodorus Siculus, 199,5. Eiusdem bibliotheca, eiusque argumentum, 199,43
Diomedes Caraffa, 545,5
Diomilus Andrius, 256,42
Dion Syracus. rhetor, 91,49
Dion philosophiæ sub Platone studet, 280,2. Dionysium ad philosophiæ studium adducit, 286,26. relegatur, 287,5. Græciam obit, 287,35. bellum Dionysio parat, 288,11. in Siciliam reuersus quæ gesserit, 288,43, & deinceps. occiditur, 296,10
Dionysii senioris ortus, 277,34. regnaturi præsagia, ibid. 37. virtutes & artes quibus ad imperium euasit, 278,11. vxores, fortuna, & res in tyrannide gestæ, 279,16. mors, 283,27
Dionysii iunioris facinora & fortuna, 284, 10. potentia, 285,51.299,45. exiliũ

primum, 284,52. secundum, 285,22. tertium, 294,50. quartum, 299,48. apophthegmata, 300,10. apud Corinthios vita, ibid.15
Dionysii arx, 76,45
Dionysius fl. 46,13
Dionysus, Ammonis F. 221,35. Saturni iniurias vlciscitur, ibid.45
Dirillum opp. 107,37
Dirillus fl. 27,23.107,17
D. Agathæ patria, 60,20. martyrium, sepulcrum, velum, 53,28.60,20. templũ, & cœnobium, 60,29
D. Calogeri antrum, 129,30. mons, 130,9. templum, festum, miracula, 130,13
D. Conradus Placentinus, 99,20
D. Georgius Nortmānos in prælio iuuisse creditus, 397,11
D. Iulianus, 140,6
D. Leonis templum, 55,4
D. Lucia, 95,44
D. Marcianus, episcop. Antioch. & Syracus. 95,47
D. Mariæ templum Panormit. 159,9
D. Nicolaus de Renis siue Arenis, 51, 9. & 55,31
D. Petri Apostoli templum in regia Panormi, 156,20
D. Philippi apud Agyrinenses templũ & miracula, 200,2
D. Vitus, 140,27
Doanæ, 167,10
Doli mali lex quo exemplo nata, 86,3
Domentiolus, 368,22
Dominicani Gallos iuuantes capiuntur, 457, 27.460,50
Donna alta, fons, 109,6
Dorica templorum forma, 114,18
Dorieus Lacedæmonius, 233,34. coloniam in Siciliam ducens Heracleã condit, 126,35
Dorsum asini, 51,43
Dragina, 386,45
Dragus fl. 27,46.112,49,52
Drahutus Saracenus, 569, 17. 570, 21. & 7,50
Drepanum, 28,38. 138,1. Drepani etymõ, 138,4. portus, 138,12. Drepanitanum mare, 138, 26. Drepanitanæ salinæ, 137,48
Drogo Nortmannus, 384, 48. Guilhelmo fratri succedit, 388,44
Drohettus, Gallus, 452,32
Ducetius, 98,41. Ducetii ingenium, res gestæ, fortuna, 246,20. obitus, 247,41
Duellii in Siciliam traiectio, 335,11. triumphus naualis, 336,16
Duelli inter Carolum & Petrum reges futuri ridiculus exitus, 457,30. Duelli nefandi permissio, 425,5 16,3
Dulbus, 0-

EBerhardus Comes Scyllacii, 413,22. oculis & lingua priuatur, 414,34 15,38
Ebosia canna, 113,47
Ebrietatis insigne exemplum, 320,11
Echetla, Echo
Echonem remittentes specus, 129,23. 82,28 mirabilis,
Eclipses vt interpretandæ ducibus, 288, 33. 315,40
Ecnomus propugn. 111,24,30,46,50. 312,44 27,1.103,35
Edissa, port. 95,31
Egesias Syracusanus, Cætera vide in AEgesta & Segesta. 88,6
Egestanos vincit Gelo, 237,10.
Elephas adolescentem deperit, 29,11.173,24
Eleutherus fl. cur clamorosus, 99,
Elorus fl. 26,40.100,2. 27. Elori fl. origo, incrementa, ostium, 100,21 26,39. 99,34
Elorus vrbs, 99,22.37,44
Elori castelli rudera, Elorina lapicidina,
Elorinus ager, 100,14. 99,43. Elorina piscina, 99,49,53. Elorina stagna, 26,45. 100,40. Eloris tempe, 100,17. Elorina via, 99,40 409,12
Eluira Rogerii regis vxor, 28,53. 141,41.144,46. 231,21
Elyma, 141,38. 230,53
Elymus Troianus, 23,4. 141,49. 231,34
Elymi, 58,54
Emanthiæ & Critonis monumentum & pietas,
Emanueli II. Constantinop. Imp. insultat Rogerius Siciliæ rex, 408,21. Emanuelis Constantinop. Imp. in Appuliam expeditio, 411,20,55 274,8
Empedion Selinuntinus, 123,
Empedocles, 121,33. Empedoclis auus, 123, 1. fornix in AEtna, 51,51. mors, 122, 34. Empedoclis Physicorum fragmentum, 121,51 64,45.230,25
Engium opp. Enguinorum tem-
Engyum, 31,51.194,37. plum, 195,15 402,10
Enniscordus Brito,
Enna, 32,3. 203,32. Ennæ situs, 203,34. 204,19. cõditor & etymon, 203,46.233, 24. clades a Pinario, 354,44 204,3
Ennensis campus, 244,39
Ennesia, Ensis,

Ensis, piscis, 18,9
Entella, 213,13. Pœnis se dedit, 298,12
Entellus Troianus, 213,16
Entimus Cretensis, 23,23. 233,15
Epicharmus Megar. 71,10
Epicydes Syracus. 348,20. Syracusas turbat, 349,26. Leontinos a Romanis alienat, 350,53. insolenter Marcelli legatis respondet, 352,32. in Acradina obsidetur, 356,6. a Marcello reprimitur, 357,4. cum Bomilcare se iungit, 357, 30. Agrigentum nauigat, ibid. 40. vincitur, 359,23. fugit, 361,37
Epicydes Sydorus, 357,29. trucidatur, ibidem 46
Epimandra, 146,27
Epipolæ, 82,52
Eptimæi agnomen vnde meruerit Timæus, 49,13
Epomeus collis, 6,5
Equuleus æreus, 142,21
Equus insignis vnico aureo venalis, 410,36
Erbessus, 208,54. 32,54. 210,42. 227,19. Romanorum horreum, 333,49, & 38
Eremburga Rogerii vxor, 394,44. 403,54
Ergoteles Himerensis, 179,23
Ericodes insula, 4,21
Ericussa insula, 4,21
Erineus fl. 4,21
Errores Ptolemæi, Strabonis & aliorum, suo quemque loco reperies.
Eryx quomodo Butis & Veneris filius, 223, 49. 139,1. ab Hercule vincitur, 225,53
Eryx mons, 28,40. 138,43. vnde dictus, 223,53
Eryx vrbs, 28,40. 138,53. vnde dicta, 223,53. Erycina Venus, 139,6. Erycinæ Veneris columbæ, 139,33. templum, 139,5,50. 223,54
Euagoras Zanclæus, 39,37
Euarchus, 232,53
Eubœa insula, 10,31
Eubœa, opp. 103,42. a Gelone euersa, 236,55
Eudoxus Syracus. 95,37
Eugenia vua, 48,2
Eugenius III. Pont. Rom. 408,9
Eugyon, 194,37. 196,4
Euhemerus histor. 44,51
Eumachus Agathoclis dux, 324,3. capitur, 324,30
Eunus seruorum rebellium dux, 362,46
Euonymos insula, 4,36
Euphemia Friderici soror, regni vicaria, 513,27
Euphemius Constantinopol. Imper. præfectus, 374,45. 376,29. vestalem rapit, 376, 39. contra Imp. insurgit, 377,1. occiditur, 378,4
Euphemus Athen. legatus, 256,15
Euripidis carmina captiuorum Atheniensium multos seruant, 270,51
Euripos Græcis quid, 35,26
Euri portus, 8,18
Eurycles Syracus. 270,22
Euryelus siue Euryelum, 83,15. Euryelus siue Euryalus, 268,30
Euryleon Spartanus, 133,1. 234,16,19
Eurymedon Athen. dux, 249,29. mulctatur, 250,35. denuo in Siciliam mittitur, 260,49. Demosthenis maturandum nuntiat, 262,22. ab hostibus circumuentus occiditur, 265,34
Eustathius Constantinop. Imp. legatus, 380, 34
Euthymi cædes, 305,8
Exænetus Agrigentinus, 117,39
Exarchus Imperatoris, 373,17
Exhalatio, 56,2
Exulum Siciliæ receptaculum, 47,11

FAlco Falconius, 489,41. fugit, 490,18. repellitur, 509,10
Falconara fl. 26,28. 97,31
Falcones, 17,34
Falci Cuberti strategema, 504,28
Farigluni, 50,3
Fatlus, Africæ princeps, 381,2. gratus erga Romanum, ibid. 19
Fauara, 69,4
Fauognana, insula, 6,47
Fazellus prouincialatum obit, 133,44. Eiusdem patria, 128,26
Ferabac, 384,50
Ferdinandus Castellæ Infans, Aragoniæ & Siciliæ rex dicitur, 534,33. coronatur, 534,39. Iusti cognomentum vnde meritus, 534,46. legatos mittit ad pacandos Siciliæ motus 536, 45. Siciliam per vicarios & filium regit, 538, 46. Saracenos in Bætica expugnat, 538,49. moritur, 538,54. Ferdinandi liberi, 538, 4. virtutes, 534,45. 538,46,52
Ferdinandus Ioannis filius Siciliæ rex, 549, 30,50. Granatam subigit, 550,29. Iudæos expellit, 550,39. Catholici cognomen meretur, 550,33. nouo orbe potitur, ibid. 41. Ferdinando Neapol. regi mittit auxilia, 550,54. Neapolitano regno potitus cum Ludouico Gall. rege pacem facit, 551,17,22. Saracenos oppugnat, 551, 26. mo-

26. moritur, 552, 22. Eiusdem vxores, 549, 32. 551, 23. liberi, 551, 18
Ferdinandus Alfonsi filius, 544, 30. Siciliæ prorex, 546, 15. rex Neapolis, 547, 42. moritur, 550, 47
Ferdinandus II. Neapol. rex, 550, 51. auxilia a Ferdinando Catholico impetrat, 550, 55. moritur, 551, 1
Ferdinandus Maioricæ regis F. 477, 51. 478, 53
Ferdinandus Acuneus, 550, 12
Ferrandus Peris, 469, 50
Ferrariæ inuentores, 218, 47
Fessæ regnum in Africa, 372, 7
Ficallus, 27, 6. 104, 7
Ficus bulborum genus, 15, 55
Fidelitatis exemplum singulare, 461, 39
Fidii simulacrum, 59, 26
Fimi insula 5, 15. 29, 3. 147, 13
Flauius Vopiscus, 93, 8
Flores vbi fragrantissimi, 204, 7. flores vbi perpetui, 204, 3, 21
Fluenta ignea, 56, 28. flumina terras subeuntia, 79, 48. 85, 21
Fl. frigidus, 49, 37
Fl. magnus, 29, 27. 179, 26
Fluuius mali temporis, 17[illegible]5
Fl. S. Cosmani, 71, 17, 27
Fl. S. Iuliani, 26, 18. 68, 51
Fl. S. Leonardi, 64, 7
Fl. S. Michaelis, siue Pontis rupti, 29, 18. 174, 17
Fl. S. Pauli, 62, 37
Flutæ, pisces, 18, 12. & 38, 8
Fluxus & refluxus marini causa, 37, 22
Fœcunditatis exempla aliquot stupenda, 124, 22
Fœminarum insula, 5, [illegible]. 29, 3. 147, 13
Fontium aliquot Siciliæ miracula, 19, 21, 45. fons ad tibiæ sonum exultans, 182, 43. aluum laxans, 100, 37. 140, 25. bitumen gignens, 124, 52. marmor gignens, 125, 2. oleo scatens, 211, 18. pestilens, 66, 25. steriles reddens, 110, 54
Formicarum insulæ, 6, 50
Fortunæ templum, 83, 20
Fossa, 85, 25
Fossa granatorum, 84, 48
Francorum insolentia, 450, 31. cædes memorabilis, 452, 10. cædes Messanæ, 429, 54
Franciscus Gallorum rex Neapolim obsidet, 561, 15. capitur, 564, 6. cum Turca fœdus contra Carolum facit, 567, 25
Franciscus Barresius, 556, 26. capitur, 560, 27. capite plectitur, 560, 52
Franciscus Imperatorius, 561, 22. cum literis in Galliam tendit, 562, 16, 39. capitur, 562, 48. necatur, 563, 35
Franciscus Modica, 504, 47
Franciscus Niger, 55, 13
Franciscus Paluius, 503, 52. 505, 29
Franciscus Valguarnera, 485, 35. 493, 7
Franciscus Vintimilius Claromontanos contra se exasperat, 482, 22. 484, 12. proditor & rebellis declaratur, 484, 55. interit, 485, 37
Franciscus Vintimilius iunior, 484, 24. carceri mandatur, 484, 35. dolose Panormum vocatur, 498, 13. occumbit, 498, 51
Franciscus Vintimilius, 505, 7. Messanæ strategus, 515, 53. adregem redit, 516, 46. regis Friderici tutor, 524, 2. a rege eluditur, 527, 43. rebellat, 528, 40
Francofons, 207, 40
Francolinæ, 17, 34
Frascolaris fl. 27, 18. 105, 31
Fraternitas seu fraternum fœdus, 411, 6
Fridericus I. Siciliæ rex nascitur, 436, 36. coronatur, 437, 33. creatur Imperator, 437, 51. coronatur, 438, 5, 15. hostis ecclesiæ pronuntiatur, 438, 48. Saracenos comprimit, 438, 51. in gratiam cū Pontifice redit, 439, 21. denuo in Asiam traiicit, 440, 21. Hierosolymorum rex coronatur, 441, 3. Henrico extincto Cōradum sufficit, 441, 30. denuo in Pontificem & Pontificios mouet, 441, 48. grauium criminum damnatur, 443, 47. Pontif persequitur, 444, 10, 21. moritur, 444, 29. Eiusdem vxores, 437, 30. 439, 21, 45. 444, 33. filii, 437, 38. 444, 33. virtutes & gloria, 444, 36. diploma super Scupello & Corilione, 211, 30
Fridericus Aragonius, 462, 36. fratri absentis vicarius, ibid. 38. a Pontifice decipitur vanis promissis, 463, 8. rex salutatur, 463, 40. coronatur, 464, 12. in Calabriam traiicit, 464, 17. Rog. Lauriæ oppida capit, 466, 30. fratris consilio in Siciliam se recipit, 467, 55. Catanam sibi belli sedem legit, 468, 25. animo linquitur in prelio, 469, 47. vulneratur, 473, 7. vincit, 473, 49. pacem cum Carolo & Roberto facit, 477, 18. bellum contra Robertum instaurat, 478, 14. vana pacis spe decipitur a Pont. Rom. 480, 9. Gibellinis Genuensib. opem fert, 480, 16.

480,16. Petrum filium contra Robertũ mittit,481,31. moritur,483,39. Eiusdem vxor,477,22. filii,480,24.483, 28. laus, 483,39
Fridericus III. Petri II. filius,512,54. frater in Siciliæ regno succedit,513,18. Simplicis & Auriti nomen accipit,519,30. Constantiam Aragoniam vxorem ducit, 527,4,48. pacem cum Ioanna Neapol. consanguineæ ipsius connubio firmat,528, 52.529,10. coronatur,529,18. moritur, 529,26
Fridericus Ferdinandi I. filius, rex Neap. 551, 2. fugit, 551,13
Fridericus Ioannis filius, Athenarum Dux, 491,7. moritur, 412,32
Fridericus Martini & Mariæ filius, 532, 47,55
Fridericus Antiochia,483,30. a Petro regge deficit,484,47. proscribitur,485,7. exulat,485,50. Siciliam infestat, 486,9. 487,9. occiditur, 487,48
Fridericus Austrius Ludouici Bauari competitor,481,25. Roma potitur, 481,43
Fridericus Auritus, 59,34
Fridericus Barbarussa, 410,17.432,20
Fridericus Claromontanus,491,26.500,10, 17. a Rubeo decipitur,517,9. ab Aloysio ad Fridericum redit,526,54.528, 47
Fridericus Falco, 460,8
Fridericus Lancea, 446,35,49
Fridericus Patella,561,18. coniuratis aures prabet,561,55. captus Neapolim traducitur,562,36. damnatus capite mulctatur, 563,20,32
Frigidus fl. 140,55
Frumentum vbi primum ortum,14,43. vt propagatum a Cerere, 222,50. sponte nascens,14,45.66,20. frumenti centuplus fœtus, 14,51
Fundus muscarum, 100,35
Funerum lex, 86,49
Furiæ, 45,45.189,3
Furianus fl. 29,45.182,45

Gabanus Teutonicus, 446,46
Gæsylus Spartanus, 294,38
Galata, 183,54
Galateus, 227,20
Galatis, 34,20.193,17
Galeagra, 82,11
Galeatius Bardasinus, 60,52
Galeatius Francus, 478,55
Galeni liber de spermate, 124,44
Galeotæ, 69,55.70,8,27
Galeotæ pisces, 17,47
Galeotus Bardasinus, 60,52
Galerienſium clades, 298,8
Galermus, 84,46
Gallorum cædes per vniuersam Siciliam,452, 10.& 24,16. Gallorum Senonum cum Dionysio fœdus, 283,1
Gallica & Hispanica lues, 548,31
Gallinaceum genus magnitudine præstans, 137,29
Gamori Syracus. 236,38
Gangis, 192,9
Gar-elme, 84,46
Garcias Nicosius, 457,13
Garsias Sancius, 469,31
Garsias Toletanus, 551,34. obstinationis pœnas dat, ibid.41
Gaspar Iambalis perfidus & proditor,569,47
Gaspar Spes, Siciliæ prorex, 549,54
Gaudici insula, 9,33
Gaulus, insul. 7,53. 9,32. a Turco capta, 10,10
Gaytus Ioarius, 424,38
Gayti Martini sceleratæ monomachiæ, 424, 54
Gayti Petri perfidia,415,4.426,28. factio, 427,50. fuga, 428,11
Gaytus Richardus, 429,7. in vincula coniicitur,429,31. erumpit, 430,44
Gazel Sultanus, 371,37
Gela fl. 27,31.108,45.179,40. cur Virgilio dictus immanis, 108,51. Eiusdem caput triplex,109,4. ostium, 109,34
Gela mons, 109,39,43.112,6
Gela vrbs, 27, 34.109, 49. Gelæ etymon, 109,54.110, 2,8. conditores, 23, 24. 109,49.110,12,16. incrementa,110,23. colonia, 233,18. insula,109,37. tyranni,110,35. ruinæ, 111,5
Gellias Agrigentinus,116,52. Gelliæ statura & dicterium,117,20. vasa,117,17
Gelo,110,40. Gelæ imperium occupat,236, 17. Syracusarum imperium accipit,236, 42. in Syracus. imperio quæ gesserit,236, 50, & sequ. Gelonis genus, 236,18. tyrocinium, 236, 3. fortuna, 236, 26. gloria,237,4.239,36.240,5. munificentia erga deos,240,38. moderatio,240, 34. obitus,240,55. sepulcrum, 241, 6. Gelonis colonorum cum ciuibus suis bellum, 244,15
Gelo, Hieronis iunioris filius, 346,9
Geloi campi, 111,3
Gemmarum ferax Sicilia, 17,11

Genſe-

Genſericus Vandalorum rex, 366,6
Gentilis Agrigent. epiſcop. 427,43
Genuenſium factiones inteſtinæ, 480,14
Georgius Adornus, 22,13
Georgius Antiochenus, 163,44. 169,36
Georgius Maniaces Conſtantinop. Cæſ. in Sicilia præfectus, 375,19. Apolofaro mittitur auxilio, 383, 26. contra eundem eum Italiæ principibus ſocietatem init, 383,46. 385,38. ſocios a ſe alienat, 386, 10. in carcerem coniicitur, 387, 12. denuo in Saracenos emittitur, 387, 51. calūniis & probris abſens afficitur, 388,8. in Imp. inſurgit, 388, 20. interficitur, 388,31
Gerbinus mons, 29,15. 174,6
Gerborum inſula, 7,8. ad Robertum Neap. regem deficit, 482,55
Gereates ager, 22,15. 85,17. 97,18
Gereatis Hybla, 70,3,21
Gerhardus Parmenſis Card. 460,35
Gerlandus epiſcopus Agrigentinus, 123,48. 124,13. 403,41
Germani Siciliam habitant, 26,11. Germanorum ſtrages memorabilis, 448,39
Gerunda, 6,4. Gerundæ obſidio, 459,34
Geryones tricorpor, 225,17. Geryonis templum, 198,44
Geſticulatio vbi & vnde primum nata, 87,14
Getæ, Gotthi, 366,24
Gibellinæ factionis initium, 441,51
Gigantum etymon & varia nomina, 218,31. immanitas, 218,27. magnitudo non fabuloſa, 20,7. & 22,46. propago renata, 217,17,28. 218,20. ſepulcra, 21, 40. 71,27
Gilbertus Grauinenſis Comes, 428,1. callide ſummouetur, 428,22. 431,28
Giletta Rogerii Comitis F. 130,22
Gilimaris Vandalorum rex, 366,53. capitur, 367,7
Gilla Caroli Simplicis F. 384,27
Gimmariæ, 130,10
Gironum, Iſclæ arx, 461,28
Giſco in Siciliam mittitur, 304,49. Giſconis patris mortem vlciſcitur Hannibal, 274,24
Giſulphus Salerni princeps, 389,24. 400,45
Gladiatorius ludus Syracuſ. 87,28
Gladius, piſcis, 18,9
Gnidii in Sicilia ſedes figunt, 23,46. Sicilia pulſi, 102,53
Goliſanus, 33,50. 192,43
Gongylus Corinth. 259,13
Gordiæus mons, 152,17. 218,13
Gorgias Leontinus, 66, 29. Leontinorum ad Athen. legatus, 248,39
Gorgius, locus, 327,22
Gorgus & Manticlus, 40,1. 235,6
Gothfredus Nortmannus, 384,48,38. Vmfredo fratri ſuccedit, 389,2
Gothfredus II. Roberti Guiſcardi frater, 384, 49. 389,37
Gothfredus III. Rogerii Nortmanni filius, 403,54. moritur, 404,16 465,9
Gothfredus Ianuilla, 412, 8.
Gothfredus Montis Canoſi Comes, 413,52. Meſſanæ detinetur, 414,20 tus in carcerem detruditur, oculis orbaGotthi, 366,20. Siciliam occupant, ibid. 32. exiguntur, 367,54. denuo Siciliam impetunt, 368,21. eiiciuntur, 369,5. & 24,2. a Saracenis profligantur e Caſſilia, 370,47 366,21
Gothlandia, diuerſa a Coſſyra,
Gozus inſ. 7,53. 9,33. 15,31 9,36
Græca vua,
Græcorum in Siciliam profectio, 232,14. & 23,9. Græcorum oppidum, 210,15,24. 211, 22. 213, 34. Græcorum caſalia, 24,23
Græcis contra Xerxem opitulatur Hiero, 242, 27
Græcarum artium opera quando primum admirati Romani, 89,36 550,29
Granata Saracenis eripitur, 444,17
Gregorius Montilongus,
Gregorius VII. a Roberto Guiſcardo liberatur, 402,35
Gregorius IX. Pont. Rom. 439,27. moritur, 443,15
Gregorius X. Pont. Rom. 449,48. moritur, 450,3 528,51 512,22
Gregorius XI. Pont. Rom.
Grilli,
Guaimarus Salerni princeps, 383, 48. 385, 27. occiditur, 389,22
Gualtherius Cephalæd. archidiac. 421, 32. 426, 18. Panormitano archiepiſcopatui præficitur, 431, 33. templum & cœnobium condit, 433, 24. 458, 43. Tancredo infenſus, 433, 54. Conſtantiam emonaſterio eximit, 434,47 456,50
Gualtherius Caltagironus, 398,4
Gualtherius Simulus, 83,54. 84,14 441,52
Guciunus fons,
Guelfi, 449, 11. 461, 29
Guido Montisfortis Comes, Guido

Guido Vintimilius Platia eiicitur, 521,54. regem Frid. vulnerat, 524,25
Guilhelmonus, 529,40
Guilhelmus Rogerii filius, Roberti Guiscardi nepos, 406,8. moritur, 406,28
Guilhelmus Rogerii Ducis spurius, 414,23
Guilhelmus Rogerii regis filius, Tarenti princeps, 407,7. Pont. Rom. capto patrem liberat, 407,10. a patre rex instituitur, 409, 26. a Pont. Rom. confirmatur, 410,5. in AEgyptũ traiicit, 410,11. Alexandrũ III. restituit, 410,17. otio & luxui se dedit, 410,25. Salerno reuersus domi se abdit, 411, 18,48. in Apuliam proficiscitur, 413,53. Panormũ redit, 414,19. Maioni nimium fidit, 413,32. 419,40. capitur, 421,28. liberatur, 422,8. hostes persequitur, 423,50. otio se dedit, 425,51. moritur, 426,41,50. Magni & Mali cognomina vnde promeruerit, 410,24,26. Eiusdem ingeniũ, 409, 40. mores & vitia, 409,40. 410,26
Guilhelm. II. a patre rex instituitur, 426,43. Boni cognomẽ meretur, 427,34. coniuratos punit, 429,19. paci studet, 432,18. Anadronici scelus persequitur, 432,41. Africã recuperat, 432,51. moritur, 433,33
Guilhelmus Calcerandus, 456,43. 460,24. in Calabriam mittitur, 466,54. Ennæ præficitur, 472,37
Guilhelmus Cornelius, 457,54
Guilhelmus Estendardus, 462,48. 472,26
Guilhelmus Ferrabac, 384,50. 385,37. a Maniace alienatur, 386,11. Apuliam inuadit, ibid. 30. Apuliæ Comes efficitur, 388,42. moritur, 388,43
Guilhelmi Manifscalci cruentum stratagema, 520,5,41. ad Fridericum reditus, 520,33. inconstantia & leuitas, 521,7
Guilhelmus Peralta, 529,39. a Martino deficit, 531,22. 532,4
Guilhelmus Raimundus Montecatinus, 454, 54. 466,53
Guilhelmus Raimundus Montecatinus, 529, 42. Mariã raptã Martino Aragonio vxorem dat, 530,9. a Martino deficit, 531,37. in gratiam recipitur, 531,53
Guilhelmus Tornerius, 459,4
Guilhelmus Vintimilius, 556,28. præfectus Panormi, 559,7. ad coniuratos opprimendos se accingit, 559,35,51
Guiscarda histor. 426,50. & 158,3
Guiscardus, 384,53
Guletta, 564,55. 565,2
Gumbaldus Intentius, 469,22. obit, 469,39
Gurgalonga fl. 62,22
Gurgus Lauphi, 99,41
Gylippus, 256,3. Syracusanis auxilio venit, 258,40. in qua existimatione fuerit Syracusis, 259,32. cladem prudenter & fortiter reparat, 260,17. Athen. castris exuit, 261, 23,47. auxilia adducit, 265,6. Athen. fugientes insequitur, 268,44. Niciam capit, 269,51. inclemẽs in captiuos duces, 270,27

Habes fl. 29,12. 190,4. 173,21
Halcamus Saracenorũ dux, 377,21,31
Hamilcar. vide Amilcar.
Hammon, Tritonis F. 221,33. e Libya eiicitur, ibid. 41
Hannibal: vide Annibal.
Hanno Carthag. dux, 283,6. victor domum redit, 283,38. in Siciliam reuertitur, 297,16
Hanno Carthag. dux, 317,3. occiditur, ibi. 30
Hanno Carthaginensium contra Agathoclẽ dux, 324,15. Carthaginensium contra Romanos dux, 333,4. vincitur, 334,27. fugit, 337,25. nouas Carthagine educit copias, 343,39. vincitur, ibid. 51
Hanno Carthagin. contra Marcellũ dux, 359, 8. vincitur, ibid. 23. a Mutine eluditur, 361,25. fugit, ibid. 38
Harmonia, Hieronis neptis, 346,38. 349,38. magno animo iugulum præbet, 350,5
Hebræis crux detrahitur, 553,50
Hecatompedon, 82,15. 293,42.
Hector Pignatellus Siciliæ præses, 167,7. 556, 3. socors, 557,28,39. capitur, 558,2. timidus in comprimendis motibus, 559,6,23. Messanam abit, 559,46. cum copiis Panormum redit, 560,41. nummariũ munus vrget, 562,23. in cõiurationẽ inquirit, 563,3
Heii sacrarium, 41,51
Helico fl. 30,17. 186,33
Helos, 379,44
Henrichettus, 456,4
Henricus II. Rom. Imp. 389,5
Henricus VI. Friderici F. Rom. Imp. & Siciliæ rex creatur, 434,43. in Italiam tendit, 435,1. Rogerium decipit, 435,30. copias in Asiam contra Saracenos mittit, 436,46. moritur, 437,1. Asper cur dictus, 436,26
Henric. Friderici V. Cæs. filius, coronatur Imp. 439,1. in carcere moritur, 441,29
Henricus VII. Rom. Imp. 478,4
Henricus II. Gallorum rex, auxilia impetrat a Turca, 569,54. 570,20
Henrico Gallæciæ principi opem fert Alfonsus frater, 541,38. 542,5
Henricus Abbas, 446,32
Henricus Aristippus, 418,47. 423,24. in car-

cere moritur, 424,14
Henricus Claromontanus, 456,4.491,25
Henricus Lombardus, 55,4
Henricus Rubeus, 500,11,39.507,54. fœdus cũ Claromontanis contra Artalẽ facit, 514, 16. Artalem impugnat, 515,7. frustra Messanam oppugnat, 516,20. rebellis, 516, 49. Tauromeniũ occupat, 519,17. hostiliter in regis triremem insilit, 529,19
Henricus Vintimilius, 468,55. Henricus Vintimilius proscribitur, 550,7
Hephæstiades insulæ, 2,26
Hera, 70,1,39.
Heraclea prius Minoa dicta, 28,2.125,51. 126,16 Heracleæ & Minoæ nomina cur confusa, 126, 47. quid differant, 126,34. Heracleæ etymõ, 126,42. situs, 126,21. cõditores, 126, 35.233,33.234,11. fortuna, 126,47.234, 12. granaria, 127,21. scopuli, 125,39. ruinæ, 127,11. Heracleam a Terranoua diuersam esse, 107,50.126,33
Heraclea porta, 198,51.227,2
Heracleia, sacra, 226,45
Heraclia, Hieronis filia, 346,37. misere necatur, 350,9
Heraclidis Syracus. audacia, 265,20
Heraclides Syracus. Dionysium fugit, 287,28. cum Dione se coniungit, 288,25.291,16. Dioni opponitur, 292,10.294,19.295,8. cæditur, 295,21
Heraclides Agathoclis filius, 315,18.325,49. occiditur, 326,16
Heraclidis astringitur Sicilia, 226,13
Herbertus Siciliæ præses, 450,26.452,51. fugatur, 453,11
Herbesus siue Herbessus, 32,54.208,54.210, 42.351,11. Herbesi in Sicilia duæ, 210,45
Herbesus fons, 141,3,19
Herbesus lacus, 143,26
Herbita, 206,8
Hercules quibus conditionibus Erycinos sibi adstrinxerit, 126,37. apud Agyrinæos quæ gesserit, 198,37. diuini numinis titulũ admittit, 226,31. Herculis columnæ, 225,14. lauacra, 175,30.178,3.225,36. obitus, 227,6. apud Carthaginenſ. cultus, 317,45. simulacrum ex ære, 115,14. templum Agrigẽti, 115,12. Herculis res gestas uni perperam tribui, 224,5. Herculis facinora in Sicilia patrata AEgyptio esse tribuenda, non Græco, 224,33
Hercules plures, 224,17. Hercules AEgyptius, 224,19. Herculis AEgyptii patria, parentes, nomina, statura, res gestæ, 224,51.225, 8. Herculi Amphitryonidæ nimium tribui, 224,5,50. Hercules Græcus, 224,5,30. Hercules Manticlus, 40,10.235,13. Hercules Thasius, 224,22
Herculanus campus, 225,45
Hermanus Vmfredi F. 400,48
Hermion, 366,55
Hermocrates Syracusanorum dux, 253,31. 256,6. pacem inter Siculos facit, 250,30. hostes decipit, 267,50. in exilio quæ gesserit, 275,47. occiditur, 278,41
Herodoti locus explicatus, 110,17
Hescianus, Sarac. pontifex, 370,50
Hesperia palus, 100,28
Hesychius Hilarionis discipulus, 103,16
Hexacontaclinos Agathoclis domus, 81,28 83,6
Hexapylum, 43
Hicesia, insula, 3,27
Hiera, inſ. 379,13,44
Hierax, portus, 243,19
Hiero Gelonis frater Gelæ imperium accipit, 236,48. Geloni fratri succedit in imperio Syracuſ. 241,1,22. AEtnam condit, 37, 29. AEtnæus vocari vult, 242,17. Hieronis initio principatus vitia, 241,24. post morbum virtutes & res gestæ, 242,2. Eiusdem delatores, 87,20.243,13. hortus, 85, 15. obitus, 243,19
Hieronis iunioris ortus, 330,49. regnaturi præsagia, 330,52. virtutes, 331, 3. tyrocinium, ibidem, 9. ad regnum accessus, ibidem, 37. cum Carthaginensibus fœdus, 332,20. fuga, ibidem, 37. fœdus cum Romanis, ibidem, 54. erga Rom. fides, 333,52.345,11,37.346,13. erga Romanos munificentia, 345,51. munificentia erga Ptolemæum, 89,24. magnificentia in structuris, 346,20.81, 43. ædes, 77,18. nauis, 88,8. sententia de vita priuata, 346,27. uxor & liberi, ibidem, 34. obitus, ibidem, 46 343,41
Hieronesus, 553,41
Hieronymi Barbati conciones, 172,14
Hieronymus Fuxa, 347,21. in-
Hieronymi Syracuſ. regis tutores, 347,21. in-
solentia, ibid. 37. fœdus cum Carthag. 348, 12. cædes, 348,32. numismata, 90,43 103,10
Hilarion in Siciliam venit, 179,
Himera flu. 27,31.108,47. & 29,27. 24 277,43
Himeræ fœm. visum, & cædes,
Himera urbs, 29,25.177,41. Himeræ etymon, 177,44.178,7. conditores, 23,34. 233,31. effigies, 175,46. fortuna, 178,8. clades,

elades,241,51. tyranni,178,20. detio, 275,36
Himerenſes ab Hamilcare obſidentur,237,55. ab Hierone produntur,241,47. Himerenſium ſermo, 23,37
Himilco Dionyſium vincit,282,30. e Sicilia fugit, ibid.38
Himilco Carthag. contra Agathoclem dux, 324,21. contra Romanos,339,35.342, 12.contra Marcellum,353,37.Murgantiã capit,354,14. Agrigentũ ſe recipit,355,6
Hippacra, 322,20
Hippacritis arx, 323,2
Hippana, 33,45.336,21
Hipparchi, 86,46
Hipparinus Dionyſii collega & fautor, 278, 20.279,5
Hipparinus Dionis filius, 291,12
Hipparis fl. 27,20.106,14,32
Hippo Meſſanæ tyrannus,40,31. occiditur, 304,25
Hippo,opp. 327,44
Hippobotæ Chalcidenſem remp. adminiſtrãt, 48,26
Hippocrates Gelæ tyr.236,1. Hippocratis in Zanclæos perfidia, 234, 42. filii,236,34
Hippocrates & Epicydes Syracuſ.348, 20. Syracuſas turbant, 349, 26. creantur prætores,350, 20. Romanos criminantur,ibid.31. Leontii oppugnantur,351, 11. Syracuſanos milites a Romanis alienant,351, 24, 55. præturam Syracuſis ineunt, 352,21
Hippocrates Leontinis auxilio mittitur,350, 41. fictis literis Syracuſ. milites decipit, 351,39. a Marcello profligatur,353,55. Criſpinum fugit, 357,3
Hirminius fl. 27,12.104,32
Hiſpalus rex, 225,21
Hiſpanorum militum occiſio, 552,1
Hocobus Saracenorum dux, 379,21
Hodæporica huius operis pars, 188,6
Homeri ſententia de Cyclopibus, 219,14
Homotermon, 72,15
Honorius II. Pont. Rom. 406,50
Honorius III. Pont. Rom. 438,13
Horologii inuentores, 24,48.&58,32
Hoſterium, 78,2.166,55
Hucobus,Sarac. dux, 370,24.379,21
Hugo Empurius,463,53.468,43. Catanæ præficitur,471,37. ablegatur,472,10
Hugo Falcandus, 426,54
Hugo Gozecta,401,19. occumbit,401,33
Hugo Montecatinus Siciliæ prorex,551,33. 552,12,55. nimis ſecurus,553,19. proceribus & plebi inuiſus,553,26. Meſſanam abit,554,40. cauſam ſuam apud Carolum agit,555,48. regiæ claſſi præfectus occumbit, 561,18
Hugo Panormit. Archiepiſc.410,55.cũ Maione conſpirat,411,5.inter regis familiares recipitur,411,7. a Maione alienatur,417, 10. Maionis dolos eludit,417,45. moritur, 419,24
Hutmenus,Sarac.pontifex, 370,22
Hybla,233,7,12. poſt Megara dicta,69,46. 70,22. duplex,70,2. triplex,69,52. minor,31,54.108,32.111, 20.196,52. minima, 32,45.70,37.208,29
Hyblæi,69,48,55.70,17,24.diuinatores,70, 8.Hyblæa dea,70,6,35. Hyblæum mel,15, 48.71,3. Hyblæi montes, 71,3
Hyblo,233,6. Hyblæ conditor, 69,47
Hyccara,opp. 21,45.29,1. 145,37. 147,3. capitur ab Athenienſibus, 254,49
Hydra,opp. 207,41
Hylli proceritas, 20,35
Hypſas amnis, 28,10.131,35
Hyria, 230,34

Iacobus I. Petri I. filius,456,1,43.motus abſente patre cohortos ſedat,456,53.coronatur,460,19.in Caietam mouet,461,32.in Calabriam redit,462,30. in Aragoniam traiicit 462,38. Siciliam Carolo renuntiat,463,7. Catalanos & Aragonas ad ſe reuocat ex Sicilia,463,50. in Siciliam contra fratrem traiicit,468,3. Neapolim repetit,469,3. in Siciliam cum claſſe redit,469,20. in Cataloniam non ſine infamia reuertitur, 470,40
Iacobus Aragonenſis Petri regis frater,459, 25
Iacobus Camagna,568,45.proditionis ſuſpectus, 569,3
Iacobus Caudola, 541,42.543,37
Iaimus Petri I. ſpurius, 455,30
Ianus bifrons, 220,34
Ianus,Noe,218,8.220,28,32,37. Italiam regit,221,19. Iani vxor & liberi,220,38
Iapetus,Noæ F. 220,47
Iapyges, 230,34
Iarretta Siculis ſcaphaeſt, 61,46
Iarretta fl. 61,44,54
Iaſius, 222,39
Iaſpis,17,29. Iaſpidis & porphyritæ lapicidina, 192,44
Iatum, 212,52
Ibycus, 44,36
Icetas philoſoph. 92,30
Icetes Leontinorum tyrãnus Syracuſis inhiat,

297,36. Dionysianos cædit, 297, 53. a Timoleonte vincitur, 299,4. Syracusis exuitur, 300,35. 301,15. pacem cum Timoleonte facit, 302, 21. a Timoleonte deficit, 304,43. capite pœnas luit, 305, 8. Icetis vxor & filiæ, 305,11
Iesuel, Saracenorum dux, 370,54
Ietas seu Ietum, 212,51
Ietum opp. 131,49
Igniuoma loca, 2, 36. & 3,31, 55. & 4, 12, 43. & 6,6,24. & 7,42. & 14,2. & 53,1. Igniuomorum locorum causa, 5,3
Imagines hominum, animalium & aliarum rerũ super mari in aere apparentes, 37,47. 103,24. 104,9. 147,9. earumque causa, 37,52
Imperator Rom. archiepiscopales & cæteras dignitates confert, 438,28
Imperatoriana factio, 561,22. opprimitur, 563,4
Imperii Romani partitio, 374,19
Inarime insula, 5,52
Incendiorum subterraneorum causa, 56, 8,16
Incubus, 221,1
Indigemines, 348,26. a Romanis remuneratur, 360,43
Inedia quamdiu tolerari possit, 6,30
Inessa, 31, 52. 197,7. & 58,2
Infans tria habens capita, tria pectora, sex brachia & totidem pedes, 131,22
Infans, dignitatis nomen, 456,43
Infantissa, 505,39
Inferiæ Syracusanæ, 87,31
Ingenia pro aeris varietate variant & ipsa, 24,24
Ingiuni portus, 194,41
Ingluni promont. 64,29
Inicus Claudus, 547,3
Innesa, vrbs, 58,2. 190,20. 197,8. 244, 39
Innocentiæ vltæ exemplum singulare, 425, 41
Innocentius II. pont. Rom. 407, 1. moritur, 407,49
Innocentius III. Pont. Rom. 437,27
Innocentius IIII. Pont. Rom. 443,26. moritur, 445,38
Insula, Syracusarum pars, 74,41, 53. 75,3. eiusdem magnitudo, 78,8. fontes, ibid. 11. portus duplex, 75,23. Insula Syracusana habitari vetatur, 359,3
Insula repente enata, 3,28. insulæ e mari per terræ motum enatæ, 13,44. insulæ a continenti auulsæ, 13, 40. insulæ mari ablatæ, terrisque iunctæ, 13,2
Integritatis & iustitiæ exemplum singulare, 534,47
Interpontificium, 443,18. 445,40
Inuidiæ fructus, 361,25
Inyctus, 27,13. 105,9. Inyctum, 208,30
Io & Isis, eadem Ceres, 221,28. 222,29
Ioachimus Abbas, fatidicus, 409,17
Iolaus, 198,28. Iolai colonia in Siciliam, 227, 7. templum & sacra, 198, 45. 226,41 226,45
Iolaia sacra, 198,33
Iolenses, 490,44
Ioanna regina Neapol. 490, 31. pacem cum Ludouico Siculo facit, 528,52
Ioanna II. Regina Neapol. pacem cum Friderico Siciliæ rege facit, 534,40,43
Ioanna Ladislai soror, regina Neapolis, Alfonsum Siciliæ regem adoptat, 540, 24. pacem cum Ludouico Andegauensi facit, 541, 45. auxilia a Philippo Maria impetrat, 541, 51. Ludouicum adoptat, 542,52 542, 1. moritur,
Ioannæ Pancicæ mira fæcunditas, 124, 22
Ioannes Aragoniæ rex, Alfonsi frater, 543, 14. Aragoniæ & Siciliæ rex, 547, 42. 548,43. filio grauiter irascitur, 549, 17. bella quæ gesserit, 549, 24. moritur, 549,41. Eiusdem vxores & liberi, 548, 46. 549, 12. virtutes, 548,49. vitia, 549,5
Ioannes Fridericiregis filius, Marchio Randatii, 483,28. 486,31. a Paliciis traducitur, 488,3. benigne a fratre excipitur, 488, 42. nepotum tutor regnum administrat, 489, 20, 33. pacem inter Ludouicum & Ioannam reges facit, 490, 44. moritur, 491,2 548,23
Ioannes, Renati filius, 485,27
Ioannes XXII. Pont. Rom. 480, 2. abrogatur, 494,35
Ioannes Aragonius, 381,51
Ioannes Asicretus, 98,48
Ioan. Aurispa, 408,
Ioannes Barresius a Friderico deficit, 27,54
Ioannes Brenna, 439, 3. 440, 2. Rauennæ exarchus, 440,29 470,52
Ioannes Callarus, occiditur,
Ioannes Caraciolus, 540, 55. 542,52
Ioannes Claromõtanus, 468, 14. 480, 31, 34
Ioan. Claromõtanus iunior exsulat, 482, 33. in Franciscum Vintimilium cum Paliciis cõspirat,

spirat,484,10. in gratiam recipitur,485,3
Ioannis Craston auaritiâ punitur, 546,25
Ioannes Curopalates, 376,3,19,25.153,41
Ioannis Floriaci stratagema, 481,54
Ioannes Galeatius Virtutum Comes, 529,51
Ioannes Gattus, 45,25
Ioannes Landolina,495,16. Neetũ recuperat, 507,43. occiditur, 522,8
Ioannes Lauria, 466,26. capitur, 468, 51. necatur, 469,7
Ioannes Lucas Squarcialupus,556,9. nouas turbas molitur, 559,44,48. confoditur, 560,11
Ioãnes Luna Siciliæ præses,555,44. Panormo excedit, 558,25
Ioannes Magna,489,35. pœnas dat, 490,28
Ioannes Mangiauacca, 519,23. 520,17,48
Ioan. Marrasius, 99,15
Ioannis Mazalonis cædes, 380,38
Ioannes Montecatinus, 535,55
Ioannes Nasus, 154,11
Ioannes Pilatus, 381,51
Ioannes Prochyta,450,42. Siculos sollicitat,451,54. creatur Cancellarius, 456, 45. 461,23. Constantiam & Iolandam deducit, 466,18
Ioannes Rata, Casertæ Comes, 447,49
Ioannes Sanremigius,Caroli I. præfectus,450, 26. fugit,452,38. occiditur, ibid.43
Ioannes Syracus. iurecons. 510,22
Ioannes Vincentius Imperatorius, 561,22,32. pœnas luit, 563,9
Ioannis Vintimilii astutum facinus, 77,45. virtus, 543,33,41
Ioannes Vitellensis Cardinalis, 544,10. interficitur, ibid.19
Ioannitarum equitum migratio in Melitam, 9,12. virtus, 9,16. remissio, ibid 28
Ioaria, 155,39
Ionum colonia in Sicilia, 234,28
Iordanus duos lacus incorruptis vndis tranat, 79,29
Iordanus Rogerii F. Troynæ præfectus,401,22. a Saracenis profligatur,401,33. Saracenos vlciscitur,ibid.49. patris absentis vicem gerit,402,20. a patre in gratiam recipitur,402,49. Neeto præficitur, 404,4. moritur, 404,17
Iordanus Rogerii Nortmanni nepos, 404,39
Iotalinum vinum, 15,24
Iporus fl. 27,20.106,14
Irlandia, 10,5
Isabella Renati vxor, 544,10
Isburus fl. 28,5.128,1
Isla insula,5,51. oppidum, 6,15,20
Isis & Io,eadem Ceres, 221,28. 222,29
Ismaelitæ, 369,36
Isnellus, 33,53.192,41
Itâla,opp. 46,4
Italiæ præsides Saturnus & Ianus, 221,18
Italicum ius, 133,23
Italus, 85,36
Itycensium fortitudo & clades, 323,4
Iudica,opp.31,54.197,5.& 70,19. Saracenis Zotica, 401,37
Iudicellus fl. 26,4.61,20
Iuliana, 213,42
Iulietta Rogerii Comitis F. 130,22
Iunii cos. Rom. in Siciliam expeditio,341,54
Iunonis Laciniæ simulacrum & templum, 115,45
Iunus, 221,1
Iupiter Olympicus, idem & Osiris, 221, 43. magnifice a Selinuntinis cultus,133,7. Iouis Olympii famulatus apud Syracus. 86, 52. 301,33. Iouis Olympii sacerdos vt eligi solitus apud Syracus. 87, 1. Eiusdem simulacrum auro amictum, 96, 50. templum Achrad. 81,41. templũ Agrigenti, 114,36. Iouis Imperatoris simulacrũ, 81,47. Iouis Liberatoris statua & festũ, 87,23. 244,2
Iurantium ritus apud Syracusanos, 86,28
Iurati, 21,21. 168,40
Iurisconsultorum error notatus, 124,42
Iustinianus Imper. 366,37. 367,17. nouas in Siciliam copias mittit, 368,30
Iustinianus Venetorum Dux, 378,16
Iustitiæ exemplum singulare, 534,47
Iuuenalis poetæ locus explicatus, 74,17

Kemonia Panormi, 165,9

Labdalum, 83,6
Lacedæmonii Syracusanis auxilia mittunt, 256,3.258,40. 260,52
Laches, 248,47
Lacus miraculosus, 38,24
Lacus Siciliæ miraculosus, 19,15. lacus oleum gignens,124,45. sulfureus, 125,29. 143, 25. venenatus, 63,48
Ladislaus Dyrrhachinus, Neap. rex, 540,25
Læstrygones, 218,36. Læstrygonii cãpi, 65,7
Læuini Cos. in Siciliam accessio, 361,18
Lais, 146,9
Lamachus Athen.252,37,42. frenesi corripitur,257,25. occumbit, 258,8
Lamellum,ins. 459,50
Lamia,207,5. Lamiæ specus, 322,18
Lamis Megarensis, 233,1
Lampedusa insula, 7,19
Lampichus Gelæ tyrannus, 110,44

Lampis Megarenſis colonos in Siciliam ducit, 23,14
Landulfus Longobard. dux, 380,41. 383,47. 385,26
Lapicidina renaſcens, 129,2
Lapides vnde fiant, 129,15,19
Lapideſcentes aquæ, 19,27,29. arenæ, 43, 37. fons, 125,2. 129,13. lutum, 4,54. planta, 17,32. lapideſcentium fontium cauſa, 129,13
Laruneſiæ inſulæ, 7,36
Latii ſeu Latinitatis ius, 362,21. 196,22
Latius & Antiphemus fratres, 110,8
Latomiæ ſiue Latumiæ, 82,16. latumiæ Selinuntinæ, 134,55
Latomia Africæ, 315,55. 316,41
Lauinia vrbs, 231,37
Lauphis caſtell. 99,23
Laurentius Murra, 497,13
Leo lapideus ingens, 109,32
Leo Corinthius, 300,34
Leo, Imp. Conſtantinopol. 380,25
Leo Apoſtypa, 378,45
Leo Opus Conſtantinop. Imp. præfectus, 382, 51. 383,38
Leo III. pont. Rom. 374,12
Leo IX. pont. Rom. 389,2
Leon, locus, 83,24
Leonidas Spartanus Dionyſio opem fert, 282, 24
Leontii ſitus, 65,1,54. antiquitas, 65,3. incrementa, 65,35. incolæ, 65,5,14,20. ciues præ cæteris clari qui fuerint, 66,28. arx, 65,26. colles & valles tres, 65,54. vectigale piſcibus, 66,12. vaſtatio, 65,42
Leontini ab Athen. auxilia contra Syracuſ. petunt, 248,30. funduntur, 250,10. pacẽ cum Syracuſ. faciunt, 250,26. noua ſeditione ſcinduntur, 250,40. auxilia ab Athen. denuo petunt, 252,26. Leontium capitur ab Artale Alagona, 525,34
Leontini agri fertilitas, 65,36. 66,19. Leõtinum emporium, 26,11. 64,26. Leontinus lacus, 64,19. Leontinæ nundinæ, 66,17
Lepas, 83,22. 268,30
Lepidus Siciliam occupat, 365,9. perpetuo exilio mulctatur, 365,21
Lepores in Siciliam illati, 17,38
Leptines Dionyſii ſenioris frater, 279,46
Leptines Agathoclis dux, 324,42. 325,2
Leuanſus inſula, 6,52
Leucachates, 17,20
Leucopetra, 13,30
Leucoſia, 3,45
Libera, 368,32,43
Liberius Iuſtiniani dux, 204,14
Libes, 323,25. Libyum in Siciliam profectio, 231,38
Libidinis & petulantiæ fructus, 87,42
Libophœnices, 323,24
Libyæ nationes quatuor, 323,23
Libyſtinus Apollo, 103,7
Licatia, 50,10
Licodia, 32,20. 207,42
Lilybæum promont. 28,25. 136,23,53
Lilybæum vrbs, 28,25. 136,34. Lilybæi fortuna, 137,14. obſidio a Romanis, 340,10. reliquiæ, 136,51. 137,16
Lilybætani aquæductus, 136,1. 137,3
Lilybæus puteus, 136,46
Lilymas rex, 318,52. 319,10
Limoſa ſcaturigo, 19,13
Lindus, 110,18. Lindii, 110,14
Lingua groſſa, 189,27
Lingua Phari, 38,48. & 43,11
Liodorus magus, 59,45
Lipara, 2,28. quibus paruerit, 2. & 3. ab Agathocle compilatur, 327,46
Liparæ vrbis ſitus, 568,5. expugnatio, 568, 33. inſtauratio, 569,12
Liparææ inſulæ, 2,26
Liparius, 2,48. 227,24
Liſcablanca, 4,6
Liuii error, 37,44
Locrenſes vt a Dionyſio minore tractati, 285, 2. in vxorem & liberos tyranni expulſi iram vertunt, 285,26
Locuſtæ, carabi, 138,27
Locuſtarum terrificum agmen, 512,22
Logæus lapis, 72,17. 75,4
Logia Panormi, 167,53
Lognina ſtatio, 26,34. 50,7. 53,38. 97,13. 194,39 199,11
Lombardia, Agyrii regio, 24,9
Lombardorum oppida in Sicilia, 331,33
Longanus fl.
Longobardi Nortmannorum in Saracenis expugnandis ſocii, 391,29. 392,23. Longobardorum colonia in Siciliæ Scupello & Corilione, 211,28 208,31
Longobardum, opp. 26,51. 102,34
Longobardus portus, 26,34. 97,12
Longum promont.
Lotharius Imp. Innocentium II. reſtituit, 407,40
Lotophagitis inſula, 7,7. 338,27. 482,54
L. Valerii in Siciliam expeditio, 334,47. Cætera in gentilitiis nominibus quære.
Luctatii coſ. in Siciliam expeditio, 343,32. victoria,

victoria, ibid.50
Ludouicus II. Imp. Rom. 378,12
Ludouicus Bauarus, Rom. Imp. 481,25
Ludouicus Galliæ rex e Saracenorum manibus liberatur, 408,17
Ludouicus Francorum rex, ad Tunetum moritur, 449,29,44
Ludouicus XII. Francorum rex Neapol. regnum armis quærit, 551,4. amittit,15
Ludouicus Andegauensis Dux, 540,28. pacē cum Ioanna facit, 541,44. a Ioanna adoptatur, 542,1. moritur, ibid.45
Ludouicus Calabriæ Dux, Roberti Regis F. 480,26. Cætera vide in Aloysius rex Neapol.
Ludouicus Petri regis F. 486,2. coronatur, 489,25. pacem cum regina Neap. facit, 490,44. in Matthæi Palicii curam reditur, 492,33. prouincias obit, 500,34. Claromontanos & cæteros rebelles impugnat, 503, & deinceps. moritur, 513,2
Ludouicus Sforția, 540,51. pellitur, 541,27
Ludouicus Turingiæ Landgrauius, 439,55. moritur, 440,5
Ludouicus Vngariæ rex filii mortē vlciscitur, 490,35
Lunæ in mare imperium & efficacitas, 37,14
Lunensis familia, 532,20
Lupus literas tabellario dormienti surripit, 289,23
Lupus, poeta, 44,33
Lupus Simenius Durrea, Siciliæ prorex, 546, 32.547,18. & 77,40
Luitrechus Francisci Gallorum regis dux, 561, 15. moritur, 564,17
Lutrocus, Daniæ rex, 384,18
Lycasta, 139,3. Venus, 223,47
Lycisci cædes, 320,30
Lycodia, 207,42.32,20
Lycon Syracus. 296,11
Lycus, Messan. 44,32
Lycus fl. 28,4.127,16. Lyciortus, 127,43. ostium, 127,34
Lycus fons pestilens, 66,25
Lygdamus Syracus. 95,24
Lymbetra 26,22.69,9
Lysias orator, 93,11
Lysimelia palus, 85,4. 265,52

MAcella, vrbs, 33,36. 336,15
Machara vrbs, 26,43. 100,50. Macharensis ager, 101,16. Macharenses lapicidinæ, 100,38. Macharensis sinus, 100,44
Mactorium, 108,33. a Mazareno diuersum, 208,25. Mactorii situs, 111,20
Madiunis fl. 28,15. 134,14
Madonia mons, 192,26
Magellinum, 206,40
Magia damnata, 60,4
Magister Iustitiarius, 533,25
Magna ciuitas Africæ, 316,29
Magnus fl. 482,39
Magonis mors & liberi, 282,16
Mago Iceti se adiungit, 300, 27. a Corinthiis eluditur, ibid. 40,54. in Libyā redit, 301, 5. crucifigitur, 302,14
Mahdi, 371,3
Mahdia, 371,5. 372,32. Mahdiam recuperat Carolus, 569, 22. funditus delet, 569,25
Mahometus, 369,55
Maionis ortus, 410,44. ingenium & vitia, ibid. conatus & machinationes, 410, 53, & deinceps. cædes, 418,30. virtutes, 426,3
Malacenus, Constantinop. Imp. præfectus, 381,37
Malgerius, 420,34
Malta ins. 7,53
Maluicinus, turris, 47,16. 504,14
Mamercus Catanæ tyrannus Timoleontem iuuat, 299,31. a Timoleonte deficit, 304,43. pœnas luit, 305,34
Mamers, 40,37
Mamertini, 328, 20. Messanam occupāt, 328, 30. & 40,35. a Pyrrho superantur, 329,43. 330, 26. superantur ab Hierone, 331,34. Romanorum opem implorant, ibid. 50. Mamertina vineta, 46, 9. Mamertinum vinum, 15,19
Mamudi Saraceni, 415,2
Mandra, 192,35
Manescalcus fl. 482,39
Manfredonia opp. 445,46
Manfredus Friderici I. spurius, 444,30. Tarenti princeps, fratris absentis vicarius, 445,11. astute regnum ambit, 445,30. rex coronatur, 446, 42. occumbit, 447,40
Manfredus Claromontanus a Gallo ad Siculos deficit, 460,26
Manfredus Claromontanus Leontii & Syracusarum præfectus, 496,4. 498,26. Bicinum occupat, 499,37. Leontinam cladem vlciscitur, 507,11. Syracusas amittit, 510,40. Leontium amittit, 526, 1. Messanæ præfectus, 526,47. Artalem eludit, 528,4. Friderico reconciliatur, 528,46

Manfredus Claromontanus Panormi præfectus, 497, 6. 506, 22. Aloysio fidem iurat, 520, 2. de vicariatu cum Artali contẽdit, 529, 37. moritur, 530, 33.
Manfredus Lancea, 457, 53
Manfredus Malecta, 470, 45
Manfredus Modica, 503, 2
Manghisi inſ. 26, 26. 71, 29
Manghisi fl. 97, 21
Maniacis arx, 75, 28. Maniacis turris, 77, 34
Maniacium, 31, 31. 189, 44
Manicelli clades, 382, 17
Manisalcum littus, 486, 12
Manticlus, 40, 2, 10. 235, 12
Manumuza fl. 27, 24. 107, 44
Manus ferreæ, 266, 27. 320, 20. 335, 50
Maracus Syracuſ. 92, 18. 200, 50
Marcellinus fl. 26, 19. 67, 55. 68, 53. 69, 2
Marcellus in Siciliam traiicit, 350, 26. Leontinos capit, 351, 9. innocens traducitur, 351, 18. 352, 1. oppugnat Syracuſas, 352, 36. obſidionem Syracuſ. ſoluit, 353, 30. Syracuſas capit, 356, 1. tota Sicilia potitur, 358, 55. Hannonem vincit, 359, 33. Engyum capit, 360, 11. Syracuſanis ſpoliis Romam ornat, 360, 16. triũphat, ibid. 30. accuſatur, ibid. 46
Marcellorum apud Syracuſanos honor, 361, 3
M. Antonius Columna Franciſci Gallorum regis dux, 561, 29, 46. moritur, 562, 9
Maretimus, inſula, 6, 46
Margana arx, 216, 30
Margaritæ Henneburgenſis Comitiſſæ partus admirandæ fœcunditatis, 124, 31
Margarita Teutonica 489, 31. nubit Matthæo Palicio, 492, 29. occiditur, 502, 7
Marium æſtus & profunditates diuerſæ, 37, 31
Maria Friderici III. & Conſtantiæ Aragoniæ filia, 528, 43. patri defuncto ſub Artalis tutela ſuccedit, 529, 34. Martino vxor datur, 530, 9. ex mœrore moritur, 532, 48
Mariana factio in Sicilia, 363, 49
Marius Burellus, 415, 52. fugit, 424, 50
Marocci regni etymon & regiones, 371, 47
Marſala fl. 28, 23. 135, 52
Marſala vrbs, 28, 27. 137, 16
Marſyas a Dionyſio occiditur, 279, 50
Martinus I. 530, 9. Maria ducta regnum occupat, 530, 28. Blancam Nauarrenam ducit, 532, 53. Sardiniam recuperat, 533, 11. moritur, 538, 13
Martinus Montis albi Dux, 530, 10. cum filio in Siciliam nauigat, 530, 18. in Aragoniæ regnum ſuccedit, 532, 41. filio defuncto in Siciliæ regno ſuccedit, 533, 14. moritur, ibid. 16.
Martinus IIII. Pont. Roman. 451, 41. 457, 22 483, 13
Martinus Coxa, 473, 10.
Martinus Peris, 77, 21
Maryhectum caſtrum, 27, 1. 103, 34
Marza, 137, 19
Marzala, 26, 46. 101, 21
Marzamenus ſtatio & inſula, 49, 50. 58, 7
Maſcalis, 26, 33. 97, 9
Maſſa Oliueria, 8, 11
Maſſaniſſæ religio, 541, 48
Maſsilia capitur ab Alfonſo, 195, 30
Matéres, deæ, 263, 37
Matildis, 195, 13. 330
Matres, deæ, Maionem interficit, 418, 24. apud regem traducitur, 419, 26. in regem conſpirat, 420, 27. in gratiam recipitur, 423, 19. capitur, 423, 40. miſere mulctatur, 423, 47
Matthæus Bonellus, 416, 32.
Matthæus Caciola, 504, 9
Matthæus Notarius, 418, 19. functionis reſtituitur, 423, 26. Maionis mores imitari conatur, 425, 55. Cancellariatus ſpe fruſtratur, 428, 40. in vincula coniicitur, 429, 30. erumpit, 430, 44
Matthæus Palicius, 484, 15. inſolescit, 486, 29. 487, 54. exulat, 488, 55. reuocatur, 491, 10. Margarita Teutonica ducta pecunias colligit, 492, 30. pacem cum Blaſco facit, 495, 25. 500, 9. perfidus & inſidiator, 501, 18, 23. pœnas dat, 502, 10 514, 49
Matthæus Ruſticus, Matthæi Sclafani ædes, 158, 5 469, 1
Matthæus Sclafanus, 497, 7.
Matthæus Thermita, 159, 32
Mauſolea Panormitana, 19, 11
Mayharucæ agri miracula, 28, 5. 128, 2
Mayhaſolus fl. 19, 21
Maymonis fons miraculoſus, 28, 19. 135, 45
Mazaras ſeu Mazarus fl. 28, 18. 135, 23. 214, 37. di-
Mazara opp. uerſa a Selinunte, 133, 29. Mazaræ porta Panormi, 135, 37. Mazaræ regio ſeu vallis, 135, 40. 188, 39. 209, 40. Mazaræ ſtagnum cur veteribus fluuius dictum, 135, 44. Mazaram ex Saracenis recipit Rogerius, 401, 17 133, 39 123, 8
Mazarenſium error,
Medicinæ generatria, Medi-

Mediterranei maris æstus, 37,15,31
Megara, 26,23.69,22.233,8. diuersa ab Augusta, 69, 27. Megaræ conditores, 69,40. antiquitas, 69,44. incrementa & decrementa, 70,46. Megarenses compescit Gelo, 236, 52. Megarensium qui præcæteris claruerint, 71,6
Megarensium Græciæ in Siciliam migratio, 69,42. colonia, 233,1,10
Megaricus sinus, 68,26
Megaris, 69,35,38
Mel Siciliæ præstantiss. 15,47
Melancholia & dæmonio agitari non idem, 200,29.201,35
Melanippus & Chariton, 118,20
Meles Barensis, 382,24
Meligunis, 2,29. vnde dicta, 3,23
Melillis, oppid. 21,38.71,1,22
Melisti orbi desperatum facinus, 73,9. vltio, 73,55
Melissus vicus
Melitæ urbs, 72,40
Melita ins. 7,53. barbara cur dicta Lucæ, 8,46. Paulo sacra, 8,35. scorpionum & serpentum venena retundit, 9,4. quib. paruerit, 8,19. Melitæ incrementa, 9, 11. Melita duplex, 8,7,41
Melitensium lingua, 8,29
Melitæi catuli, 8,5
Melitadæ, 23 36
Melochiæ, 225,47
Mena Pompeii libertus, 364,43
Menæ, 32,14.206,47
Menænum, 206,48.246,21
Menander Syracusanus ab elephãto adamatus, 88,5
Menecrates medicus Syracus. 92,11
Menecrates Pompeianæ classis præfectus, 364,45
Meneum a Nea diuersum esse, 98,33
Meninx insula, 7,8
Mentor Syracusanus, 87,52
Mercurii promont. 137,13
Mercuriorum truncatio, 253,11
Mericus Hispanus, 358,8. remuneratur a Romanis, 360,38
Merionis in Siciliam aduentus, 231,45
Mesopentecoste, 387,33
Messalæ cognomen vnde meruerit Valerius Corvinus, 41,34
Messanæ situs, 43,2. conditor, 23,33.40,6. etymon, 40,6. incrementa, 40,18.235, 18. prouentus qui, 43, 40. structuræ, 43,45. erga Romanos fides, 40,47. a Romanis defectio, 41,32. in Arcadium Imp. fides, 42,28. priuilegia a Romanis accepta, 41,3,13,37. priuilegia ab Arcadio Imp. accepta, 42,36. gloria ex Saracenorum expulsione, 42,42. insignia, 42, 37. Messanæ qui claruerint, 44,22
Messanenses Nortmannorum opem implorant, 390,38.391,23. expugnantur ab Anglis, 434,30. vrbem strenue contra Gallos tuentur, 454,1. Gallos cædunt, 455,5. Messanenses quibus paruerint, 40,20
Messanensis freti æstus cur tanti, 37,36
Messanenses pagi, 45,45
Messapii, 230,34
Messenæ Siculæ conditores, 40,7. Cætera vide in Messana.
Messenii in Siciliam e Peloponneso traiiciũt, 39,28. & 40,2.235,3
Mestretta, 182,22
Metallorum diues Sicilia, 17,5
Metelli victoria & triumphus, 339,19
Meton astrologus, 253,1
Mezentius, Imper. 373,45. occiditur, ibidem, 52
Michael Balbus, 374,25,44.376,47
Michael Calaphates, 387,44
Michael Palæologus, 451,5,19
Michael Paphlago Constant. Imp. 382,54. auxilia Apolofaro mittit, 383,28
Michelettus Gatta, 453,6
Michelottus, 378,25
Micythus, 235,15. Anaxilæ liberorum tutor, 40,25. Micythi laus, 40,15
Milacium, 30,23.187,16
Militellus opp. 32,18.207,39
Millias fl. 26,19.69,1
Minervæ Iulianæ, 213,46. Nisenses, 46,19
Minervæ scutum inauratum in fastigio templi Syrac. 76,24. templum in Syracusarum Insula, 76,23
Minoa, 230,22.194,46. post Heraclea dicta, 28,2.125,50.126,16. Minoæ & Heracleæ nomen cur confusum, 126,47. Minoæ conditores, 125,52
Minos Dædalum ad vindictam poscit, 229,10. dolo perimitur, ibid. 47. Minois sepulcrũ, 230,11
Minotauri effigiem gerentia numismata, 108,7
Mirabilia Siciliæ, 19,2
Miracula quid a præstigiis differant, 60,15
Miranda fl. 26,37.97,28
Misilimeris, 210,16
Misilimir, 398,18
Misistratum, 34,10.193,5 Mistretta,

Miſtretta, 34,10.193,7
Mola, arx & oppid. 47,10
Mollium inſula, 7,36
Molochus, 385,38
Monalus fl. 29,35.181,25
Mongibelliſius, 83,13
Mongibellus, 50,25
Monomachia gladiatoria, 87,30. Vide & Duellum.
Mons e mari enatus, 14,2
Mons Albanus, 34,29.193,46
Mons Drepani, 28,41.140,3
Mons mellis, 210,37
Mons regalis, opp. 170,50
Mons roſarum, 211,19
Mons S. Iuliani, 28,40.140,4
Montanerii Soſæ ſtratagema, 473,53.474,36
Montiſori, 183,9
Morea, inſula, 10,17
Morgantum, 26,9.64,36
Morgentium, 228,42. Morgentii conditores, 23,49
Morgetes pop. 64,42.228,41
Moriella ſalina, 26,47.101,40
Moſchus Syracuſ. 92,29
Motya, 29,5.147,14,19. 171,31. 226,17. 272,19. Motyæ in Sicilia tres, 147,37. Motyanos infeſtat Hermocrates, 276,3
Motyca, 208,32
Motycanus fl. 27,10.104,25
Motye, 26,52.102,46
Motyon, opp. 23,48.246,36,55
Muchauia Sarac. pontifex, 370,40
Mulei, Afris rex eſt, 372,52
Mulei Aſſenis reſtitutio, 565,1. noua clades, 567,47
Mulierum agmen tumultuans, 501,48
Mungelinum, 206,39
Muniuffus fl. & pagus, 46,37,40
Muræna Meſſanenſes, 38,3
Murgantia, 26,9.64,37
Murgentium, 26,9.64,36. Murgentina vua, 15,28
Murgus, ager & arx, 64,33
Murus Carini, 29,2.145,42
Muſarra, 53,49. & 54,2
Muſcatellæ vuæ, 15,14
Muſeus, Sarac. dux, 370,43
Mutines Carthaginenſium contra Rom. dux, 359,8. Siciliam populatur, 361,9. Agrigentum Læuino prodit, ibid.29
Mylæ, 30,23.187,15
Mylas fl. 187,17,47
Mylenſis ager, 187,28
Myſcellus oraculum conſulit, 73,24. Crotonem condit, 73,33 85,14
Mythos, hortus Hieronis, 481,39

Actuni opp. exuſtio, 207,9 279,42
Naphthia, lacus, 19,15.32,16.63,1.
Narſæus Dionyſii filius, 210,50
Narus,
Naſares Græcorum contra Saracenos dux, 378,42 74,53
Naſos, Syracuſarum pars, 30,8.185,2 88,9.
Naſus fl. & opp.
Nauis ſtupenda fabrica, 32,9.206,21.
Naunis, 26,41.100,43
Nauſtathmus,
Naxus vrbs, 232,21. vbi olim ſita, & a quibus condita, 48,13. Naxi incrementa & coloniæ, 48,37. obſidio, 249,48. euerſio & reliquiæ, 47,19. Naxi qui præ cæteris claruerint, 49,8. 49,2
Naxius ager,
Nea, ſeu Neæ, opp. 98,1,12. a Menæo diuerſa, 98,20. 98,33. Neæ conditor, 98,1.246,27.
Neæ, opp.
Neapolis capitur a Conrado Imp. 445,19. ab Alfonſo, 544,42 322,38
Neapolis Africæ, 165,8
Neapolis Panormi,
Neapolis Syracuſanæ etymon & deſcriptio, 84,36 318,23
Nearchus Agathoclis dux, 192,26
Nebrodes mons, 10,32
Necropolitus, vrbs, 98,14
Neeni,
Neetum, 98,1,15.194,25. Neetinorum qui præ cæteris claruerint 98,39 97,44
Neetinus ager, 46,10
Neptunius mons,
Neuſtria, 384,7. occupatur a Nortmannis, ibid.22 382,41
Nicephorus Carantenus,
Nicephorus Phocas Baſilii Imp. præfectus, 380,13
Nicephorus Phocas Imp. Conſtantinopolit. 382,13
Nicephorus Toxias Conſtantinopol. Imp. 374,17 378,32
Nicetas Oriſa, 394,54
Nichelis Saraceni dolus,
Nicias Athenienſis, 252,1,47. bellum Siculum diſſuadet, ibid. 2. dux belli creatur inuitus, ibid. 36. religioſus, 257,19. æger ſtratagemate hoſtes reprimit, 258,16. contemptu hoſtis rem perdit, 258,47.259, 31. literas ad S. P. Q. Athen. dat, 260, 40. turbatur, 265,15. ab Hermocrate decipitur,

decipitur, 267,55. calamitatem fortiter fert, 268,19. Gylippo se dedit, 269, 51. necatur, 270,31. Niciæ clypeus, 270,38
Niciæ Engyini æstus, 359,43. & 195,33. ergacines studium, 360,11
Nicodemus Archiepiscopus Panorm. 162,30. 400,3
Nicodemus Centurip. tyrann. 305,46
Nicolaus II. Pont. Rom. 389,26
Nicolaus III. Pont. Rom. 450,4. moritur, 451,40
Nicolaus V. Pont. Rom. 481,28
Nicolaus Abbas, 60,44. eiusdem nuptiæ funestæ, 494,28
Nicolaus Cæsarius, 501,44. rebellis, 503, 16. perfidus, 505,34. ad regem redit, 515,45. cum Messana ad Aloysiũ Neapolitanum deficit, 517,2. occiditur, 526,40
Nicolaus Palicius 476,31
Nicolaus Peraltus, 532,5.
Nicolaus Syracus. 270,26
Nicolaus Todiscus, 60,43
Nicolaus Vincentius Leophantus, 561,31. capitur, 562,36. hecatur, 563,34
Nicosia, 31,38.191,53
Nicotrum capitur a Saracenis, 401,7
Nili per lacum quendam lapsus, 79,26
Ninias, 222,2
Ninus, Assyr. rex, 220,5. Bactris potitur, 222,19
Nisa oppidum, 46,16
Nisiades, 46,17
Nisus fl. 46,13
Noe, 218,7.220,12. Noæ nomina & inuẽta varia, 220,26. vxor & liberi, 220,38
Nomades, 321,31.323,26
Nortmanni, 384,4. Nortmannorum fratrum origo & incrementa, 384,20. in Italiam accessio, 385,12. in Siciliam expeditio, 391,29. laus, 383,52. 385,15
Nortmanni equitis audax facinus, 398,50
Notus fl. 26,27.97,32
Notum opp. 98,2. Noti regio seu vallis, 188, 37.194,25
Nuceria Paganorum seu Saracenorum, 213,4. 442,34
Numidarum ingenium, & leuitas, 359,32,37
Numisma Messenion, 42,10. Cætera vide in oppidorum nominibus.
Nummi coriacei, 410,31.442,10.
Nuptiæ funestæ, 425,45.564,12
Nymphodorus, 312,46
Nypsius Neapolitanus, 292,35.293,25,55
Nysæus Syracus. 296,47

Oanus fl. 27,18.105,30.106,31
Oceani æstus gemini, 37,27
Ochula, 32,15.206,37
Octauius Sext. Pompeium vincit, 364,52. Lepidum superat, 365,19. Siciliam constituit, ibid.28
Oculus Cilicæ, 80,32
Oddo Camaranus, 211,19.442,13
Oddo Querellus relegatur, 429,20. probrose interficitur, 429,49
Odoacer, 366,15. cæditur, ibid.29
Odyssia promont. 27,2.103,35
OEnycinus Scythes, 39,49
Ogyges, 220,27
Olei per plateas riui, 546,27
Oliuerius fl. 30,17.186,34
Olorus fl. 100,13
Olulis opp. 29,19.174,34
Olyba, 220,26
Olympieum, oppidum, 96,49. 255,51. 257,15
Olympii cum Saracenis congressus, 373,17
Omotermon, 72,15.74,52
Onabala, fl. 49,15
Ongia statio, 50,7.194,39
Ophellas Cyren. 321,46. cum Agathocle se cõiũgit, 322,6. perfide impugnatus occiditur, 322,30
Oraculum Athenien sibus de Sicilia datum, 252,30.254,38
Orationis partes tres, 91,30
Oratoriæ artis inuentores, 24,48
Orbis noui inuentio, 550,41
Orcus, 223,12
Ordinis deserti pœna, 86,46
Orestes protospatharius, 382,29
Orethus fl. 29,11.169,24.173,19
Orinus fl. 26,37.97,28
Orionis structuræ, 38,31.39,1. & 43,34. obitus & in astra relatio, 39,9
Orpheus Camarin. 107,13
Ortygia, Archiæ Corinthii filia, 73,53
Ortygia Syracusarum pars quæ, & vnde dicta, 72,20.74,53.75,54.232,30. Ortygia Syracusarum sola olim habitata, 74,6
Osci, 40,37
Osiris & Isis, 221,10,43
Osteodes siue Ostodes insula, 4,26
Ostracismus Athen. 86,38.245,16
Ostreæ, 68,6
Otho Saxoniæ Dux, declaratur Imperator, 437,27. abrogatur, 437,49

Ouidii locus explicatus, 9,35. & 46,17.67, 42.96,9.100,17.187,34.595,37

PAchynus, 26,50.102,15. Pachyni etymon, 102,25. Pachyni portus, 26,51.102,34
Pactæ, 30,14.185,21
Pagani egregium facinus, 458,40
Palæopolis Panormi, 338,23
Palatium Hadriani, 211,22
Palatium regale Panormi, 155,27
Palazolum, 32,31.207,53
Palica seu Palice vrbs, 32,16.63,37.207,13. 246,30
Palicorum fratrum etymon, lacus, templum, 62,51.63,41. lacus, 19,15.207,9
Paliciorum cum Claromontanis conspiratio, 484,10. machinæ, 486,30. Paliciorum & Claromontanorum contra Catalanos conspiratio, 491,28,50
Paliconia, 32,17.207,34
Palladis balneæ, 178,4
Palmæ syluestres, 16,19
Palmarola, ins. 6,28
Palmerius Abbas, 456,47.461,1.471,26. capitur, 475,21. moritur, 475,37
Palorum portus, 26,53.103,20
Palymita vrbs, 28,53.144,45
Pammilus, 23,20.233,9
Pan, 221,1
Panætius Leont. tyr. 235,53
Panaria insula, 4,3
Pandataria insula, 6,27,29
Panormium, 153,28
Panormus, 29,9.148,25. capitur a Romanis, 152,32.338,20. Gotthorum præsidium, 366,33. capitur a Nortmannis, 399,40. regni Siculi sedes prima, 160, 22.153,45. Panormi ambitus, 168,46. amœnitas, 148,33. antiquitas, 149,39. 152,10. curia, 167,2. etymon, 148, 47,54. effigies, 172,15. fortuna, 153, 30. hospitalitas, 172,14. incrementa, 24,20.152,19.154,16. laus, 169,1. magistratus summus, 154,6. Neapolis, 165,8. nundinæ, 553,22. origo, 149,2. partes quatuor, 154,19.168,39. pars prima, 154,22. pars altera, 165,7. pars tertia, 167,14. pars quarta, 167,45. portæ, 169, 7. priuilegia, 160,28. regia, 155,27. scaturigines, 171,45. situs, 148,26. vbertas, 148,39. vrbs vetus, 154,23
Panormitanæ ecclesiæ prærogatiuæ ex Rom. pontificum indultis, 162,8. Panormitanarum fœminarum laudabile facinus, 152, 47. Panormitanum hospitale nouum, 158, 27. Panormitanum mare, 171,41. Panormitanum numisma, 172,20. Panormitani præsulatus antiquitas, 162,46
Pantagias fl. 67,28. a Marcellino diuersus, 67,55. Pantagiæ origo, 68,6. Pantagiæ silentium imponitur, 67,53 7,39
Pantalaria insula, 32,28.208,52 85,5
Pantalica, 64,22
Pantanella, 122,48
Pantanus lacus, 29,10.163,24.167,22
Panthea siue Panthia Agrigentina, 167,28
Papyritus fl. 288,53
Papyrus quid, & vbi nascatur, 157,30.170,23 388,13
Paralus, 444,13
Parcum regium, 28,50.144,3
Pardus protospatharius, 381,39
Parmæ obsidio, 405,36
Parthenicus ager, 312,32.313,7. ad
Paschalis Calabriæ Dux, 327,35
Paschalis II. Pont. Rom. 64,31
Pasiphilus Agathoclis dux, Dinocratem deficit, 327,7. a eodem Agathocli proditur, 26,20.68,55.69,5
Passanitus fl. 18,20
Passus Syracusarum, 76,13
Pastorum Siculorum certamen in festo Dianæ, 31,45.190,1
Patellæ Siculæ, 183,16.231,8,13
Paternio, 8,
Patro Thurius, 8,
Paulus apost. in vtram Melitam venerit, 40. eiusdem dies miraculis clarus, 9,8. speculus in Melita, eiusque miracula, 8,54
Pellium ferinarum vsus a quibus repertus, 24,50
Peloponnesus, 10,16. Peloponnesi nomen, 10, 22. effigies, ibid. 23. ambitus, ibid. 25. regiones insigniores, ibid.27
Pelori promontorii descriptio, 35,13. & 38, 13. etymō, 35,31. fabulæ, 38,33. lacus, 38, 16. Peloritani freti terminus, 40,43 68,23 83,25
Peninsula,
Pentapylum,
Pentargia opp. 71,47. Pentargiæ deletio, 404,21 240,19
Pentecontalitron nomisma, 46,26
Pentefur, arx,
Peregrinus mons, 29,8.147,42.171,35
Perganio siue Pergameno archipirata, 364, 26 205,16
Pergus lacus, 205,11.
Perguſa lacus, 39,21.233,28
Perieres Cumanus, 119,7
Perilaus, seu Perillus,
Peripateticorum opinio de dæmonibus refutatur, 200,12.201,35 248,54
Peripolion, Per-

Periurii examen miraculosum, 63,13
Perperna seruos subiugat, 363,25. Marii partes tuetur, ibid. 49. Sicilia cedit, ibid. 55
Perreriæ, 100,37
Perribonus Calandrinus, 504,30
Pestis ex locustis putrefactis, 512,30. Pestis Syracusana, 357,7
Petalismus Syracus. 86,38. 245,15
Petra, 33,55. 192,17
Petralia, 192, 16. Petralia inferior, 22,35
Petrus Aragoniæ rex in Siciliam vocatur, 451,38. consilia celat, 451,48. Siciliam petit, 454,34. coronatur, 455,4. Caroli classem persequitur, 455,25. in Calabriam traiicit, 455,43. ad duellum prouocatur a Carolo, 456,34. in Cataloniam nauigat, 456,49. proscribitur, 457,48. proscriptionem eludit, 459,28. moritur, 459,40. eiusdem apophthegma, 451,48. vxor & liberi, 455,55. 459,41
Petrus II. coronatur, 480, 24. in Robertum regem emittitur, 481,33. regnum a liberalitate & humanitate auspicatur, 484, 3. moritur, 489, 10. Petri II. filii, 489,9. vxor, 488,53. 489,25
Petrus Alfonsi frater, Siciliæ prorex, 540,23. 541,12. occiditur, 544,26
Petrus Antiochia, 483,31. 480,30
Petrus Bolanus Venetorum Dux, 408,26
Petrus Cardona, 550,2. 552,13. Hugoni infensus, 553,21,26. Panormitanos motus sedandos monet, 555, 1. dissuadet ne Hugo restituatur, 555,32. ad Carolum it, 555,45. dimittitur, 561,5. globo traiicitur, 561, 16. Petri Cardonæ laudes, 555,5
Petrus Corballes, 464,49
Petrus Landus Venetus, 564,21
Petrus Nauarrus, 551,35,45
Petri Pirolli audax facinus, 546,37
Petrus Queraltus, 454,41
Petrus Ransanus, 149, 9. 172,54. notatus, 154,8
Petrus Rigibal, 464,32
Petrus Ruffus, 464,26
Petrus Saluacoxa, 465,41. ad Carolum defecit, 470,2. occiditur, 473,33
Petri Specialis munificentia, 169,26. 174,20. & 149,31
Petri Toletani negligentia, 568,40
Petrus Vinea, 443,45. 444,24
Phaethontea, 225,14
Phæax Agrigent. 116,31. 239,54
Phæax Athenienſium emiſſarius, 250,48
Phæacii aquæductus, 116,34
Phalacrium promont. 30,29. 188,1
Phalarica, 119,30
Phalaris, 235,45. Himeræ tyrannidem non obtinet, 138,11. tyrannidem deponere renuit, 119,41. Eiusdem ortus, ingenium, tyrannis, 118, 1. immanitas 118,54. inuentum, 119,29. ſtratagema, 119,33. virtutes & facta laudabilia, 118, 17. taurus æneus, 119,23. epiſtolæ, 118,51. cædes 120,6
Phalarium propugn. 111, 24, 46. 112, 6. 313,45
Pharath, turris, 149,36. 152,1
Pharax Spartanus, 294,22
Pharea, 36,8
Pharos Græcis quid, 36,13. Phari vnde dictæ, 35,47. & 36,3
Pharos Alexandrina, 35,49
Pharos Peloritana, 35,48
Pharus, fretum, 36,12,15
Phaylus Syracuſ. 245,31
Philarchus Centuripinus, 196,39
Philemon Syracuſ. poeta comicus, 91, 12,16
Philippi Butacidæ heroicum monumentum, 142,4
Philippus, Henrici Sueui frater, 436,55. Othonis Saxonis competitor, 437,23. rerum potitur, 437,41. occiditur, ibid. 42
Philippus Auſtrius, 551,18
Philippus Francorum rex, 449,32. Robertum Atrebatenſem Neapolim mittit, 459, 24. moritur, 459,45
Philippus Tarenti princeps, 470, 30. in Siciliam mittitur, 472,32. capitur, 473,16. liberatur, 477,25. denuo in Siciliam proficiſcitur, 478,38
Philippi Ciruigliarii cruentum ſtrategema, 508,34
Philipp. Liladamus Ioannitarum dux, 9, 22
Philippus Maria Mediolanenſium & Genuẽſium Dux Ioannæ Neap. opem fert, 541,51. Alfonſum magnifice & liberaliter dimittit, 543,52
Philippus Raia, 505,40
Philiſtus Syracuſ. 92, 39. Dionyſium tuetur, 278,27. 279,12. exulat, 279,14. ab exilio reuocatur, 286,35. Dionyſium a Platone & Dione alienat, 287,2. a Syracuſanis capitur & occiditur, 291,45
Philodemus Argiuus, 356,27,41
Philolaus Pythagor. 91,7
Philonides dux occumbit, 313,11
Philonides medicus, 205,39
Philoxenus poeta Syrac. 92,21
Phitalia fl. 184,9,13
Phocenſium in Siciliam aduentus, 231,27

Phocylides, 187,28
Phœbea, 285,1
Phœnices, 323,24. Phœnicum in Siciliam migratio, 23,7. 149,4. 152,12. 231,38
Phœnicodes insula, 4,17
Phœnicûs port. 26,41. 100,43
Phœnicussa insula, 4,17
Photinus, poeta Syrac. 92,3
Phutea, 225,14
Pietatis in parentes exemplum & præmium singulare, 59,1
Pinarii strenuum facinus, 354,19
Pini Campuli dolus, 526,44
Pintia opp. 28,8. 131,34
Piorum campus, 59,10
Pisanorum potentia & gloria, 397,32. ad Rogerium Nortmannum legatio, 397,39. de Saracenis Panormitanis spolia, 397,48
Pisces Siciliæ nobiliores, 17,43. Pisces cicures, 100,10
Pisciculis scatens fons, 19,34
Pisma & Pismotta fontes, 96,8,14
Pisonis in seruis subiugãdis industria, 363,14
Pithecussa insula, 5, 53. 322, 51. Pithecussæ vrbes, 324,11
Pittia, 34,9. 193,3
Pittineum, 34,9. 193,3
Pittineus fl. 29,39. 182,18
Platanella, 211,5
Platanis fl. 28,4. 127,17,50
Platanus Sicula, 16,6. Platanorum sylua, 46, 41. 208,50
Platia, 32,6. 206,14. deletur, 423, 51
Plato in Sicil. venit, 279,53. 286,41. 287,50. Platonicorum opinio de dæmonibus refutatur, 200,12. 201,35
Plemmyria insula, 26,32. 75,30
Plemmyrium promont. 26, 32, 97, 5. vnde dictum, 97,8
Plotæ, pisces, 18,12. & 38,8
Pluto, 223,12. vbi adrapiendam Proserpinã exstiterit, 204,4,23. 205,9. vbi cum rapta Proserpina terras subierit, 96,31
Plumbinum opp. 61,13
Poggius lõgus, 112,3. Poggio Muciaccus, 111,51
Pogonatus Constantinus, 374,2
Polichna, 96,46. 257,14
Politium, 192,19
Poliuchus Syracus. 265,23
Pollina, 29,33. 181,25
Pollis Lacedæmonius, 280,14
Pollium vinum, 15,16
Pollucis vrbs, 133,37
Polus Agrigentinus orator, 123,15
Polydori Virgilii error, 15,5
Polyneus Syracus. 349,8
Polyphemi specus, 279,17,26
Polyxenus Dionysium fugit, 241,34. 242,9
Polyzelus Hieronem fratrem fugit, cum eodem in gratiam redit, 15,30
Pompeiana vua, 559,8. 560,10
Pompilius Imperatorius, 6,28,32
Pontia insula, 509,40
Ponzettus Syracus. 67,30,34
Porcaria fl. 143,29
Porpax fl. 17,27
Porphyrites lapis, Portus
Portus Galli, 29,6. 147,15. 171,30. Portus Vlyssis, 194,39 Saracenus, 59,25. 304,41
Posthumius pirata, 86,34
Potentiorum machinationibus quomodo occurri possit in rebus p. 87,47,49
Potoris exemplum singulare, 60,10
Præstigiarum autores dæmones, 558,15
Priamus Capozius, 84,1
Primus, fons, 186,13
Proagoras Tyndaritanus, 58,42
Proardii, 6,52
Probantia insula, 20,33
Proceritatis stupendæ exempla, 5,37
Prochyta, insula, 5,34. 6,20. oppidum, 366,44
Procopius Belisarii emissarius, 378,44,49
Procopius protobestiarius, 127,31
Promontorium Siculi Caput vocant, 286,4. 289,54
Prosagogidæ Dionysii, 204,4,21. vbi
Proserpina, 223,11. vbi rapta, cum Plutone terras subierit, 96,31. Proserpinæ raptus verus quis, 205,22. Proserpinæ & Cereris sacra, 223,16. Proserpinæ templum & festum, 116,5 20,44
Protesilai procreitas, 106,50.
Prouerbia: Camarinam ne moueas, Gerræ Siculæ, 24,27. Hipparchorũ tabulæ, 86,49. Leontini semper ad pocula, 65,48. Mali corui malũ ouum, 91,46. 581,36. Mulieres quæ male Panormum venerũt, 442, 40. Ne tria quidẽ Stesichori nosti, 179,11. Nõ cuiuis homini cõtingit adire Corinthũ, 146,45. Satis quercus, 15,1. Siculorũ dapes, 25,4. Siculus vesper, 452,18. seu Siculorũ vesperæ, 170,14. Syracusanæ decimæ, 87,37. Syracusana mensa, 87,39. Verè Athenienſibus ex anno exaruisse dicit Gelo, (237,24 81,34
Prouincia Roman. prima, 362,14
Prytaneum Acradinense, 107,11
Psaumis,
Ptolemæus notatur, 182,8. Ptolemæus ordinis oblitus, 28,14. 134,33. Ptolemæi error, 25,49. & 29,47. 183,47. & 69,31. & (137,48
Pucellarum specus, 130,5 Pudicitia

Pudicitiæ templum, 116,1
Punici belli initium & occasio, 331,50. 333,11. & 40,45. annus XIIII, 339,28. fini, 344,19. secundi initium, 344,32
Puteus hieme inarescens, æstate inundãs, 187,43. puteus vaticinus, 136,48
Pyracmon, 219,1
Pyramis orbicularis, 99,41
Pyrrhucius Iuenius, 562,10. tormentis fortiter superatis dimittitur, 563,49
Pyrrhus Epirota in Siciliã vocatur, 329,10. mores in imperio mutat, ibid. 52. in Italiã traiicit, 330,8. victus in Epirũ redit, ibid. 32. Eiusdem liberi & vxor, 329,6. achates, 17,24
Pyrrhi canis fides, 241,14
Pythagoras Heracleæ Siculæ tyrannus, 234,18
Pythen seu Pythes Corinth. auxilio Syracusanis venit, 258,41
Pythi Syracusani dolus malus, 86,6
Pythodorus Athen. dux, 249,22. exilio mulatur, 250,34

Q Validas, Sarac. pontifex, 370,42
Quinti prænomine omisso quære nomẽ gentilitium.

R Aguſa, Ragusa fl. 32,37. 208,8
Raimundus Balsus, 27,12. 104,32
Raimundus Blancus, 455,46. 519,13
Raimundus Crebellis, 478,46
Raimundus Montanerius, 469,30
Raimundus Peralta, 477,54
Rainaldus Bauarus, 483,10. 488,19. 489,4
Rainaldus Velinus, 441,11
Rainaldus Villanoua, 460,38. 461,19,28
Rainerius Torcianus Comes, 193,49
Rameo Comes, 437,18
Rametta, 407,47
Ramis comparantur potores, 34,40. 194,13
Raphadalis, 87,40
Raybal Saracenis pagus, 32,55. 210,55
Raybalbutum, 197,22
Refortiatus Prouincialis, 467,1. capitur, 467, 31,42. 197,21
Reginafl. 64,12,20.
Regis eligendi processus, (32 534,21
Renatus Ludouici Andegauensis frater & hæres, 542,46. Neapolim venit, 544,20. fugit, 545,47. arce vendita discedit, 546, 3. iterum excidit Italia, 548,22. Renati hæredes, 548,26
Refalibra, 76,21
Rhea Saturni soror, 221,34. marito deserto, fratri nubit, ibid. 37
Rhegii etymon & situs, 13,33. & 12,52. Rhegium a Zanclæis & Chalcidensib. capitur, 39,29. occupatur ab Himerensibus, 178, 10. Rheginorũ a præsidiariis clades, 328,43
Rhodus a Saracenis capitur, 369,27
Rhodiæ nauis velocitas, 340,49
Rhythmici carminis inuentores, 24,50
Richardus Abbas, 513,23. 523,4
Richardus Angliæ rex, 434,8. Messanam expugnat, 434,30
Richardi Aquilani Comitis perfidia, 414,15
Richardus Casertæ Comes, 442,32
Richardus Mãdra, 414,46. 421,20. 423,23
Richardus Nortmannus, 384,38
Richardus Syracus. Designatus, 423,25. dolosis machinis impetitur, 427,55. 428,30
Robertus Atrebatensis, Calabriæ Dux, 459, 22. classem in Siciliam mittit, 460,35. Capuam contra Aragonas tuetur, 462,3. Iolandam Aragoniam ducit, 466,16. cũ classe in Siciliam redit, 470,41. Catanam capit, 472,15. Neapolim redit, 476,35. in Siciliam reuertitur, 476,45. pacem cum Friderico facit, 477,18. patri in regno Neap. succedit, 477,55. a Rom. Imp. proscribitur, 478,6. in Siciliam redit, 478,33. Neapol. reuertitur, 479,31. nouas in Siciliam copias mittit, 480,25. moritur, 490,31. eiusdem vxor & liberi, 476,36
Robertus Bondius, 497,24
Roberti Calataboianẽsis improbitas, 426,24. supplicium, 428,52
Robertus Campulus Cephalæd. episc. 485,20
Robertus Capuæ princeps, 410,9
Robertus Guiscardus, 384,51. 388,48. Appuliæ & Calabriæ principatum sibi vendicat, 389,18. Dux Appuliæ & Calabriæ creatur, 389,22. Rogerio fratri in Siciliã suppetias fert, 393,54. iniqua diuisione fratrem in se armat, 395,5. capitur, ibid. 38. cum fratre redit in gratiam, 395,43. cum fratre Panormũ obsidet, 398,5. Appulia & Calabria pacata ad Panormum oppugnãdum redit, 398,37. Panormum sibi deposcit, 400,14. in Calabriam redit, 400,44. Salernũ capit, 400,53. in Græciam nauigat, 402,14. Gregorium VII. liberat, 402,34. obit, ibi. 39. eiusdem vxores & filii, 389,23. 400, 45. 402,40
Robertus Lauricelli Comes, 411,11,14. apud regem traducitur, 411,25. insidias in Appuliam fugit, ibid. 33,51. ex Appulia excedit, 414,12. Appuliã infestat, 414,45. 424,7. in Aprutium concedit, 424,38. ad Imp. Germaniæ se confert, 425,49. redit in gratiam, 432,11

Robertus Surrentinus, 411,53.414,14
Roboris singulare exemplum, 61,6
Rocella, 29,28.179,46
Rodoricus Gothorum rex profligatur, 370,47
Rogerius Auellini Comes, 420,28. *dimittitur*, 423,21. *fugit*, 424,52
Rogerius Bossus, 384,53.390,44. *Cætera vide in Rogerius Nortmannus.*
Rogerius Guilhelmi Mali filius rex creatur, 421,28. *sagitta feritur*, 422,16. *moritur*, ibid.22
Rogerius Lauria, 455,9,15. *Siculæ classis Admiratus*, 456,45. *Melitam capit*, 458,15. *Carolum Claudum capit*, 458,45. *denuo Gallos vincit*, 459,9,46. *de naufragio pmonet*, 460,6. *a Gallis repellitur*, 460,44. *Gallos denuo vincit*, 461,12. *fœdas paciscitur inducias*, 461,18. *Tolomeccam capit*, 462,27. *Cōstātinop. Imp. ditionē infestat*, 462,46. *Fridericum regem dicit*, 463,37. *a Friderico alienatur*, 464,37. *victor in Siciliā reuocatur*, 465,31. *defectionem a Friderico parat*, 466,10,19. *hostis declaratur*, 466,30. *saucius ex acie se recipit*, 467,36. *in Siculos furit*, 470,8. 475,29. *amissorum partem recuperat*, 477,29
Rogerius Marturanus, 416,45. *oculis orbatus in carcerem detruditur*, 424,12
Rogerius Nortmannus, cognomento Bossus, 384,53.389,45,55. *in Siciliā traiicit*, 391,28. *vxore in Calabria ducta redit in Siciliam*, 394,43. *arma contra fratrem capit*, 395,8. *pie fratrem tractat*, 395,42. *redit in Siciliam*, ibid. 52. *strenue se contra Troynēses tuetur*, 396,23. *Appulia & Calabria pacata ad Panormū expugnandū redit*, 398,37. *Siciliæ Comes efficitur*, 400,15. *fratris absentis vices in Apulia & Calabria gerit*, 402,16. *in Siciliam redit*, 402,27. *nepotū dissidia cōponit*, 402,50. *capit Syracusas*, 403,22. *episcopos instituit*, 403,39. *Melitam & Gaulum Siciliæ adiicit*, 405,6. *obit*, 405,17. *eiusdē vxores*, 394,44. 403,54. *filii*, 394,50. 403,54. *felicitas & pietas*, 397,20. 405,15. *diploma super cœnobio Troynensi*, 191,10. *diploma super Agrigent. episcopatus priuilegiis*, 123,33
Rogerius Passanetus in gratiā recipitur, 486,
Rogerius Rheginus Archiep. 427,42,47. (55
Rogerius Roberti Guiscardi F. 402,40,49. *valetudini & Ducatui restituitur*, 404,31. *cū fratre bellū gerit*, 405,47. *moritur*, 406,8
Rogerius Rogerii Bossi filius, 404,1. 405,38. *Siciliæ rex coronatur*, 406,40. *Appuliæ Dux confirmatur*, 407,19,37,54. *in Africam regni fines profert*, 408,3. *e Græciare uersus domestica tractat*, 408,33. *moritur*, 409,27. *eiusdem virtutes*, 408,43. *vxor & liberi*, 409,12. *diploma super episcopatu Cephalædensi*, 180,20
Rogerius Rogerii regis filius, 409,12. *moritur*, 409,23
Rogerius II. Siciliæ rex, 435,20. *decipitur ab Henrico*, 435,31. *exul, euiratus & captiuus moritur*, 435,40
Rogerius Sclauus, 423,28. *dimittitur*, 424,4
Rogerius Teutonicus, 494,44. 502,53. 506,34. *Ennam capit*, 507,29. *Gallano exuitur*, (521,13
Rogerii Sanguineti fides, 461,34
Rolandus Aragonius, 487,25. 491,16. *Catanæ præficitur*, 492,42. *Neetum capit*, 495,16. *Bucherii dominium accipit*, 502,37. *Mongelinam arcem redimit*, 508,46. *Syracusis præficitur*, 510,47. *Casiblim capit*, 519,33
Rollo Nortmannus, 384,20,29
Romanus Lecapenus, 380, 45. *eiicitur*, 381,35 388,1
Romanus Sclerus,
Romanorum in Siciliā expeditio prima, 332, 10. *ad nauale bellum instructio*, 335,1. *naufragium insigne*, 338,4,28. 342,43. *colonia in Sicil.* 23,50
Romani imperii inclinatio, 365,50. *Romanorum militum constantia*, 333,25 484,36
Romoaldus Russus, 226,33
Rotarum vestigia miraculosa, 42,34
Rufini exercitus, 147,11. *Rufini perfidia*, 42, 24. *pœna*, 84,1
Rugius fons, 363,22
Rupilii de seruis victoria, 336,30
Rutilii cos. temeritas, 569,54
Rustanus Bassa, 374,50

S*Abba Saracenorum dux*, 235,54
Sabyllus, 28,7. 128,26. 130,30
Sacca, 80,15
Saccariorum porta, 15,39. *Saccari conficiendi ratio*, 15,40. *Saccarum Plinianum a nostro diuersum*, 15,46
Saco & Simus Zāclææ coloniæ ductores, 233,31
Sacra, insula, 3,27.6,46
Sagunti excidium, 344,48
Sal & aridis & humidis in locis sponte gignit Sicilia, 16,32. *sales Siciliæ miraculosi*, 19, 48. *sal in igne liquescens, in aqua durescēs*, 125,24. *renascens*, 205,48. *violacei odoris*, 43,35. *Sal Gelous splendens*, 110,55. 210,4
Sala, 49,28
Salaziazus fons, Saladi-

Saladinus repellitur, 433,4. Ptolemaidem oppugnat, 434,5
Salem Saracenis quid, 214,36
Salemis, 214,31
Salernum capitur a Nortmannis, 400,53. Salerno ignoscit Guilhelmus Malus, 425,35
Salimbenius Marchesius, 531,6
Salinis insula, 3,54
Salma, 14,52
Salsus fl. 27,32.108,47,55.109,16,22.127,50.179,43
Sambuca, opp. 214,14
Sambuca, instr. mus. 44,37
Samiorum in Zanclæos hospites perfidia, 23,29.234,39. pœna, 39,55.235,2. colonia in Sicil. 234,28
Sancius Aragonius, 513,34. 518,2. 520,32
Sancius Doris Blancam reginam tuetur, 533,20. 535,40. 537,46. digne Bernhardum Craperam tractat, 538,6
S. Cathaldi ædes, specula, fluuius, 28,52.144,15
S. Crux, promont. 68,20
S. Marciani insula, 26,32.75,30
Sanduinis, insula, 6,28
Sanguineus latex, 62,18.203,24.432,5
Sapphus signum, 81,36
Saracenorũ etymon, origo & incremẽta, 369,36. in Rhodum impetus, 369,26. in Siciliã accessio, 373,14. expulsio, ibid. 20. in Siciliam excursio, 374,2. Admirati quatuor, 374,21. in Siciliam irruptio, ibid. 26,50. 375,13. & 24,3. in Selinuntem crudelitas, 377,29. regia, 380,4. cum Nortmãnis bella, 391,36, & deinceps. expugnatio, & cum Nortmannis fœdus, 399,40. & 24,8
Saraceni Carthaginenses fame ad seruitutem adiguntur, 381,27. Saraceni Tunetẽses Siciliæ & Calabriæ litoralia infestant, 401,5
Sarcophagiregũ & archiepisc. Panor. 159,47
Saturnus AEgypt. 219,54. 221,6,15. Italiæ pulsus Sicil. occupat, 221,25. occupat Libyã, 221,32. a Dionyso capitur, ibid. 55. exul in Bactrianã se insinuat, 222,6. occũbit, ibid. 18. Saturni apud Carthaginenses templũ, statua, cultus, 317,45. 318,2. Saturno sacrificare liberos vetantur Carthaginenses, 240,11. Saturnus sibi sacrificantibus parũ propitius, 325,31
Saturnia, Italiæ, 221,18. Saturnia Siciliæ loca, 221,29
Sauoca flu. & opp. 46,23
Saxum Imperatoris, 171,36
Sbruffaloræ, 104,21
Scala Græca, 81,24. Scala liliorum, 71,27
Scaletta, 46,2
Scallunorũ Sarac. strategema eluditur, 402,8
Scalorus Vbertinus Comes, 496,17
Scamander fl. 326,35
Scaturigines miraculosæ, 62,18.63,2,45.125,(17
Schixon arx, 48,12.232,21
Scipionis erga Siculos beneficia, 362,23
Sclafanis, 210,27
Scorpionum aculei in Melita retunduntur, 9,4
Scupellus, 28,46.140,42
Scylla, 25,36. & 36,20. Scylla & Charybdis vnde poetis fabulandi præbuerint occasionem, 37,8
Scylleifreti profunditas, 13,8
Scyllæum, oppid. 13,17.36,24
Scythes OEnycinus, 234,25,43,50
Segesta, 141,15,54.142,9.231,21. Segestæ conditores, 141,25. fortuna, 142,10. reliquiæ, 142,51. Segestanorum numismata, 143,11. bellum cum Lilybaitanis, 244,54. cũ Selinuntinis, 251,11. Segestanis auxilia mittunt Atheniẽs. 251,30. 252,26. Carthaginenses, 271,40. 272,10. iidem crudeliter tractantur ab Agathocle, 326,32
Segestanæ aquæ, 141,18. 143,27. balneæ. 231,25. scaturigines, 143,12,21. Segestanũ emporium, 28,46.137,49.140,46
Selcurus siue Selurus, 365,33
Selinis siue Selinûs fl. 28,14.134,33
Selinis siue Selinûs vrbs, 28,2.132,26. a Mazara diuersa, eadẽ cũ Terra Pulicorũ, 133,29. etymõ, 132,32.134,34. sita 9,132,27. cõditores, 23,20. incrementa, 132,53. fortuna, 132,53.133,12. lapicidinæ, 134,43. sepulcra, 134,42. instauratio, 275,54. euersio, 134,30. ruinæ, 132,35
Selinuntini bellũ gerunt cum Segestanis, 251,11. immitius tractant Segestanos, 271,31. 272,3. cõtra Pœnos strenue se tuentur, 272,43. vincuntur, 273,32. Selinuntinorũ numismata, 134,28
Selinuntinæ aquæ, 128,48. Selinuntina ora, 132,10
Sella Orlandi, 206,5
Semellitani, 214,34
Sempronii naufragium, 338,26
Sempronio deditur Melita, 345,43
Semus Noæ F. 220,45
Senen Bassa Solymannicæ classis dux, 569,28. Gaulum capit, 10,11
Senurium, 214,19
Seralcadis Panormi, 167,15
Sergius Rom. Pont. 378,11
Serici lanificii inuentores, 16,53. Serici cõficiendi ratio, 16,40. prouentus, 43,43
Serlo Nortmannus, 392,5. e Saracenorũ manib. euadit, 396,36. præclarã de Saracenis

victoriam reportat,396,47. occũbit, 400, 35. Serlonis rupes, 400,37
Serpentis immanis expugnatio,337,47. Serpentibus inimica & lethalia loca, 9,2,50
Serra dissecatur Nicolaus Clanceoffus,548,14
Serramenzanus collis, 84,3
Serrauallis, 29,41.182,24
Seruile in Sicilia bellum, 362,26
Sextus Pompeius Siciliam occupat, 364, 32. victus fugit,365,5. occiditur, ibid. 9
Sibylla Cumana, 136,42
Sibylliana turris, 28,22.135,51
Sicani, 23,2.227,46
Sicania vnde dicta Sicilia, 11,18.227,52
Sicanus Syracusanorum dux,253,31.256,10. stratagemate hostes arcet, 265,53
Sicilia, fœminæ nomen, 478,43
Sicilia, tumuli nomen, 252,33
Sicilia insula vnde dicta,11,20.228,29. Italiæ quondã annexa,12,45. Italiæ appellatione nunquã comprehensa,14,21. Romanorum prouincia prima,344,25.362,5. Romani imperii prouincia continens,14, 24. Romanorum penus ac horreum,18,41. Latio iure donata,25,19. post Romanos quibus paruerit,23,53. post Imperii diuisionẽ paruit Cõstantinop. Imp.374,19. Gotthis, 365,41. Saracenis,369, 19. Nortmannis, 390,28. Sueuis,436,11. Francis,449,1. Aragoniæ regibus,454,24. Sicilia montosa, 10,41
Siciliæ nomina varia,11,8. a vicinis regionibus distantia,1,26. ambitus,1,36. archiepiscopatus,10,47. clima,14,40. ciuitates pleræq; a præterlabentib. amnib. denominatæ,110,5. ciuitates liberæ & Romanis fœderatæ quæ,362,17. coloniæ ius habẽtes Italicũ, 133,25. episcopatus,10,48. fluuii præcipui,11,1. habitatores primi,20,1.23,1. 217,10.219,24. latera,1,30. latus orientale descriptum ordine,25,35. latus meridionale,26,49. latus septẽtrionale & occidẽtale,28,24. latitudo & longitudo,2,14. legati,404,47. magistratus summus post regem,533,25. mirabilia,19,2. moneta vbi cudatur,44,21. mõtes præcipui,10,55. oppida,10,46. præstantia,18,38. promõtoria, 1,14. proregũ ædes,167,5. rectores sub Romanis, 362,16. regiones tres,188,29. rex primus Rogerius II. 12, 2. reges vbi & ex quo tempore coronentur,160,8. regũ imagines,76,34. regum sedes,160,22. situs,1, 10. tyrãni,235,31. valles tres,188,29. vbertas,14,32. vmbilicus,2,18. 203,33.204, 15. vrbes præcipuæ,10,54. vrbiũ Græcarũ prima,48,14
Siciliæ littoralis descriptio,25,30. mediterraneæ descriptio,30,32. veteris imperia duo, 232,44. Siciliæ adiacentes insulæ, 2, 24. Siciliam mediam diuidens fluuius,109,2. 179,26. Sicilias duas non esse,11,24. duas quis primus fecerit, 12,16
Siclis fl. 27,10.104,25
Siculi,23,3. gens Latia,228,6. Siculorum ingenia & mores,24,24. inuenta,24,48. mẽsa,25,3. sermo,25,21. vestitus,25,22. Siculorum priscorum lingua,235,27. vrbes, 228,30
Siculiana, 27,55.125,34.211,1
Siculum bellum, 364,29
Siculus rex, 228,18,21
Sigismundus Luna, 564,27
Silentii seruilis exemplum, 87,21
Silii Italici locus explicatus, 99,27. 106,49. 152,52.110,4.181,15.185,49.214,5
Siluri, 173,31
Simethus fl. 185,38
Simon Claromontanus, 498,25.500,13,23. Matthæo Palicio alienatur, 501,17. rebellis,502,42. Neeto excidit,507,40. spe frustratus moritur, 517,49
Simon Policastri Comes, 411, 11,23. a collega traducitur,411,38. incarceratur, ibid. 47. e carcere liberatur,413,38. interit, ibi. 50
Simon Rogerii Comitis filius, Siciliæ Comes, 404,1.405,27
Simon Rogerii regis spurius,420,21.421,13,34
Simon Syllacii Comes, 414,21
Simon Vintimilius, Siciliæ præses, 555,19
Sindericus Gotthorum dux, 367,45
Sinibaldus, Hostiensis episc. 443,27
Siponti deletio, 445,44
Sirenes insulæ, 5,43.6,20. Sirenum scopuli, 5, (48
Solarium Achradinæum, 82,6.88,54 169,43
Solatium regium Panormi, 109,1.179,29.43
Solini error, 187,32,36. Solis insula, 18, 43. 219,33
Solis boues, 29,16.174,8
Soloentum, 29,16
Solûs opp.
Solymannus Turc. Imp. Rhodum capit, 9,13. Vienna abigitur, 564,38. Ariadenum contra Tunetum mittit, 564,45. nouas in Carrolum mittit copias, 569,25. Henrico Gallorum regi mittit auxilia, 569,53
Sonituum Ætnæorum causa, 55,22
Sophanes poeta Syrac. 91,50
Sophocles Agrigentinus, 123,26
Sophocles Athen. dux,249,29. exilio mulctatur, 250,35
Sophron poeta, 91,23
Sosipa-

Sostpater Syracus. prætor, 349,21,46
Sostdis Syracus. improbitas, 291,25
Sosis Syracus. 348,43. Syracusanorum dux, 351,20. Marcelli legatus, 356,28. vt a Romanis remuneratus, 360,38
Sosistratus Syracus. dux, 308,46. Agathocli aduersatur, 309,6,18. Siculos in Agathoclem concitat, 312,2,30
Sostius fl. 28,6. 128,7
Sostratus Syracus. 329,30,55
Sortinum, 83,51. 209,20
Spartiuentum, 13,30. 234,32
Sparuerius collis, 55,28
Spathi pisces, 17,47
Spectra nocturna, 2,38
Specus admirandæ, 82,25. 209,3
Sphæra solaris ænea, 82,6
Spirlinga, 192,3
Sprouerius mons, 46,10
Squarcialupi factio, 556,20,25. opprimitur, 560,10,51
Stainpace, turr. 26,39. 99,46
Stagna Siciliæ miraculosa, 19,39. stagnum triodoris, 110,52
Statilius Taurus, 364,43. 365,22
Staturæ giganteæ exempla, 20,33
Stephanus Costantinop. Imp. præfectus, 386, 48. 387,13. fugit, 387,41
Stephanus Cancellarius & Archiepisc. Panorm. 428,44. oppugnatur, 430,34. e Sicilia excedit, 431,18
Stephanus Mazentius, 380,11
Stephanus Sebastaphorus, 388,27
Stephanus III. Pont. Rom. 95,45
Sterculius seu Stercutius 221,1
Steropes, 218,55
Stesichorus, 178,49. benigne tractatur a Pharide, 118,18. eiusdem apologus ad Himerenses, 178,12. sepulcrum, 58,43. statua, 175,48. Stesichorea porta, 58,15,45
Stheneus Thermitanus, 176,55. 364,14
Stintinus, 71,52
Strabi perspicacitas, 137,9
Strabo notatur, 182,8. Strabonis error, 25, 44. Strabonis sententia de Alpheo discutitur, 79,36

Stratagemata:

Agathoclis, 309,17. 310.311,2. 314,26. 315, 30. 319,3. 321,3. Alardi, 448,24. Amilcaris, 318,8,32. Anelli cæmentarii, 544,43. Antonii Amadei, 570,25. Ariadeni Barbarussæ, 565,4. Aristonis Corinth. 263,10. Artalis Alagonæ, 518,36. Athenienſium, 255,7. Belisarii 367,50. Benamethi Saraceni, 401,24. Brachini Saraceni, 400,19. Duellii 335,40. Falci Cuberti, 504,29. Gelonis 238,44. Guilhelmi Manisalci, 520,5,44. Hermocratis, 267,50. Himilconis, 324,25. Ioannis Floriaci, 481,54. Laurentii Murræ, 497,13. Metelli, 338,50. monachi cuiusdam, 505,21. Montanerii Sosæ, 473,53. 474,36. Niciæ Athenienſis, 258,16. Niciæ Enguini, 359,43. & 195,33. Pinarii, 354,19. Platienſium, 508,51. Segestanorum, 251,44. Sicani, 265,53. Venetorũ, 547,32
Strategotus, 423,10
Strongyle, inſ. 4,10
Sturiones, 173,31
Stylarion, 35,43
Sudatorium balneum celeberr. 129,33
Sueui Siciliam tenent, 24,11. 436,10. Sueuicæ stirpis finis, 448,52
Sulfurearum aquarum scaturigo, 63,2
Sultanus Chaldæis quid, 371,34. Sultanus Saracenorum capitur, 378,37
Surriatus Carthag. 283,12
Susanna Gonzaga, 22,40
Sutera, 210,38
Syluanus, 221,1
Sylueſter Comes, 416,9. 418,50. ad regni negotia asciscitur, 423,24. moritur, 425,51
Symæthus ager, 62,39
Symæthus fl. 26,7. 62,33. & 30,15. 185,38. Symæthi fontes quinque, 62,40. celebritas, ibid. 47
Symeon Bulgarorum princeps, 380,55
Symeon Valguarnera, 22,6
Syna Solymanni dux, 68,47
Synalus, 288,53
Syracusa, Archiæ Corinthii filia, 73,53
Syracusæ, Siciliæ olim metropolis, 72,18. Græcarum vrbium maxima & pulcherrima, 74,34. fuere olim tetrapolis, id est quatuor vrbib. constitere, 72,13. 74,34,43. quinque vrbibus constitere, 74,48. Syracusarũ ambitus, 89,30. coloniæ, 74,9. incrementa, 74,2. 232,40. 237,4. lautitia & luxus, 87,38. magnitudo, 74,20. 89,30. nobilitas, 73,44. 89,48. opulentia, 73,31. 87, 36. 89,33. partes quatuor, 74,44. pars prima, 74,52. pars altera, 80,55. pars tertia, 82,42. pars quarta, 84,36. pars quæ supersit, 77,22. portus duplex, 75,23. potẽtia, 90,1. picturæ & signa nobiliora, 87, 50. 88,2. spoliis ornata Roma, 89,33. Syracusarum huius ætatis descriptio, 90,34. Syracusis qui præ cæteris claruerint, 90,54
Syracusani vnde orti, 73,44. 89,48. vnde

fortes, 73,43. ab Hippocr. victi, 236,5. Siciliæ imperium capessunt, 247,45. Syracusanorum bellum cum Thrasybulo, 243, 32. cum Ducetio, 246,50. cum Agrigẽtinis, 247,31. cum Trinacinis, ibidem, 40. cum Leontinis, 248, 20. cum Athenien-sibus, 249, 1. 253,30. cum Carthaginen-sibus, 278,10. cũ Dionysio iuniore, 284,40. Syracusanos expugnat Marcellus, 358,32. Saraceni, 379,16

Syracusanus aer, 85,44. Syracusana arx, 301, 19. Syracusanæ coloniæ, 23,40. 85,29. 233, 20. Syracusanum imperium, 89,55. Syra-cusanæ leges, 85,48. Syracusanæ reip. for-tuna, 89,53. Syracusanorũ prætorũ ædes, 77,19. Syracusanorum sermo, 73,48

TAberna Appuliæ opp. capitur a Guilhel-mo Malo, 424,16

Tagliatæ, 82,16

Talus, a Dædalo auunculo occiditur, 228,47.

Tamictus Saracenus Christianis sacris ini-tiatur, 403,34

Tancredus Nortmannus, 384,46. 385,9. mo-ritur, 385,36

Tancredus Rogerii Ducis spurius, 414, 23. 420,21. 421,14

Tancredus Rogerii regis sp. 409,14, 21. rex fit, 433,50. pacem cũ Anglo facit, 434,37. contra Henricum se munit, 435,2. mori-tur, 435,12

Tarentum recipit Guilhelmus Malus, 424,42

Targia, turris 71,50. 404,25

Tauis mons, arx, fons, 203,20. Taui fontis miraculum, 62,16

Tauromenii etymon, 47,25. 285,50. situs, 47, 1. 48,54. conditor, 47,18. 48,54. monu-menta, 47,36. Tauromenium episcopatu prtuatum, 47,51. deletur, 446,27

Tauromenitanus ager, 48,9. 49,2. eiusdem prouentus, 47,55

Tauromenitani maris prouentus, 48,5

Tauromenites lapis, 46,39

Taurus, mons Siciliæ, 47,3,24. Taurus pro-mont. 26,15. 64,28. 68,19

Telamo, 481,51.

Telchines, 221,17

Telemachus Agrigentinus, 120,5,26

Telesinum regnum in Africa, 372,13

Tellias Agrigentinus, 116,53

Telmissus fl. 143,29

Temenitæ Apollinis signum, 84,51

Temenitis fons, 85,16

Tenea, vicus Corinth. 73,34

Teremundus, 368,18

Terias fl. 61,43,54. Teriæ caput primum, 61, 55. alterum, 62,13. tertium, 62,25. ostium, 62,32

Terillus Himeræ imperio exuitur, 237,36

Terra Pulicorum, 28,12. 132,25. 133,26

Terracatis, 83,37

Terranoua opp. 27, 26. 107,46. diuersa ab Heraclea, 107,50. 126,33. gemina, 108, 23. Terranouensium error, 107,50. 126,31

Terranouæ fl. 27,25. 107,45

Terræ cauernæ abditæ, 79,55. terræ fora-mina, 56,9. Terræmotus frequentes vbi, 38,40. terræmotus ex Ætnæ tonitruis, 55,21,35. terræmotus memorabilis, 566,55

Terricula nocturna, 2,38

Terror mortem affert, 560,39

Teutonum hospitale Panormi 166,28

Thaliæ partus, 62,48

Thalysia, 223,34

Thapsus Africæ vrbs, 319,8

Thapsus peninsula. 26,25. 71,28.

Theatrum Tauromenitanum, 47,38. Syracu-sanum, 84,40

Themistius Syracus. 349,38. occiditur, 348, 44

Theocles Chalcidensis coloniæ dux, 48,15,20. 232,18. Leontium & Catanam occupat, 23,12 90,55

Theocritus poeta, ibid. 28

Theodati perfidia, 367,12. cædes, 366,19

Theodericus Veronensis Dux,

Theodorus Syracus. 347, 48, e vinculis libe-ratur, 348,42

Theodosius Imp. vt filiis partitus sit Imperium, 42,17

Theodosius Græcorum contra Saracenos dux, 374,52 116,8

Theogamia, 328,5

Theogenia Agathoclis vxor, 116,14

Theogema sacra, 71,6

Theognis Megar. 378,21

Theophilus, Imp. Constantinop. 3,28

Therasia insula, vnde

Thermæ vrbs, 28,7. 128,25. 130,18. dictæ, 128,31. in Sicilia duæ, 128,32.

Thermæ Himerææ, 29,22. 175,28. 177,24.

Thermarũ Saccensium descriptio, 128,34

Thermitanus fl. 29,21. 174,41

Thermissa, 3,24. & 4,3

Thero Agrigent. tyr. 235,52. a Gelone contra Pœnos iuuatur, 237,44. Eiusdem stirps, 120,17. laus, 120,32. obitus, 242,34

Thesauros repertos rex sibi vendicat, 410, 27

Thesta Dionysii senioris soror, 279,17. ma-gnamina, ibid. 29

Thomas Chaula, 208,17

Thomas

Thomas Marchianus, 479,39
Thomas Prochyta, 468,54.469,10
Thomasius Barresius, 547,44.548,6
Thomasius Martinus, 509,52
Thrasius, 302,45.304,38
Thraso Syracus. 347,44. occiditur, 348,1
Thrasybulus Hieroni fratri succedit, 243,26. vesania sua ciues in se concitat, 242,30. fœde imperium amittit, ibid.55
Thrasydæus Theronis F. 120,36. Thrasydæi facinora & obitus, 241,40.242,37
Thusa, 29,36.181,37
Thynnorum etymon, ingeniũ, captura, 17,43.
Thynni vbi sapidissimi, 18,11
Tiberii Cæsaris secessus, 5,22
Tiella, 70,18
Timæus historicus, 49, 12. Timæi error, 37,44
Timænetus, 297,25
Timethus fl. 30,15.185,38
Timocrates Dionysii familiaris, 288, 28. Syracusani præsidii præfectus, 289,15. fugit, 290,1
Timoleontis ortus, 297,25. victuri præsagia, ibid.30. ad Siciliam applicatio, 298,27. de Icete victoria, 299,4. in sicarios clementia, 299,23. clemẽtia in Dionysiũ, 299,52. ardor in tyrannide excidenda, 301,22.305,48. præclara de Pœnis victoria, 304,16. studium in vrbib. instaurandis, 305,50. senectus, 306,10. prosperitas, 301,16. domo, 84,20. obitus, ibid.32
Timonides Dionis loco dux, 290,45
Timophanes, 297,26
Tisander Naxius, 49,9
Tisias rhetor, 91,33
Tisias Himerensis, 178,50
Tissa, 34,2.182,13
Tlepolemi & Hieronis facinus, 203,11
Tolomecca capitur, 462,27
Tonsuræ inuentores, 24,49
Tormentorum nouorum inuentoribus præmia, 142,20
Torus, collis, 334,10
Totilas, 368,12,48
Trabia arx, 29,20.174,38
Traianopolis, 190,41
Transfugarum præmium, 477,26
Trayna seu Troyna, 31, 34. 190,29. Troynæ insignia, 190,34. Traynenses admittunt Nortmannos, 394,35. in Nortmannos exasperantur, 396,2
Tribona seu Tribuna, 159,13.191,1
Trichiæ pisces, 18,17.48,6
Tricipiti & tripectori infanti triplicem fuisse animam, 131,23
Trinacia, 207,24.232,45.247,47. deletur, 248,6
Trinacia vnde dicta Sicilia, 11,11
Trinacria vnde dicta Sicilia, 11,8
Trinacus, 11,12
Trinomius, Deus, 59,26
Triocala, 214,2.362,36
Triorches Agathocles, 308,27
Tripolis capitur a Ferdinando Catholico, 551, 29. a Senene Bassa, 569,41
Triquetra vnde dicta Sicilia, 11,15
Triremis Agrigentina, 113,44
Triumuiratus, 364,30
Trogilorum porta, 82,14
Trogilorum portus, 71,50
Troiani in Siciliam profugiunt, 23, 3. 231,1
Troyna seu Trayna, 31, 34. 190,29. eadem Dragina, 386,45. Troynæ festum, 394,39. Troynensis episcopatus Messanam translatus, 44,8
Tumultuum præsagia, 553,10
Tunetum olim exile oppidulum, 370,38.372, 26. vt creuerit, 372, 26. Tunetum capit Agathocles, 318,40. Tuneto tributa imponit Rogerius rex, 408,6. Tunetum recipit Carolus, 565,1
Tunetense regnum in Africa, 372,22
Turrium inuentores, 218,48
Turris philosophi, 51, 50. 56,47. Turris pizzuta, 99,41. Turris pudicarum, 116,3
Turturicium, 34,18.193,17
Tusa opp. & arx, 193,2
Tuscus, Italiæ rex, 225,26
Tybris fl. 85,23,31
Tybris rex, 85,40
Tycha seu Tyche, tertia Syracusarum pars, 82, 43. eiusdem etymon, 82,42. 83,30. sepulcretum, 84,23
Tyndarides seu Tyndario Syracus. 245,5
Tyndaris, 30,16.185,45. Tyndaridis ruinæ, 186,25
Tyndarium, 30,16.185,45
Tyraca, 85,11
Tyrannidis inuentor, 118,12. tyrannidem & tyrannos quibus rebus comparârit Phalaris, 119,43
Tyrrheni fusi, 242,22.245,37
Tythea, Iani vxor, 220,38
V Alentia, 327,45
Valentinianus Imp. Rom. 366,10
Valeriani Cæs. clades, 365,52
Valerius philosoph. 364,8
Vapor, 56,1
Vene-

Vespres Sicil... 454

1812913

Venenata animalia quæ loca nõ ferant, 9,2,50
Venetiarum fundatio, 366,9
Veneti auxilia mittunt Michaeli Balbo, 374,53.378,15. *Emanueli II*, 408,24. *ab Alfonso impugnantur*, 547,2. *Sicula classe incensa Syracusanam obsidionem soluunt*, 547,39
Ventorum subterraneorum fomes, 56,3,18
Ventum tenens, inf. 6,28
Vergilius Scordia, 471,10. *proditor*, 471,41
Verris prætura, 364,24. *abdicata*, 186,22
Vertumnus, 200,20,31
Vestes sinuosæ in preliis impediunt, 303,53. *Vestium luxus castigatus*, 85,51.
Via Pompeia, 41,49. *Via Valeria*, 41,51
Vibona, opp. 327,44
Victoria, loci nomen, 448,41
Victoriæ equestris ritus apud Syracus. 87,5
Vienna Austriæ liberatur, 564,38
Villafranca, 213,52
Vincentius Ferrarius, 534,15,30
Vinciguerra Palicius, 463,32. *cancellarius fit*, 470,25
Vindicaris portus, 26,42.100,44
Vintimilii in oppida regia inuolant, 529,46
Vinorum Siculorum præstantiores species, 15, 7, *& deinceps. Sauocense*, 46,28. *Tauromenitanum*, 47,55
Virgilii locus explicatus, 6, 40. *&* 50, 11. 63, 28. 67, 32. 100, 7. 106, 48. 108, 52. 117, 45. 132, 33. 136, 26. 140, 19
Visa nocturna non semper vana, 553,10
Vitellianus I. Pontif. Rom. 369,26
Vitigis, Gotthorum rex, 367,27
Vitis vbi primum reperta, 15,6. *sponte nascẽs*, 15,3
Vitulus humana specie natus, 59,34
Vlyssis portus, 50,12.219,4
Vmfredus Nortmannus, 384,53.388,47. *Drogoni fratri succedit*, 388,53
Voracitatis templa, 25,5
Vrbanus II. Pont. Rom. 403,46. *Vrbani II diploma de Siciliæ legatis*, 404,48
Vrbanus IIII. Pont. Rom. 446,51. *moritur*, 447,13
Vrbitelli expugnatio, 481,45
Vstica insula, 4,36
Vulcanellus, insula, 3,50
Vulcani insulæ, officinæ, ministri, 218,50. *templum in Aetna*, 56,41. *templum miraculosum*, 116,16
19,30.116,17
Vulcanius collis, 2,26.3,28,49
Vulcaniæ insulæ, 15,13,
Vuarum Sicularum nobiliores species, *& deinceps.* 337,50

X *Anthippus Lacedæmonius*, 50,54. *&* 51,15
Xaræ, 372,37
Xecos Saraceni Gubernatores dicunt, 123,28
Xenocrates Agrigentinus, 325,4
Xenodicus siue Xenodocus Agrigentinorum dux, 319,50.320,9.323,31. *bis proditor fugatur*, 58,50
Xenophanis sepulcrum, 237,13.242,23
Xerxis in Græciam expeditio, 17,47
Xiphiæ pisces, 47,54
Xiphonius fons, 49,53
Xiphonium promont. 64,5.227,38
Xuthia, 26,17.68,50

Y *Hadeda fl.* 157,19
Yhalca, 166,18
Yhalcia Panormi, 97,16,26
Yhasiblis fl. & arx, 126,7

Z *Acynthus inf.*
Zanclæ etymon, 38,49. *conditores & cultores*, 23,26.39,3,15. *incrementa*, 39,24, 34. *coloniæ*, 39,34. *potentia*, 233,30. *excidium*, 39,53.40,5.234,46.235,9. *Zanclæorum puerorum miser interitus*, 39,40
Zanclus gigas, Zanclæ conditor & rex, 38,55. *&* 39,2 126,7
Zantes insula, 372,47
Zecherias, Saracenus, 222,2
Zemeis, 119,51
Zeno Eleates, 366,15,24
Zeno Isauricus, Imp. 234,31
Zephyrium promont. 115,46
Zeusis pictor, 509,29
Zimbardus Assus, 157,47,54.170,32
Zisa, ibid.46
Zoe Imperatrix Constantinopol. 380,29. *citur*, ibid.46
Zoe, Constantini filia, nubit Argyropylo, 382, 39, *Michaeli Paphlagoni*, 382,54. *Michaeli Calaphati*, 387,43. *Constantino Monomacho*, ibid.54 347,28
Zoilus Syracus.
Zoroastres, 221,2,5.222,8. *a Ninia vincitur*, 222,17 401,37 321,20
Zotica,
Zuphona,

FINIS.

Errata sic emenda.

Pag. 8, *Versu* 1, & Plinio, lib. *p.* 428, *C.* 4, fauore Reg. *p.* 528, *C.* 38, Comes, ne desc. *Sunt & alia, eaque nec pauca nec leuia, sed partim ab amanuensibus, partim ab ipsismet autoribus commissa. Quæ quum temporis angustia notare nunc prohibeat, dabimus, si Deus fauerit, mercatu proximo.*